DATE DUE

GAYLORD			PRINTED IN U.S.A.

OPERE

DI

S. ALFONSO MARIA DE LIGUORI

VOL. VII.

OPERE MORALI

DI

S. ALFONSO MARIA DE LIGUORI

DOTTORE DI S. CHIESA

VESCOVO DI SANT'AGATA DE' GOTI

E FONDATORE DELLA CONGREGAZIONE DEL SS. REDENTORE

Vol. III.

TORINO 1880

PER GIACINTO MARIETTI

TIPOGRAFO-LIBRAIO

SOMMARIO

DELLE OPERE CONTENUTE IN QUESTO VOLUME

HOMO APOSTOLICUS

PRAXIS CONFESSARII

INSTITUTIO CATECHISTICA

EPITOME DOCTRINAE MORALIS ET CANONICAE

VINDICIAE

PRO SUPR. PONTIFICIS POTESTATE

FINIS AUCTORIS

OMNINO LEGENDUS PRO OPERIS INTELLIGENTIA

Iuvat hic praemittere notitiam quamdam finis, et summae huiusce Operis. Iam ego Neapolitanis typis edideram aliud grandius opus Theologiae Moralis, quod postea Venetiis typis Remondinianis tribus tomis in folio cum aliquibus meis additamentis saepe est recusum, et nuper etiam novis accessionibus meis locupletatum iterum prodiit, quodque in multis Europae partibus non sine plausu est exceptum. In eo Opere conficiendo quindecim annorum labores perpessus sum percurrendo, et ponderando doctrinas plurimorum quos lustravi; quorum aliquos plus iusto benignos inveni, quippe qui falso ducti zelo expediendae salutis animarum, nimium libertati indulserunt, non sine divinarum ecclesiasticarumque legum praeiudicio; alios vero inveni qui tantam condescendentiam abominantes, inciderunt in aliud extremum excessivi cuiusdam rigoris. Hic meus maximus labor fuit, seligere scilicet ex tantarum opinionum congerie sententias illas, quae ex parte una debitum Divinis et Ecclesiae praeceptis obsequium servarent, et ex alia non adderent onera quae a Deo non sunt imposita, obstringendo unumquemque ad perfectionem illam, quae secundum humanam imbecillitatem communi fidelium est moraliter impossibilis. Hinc ego, theologorum partim lectione edoctus, quos passione quacumque spoliatus legere studui; partim experientia triginta annorum confessionum, et missionum; praefatum Opus composui ad instructionem iuvenum nostrae Congregationis. Sed quia opus illud utpote voluminosius atque diffusius non ita facile legi, aut a multis poterat comparari; ideo cogitavi (addito mihi insuper stimulo complurium id desiderantium) in lucem edere praesens Opusculum. In hoc praecipuus meus finis fuit, publici iuris facere instructionem quamdam practicam ad bene Poenitentiae Sacramentum administrandum: et quia in praxi numquam rite confessiones excipi possunt, neque, ut par est, animarum directio teneri, nisi habeatur notitia principiorum, doctrinarum, et quaestionum principaliorum rei moralis, ideo operam dedi, ut brevi et facili stylo exponerem hic

omne id quod pertinet ad sufficientem non minus quam necessariam instructionem cuiusvis confessarii; adnotando in suis peculiaribus locis Canonum, Bullarum pontificiarum, atque etiam Ss. Congregationum definitiones, quarum modica nimis notitia ex aliis libris habetur. Opus in compendium redegi, ut minori sumtu posset comparari, et ut facilius legeretur. Quoad ordinem (*), in primo tomo agetur de Praeceptis Decalogi, et Ecclesiae. In secundo de Sacramentis, et Censuris. In tertio de Privilegiis, et in ipsis de facultatibus quas habent episcopi et praelati regulares quoad absolutionem a casibus et censuris reservatis. Inde agetur quomodo practice gerere se debeat confessarius cum peccatoribus in occasione proxima existentibus, vel cum habituatis et recidivis; et quomodo cum diversis personarum generibus, scilicet rudibus, pueris, surdis, mutis, ad mortem damnatis, obsessis, puellis, aliisque mulieribus. Tandem quatuor additae sunt Appendices. In *Prima* adest instructio ad dirigendas Animas devotas ad perfectionem cum exercitio meditationis, et mortificationum, frequentiae Sacramentorum, et praecipue Communionis. Ibi etiam sermo erit de Oratione supernaturali, et peculiariter de singulis gradibus contemplationis; et de modo dirigendi animas, quas Deus evehit ad huiusmodi gratias extraordinarias secundum varios in quibus inveniuntur status. In *Secunda* Appendice adest Praxis assistendi Morientibus, cum advertentiis opportunis ad Sacerdotes assistentes quoad remedia contra tentationes, circa ultima Sacramenta, et circa affectus qui suggerendi sunt Morientibus tempore infirmitatis, et agoniae, cum notitia signorum proximae mortis. In *Tertia* Appendice adest Examen Ordinandorum, in quo instruitur Ordinandus circa Sacramenta in genere, et praecipue circa Sacramentum Ordinis in genere et in specie cuiuscumque Ordinis. Ibidem agetur de Voto Castitatis, de Horis Canonicis, et de Censuris in genere et in specie, quantum necesse est pro Ordinandis; et tandem de Sacrificio Missae, et de Potestate et Officio Sacerdotis. In *Quarta* demum Appendice sunt quaedam valde utilia monita pro Confessariis et Parochis cum instructione practica Orationis Mentalis. — In hoc Opusculo non solum adest (licet breviter) omne id quod in praefata Theologia continetur: sed insuper addita sunt plura alia, quae in Opere prius edito non inveniuntur. Omne ad gloriam Iesu et Mariae.

(*) **Hic auctor loquitur de ordine editionis a se adornatae. In nostra haec omnia hoc uno volumine continentur.**

HOMO APOSTOLICUS

INTRODUCTIO

Non mediocri profecto in coelis donabuntur praemio, et certam sibi aeternam suam operabuntur salutem confessarii partes suas bene gerentes, qui operam ad peccatorum salutem impendunt. Nos Iacobus apostolus his perspicuis verbis certos facit: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius* (nempe suam ipsius convertentis, ut loquitur textus graecus) *a morte, et operiet multitudinem peccatorum*. Ep. cap. 5. v. 20. Sed ingemiscit Mater Ecclesia tot filiorum suorum perditionem malorum confessariorum culpa; in eorum enim bona aut mala agendi ratione potissimum populorum salus aut pernicies sita sunt. *Dentur idonei confessarii* (aiebat s. Pius V.), *ecce omnium christianorum plena reformatio*. Pro certo igitur habendum est, quod si in omnibus confessariis ea scientia, et ea morum integritas reperiretur, quam tantum ministerium exposcit, non esset tot peccatorum sordibus mundus ita contaminatus, nec infernus adeo in dies animabus repleretur. Pro bonitate autem non hic expostulatur illa habitualis tantum, qua simpliciter homo in statu gratiae constituitur, sed positiva, nempe quae per virtutum exercitium comparatur, sicut poenitentiae ministrum decet; qui duplicis alimenti opus habet; uno, ut vitam suam sustentet, altero, ut prolem nutriat. Etenim confessarius aliorum conscientias dirigere debet, quin aut nimia indulgentia, aut immoderato rigore erret: tot vulnera sibi attrectanda sunt, quin se inquinet: cum mulieribus et adolescentulis versandum sibi erit, lapsus eorum in confessionibus maxime pudendos auscultando, quin nec minimum capiat sibi detrimenti: fortitudine cum hominibus praeclaris utendum erit, quin cuiusvis respectu moveatur. Denique totus caritatem, mansuetudinem, et prudentiam redolere debet. Itaque, ut has omnes adimpleat partes, non vulgari opus est probitate, ad quam nemo attinget, si, quotidiana meditatione coadiuvante, in oratione versatus non sit: aliter carebit luce et gratiis huic muneri rite exercendo necessariis, quod (ut dici solet) humeris angelicis etiam formidandum esset.

Praeter morum probitatem, confessarius, cum ipse sit conscientiarum iudex, tenetur etiam, ut supra attigimus, scientia ad recte iudicandum esse praeditus. Propterea non tantum ea ad meram praxim spectantia, sed etiam animadversiones notabiliores, et scitu magis necessarias super praecipuis Moralis tractatibus, in hoc brevi opere colligenda duxi; definitiones, principia, textus tum civiles, tum canonicos, item sanctiones pontificum, et sacr. congreg. declarationes, ac insuper doctrinas magis necessarias magisque acceptas, adnotando; materias enim, quae diligentiori indigent disceptatione, ad opus morale, quod in duobus tomis distinctum in lucem edidi, recurrat, ubi eas suis

rationibus, et cum citatione locorum auctorum, qui de illis tractant, fuse discussas reperiet. Hic solummodo breviter eos delibabimus, quantum satis erit, ut lectoris diligentia excitetur ad eas librandas. Nonnullae sententiae, quas hic secuti sumus, alicui forsan aut nimis rigidae, aut nimis benignae videbuntur; sed obtestarer hunc, ut antequam hac nota eas damnet, praefatum Opus in tribus tomis distributum grandioris molis (quod semel Neapoli, et pluries Venetiis (*) typis datum est) revolvat, cuius loci frequenter hic citantur, quia fuse rationes, et doctorum, qui eas defendunt, auctoritates ibi legendo, minime alienas, nec rationi temere innixas sibi visum iri, pro certo spero.

Quoties in praesenti opere adspiciuntur citationes, nullo allato auctore, ex nostra Theologia Morali lector sciat esse desumtas.

(*) Nunc autem typis meis illud edidi in quatuor tomis in 4.° distributum, imo omnia s. Auctoris opera dogmatica, moralia et ascetica voluminibus LVIII. in 12.°

TRACTATUS I.

DE CONSCIENTIA

1. Regula remota et proxima bene agendi.
2. Variae conscientiarum distinctiones.

1. Prima regula bene agendi est lex divina, cui postea debet se uniformare conscientia: sed quia bonitas aut malitia actionis talis nobis apparet, qualem eam conscientia apprehendit; hinc fit, quod regula remota, sive materialis, nostrarum operationum, est lex divina; proxima vero et formalis est conscientia, ut docet s. Thomas (1) sic loquens: *Ratio humana est regula voluntatis humanae, ex qua eius bonitas mensuratur.* Et apertius alibi (2): *Actus humanus iudicatur virtuosus, vel vitiosus, secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, et non secundum materiale obiectum actus.* Qua de re in hoc primo tractatu agemus de conscientia, in sequenti vero de lege.

2. Sermonem faciens de conscientia oportet plura distinguere. Oportet 1. distinguere conscientiam a synderesi. Synderesis est *notio principiorum universalium*, nempe, Deus est honorandus; malum est fugiendum; quod tibi non vis, alteri ne feceris, etc. Conscientia vero est iudicium practicum, quod ab huiusmodi principiis formatur circa praesentes operationes, quae hic et nunc agendae sunt, aut vitandae, secundum praesentes circumstantias; quapropter definitur conscientia *Dictamen rationis, quo iudicamus aliquid hic et nunc agendum, vel fugiendum.* 2. Distinguenda sunt varia conscientiarum genera, quae possunt accidere, nimirum conscientia *recta, erronea, perplexa, scrupulosa, dubia, et probabilis.* De singulis hic cum distinctione nobis erit loquendum.

Cap. I. *De conscientia recta, erronea, perplexa, et scrupulosa.*

3. De conscientia recta.
4. Erronea.
5. Si detur ignorantia praeceptorum naturalium.
6. Si quis aestimat desiderium pravum non esse peccatum
7. De conscientia perplexa.
8. ad 11. De conscientia scrupulosa.

3. Conscientia *recta* est quae dictat rei veritatem, contra quam qui operatur, certe peccat.

4. *Erronea* est quae dictat falsitatem. Haec dividitur in invincibilem et vincibilem, sive culpabilem. *Invin-*

(1) 1. 2. q. 19. a. 4.
(2) Quodlib. 3. a. 27.

cibilis est cum nulla erroris dubitatio in mentem occurrit, et iuxta istam nos tenemur tunc ad operandum; cum enim haec sit regula proxima (sicut superius dictum est) nostrarum operationum, iuxta illius dictamen nobis operandum est. *Vincibilis* est cum in mentem occurrit erroris dubitatio, et obligatio errorem vincendi, ac insuper negligitur ordinaria (non autem maxima) quae debet adhiberi diligentia ad veritatem inquirendam. Qui cum huiusmodi conscientia operatur, semper peccat, sive iuxta, sive contra conscientiam operetur.

5. Quaeritur hic, an possit dari ignorantia invincibilis circa praecepta naturalia. Cum ignorantia est invincibilis, est etiam inculpabilis, sicut constat ex propos. 2. Michaelis Baii proscripta ab Alexandro VIII.: *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae non excusat a peccato formali.* Idem quoque dixit M. Nicolius (*in diss. de prob. ad fin. epist.* 5. Montaltii apud Cont. Tournely *tom.* 1. *pag.* 12. *in fin.*) sub nomine Wentrochii dicens, talem ignorantiam esse poenam peccati originalis. Sed hoc iam contra Baium proscriptum est. Restat igitur videndum, an detur ignorantia invincibilis circa praecepta naturalia. Respondemus cum communi (contra Sinnichium, et alios pauciores), quam tuentur s. Antoninus, Sotus, Maldonatus, Suarez, Azorius, Sanchez, Gammachaeus, Duvallius, Wigandt, Gonet (qui merito vocat contrariam singularem, et improbabilem), et multi alii, inter quos numeratur doctissimus cardin. Gotti (1), adhibendam esse distinctionem inter prima principia, et conclusiones immediatas a conclusionibus mediatis. Hoc posito, dicimus cum allata sententia circa prima principia, seu circa praecepta principaliora legis naturalis, quae sunt ex se nota, et a synderesi dictata, ut superius diximus, *Deus est colendus: quod tibi non vis etc.*, non potest dari ignorantia invincibilis. Circa vero conclusiones immediatas, seu proxime deductas a principiis, qualia sunt praecepta Decalogi, nec datur ignorantia invincibilis, nisi in rudibus, et ad breve tempus, vel nisi addita aliqua circumstantia apparenter cohonestante. Circa autem conclusiones mediatas, sive remotas, discursu a praeceptis Decalogi deductas, ut sunt praecepta de non faciendis usuris, de scandalis vitandis, et alia id genus, circa has dicimus posse dari ignorantiam invincibilem, et inculpabilem, tunc cum adhibita communi, quam debet (ut diximus), diligentia, non potest dubium vincere. Vide in nostra Morali (2), ubi hoc multis auctoritatibus d. Thomae comprobatum est; et p. La-Croix (3) confirmat hoc idem auctoritatibus s. Bonaventurae et Alberti Magni. Idque confirmatur ex eadem allata prop. 2. ex Baianis proscriptis, ubi animadvertitur, Ecclesiam aut sentire, aut valde probabile esse tenere, quod detur ignorantia invincibilis etiam circa legem naturalem; nam si teneret contrarium, non declarasset ignorantiam invincibilem excusare hominem a peccato, quia damnasset propositionem de impossibili eventu.

6. Non desunt inter dd. qui excusant a mortali eum, qui putaret, opera tantum esse peccatum, non autem peccandi desiderium; sed huic opinioni numquam potui acquiescere, cum intelligere non valeam, quomodo evenire possit, ut qui iam scit, aliquam actionem, v. g., fornicationem esse peccatum, possit non peccare deliberate desiderando illam deliberate exequi: impossibile mihi videtur, quod quis credat non peccare, cum

(1) To. 2. tr. 3. q. 1. dub. 4. n. 17. ex d. Th. 1. 2. q. 19. a. 6. Adde Tourn. mor. tom. 1 pag. 14., qui citat d. Thom. et d. Aug. Adde Mercorum lib. de praxi opin. Vincent. Baron. in post. p. ad mor. theol. d. 4. q. 5. §. ult.

(2) Lib. 1. n. 170.

(3) Num. 720.

deliberate vult opere complere quod iam advertit esse Dei offensam (1).

7. Conscientia *perplexa* est, cum quis inter duo praecepta constituitur, v. g., servandi proximi vitam, et non peierandi, et ipse nescit, quid deliberet. Quid tunc ei faciendum erit? 1. Sapientes consulere debet, si potest. 2. Si non potest, minus malum eligendum erit, evitando potius transgressionem praecepti naturalis, quam humani, aut divini positivi. 3. Si facile sibi non erit ad librandum quodnam eorum sit minus malum, tunc ad quodcumque se determinet, non peccat, quia tunc deest ei libertas necessaria ad peccatum.

8. Conscientia *scrupulosa* est ea, quae ex levi formidine dubitat de alicuius actionis honestate, adeoque saepe formidat peccatum esse ubi non est. Multas dd. assignant regulas pro scrupulosis; sed revera post orationem nullum his remedium efficacius (imo unicum, ut bene ait p. Segneri) restabit, nisi obedientiam omnimodam directori praestare. Hinc ante omnia confessarius suadeat huiusmodi poenitenti hoc duplex principium principale. Primum, quod coram Deo tuto incedit, si patri spirituali obtemperat, ubi evidenter peccatum non apparet: tunc enim non homini obedit, sed ipsimet Deo, qui dixit: *Qui vos audit, me audit*. Ita docent omnes doctores, et magistri spirituum cum s. Bernardo, s. Antonino, s. Francisco Salesio, s. Philippo Nerio, s. Theresia, b. Dionysio Carthusiano, b. Umberto, v. p. magistro Avila, magno Gersone, etc. Secundum, quod maior scrupulus, qui debet eum angere, erit inobedientia, propter quam non tantum amittendi animi pacem, devotionem, et in virtutes progressum, sed etiam desipiendi, sanitatem consumendi, et quod deterius est, etiam animae faciendi iacturam, magno se exponit periculo: possent enim eo devenire scrupuli, ut vel ad tantam eum redigerent desperationem, qua sibimet mortem inferret; sicuti non paucis accidit; vel ut praecipitem se ad omne vitiorum genus deflecteret. Item confessarius insinuet poenitenti scrupuloso, ut bene ait doctus Auctor *Instructionum confessariorum tyronum* (2), cum Deo non sunt calamo, ut dici solet, rationes colligendae: Deus enim, boni nostri causa, vult, nos incertos vivere de nostra salute. Qua de re moralem diligentiam adhibendo, ne eum offendamus, in eius misericordiam nostra cura iactanda est, et nostram non posse facere salutem sine eius gratiae adiutorio confitentes, haec cum perseverantia, fiducia, et pace expostulanda nobis erit. *Optimum est*, aiebat s. Franciscus, *caeco ductu incedere sub divina providentia inter huius vitae tenebras et perplexitates. Expedit quiescere, dum a patre spirituali intelligit, se bene progredi, quin eius rei causam perquirat. Numquam periit obediens.* S. Philippus Nerius (3) asserebat, quod qui confessario obsequebatur, se certum faciebat, Deo non redditurum de suis operibus rationem. Contra vero, aiebat s. Ioannes de Cruce (4): Non satisfieri de eo quod dicit confessarius, esse superbiam, et in fidem peccatum.

9. Deinde curet confessarius, 1. ut percrebros cum huiusmodi poenitente habeat sermones de nimia fiducia in Iesu Christo collocanda, qui pro nobis mortuus est: et in sanctissima eius Matre, quae maxima potentia a Deo donata est in eos, qui ad se confugiunt: quare hortetur, ut vivat securus, semper ac Iesu et Mariae se committit patrocinio, qui proculdubio exaudiunt se invocantes. 2. Prohibeat, quominus libros, quibus scrupuli excitantur, legat et cum scrupulosis versetur; et illi, qui valde his vexatur, interdicat ne ad conciones terrore plenas adeat, nec conscientiam examinet in iis rebus, ubi

(1) Lib. 1. n. 9.
(2) P. 4. n. 76.
(3) In Vita lib. 1. cap. 20.
(4) Tract. de spinis Coll. 4. §. 1. n. 8.

scrupulos, sed immeritos, apprehendit. 3. Si consistit scrupulus in timore pravis cogitationibus (v. g. contra fidem, puritatem, aut caritatem) assentiendi, confessarius sit promtus atque intrepidus ad eos negligendos, et ad sincere ei affirmandum, huiusmodi cogitationes, potius poenas, quam consensus, et peccatum sibi esse. Et in hoc praecipue confessarius prae oculis habeat illam regulam, quam dd. (1) tradunt, eum, qui timoratae est conscientiae, nisi plusquam certus est de peccato mortali, immunem a peccato in eo iudicandum esse; nam tale monstrum (prout aiebat p. Alvarez) impossibile est in animam ab eo abhorrentem ingredi, quin aperte dignoscatur. Hac de re iuvat pariter imponere scrupulosis, ut de huiusmodi cogitationibus nihil penitus se accusent, nisi certo sciant, et iurare possint, consensisse. Et hic adverti debet, quod cum scrupulosis, non per regulas peculiares, sed generales, procedendum erit: per particulares enim scrupulosi numquam erunt ad deliberandum idonei, dubitantes semper, num illa regula apta sit pro praesenti casu; qui semper ei videbitur differre a casu, quem a confessario audivit.

10. Sit 4. pro illis, qui habent scrupulum circa praeteritas confessiones, sive quia putant, non omnes circumstantias explanasse, sive ob defectum doloris. Confessarius cum advertit, eos aut confessionem generalem iam peregisse, aut per aliquod notabile tempus confessiones praeteritas repetisse, istis imponat, ne ex proposito ad eas animum adiiciant, nec amplius verbum faciant de peccatis praeteritis, nisi cum iurare possunt, ea certe fuisse mortalia, et certo item de eis, numquam fuisse confessos. Dum dd. docent (2), scrupulosos, quamvis per inadvertentiam aliquod grave omiserint peccatum, non teneri (saltem, cum certi non sunt) cum tanto incommodo et periculo ad integritatem confessionis, a qua etiam hoc minus incommodum excusare potest (3). In hoc confessarius sit fortis, ut sibi obediri faciat; et si poenitens non obedit, eum obiurget, privet communione, et quantum potest eius retundet duritiem. Humaniter cum scrupulosis agendum est; sed cum obedientia delinquunt, maximo cum rigore tractandi sunt: si enim hac obedientiae anchorà illi destituuntur, pereunt utique; nam aut in phraenesim labuntur, aut in morum se dant depravationem.

11. Quinto loco veniunt illi scrupulosi, qui peccare formidant in omni opere; istis imponat, ut libere agant, et, ut scrupulos vincant, imo vincere tenentur semper ac non vident, illam actionem evidenter esse peccatum. Ita cum p. Segneri docent dd. (4). (p. Segneri *Poenit. Instr. c. ult.*). Et nihil refert, quod cum actuali timore operentur (non deposito dubio, quod pene desperandum a scrupulosis). Is enim timor non est verum conscientiae dictamen, quod alio nomine conscientia formata dicitur, uti bene distinguit Gerson (5); nec est verum dubium practicum, nec tollit iudicium antea factum, (quod virtualiter perseverat, licet ad illud propter timoris vehementiam tunc non advertatur) nempe, se non peccare in eo, quod non cognoscunt evidenter esse malum; siquidem tunc, non contra conscientiam agunt, sed contra illum inanem timorem (6). Imponat igitur confessarius huiusmodi poenitentibus in virtute obedientiae, ut parvipendant et superent scrupulum, libere operando id, in quo scrupulus eis est impedimento: item eis iniungat, ut deinde amplius de illo non confiteantur.

(1) Lib. 6. n. 476.
(2) Lib. 1 n. 16.
(3) Lib 6 num. 476.

(4) Lib. 1. num. 17.
(5) Loc. cit.
(6) L. 1. n. 18 et 19.

Cap. II. *De conscientia dubia.*

12. Conscientia dubia est, quae indeliberata manens, pro utraque parte assensum suspendit. Hic tamen distinguendum est dubium negativum a positivo. *Negativum* est, quando ex neutra parte apparent rationes, quibus possit intellectus assentiri alteri parti, et hoc debet in rigore appellari dubium, quod definitur *Suspensio assensus circa aliquod obiectum. Positivum* vero est quando pro utraque parte, aut saltem pro altera, adest grave motivum assentiendi, licet cum formidine de opposito; proinde dubium positivum idem est, ac opinio probabilis, de qua in sequenti puncto agemus.

13. Distinguendum 1. dubium speculativum a practico: *speculativum* est, quando dubitatur de rei veritate, ut si bellum sit iustum, necne; si pingere die festo sit opus servile; si valeat baptismus cum aqua distillata etc.: *practicum* vero est, quando dubitatur de rei honestate, si v. g. licet in praxi depingere die festo; praeliari in bello dubie iusto. Itaque semper distinguendum erit verum a licito. Etenim dubium speculativum respicit verum, practicum vero licitum. Hoc posito, dicimus cum dubio practico non licere operari, quia homo in operando debet esse moraliter certus de rei honestate; aliter, quia se periculo peccandi exponit, peccat, iuxta illud Eccl. 3. 27. *Qui amat periculum peribit in illo.* Et illa peccati noxa, cuius dubium habet, reus erit; quare, si dubitat esse furtum, furti peccat; si dubitat esse mortale, mortale committit. Qui autem est certus, in tali actione peccatum inesse, sed incertus est, si sit mortale, an veniale; alii eum de mortali damnant; sed probabilius dicunt Navarr., Valent., Granado, et La-Croix, tantum peccare venialiter; modo ad graviter peccandi periculum, neque ad actionis expendendae obligationem non advertat; et dummodo actio illa de se non sit certe peccatum mortale, et illius malitia saltem in confuso non apprehendatur (1).

14. Contra vero cum dubio speculativo operari licet, cum operans aliis ductus rationibus practice iudicat esse licitam eam actionem: nam aliae sunt rationes, ut iudicetur de rei veritate, v. g. quod bellum sit iustum, quod pingere in festo sit opus servile; aliae sunt rationes, ut iudicetur actio esse honesta, nimirum licitum esse praeliari in bello dubie iusto, pingere in festo, ex alio principio certo (ut est illud: *Melior est conditio possidentis*, aut aliud simile) dubium deponens. Qua de re in dubiis videndum est, cuius sit possessio, praecepti, an libertatis. Et ut hoc dignoscatur, videndum, pro quo stet praesumtio. Cum pro indubitato habeatur stare praesumptionem pro ea parte, quae alteri onus probandi factum transfert; factum enim non praesumitur, nisi probetur, ut habetur *l.* 2. *de probation.*, et ex *l. In bello, de captivis.*

15. Ex quo infertur primo, quod si possidet libertas, debet probari certo adesse praeceptum obligans, alias praeceptum dubium non potest onus certum imponere, et ligare libertatem, qua certo a Deo homo donatus est, ut quod sibi placuerit faciat, praeter ea quae sibi manifeste prohibita, aut imposita sunt, ut Ecclesiastici 15. 14. expressum habemus: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Contra vero,

(1) Lib. 1. n. 22. et 23

si lex certe condita et promulgata est, et dubium oritur, sit ne abrogata, aut revocata, aut ubi observatur an sit dispensata, quia tunc lex manet in possessione.

16. Et idem dicendum, si dubitatur de legis acceptione; cum enim illa iusta sit, praesumi debet, acceptatam esse, inspecto illo alio principio: *Ordinarie praesumitur factum, quod de iure faciendum erat.* Cui respondet illa alia moralis regula communiter a dd. recepta, quod cum dubitatur, sit necne positus actus, ille non praesumitur fuisse positus, nisi probetur, ut supra dictum est; cum autem certe actus positus est, et dumtaxat dubitatur de eius validitate (v. g. illius matrimonii, confessionis, voti etc.) *semper standum pro valore actus, l. Quoties, ff. de rebus dubiis;* ubi habetur, quod leges dubiae actus validitati favent. Huius generis est etiam illud axioma; *Nemo praesumitur malus, nisi probetur* (1).

17. Infertur 2., quod quidquid de lege dictum est, idem de voto erit dicendum, quod est quaedam particularis lex, quam sibi homo imponit. Quapropter, si quis dubitat, et non est certus de voto emisso, non tenetur ad votum, ut cum communi Cabassutius, Suarez, Rebellio, Prado, Sanchez, Castropal., Anaclet., Salmant. et alii (2). Idemque dicitur, cum dubitatur, an in voto emisso, aut in lege promulgata, comprehendatur nec ne aliqua res; tunc enim pro ea parte, de qua dubitatur, votum, aut lex non possidet. Et hoc perspicue apparet ex *cap. Ex parte* 18. *de censibus*; ubi cum aliqui vovissent, et dubitarent, an tenerentur ad maius, an vero ad minus, iuxta factam promissionem, fuit responsum, teneri tantum ad minus. Contra si votum fuisset certum, et dubitatur de satisfactione, debet persolvi, cum possessio tunc sit pro voto. Nihilominus communissime dicunt Lugo, Roncaglia, Laym., Salm., Carden., La-Croix, et alii, quod, si quis probabiliter iudicat, votum persolvisse (sive poenitentiam confessionis, aut officium divinum) non teneri ad aliud, quia Deus contentus est de probabili suae legis satisfactione (3). Nec obstare, aiunt, quod voti obligatio sit in possessione; nam respondent quod possessio obligationis, posita probabili voti satisfactione, devenit dubia, et ideo vovens in sua libertate remanet. Sed haec ratio minime mihi probatur; casu enim quo dubitatur de emissione voti, pro certo habeo obligationem non adesse illud implendi, quia tunc possidet libertas; sed casu quo votum est certe emissum, intelligere nequeo, quomodo per probabilem voti satisfactionem vovens solvatur a voti obligatione, quae adhuc in sua possessione manet; sicut enim tunc certum est votum, ita pariter certa eius impletio etiam esse debet. Eo solo casu opinio praefata admitti posset, quo probabilitas illa talis esset, quod moralem certitudinem satisfactionis voti peractae fundare valeret. Et idem dicendum de obligatione recitandi Horas canonicas, et adimplendi poenitentiam sacramentalem. Si autem quis votum emisisset, et deinde immemor voti operam promissam impleret, dicimus tunc non teneri iterum satisfacere, semper ac pro certo iudicare potest, quod factus memor voti pro illo operam impletam applicasset, prout cum sententia communi dicetur *Tract. X. n.* 120. *in fin. vers.* Idem autem, etc.

18. Infertur 3., quod cum superior iubet, subditus tenetur obedire, quoties res praecepta non est certe illicita; cum enim dubitatur tantum de rei inhonestate, possidet superioris auctoritas, quam habet praecipiendi, qua non potest expoliari in dubio. Ita communiter s. Bonav., s. Antonin., Caiet., Sylvius, Cabass., Tournely, Azor., Sanch., Palaus, Salmant., etc. Et probatur ex *cap. Quid culpatur*

(1) Lib. 1. n. 26. et 27.

(2) Num. 28. (3) Ibid.

dist. 23. *q.* 1., ubi s. Augustinus dicit, subditum recte obedire principi militare praecipienti, si bellum non sit certe iniustum. Limitationem hanc habet haec doctrina obediendi praeceptis dubie iniustis, quoties periculum gravis damni spiritualis, aut temporalis, secum coniungeret; aut si res praecepta esset etiam probabiliter illicita, et una simul esset valde molesta et difficilis, ita Lessius, Sotus, Tournely, Prado, Sanch., Holzmann, Busemb., Castropal., Salmant., et alii plures (1).

19. Infertur 4., quod dubitans, an iam compleverit annum 21., non tenetur ad ieiunium; si dubitat vero, an pervenerit ad annum 60., in qua aetate probabiliter deobligatur a ieiunio ecclesiastico, ut dicemus Tractatu XII., tunc tenetur ad ieiunium, quia possidet ieiunandi praeceptum. Idem dicendum, si quis dubitat de aetate pro ordine sacro, aut pro beneficio requisita, quia tunc possidet praeceptum Ecclesiae (2). Pariter si erit feria V., et dubitatur an iam transierit media nox, potest facta diligentia vesci carnibus (3). Qui autem dubitat, an deglutiverit aliquid post mediam noctem, possit nec ne communicare, alii negant, sed alii plures, ut Laym., Sa, Busemb., LaCroix, Sporer etc., probabiliter affirmant, dicentes, legem ieiunii esse prohibitivam potius, nempe, ne quis non ieiunus communicet, ut colligitur ex canonibus relatis in opere (4). Propterea semper ac non sit factus casus, quo vigeat legis prohibitio, certae nimirum, ieiunii fractionis, homo est in possessione communicandi.

20. Infertur 5., quod superveniente dubio de matrimonii impedimento, bona fide contracti, post factam diligentiam, dubio perseverante, potest coniux tum reddere, tum petere debitum coniugale (5). Infertur 6., quod certus de debito, at dubius de solutione, tenetur solvere. Contra vero dubius de debito, si est possessor bonae fidei, ad nihil tenetur, dum possessio (modo sit legitima) dat certum ius retinendi, quod possidet, adversus quod non potest praevalere, nisi ius certum proximi. Hinc s. August. (*can. Si virgo* 34. *q.* 1.), ait: *Possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* Ita Castropal., Laym., Lugo, Roncag., Carden., Molin., Sanch., card. Sfondratus, Sporer, et alii plures (6). Secus autem dicendum, si possessio sit infirma, nempe dubia, aut dubia fide incepta: quia tunc debet fieri restitutio pro rata dubii (7). Et non secus faciendum puto (quidquid dicant alii) casu, quo possessor, superveniente dubio, tempore debito, neglexerit diligentiam facere, quia proximum defraudavit, saltem spe, quam habebat, fore ut verus creditor inveniri posset, et pro huius spei rata tenetur restituere.

(1) Lib. 1. n. 31. et fusius l. 4. n. 47. v. Limitant.
(2) Lib. 1. n. 32.
(3) Ibid.
(4) N. 38.
(5) N. 33. et fusius l. 6. n. 903. et 904.
(6) Lib. 1. n. 34. et 35.
(7) Num. 36. v. Praefatae, et l. 3 n. 625.

Cap. III. *De conscientia probabili.*

21. Conscientia probabilis est illa, quae propter aliquam probabilem opinionem dictat licitam esse aliquam actionem. Opinio probabilis est illa, quae gravi aliquo innititur fundamento apto ad hominis prudentis assensum inclinandum. Sed in hoc primum omnium oportet scire, non licere operari cum opinione probabili cum periculo de facto damni proxi-

mi, cum proximus est in sui iuris possessione; cum distinguendum sit cum p. Suarez, alium esse casum cum agitur de simplici iure, nempe utrum possimus licite aliquid agere; alium esse cum agitur de facto, et de rei veritate; si enim talis opinio vera non sit, proximus certe damnum patietur, adeoque tunc opinione probabili uti fas non erit. Ponamus exemplum: si ego dubito, utrum ille sit homo an fera, non licebit eum ferire, nisi certus factus sum esse feram; licet probabilius, nedum probabiliter existimem, feram esse: nam si revera est homo, eum vulnerando ex mea opinione licet probabiliori, illius damnum non vito.

22. Hinc infertur 1., quod in materia fidei et salutis aeternae non solum est illicitum sequi opinionem minus probabilem, ut dicebat propos. 4. damnata ab Innoc. XI.; sed probabiliorem etiam, atque probabilissimam; et teneri ad amplectendam tutam et consequenter religionem, quae tutos homines efficit; prout est catholica; nam ceterae religiones, cum falsae sint, quamvis istarum aliqua forsan videretur probabilior alicui, ille tamen destitutus sacramentis, et aliis mediis necessariis ad consequendam salutem aeternam, non aufugeret utique suae beatitudinis iacturam.

23. Infertur 2., quod medicus tenetur adhibere remedia tutiora pro infirmi salute, neque illi fas est uti aliqua medicina, quam nescit, utrum ei profutura, an nocitura sit, ut periculum de illa faciat. Dubitant tantummodo dd. si infirmi salus iam sit desperata, an medico liceat ei dubium pharmacum praebere, ex quo potest infirmus convalescere, vel mors eius accelerari. Alii id negant; sed plures alii, inter quos Sanch., Valent., Laym., Bonac., Busemb., Filliuc. etc., id non improbabiliter affirmant, dum etiam ipsa natura videtur dictare, vitae modico periculo se exponere spe perfectae valetudinis, prudentis esse viri (1).

24. Infertur 3., quod iudex debet iudicare secundum probabiliorem sententiam, cum lege divina et humana teneatur unicuique ius suum tribuere pro causae meritis. Quare iure merito proscripta fuit ab Innoc. XI. haec 2. propositio. *Probabiliter existimo, iudices posse iudicare iuxta opiniones etiam minus probabiles.* In quo nihilominus validiori innixi fundamento notant Cardenas, Filguera, La-Croix, et alii, reum, qui in legitima est rei controversae possessione, non posse a iudice expoliari, nisi actor eas afferat rationes, quae nedum sint probabiliores, verum etiam convincentes: dum, ut dictum est *num.* 20., legitima rei possessio ius certum confert cuicumque possidenti (donec non constet de alterius iure) rem retinendi. Idque multis argumentis atque dd. auctoritatibus, ac etiam perspicuis textibus, probat Carden. (2).

25. Infertur 4., quod in sacramentorum collatione non potest minister uti opinione probabili, aut probabiliori, de sacramenti valore, sed tutiores sequendae sunt, aut moraliter certae. Propterea fuit proscripta haec 1. propositio ab Innoc. XI.: *Non est illicitum in sacramentis conferendis uti opinione probabili de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.* Sit tamen notandum, quod in duobus dumtaxat casibus licet uti opinione probabili, etiam circa sacramentorum valorem, videlicet:

26. Primus casus est, cum versatur in extrema necessitate; tunc enim licitum est uti quacumque opinione probabili, etiam tenui, ut dicunt multi dd. (3). Semper tamen tunc adhibenda est conditio, si valet: quia conditio in illarum rerum angu-

(1) L. 1. n. 46. (2) L. 4. n. 210. v. q [illegible]

(3) Lib. 6. n. 103. ad III. et 482. in fin.

stiis removet iniuriam a sacramentis, si forte invalide conficiatur; et necessitas contra iustam praebet causam sacramentum conditionatum ministrandi.

27. Secundus est casus, cum praesumitur Ecclesia aliunde supplere, ut sacramentum validum reddatur: prout accidit cum contrahitur matrimonium probabiliter validum, quia tunc praesumitur, Ecclesiam impedimentum, si unquam foret, abstulisse, ut redderet matrimonium certe validum, iuxta communem dd. cum Suar., Less., Coninch., Cardenas, Sporer, et aliis cum Lugo, qui testatur, hanc esse totius Ecclesiae praxim (1). Idem fit in sacramento poenitentiae, cum agitur de confessarii iurisdictione; etenim cum adest opinio vere probabilis de iurisdictione, Ecclesia etiam supplet eam conferendo, si forte confessarius ea caret, et hoc ex universali confessariorum consuetudine absolvendi cum probabili iurisdictione, et communiter testantur Suarez, Lugo, Carden., Sanch., Bonac., Less., Coninch., Maldero, Castropal., Salmant., La-Croix etc. Hanc tamen sententiam non admitto, nisi adsit gravis necessitas, aut saltem magna utilitas, ut bene limitant Wigandt, Holzmann, Marchant., Sporer, Elbel, etc. cum ipso Suarez; alias non debet praesumi Ecclesia sacerdotum libertati favere velle.

28. Itaque, ut dictum est *n.* 21., non licet uti opinione probabili cum alterius damno. Hoc tamen (ut supra annuimus) valet, cum proximus certe possidet suum ius; si secus esset, opinio poterit esse practice probabilis *de iure*, sive probabilis proxima, ut dicunt dd., v. g., opinio asserens, quod quoties aliquis alicubi est iam infamia notatus, nulla ei gravis iniuria infertur, si quis eius crimen, licet occultum, alibi promulgaret. Vide alia huius generis exempla in opere (2). Ratio, quia in omnibus istis casibus proximus consideratur non habere ius certum, aut saltem certam possessionem illius.

29. Quod hic dictum est locum habet cum agitur de puro facto; secus autem erit cum agitur de mero iure, et de sola rei honestate; tunc enim non licet operari cum opinione probabili. Sed hic videndum, quaenam, et qualis esse oporteat opinio, ut censeatur probabilis, et licite ea uti possimus. Igitur distinguendae sunt opinio tenuiter probabilis, probabilis, probabilior, probabilissima, et moraliter certa. Opinio *tenuiter probabilis* est quae innititur fundamento quod non valet ad se viri prudentis assensum pertrahere. *Probabilis* est quae innititur fundamento gravi, tam intrinseco rationis quam extrinseco, nempe auctoritatis DD., ita ut capax sit flectere assensum viri prudentis, licet cum formidine de opposito. *Probabilior* est, quae innititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine de opposito, dum opinio contraria potest aliquando esse vera, quamvis minus verisimilis appareat. *Probabilissima* innititur fundamento adeo gravi, sive gravissimo, ut opinio opposita non appareat graviter probabilis; sed quoniam probabilissima non excedit fines probabilitatis, licet principem locum teneat inter probabiles, ideo non excludit omnem prudentem formidinem, quod veritas etiam pro opposita possit stare. Opinio denique, vel, ut melius dicam, *sententia moraliter certa* ita excludit omnem prudentem formidinem, ut opposita censeatur omnino improbabilis.

30. His positis dicemus 1. cum opinione tenuiter probabili non licere operari, ut compertum est ex prop. 3. ex proscriptis ab Innoc. XI., quae sic dicebat: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter a*

(1) Lib. 1. n. 50. et l. 6. n. 901.

(2) Lib. 1. n. 53. et seq.

gimus. Et ratio est, quia tenuis probabilitas non potest dici vera probabilitas, sicuti tenuis fortitudo et tenuis peritia, non possunt dici vera fortitudo et vera peritia, sed potius dicendae sunt debilitas et imperitia. Dicimus 2. pro indubitato licere operari cum opinione probabilissima, ut habetur ex propos. 3. ex proscriptis ab Alexandro VIII., quae dicebat: *Non licet sequi vel inter probabiles probabilissimam.*

31. Utrum autem liceat cum opinione probabili operari, tres adsunt sententiae; prima quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior. Hanc sententiam elapsi saeculi auctores quasi communiter tenuere; sed nos dicimus eam esse laxam, et licite amplecti non posse. Ratio est, quia quando opinio pro lege est certe probabilior, tunc lex non est amplius dubio stricto dubia, uti accidit (quemadmodum postea explicamus) cum opiniones tam pro lege, quam pro libertate sunt aeque probabiles; sed est moraliter certa, quum habeat pro se fundamentum certum quod vera sit; ubi e contrario opinio minus probabilis, quae favet libertati, tale habet fundamentum ut vera non sit, ut remaneat tenuiter, sive saltem dubie probabilis prae opinione tutiore; ideoque non est prudentia, sed imprudentia eam velle sequi. Quum enim intellectui certe appareat, quod veritas stet magis pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa partem minus tutam sequi; tunc enim non operaretur ex proprio iudicio seu propria credulitate, sed quodam ex conatu quem sua voluntate faciet intellectui, removendo illum ab ea parte, quae ei verior videtur, eumque deflectendo ad illam partem, quae non solum videtur ei non vera, sed ne demonstrat quidem certum habere fundamentum quod possit esse vera. Est et alia ratio, quod nos observare debemus praeceptum illud, quod sufficienter fuisse nobis propositum possimus iudicare, et prudenter credendum est sufficienter fuisse propositum, quum prae legis existentia argumenta adsint graviora: ad rem facit quod dicit Apostolus: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est, Rom.* 14, 23. ex quo deducitur, quod nos, ut recte operemur, debemus esse de actionis honestate moraliter certi. Hinc falsum illud probabilistarum principium, *Qui probabiliter agit, prudenter agit*, penitus reprobamus: ut enim bene operemur, sola non sufficit probabilitas, sed certitudo moralis requiritur, quod actio nostra honesta sit.

32. Secunda sententia, quam hodie nunc quidam moderni tenent scriptores, vult ut tunc aliquam quamdam opinionem, quae libertati favet, sequi possimus, quum ipsa sit moraliter certa. Sententiam hanc existimamus nimis rigidam, et quae illaqueat conscientias, tale illis onus imponendo, ut nullas alias opiniones sequi possint, nisi quae moraliter certae sint, et in hoc opusculo demonstrabimus usum opinionum aeque probabilium procul dubio licere. Lectorem meum rogo, ne propositionem hanc meam contemnat priusquam legat totum id, quod pro hac sententia afferam in medium. Contemnere quod quilibet auctor dicit, quin quod dicit intelligatur, non est neque charitas neque prudentia. Legatur; et postea contemnatur.

33. Tertia igitur, quae nostra est sententia, dicit, quod quum opinio, quae libertati favet, est aeque probabilis, atque opinio illa quae legi favet, sine dubio, et licite sequi potest, excipe in materia fidei, in qua tutiorem sequi debemus, uti habetur ex propositione 4. proscripta ab Innocentio XI., uti quoque in materia valoris Sacramentorum, uti habetur ex propositione I. ab eodem Innocentio proscripta. Idem locum habet in materia medicinae, in qua medicus

tutiora remedia adhibere tenetur (prout communiter docent Doctores). Ita pariter non possumus uti opinione probabili cum periculo spirituali aut temporali damni proximi, semper ac (intelligitur) proximus est in certa sui iuris possessione. Ratio quia inter duas opiniones aeque probabiles non tenemur sequi tutam, quia lex dubia nequit certam inducere obligationem, quippe quia lex dubia non est sufficienter promulgata, ita ut possit ad suam observantiam nos obligare, quemadmodum demonstrabimus sexcentis auctoritatibus d. Thomae omniumque Theologorum. Auctores illi qui tenent non licere sequi ne opinionem quidem probabilissimam vocantur tutioristae *rigidi*; auctores autem probabilioristae moderni qui existimant licitum usum probabilissimae favore libertatis, et non requirunt quod opinio pro libertate omnino certa esse debeat, uti volunt rigidi tutioristae, ita ut opinio contraria pro lege sit penitus improbabilis, vocantur quoque tutioristae, sed tutioristae mites; dicunt enim quod, ut quis licite opinione minus tuta uti possit, moraliter certa esse debeat, sed largo, ita ut contraria magis tuta probabilis non sit, Ego tamen §. II. num. 66. evidenter demonstrabo sententiam hanc, quae probabilissimam tantum pro libertate permittit, difficulter a praedictis auctoribus in praxi adhiberi posse, quin in rigorismum labantur. Ardua isthaec videtur assertio, et forsan aliquis credit, ne ad extremum usque vellem rem protrahere, ut vanam eorum sententiam reddam; lectorem tamen meum rogo, ut totum hoc opusculum legat, quia agnoscet quod loquendo secundum horum mitium tutioristarum effata, negari haud poterit quod dicam.

34. P. Eusebius Amort, vir undequaquam perspectus pro variis et doctis operibus quae his temporibus in lucem edidit, in sua theologia morali et scholastica typis commissa anno 1733. Bononiae, postquam eam emendare fecerat auctor Romae a Benedicto XIV., quemadmodum eum rogaverat, uti in eius praefatione legitur, scribit, quod si opinio quae legi favet, notabiliter probabilior non apparet (advertendum, quod, cum opinio est non dubie, sed certe probabilior, tunc quoque est notabiliter probabilior), moraliter certum est, quod huiusmodi lex non obligat, dicens, quod Deus iuxta suam divinam providentiam, quando vult, ut aliqua sua lex obliget, tenetur eam notabiliter reddere probabiliorem: *Quandocumque existentia legis non redditur credibilior non ipsa, moraliter certum est non dari legem; quia ex natura providentiae divinae Deus, sicut tenetur suam religionem reddere evidenter credibiliorem non ipsa, ita etiam tenetur suam legem reddere notabiliter credibiliorem non ipsa. Theolog. tom.* 1. *disp.* 2. §. 4. *qu.* 10. Illud, *non ipsa*, intelligitur, quod Deus, ut nos obliget ad legis observantiam, debet facere nobis cognoscere legem illam probabiliorem non ex ea ipsa, sed ex aliis argumentis. Unde idem auctor ibid. loc. cit. et fusius in qu. disp. quaest. 5. scribit, quod quando adsunt duae opiniones aeque probabiles, *si in hoc casu non datur lex directe prohibens, quia in hoc casu non datur sufficiens promulgatio legis, quae est character inseparabilis, et essentialis legis; siquidem sola legis promulgatio est illa, qua lex fit credibilior non ipsa.* Promulgatio itaque illa est, quae reddit legem credibiliorem. Et subdit in hunc modum sensisse patres, qui in dubio stricto, an adsit vel ne lex, hominem ad sequendam opinionem magis tutam non obligavere.

35. Et revera S. Gregorius Nazianzenus (orat. 39.) loquendo de quodam Novatiano dicit *Anne iuvenibus quidem viduis propter aetatis lubricum ineundi matrimonii potestatem facies? At Paulus hoc facere minime dubitavit cuius te scilicet magistrum*

profiteris. At haec minime post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est (nota), *vincat humanitas tua.* Scribit amplius S. Leo (*ep.* 9. *ad Rustic. Narbon. in praefat.* 12. *c.* Sicut quaedam, *fin. dist.* 14.): *Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione temporum, aut pro consideratione aetatum oporteat temperari: illa consideratione semper servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum.* Dicit *sequendum*, quia Superiores debent rigorem temperare, et non obligare subditos ad rigidiores opiniones sequendas, quando opiniones benignae non sunt contrariae praeceptis Evangelii, aut decretis SS. Patrum. Ad rem quoque facit quod dicit D. Augustinus: *Quod enim neque contra Fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter esse habendum.* Dicit *convincitur*, quapropter non est prohibenda quaecumque actio, nisi certi simus, quod illa sit contra Fidem aut contra bonos mores. Non aliter scripsit D. Bernardus: *Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certae rationi, aut non contemnendae auctoritati quod sentitur, non obviat. Epist. ad Hugon. de S. Victor. cap.* 5. *n.* 18. *vol.* 1. *Oper. ex edit. Maurin. Paris. col.* 634.

36. Ioannes Gerson scripsit, *necesse est dari manifestationem ordinationis, et voluntatis Dei; nam per solam ordinationem, aut per solam suam voluntatem non potest Deus absolute creaturae imponere obligationem. De Vit. spir. lect.* 2. *col.* 176. Idem scripsit Ioseph Rocasull praepositus Valentiae: *Casu quo, facta diligentia, non constat, an lex sit imposita, sed res dubia manet, non obligat, sive sit lex, vel praeceptum naturale. Lib.* 1. *de leg. in comm. c.* 4. *n.* 65. Idem scripsit Melchior Canus contra Scholasticum obligantem peccatores ad contritionis actum singulis diebus festis: *Ius humanum nullum est, aut evangelicum, quo hoc praeceptum asseratur; proferant et tacebimus. Relect.* de *poenit. p.* 4. *post resolut. quaest. concl.* 3 et *postea in fine vers. ad ultimum* subiungit: *Quoniam ignoro, unde ad hanc opinionem doctores illi venerint, libere possum, quod non satis explorate praeceptum est, negare.* Canus itaque sentiebat nos non teneri ad illa, quae non satis explorate praecepta sunt. Hinc scripsit Dominicus Sotus: *Quando sunt opiniones probabiles inter graves doctores, utramque sequaris, in tuto habes conscientiam. De iust. et iure lib.* 6. *quaest.* 1. *art.* 6. *circa fin.* Amplius D. Antoninus aperte scribit quod inter duas aeque probabiles opiniones, licite possumus sequi benigniorem: *Secundum Cancellarium non plus nocet homini errare in articulo Fidei, qui non est declaratus ab Ecclesia, quod sit articulus de necessitate credendus; quam nocere posset actus moralis contra aliquid agibile perpetratus, qui actus non dicitur certus ex Scriptura, aut determinatione Ecclesiae, quod sit illicitus. Sed constat quod in materia Fidei licitum est ante determinationem Ecclesiae, tenere unam vel alteram partem sine periculo peccati, etc. Ergo a simili licet unam opinionem in moralibus tenere iuxta limitata superius, ubi saltem magis sapiens non sentit contrarium.* (Idem sentit Du-Hamel auctor modernus) *Theol. spec. et pract. tom. IV. tr. de act. human. lib.* 11. *dissert. IV. cap.* 3. *n. IV. in fine vers. Hoc argument.* scribens: *Hoc argumentum* (scilicet de usu opinionis probabilis) *magna prudentia temperatum nuper tractavit P. Gisbertus, primo enim postulat, ut opinio ex utraque parte veram habeat probabilitatem non fu-*

catam: secundo ne altera pene certa, aut multo sit probabilior cum mitiore comparata; tunc enim mentem multo probabiliori rationi cedere necesse est. Et idem dicunt innumerabiles alii docti auctores, prout Episcopus Abelly, Episc. Tapia, Episc. Alvarez, Episc. Ledesma, Episc. Angles, Episc. Zerola, Episc. Maldero, Episc. Tudesco, Archiepiscopus Panormi, Episc. Medina, et antistes Barbosa, Ampliss. Cardinalis Sfrondrati, Card. Toledo, Card. de Lugo. Praeterea Christianus Lupus, et plures doctores citati in meo opere *de usu moderato opinionis probabilis* in multis locis, uti potest videri in dicto opere *pag.* 263.

37. Praefata igitur nostrae sententiae ratio non est quaedam simplex ratio, sed certum quoddam principium, quod receperunt, et docuerunt theologi omnes, et praecipue d. Thomas (uti videbimus), scilicet quod lex dubia vim obligandi non habet, quia non sufficienter promulgata. Tunc enim promulgatum erit tantummodo dubium sive quaestio, non vero lex; quae, ut sit sufficienter promulgata, opus est, ut sit proposita et manifestata ut certa, quemadmodum superius diximus, et quemadmodum dicit S. Thomas cum omnibus theologis, prout videbimus.

38. Evidentes tandem afferamus probationes, quas a D. Thomae doctrina depromamus. Docet D. Thomas, quod *lex quaedam regula est, et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum.* I. 2. *qu.* 90. *art.* I. Docet inde s. Doctor regulam hanc sive legis mensuram, ut eam observare teneamur, debere nobis promulgatione manifestari: ideoque eadem ipsa qu. 90. art. 4. proponit dubium: *Utrum promulgatio sit de ratione legis?* et respondet: *Lex imponitur aliis per modum regulae et mensurae: regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.* Lex itaque, antequam promulgatione manifestetur, vim obligandi non habet. Hinc a D. Thoma definitur: *Quaedam rationis ordinatio ad bonum commune promulgata.* I. 2. *qu.* 90. *art.* 4. *Ergo* promulgatio est adeo legi essentialis, ut virtutem obligandi habeat, ut ipsa deficiente, lex non erit obligans, quemadmodum scribit doctus P. Petrus Collet continuator Tournely, et rationem affert: *Lex enim, ut obliget, debet dari ut regula, ac proinde innotescere: atqui lex non innotescit nisi per promulgationem, cum per eam solam eo intimetur modo, qui obediendi necessitatem inducit, etc.* Et consequenter dicit, legem in legislatoris mente existentem virtutem obligandi habere tantum in *actu primo*, scilicet pro tempore quo fuerit promulgata, sed, ut actu obliget, opus est ut applicetur et manifestetur subditis *(debet innotescere)* ut ipsi possint se illa regulare.

39. Promulgatio isthaec necessaria est tam in humanis, quam in naturalibus et divinis legibus, quemadmodum docet idem sanctus doctor, qui eodem art. ad I. sibi obiicit: *Sed lex naturalis non indiget promulgatione: ergo non est de ratione legis quod promulgetur :* et respondet: *Dicendum quod promulgatio legis naturalis est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Dicit naturalis legis promulgationem non fieri humano modo, signis externis v. g. per edicta, aut per praeconis vocem: sed naturali lumine, quod Deus hominum mentibus inserit.

Quod clarius explicat Sylvius scribens, quod *actualiter tunc* (lex naturalis) *unicuique promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dictantem, quid iuxta rectam rationem sit amplectendum, quid fugiendum, in* I. 2. *q.* 9. *art.* 4. *in fin.* Idem scribit Cardinalis Gotti (*Theolog. tom.* 2. *tract. de leg. q.* I. *dub.* 3. §. 3. *n.* 18.) et n. 21. ibidem scribit: *ad hoc ut lex in actu secundo obliget, requiritur quidem indispensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur.* Immediate subdens, quod *sicut mensura in actu secundo non mensurat nisi mensurabili applicetur:* quemadmodum mensura nequit actu mensurare, nisi rei quae mensuranda est applicetur, ita lex non potest esse mensura, et regula hominis, nisi ei promulgatione proponatur. Idem scribit Dominicus Sotus: *Nulla lex ullum habet vigorem legis ante promulgationem, sed tum instituuntur, cum promulgantur*: et asserit: *itaque nullam exceptionem conclusio haec permittit.* Quod confirmat P. Gonet in Clyp. theol. tom. 3, disp. I. art. 3. n. 57. ubi probare volens dari posse ignorantiam invincibilem praeceptorum naturalium, quae a primis principiis mediate deducuntur, hoc facit argumentum. *Lex enim vim obligandi non habet, nisi applicetur hominibus per promulgationem; sed lex naturalis promulgatur omnibus hominibus quantum ad omnia praecepta quae sunt remotissima a primis principiis; ergo non obligat omnes quantum ad illa praecepta. Subindeque potest dari de illis ignorantia invincibilis, et excusans a peccato.*

40. Esto igitur, quod quando duae aeque probabiles adsunt opiniones, lex est dubia, et uti dubia nequit obligare, quia tunc lex sufficienter promulgata non est, sed promulgatum tantum sufficienter est dubium, sive quaestio, an vel ne lex adsit, ecce principium certum non directum, sed *reflexum*, in quo sententiae nostrae fautores collocant certitudinem moralem, prae qua licite opinionem aeque probabilem sequi possumus.

41. Quod autem certa securitate agitur, quum iudicium certo licet reflexo principio adhaereat, constat ex Canonibus, et ex communi theologorum consensu. In *cap. Dominus* 2. *de secund. nupt.* dicitur, quod si secundus vir dubitet de morte primi viri suae uxoris, coniugale debitum petere non potest, sed requisitus tenetur illum reddere uxori bona fide petenti: *Debitum non deneget postulanti; quod a se tamen noverit nullatenus exigendum*, verba sunt textus. Qua tamen ratione potest vir coniugalem actum adhibere de primi viri morte dubitans, et consequenter an illa sit vel ne sua uxor? Potest, respondetur, ob principium certum reflexum, quia quum et uxor sit in bona fide de secundi matrimonii valore, ipsa possidet, et ius certum petendi debitum habet, cuius iuris privari non potest prae viri dubio. Probatur praeterea ex *Can.* 4. Quid culpatur *caus.* 23. *qu.* I. ubi D. Augustinus ita docet: *Vir iustus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si vice* (alias civicae) *pacis ordinem servans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* In dubio igitur an bellum iustum sit, licite subditus principe iubente bellare potest, et quomodo? iudicio innixo principio certo reflexo, quod in dubio princeps ius, ut sibi pareatur, habet: ideoque subditus, quotiescumque certus non est quod bellum sit iniustum, obedire debet: *vel utrum sit* (contra Dei praeceptum) *certum non est*, verba sunt textus.

42. De hoc non dubitant ne ipsi quidem nostri adversarii. P. Ioan-

nes Laurentius Berti asserit non licere sequi opinionem aeque probabilem minus tutam. Videamus tamen quomodo id probet. Probat duo principia probabilistarum, quae et ego pro falsis habui, confutando. Dicunt probabilistae quidem quod ob duo principia potest quis licite probabilem opinionem minus tutam sequi, et quod ob illa iudicium speculativum dubium redditur in praxi certum. Primum eorum principium hoc est: *Qui probabiliter agit, prudenter agit*. Hoc tamen principium, dicit P. Berti, et nos quoque dicimus, non potest probabilis opinionis usum licitum reddere, quia quum opinio contraria tutior sit aeque probabilis, tunc nos in dubio remanemus, et moralem honestatis certitudinem necessariam ad bene operandum non habemus: unde operans tunc haud operatur prudenter, sed imprudentissime, quum principio nihil certo utatur. Secundum principium est, quod quum opiniones sunt ambae probabiles, tunc homo potest iudicium cohibere ab opinione rigidiore, et uti opinione benigniore, illius probabilitati inhaerens. Hoc tamen, quemadmodum sapienter dicit Berti, ne nos quidem certos moraliter reddere potest de actionis honestate; talis enim voluntaria cohibitio iudicii cum ignorantia invincibili imo affectata convincitur, quia homo practica dubium non deponeret, sed affectate in eodemmet dubio de actionis honestate remaneret. Recte igitur concludit Berti, quod quotiescumque nullum aliud de probabilitate opinionis minus tutae suppetit fundamentum, illa uti non possumus; et ego dico, horum duorum principiorum falsitas a probabilistis adoptatorum, plures modernos scriptores induxit ut sententiam nostram reprobarent, et plurimos acquirerent sequaces, penitus non animadvertendo, quod nos praelata falsa principia refellimus, atque indubitato principio, quod lex dubia obligare non potest, utimur. Secus esset, uti subiungit Berti, quum praeter opinionis probabilitatem aliquod certum adesset reflexum principium, quod in praxi nos de actionis honestate certos redderet; quia tunc iudicium nostrum prae principii reflexi certitudine, cui inniteretur, redderetur certum. Adducit exemplum religiosi, qui in dubio an vel ne possit ieiunium frangere ut studio vacet, licite potest illud frangere praecepto Superioris, quo certus redditur posse vesci cibis sine peccato. Adducit et exemplum possessoris, qui in dubio an iuste fundum aliquem possideat, licite potest in illius possessione perseverare, quando vir doctus ei praestabit, quod aliquam rationem illum possidendi habet; possessor enim (iuxta D. Augustini auctoritatem, quam idem Berti refert) non tenetur expoliare se re legitime possessa, nisi illam suam non esse certo sciat; hoc enim ius dat legitima possessio. Hinc P. Berti generaliter concludit his verbis: *Proculdubio potest hoc pacto ex reflexione mentis antea perplexae fieri iudicium practicum moraliter certum*. Non dubitat itaque Berti quod in praxi recte efformari potest ultimum dictamen moraliter certum in opinionibus dubiis non solum prae principiis directis, sed etiam prae indirectis et reflexis. Quod certam reddit sententiam nostram, quae principio evidenter certo innititur, uti probavimus, et uti magis magisque demonstrabimus, legem nempe dubiam, quia non sufficienter promulgata, obligationem certam inducere non posse.

43. Idem effatum quod tenuit Berti, sequuntur domini Ballerini in libro inscripto *Moral. action. regulae, etc. seu, Quaestio de opinion. prob.* qui quamvis moderati sint rigidae sententiae sectatores, laudatam tamen doctrinam confirmant dicentes: *Quod in praxi ex directis principiis minime certis incertum est,*

ex certo reflexo principio fit omnino certum; et probant peculiariter exemplo quod nos adduximus *n.* 41. in *cap. Dominus*, uxoris bona fide debitum petentis: et sequentia verba subnectunt: *In his omnibus exemplis observandum est, reflexa principia particularem quaestionem non solvere, sed incertam relinquere, sola praxis certa est, eo quod principia reflexa praxis in eo dubio dirigendae, certam regulam figant.* Et idem scribit P. Gonet pro certo; *Manual. tom.* 3. *tract.* 3. *c.* 16. *circa fin.*

44. Videamus tandem quid aliud docet D. Thomas qui nostrae sententiae fidem accrescit. Ipse in *opuscul. de veritate*, *q.* 17. *art.* 3. docet, quod *nullus ligatur per praeceptum, nisi mediante scientia illius praecepti.* Scitur quod scientia importat certam alicuius rei cognitionem. Et ut intelligatur quod D. Thomas nomine scientiae certam intelligit cognitionem, animadvertere oportet quaesitum quod eodem in loco proponit: *Utrum conscientia liget?* et hoc modo ratiocinatur: *Ita se habet imperium gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. Unde nec ex imperio alicuius domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti: sicut antea in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum; ita in spiritualibus, nisi per scientiam.* Similitudo haec D. Thomae non potest esse neque clarior, neque convincentior, ut principium nostrum, quod lex incerta certam nequit inducere obligationem, comprobetur. Dicit Sanctus, quod scientia praecepti est ad instar cuiusdam funis, quae voluntatem ligat; et quemadmodum ut res materialis ligetur, oportet ut actu ei applicetur funis, quae eam liget, et cogat, ita ut voluntas hominis ligetur ut illam faciat actionem, aut ab ea actione abstineat, oportet, ut praecepti scientiam habeat, alias homo liber remanet. Itaque quando homo remanet in dubio utrum adsit vel ne praeceptum, uti evenit, quum adsunt duae opiniones aeque probabiles, tunc utique non habet scientiam praecepti; ideoque illam, quam mavult, opinionem sequi potest.

45. Idem alibi declarat D. Thomas, scilicet I. 2. q. 19. *art.* 10. ubi quaerit: *Utrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinae in volito, ad hoc ut sit bona?* Inde eodem articulo 10. ad I. sibi obiicit: *Videtur quod voluntas hominis non debeat semper conformari divinae voluntati in volito; non enim possumus velle quod ignoramus ... Sed quid Deus velit ignoramus in pluribus: ergo non potest humana voluntas divinae voluntati conformari in volito.* Et respondet: *Ad primum dicendum, quod volitum divinum secundum rationem communem, quale sit, scire possimus; scimus enim quod Deus quidquid vult, vult ob rationem boni. Et ideo quicumque vult aliquid sub quacumque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinae quantum ad rationem voliti.* Itaque homo quotiescumque vult aliquid sub aliqua ratione boni conformat se divinae voluntati. Subdit postea D. Thomas id quod pro nobis maxime facit: *Sed in particulari nescimus quid Deus velit; et in quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem divinae voluntati.* Ergo non tenemur conformare nos voluntati divinae in particulari, et peculiariter quoad praecepta, quotiescumque isthaec divina voluntas nobis non innotescit, quemadmodum distinctius declara-

tur a P. Gonet in haec verba: *Homo non tenetur conformari voluntati divinae in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis praecepto, vel prohibitione manifestatur. Gonet in Clyp. t. 3. tr. 3. D. 6. art. 2. n. 37. in fin.* In dubio itaque alicuius praecepti, quo Deus nobis praecipiat, aut prohibeat aliquam actionem in particulari, non tenemur divinae voluntati conformari, nisi postquam voluntas divina nobis sit manifestata, alias, ut dicit Gerson, quando Deus nobis suam non manifestat voluntatem, non potest nos obligare. *Necesse est dari manifestationem ordinationis, ac voluntatis Dei, nam per solam suam voluntatem nondum potest Deus absolute creaturae imponere obligationem. Gerson de vit. spir. animae, tom. III. lect.* 2.

46. Idem docet D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 4. ubi quaerit: *Utrum in omnibus Deo sit obediendum?* Respondet affirmative, sed ad 3. sibi obiicit: *Quicumque obedit Deo, uniformat voluntatem suam voluntati divinae etiam in volito; sed non quantum ad omnia tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinae ut supra habitum est* (1. 2. q. 19. *art.* 10. qui locus ille est quem adduximus superius), *ergo non in omnibus tenetur homo Deo obedire.* Et respondet: *Ad tertium (qu. 104. supra cit.) dicendum, quod etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult; semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle, et hoc homini praecipue innotescit per praecepta divina.* Homo itaque tenetur obedire Deo, et conformare se divinae voluntati circa praecepta, non in omnibus quae Deus vult, sed tantum in illis, *quae Deus vult nos velle.* Quo tamen pacto sciemus quod Deus non solum vult, verum etiam vult nos velle? *Sciemus*, inquit D. Thomas, *quando nobis innotescit per praecepta divina.* Non satis est igitur dubia praecepti notitia, ut obliget nos ad observandum illud tamquam voluntatem Dei, sed necessaria est cognitio certa et manifesta, quod procul dubio significat verbum illud *innotescit*.

47. Hinc perspicitur quod Sanctus Thomas semper fuit uniformis docendo legem debere esse certam, ut ad suam nos obliget observantiam. Dixit promulgationem legis naturalis tunc fieri, quando *Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam. S. Thom.* 1. 2. *qu.* 90. *art.* 4. *ad* 1. dixit *cognoscendam;* ergo homo tunc tenetur legi obedire, cum eam lumine cognoscit naturali, non vero cum de illa dubitat. Praeterea dixit, hanc legis cognitionem (quam vocavit *mensuram*, quia cum illa debet homo suas actiones mensurare) debere esse certissimam, ut hominem ad legis obliget observantiam: *Mensura debet esse certissima* 1. 2. *q.* 19. *art.* 4. *ad* 3. Dixit amplius quod quemadmodum funis non ligat nisi contactu applicetur, ita *nullus ligatur per praecepta, nisi mediante scientia illius praecepti. Opusc. de verit. qu.* 17. *art.* 3. Dixit hominem tunc tantum teneri obedire voluntati divinae, cum haec divina voluntas ei per praecepta manifestatur: *Et homini (quod Deus vult) praecipue innotescit per praecepta divina,* 2. 2. *q.* 104. *a.* 4. *ad* 3. Significationes istae itaque D. Thomae, scilicet quod lex ut obliget debet esse *cognita*, quod *nullus ligatur per praeceptum, nisi mediante scientia illius praecepti;* quod lex debet esse *certissima* ut obliget, quod non tenemur conformare nos voluntati divinae, nisi quando illa nobis per praecepta *innotescit*: nil aliud denotare possunt, quam quod lex non obligat nisi quando *cognoscitur*, nisi quando est *certissima*, nisi quando *habetur scientia illius*, et nisi quando *promulgatur*.

Hoc quod docet D. Thomas comprobatur a pluribus Sanctis et doctoribus. D. Isidorus dicit: *Erit autem*

lex manifesta. In Can. Erit autem *dist.* 4. S. Raymundus scripsit: *Non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi non tibi constat per certam scripturam, lib.* 3. *de poenit.* §. 21. D. Antoninus asserit: *Quaestio in qua agitur utrum sit peccatum mortale, nisi ad hoc habetur auctoritas expressa Scripturae, aut Canonis Ecclesiae, vel evidens ratio, periculosissime determinatur. S. Ant. p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 11. *D.* 28. Et rationem adducit dicens, quod qui in dubio determinat esse mortalem quamdam actionem, de qua prudenter dubitatur, an sit mortalis, *aedificat ad gehennam*, scilicet exponit periculo damnationis illum qui eam faceret actionem. Idem scripsit Ioannes Nyder citando quoque Bernardum de Claramonte. *Ex quo enim opiniones sunt inter magistros, et Ecclesia non determinavit alteram partem, teneat quam voluerit. Nyder in Consol. Av. par.* 3. *cap.* 20. Sic quoque scripsit Gabriel Briel anno 1480. dicens: *Nihil debet damnari tamquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio, vel manifesta auctoritas Scripturae. In* 4. *sent. D.* 16. *qu.* 4. *concl.* 3. scripsit Lactantius: *Stultissimi hominis est praeceptis eorum velle parere, quum utrum vera aut falsa sint dubitatur. Lib.* 5. *instit. cap.* 21. In *cap.* 13. *Cum iure de offic. et pot. iud. de legib.* dicitur: *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* Dominicus Sotus loquens de lege, dicit, quod ut ipsa obliget, quum debet esse regula nostrarum actionum, necesse est, ut homo *intueatur eam*, scilicet ut clare eam cognoscat; *Qui regula utitur, eam intueri necesse est. De iust. lib.* 1. *qu.* 1. *art.* 4. Ita demum scripsit Benedictus XIV., in suis notificationibus (*notif.* 13.): *Non debent imponi vincula, cum non adest manifesta lex, quae illa imponat.*

§. II. *Respondetur ad obiecta adversariorum, et ex responsionibus magis sententia nostra elucebit.*

49. Nolo quaedam non diluere obiecta adversariorum: immo diluere lubet; ex responsionibus enim sententiae nostrae certitudo magis magisque elucebit. Incipientes ab oppositione illa quae responsionem requirit prolixiorem.

50. Obiiciunt 1. minime dubium esse etiam leges divinas ac naturales opus habere promulgatione ut obligent; dicunt tamen naturales leges fuisse ab aeterno promulgatas, et usque ab aeterno vim perfectam obtinuisse obligandi hominem, vel antequam existeret, quippe quia lex naturalis participatio quaedam est legis aeternae, quod quidam auctor deducere autumat a quibusdam D. Thomae verbis, quibus ipse D. Thomas pro nobis respondet, uti postea videbimus. Angelicus (1. 2. *qu.* 91. *a.* 1. *ad* 2.) dicit, quod lex aeterna *aeternam habet promulgationem ex parte Dei promulgantis.* Ego tamen quaero: Quaenam promulgatio divinae legis illa est, quae obligat homines, promulgatio *ex parte Dei*, an promulgatio *ex parte creaturae?* D. Thomas, uti superius diximus §. 1. *n.* 39. docet, quod lex non habet vim obligandi, nisi promulgatione hominibus applicetur: *Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione S. Thom.* 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. Et oppositioni (*ad primum*) dicit, quod lex quoque naturalis opus habet promulgatione, haecque fit cognitione legis, quam Deus mentibus hominum inserit lumine naturali: *Dicendum quod promulgatio legis naturae est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Et idem docet S. Doctor in loco ante citato ab adversario, ubi

postquam dixit, quod lex aeterna *aeternam habet promulgationem ex parte Dei promulgantis*, immediate subdit: *sed ex parte creaturae audientis aut inspicientis non potest esse promulgatio aeterna. Cit. a.* 1. *ad* 2. Promulgatio itaque quae obligat, fit quando creatura cognoscit praeceptum lumine rationis, aut illud audit ab Ecclesia, vel a sapientibus, qui eam docent.

51. Id clarius explicat D. Thomas in alio loco (1. 2. *qu.* 91 *a.* 2.) ubi dicit: *Lex, cum sit regula et mensura, dupliciter potest esse in aliquo: uno modo sicut in regulante et mensurante, alio modo sicut in regulato, et mensurato: quia in quantum participat aliquid de regula sic regulatur... Et talis participatio legis aeternae in rationali creatura lex naturalis dicitur.* Angelicus igitur asserit quod quum lex quaedam regula sit, qua debet se homo regulare, alio modo consideratur in legislatore *regulante*, alio in homine *regulato*. Itaque dicit D. Thomas, quod quemadmodum aliquid homo participat de lege naturali, quae est unica eius regula, ita actiones suas regulare debet. Antequam igitur hoc lumen prae lege naturali recipiat, ad nihilum obligari potest, quia nondum recepit regulam, qua se regulare possit. Itaque lex aeterna regula est pro Deo regulante, sed pro homine qui regulandus est, regula est lex naturalis, lumen scilicet illud, quod naturali ratione ei manifestatur.

52. Hinc theologi communiter, et iure dicunt, legem aeternam non esse proprie legem, sed esse instar legis, et, ut ita dicam, est lex et regula pro ipso Deo, et si vult vocari promulgata, est quaedam lex a Deo sibi ipsi promulgata. Hoc modo loquitur Du-Vallius, qui scribit, legem aeternam tunc proprie habere rationem legis, cum hominibus manifestatur; inde subdit: *Si tamen ab aeterno spectetur, dicendum est eam non esse vere et proprie legem, sed tantum aliquid quod se habeat instar legis: tum quia de ratione legis est, ut promulgetur subditis: nulli autem fuerunt subditi ab aeterno; tum quia lex essentialiter est regula quaedam practica, haec autem regula non potuit imponi Verbo et Spiritui Sancto, quia ipsimet sunt regula et rectitudo ipsa. Du-Vall. in* 1. 2. *S. Thom. de leg. q.* 2. *p.* 293. Et ita quoque dicunt Montesinus, et Iodochus Lorichius doctor Lovanii. Montesinus dicit legem aeternam non esse legem nec regulam pro nobis, sed tantum pro Deo ipso sibi promulgatam: *Respondeo huiusmodi legem aeternam promulgatam esse ab aeterno ipsimet Deo, Deus sibimet est lex et regula: et ita intelligimus Deum sibi promulgare legem. Montesin. D.* 20. *de leg. q.* 4. *n.* 83. Lorichius *Thes. novus utr. Th. verb. lex, n.* 6. de eadem aeterna lege edisserens scribit: *Hac lege Deus omnia ordinat ad seipsum, et est promulgata apud ipsum ab aeterno; hominibus autem promulgata, quando eis innotescit.*

53. Quando igitur quaeritur, an obliget homines lex ista? Respondet Du-Vallius, quod tunc obligat, cum homo ad discretionis annos pervenit, quia tunc lumine naturali lex illi promulgatur: *tunc autem sufficienter* (legem) *promulgari, quando quisque annos discretionis incipit* 1. 2. *de leg. q.* 3. *a.* 3. Et pag. 296, subdit, quod lex aeterna nobis manifestatur per legem naturalem, quae est illius participatio: *Dico eam per alias leges nobis innotescere, cum leges illae sint illius participationes.* Non secus scribit praelaudatus Montesinus *disp.* 20. *de leg. q.* 4. *n.* 85. *Lex naturalis promulgatur in unoquoque, dum primo venit ad usum rationis; et quamvis pro tunc solum promulgetur ista lex quantum ad principia communissima iuris naturae, tamen postea paulatim per discursum promulgatur eadem lex quantum ad alia.* Non dissentit Petrus de Lorca Cisterciensis, immo subiungit, cognitionem legis essentialem esse atque intrinsecam

tam legibus humanis, quam naturalibus. *Lorca in* 1. 2. *S. Thomae D.* 6 *de leg.* Idem scripsit Ioannes Maior: *Cum primum aliquis habet rationem, legem naturalem habet. In* 3. *dist.* 27. *q.* 2. Ita quoque scripsit Conradus Koellin e divi Dominici familia. *Cum venerit* (homo) *ad usum rationis, tenetur ad ea, quae sunt legis naturae. In* 1. 2 *q.* 90. *art.* 4. Idem scripsit P. Manstrius *theol. moral.* D. 2. de leg. q. 2. a. 2. n. 34. *Hoc autem ius* (naturae) *hominibus intimatur, et obligare incipit ab eo tempore, quo rationis usum accipiunt; et per talem legem sibi intimatam inter bonum et malum discernere incipiunt; hic enim rationis usus est veluti ipsius legis naturalis notificatio et manifestatio.* Et hoc intendit Paulus (*Rom.* 7. 9.) illis verbis, *Ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* Sic quoque sensit Ioannes Granado (ignoscat qui legit si tot theologorum textus idem dicentium in medium affero, hoc enim mihi est perquam necessarium, ut adversarii mei atque alii sibi persuadeant, theologos omnes uniformiter locutos fuisse contra id quod mihi mei obiecerunt adversarii); scribit Granado: *Dicendum est legem naturae consistere in illo dictamine rationis;... Nec deest promulgatio, eo enim ipso quod homo perveniat ad usum rationis, potens est discernere honestum et malum. Contr.* 6. *de leg. trac.* 2. *D.* 4. *n.* 7. Idem scripsit Blasius de Beniumea: *Cum lex naturae debeat voluntati proponi, ad hoc ut habeat vim obligandi, et rationis dictamine possit praecognizative promulgari; ipsa praecognizatio intellectus notificat obligationem faciendi sive omittendi aliquam actionem, etc. De leg. q.* 2. *art.* 2. *n.* 220.

54. Hinc concludunt reliqui omnes theologi legem aeternam, licet in actu primo habuit virtutem obligandi, nihilominus neminem obligasse antequam promulgata fuit atque applicata. Ad rem facit quod scribit Cardinalis Gotti: *Sequitur, quod lex aeterna ab aeterno in actu secundo neminem obligaret.* Et subiungit, quod quamvis illam virtutem obligandi habeat, attamen *nondum ligat, quia nondum applicata et promulgata. Theol. tr. de legibus q.* 2. *dub.* 1. n. 13. Hanc nimis claram rationem adducens, *quod mensura in actu secundo non mensurat, nisi mensurabili applicetur.* Idem scribit Franciscus de Aravio: *Cum lex aeterna non obliget creaturas, nisi mediante lege naturali, vel positiva divina, ad istarum promulgationem illa quoque sufficienter promulgatur. In* 1. 2. *q.* 96. *D.* 1. *sect.* 5. *pag.* 525. Ita quoque tenet Honoratus Tournely, dicens: *Quia tamen lex ante creaturarum existentiam vere obligans non fuit, cum nihil esset ad extra, quod ea obligaretur, palam est rationem completam legis tunc tantum ei competere potuisse, cum extiterunt creaturae, quibus fuit lex promulgata. Praelect. theol. tr. de leg. c.* 2. *concl.* 5. Eodem modo scripsit P. Collet: *Quia tamen lex aeterna ante creaturarum existentiam obligans non fuit, palam est rationem plenam legis tunc tantum ei competere potuisse, cum extiterunt creaturae, quibus intimata fuit. Thom.* 2. *de leg. c.* 2. *pag.* 17. Hinc scripsit Ioseph Rocaful. praepositus Valentiae: *Quamdiu* (lex aeterna) *non promulgatur per modum legis, semper se habet per modum propositi ferendi legem, non autem per modum legis latae. Praxis, etc. l.* 2. *c.* 1. P. Berti scripsit legem aeternam non fuisse legem obligantem, sed paratam obligare in tempore, quo hominibus promulgaretur: *Nos per promulgationem nihil aliud intelligimus, nisi parata iam legis promulgatione, aeternam legem institutam dicimus ante tempora saecularia promulgatam vero in temporum conditione.* Quod explicavit verbis illis dicens, quod *lex aeterna fuit ab aeterno solum vim habitura in rerum creata-*

rum conditione; ita ut tunc vim obligandi habere deberet, cum fuisset creaturis promulgata.

55. Denique theologi omnes sentiunt, legem aeternam non fuisse legem obligantem, nisi postquam fuit promulgata: ut scribit Franc. Sylvius: *Lex aeterna fuit ab aeterno lex materialiter, non formaliter, seu sub ratione legis actualiter obligantis, quia tunc non fuit actualis et perfecta promulgatio. In* 1. 2. *q.* 91. *a.* 1. *ad* 2. Convenit quoque P. Gonet: *Legem aeternam defectu promulgationis non potuisse obligare creaturas ab aeterno. In Clyp. tom.* 3. *tract* 6. *de leg. D.* 2. *art.* 2. *n.* 19. Facit quod scribit Lorichius: *Hominibus autem* (lex aeterna) *promulgatur, quando eis innotescit. Thesaur. Verb. lex. n.* 6. et lubet hic repetere quod scripsit Dominicus Sotus: *Nulla lex ullum habet vigorem legis ante promulgationem; nullam exceptionem conclusio haec permittit.* Dicit enim legem, quum sit nostrarum actionum regula, regulam nobis esse nequire, nisi nobis applicetur et manifestetur: *Applicari autem nequit* (lex) *nisi per eius notitiam, nam qui regula utitur, eam intueri necesse habet. Sotus de iust. lib.* 1. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 3. *a.* 2. Colligamus ergo. Theologi omnes, ductore D. Thoma, sentiunt, legem aeternam, quamvis in actu primo vim in se habuerit homines obligandi, actualiter tamen in actu secundo obligare non potuisse, nisi postquam hominibus lumine rationis naturalis fuerit promulgata. Hinc repetere opus est doctrinam Ioannis Gerson dicentis, *Necesse est dari manifestationem ordinationis, ac voluntatis Dei, nam per solam suam ordinationem, aut per solam suam voluntatem nondum potest Deus absolute creaturae imponere obligationem. De vita spir. tom. III. lect.* 2. Et Franciscus Henno scribit legem naturalem non distingui a lege aeterna, sibi ipsi tamen obiicit Promulgatio est essentialis legi, sed lex naturalis fuit tantum in tempore promulgata, ergo solum in tempore incoepit esse proprie lex, et consequenter ab aeterna lege distinguitur: respondet vero: *Fuit ab aeterno lex naturae potens obligare, licet non obligaverit antequam promulgaretur in tempore per dictamen rationis. Et idem est de lege aeterna; unde sicut non fuit lex aeterna obligans ab aeterno, sed in tempore* (scilicet quando fuit manifestata); *ita et lex naturae. Henno de lege*; sed sermone progrediamur.

56. Obiicitur 2. Ergo homo nascitur liber? non subditus et dependens a Deo? Non equidem. Homo nascitur subditus et dependens, et devinctus parere praeceptis omnibus, quae ei Deus imponit: ut vero huiusmodi praecepta eum ligent, debent ei applicari actuali praecepti promulgatione, quae fit cum ei praeceptum rationis lumine manifestatur; usquedum vero praeceptum ei non manifestatur, homo possidet libertatem ei a Deo datam, quae quum certa sit, non remanet, nisi a certo praecepto, ligata.

57. Si unquam homo nasceretur legi aeternae devinctus (quemadmodum quidam meus adversarius credit) antequam ei illa manifestaretur, ita ut nullas alias actiones facere posset, nisi illas, quas ei lex aeterna permitteret, necessarium non fuisset, quod Deus homini praecepta sua denunciasset impressione luminis naturalis et lege scripta: sed ei declarare debuisset tantum illa, quae ei permittebat. Poterat, haud inficior, Dominus iubere, quod homo nil aliud facere posset, nisi illud, quod ei expresse permisisset; sed non ita fecit: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. adiecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te. Eccli.* 15. 14. *et seqq.* Ergo antea Deus creavit hominem liberum, donando ei libertatem iuxta id, quod scripsit Apostolus ... *potestatem habens suae voluntatis.* 1. *Cor.* 7. 37.

Postea adiecit mandata quae observare debet, et ex observantia huiusmodi praeceptorum Dominus salutem hominis constituit. Ut vero quis ab huiusmodi ligetur praeceptis, dicit D. Thomas, quemadmodum superius innuimus, quod debet habere scientiam, idest, certam eorum cognitionem: *Nullus ligatur per praecepta, nisi mediante scientia illius praecepti. De verit. qu.* 17. *art.* 3. Quum enim lex sit quaedam mensura, qua se homo regulare debet, dicit s. Doctor, eam debere esse certissimam; *Mensura debet esse certissima*, 1. 2. *q.* 19. *a.* 4. *ad* 3. secus si mensura esset dubia, nemo bene se regulare posset. Quod pluribus aliis in locis D. Thomas comprobavit dicens, illum, cui divina voluntas non innotescit, non teneri eam sequi: *Sed in particulari nescimus quid Deus velit: et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem divinae voluntati.* 1. 2. *q.* 19. *art.* 10. *ad* 1. Et loquens praecise Sanctus de obedientia quam divinis debemus praeceptis, dicit, quod nos non tenemur eis parere, nisi postquam nobis manifesta fuere, prout demonstratum est *n.* 47.

58. Obiicitur 3. hominem non posse licite exponere se periculo legem violandi: cum adsunt duae aeque probabiles opiniones, tunc iam dubitatur an lex adsit. Quapropter si tunc homo opinionem minus tutam sequitur, iam se coniicit in periculum legis violandae. Respondetur, distinguendum esse inter casum, in quo lex certa est, et casum, in quo lex est dubia; haud inficior peccare illum qui se exponit periculo legem violandi; id vero intelligitur cum lex est certa, et tunc locum habet textus ille: *Qui amat periculum, in illo peribit. Eccli.* 3. 27. Tali enim casu lex non solum ad suam observantiam obligat, verum etiam ne nos probabili periculo eam violandi exponamus. Secus est quando periculum est tantum violandi legem dubiam, quia tunc, etiamsi ante Deum lex existeret, violaretur lex non obligans; et lex non obligans non potest vocari lex; nam dicit D. Thomas (1. 2. q. 90. a. 4.) quemadmodum diximus §. 1. *n.* 39. quod lex ut mensura actionum hominis, debet ei promulgatione applicari, et postea subdit: *Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod* (promulgatione) *applicetur.* Notetur illud, *quod est proprium legis.* Ergo lex quae virtutem obligandi non habet, neque est, neque dici potest proprie lex: et ideo qui violat legem aliquam nondum manifestatam, uti evenit in casu duarum aeque probabilium opinionum, numquam dici potest illum peccare, quia quamvis lex adesset, contra legem operat non obligantem, ideoque non potest ei id ad culpam imputari.

59. Obiicitur 4. quaedam s. Thomae doctrina dicentis, ignorantia illius qui potest et debet scire legem, quum sit voluntaria, non excusatur a culpa: *Dicitur ignorantia voluntaria eius, quod quis potest scire et debet s. Thom.* 1. 2. *q.* 6. *a.* 8. Hinc deducunt adversarii, quod quotiescumque homo *potest et debet scire praeceptum, quamvis nunquam, ne in confuso quidem, praeceptum consideraverit, eius ignorantia est vincibilis et culpabilis*; in hunc modum loquitur anonimus modernus libri inscripti *Regula bonorum morum* Sed quo modo, ego sciscitor, *potest scire* praeceptum ille, cui nunquam venit in mentem huiusmodi praeceptum existere posse? Quid hoc? dicunt adversarii; homo enim, quotiescumque est cum mente non infirma, nisi moralem, physicam saltem potentiam habet ut possit praecepta considerare, ideoque semper est in culpa. Non tamen ita alloquitur d. Thomas, qui una cum d. Augustino et theologis omnibus probabilistis atque antiprobabilistis docet, quod quotiescumque ignorantia est involuntaria, a peccato excusat. Sanctus doctor sexcentis in locis hoc probat. Dicit pri-

mo bifariam ignorantiam involuntariam esse posse et culpabilem, *vel directe, sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet: vel indirecte, cum aliquis negligit addiscere id per quod a peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam esse voluntariam, et peccatum.* Et immediate subdit: *Si vero ignorantia sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est eius quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato. s. Thom.* 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. Dicendo igitur Sanctus (oportet eadem verba repetere), *Si vero ignorantia sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est eius quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato.* Sat superque declarat, ignorantiam, licet illarum rerum quas scire tenemur, quando est invincibilis, ita ut nullum veniat dubium in mentem, penitus excusare a peccato. Idem Angelicus clarius hoc docet *Quodlib.* 8. *art.* 15. scribens; *Error autem conscientiae quandoque habet vim excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia eius, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur*; et tali casu dicit, quod *quamvis factum sit de se mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter; et consequenter si intenderet penitus non peccare, certe non peccabit.* Adnotetur illud: *Scire non potest; vel scire non tenetur.* Ergo etiam in casu quo quis praeceptum scire tenetur; si illud scire nequit, ignorantia eius erit invincibilis, eumque excusabit a peccato. Et hic sapienter P. Ioannes de s. Thoma Dominicanus inter priscos theologos celeberrimus animadvertit quod illud *potest scire* intelligitur non iam remote sed proxime et expedite, ita ut omissio diligentiae debitae in veritate quaerenda sit proprie voluntaria: *Illud axioma: Qui potest et tenetur et non facit, peccat: intellige de eo qui potest proxime, et expedite, non remote tantum et impedite, quia (ut supra diximus) omissio, ut sit voluntaria, debet procedere ab ipsa voluntate, etc. Sanctus Thomas* 1. 2. *quaest.* 5. *disput.* 3. *dist.* 1.

60. Hinc scripsit D. Antoninus *(p.* 2. *tit.* 1. *c.* 11. §. 28.*)* recte dari ignorantiam invincibilem iuris naturae in illis, *quae per multa media, et non clare probantur esse contra praecepta.* Sic quoque sentiunt Habert *Theol. tom.* 3. *de act. hum. c.* 1. *n.* 3. *circa fin.* Jo. Bapt. Du-Hamel *Th. tom. IV. tr. de act. hum. l.* 2. *dissert.* 3. *c.* 5. *n. V. vers. ad legem* P. Ioannes Laurentius Berti *de Theol. disc. t.* 2. *l.* 21. *c.* 10. ubi scribit, quod huiusmodi opinionem *tenent omnes fere Aegidiani, ac Thomistae, et Sylvius, Herminier, aliique communiter.* Quod probat e D. Thoma (1. 2. *q.* 100. *a.* 1.) dicente: *Quaedam vero sunt, quae subtiliori consideratione indigeant disciplinae.* Idem tenet P. Gonet *(Clyp. Theol. t.* 3. *D.* 1. *a* 4. §. 1. *n.* 55. et alibi *(tract. de probabil. circa fin.)* dicit, quod opinio contraria est singularis paucorum, et improbabilis. Idem quoque tenent P. Collet *(Comp. mor. tom.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *sect.* 2. *concl.* 4. *pag.* 23.*)* et P. Antoine *(Theol. mor. part.* 1. *tr. de pecc. cap.* 4. *q.* 6. *resp.* 2. *in fine.)*, qui refert Romae anno 1685. die 8. aug. proscriptum fuisse hunc articulum: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem iuris naturae in ullo homine, dum hic et nunc contra ius naturale agit.* Sexcenta alia libenter omitto, quia fusius de hoc edisserui c. II. libri quem edidi, *Usus moderati opinionis probabilis.*

61. Ad alios D. Thomae textus transeamus, in quibus docet ignorantiam, quando est invincibilis excusare a peccato. In uno loco dicit: *Ignorantia, quae est omnino involuntaria, non est peccatum.* Et hoc est quod Augustinus dicit: *Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignoras, sed si scire neglexeris (tom.* 1. *lib.* 3. *de lib. arbitr. c.* 19. *n.*

53.). Per hoc autem quod ait, *sed si scire neglexeris*, dat intelligere, *quod ignorantia habet quod sit peccatum ex negligentia praecedenti*, *quae nihil est aliud, quam non applicare animum* (intelligitur voluntarie) *ad sciendum ea quae quis scire debet. S. Thom de verit. q.* 3. *ad* 7. Et idem repetit paulo post (ad 8.) dicens, peccare tantummodo illum, qui, *ne impediatur a peccato*, *quod diligit, scientiam recusat; et sic ignorantia est a voluntate quodammodo imperata*. Idem Angelicus 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. dicit: *Si igitur ratio, vel conscientia erret errore voluntario, vel directe, vel propter negligentiam, quia est error circa id, quod quis scire tenetur, tunc talis error non excusat*. Itaque e contrario, quando error non est volitus neque directe, neque indirecte per negligentiam, excusat procul dubio a peccato. Ergo semper requiritur negligentia, ut error voluntarius reddatur. Amplius idem s. Doctor *Opusc. de verit. qu.* 17. *art.* 3. postquam dixit: *Nec aliquis ignorans praeceptum Dei tenetur ad praeceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire praeceptum*, explicat quomodo intelligendum sit illud, *nisi quatenus tenetur scire praeceptum*, dicens (ib. ad 4.): *Tunc conscientia erronea non sufficit ad absolvendum, quando in ipso errore peccat*. Quid sibi vult illud, *in ipso errore peccat?* nisi quod tunc peccet cum error est culpabilis, nempe cum homo animadvertit saltem obligationem sciendi praeceptum, et illud scire negligit. Idem Sanctus repetit *Quodlib.* 8. *n.* 15. *quandoque vero error conscientiae non habet vim excusandi, quando scilicet ipse peccatum est*. Quando igitur error non est culpabilis, quia involuntarius, excusat a peccato, remanet enim tunc actio tantum materialiter mala, quae ante Deum peccatum non est, quemadmodum scribit P. Collet: *Porro peccatum, quod ex ignorantia invincibili committitur, non est peccatum, nisi materialiter; nec impedit quominus aeterna salus obtineri possit*.

62. Imo scribit P. Concina in sua theol. morali *tom.* 2. *lib.* 2. *de consc. diss.* 1. *cap.* 5. *n.* 36. *Potest enim quis, dum exercet opus materialiter malum, habere intentionem bonam Deo placendi, hos bonos actus et meritorios dicimus, etc. Opus materialiter malum, cum non sit voluntarium, refundere in istos actus malitiam non valet*. Quod autem dixit s. Ioannes Chrysostomus his verbis: *Ex proposito bono, etiam quod videtur malum, bonum est, quia propositum bonum excusat malum opus*. Est commune axioma apud omnes: *Cuique facere libet, nisi id a iure prohibeatur*, uti legitur in textu *Instit. de iure person.* §. 1. et uti etiam docet pro indubitato principio Angelicus etiam circa res legis naturae, dicens: *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur s. Thom. in* 4. *sent. D.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *ad* 2.

63. Obiicitur 5. ignorantiam tunc solum esse invincibilem, quando nos nullam habemus rationem de actionis honestate dubitandi: quomodo tamen huiusmodi ignorantia invincibilis dici potest, quando, quum adsit opinio aeque probabilis legi favens, iam adsunt graves rationes dubitandi, quod actio illa sit illicita? Respondetur tamen, et perspicue Nos non dicimus, operantem cum opinione benigna aeque probabili ac est rigida non peccare, quia legem invincibiliter ignorat, sed quia tali casu ignorat invincibiliter certitudinem legis existentiae; et posito pro certo principio, uti superius evidenter demonstravimus, legem debere esse certam et manifestam ut obliget, quotiescumque nec certa nec manifesta est, licite agit qui agit benigna utens opinione. En quam ad rem respondet P. Gonet ad tutioristam Fagnanum: *Eum, qui facta sufficienti diligentia ad inquirendam veritatem, agit ex opinione proba-*

bili, quando alia probabilior ei non occurrit, non agere ex conscientia practice dubia, subindeque nulli peccandi periculo se exponere: quia tunc certificatur moraliter per iudicium reflexum quod habet, dicens: Qui facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem, et illam consequi non valet, excusatur ratione ignorantiae invincibilis. Quod principium est omnino certum, et unanimi fere theologorum omnium consensu firmatum. Gonet, Manual. tom. 3. tr. 3. cap. 16. circa fin. Itaque P. Gonet huiusmodi verbis ponit pro principio certo, et communi inter theologos, quod cum certa legis existentia ignoratur, quum violandi eam periculum adsit, recte possumus opinione minus tuta uti, quia huiusmodi dubia lex non obligat.

64. In hoc igitur cardo rei vertitur, an principium, quod lex dubia obligare nequit, sit vel ne certum. Esto enim quod sit certum, prout superius evidenter demonstravimus, et probavimus auctoritate D Thomae quem communiter secuti sunt theologi; et esto quod adsit ignorantia invincibilis certitudinis legis, procul dubio agens non peccat. At inquiunt: D. Thomas scribit: *Qui aliquid committit aut omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, discrimini se committit; ideoque mortaliter peccat. In 4. sent. dist. 21. q. 2. a. 3. ad 3.* Ergo, respondens tunc dicit D. Thomas, hominem peccare mortaliter. cum committit aut omittit aliquid cum dubio practico peccandi, *in quo dubitat esse peccatum.* Sed hoc locum non habet, cum quis agit adversus legem dubiam quae non obligat, quemadmodum docet idem doctor Angelicus: *Nullus ligatur per praeceptum, nisi mediante scientia illius praecepti,* quia tunc agit cum dictamine certo licite operandi.

65. Obiicitur 6. nos non posse uti opinione benigna, nisi sit probabilissima, et moraliter certa (large loquendo); nam secus (inquiunt moderni nostri probabilioristae) honestatis actionis certitudo haberi nequit. Respondeo: Qui opinione aeque probabili pro libertate utitur innixus principio quod lex dubia non obligat, certitudinem non habebit directam; habebit tamen indirectam et reflexam, quod actio sit honesta, et hoc modo licite operatur. Quod autem licite quis operatur cum principio certo reflexo, non est dubitandum, uti demonstrabimus *seq. n.* 70. Istis tamen modernis probabilioristis obiicio, quod ipsi cum opinione probabilissima (iuxta eorum effatum) nequeunt, aut difficulter possunt tuta conscientia uti opinione benigna, sed semper debent opinionem sequi tutiorem; aut sententiam stricte certam, prout stricti tutioristae volebant: et hoc facio argumentum. Moderni nostri probabilioristae dicunt, quemadmodum superius innuimus, quod nos non possumus nosmetipsos coniicere in periculum violandi legem: opus est tamen intelligere, quod opinio probabilissima, quia inter fines probabilitatis est, non excludit omnem prudentem formidinem quod sit falsa, quemadmodum omnem prudentem formidinem excludit sententia moraliter absolute certa, quam tenent rigoristae, qui probabilissimam quoque excludunt: sed isthaec eorum propositio proscripta fuit ab Alexandro VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Si opinio igitur probabilissima omnem prudentem non excludit formidinem, opinio contraria probabilissimae non est iam tenuiter probabilis; quia tenuis probabilitas non est vera probabilitas, sed est tantum quaedam falsa, seu vana probabilitatis species, quae nequit producere aliquem prudentem timorem, sed tantum timorem aliquem imprudentem. Et timor imprudens non est timor, qui possit secum ferre aliquod peccati periculum. Iidem rigidiores tutioristae communiter dicunt sper-

nendos esse huiusmodi imprudentes timores: nimis magna dementia esset cogitare, quod Deus nobis iubeat, ut nos imprudentes omnes vanosque vitemus timores. Itaque nisi velimus opinionem probabilissimam cum opinione absolute certa confundere, opus est dicere, quod opinio contraria probabilissimae non est tenuiter probabilis, sed dubie probabilis, quam nemo sequi potest: sed si ea non est probabilis, habet tantum prudentem aliquam rationem quod vera sit, uti probabilissime (prout diximus) aliquam prudentem formidinem habet quod sit falsa. His positis dico: Esto quod opinio quae legi favet, contraria probabilissimae quae favet libertati, est dubie probabilis, et aliquam prudentem rationem, licet non omnino stabilem, habet, quod sit probabilis: quo modo sciscitor, qui tenet non licere coniicere se in periculum violandi legem, probabilissimam pro libertate sequi volens, possit in praxi suum inducere in animum tuta conscientia, ut firmiter credat opinionem pro lege vere probabilem non esse, et uti posse probabilissima, quin timeat exponere se in discrimen legem violandi? Ubi inveniet talem libram, qua tutus efficiatur, quod opinio illa, quae legi favet, certe non habeat tot probabilitatis notas, uti ad veram perveniat probabilitatem? et hoc modo possit tute operari, et sine periculo legem violandi? Ideo repeto quod a principio dixi, quod credens non posse sequi quamcumque minus tutam opinionem, nisi sit probabilissima; quum sit iam in dubio, an opinio legi favens sit vel ne probabilis, non sine magna difficultate poterit tuta conscientia operari, nisi strictum amplectatur tutiorismum, qui tantummodo a quocumque timore, et praesertim a periculo legem violandi est immunis.

66. Obiicitur 7. Unusquisque scit, quod si in nemore aliquod adest obiectum, quod probabiliter iudicetur homo, qui illud in hoc dubio sagitta ferit, procul dubio peccat: itaque si peccat, qui exponit ad periculum vitam corporis proximi sui, quo modo excusabitur a peccato, qui in periculum exponit vitam animae suae, coniiciendo se in probabile peccandi periculum? Respondemus: sed antea dicimus mirum esse quod ab adversariis semper trivialis isthaec obiectio repetatur, vel postquam toties nostri ad illam responderunt. Iterum tamen respondemus, quod si vibretur sagitta in probabili dubio an obiectum illud sit homo, vel fera, non agitur contra legem dubiam; sed contra certam: tali enim casu certa lex est, ne in probabile coniiciatur periculum vita proximi, qui certum ius habet ne laedatur. In casu tamen nostro non solum nulla certa lex adest ne exponamus nosmetipsos in periculum violandi legem, sed quoque certum est (quemadmodum innuimus) quod, quum lex sit dubia, et consequenter nec promulgata, nec manifestata, virtutem obligandi non habet; ideoque si illa unquam ante Deum existeret, qui illam violat, non peccat, quia legem violat non obligantem.

67. Obiicitur 8. Ut dicatur quod lex quaedam dubia sit, dubitandum esset, an vel ne huiusmodi lex existeret: sed hoc (dicunt) accidere nequit, quia leges tam divinae, quam humanae, quas observare debemus, omnes certe existunt, et promulgatae sunt. Dubium igitur (inquiunt) non est de legis existentia, sed de casibus particularibus, id est, an casus ille peculiaris comprehendatur in illa lege universali: unde in concursu duarum aeque probabilium opinionum, dicere non possumus, quod lex est dubia, sed quod certa lex ad casum illum non extenditur; quis tamen hoc asserere audebit, quum quoque opinio pro lege sit probabilis? Ita scribit P. Daniel Concina in sua theologia christiana.

68. Respondemus, imo pro nobis

respondet illud quod ipsemet P. Concina scripsit in compendio dictae theologiae *(tom. 2. de legib. cap. 2. n. 10.)* ubi dixit, quod quamvis lex certa sit, circumstantiae tamen quae occurrunt diversae efficiunt, quod lex modo obliget, modo non; praecepta divina sunt immutabilia, sed quandoque aliqua data circumstantia non obligant. Hinc (nos concludimus) frustra dicitur, quod leges omnes certae sunt, quia mutatis casuum circumstantiis, in huiusmodi casibus leges illae locum non habent, aut redduntur dubiae et tamquam dubiae non obligant. Ergo, repetit praelaudatus auctor, iuxta vestrum principium, quod lex dubia non obligat, concluditis, quod in dubio an lex extendatur vel ne ad illum casum, certe non extenditur? Respondemus nos non dicere, quod lex in illo dubio certe non extenditur, sed quod cum duae adsunt aeque probabiles opiniones, tunc, quum certum non sit quod lex ad casum illum extendatur, respectu illius casus lex erit dubia, et uti dubia non obligabit. Exemplum pro faciliori ponamus intelligentia. Lex prohibet usuram, sed cum utrinque aequalis adest probabilitas quod quidam contractus sit et non sit usurarius, tunc nulla est lex certa, quae illum prohibeat; ideoque circa huiusmodi contractum dubia lex remanet: quoad usuram certa est lex quae illam prohibet, quoad tamen contractum illum dubia est lex. Esto igitur vere probabile esse, casum illum particularem in lege non comprehendi, idem est dicere dubium esse an ad casum illum lex extendatur, quam dicere quod respectu casus illius lex est dubia: et si lex est dubia quoad illum casum, consequenter respectu illius non obligat.

69. Obiicitur 9. Effatum seu regula Canonum: *In dubiis tutior pars eligenda est.* Quod est adversariorum fundamentum; responsum tamen est meridiana luce clarius. Respondemus itaque praefatam regulam habere locum in solis dubiis practicis, quae remanent in conscientia, quin deponi possint, non vero in dubiis speculativis, quae ibique mediante principio certo deponuntur, quia tunc agens non remanet in dubio, sed exit a dubio, et certitudinem habet moralem. Ideo dicunt communiter doctores cum d. Antonino, Nyder, Tabiena, Isamberto, p. Ioanne Idelphonso, Vasquez (quamvis hic contra nos laudetur), Tannero, Navarro (doctrinae quorum habentur in citato libro *Usus moder.*, etc. *pag.* 227. *n.* 7. *et seq.*) Soto, Medina, Sa, Valenza, Enriquez, Lorca. Vidal, Angles, Bardi, Salas, p. Ioanne a s. Thoma, Merolla, aliisque innumeris, praefatam regulam locum tantum habere in casibus dubiis practicis, quemadmodum deducitur ab iisdem textibus, in quibus eadem regula praescribitur, et quemadmodum ego omnes et singulos dictos casus ad trutinam revocavi in praelaudato libro *Usus moderati*, etc. *pag.* 234. *a n.* 11. Quoad vero ad speculativa dubia dicta regula consilii est, non praecepti. En quam opportune occurrit d. Antoninus, qui de quodam contractu loquens, qui erat probabiliter licitus, probabiliterque illicitus prae contrariis sapientum opinionibus, scribit: *Inducunt illud:* In dubiis tutior via eligenda est. *Respondetur hoc esse verum de honestate, et meriti maioritate, et non de salutis necessitate quoad omnia dubia:* brevitatis gratia praetereo hic totum id quod super hoc puncto scripsi in libro *Usus moder. cap.* 5. *n.* 2. *p.* 221. et rem ipsam aggredior. Dicit igitur d. Antoninus, quod in dubiis speculativis, quae occurrunt in casu duarum aeque probabilium opinionum, praefata regula est consilii, non praecepti: *Hoc esse verum de meriti maioritate, non de salutis necessitate quoad omnia dubia.* Opinio itaque dicentis, praelaudatam regulam locum habere in dubiis om-

nibus etiam speculativis, mihi videtur, iuxta id quod superius ostendi, omnino esse improbabilis atque insubsistens; ea enim adversatur rationi, et communi theologorum sententiae.

70. Ut tamen extremam manum huic controversiae imponamus, illud proferamus responsum quod omnibus os claudit. Sciscitor, quid dicit praefata Canonum regula? Dicit: *In dubiis tutior pars eligenda est*; ergo quotiescumque conscientia est in dubio *(in dubiis)* non potest operari sine stimulo et sine peccato. Quid vero obstat dicta Canonum regula, quando homo aliquo cum principio certo reflexo dictamen practicum moraliter certum sibi efformat? Tunc foras a dubietate prodit, et a terminis de quibus loquitur textus, et amplius dici nequit quod sit *in dubiis*.

71. Verissima et iustissima est Canonum regula, sed non illa est, quam moderni volunt tutioristae, ut eam iure vel iniuria trahunt; at dico quod illi volunt, quod iuxta suos terminos regula ipsa non dicit. Repetit tamen quidam meus adversarius, quod hocce meum argumentum subsisteret, si a me adoptatum principium esset certum, sed quia est falsum, non subsistit. Ergo, ego repeto, si non demonstrant mei adversarii principium a me adoptatum evidenterque demonstratum esse falsum, scilicet quod lex dubia certam non potest inducere obligationem, quia ei deficit sufficiens seu certa promulgatio. quemadmodum dicunt d. Thomas, et theologi omnes, singulae eorum oppositiones evanescunt. Mihi tamen moraliter impossibile videtur, quod ipsi unquam refellere poterunt hoc meum principium adeo perspicue probatum, et assero quod nunquam huiusmodi principium refellent, nisi d. Thomae doctrinas a me relatas confutent. Dixi *nisi confutent*, quia velle pro libitu illas interpretari, et ad alium sensum detorquere, uti faciunt, idem est ac solis lucem obfuscare.

72. Obiiciunt demum Decretum S. C. Inquisitionis romanae habitum anno 1761, ex quo contendunt quemlibet probabilis usum fuisse proscriptum. Sed scire opus est anno 1760. quemdam parochum terrae Avisi dioecesis Tridenti edidisse folium plures continens propositiones, quae omnes probabilismo favebant, quarum quaedam erant quae iustos excesserant fines. Huiusmodi folium cum omnibus eius propositionibus transcripsi in dicto meo libro *Usus moder.* etc., *cap.* 5. *pag.* 282. Proscriptum utique fuit folium, sed non proscriptae fuere omnes propositiones eiusdem, earum enim aliquae iustae erant et innocentes: ideoque in Decreto dictum fuit: S. C. folium praedictum, et theses in illo expositas damnat, *tanquam continentia propositiones, quarum aliquae sunt respective falsae, temerariae, et piarum aurium offensivae, etc.* Itaque damnatae non fuerunt propositiones omnes in particulari, et divisim una ab aliis; dictum enim fuit: *Quarum aliquae sunt respective falsae, etc.* Et revera quum de hoc scripserim duobus primariis consultoribus eiusdem S. C., nempe reverendissimo P. magistro Thomae Augustino Ricchino sacri palatii magistro, et reverendissimo P. magistro Pio Thomae Schiara a Secretis S. C. Indicis, mihi rescripserunt, a S. C. damnatum fuisse praedictum folium et theses, non vero propositionem aliquam particularem in dictis thesibus contentam, ideoque damnatum non fuisse probabilismum, neque quoad aeque probabilem, neque quoad minus probabilem libertati faventem. Scripsi amplius eminentissimo domino Cardinali Galli tunc poenitentiario maiori, eumque rogavi, ut meo nomine responsum requireret a proprio Summi Pontificis ore. Dictus eminentissimus Dominus, postquam fuit Pontificem allocutus, respondit mihi, non fuisse damnatas omnes folii propositiones, sed aliquas tan-

tum in illo contentas, et non damnatam fuisse aliquam propositionem illarum, *quae disceptantur in scholis catholicis, et a multis catholice propugnantur*. Praefatae epistolae tam consultorum, quam Cardinalis Galli leguntur in dicto meo libro *Usus moder. pag.* 233. His positis, non credo aliud opus esse responsum ad hanc ultimam oppositionem Decreti romanae Inquisitionis.

73. Ut denique opusculum hocce meum concludam, habet hic transcribere id quod hisce nostris temporibus scripsit Episcopus S. Pontii doctus antistes Galliae in quodam suo libro dicens, quod hodie nunc adeo exclamatur adversus theologiam moralem relaxatam, quando potius exclamandum esset contra rigorismum excessivum, et *pag.* 61. subdit haec memoranda verba: *Ecclesia consolata fuit videndo impositum fuisse finem regno relaxationis in theologia morali, sed postea doluit videndo successisse in eius locum immoderatum rigorismum. Hic secundus error ille est qui hodie circumfertur.* Et revera transacto saeculo plurimi abusi fuerunt in opinando ad probandas pro probabilibus multas laxas opiniones; ideoque plures Ecclesia proscripsit opiniones, quia immerito vocabantur probabiles, quemadmodum sunt propositiones 27. et 40. proscriptae ab Alexandro VII. et 1. 3. 6. 35. 44. et 57. proscriptae ab Innocentio XI. Hae omnes damnatae fuere, quia in ipsis dicebatur, *probabile est, etc.*

74. Hodie tamen, prout scribit praefatus antistes, haec opinandi relaxatio terminavit, unde idem antistes subdit: *Desiere magistri theologiae moralis relaxatae, sed eis successere novi magistri, quorum effata sunt intolerabiliora, homines ad desperationem adducentia. Nihil aliud efficere poterunt, quam morum corruptelam introducere. Longe plures sunt qui pravos mores suos nimio excusant rigore, qui hodie nunc circumfertur, et moralem evertit, quam qui relaxatae moralis subterfugio se excusare contendunt.*

75. Unusquisque tamen scit, et cognoscere potest ex eo quod scripsi in meo postremo libro theologiae moralis, quantum relaxatam moralem reprobavi. Quod meum systema aeque probabilis opinionis, evidenter demonstrasse mihi suadeo, quemadmodum credunt plures antistites, Abbates, religionum Superiores et alii doctissimi viri, qui mihi scripserunt, sententiae quam certos intra fines propugnavi, neminem adversari posse; principium enim, super quo praefata est mea sententia stabilita, nempe quod lex dubia non obligat, quia non sufficienter promulgata, dicunt esse evidens, atque certum. Et rogo lectorem meum, ut legat epistolas huiusmodi virorum, quae sunt in fine mei libri *Usus moderati, etc.*

76. Scio multos ut dictum meum librum legerunt rigidam deseruisse sententiam. Inter alios Abbas d Prosperus de Aquila congregationis Montis Virginis, qui multa erudita opera edidit, in hunc modum mihi scripsit: -- « Libellum tuum de opinionis probabilis usu moderato legi, et adeo mihi placuit, ut eum relegi. Tam prudenter Dominatio Tua illustrissima argumenti demonstrationem tractavit, ut ego cum omnibus aliis, qui idem tractant argumentum, praeposui, et nescirem quid amplius in eo possit desiderari. Principia super quibus tuam stabilisti sententiam, certa sunt, et tam a probabilistis, quam a probabilioristis omnibus admissa. Cum lex certa non est, non potest certam inducere obligationem. Quod tam recte prae auctoritate Canonum, Patrum, et primi ordinis theologorum demonstrasti, ut nil melius demonstratum fuit. Quum igitur de dubiis aeque probabilibus opinionibus agatur, vel ego in sententiam tuam descendo, quod quis licite illam sequi possit, quae libertati fa-

vet, licet minus tutam. Nullum finem facio tibi gratias agendi de eiusmodi dono, ac de notionibus, quas e tui libri lectione acquisivi, quem debitis extollam laudibus in probabilis opinionis articulo, quem prae manibus habeo in 3. tomo Dictionarii theologici, ubi tuae dissertationis lectionem unice proponam. -- ». Et revera in folio dicti Dictionarii impresso, verbo *probabile* (quod postea in lucem non prodiit, revisor enim pro rigido systemate informatus, noluit quod in lucem prodiret) propriis oculis haec sequentia verba impressa legi: -- « Doctam dissertationem Episcopi s. Agathae Gothorum D. Alphonsi de Ligorio de usu moderato opinionis probabilis legendam propono. Duo ille perpendit. Primum, an liceat sequi opinionem minus probabilem. Secundum, an, quum duae contrariae opiniones sint aeque aut quasi aeque probabiles, minus tutam sequi liceat. Primo casu negat, secundo affirmat: quod omnibus argumentorum generibus confirmat, atque demonstrat hanc esse sententiam magis probatam tam a priscis quam a modernis Doctoribus. Usque a principiis suis revocat quaestionem adeo clamosam in scholis, et postquam eam suo splendore restituit prae auctoritate Patrum honoratiorum nostrae Ecclesiae, doctiorum theologorum decisione confirmat. Mirus huius dissertationis est ordo doctrinae, ex quo se aperit perspicuitas: et variis cabalis atque moralistarum calliditatibus non obstantibus, propter quas quaestio videtur intricata, eam nihilominus tanta nitiditate tractat, ut nihil unquam clarius in hac materia legerim, eiusque decisio definitiva mihi videtur. Ita alloqui existimavi, quia id mihi maxime cordi est, quod omnes homines ea utantur dissertatione, quum mihi caput operae videatur in hoc genere, in quo alii theologi tam magna, et tam multa scripsere volumina, ut quilibet illa accurate legere exauimetur. » -- Et sciendum quod praefatus Abbas, uti in pluribus aliis operibus ego legi, erat omnino rigidae sententiae sectator.

77. Hic opus est ut ego quid circa meum systema moneam, quod est omnino monendum, et est, quod cum dubitatur an opinio legi favens sit aeque probabilis, aut parum probabilior, tunc locum habet idem principium, quod lex dubia non obligat, tali enim casu ipsa lex non desinit esse stricte dubia: nam tunc quamvis aliqua pro lege maior adesset probabilitas, cum dubitatur an haec maior probabilitas, adsit vel ne, praeponderantia erit tam levis et minima, ut nihili facienda sit prae illo effato communiter ab ipsis adversariis admisso, quod *parum pro nihilo reputatur*. Secus autem esset, quando excessus esset evidens atque certus, quia tunc opinio legi favens erit certe et multum probabilior; et statuatur quod cum opinio legi favens est certe probabilior, tunc est quoque multum probabilior; ideoque tunc, uti a principio dictum fuit, lex est iam moraliter promulgata, ideoque obligat, et est procul dubio observanda.

78. Quoad tamen ad peculiares sententias meas, verum est, in primis meae theologiae moralis impressionibus plurium auctorum auctoritate ductus pro probabilibus multas non satis firmas opiniones admisi; melius tamen re perpensa, eas revocavi, aut reformavi, quemadmodum patet ex indice huiusmodi opinionum impresso in principio meae theologiae moralis nuper typis consignatae; in quo quilibet observare potest quot propositiones et Busembaum, et aliorum probabilistarum reprobavi; qua de re quamplurimi existimaverunt me potius rigidarum, quam benignarum sententiarum esse fautorem.

79. Caeterum non minus mihi religionis fuit sufficienter probabiles opiniones adprobare ex eo quod dicit d. Antoninus, quod illi qui obli-

gant alios opiniones plus nimio rigidas sequi *aedificant ad gehennam*, id est, sunt causa quod multae animae damnentur, quae huiusmodi opiniones sequi debere sibi persuadent, quas postea non sequendo miserandum in modum damnantur. Finem huic opusculo impono. Ego pluribus abhinc mensibus detineor lecto quadam prae infirmitate, quae verisimiliter me brevi luce privabit. Communiter aiunt, quod omnes homines alio modo loquuntur in vita, alio in morte, quia in morte sentiuntur illi conscientiae stimuli, qui non percipiuntur, seu, ut melius dicam, non volunt percipi in vita. Ego tamen nullis prorsus conscientiae stimulis exagitor prae meo, quod propugnavi circa probabile, systemate; immo religioni mihi esset contrariam tenere sententiam quoad aliorum instructionem rigidum amplectendo systema quorumdam modernorum auctorum. Dixi *quoad aliorum instructionem* iuxta consilium s. Ioannis Chrysostomi: *Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. In Can. Alligant*, 26. *qu.* 7.

TRACTATUS II.

DE LEGIBUS

Cap. I. *De natura legis.*

1. 2. *Divisio legis.*
3. *Conditiones.*
4. *ad* 8. *Promulgatio.*
9 10. *Acceptatio.*
11. *Si lex per decennium non esset acceptata.*
12. *et* 13. *Si maior pars non acceptet, etc.*

1. Definitur lex: recta agendorum ratio. Lex non differt a praecepto, nisi in eo quod lex datur communitati, praeceptum particularibus. Dividitur lex in aeternam, naturalem, et positivam. Lex *aeterna* est ratio divinae sapientiae, quae praescribit hominibus regulas operandi ad illius observantiam. *Naturalis* est eadem ac aeterna: dicitur enim aeterna, in quantum tradita est a Deo; in quantum vero consideratur ut hominibus manifestata lumine naturae, naturalis appellatur, ad quam pertinent omnia decalogi praecepta. Lex *positiva* est illa, quae non dictatur a natura, sed legi naturae est conformis, et in hoc praesertim ab illa discrepat, quod prohibita a naturali, ideo prohibita, quia mala; prohibita vero a positiva, ideo mala, quia prohibita.

Positiva praeterea dividitur in divinam et humanam. Ad positivam divinam pertinent omnia veteris testamenti praecepta caeremonialia et iudicialia, quae postea morte Iesu Christi cessarunt, remanentibus firmis tantummodo moralibus, quae praecepta decalogi nominantur. Ad eam quoque pertinent omnia praecepta novi testamenti circa sacramenta. Positiva autem humana subdividitur in legem gentium (quae ius gentium nuncupatur) in ecclesiasticam, et civilem.

2. Lex gentium est illa, quae cum consensu omnium gentium condita et recepta est, ut sunt, v. g., lex ut bellum sit iustum, lex ut bona directum dominum non habentia sint primi occupantis, et his similes. Lex ecclesiastica est illa, quae ordinata est ab Ecclesia propter gubernationem spiritualem reipublicae christianae, et illa complexa est in decretalibus et sexto decretalium, in clementinis, et extravagantibus, et in omnibus aliis bullis pontificiis, quae obligant absolute omnes fideles. Canones vero in Gratiani decreto collecti aliam obligationem non inducunt, quam quae ipsismet insita est. Lex civilis domi-

que, quae a principibus sancita est ob bonam populi temporalem gubernationem, et haec diversa est pro diversitate locorum. Lex civilis complectitur digesta, instituta, codicem, authenticam, sive novellas.

3. Conditiones legis, ut obliget, hae sunt: 1. ut sit *honesta*, nempe ut sit religioni conformis; 2. *iusta*, ut non laedat subditorum iura; 3. *possibilis moraliter*, nempe ut non sit nimis observatu difficilis, locorum et temporum ratione inspecta; 4. *utilis* bono publico, et ut bonum sit notabile; 5. *necessaria* ad prospiciendum malo, quod frequenter accidit; 6. *manifesta*, nempe clara, ut habetur *cap. Abbate, de verb. signif.*, *ne per obscuritatem captionem contineat*, et ut loquitur s. Isidorus *can.* 2. *dist.* 4. Secus cum lex esset obscura, posset dissimiliter exponi, et cum possit erroris esse causa, potius officeret, quam prodesset.

4. Demum ut lex obliget debet esse *promulgata*, ut communiter omnes dd. cum s. Thoma (1), et Scoto (2), ex *can. In istis, distinct.* 4., ubi legitur, *Leges tunc constitui*, *cum promulgantur*. Propterea iure merito Doctor Angelicus dicit *loco cit.*, quod lex nihil aliud sit, quam *ordinatio promulgata*. Ratio est, quod cum lex sit regula communis secundum quam toti communitati vivendum est, non potest illa communiter observari, nisi saltem in maioris communitatis partis veneat notitiam (3).

5. Hinc est quod leges caesareae, et principum (saltem in aliquibus imperatori subiectorum) licet supremorum, debent promulgari in qualibet provincia, seu civitate metropolitana. Et hae leges non obligant, nisi post duos menses a promulgatione, ut habetur in *authentica*, *Ut factae novae. Coll.* 5.

6. Dubitatur hic 1. An leges pontificiae, et aliorum principum ab imperatore independentium, ut obligent, debeant in qualibet provincia promulgari. *Prima sententia* affirmat, et hanc tenent plures auctores graves, ut Becanus, Natalis Alexander, P. Collet, Continuator Tournely, Cabassutius; et eam probabilem vocant Sylvius, Anacletus, Roncaglia, et alii cum Angelo, et Medina. Citatur pro hac sententia quoque Caietanus, sed Caietanus aliud non dicit, quam leges canonicas non obstringere ignorantes. Citatur etiam Lessius, sed Lessius loquitur de legibus contractus irritantibus. Citatur etiam Sotus, sed Sotus loquitur potius de legibus inhabilitantibus, aut revocatoriis privilegiorum (4). Fautores huius primae sententiae, praecipue fundantur super *authenticam* mox supra allatam, *Ut factae novae*, dicentes quod ubi specialis dispositio legis canonicae non adest, servanda est civilis, prout deducitur ex *cap.* 2. *de nov. op. nunc.* in quo sic habetur: *Sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adiuvantur*. Dicunt praeterea nimis durum esse, obligare totius christiani orbis fideles ad leges tantum Romae publicatas. Sed adhuc iuxta hanc primam sententiam excipiendae sunt Bullae insertae in Bullario, istae enim sunt in corpore legum et in hoc omnes conveniunt, prout testatur Cardinalis *Petra* (5). *Secunda* vero sententia valde communior, et probabilior negat, docetque leges pontificias, et principum imperatori non subiacentium, obligare per solam promulgationem, quae solet fieri Romae, vel in principis metropoli; ita Suarez, Bonac. Layman, Azorius, Ca-

(1) 1. 2. q. 90. a. 4.
(2) Scoto dist. 3. q. 4. a. 2.
(3) Vide l. 1. n 96.
(4) Becan. de leg. qu. 5. n. 5. Natal. Alex. theol. l. 4. a. 3. reg. 25. Collet. t. 1. de leg. sect. 4. p. 14. Cabass. Theor. iure l. 1. c. 4. n. 4. Sylv. t. 2 in 1. 2. qu. 96. ar. 4. quaer. 11. concl. 3. Less. l. 2. c. 22. n. 98. Sot. de iust. l. 1. q. 1. a. 4. et vide l. 1. n. 96. v. 11. Not.
(5) Card. Petra in proemia §. 4. n. 50 et 54

stropal. Cardenas, Ferraris, et Salmanticenses, Valentia, Navar. Menoch. Vasqu. Pontius, Salas, etc. (1). Ratio, quam adducunt, haec est: Non dubitatur quin lex ut vim habeat obligandi debeat esse promulgata, ut per promulgationem possit ad notitiam subditorum pervenire: sed circa modum promulgationis, hic modus ab arbitrio, et attentione legislatoris pendet. Hinc observavi quod inter omnes doctores, etiam oppositae sententiae, nullus est qui neget (prout testantur pro certo Salmanticenses) non esse opus de sua natura, quod lex, ut obliget in qualibet provincia publicetur, sed satis est, quod in legislatoris curia promulgetur; et in effectu scribunt Salmanticenses, quod in Hispaniarum regnis regiae leges, eo quod tenetur rex leges caesareas servare, tantum Matriti promulgantur. Sicque similiter plurimae Bullae pontificiae, iuxta receptum usum, tantum Romae locis ibi destinatis promulgantur, atque iuxta huiusmodi constitutiones deinde omnes ecclesiasticae causae iudicantur. Contra vero apostolica Sedes, casu quo nolit aliquam legem obligare, nisi post publicationem in provinciis peractam, id expresse declarat, prout declaravit in interdicto ab Ecclesia imposito a Concilio Lateranensi IV. adversus medicos, qui infirmis assistunt, priusquam illi Sacramentum Poenitentiae susceperint, ut habetur in *cap. Cum infirmitas, de poenit. et remiss.* Et sic pariter id expressum fuit in Concilio Tridentino *Sess.* 24. *cap.* I. circa matrimonii clandestini invaliditatem.

Hoc posito, cum Papa determinat Bullas tantum Romae promulgari, minime verisimile est, quod ipse non intelligat alias provincias, sed solam romanam obligare; cum enim Pontifex solos Romanos obstringere vult, condere particularia solet edicta (et haec italico idiomate conficit); sed generalia condens statuta pro tota Ecclesia, eaque solemniter promulgans clausulis obligatoriis, procul dubio praesumendum est velle omnes obligare fideles, statim ac ipsis Bullarum pervenerit notitia; quae facile est, ut e Roma ad alia regna perveniat; nam omnes fere nationes Romae conveniunt, omnesque Praelati (praesertim remotiores) ibi suos agentes habent, qui ordinario de constitutionibus recenter promulgatis eos certiores faciunt. Praeterea, quod leges pontificiae obligant statim ac solemniter promulgantur, id clare eruitur ex *cap.* I. *Ad haec, de postul. praelat.* ubi dicitur: *Non sit necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum inculcare; sed solum sufficit, ut ad eius observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam.* Notentur verba, *solemniter editam, aut publice promulgatam.* Qui igitur certam habet notitiam alicuius Bullae iam solemniter Romae promulgatae, illam equidem observare tenetur. Idem deducitur ex *cap. Quia cunctis* I. §. *Nec obstaret, de concess. praebend. in* 6. ubi habetur: *Lex seu constitutio, vel mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare minime debuissent.* Quisque ergo illas servare debet leges, quorum notitiam habuit, cum promulgatae iam fuerint, modo quo legislator eas promulgare valet. Certumque est posse Papam ad suas Bullas observandas omnes fideles adstringere per solam promulgationem Romae factam, prout quivis princeps (iuxta id quod supra vidimus ab omnibus admitti) per solam publi-

(1) Suar. de leg. l. 3. c. 13. n. 8 Bonac. de leg. D. 1. qu. 1. p. 4. n. 16. vers. Concedo, etc. Laym. l. 1 tr. 4. c. 3. n. 4. Azor. p. 1. l. 5. c. 3. vers. In hac quaest. Castrop. de leg. tr. 3. D. 1. p. 11. n. 4. Carden. in 1. Crisi D. 9. c. 20. ar. 12. Ferrar. Bibl. tom. 4. verb. Lex, ar. 2. n. 5. Salm. tr. 11. de leg. c. 1. ex n. 85.

cationem in sua curia peractam cuncta sua regna ad ipsius leges obligare potest.

7. Illud vero quod magis nostram sententiam confirmat, sunt duae clausulae, quae apponi solent in his Bullis, quae Romae promulgantur, et locis consuetis affiguntur. Una ex clausulis ita dicit: *Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat; volumus illas ad valvas, etc. affigi et publicari, sicque publicatas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare, et afficere ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent.* Altera clausula dicit: *Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus tam in iudicio, quam extra illud, ubique adhibeatur observantia, ac si unicuique forent exhibitae, vel ostensae.* Hae autem clausulae ostendunt quidem pro certo mentem Pontificis esse, velle omnes fideles adstringere ad huiusmodi statuta servanda, independenter ab eorum publicatione in particularibus provinciis. Et Sylvius, ac Roncaglia locis supra citatis, etsi primam sententiam ut probabilem admittunt, attamen habent pro certo, omnes Bullas Romae cum praedictis clausulis publicatas obligare per se sine alia publicatione. Ceterum recte ait Roncaglia, quod ex relatis verbis talium clausularum firmum argumentum adduci potest pro primae sententiae probabilitate respectu ad Bullas, in quibus praefatae clausulae desunt; nihil etenim in legibus frustra appositum supponi debet: illae autem clausulae prorsus superfluae essent, si omnes Bullae Romae publicatae etiam sine praedictis clausulis ante quamcumque publicationem in provinciis obligarent; dummodo (excipit) in aliquo loco non adesset consuetudo recipiendi indifferenter Bullas Romae quocunque modo publicatas. Quaerit autem Sylvius, loco supra citato *litt.* d. *vers. Petes*, an Episcopi teneantur promulgare, aut operam dare ut omnes leges pontificiae observentur, quae iam Romae promulgatae fuerint? Et sic respondet: *Teneri curare, ut observentur, quando Pontifex significat se velle, quod sua lex ubique obliget etiam absque alia promulgatione ibi facta. Non tenentur tamen curare, ut promulgentur, nisi vel mandatum pontificium ad eos dirigatur, vel rationabiliter iudicent promulgationem in suis dioecésibus esse necessariam. Nihilominus qui legis notitiam habent, ad eam obligari videntur, nisi illa recepta non fuerit, vel per non usum eius obligatio desierit. Caeterum si Pontifex non significet, non esse opus alia promulgatione, neque mandatum dirigat ad Ordinarios, probabile est quod ipsi non tenentur legem promulgare, vel curare ut observetur, nisi fructum notabilem ex talis legis promulgatione in suis dioecesibus expectent. Possunt enim tunc interpretari mentem Pontificis esse, quod lex in diversis provinciis tunc observari, vel promulgari curetur, quando Ordinarii existimaverint ita esse pro suis locis expediens et utile.*

Praeterea probabiliter censent Suarez, et Layman (1) cum Molina, et Soto, quod leges pontificiae, quae aliquem infirmant contractum de sua natura validum, sicut fuit Bulla s. Pii V. circa contractus censuales, aut quae auferunt iurisdictionem, v. gr. in Sacramento poenitentiae; circa has potest benigne interpretari, mens Pontificis esse, nolle eas effectum habere, nisi postquam in dioecesibus promulgatae fuerint; alioquin ipsae in damnum redundarent plurimorum, qui illas invincibiliter ignorarent. Oppositum autem tenendum est quoad poenas inflictas contra cle-

(1) Suar. de leg. l. 5. c. 33. n. 8. Laym. eod. tit. c. 2. n. 7. cum Molina et Soto.

ricos male ordinatos, et Episcopos male ordinantes, prout Sixtus IV. declaravit. Sic etiam oppositum tenendum quoad leges irritantes aliquem actum ex defectu solemnitatis; quia leges postquam vim obligandi habuerunt, valent etiam respectu ignorantium, ut inquiunt Sanchez, et Layman cum Navarr. et aliis (1).

8. Dubitatur 2. An tempus duorum mensium requisitum ut leges caesareae post earum promulgationem obligent (sicut supra dictum est *num.* 5.) etiam quoad leges pontificias, et aliorum principum requiratur. Alii negant; sed probabilissime affirmant alii plures graves dd., ut Sotus, Valentia, Sa, Silvester Bonac., Tapia, Menoch., Reginald., Granado cum Salmant. et aliis. Ratio est, quia iam requiritur, ut ad communitatis notitiam leges perveniant, ut exprimitur in *cap.* 1. *de concess. praeb. in* 6., ubi haec leguntur: *Lex et mandatum nullos adstringunt .... nisi post tempus intra quod ignorari minime debuissent.* Quare, cum in lege non praefigitur tempus, taxandum est prudentum determinatione, quae est iam facta in praefata authentica, *Ut factae novae*, ne quis dictum tempus temere pro arbitrio suo protrahat (2).

9. Dubitatur 3. An ut lex obliget, debeat esse a populo acceptata. Nulli dubium est quin peccent illi, qui non acceptant leges tam ecclesiasticas, quam civiles, si sunt iustae, ut habetur ex 28. ex proscriptis ab Alexandro VII. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.* Sed dubium fit, an obliget lex nondum acceptata. In hoc secernendae sunt leges civiles ab ecclesiasticis. Quoad civiles, dicunt nonnulli, illas non obligare, nisi sint acceptatae, quia principes a populo potestatem leges condendi recipiunt; ita Valentia, Becan., Navarr., Azor., Bonac., et hanc probabilem vocant Salmant (3), et Croix (4); sed oppositum probabilius defendunt plures alii, ut Suarez, Pontius, Laym., Sylv., Dian. et alii (5), dicentes, legem superioris, si iusta est, ex semetipsa obligare. Quoad vero leges ecclesiasticas nemo est qui dubitet, quin pontifex possit obligare fideles independenter ab eorum acceptatione, cum certum sit, papam legislativam potestatem non a populo accepisse, sed a Iesu Christo, qui ei dixit in persona s. Petri: *Pasce oves meas etc. Quodcumque ligaveris super terram etc.*; idem procedit pro legibus quas statuunt episcopi in suis dioecesibus, qui etiam a Iesu Christo vel mediate, vel immediate (ut dicitur *n.* 33. *circa finem*), talem receperunt potestatem.

10. Hoc non obstante dicunt dd., ut Valent., Filliuc., Covar., Bonac. et alii, cum Cabass. spectare ad suave regimen ecclesiae, ut non obligent fideles eae leges quae ab ipsis non sunt receptae; sed nos libentius adhaeremus oppositae sententiae Suar., Laym., Castrop., Salmant. etc., ratione superius tradita, nempe quod subditi obedire tenentur, cum praeceptum est iustum; nec tunc praesumi debet superior, ne populus perturbetur, velle eum a praecepti obligatione eximere.

11. Nihilominus praedicta sententia limitatur 1., si lex per decennium non fuerit acceptata, ut dicunt dd. communiter, imo etiamsi aliquando fuerit acceptata, deinde vero per decennium continuum in desuetudinem abierit, probabile est amplius eam non obligare, ut tradunt Lessius, Azor., Nav. Castrop., Sa etc., et non improbabilem eam vocat Bened. XIV. *de syn. l.* 13. *c.* 5. *n.* 4.

(1) Sanch. de matr. l. 3 D. 17. n. 9. D. 42. n. 2. Laym. loco mox supra cit.
(2) Ibid. v. Quaest. 2. et Salm. tr. 11 de leg. c. 1. n. 91. et 93.
(3) Salm. de leg. c. 1. n. 101.
(4) Lib. 1. n. 591.
(5) Ap. Salm. de leg. c. 1. n. 102.

(contra alios, qui volunt desuetudinem per 40. annos). Nam ita de legibus civilibus iam dispositum est, nec pro ecclesiasticis contraria invenitur dispositio; et canones, qui contra afferuntur, requirentes praescriptionem 40. annorum, loquuntur de bonis immobilibus, et de iuribus realibus ecclesiae, sed non iam de legibus. *Secus quippe* (ait cit. Bened. pro sententia Suarez) *lex lata a romano pontifice non posset abrogari, nisi per consuetudinem* 100. *annorum*; *tantum enim temporis requiritur ad praescribendum contra bona et iura ecclesiae romanae: ita ratiocinantur* Less.... Lugo, Panorm., aliique ab his citati.

12. Limitant 2. Suar., Lessius, Castrop., Tapia, Salmant., Busemb. etc., si maior et sana pars populi non receperit legem, quia tunc licet desuetudo non adhuc sit praescripta, et primi legem non acceptando peccaverint, nihilominus alii non tenentur ad legem observandam, praesumendo, principem non instando pro observantia, nec transgressores puniendo, nolle obligare quemlibet ad observandum praeceptum, quod a maiori parte non observatur (1). Dictum est *alii*; quia quamdiu lex non est praescripta, non ita iudicatur de illis, qui contra legem usum introduxerunt, ut bene advertit Castrop. (2).

13. Limitant 3. Salas, Castrop., et Suarez (contra alios), si lex sit contraria consuetudini quae viget, vel sit difficilis observantiae. Sed Salmanticenses rationabiliter admittunt dictam opinionem in solo casu quo essent eae circumstantiae, quae si a principe praecognitae essent, legem non tulisset (3). Si vero populus supplicasset pro revocatione, et princeps non instaret pro observantia, probabiliter praesumitur, non velle tunc legem obligare, ut dicunt plures auctores (4).

(1) Vide lib. 1. n. 139. v. Lim. 3.
(2) Tract. 3. D. 3. p. 2. §. 1. in fin.
(3) Lib. 1. n. 139. v. Limitant.

Cap. II.

De obligatione quam inducit lex.

14. Oportet secernere *leges praeceptivas a poenalibus. Poenales* sunt illae, quae non obligant ad culpam, sed solum ad poenam iniunctam. *Praeceptivae* autem obligant ad culpam, et in conscientia, sive illae sint ecclesiasticae, sive civiles, modo istae non fuerint correptae a iure canonico, ut in opere probatum est (5). Leges mixtae autem sunt illae quae obligant tam ad culpam, quam ad poenam, sed istae enumerantur inter praeceptivas; quare hic loquemur, 1. de praeceptivis; 2. de poenalibus; 3. de modo quo observandae sunt leges. Et 1., loquendo de lege praeceptiva, illa obligat ratione materiae gravis, aut levis. Potest nihilominus legislator, secundum sententiam probabiliorem, etiam in materia gravi sub levi obligare (6); sed non potest in materia levi sub gravi obligare, nisi gravis esset finis intentus, aut transgressio ob scandalum, aut ob commune damnum, aut ob contemtum redderetur gravis. Contemtus au-

(4) N. 139. v. Quaer. hic.
(5) L. 1. n. 106. v. Quaeritur 3.
(6) Lib. 1. n. 143.

tem, ut sit gravis, debet esse formalis; qui tunc est, cum aliquis ideo transgreditur legem, in quantum illi non vult se subiicere, non autem cum eam violaret ob incuriam, iram, aut aliam animi affectionem, *etiamsi frequenter peccatum iteret*, ut docet s. Th. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3.

15. Signa, quibus discerni potest, an lex obliget sub gravi, sunt: 1. Si materia est gravis in seipsa. 2. Si consuetudo ita interpretata est. 3. Si ita verba significant; v. gr. praecipimus sub gravi, aut in virtute sanctae obedientiae, omnino, inviolabiliter, et similia. Ceterum, verba simpliciter imperativa, *volumus*, *praecipimus*, *facite*, *abstinete*, et alia id genus, sunt ambigua; propterea ex circumstantiis arguendum erit, an sint praeceptiva, an hortatoria. 4. Si praecepto addatur poena gravis, v. g. exilii perpetui, excommunicationis, irregularitatis, interdicti ad omnem usum, suspensionis totalis, aut ab officio, et beneficio ad tempus notabile. Hoc tamen intelligitur si censurae sunt *latae sententiae*; secus si *ferendae*, iuxta opinionem probabilem (1).

16. Dubitatur 1. An in casu, quo lex assignat poenam, et una simul praecipit, obliget ad culpam. Nonnulli id negant, si non exprimitur. Ita dicunt Caiet., Gomez, et alii cum Navarr. (2), qui ait: ***Leges humanae etiam praecipientes, quae poenam temporalem constituunt, in dubio ad aeternam non obligant, quatenus sunt leges eius, qui poenam statuit.*** Idque putant satis probabile Valent., Bonac., Tapia, et alii cum p. Mazzotta, qui citat etiam pro hoc Filliucium. Ratio, quam adducunt, prima, quia non praesumitur, quod princeps velit ad culpam obligare, cum sufficiens sit poena ad fraenum subditis imponendum; secunda, quia dicunt, sic a consuetudine has leges mixtas interpretari. Sed alii probabilius affirmant, quia in hoc differt (ut dictum iam est) lex pure poenalis a mixta, quia illa obligat ad solam poenam, haec ad utrumque, alias legislator frustra poenae adiecisset praeceptum. Ita Valent., Bon., Tap., Diana, Salm. etc. (3). Observa dicenda *tract. X. n.* 81.

17. Dubitatur 2. An leges humanae possint praecipere actus internos? Directe non possunt, quia solus Deus potest iudicare de internis. Possunt tamen indirecte, cum actus internus necessariam habet connexionem cum externo; v. g. ecclesia, praecipiendo annualem confessionem, praecipit quoque dolorem et propositum, sine quibus non consistit confessio: praecipiendo fieri matrimonium, praecipit consensum: conferendo parochiam clerico, praecipit, ut eam ipse acceptet animo infra annum ascendendi ad sacerdotium. Quoad autem actus externos, licet occultos, nulli dubium est, quin lex possit eos universaliter praecipere, aut prohibere, prout imposuit excommunicationem haeresi occultae externata et homicidio occulto irregularitatem (4).

18. Dubitatur 3. An cum gravi damno aut incommodo teneatur quis ad observandam legem humanam. Communiter dd. negant, praeter duos casus. 1. Si legis observatio sit moraliter necessaria bono publico quod semper bono temporali privato praeferendum est. 2. Si transgressio legis redundaret in fidei aut ecclesiae contemtum. Ita communiter dd.

19. Dubitatur 4. An lex humana possit tollere naturalem obligationem, ut est lex irritans testamenta, aut contractus initos sine solemnitatibus; aut lex deobligans filiumfamilias a solvendo mutuo. Et affirmamus cum probabiliori Sanch., Castrop., Salmant. etc., quia lex humana ob commune bonum a Deo obtinuit potestatem rerum dominium transferendi; licet contraria etiam sit probabilis (5).

20. Quaeritur 5. An teneamur

(1) L. 1. n. 144.
(2) Navar. Man. c. 23. n. 55. et 60.
(3) L. 1. n. 147. (4) L. 1. n 100.
(5) Lib. 3. n. 711. 757. et 927.

auferre impedimenta proxima, quae obstant legis executioni. Hic sermo est de lege humana (aliter procedit de lege naturali), et distinguendum est. Apponere aliquam causam, qua quis subtrahitur a legis obligatione, est licitum: quare si hodie est festum, licite potes alio peragrare, ubi dies festus non agitur, et ab audiendo sacro te eximere. Apponere autem causam non extrahentem, sed tantum deobligantem aliquem a lege, non licet. Hinc qui sine iusta causa aliquem laborem assumit, quo impotens fit ad ieiunandum, peccat, et quidem non solum si ideo laborat ut eximatur a ieiunio, sed etiam si laborat praevidendo exemtionem: quia omnis lex exposcit, ne sine iusta causa impedimentum suae observantiae ponatur. Haec est sententia s. Thomae (1), quam nos cum Laym., Sanch., Mazzotta, et Castropalao (qui eam communem appellat), contra Salmant. et alios, sequimur (2).

21. An autem excommunicati et in carcere detenti teneantur curare, ut absolvantur, aut e vinculis liberentur, quo possint adesse sacro: communiter negant, quia huiusmodi impedimenta sunt remota. Sed isti etiam peccant, si ideo non curant liberari, ne teneantur sacrificio adesse. Imo probabiliter dicunt Bonac. et Trullench., quod si ipsi facile possunt liberari, nec excusarentur, quia cum levi incommodo tenemur impedimentum removere, ut praecepto gravi, etiamsi humano, satisfaciamus (3). Proculdubio autem supradicti tenentur procurare ut liberentur, ut praeceptum paschale, quod quidem divinum est, adimpleant (4).

22. Dubitatur 6. An sit obligatio observandi legem, si haec, aut eius obligatio dubia est. Respondetur negative. 1. Quando dubitatur, adsit nec ne lex, et facta diligentia, dubium perseverat (ut dictum est de conscientia *tract. I. n.* 15. *et* 33.). 2. Quando dubitatur, an aliquid comprehendatur nec ne in lege, aut si inceperit nec ne eius obligatio, ut dicunt Suar., Sanch., Castrop., et Salmant. cum Tapia, Villalob. (5). Et idem dicunt dd. citati, cum dubitatur, an lex promulgata sit nec ne (6).

23. Contra vero debet observari lex, 1. cum dubitatur an recepta sit, quia cum constet de lege, pro ea stat possessio, cum etiam pro lege stet praesumtio, quod sit, ut debebat, acceptata; haec est sententia probabilior cum Sanchez, Castrop., et Salmant., contra alios (7). 2. Cum dubitatur, an legislator sit legitimus superior, qui tamen est in possessione suae iurisdictionis. Excipiunt Sotus, Sanch., Tapia, Salas, Lopez etc., casum, quo esset nociva aut valde molesta res praecepta (8). Cum dubitatur, an lex sit iniusta, quia in dubio superior est in possessione iuris praecipiendi (9). Sed id pariter communiter limitant dd., si praeceptum esset subditis damno, aut gravi oneri (10). In dubio autem, an lex contineat praeceptum aut monitionem, aut an liget ad poenam, an etiam ad culpam, an ad culpam gravem vel ad levem, in his dubiis pro mitiori parte standum est (11). Secus vero in dubio, an res praecepta sit, vel ne, licita, certe tunc parendum superiori, ut dictum est *tract. I. n.* 18.

24. Deveniamus II. ad leges pure poenales, quae obligant (ut diximus) non ad culpam, sed ad solam poenam, prout sunt leges prohibentes, ne arbores incidantur, ne annona abstrahatur, et aliae id genus. In hoc notandum est, quod poenae spirituales sub poena censurae, irre-

(1) 1. 2. q. 71. a. 5.
(2) Vid. lib. 3. n. 1045. et 1046.
(3) L. 3. n. 325. v. Excommunicatus.
(4) Vid. lib. 7. n. 161.
(5) Salm. de leg. c. 2. n. 110.
(6) Vide Op. morale l. 1. n. 97.
(7) Ib.
(8) N. 98. (9) N. 99.
(10) Vid. lib. 4. n. 47. v. Limitant.
(11) Vide Salm. de lege c. 2. n. 12.

gularitatis, inhabilitatis, impedimenti matrimonii, etc. cum sunt latae sententiae, et non exigunt externam executionem, statim atque patratum est delictum, incurruntur in conscientia, ante omnem iudicis sententiam, ut constat ex *cap. Non dubium, de sent. excom.* et *cap. Significasti, de hom.* Idem procedit de poenis inhabilitantibus, ac de poenis privativis aliquo iure acquirendo; dummodo reus non teneretur ad poenam exequendam cum sua infamia (1).

25. Aliud est autem si poena privativa est alicuius acquisiti iuris, v. g. beneficii, electionis, etc., quia tunc semper requiritur sententia, saltem *criminis declaratoria*, licet in lege dicatur quod *ipso facto* incurratur, ut deducitur ex *cap. Secundum de Haeret. in* 6. Et hoc tanto magis procedit si poena est positiva, nimirum reipsa restituendi, aut renuntiandi, aut aliud patiendi iuxta leges, quae (v. g. ob simoniam, aut alienationem bonorum beneficii) privant personas etiam beneficiis antea obtentis: nimis enim durum est, quod quis teneatur contra seipsum poenas exequi. Excipitur solum, si poena sit inhabilitans, sive conditionalis *sine qua non*, ut est poena a Tridentino parochis, et canonicis non residentibus suos non faciendi fructus; vel ut est poena imposita beneficiatis simplicibus Horas canonicas non persolventibus de non lucrando redditus (2). Huius generis est poena, ut privatus existat beneficio curato, qui intra annum sacerdotio initiari negligit, ut habetur, *cap. Licet de elect. in* 6.

26. Quaeritur hic 1. An leges poenales fundatae in falsa praesumptione obligent in conscientia? Oportet distinguere praesumptionem dictam *praesuppositionis*, quae est praesuppositum facti, a praesumptione *definitionis*, quae est praesumptio iuris, quod iudicet secundum praesuppositum factum. Igitur si facti praesuppositio est falsa, lex non obligat; v. g. si in iudicio false probatum fuerit tuum animal intulisse damnum, tunc non teneris solvere poenam, et lata sententia, ut solvas, licet externe, ut vitetur scandalum, tenearis solvere, tamen potes occulte tibi compensationem facere. Idem valet pro haeredibus, qui ob neglectum inventarium, debita defuncti solvendo mulctantur ultra bona haereditaria, cum reapse credita excedunt haereditatem. Secus vero dicendum, si falsa praesumptio solum esset falsa *iuris*: v. g. si tuum animal certe fuerit causa damni; sed falsa est praesumptio quod id acciderit tua culpa; quia tunc teneris solvere poenam (hoc intelligitur post sententiam), quia legis finis non solum est ut puniat, sed et ut reddat homines diligentiores ad evitanda damna aliorum (3).

27. Quaeritur an poenae conventionales appositae in contractibus debeant solvi ante sententiam? Alii affirmant: alii negant, ut Nav. Lessius, Sanchez, Castrop. Vasq., etc. et Salm. vocant hanc sententiam aeque probabilem, ex eo quia quicumque se obligat, intendit se obligare iuxta legum dispositiones, quae non obligant ad poenas nisi post sententiam (4).

28. Veniamus III. ad modum quo observandae sunt leges. In quo notandum 1. quod licet necesse sit, hominem esse in gratia, ut eius opera sint meritoria, nihilominus necesse non est habere charitatem, ut satisfaciat praecepto v. gr. ieiunii, Horarum canonicarum, Sacri, etc. quemadmodum pro adimplendo voto, poenitentia sacramentali: etenim ut docet s. Thomas (5), cum aliis communiter, finis praecepti non cadit sub praecepto: *Non enim* (sunt verba Angelici) *idem est finis praecepti, et id de quo praeceptum datur*. Quare

(1) Lib. 1. n. 148. et 149.
(2) L. 3. n. 663. et l. 4. n. 126.
(3) L. 1. n. 100. in fin. v. Quaero.
(4) N. 150. (5) 1. 2. q. 100. a. 9. et. 10.

potest quis satisfacere praecepto ieiunii, etiam ductus fine non recto, puta avaritiae, aut inanis gloriae (1).

29. Notandum 2., ad praecepti satisfactionem esse quidem necessariam intentionem rem praeceptam ponendi: ideo qui adest sacro sine animo assistendi, non satisfacit (2); sed dum opus praeceptum ponitur, opus non est, ut velit satisfacere praecepto. Itaque si quis in die festo adest sacro, satisfacit quidem, licet ignoraret, esse festum (3); imo, etiamsi sciret esse festum, et non intenderet satisfacere, aut satisfaceret solo timore a patre vel a domino incusso; ipse enim quamvis peccaret ob suum pravum animum, satisfaceret tamen praecepto, illud reipsa adimplendo, dum talis satisfactio non pendet a propria, sed a superioris voluntate: quapropter dum satisfacit, non potest nolle satisfacere, et sibi debitum imponere, cui iam persolvit, uti sapienter dicunt Suarez, Lessius, Tournely, Pontius, Sanch., Castrop., Coninch., Busemb., Salmant., et La-Croix communissime cum aliis (4). Aliud contra esset, si quis habens votum, aut iuramentum, aut poenitentiam adimplendam, opus exequens, non intenderet satisfacere suo debito. Hoc tamen intelligitur quoties conscius voti etc., opus suum alteri fini destinasset, alias etiam satisfaceret: nam quilibet ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis quae sibi libera voluntate imposuit: ita Suarez, Azor., Less., Laym., Busemb., Roncaglia etc. (5).

30. Notandum 3., bene quidem posse satisfieri eodem tempore pluribus praeceptis diversis actibus compossibilibus: et sic in audiendo sacro de praecepto, potest recitare horas canonicas, aut alias orationes, quibus tenetur ex voto aut poenitentia (6).

31. Notandum 4. unico solo actu posse satisfieri pluribus praeceptis in eamdem materiam ob eumdem finem cadentibus (modo non sit in materia iustitiae). Quare in festis, diebus dominicis occurrentibus, satis est semel sacro adesse. Sic etiam subdiaconus beneficiatus unica horarum recitatione satisfacit oneri beneficii et ordinis (7). Et tunc qui duo praecepta violat, unicum committit peccatum. Secus vero, si praecepta habent diversa motiva; quare qui tenetur ieiunare ex voto, aut ex poenitentia a confessario iniuncta, non satisfacit ieiunando in vigilia (8), nisi poenitentia statuta esset per mensem, in quo incidit vigilia (9).

32. Notandum 5., transgredientem unico actu diversa praecepta a diversis legislatoribus edita super eadem materia, unum solum peccatum committere, si legislatores idem habuerunt motivum; qui committeret homicidium sub excommunicationis poena prohibitum etiam ab episcopo, unum peccatum committeret, quia tam Deus, quam episcopus habuerunt unum tantum motivum iustitiae; sic pariter sacerdos beneficiatus omittens officium (quoties vellet restituere fructus), unum peccatum committeret contra religionem; secus vero si motiva sunt diversa: hinc frangens ieiunium in vigilia promissum etiam voto, duplex peccatum committit; ita etiam qui occiderit clericum peccat dupliciter contra iustitiam ex praecepto divino, et contra religionem ex praecepto ecclesiae, quae ex religionis motivo prohibuit quominus in suos ministros iniuria inferretur ob reverentiam eis debitam (10); cum regula generalis sit,

(1) Lib. 1. n. 162. et l. 3. n. 264.
(2) Lib. 1. n. 165. et l. 3. n. 264.
(3) Lib. 1. n. 165.
(4) N. 164. et fusius l. 4. n. 176.
(5) L. 1. n. 163. et l. 3. n. 172. v. Quaer. 11. adde Salm. de leg. c. 2. n. 139.

(6) L. 1. n. 166. et l. 4 n. 176. v Circa in fin. (7) L. 1 n. 166 cum Sal. c 2 n. 109
(8) L. 1. n. 167. ad 2. cum Salm. de leg. c. 2. n. 151.
(9) Vide Salm. loc. cit.
(10) L. 1. n. 167. et fusius l. 5. n. 33.

quod cum Ecclesia aliquid statuit, sub illius virtutis specie collocat, ob cuius motivum rem praecipit (1).

Cap. III.

De iis qui possunt leges ferre.

33. *Quis possit ferre leges civiles, et quis ecclesiasticas.*

34. *et* 35. *De decretalibus, sive responsis pontificiis, et de declarationibus SS. Congregationum, ac decisionibus Rotae romanae.*

33. Leges civiles tantum possunt fieri ab illis qui habent dominium supremum, ut sunt reges, respublicae, et ceteri principes superiorem non cognoscentes. Reliquae universitates subditae possunt dumtaxat statuta conficere, quibus se obligant cives ex contractu: sed etiam aliqua praecepta ad tempus revocabilia a principe. Hae leges civiles, quae bonos mores respiciunt (ut diximus), iam obligant in conscientia, ut ostensum est in opere morali, quoties non correptae sunt expresse a iure canonico, quod vult ut observentur, *c.* 1. *de nov. op. et c. Super, de privil.* (2). Vide dicta *n.* 16. circa leges mixtas. Leges autem ecclesiasticae possunt fieri 1. a papa pro orbe; 2. a s. conciliis generalibus, modo congregata iussu pontificis, ipsiusque auctoritate confirmata sint (in nostro opere morali prolixam dissertationem lucubravimus, qua ostendimus, omnes definitiones a papa ex cathedra loquente, sive Ecclesia circa fidem et mores docente, esse infallibiles; et eius potestatem esse supra concilia, quae totam vim et infallibilitatem non aliunde nisi ab eius confirmatione desumunt; vide *lib.* 1. *ex n.* 110); 3. a conciliis nationalibus, aut provincialibus, nimirum constantibus ex episcopis cum suis archiepiscopis, aut ex synodis episcopi cum suis parochis; 4. ab episcopis pro sua cuiusque dioecesi; *cap.* 2. *de maior. etc., et c.* 2. *de constitut. in* 6.; sed accedente concilio suae dioecesis, ut ex *cap. Quanto, de iis quae fiunt a prael.* A quo autem episcopi habeant immediate huiusmodi facultatem; alii dicunt a papa; alii a Deo cum subordinatione ad papam (3). Plures alii, ut Sotus, Panorm., Abulens., Cabassut., Sanch., Pontius, Covarr., Hurt., Perez, Henriq. etc. tenent, episcopos tanta frui potestate in sua dioecesi, quanta pontifex in tota Ecclesia, modo non sint de iis, quae spectant ad Ecclesiam universalem, ut sunt definitiones circa fidem, aut res magni momenti, v. g. impedimenta matrimonii, et his similia (4). Capitula autem cathedralium nequeunt ferre leges (nisi circa propria capitula) vivente episcopo; possunt vero sede vacante (5).

34. Dubitatur hic I. An epistolae pontificiae, responsa sive declarationes non insertae in corpore iuris, habeant vim obligandi. Respondetur affirmative, semper ac authenticae sint, prout declaratum habetur ex *can. Si Romanorum*, 1. *dist.* 19., dummodo sufficienter sint promulgatae, ut dicit Bonacina (6) inquiens, interpretationem legis factam auctoritative non habere vim legis, nisi promulgetur; quia de ratione legis promulgatio est; citatque Salas, et alios; ac deinde *n.* 12. sic subdit: *Ex quo licet inferre, epistolas pontificias non habere vim legis, nisi publicentur eo modo, quo publicari solent leges.* Idem ait Castropal. (7), dicens: *Debet autem haec declaratio (pontificia) publicari ea solemnitate qua lex, alias non erit authentica, quae legis obligationem non habebit, sed solum erit declaratio*

(1) Lib. 5. n. 33. v. Ad agnosc.
(2) Lib. 1. n. 106. v. Dicendum 3.
(3) Lib. 1. n. 104.
(4) Lib. 6. n. 980. v. Sed dubit. 1.
(5) L. 1. n. 104. v. Capitula.

(6) Bon. t. 2. de leg. D. 1. q. 1. p. 4. n. 11. et 12.
(7) Castrop. tr. 3. de leg. D. 4. p. 3. §. 1. n. 2

doctrinalis. Idem docet p. Suarez; nam, licet prius in opere *de legibus* (1) dicat: ***Ordinarie epistolae, sive responsa pontificia sunt potius, non constitutiva, sed declarativa; et habent vim legis obligantis ad illam interpretationem tenendam, vel ad servandum antiquum ius secundum illam interpretationem:*** deinde tamen (2) sic addit: ***Ut authentica sit interpretatio oportet, ut habeat legis conditiones, ut sit iusta,*** (nota) ***sufficienter promulgata etc. Unde consequenter fit, ut haec lex interpretativa alterius exposita sit dubiis, ita ut aliae interpretationes necessariae sint.*** Idque satis confirmatur (nempe has declarationes pontificias sive responsa) indigere promulgatione, ut obligent ex eodem citato *can. Si Romanorum*, ubi refertur et confirmatur decretum s. Leonis papae, et sic dicitur: ***Ne quid vero sit, ut quid a nobis praetermissum forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatae recordationis Innocentii, quam omnium praedecessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus, et canonum, promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus.*** Nota illud, *quae promulgata sunt.* Verumtamen hic bene advertit Roncaglia (3), quod non solum constitutiones pontificiae, quae solemniter promulgatae sunt, obligationem legis inducunt, sed etiam omnes aliae quae ex usu et consensu ecclesiae universalis iam a pluribus seculis habentur pro sufficienter promulgatis et authenticis. Dubitatur II. An declarationes sacrarum congregationum habeant vim legis. Prius ut certum habendum, quod decreta s congregationis rituum putanda sunt ut oracula pontificis, ut ex bulla 74 Sixti V., qui voluit, etiam capellam pontificiam subiici mandatis huius congregationis: eius vero declarationes, ait Turrinus apud Merati (4), licet habendae sint tantum ut responsa sapientissimorum virorum, attamen praeferendas esse aliorum dd. opinionibus. Et merito, quia cum ex Tridentino non possint induci novi ritus nisi approbati ab Ecclesia, utique sententia eorum praeferenda est, qui maxime sunt versati circa ritus, et in quorum potestate est antiquos interpretari, mutare, et novos constituere, iis qui nec ullam potestatem circa hos habent, nec tanta peritia pollent. Quoad declarationes aliarum congregationum non est dubium quin in casibus particularibus, pro quibus fiunt, obligent uti leges. In similibus autem, multi dd. probabiliter affirmant, modo sint munitae sigillo et subscriptione cardinalis praefecti, et consulto pontifice, ut praescripsit Sixtus V. in bulla 74. Multi alii tamen etiam probabiliter dicunt: declarationes, licet sint maximae auctoritatis, nihilominus non obligant, nisi sint emanatae de mandato pontificis, et editae sint pro tota Ecclesia, ita ut papa declaret, velle observandas esse ab omnibus fidelibus; ita Sanch., Tournely, Bonac., Vasq., Cardenas, Torillo, Vega, Villalob., Tapia, Lezana, Salmant., et Mazzotta. Ratio est (ut dicemus de interpretatione n. 73. et 74.), quoties sunt factae declarationes ab aliis quam a proprio legislatore, sunt novae leges, quae indigent nova et solemni promulgatione, iuxta id quod dictum est *tract. II. n.* 5., quae promulgatio non advenit declarationibus ss. congregationum (5).

35. Decisiones rotae romanae tanto minore robore sunt donatae, ut leges universales habeantur. Si vero regulae cancellariae ubique obligent, negant Lessius, Valerius, Diana, et alii, eadem ratione, quia non sunt publicatae; unde dicunt, valere tantum ad directionem curiae romanae. Sed La-Croix, Gomez, Azorius, et alii affirmant propter contrariam praxim, sal-

(1) Suar. de leg. l. 4. c. 14. n. 6.
(2) Suar. de leg. l. 6. c. 1. n. 3.
(3) Ronc. de leg. qu. 2 c. 2 q. 7 resp 2.
(4) Mer. t. 1 p. 3. tit. 11 ad 3v. huius
(5) Lib. 1. n. 106. v. Secunda.

tem quoad illas regulas, quarum materia est communis, aut non addicta soli curiae romanae (1).

Cap. IV.

De iis qui tenentur legibus.

36. Advertendum, quod alii non tenentur legibus humanis, de quibus hic est sermo, et isti sunt infideles, pueri, et mente capti. Alii vero sunt excusati a legibus, ut sunt ebrii, dormientes et ignorantes. Qua de re non licet secundos inducere ad legem transgrediendam, primos bene quidem. Sed semper peccatum est inducere quemquam ad violandam legem naturalem (2).

37. Dicunt s. Antoninus, et alii, pueros non statim post usum rationis teneri legibus ecclesiasticis, sed saltem post decennium. Haec opinio iure merito ab aliis reiicitur. Imo si quis parvulus in aliquo casu raro, etiam ante septennium, perfecto rationis usu polleret, iste quoque valde probabiliter teneretur, ut multi censent, licet contrariam opinionem non puto improbabilem, ex eo quod dicit s. Thomas (3), quod leges non respiciunt casus raros, sed communiter contingentes: *Legislator attendit ad id quod communiter et in pluribus accidit.* Praecepto tamen annuae confessionis huiusmodi parvulus, si mortaliter peccasset, procul dubio teneretur; quia in *cap. Omnis utriusque sexus*, *de poenit. et rem.*, expresse obligat quemlibet, qui ad annos discretionis pervenerit. In dubio vero an quis parvulus ad usum rationis perfectum pervenerit, nec ne, ante septennium non praesumitur pervenisse, post illud praesumitur utique (4).

38. Legislatores etiam tenentur ad leges, saltem sub levi, ob exemplum cui debent esse subditis. Et sub gravi si res agitur de taxatione pretii, aut de valore contractus (5).

39. Quoad peregrinos plura notanda sunt: 1. Peregrinus tenetur quidem legi communi pro quolibet loco, modo illa regio sit catholicorum, et ibi non adsit contraria consuetudo (6); sed non legibus localibus suae patriae, quamdiu ab ea abest, quamvis eo animo discederet, ut ab illis eximeretur. Hoc idem efficeret, si in locum exemtum, etsi ipsiusmet dioecesis, se conferret. Et hac ratione probabiliter sunt ab episcopi iurisdictione exemta monasteria, et ecclesiae regularium, ubi competens numerus manet, ut dicunt Sayrus, Avila, Henriquez, et Salmant. cum Candido, et Diana, Nav., Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *de ref. in fine*, vocat exemtas tam personas, quam loca regularium (7).

40. Nota 2., quod peregrinus tenetur legibus loci, ubi moratur, licet ibi contraxisset tantum quasi domicilium, iuxta communem sententiam, quidquid dicant nonnulli auctores, qui requirunt verum domicilium. Hic advertendum, quod ille dicitur contrahere verum domicilium, qui habet animum perpetuo permanendi alicubi, et hic animus praesumitur cum ille eo maiorem partem suorum bonorum transfert, aut ibi construit, aut emit domum: aut expresse declarat, hunc animum habere: aut ibi moratus est decem annos, nullum praebens indicium, quod velit illinc amplius discedere. Quasi domicilium contrahitur cum maiorem anni partem aut per notabile tempus anni incolit aliquod oppidum (8).

41. Dubitatur I. inter dd., an teneatur legibus loci peregrinus, qui breve tempus ibi moratur. Prima sen-

(1) Vid. La-Croix l. 1. n. 575.
(2) Lib. 1. n. 153.
(3) 2. 2. q. 147. a. 4.
(4) Vide lib. 3. n. 270.
(5) L. 1. n. 154. (6) L. 1. n. 156.
(7) N. 157. (8) Cit. n. 156.

tentia affirmat cum Pontio, Covar., Salas, Tapia, et vocant eam probabilem Sanch. et Salmant.; quia (iuxta quod ipsi dicunt) expedit publicae paci, et ad vitanda scandala, ut omnes observent leges loci ubi reperiuntur. Sed plures dd. dicunt, non sufficere simplicem illac transitum, ut quis teneatur legibus illius loci. Alii dicunt sufficere unum diem morae, alii requirunt maiorem partem diei. Sed magis probe disserit pater Suarez, qui sic distinguit. Si peregrinus ille illuc advenit tamquam in terminum itineris sui, tunc tenetur ille ad omnes leges illius loci; si vero illac tantum proficiscitur, non obligatur praeceptis positivis, v. gr. ieiunii, et missae, quia praecepta positiva tantum obligant incolas, non vero illac transeuntes; sed tenetur ad praecepta negativa, quae obligant *pro semper*, cum habeant tractum successivum per illum totum diem. Haec prima sententia est satis probabilis; sed communius et probabilius est, non teneri legibus loci peregrinum, qui ibi quasi domicilium non contraxit, per moram (ut diximus) maioris aut notabilis partis anni, quia lex non obligat nisi subditos, quales non iudicantur, qui parum temporis alicubi morantur. Dummodo (limitatur) non sit lex de iure communi, aut versaretur circa validitatem contractuum (1).

42. Dubitatur II. an episcopus loci possit dispensare cum peregrinis vota, iuramenta, ieiunia, et festa circa opera servilia. Affirmat prima sententia cum Pontio, Tannero, de Ianuarii (et probabilem vocat Castropal.), ratione qua supra, nempe quod peregrinus pro qualibet mansione etiam brevi alicubi facta (modo eo adveniat tamquam ad terminum sui itineris) fit subditus episcopi loci, et si est probabilis haec ratio, ut diximus, probabilis quoque est sententia haec. Sed iuxta id quod dictum est, communior ac probabilior est sententia negans posse episcopum dispensare vota, nisi cum iis peregrinis, qui quasi domicilium contraxerunt (2).

(1) Lib. 3. n. 332. v. An autem. et l. 1. n 156. dub t. 2.

(2) L. 1. n. 158.

Cap. V. *Quae causae excusent a praecepti transgressione.*

43. *Excusat ignorantia*
44. *Timor.*
45. *Impotentia.*

43. Excusat 1. Ignorantia, si est invincibilis etiam in materia praeceptorum naturalium, quoad conclusiones tamen solas mediatas, ut explicatum est superius de conscientia, *tract.* 1. *n.* 5. Secus vero si est vincibilis, nempe quando homo potest et debet scire veritatem et praeterea advertit ad obligationem dubium superandi, et negligit eam; ita communiter s. Antonin., Suar., Sylvius, Gerson, Nav., Sanch., Castropal., etc. ex s. Thom. *de verit. qu.* 15. *a* 4. *ad* 10. et 1. 2. *q.* 76. *a.* 3. (3).

44. Excusat 2. Timor; sed distinguenda sunt praecepta positiva a naturalibus. A *positivis* etiam divinis excusat timor gravis mali, si praecepti observantia non esset necessaria ad evitandum commune scandalum, aut ad conservandum erga Ecclesiam obsequium: puta si quis cogeretur ad violandum ieiunium in religionis catholicae contemtum; quia tunc tenemur praecepto obtemperare, etiam cum vitae iactura. Praecepta vero *naturalia* si sunt affirmativa, non semper tenemur ea observare: quare cum vitae dispendio non tenemur depositum reddere, nec votum persolvere, etc. At a negativis, puta a non fornicando, a non peierando, nullus timor unquam excusat, et si ab aliquo praecepto negativo, puta a non occidendo, non furando, excusat aliquando timor (cum liceat occidere iniustum aggressorem pro tuenda vita, et alterius bona surripere, si alia via non patet, qua liberari possit ab aliqua gravi infamia) tunc dici-

(3) N. 7. ad 11. et *n.* 168.

mus, quod cessat in tali casu praeceptum. Et idem melius dicendum de praeceptis affirmativis, quin fiat illa distinctio, quam nonnulli assignant, nempe quod praecepta naturalia et affirmativa obligant *semper*, *sed non ad semper*, negativa vero semper, et ad semper (1).

45. Excusat 3. Impotentia. An autem cum non possit observari totum praeceptum debeat observari pars possibilis. Hac distinctione utendum: si praeceptum commode divisionem patiatur ita, ut in qualibet eius parte etiam salvetur finis praecepti, tunc, licet non possit servari totum praeceptum, debet adimpleri pro parte possibili; v. g. si non potes recitare omnes horas canonicas, debes recitare partem quam potes, et opposita propositio iam proscripta fuit ab Innoc. XI., et est 54. Ita etiam tempore ieiuniorum si dispensatus es ad carnes, teneris tamen servare unicam comestionem, ut declaravit Bened. XIV. in constitutione, *Ambigimus* (2). Secus procedit, si in parte non salvatur ratio praecepti; quare si ex voto teneris Romam proficisci, et illuc non potes pervenire, non est obligatio partem itineris aggredi (3). Excusant etiam a lege dispensatio, epikeia, et consuetudo contraria; sed de his seorsim in sequentibus capitibus.

Cap. VI. *De dispensatione.*

46. *An ad dispensationem requiratur semper causa iusta.*
47. *Si est obreptitia, etc.*
48. *Potest expostulari etiam a tertio.*
49. *Dispensatio tacita.*
50. *Causa dispensationis.*
51. *In dubio an indigeatur dispensatione*
52. *An Superior teneatur dispensare.*
53. *Dispensatio concessa cum bona, aut mala fide, sed sine causa.*
54. *Concessa ob timorem.*

46. Dispensatio legislatoris, aut illius qui ei similem habet potestatem, pariter excusat a lege; dummodo iusta adsit causa; alias peccat qui dispensat; sed nonnisi venialiter (si ipse est primarius superior), ut probabiliter dicunt Sanch., Castropal., Laym., Salmant., Pontius, etc. Et in dubio an causa sit iusta nec ne, ab omni culpa est immunis, ut recte dicunt Sanch. et Salmant. cum Granado et Diana (quidquid dicat Bonac.). Qui vero huiusmodi dispensationem, nempe sine causa, a superiore impetrat, probabiliter non peccat, dum ipsa utitur, Suar., Salmant., Castropal., Pontius etc.

47. Notandum 1., quod cum illud quod exponitur pro dispensatione est subreptitium, vel obreptitium (nempe cum falsum exponitur, vel veritas tacetur), dispensatio est nulla quoties tacetur quod de *stylo curiae* erat exprimendum: seu cum causa finalis, sive motiva (non autem impulsiva), quae exponitur, est falsa. In dubio vero an causa falsa allegata sit finalis, aut impulsiva, dicunt Sanch., Pontius, Castrop., Salmant., etc., dispensationem esse validam; etenim leges in dubio favent actus validitati. *L. Quoties ff. de reb. dub.* Et idem dicunt dd. citati, si multae causae fuerint expositae, quarum aliae verae, aliae falsae, sed quaelibet earum erat causa sufficiens ad dispensationem impetrandam (4).

48. Notandum 2., quod dispensatio pro uno, licet inscio, atque invito, potest impetrari ab aliis. Advertendum tamen est, quod quae a s. poenitentiaria impetrantur, debent expostulari vel a poenitente, vel a confessario, aut saltem a consanguineis usque ad 4. gradum. *Cap. De motu, de praebend. in* 6. Semper tamen dispensatio debet acceptari a principali ut habeat suum effectum (5).

49. Notandum 3., quod potest aliquis uti dispensatione tacita, modo possit iuste praesumi consensus de *praesenti* superioris. Hinc fit, quod si superior videt legem negligi, et

(1) L. 1. n. 175. (2) Vide l. 3. n. 1013.
(3) Lib. 1. n. 177.

(4) Lib. 1. n. 185. v. Quaeritur.
(5) Lib. 1. n. 186. ad 10.

tacet, cum posset faciliter, et sine incommodo corrigere, iuste praesumitur, quod velit tunc dispensare; Suar., Sanch., Castrop., Salm. etc.(1). Dictum est de *praesenti*, quia a dd. dumtaxat admittitur licentia praesumta, non autem dispensatio; etsi, hoc non obstante, dicit Elbel citans Suarez, Silvestrum, Filliuc. etc., quod urgente necessitate, in qua non possit adiri superior pro dispensatione, bene potest operari cum dispensatione praesumta (2).

50. Notandum 4., alias esse causas quae ex se excusant a praecepto, et his stantibus non requiritur dispensatio, quoties sunt saltem probabiliter iustae: alias esse sufficientes ad dispensationem, sed ea opus habent: huiusmodi sunt aut dignitas postulantis, aut superioris, v. g., ut habeatur benignus, utilitas communis, et etiam privata, et aliae id genus (3).

51. Notandum 5., quod in dubio sive negativo, sive positivo, an casus indigeat nec ne dispensatione, potest subditus uti sua libertate; licet satius esset adire superiorem, ut declaret, aut dispenset; cum in casibus dubiis praelatus, etiamsi inferior, possit dispensare, licet nihil specialiter circa hoc sibi commissum fuerit a superiore, ut dicunt Laym., Castropal., Sa, Diana, et Salm. (4). Excipiuntur tamen dispensationes matrimoniales, in his enim non solum agitur de valore contractus, sed etiam sacramenti, ideoque non possumus operari cum dubio, imo nec cum opinione probabili circa factum (si tamen circa factum potest dari opinio probabilis), quia in dubiis de facto non praesumitur Ecclesia dispensare circa impedimenta, ut praesumitur in probabilibus de iure, nec sponsi possunt exponi periculo nuptias celebrandi sine gratia sacramentali, nec huius auxiliis possunt cedere. Praeterea in casibus dubiis debent recurrere ad episcopum, qui bene potest dispensare in impedimentis dubiis, ut communiter dicunt Merbesius, Cabassut., Cont. Tournely, Sa, Pichler, Castrop., Salm., Roncaglia, Holzmann, etc. (5).

52. Quaeritur 1. An iusta existente causa superior teneatur dispensare. Distinguendum: si causa ea est, ut tantum reddat convenientem dispensationem, non tenetur: contra vero, si reddit necessariam ad evitandum aliquod grave damnum, aut ad procurandum aliquod magnum commune bonum, imo etiam privatum, ut dicunt Coninch., Sanch., Salmant., etc., cum s. Thoma (6). Sed cum dispensatio negatur, licet iniuste negetur, subditus nihilominus legi obligatus remanet, nisi causa esset talis, ut omnino eum a lege subtraheret, ut si urgeret necessitas contrahendi matrimonium, omissis denunciationibus, et episcopus iniuste negaret dispensationem, ut dicunt Sotus, Sanch., Coninch., Salmant., Castrop., et alii (7).

53. Quaeritur 2. An valeat dispensatio, cum superior eam concedit in mala fide, putans, causam non adesse, quae revera adest. Resp. si dispensat legislator utique valet. Si autem dispensat praelatus inferior; alii dicunt nullam fore; inferiori enim data est facultas dispensandi tantum ex causa; sed opposita sententia est communior, et probabilior, quia valor dispensationis non ex causae cognitione, sed ab existentia pendet; prout valet electio capacis ad beneficium, licet ab electore iudicetur incapax, ut ex *Cap. Nihil de elect.* (8). Secus dicendum cum Castrop., Pontio, Suarez, Laym., Salas, Soto, et Navar. (contra Sanchez, Busemb., Salm. etc.), si dispensatio obtenta fuerit bona fide, sed sine causa, quia, hac cessante, inferior nullam habet facultatem

(1) Lib. 1. n. 187. (2) N. 195. v. Notandum. (3) Elb. de 3. praecepto 414.
(4) Lib. 1. n 192.

(5) Lib. 6. n. 902. Quaer. 2. et 3.
(6) 1. 2. qu. 97. a. 4. (7) L. 1. n. 179.
(8) Num. 18?.

dispensandi in lege superioris. Hoc tamen intelligitur, cum patet, causam certe sufficientem non fuisse. Ceterum in dubio possessio stat pro dispensationis valore, ut advertunt iidem auctores (1).

54. Quaeritur 3. An valeat dispensatio timore incusso obtenta. Resp. Semper ac iusta adsit causa dispensandi, modo non constet (dum non satis est dubium), superiorem non habuisse animum dispensandi, valida est dispensatio, quia timor non aufert voluntarium. Et est etiam licitum huiusmodi dispensationem timore incusso obtinere, modo timor iuste fuerit incussus, v. gr. superiorem adeundi, si inferior eam deneget (2).

Punctum I.

De iis qui possunt dispensare.

55. *et* 56. *De potestate ordinaria in quo possit dispensare Papa.*
57. *et* 58. *In quo Episcopi.*
59. *Parochi.*
60. *Praelatus regularis.*
61. *De potestate delegata, quicumque eam habet ab Ordinario. Si delegatus moritur.*
62. *Clausula*, donec dispensetur.
63. *Subdelegatus.*
64. *Cum seipso.*

55. Secernenda est in hoc potestas ordinaria a delegata. De potestate *ordinaria* potest papa dispensare in omnibus legibus canonicis, etiam ab apostolis emanatis, uti praesulibus particularibus ecclesiarum. Cuiusmodi sunt ieiunium quadragesimale, observatio festorum in dominicis, irregularitas bigamiae, etc., iuxta quod docet s. Thomas (3), posse papam dispensare in omnibus iis quae spectant ad *determinationem divini cultus*, non autem in legibus quas apostoli tradiderunt uti receptas a Iesu Christo, prout sunt leges circa materias et formas sacramentorum, et circa oblationem sacrificii.

56. An autem papa etiam possit dispensare in aliquibus praeceptis divinis. Resp., quod in iis, in quibus ius divinum oritur a voluntate humana, uti sunt vota, et iuramenta, certum est apud omnes (iusta modo existente causa), posse dispensare. Nam tunc papa non tollit ius divinum, sed aufert fundamentum talis obligationis, seu, ut ait s. Thomas (4), *Determinat quid sit Deo acceptum.* Dubium igitur versatur, an possit dispensare in iis quae absolute a Dei voluntate pendent. Tres adsunt sententiae. *Prima* est Abbatis cum paucioribus, affirmativa universaliter. Secunda, quae est Navarri, Cani, Sanchez etc., affirmat, tantum in casibus particularibus, prout in matrimonio rato, in residentia episcoporum, in dando facultatem simplici sacerdoti conferendi ordines minores, et sacramentum confirmationis, et in similibus; sed negat in aliis rebus, in quarum quolibet casu debet evitari indecentia, uti in praecepto de non fornicando, de non mutandis materiis sacramentorum (saltem quoad substantiam) et aliis id genus. Tertia communior et probabilior, est Suar., Sylvest., Castropal., Covar., cum s. Thoma (5), negat universaliter, quia inferior nihil potest in lege superioris. Nihilominus valde probabiliter dicunt Sotus, Suar., Navar., Coninch., Durandus, etc., quod papa in aliquo casu particulari bene potest non iam dispensare, sed declarare, legem divinam in illo casu particulari non obligare: nam talis potestas in papa videtur necessaria adesse pro bono communi Ecclesiae, propter tot varias circumstantias, quae contingere possunt (6).

57. Episcopi etiam de potestate ordinaria possunt dispensare in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus suae dioecesis. Eademque potestate gaudet capitulum, sede vacante, non autem vicarius episcopi, ut dicunt Salmant., et Sanch., cum

(1) N. 182. et fusius l. 3. n. 251.
(2) Lib. 1. n. 184.
(3) Quolib. 4 a. 13
(4) 2. 2. q. 88 a. 12.
(5) 1. 2. q. 97. a. 4.
(6) Lib. 6. n. 1119.

aliis communiter (1), quia in generali commissione non includitur facultas dispensandi, nisi specialiter committatur. Possunt quoque episcopi dispensare cum suis subditis in statutis concilii provincialis non reservatis (2). Item in legibus pontificiis communibus, ut sunt irregularitates, impedimenta matrimonii, vota reservata, et his similia; quoties tamen imminens est periculum, et non patet facilis accessus ad papam, ut dicetur *Tr. XX. de privilegiis*. n. 29. et seq. Item in iis legibus pontificiis, quae latae sunt praecipue pro illa dioecesi (3). Item in iis casibus, in quibus iustum dubium versatur utrum indigeant dispensatione, necne (4) Item in omnibus iis, quae regulariter accidunt, ut in votis (modo reservata non sint), in ieiuniis, in observantia festorum, in abstinentia a carnibus, et similibus. Et in his omnibus possunt delegare dispensationem etiam aliis; talis enim facultas competit episcopis de iure ordinario, cum sit perpetuo connexa suae dignitati (5).

58. Possunt etiam episcopi dispensare in omnibus canonicis statutis, in quibus adesset clausula, *Donec dispensetur*, propter quam intelligitur facultas data (6). An autem episcopi possint dispensare in omnibus legibus canonicis, ubi reservata non est dispensatio expresse. Multi dd. hoc admittunt, prout Sotus, Covar., Sporer, s. Antonin. (qui hanc vocat communem), et Elbel (qui vocat communissimam, et pro ea adducit s. Bonav. et Scotum), et Castropal. appellat probabilem cum Glossa in *cap. Nuper de sent. excomm.*, ubi Pontifex sic fassus fuit: *Quia tamen conditor canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.* Et Glossa subdit: *Est hic argumentum, episcopos posse dispensare ubi specialiter dispensatio non est inhibita, ex l. Nec non ff. Ex quibus caus.* Contra vero negant Suar., Bon., Salmant. etc. *ex cap. Dilectus, de temp. ord.*, ubi quidam episcopus, cum contulisset uni plures ordines eodem die, suspensus fuit ob hanc rationem: *Cum illi huiusmodi dispensatio a Canone minime sit permissa.* Et respondent ad textum primo allatum, quod illa dispensatio fuit facta tantum pro absolutione a censuris. Sed hoc non obstante prima sententia est satis probabilis, quia possumus uti eadem responsione pro textu secundo, quod valet tantum in materia ordinationis. Tanto magis quod in primo textu videntur verba generaliter loqui, in secundo autem specialiter de ordinatione, cum adhibeatur verbum illud *huiusmodi*. Ad id quod opponitur, quod inferior nihil potest in lege Superioris, responderi potest id procedere de inferiore, qui totam suam potestatem habet a principe, non autem de Episcopis, qui probabiliter suam potestatem immediate habent a Deo (licet Papae subordinatam) uti tenent Sotus, Vasq., Victor. Tournely, Natal. ab Alexand., etc. Hinc dicunt multi dd. quod Episcopus potest in dioecesi id, quod potest Papa in tota Ecclesia, praeter ea, quae sibi Papa reservavit, aut pertinent ad universalem statum Ecclesiae, ut dictum est *n.* 33. circa finem (7).

59. Parochi similiter de *iure ordinario* propter consuetudinem videntur posse dispensare cum suis parochianis, etiam praesente Episcopo, in necessitatibus frequentibus; sed solum in iis in quibus adest usus dispensandi, utpote in ieiunio,

(1) Salm. de leg. c. 5. n. 32. et Sanch. de Matr. l. 2. D. 40. n. 12.
(2) Lib. 1. n. 190.
(3) Ibid. v. Item in legibus.
(4) N. 192. et l. 6 n. 902 v. Ceterum.
(5) L. 1. n. 190. v. Possunt, et v. Et in his.
(6) Salmant. de leg. c. 6. n. 37. cum Suar. Caiet. Bonac. Castrop., etc.
(7) Lib. 1. n. 191. et l. 3. n. 397, in fin. v. Quod ad.

et in abstinentia a labore in diebus festivis; ita Suarez, Silvester, Sanchez, Salmanticenses, Viva, et alii communiter (1).

60. Praelati regulares etiam de potestate ordinaria sibi a iure concessa, possunt dispensare in regulis particularibus, dummodo hoc eis non sit expresse vetitum in aliqua materia. Et ex privilegio etiam Praelati inferiores possunt dispensare in omnibus parvi momenti rebus, aut propriis pro illo conventu, aut frequenter contingentibus: Peirin. Castropal. et alii (2).

61. Quoad autem potestatem *delegatam* dispensandi, notanda sunt: 1. Quod quicumque ordinariam habet potestatem, potest eam aliis delegare, ut communiter Suarez, Castropal. Pontius, Salmant. et alii (3). Potestas ordinaria ea est, quae officio, sive dignitati annexa est, ut dicetur *Tract.* 20. dum agetur de *privilegiis n.* 34. An autem exspiret nec ne morte delegantis; affirmatur si facta sit per modum commissionis in casu particulari, et cum res etiam integra est; et tunc dispensatio stricte est interpretanda, quia tunc uti odiosa habetur, ex *cap.* 1. §. 1. *De filiis presbyt.* dummodo non sit concessa ex motu proprio Superioris, aut in corpore iuris non inserta sit, ut in Decretali, etc. aut dummodo non concedatur ob commune bonum, aut in favorem alicuius communitatis. Si autem dispensatio concessa sit per modum gratiae, tunc non expirat morte delegantis; et tunc large interpretanda est (4): tunc igitur in dubio an adsit causa sufficiens, an non pro dispensatione, bene potest delegatus dispensare, ut dicunt Caietanus, Silvester, Sanchez, Salmant. Tapia, Granado, etc. (5).

62. Notandum 2., quod in iis legibus, ubi apposita est clausula, *Donec dispensetur*, possunt praelati inferiores semper dispensare, ut dicunt Caietanus, Suar., Bonac., Salmant., Castropal. etc. (6).

63. Notandum 3., quod delegatus non potest subdelegare, nisi cum expresse sibi concessum est, aut sit delegatus a principe, aut a pontifice, *cap. fin.* §. 1. *De offic. et potest. deleg.*, aut cum est delegatus ab ordinario praelato ad universitatem causarum. *L.* 1. §. *An ab eo, ff. Quis et a quo* (7).

64. Notandum 4., quod habens facultatem universalem dispensandi cum aliis, potest dispensare etiam cum seipso; ita communiter Caietanus, Laym, Castrop., Salmant., Bonacin. etc., cum s. Thom. 2. 2. *q.* 185. *a.* 8. *in fine* (8).

Punctum II.

Quot modis potest cessare dispensatio

65. *et* 66. *Cessat I. Causae cessatione.*
67. *II. Revocatione.*
68. *III. Renuntiatione.*

65. Dispensatio tribus modis cessat. I. Causae cessatione. II. Revocatione dispensantis. III. Renunciatione dispensati.

66. Et I. cessat dispensatio *cessatione causae.* Hoc tamen intelligitur 1., si cessat causa motiva, seu finalis, si cessat totaliter; si enim cessat sola causa impulsiva, aut si motiva non cessat omnimode, etiam durat dispensatio. Intelligitur 2., dummodo dispensatio non sit sortita effectum suum, et dummodo dispensationi non sit addita aliqua commutatio gravaminis. In dubio autem an cessaverit omnimode, valet dispensatio, quia in possessione reperitur (9). Intelligitur 3. Si dispensatio concessa sit sub conditione, saltem subintellecta, *si perseverat causa:* prout praesumitur ita concessa quoties causa non esset perpetua. Etenim si dispensatio est

(1) Lib. 1. n. 190. v. Item potest, et lib. 3. n. 288 (2) L. 1. n. 194.
(3) n. 190. v. Et in his, et 193.
(4) n. 193. (5) n. 192.
(6) n. 190 v. Notand. (7) L. 1. n. 193.
(8) Vide lib. 3. n. 249. v. Ultimo, et n. 256. in fin.
(9) Lib. 1. n. 195. v. Quaer. et n. 196.

data absolute cum conceditur ex causa pro perpetua habita (v. g. propter morum honestatem, ob ministrorum paucitatem, propter parentum paupertatem, etc.), tunc probabile est, quod etiam cessante causa finali non cesset dispensatio, quia semel per dispensationem sublata legis obligatione, haec non redit, nisi iterum a superiore imponatur: ita Suarez, Pontius, Castropal., Sa, Salmant., Laym., Perez, etc. contra Bonac., Trullench. etc. (1). Et quoties dispensatio absolute concessa est, illa ne cessat quidem, quia semel iam ea quis usus fuerit, v. g. qui dispensatus fuit a voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua coniuge etiam durat dispensatio, ut ad secundas nuptias transeat, modo illa non data sit pro illo solo casu (2).

67. Cessat II. dispensatio *revocatione dispensantis*, qui (nota hic) peccaret si eam non revocaret, cum iam cessaverit totaliter causa finalis. Contra etiam peccaret (licet tantum venialiter), si eam sine causa revocaret; sed valida esset revocatio (3). Hic quaeritur, an cesset dispensatio morte dispensantis? Respondetur: si dispensatio absolute concessa est, aut cum clausula, *donec revocetur, aut ad arbitrium sedis apostolicae, vel episcopi*, tunc non cessat. Cessat contra, si apposita est clausula, *donec nobis placuerit*, aut *ad nostrum arbitrium*, dummodo res executioni non incoeperit mandari (4).

68. Cessat III. *Renunciatione dispensati*, dummodo sit acceptata a superiore, alias subditus semper poterit ea uti, licet numquam ea usus fuerit (5).

Cap. VII. *De legis cessatione, interpretatione, et epikeia.*

69. *An cesset finis legis.*
70. *De libris prohibitis.*
71. *De legibus municipalibus.*
72. *De interpretatione.*
73. et 74. *An declarationes indigeant promulgatione.*
75. *De interpretatione doctrinali.*
76. *Regulae interpretationis.*
77. *De epikeia.*
78. *Quando lex extenditur a casu ad casum.*

69. Circa cessationem legis magna exagitatur quaestio; an, cessante fine legis adaequato (nempe totali) in particulari, cesset lex. Certum est, quod si cesset in communi finis totalis, cessat lex; cum enim haec inutilis reddita sit, amplius non obligat. Ita s. Thomas (6). Et tunc sufficit cuicumque, si sciat probabiliter, quod lex in communi cessaverit (7). Si autem cessat finis adaequatus tantum in casu particulari, tunc oportet distinguere: si cesset *contrarie*, nimirum si lex redderetur nociva in eo casu, aut saltem valde difficilis, tunc etiam communis est sententia, eam non obligare. Dubium igitur restat ad videndum, an cessante fine adaequato in particulari, et privative, nempe si lex pro illo casu particulari, aut pro illa persona esset inutilis. Sententia communior est, quod etiam obliget; quia quamvis cesset damnum particularis, non cessat tamen periculum in communi hallucinationis, qua quisque in casu proprio decipi potest. Ita s. Thomas (8). Sed oppositum tenent plures graves dd., nimirum Caiet., Sylvester, Panorm., Angel., Valent., Sa, Cardenas, Ledesm. Granado, Henriquez, Hurtad., et Tamb. cum Nav., Abb., et Comit., et Salm. ac Viva vocant etiam satis probabilem, dicentes, quod sicuti cessante fine in communi cessat lex pro omnibus; ita cessante fine in particulari, cessat lex in particulari, cum aeque in ambobus casibus lex reddatur inutilis. Et quemadmodum cessante fine in uno tempore, cessat lex pro illo, licet non cesset pro alio

(1) Lib. 1. n. 196. (2) Ibid. v. ult.
(3) N. 197. (4) Ib. v. Notand.
(5) n. 198. (6) 1. 2. q. 103.
a. 4. ad 3. cum aliis communiter.
(7) Vide Salm. de leg. c. 4. n. 4.
(8) 2. 2. q. 154. a. 2.

tempore; ita cessante fine in uno casu, cessat lex pro eo, licet non pro aliis. Et ideo dicunt communiter admitti, legem fraternae correctionis non obligare ubi non speratur fructus. Et ut haec sententia locum habeat, semper sic intelligenda est, dummodo certe in illo casu nullum subsit periculum hallucinationis, quod quidem semper inest in casu allato a s. Thoma, fornicationis nempe, de qua dumtaxat loquitur loco citato.

70. An possint legi libri prohibiti, cessante privative fine legis in particulari, et praeciso scandalo. Nonnulli admittunt, sed penitus dico negandum cum Suar., Castr., Sanch., etc., quia in hoc numquam cessat adaequate finis legis, ne in particulari quidem; cum finis prohibitionis sit non solum ut vitetur damnum quod a lectione timetur, sed praestetur Ecclesiae obedientia in rebus tam perniciosis. Ad haec accedit praecipuus finis, ne detur causa petulanti ac pravo ingenio scriptoribus obnoxias doctrinas et novitates disseminandi (1).

71. Denique notandum, quod leges peculiares alicuius loci non cessant propter legem generalem, nisi in ista expresse eis derogetur, vel saltem per clausulam, *Non obstante quacumque lege particulari*.

72. II. Quoad interpretationem sciendum est, aliam dici authenticam, aliam doctrinalem, aliam usualem. Authentica fieri potest vel ab ipso legislatore, aut ab eius successore, aut a superiore. Doctrinalis est, qua mens legislatoris manifestatur, et potest fieri a quocumque doctore. Usualis est illa quam usus recepit.

73. Hic dubitatur, an declaratio, quae fit a papa circa aliquam legem, indigeat promulgatione, ut obliget. In hoc distinguendum. Declaratio altera est *pure talis*, altera *non pure talis*, et potius dicenda est interpretatio. Declaratio *pure talis* est ea, cuius sensus a principio est imbibitus clare in lege, v. g. si dubitatur an sub nomine filii veniat filius naturalis tantum, an etiam adoptivus, et legislator declarat intelligi tantum naturalem, tunc declaratio est de sensu clare imbibito in lege. Declaratio *non pure talis*, seu interpretatio, est illa, cuius sensus non est imbibitus clare in lege, sed circa illum plures adsunt opiniones, et solum percipitur ex argumentis: v. gr., an sub nomine *patris* comprehendatur avus, et an sub nomine *mortis* intelligenda sit mors civilis, perpetuus carcer, etc., cum recurratur ad impropriam significationem.

74. Hoc posito, dicimus cum Suarez, Castropal., Vasq., Salas, Salm., Holz., La-Croix, Suppletor., Sporer, declarationem *pure talem* non opus habere promulgatione, sed obligare omnes ad quos illius pervenerit notitia, cum non sit lex nova. Declaratio non pure talis indiget promulgatione, ut obliget, quemadmodum quaelibet alia lex, quia haec habetur tamquam nova lex, sicut dictum est *n. 4. huius Tract.* Hinc infert Suarez, et Palaus (qui citat Roncag. , Salas, et Lorca) (2), quod si declaratio quae fit a legislatore sit de sensu clare imbibito in lege (iuxta exemplum allatum de filio naturali, et adoptivo), non indiget promulgatione. Contra vero declaratio sensus obscure imbibiti in lege (iuxta exemplum de avo, si veniat nomine patris), indiget promulgatione, ut obliget, quia illa statuit aliquid novi, quod de se non erat imbibitum in lege. Et idem dicunt Suar. et Palaus (3) de declaratione, quae fit non ab eodem legislatore, sed a successore, quia mens primi legislatoris non potest esse clare illi conscia, prout ipsimet legem ferenti; quapropter ad illam declarandam (licet sit de sensu in lege imbibito) debet recurrere ad argumenta et interpretationes, quae uti leges novae putantur, ac proinde opus habent promulgatione, alias declaratio

(1) Lib. 1. n. 199. v. ult.

(2) Suar. de leg. l. 6. c. 1. n. 3. Palaus eodem tit. dist. 5. p. 3. §. 1. n. 5.

(3) Suar loc. cit. et Palaus ibid. n. 2.

non habebitur uti authentica, sed solum uti doctrinalis (1).

75. Interpretari autem leges cuicumque permissum est, modo fiat iuxta regulas et sensum a dd. magis receptum; cum enim occurrunt dubia, et non possit commode adiri legislator, necesse fuit, hanc sapientibus tribuere potestatem leges interpretandi, ut habetur ex *c.* 2. *De privileg. in* 6. Id commune est (2). An autem liceat legem interpretari, cum in illa prohibetur quaelibet interpretatio: Castrop. (3), cum Salas et Sa, putat, talem prohibitionem valere tunc, si interpretatio fuerit frivola et futilis; sed merito contradicunt Salmanticenses (4), quia futiles et frivolae interpretationes ex seipsis sunt refellendae, atque prohibitae: quare tunc omnes interpretationes doctrinales sunt illicitae, prout prohibitae sunt a Pio IV. interpretationes super Tridentinum: ac propterea cum (ut refert Bened. XIV. *de synodo l.* 13. *c.* 24. *n.* 2.) sub Clemente VIII. compilatus esset septimus decretalium, ideo vulgatus non fuit, quia cum in eo inserta fuissent multa decreta Tridentini, aditus daretur violandi constitutionem Pii IV., qua vetantur privati homines (sunt verba Bened. XIV. *loc. cit.*) *S. Concilium Tridentinum commentari, atque interpretari, cum id s. cardinalium c. eiusdem concilii privative sit reservatum*; ea concilii decreta interpretando, quod impediri non posset, si liber ille in lucem emissus fuisset; siquidem sicut caeterae decretales sunt canonistarum interpretationes arbitrio expositae, ita Tridentini decretis tunc evenisset. Dicunt tamen complures doctores, hac prohibitione Pii IV. non esse vetitas omnes interpretationes incidenter factas, aut oretenus, aut manuscriptis, sed tantum ex professo per glossas, scholia, et commentaria typis data; sic enim usus talem prohibitionem interpretatus est. Et concordes in hoc sunt Castropal. cum Salas, et Barbosa, et Salmant. cum Rodriquez, Reginaldo, et Henriquez (5). Huiusmodi sunt etiam quae statuta fuerunt ab Innoc. XIII. in bulla *Apostolici ministerii*, pro reformatione cleri hispanici edita, et confirmata a Bened. XIII. in bulla *In supremo* pro toto orbe terrarum; nam praefatae bullae, eiusque decretorum privative commisit interpretationem, explanationem, et declarationem, *quatenus dubietas aliqua aut difficultas emerserit*, praefatae cong. conc.

76. In interpretandis legibus sequentes traduntur regulae. 1. Attendenda est mens, et finis legislatoris, et ratio legis. 2. In dubio interpretari debet pro valore actus. 3. Lex stricte interpretanda in odiosis, large in favorabilibus. 4. Verba legis accipienda sunt in sensu proprio, nisi aliquod absurdum, vel iniquitas in legislatore sequeretur. Sensus proprius est ille, quem naturaliter ex communi hominum acceptatione et usu verba praeseferunt. Analoga (quae plura significant) accipienda sunt pro principaliori analogato, ut advertunt Palaus, et La-Croix (6). Ita pariter in legibus poenalibus, et praeceptivis: sed in favorabilibus solet attendi etiam proprietas civilis verborum, v. g. sub nomine *legitimi* veniunt etiam legitimati, et huiusmodi alia. Ad dignoscendum an lex sit odiosa, an favorabilis, attendendum est motivum propter quod lex lata est (7).

77. III. Quoad epikeiam (quae est praesumptio saltem probabilis, quod legislator in aliqua rerum circumstantia noluerit obligare), illa locum habet, quoties lex redderetur nociva,

(1) Vide opus nostrum l. 3. n. 1027. v. Hic notandum, ubi agitur, An in coenula liceat sumere parum casei.

(2) Lib. 1. n. 200. et Palaus loc. cit. §. 2. n. 1. (3) Loc. cit. n. 6.

(4) De leg. c. 4. n. 23.

(5) Palaus ib. n. 2. Salm. dict. n. 23.

(6) Palaus tr. 3. d. 5 p. 3. §. 1. n. 7. et La Croix l. 1. n. 824.

(7) Pal. l. c. §. per tot. 3.

aut valde onerosa, et observatu difficilis (1)

78. Restat demum ad inquirendum an lex debeat extendi a casu ad casum, ubi eadem currit ratio. Divisa est in duas partes sententia, quae inter se quidem discrepare videntur, sed revera unum dicunt: siquidem ambae conveniunt in hoc, quod licet lex se extendat de casu ad casum, in quo eadem ratio ita adest, ut si illa non extenderetur, posset culpari legislator aut iniustitiae, aut imprudentiae, et in eo casu locum habet illud axioma: *Ubi eadem est ratio adaequata, ibi eadem currit legis dispositio*. Et hoc evenit I. in *correlativis*, v. g. sicut sponsa potest ab obligatione sponsalium liberari, si sponsus longe proficiscatur, *Cap. De illis, de spons.* ita etiam potest sponsus. II. In *aequiparatis*, ut sunt electio, et praesentatio ad beneficium. III. In *connexis*, ut sunt diaconus, et subdiaconus. IV. In *contentis:* v. g. cui conceditur testari, conceditur posse codicillos conficere: cui prohibentur ova, prohibentur etiam lacticinia. In praemissis igitur casibus currit extensio; et currit etiam si lex esset poenalis, aut correctoria, quia reg. 49. *de Reg. iur. in* 6. *Odia restringi, favores convenit ampliari*. Sapienter Suarez, Bonac. et alii dicunt, regulam illam valere, quoties legis dispositio extenditur ex interpretatione congruentiae, non autem cum debet sic interpretari ex *necessitate;* tunc enim potius dici debet casum illum comprehensum esse in lege, quam legem extendi ad casum. Caeterum (regulariter loquendo) leges poenales non extenduntur praeter casum expressum v. g. excommunicatio lata in cogentes mulieres ingredi monasteria, non procedit in eos qui cogunt viros, et idem dicendum in casibus in quibus non currit eadem adaequata ratio, prout superius dictum est (2).

(1) L. 1. n. 201. et vide Salm. c. 4. n. 44. et 45. et Pal. lib. c. §. 2. n. 3. qui cum Suarez vocat commune.

(2) Vide l. 1, n. 200. v. Quaeritur hic

Cap. VIII. *De consuetudine.*

79. *Conditiones ad consuetudinem requisitae.*
80. *Ad desuetudinem.*
81. *An lex reprobet omnem consuetudinem futuram.*
82. *Usus est legis interpres.*
83. *An lex revocet omnem consuetudinem factam.*

79. Oportet secernere consuetudinem quae legem inducit, a consuetudine quae legem abrogat, quae potius desuetudo dicenda est. Sed de prima hic prius loquendo dicimus: ad hoc, ut vim legis habeat consuetudo, tria exposcit; introductionem nempe a communitate factam, tacitum principis consensum, et legitimam praescriptionem. I. Igitur oportet, ut consuetudo non sit a particularibus, sed saltem a maiori parte alicuius communitatis legem statuere potentis, licet actu talem potestatem non habentis, sit introducta; quia tunc consuetudo vim legis ex tacito principis consensu suscipit, ut docent Salmant. cum s. Thoma (3). II. Requiritur tacitus consensus principis, qui adesse praesumitur, quoties ille cum posset eam vetare, diu eam tolerat; ita Angelicus (4). III. Ut adsit debita praescriptio; pro qua requiruntur 1. tempus *diuturnum*, saltem (ut dictum est *num.* 11.) decem annorum: 2. tempus *continuatum*, quia si intra tempus praescriptionis interrumpatur consuetudo a maiori parte communitatis, aut si princeps animadverterit in eos, qui eam introduxerunt, tunc etiam interrumpitur consuetudo: 3. requiruntur actus multoties repetiti, ac libere, non ex timore, nec ex ignorantia, puta si populus falso crederet adesse legem, quae revera non adesset: dum ait Laym. (5) cum Suar. Abbat. et Mo-

(3) Vide Salm. de leg. c. 6. n. 6.

(4) 1. 2. q. 97. a. 3. ad 3.

(5) L. 1. tr. 4 de leg. c. 24. n. 2. ad 4.

lin. non posse populum adstrictum esse novae obligationi, nisi certe intendat illam voluisse sibi imponere. Quare in dubio utrum consuetudo introducta sit ex obligatione, an ex devotione, et an sub gravi, vel sub levi, hoc inferri licet ex circumstantiis: v. g. si consuetudo onus grave afferat, et per tempus diuturnum fuerit constanter observata; tunc praesumendum est introductam, et continuatam animo se illi sub gravi voluisse obligare (1). Et ita dicimus tenendam esse consuetudinem abstinendi a lacticiniis diebus vigiliarum (2); et consuetudinem Regularium, et monialium recitandi divinum officium (3).

80. Haec dicta sunt de consuetudine, sed ad desuetudinem legem abrogantem, duae requiruntur conditiones: 1. ut sit rationabilis, nimirum ut non sit contra ius divinum; 2. ut sit legitime praescripta, uti habetur ex *cap. Licet, de consuet.* (4). Sed in hoc notandum 1. quod ut desuetudo legi deroget, non sufficit intentio legem transgrediendi, sed expresse intentio requiritur legem delendi; itaque etiam cum mala fide lex praescribitur, ut dicunt Castrop. Bonac. Laym. Salmant., etc. (5). In quo advertit Layman eos, qui introducunt consuetudinem adversus legem, semper peccare usque dum lex non sit perfecte praescripta; reliquos autem interim non peccare, si introducta consuetudine utantur, ita Layman (6). Notandum 2. quod quamvis ut aliqua positiva prohibitio (ut dictum est) et novum ius introducatur, requiritur intentio abrogandi legem, nihilominus, si lex diu bona fide, nempe ex legis ignorantia, non observetur: ait Laym. (7) cum Suarez, Azor, Glossa, etc. decennio etiam praescribitur, etiam ignorante principe; praesumitur enim princeps tacite approbare quamlibet consuetudinem, quae legitime praescripta est (8). Hoc tamen intelligendum, nisi princeps positive resistat cuilibet consuetudini legem adversanti (9).

81. Effectus igitur desuetudinis est legi derogare, etiamsi in lege apposita sit clausula, *non obstante quacumque consuetudine*; etenim talis clausula praeteritas respicit consuetudines, non autem futuras. Imo probabile est, ut dicunt Suarez, Pontius, Bonac., Salmant., etc. consuetudinem abrogare etiam leges futuram consuetudinem contra ipsas reprobantes (10). Si tamen in lege reprobaretur quaelibet futura consuetudo, tunc distinguendum. Si reprobatur uti contraria legi naturali, aut divinae positivae, tunc consuetudo nunquam valere potest. Secus autem si reprobatur uti irrationabilis respectu temporis, in quo lex humana constituitur, quia tunc suboriente aliqua nova causa potest consuetudo fieri rationabilis, et valere, uti docent DD. communiter (11).

82. Consuetudo potest etiam legem interpretari; et propterea huiusmodi consuetudo dicitur *usualis*, ut superius dictum est *num.* 72. Et huic satis est minus temporis spatium, quam praescriptioni. Et regulariter loquendo, omnes leges debent interpretari secundum loci consuetudinem (12).

83. Denique advertendum hic, per leges generales nunquam derogari particularibus loci consuetudinibus iam praescriptis, nisi de ipsis specialis mentio fiat; aut nisi in illis expresse revocetur quaelibet consuetu-

(1) V. Opus nostrum l. 1. n. 107. ad IV.
(2) Lib. 3. n. 1009. v. Dubit. III.
(3) Lib. 4. n. 141. (4) Laym. c. 24. de leg. num. 4 (5) L. 1. n. 107. ad IV. (6) Loc. cit. n. 4. (7) Dict. c 24. n. 11. (8) Laym. loc. cit. n. 11. et Salm. de leg. c. 6. n. 16. cum Suar. Sanch Bonac. et communiter. (9) V Opus nostrum l. 1. 107. ad V. (10) L. 1. n. 108. v Sed quid. (11) Sanch. de matr. l. 7. d. 4. n. 14. Roncaglia de leg. p. 58. q. III. v. secundo, et Salm. eod tit. c. 6. cum Suar. Pont. Tapia, etc. (12) L. 1. n. 108. v. Potest.

do, uti habetur ex *cap.* 1. *de Consuet. in* 6. Hoc tamen non procedit in legibus, quae sanciuntur ab Episcopis; praesumuntur enim Episcopi omnium consuetudinum contrariarum habere notitiam (1). Item advertendum consuetudinem immemorabilem non putari revocatam, nisi fuerit nominatim revocata a lege, prout pluries declaravit S. C. (2).

TRACTATUS III.

DE ACTIBUS HUMANIS, ET PECCATIS

Cap. I. *De actibus humanis.*

1. Actum est in prioribus tractatibus de duabus regulis actuum humanorum, de conscientia nempe, et de lege: nunc de ipsismet actibus humanis agemus, prius in genere, deinde in specie, de peccatis nimirum.

2. S. Thomas (3) docet, quod actus qui ab homine procedunt, bifariam considerari possunt; in genere naturae, et in genere morum. Primo modo considerati *actus hominis* appellantur, huiusmodi sunt omnes actus quocumque modo fiunt ab hominibus. Secundo modo dicuntur *actus humani*, et sunt illi qui procedunt ex libera humanae voluntatis electione. Hinc omnes actus qui praeveniunt rationis usum, sunt actus hominis, sed non humani. Duo requiruntur ad constituendum actum humanum, ut capax sit boni, aut mali meriti, ut nempe sit voluntarius, et liber.

3. Et prius agendo de voluntario, dicimus quod sit *illud, quod procedit a principio intrinseco* (nempe non a vi extrinseca) *cum cognitione finis*, ex cuius deficientia homicidium non esset voluntarium illi, qui putans esse feram hominem occidit.

4. Multiplex est voluntarium: 1. Formale, virtuale, habituale, et interpretativum. 2. Elicitum et imperatum. 3. Directum et indirectum. Et 1. *Formale* est illud quod exercite elicitur aut imperatur a voluntate. *Virtuale* est quod procedit, et in effectum prodit ex voluntate praehabita. *Habituale* est actus voluntatis semel habitus, et nunquam retractatus. *Interpretativum* dicitur actus ille, qui fit sine advertentia, sed etiam fieret a voluntate, si agens in talibus circumstantiis positus sibi deliberandum esset.

5. Item 2. Voluntarium *elicitum* est omnis actus voluntatis proximo a voluntate productus, ut amare, vel odio habere, eligere aut refellere aliquid, cupere, etc. *Imperatum* est omnis actus, qui ex voluntatis imperio exercetur ab aliis potentiis sive externis, sive internis, ut meditari, ambulare, videre, etc. Hic advertendum cum s. Thoma (4) quod quilibet actus sive elicitus, sive imperatus a voluntate specificatur a fine propter quem exercetur; quare illi actus qui eumdem finem habent, quamvis materialiter sint diversi, tamen eamdem induunt speciem, v. g. si quis ieiunat, orat, concionatur ob Dei gloriam,

(1) N. 109. v. Sed quaeritur 1.
(2) ibid. Quaer. 2.
(3) 1. 2. q. 1. a. 1.
(4) 1. 2. q. 1. a. 3.

omnes isti sunt actus charitatis. Contra si unus idemque sit materialis actus, si a voluntate elicitur ob diversos fines, ipse diversas induit speciem.

6. Item 3. Voluntarium directum est quod est volitum, et intentum ex se ipso: *Indirectum* est volitum in causa voluntarie posita, iam praeviso effectu, licet non intento. Ut igitur voluntarium indirectum imputetur ad culpam, primo requiritur, ut praevideatur effectus: secundo, ut agens teneatur impedire talem effectum; nam cum non tenetur impedire illum et non intenditur, non peccat causam honestam apponendo, licet praevideat effectum de se illicitum, ut pluribus casibus progressu Operis explicabitur.

7. Praeterea (ut dictum est) actus humanus, ut sit capax boni, aut mali meriti, necesse habet, ut sit *liber*. De fide est, contra Calvinum, adesse in homine etiam post Adae peccatum, liberum arbitrium, ut definitum est a Tridentino *sess.* 6. *can.* 5. Hic distinguendae sunt plures species libertatis: 1. libertas *a coactione* et a *necessitate*. 2. Libertas *contradictionis* et *contrarietatis*.

8. Et primo alia est libertas *a coactione*, quae dicitur *spontaneitatis*, alia est *a necessitate*, quae dicitur *indifferentiae*. Prima importat, ut actus sit spontaneus, id est violentiae expers, quamvis sit necessarius, ut est amor Beatorum, qui necessario amant Deum, sed sponte, quin vim patiantur, etenim docet s. Thomas (1) cum s. Augustino, nos erga ultimum finem habere quidem libertatem voluntatis, quae non repugnat cum necessitate naturalis inclinationis: sed non habere libertatem arbitrii, sive contradictionis, quae importat velle, et nolle, ut mox explicabitur. Libertas a *necessitate*, seu indifferentiae, importat non solum immunitatem a vi, sed etiam a necessitate; ita ut homo possit non ponere actum, qui dicitur *contradictionis*, aut ponere actum contrarium, quae dicitur libertas *contrarietatis*, ut paulo post subiungetur.

9. Secundo sciendum est aliam esse libertatem *contradictionis*, quae dicitur *exercitii*, nempe posse operari, et non operari: aliam esse libertatem *contrarietatis*, etiam *specificationis* dictam, nimirum duos contrarios actus ponendi, ut amandi, aut odio habendi.

10. His positis, dicimus, ut hominis voluntas possit cum bono, aut malo merito operari, debet esse libera libertate *indifferentiae*, quae sola verum libertatis nomen meretur, nempe non solum ut a vi, sed etiam a necessitate sit immunis. Hoc probatur ex Tridentino *sess.* 6. *can.* 4. ubi dicitur liberum esse homini gratiae assentiri, aut dissentiri. Item probatur ex propositionibus Baii, et Iansenii proscriptis; Baius prop. 39. ex damnatis a S. Pio V. et aliis Pontificibus, dixit: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit.* Prop. 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et prop. 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.* Et cum dixit Baius *damnabiliter*, loqui intendebat de actibus deliberatis, etiamsi necessariis, dum ipse iam admittebat (uti legitur in prop. 75.) actus indeliberatos, nempe sine voluntatis consensu, non reputatos peccata. Iansenius in prop 3. ex 5. damnatis ab Innoc. XI. dixit: *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit immunitas a coactione.*

11. Notandum hic quod radix libertatis *indifferentiae* oritur ab *indifferentia iudicii*, quae nihil aliud est quam deliberatio boni, aut mali quod in actione consideratur. Haec iudicii indifferentia non iam constituit libertatem, sed ut dictum est, est radix libertatis, ut postea possit libere et indifferenter voluntas eli-

(1) Quaest. de verb. a. 1.

gere quod sibi placuerit.

12. Obstacula autem quae impediunt actum humanum, seu quominus actus sit voluntarius, sunt ignorantia, vis, concupiscentia, et timor, qui alioquin non aufert, sed minuit voluntarium. De singulis sigillatim agemus.

13. I Circa *ignorantiam* plura sunt distinguenda: 1. Ignorantia alia est *negativa*, quae est carentia scientiae in subiecto non apto; alia est *privativa*, quae est privatio scientiae in subiecto apto; alia est *positiva*, quae est deceptio seu error voluntarius. 2. Ignorantia alia est *iuris*, seu praecepti; alia est *facti*, seu rei praeceptae. 3. Ignorantia alia est *antecedens*, seu *invincibilis*, *quae praecedit omnem rationis advertentiam*; alia *consequens*, seu *vincibilis*, quae saltem virtualiter aut in confuso est cognita; alia est *concomitans*, quae concomitatur actum, sed non est illius causa, nec in illum influit; actus enim etiam poneretur eodem modo, etiamsi non adesset ignorantia: huiusmodi est ignorantia illius qui occidit inimicum, putans esse feram, sed ita est dispositus, ut si cognovisset esse inimicum etiam occidisset. 4. Ignorantia consequens, seu vincibilis dividitur in crassam seu supinam, et affectatam. *Crassa* est quando homo negligit scire quod potest, et tenetur scire: *affectata* est quando negligit veritatem inquirere, ut liberius peccet. Hinc concluditur, quod ignorantia *antecedens* (quae dicitur invincibilis) impedit et penitus aufert voluntarium. *Consequens* (quae dicitur vincibilis) non aufert, sed minuit voluntarium. *Concomitans* nec aufert, nec minuit voluntarium, nam ut superius dictum est, nihil influit in voluntarium.

14. II. *Vis* quoque penitus impedit actum humanum, unde quae fiunt vi, nihil nec boni, nec mali merentur. Violentum tamen differt a necessario, quia hoc potest esse voluntarium, ut est amor beatificus, et differt etiam ab involuntario, quod potest causari ab ignorantia.

15. III. *Concupiscentia* (quae est motus appetitus sensitivi) quando est antecedens impedit actum humanum, seu voluntarium in partem, et quandoque in totum, si omnino rationem praeveniat; unde fit quod motus sensuales, si omnis absit voluntatis consensus, ad peccata nobis non imputantur nec mortalia, nec venialia (1). Cum vero concupiscentia est consequens, et est illa quae excitatur aut imperatur a voluntate, tunc nihil impedit actum humanum, imo auget voluntarium et culpam.

16. IV. *Timor*, vel est levis, vel gravis, qui etiam dicitur *cadens in virum constantem*. Ut sit gravis requiritur, ut malum comminatum sit 1. probabiliter imminens; 2. ut non possit vitari; 3. ut sit magni momenti saltem respective ad personas, uti ad foeminas, filiosfamilias, pupillos, subditos, etc. in quibus datur etiam timor *reverentialis*; sed hic advertendum, timorem reverentialem tunc esse gravem, cum praeter pudorem, quo afficitur filius, pupillus, subditus in patri, aut tutori, aut domino adversando, timet amplius aliquam diuturnam indignationem, aut vexationem (2).

17. Oportet 2. distinguere metum *ab intrinseco* qui provenit ab ipsis facti circumstantiis: puta timor mortis quo mercator in procella proiicit merces in mare, et timor *ab extrinseco* qui provenit a causa libera extrinseca, nempe ab homine. Et timor ab extrinseco potest esse *iustus*, et *iniustus*: quod dignoscitur a considerando an timorem incutiens habeat necne ius ad illum incutiendum. Item hic timor potest esse incussus ad extorquendum certum aliquem actum, aut alio fine, praeter actum timoris causa positum.

(1) Vide lib. 5. De actibus humanis. n. 23. ad 25

(2) Lib. 3. n. 717. v. Idem autem.

18. Hoc posito; timor dicitur non impedire actum humanum, illum nempe absolute voluntarium, sed solum *secundum quid*, quod idem valet, quod minuit voluntarium. Quando autem metus excuset, vel non, a lege, iam dictum est *Tract. II. n.* 44. Et quando metus invalidet vel non actum, id, dum loquemur de voto, de contractibus et de matrimonio, agetur.

19. Quaeritur I. Unde actus humani desumant suam bonitatem et malitiam? Respondemus (quicquid dicant alii) quoad materiale desumunt ab obiectis, et ab eorum circumstantiis. Quoad formale, sive quoad moralem bonitatem, aut malitiam a virtutibus, quibus conformantur, aut adversantur. Et hactenus de eo, quod spectat ad speculativam quaestionem, nam quod ad praxim spectat, agemus in sequenti capite, *punct. III. n.* 55. agendo de distinctione specifica peccatorum.

20. Quaeritur 2. An actus externus addat distinctam bonitatem, aut malitiam actui interno quoad praemium aut poenam essentialem, (nam quoad accidentalem certum est apud omnes). In hac quaestione Thomistae cum communiori tenent negativam sententiam, Scotistae affirmant. Sed quicquid sit de speculativa quaestione, in praxi etiam Thomistae (ut declarat Estius) dicunt, quod cum voluntas operis mali executione vehementius adhaeret obiecto concupito, aut magis oblectatur illo, tunc sine dubio opus externum addit aliquam malitiam voluntati. Et regulariter sic accidit: ideoque bene ait Habert, quod ille, qui externe operatur peccatum, semper dicendus est maius malum committere, quam qui tantum illud concupiscit (1).

21. Quaeritur 3. An detur actus humanus indifferens in individuo? Concordes sunt Thomistae Scotistis dari actum indifferentem in specie, sive ex *obiecto*, ut est deambulare, campum respicere, etc. Quaestio est an detur in individuo? Scotistae affirmant; sed probabilius negant Thomistae, quia cum homo sit rationalis, tenetur quicquid operatur ordinare alicui fini honesto; quod omittendo, culpae ei verti hoc debet, et actus non est amplius indifferens, nisi forte posset esse, quod ex ignorantia aliquando sine advertentia operetur. Haec satis de his tribus celeberrimis quaestionibus, quae magis pertinent ad scholasticam, quam ad moralem. Progrediamur ad loquendum de peccatis, quae sunt actus humani in specie.

(1) Lib. 5. De actibus humanis. n. 40.
(2) 1. 2. q. 71. a. 6.

CAP. II. *De peccatis.*

PUNCTUM I. *De peccatis in genere.*

22. *et* 23. *De peccato mortali, et veniali.*
24. *ad* 39. *De advertentia.*
40 *ad* 45. *De consensu.*
46. *De peccato philosophico.*

22. Peccatum definitur a s. Augustino, et a s. Thoma (2) *Dictum, factum, vel concupitum contra legem aeternam.* Dicitur *contra legem aeternam;* quia in hoc consistit tota formalis malitia peccati; ideoque haec definitio comprehendit tum peccata commissionis, tum omissionis; etenim omnia divinam legem offendunt; et comprehendit etiam transgressiones legis humanae; cui etiam ipsa lex divina iubet, ut obediatur, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Rom.* 13. 2.

23. Quodlibet peccatum grave est Dei offensa non effective, quia ut loquitur Angelicus (3), Deus incapax est nocumenti; sed affective, et est vera iniuria, et contemptus in divinam Maiestatem, quae postponitur creaturae. An autem peccatum veniale debeat etiam dici divinae legis transgressio, affirmamus cum Estio, Soto, Azorio, et aliis, quia licet s. Thomas (4) dicat, quod veniale non est contra, sed praeter legem, ni-

(3) 1. 2. q. 73. a. 8. ad 2.
(4) 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1

hilominus hoc est intelligendum in quantum sit tantum contra ordinem, non contra finem legis, qui est charitas. Sed hic ordo legis observandae est etiam praeceptum: *Noli velle mentiri*, *Eccli.* 7. 14. *Non iurare omnino*, *Matth.* 5. 34. Igitur veniale etiam est contra legem, cum sit expresse a lege vetitum.

24. Pro certo habendum, ut dictum est *n.* 2., peccatum, ut sit imputabile, debere esse voluntarium, et ut voluntarium sit peccatum mortale debet esse pleno consensu patratum. Itaque 1. requiritur plena et perfecta advertentia ad malitiam obiecti, ideoque motus concupiscentiae *primo primi* dicti, qui penitus rationem praeveniunt, carent culpa. Motus *secundo primi*, qui cum semiadvertentia fiunt a semidormientibus, aut alio distractis, ad summum possunt esse venialia. Motus vero deliberati, quorum plene, aut saltem in confuso intellectus advertit malitiam, et voluntas eis consentit, hi sunt mortalia, ita communiter theologi cum s. Thoma (1), qui dicit quod peccatum mortale ex suo obiecto potest evadere veniale ob imperfectionem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus (2). Unde alio loco sic ait: *Si quis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpat, quorum significationem non considerat, et tunc est peccatum veniale, et non habet propriam rationem blasphemiae* (3). Praeterea alibi dicit: *Qui ex lapsu linguae iurat, siquidem advertat se iurare, et falsum esse quod iurat, non excusatur a mortali. Si autem hoc non advertat, a crimine periurii excusatur* (4). Hinc concluditur, cum sententia communi, ad peccatum mortale non sufficere semiplenam advertentiam, sed requiri plenam et perfectam. *Et ratio est* (recte inquit cardinalis Gotti), *quia peccatum mortale debet esse plene voluntarium et liberum, et consequenter cum plena advertentia committi* (5).

25. Sed magna quaestio est; an ad peccatum mortale requiratur advertentia actualis et expressa malitiae actus, vel sufficiat virtualis, et interpretativa? Prima sententia, quam olim tenuere Caietanus, (6) ac Medina, Lopez, Serra, Prado, et alii apud Salm. (7), atque enixe tuentur Concina, Continuator Tournely, Angelus Franzoia, Antoine, et alii recentiores (8), dicit minime requiri advertentiam actualem: sed satis esse virtualem et interpretativam, quae in hoc consistit, quod homo teneatur, et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat: alias (ut aiunt) reputandi essent immunes a culpa omnes scelesti homines, qui a suis passionibus, aut pravis consuetudinibus obcaecati plura mala patrant ad nihil advertentes.

26. Secunda vero sententia communior affirmat requiri actualem advertentiam malitiae, aut periculi illius, aut saltem obligationis illam advertendi. Et hanc tenent Sylvius, Suarez, Tapia, Sanchez, Sayrus, Palaus, Salas, Bonac. Salmant. tam scholastici, quam morales, Gamachaeus, Isambert, Du-Val, item Vasquez cum Lyrano, Tostato, Adriano VI. Cariel, Victoria, Corduba, et aliis (9). Item s.

(1) Q. 7. de malo a. 6. per tot. et 1. 2. q. 88. a. 6. (2) S Th. 1. 2. q. 88. a. 6.
(3) id. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3.
(4) Idem 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2.
(5) Gotti tr. de vitiis q. 1. dub. 4. § 3. 1. 10. (6) Cai. 2, 2. q. 88. a. 1. dub. 3.
(7) Salm. tr. 20. c. 13. n. 5.
(8) Conc. in Comp. theol. l. 8. D. 3. c. 2. n. 14 Cont. Tourn. tr. de pec. c. 4. a. 1. Franzoja in Busemb. l. 5. c. 3. de peccat. Anim. P. Antoine.

(9) Sylvius in 1. 2. q. 76. a. 3. q. 3. concl. 2. Suar. tom. 5. in 3. p. D. 4. sect. 8 ex n. 14. Tapia l. 3. q. 9. a 5. et 11. Sanch. De praec. Dec. l. 1. c. 16. n. 21. Sayr. Thes. l. 2. c. 9. n. 11. Pal. tr. 2. D. 1. p. 15. n. 5. Salas tr. 13. D. 8. sect. 11. n. 87. Bon. de censur. in communi. D. 1. q. 2. punct. 1. Salm. Schol. tr. 13. D. 13. dub. 1. et Mor. tr. 20. c. 14. n. 8. Gam. t. 2. p. 194. Isam. p. 233. Vasq. 1. 2. q. 123. c. 2. n. 6. Du-Val D. 1. 178.

Antoninus, Wigandt, Sainte Beuve, et card. Gotti, quorum loca et verba infra afferentur. Hi dicunt ad omne peccatum mortale requiri aliqualem advertentiam, sive suspicionem malitiae actus, vel in se, vel in sua causa, saltem in confuso. Ratio eorum est, quia nihil volitum, nisi praecognitum; unde nequit ignorantia imputari ad culpam, nisi de malitia obiecti habeatur saltem aliqua confusa apprehensio; ille enim qui nullo modo advertit malitiam suae actionis, vel obligationem advertendi, nullo modo peccat adversus illam agendo.

27. His positis, meum proferam sensum, et dico quod sistendo intra limites iusti, praefatae sententiae facile conciliari possunt. Nam si dicatur ad omnia peccata mortalia necessario exposci actualem et expressam advertentiam, hoc utique falsum est, quia multipliciter evenire potest, quod plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, bene tamen imputantur ad culpam ea patrantibus, si ipsorum ignorantia sit aliquo modo voluntaria, vel ob negligentiam, vel ob passionem, aut pravum habitum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando.

28. Primo igitur modo ignorantia fit voluntaria ob negligentiam, ut docet s. Thomas (1. 2. *q.* 76. *a.* 3.) qui regulam ibi praemittit dicens: *Ignorantia quae est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet quod excuset a peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati.* Deinde subdit ignorantiam posse esse voluntariam duobus modis, *vel directe, sicut cum aliquis studiose vult nescire, ut liberius peccet, vel indirecte, sicut cum aliquis propter laborem, vel alias occupationes negligit addiscere id per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, et peccatum, dummodo sit eorum, quae quis scire tenetur et potest. Et ideo talis ignorantia non totaliter excusat a peccato. Si vero sit talis ignorantia, quae omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est eius quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato.* Nota, *talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam.* Praeterea nota hic Angelicum ultimis verbis relatis non dubitare, quod bene possit dari invincibilis ignorantia etiam eorum, quae quis scire tenetur. Idem scribit alibi (*de malo q.* 3. *a.* 7. *ad* 7): *Ignorantia, quae est omnino involuntaria, non est peccatum. Et hoc est quod Augustinus dicit:* Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignoras, sed si scire neglexeris. *Per hoc autem quod addit,* sed si scire neglexeris, *dat intelligere, quod ignorantia habet quod sit peccatum ex negligentia praecedente, quae nihil est aliud, quam non applicare animum ad sciendum ea, quae quis debet scire.* Eodemque loco addit s. Thomas, quod tum ignorantia reputatur voluntaria, cum homo *propter laborem addiscendi, vel ne impediatur a peccato quod diligit, scientiam recusat; et sic ignorantia est a voluntate quodammodo imperata.* Hisce igitur locis s. Doctor minime quippe culpabilem reputat ignorantiam eius, qui non advertit, sed eius qui negligit, sive recusat actu quodammodo a voluntate imperato animum applicare ad ea addiscenda, quae scire tenetur circa praeceptum quod urget, ut expressius declarat in corpore praedicti articuli 3. inquiens: *Causa ignorantiae est animum ad sciendum non applicare, et hoc ipsum non applicare animum ad sciendum id quod quis debet scire, est peccatum omissionis.*

29. Secundo modo ignorantia fit voluntaria ob passionem, quam quis vult deliberate sequi; illi enim, qui secundum suam passionem operatur, bene imputabitur omnis pravus effectus tali passioni connexus, licet in particulari non agnoscatur, quia

cum homo passionem aliquam amplexatur, consequenter ipse amplectitur omnes effectus communiter ex illa passione provenientes, qui etsi in particulari non praevidentur, praevidentur saltem in confuso; volens enim aliquam explere passionem, puta vindictam, admittit consequenter saltem in confuso quaecumque perversa media, quae ad explendam passionem illam conducunt. Unde effectus provenientes, quamvis non sint voluntarii in se, sunt tamen voluntarii in sua causa, nimirum in adhaerendo in passionem. Ita etiam docet s. Thomas (1. 2. *q.* 6. *a.* 8.) ubi ignorantiam huius operantis per passionem vocat *ignorantiam malae electionis*, dicens: *Alio modo dicitur ignorantia voluntaria eius, quod quis potest scire et debet; sic enim non agere, et non velle, voluntarium dicitur. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, sive cum aliquis actu non considerat, quod considerare potest et debet, quae est ignorantia malae electionis, sive ex passione vel ex habitu proveniens.* Idem repetit in *Opusc. de malo q.* 3. *a.* 10. ubi ait: *Ligatio rationis per passionem non imputatur ad culpam, nisi forte quoad principium talis passionis; quod fuit voluntarium, poterat enim voluntas a principio impedire ne passio in tantum procederet.* Praeterea alibi (1. 2. *q.* 77. *a.* 7.) dicit: *Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis, et tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum.*

30. Tertio modo ignorantia fit voluntaria ratione pravi habitus, ut etiam habetur ex s. Thoma loco supra citato (1. 2. *q.* 6. *a.* 8.); et tunc actus mali qui ex malo habitu proveniunt, sunt pariter voluntarii, vel in sua causa, scilicet cum in principio prava consuetudo voluntarie contrahitur, vel potius quia, ut sentio cum Antoine, et auctore libri cui titulus, *Instruz. de'novelli confessori*, huiusmodi peccatores male habituati, quamvis habeant cognitionem minus expeditam quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales; cum enim ipsi parvipendant peccatum, non fit in eorum animis illa sensibilis et memorabilis impressio, quae fit in alio habente conscientiam minus depravatam; et hinc evenit, quod in eorum memoria non remanet vestigium actualis illius cognitionis, quam satis habuerunt antea de peccato, aut vestigium est adeo leve, ut interrogati de facili respondeant, quod non adverterint; sed cautus confessarius non debet ipsis fidem praestare. Et idem videtur dici etiam posse de operantibus secundum suas pravas passiones, quibus non iam defuit omnis cognitio materiae suarum culparum, sed cognitio est in eis tam obscura, ut vix discerni possit.

31. Quarto demum modo ignorantia fit voluntaria et culpabilis, ut dicunt Tannerus, et Antoine (1) cum s. Antonino, si homo in agendo advertenter negligit adhibere considerationem, quam res agenda meretur; illi enim qui iam advertit (ut recte ait Antoine) aliquid amplius considerandum, et tamen vult praecipitanter operari, merito imputantur omnes errores, quos committit.

32. Contra vero mihi omnino tenendum videtur, si ignorantia nullo ex praedictis modis fuerit voluntaria, et homo nullam habuerit actualem advertentiam malitiae, vel periculi, nec directe, nec indirecte, neque in se, neque in sua causa, tunc nullo modo imputantur ei errores quos non advertit. Ratio, quia ut imputentur alicui effectus cuiusdam causae, debet necessario praecedere (saltem in principio) advertentia actualis et expressa malitiae obiecti; ad-

(1) Tanner. t. 2. d. 4. q. 5 dub. 5. n. 103. Antoine p. 1. tr. de pecc. c. 4. q. 7. in fin.

vertentia enim interpretativa, ut recte loquuntur Salmanticenses (1), fundatur super aliquam advertentiam expressam, sicut voluntarium indirectum fundatur super directum. Praeterquam quod advertentia interpretativa supponit obligationem, et potentiam advertendi; sed deficiente omni advertentia expressa, non est potentia adversandi, et ideo nec obligatio, cum nulla obligatio liget, nisi prius quodammodo agnoscatur.

33. Dices: Omnis ignorantia in eo, qui tenetur et potest suam obligationem advertere, est vincibilis, et propterea culpabilis. Sed recte respondent Sylvius et Suarez, quod ille qui omnino ignorat malitiam obiecti, et adhuc obligationem advertendi, habet quidem potentiam remotam, sive physicam ad advertendum, sed caret potentia proxima et expedita, quae homini necessaria est ad cognoscendam deformitatem suarum actionum. *Quis nesciat non esse in hominis potestate, quod sciat?* ait s. Augustinus, *lib. de spir. et lit. c.* 35. *n.* 63. *in fin.* Unde nequit ipse naturaliter, ac humano modo suam vincere ignorantiam. Agnoscet quidem suam actionem qua actio est, sed ignorabit eam qua mala est; sola enim cognitio obiecti in esse physico non est sufficiens principium ad discernendum, nec ad inquirendum obiectum in esse morali, quod equidem prorsus differt a physico. *Quando nulla* (sapienter ait p. Suarez) *talis cogitatio in mentem subiit, qua possit voluntas excitari ad quaerendam scientiam, non est in potestate hominis se ad illam movere, et consequenter non potest talis ignorantia homini imputari* (2). Et hoc est quod docet s. Thomas (1. 2. *q.* 76. *a.* 2.) dicens: *Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quae aliquis scire tenetur, est peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea quae scire non potest: unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest.* Studium autem hoc sive diligentia adhibenda ad expellendam ignorantiam, ut recte advertit Sylvius cum Medina, et Richardo (3), non debet esse summa, sed sufficit si sit moralis, et talis quam prudentes communiter adhibere solent in re gravi; superveniente enim dubio indoctus debet consulere peritos: doctus vero consulere libros, vel cum aliis doctis rem conferre.

34. Hanc denique sententiam observo communiter teneri ab auctoribus, non solum probabilistis (qui eam non iam ut probabilem, sed *tanquam certissimam apud omnes* agnoscunt, sicut scribit Suarez), at etiam antiprobabilistis; etenim de Sainte Beuve doctor sorbonicus sic ait: *Si advertatur tantum in actum materialiter sive physice consideratum et non formaliter seu moraliter, erit tantum volitus actus, ut est quid physicum, et non ut est quid morale, ergo non ut malum; et in hoc non erit malitia* (4). Cardinalis Gotti scribit: *Dico secundo, ad peccatum mortale sufficere advertentiam implicitam seu virtualem malitiae actionis vel eius periculi. Etenim eo ipso quo quis dubitat aut suspicatur de malitia suae actionis, vel malitiae periculo, et tamen rei veritatem inquirere negligens actionem ponit, censetur interpretative et ipsam malitiam velle* (5). P. Wigandt pariter inquit: *Dico* 1. *Deliberatio, seu advertentia est duplex: una est plena et perfecta, quae adest quando homo advertit, non solum ad operationem quoad entitatem naturalem eius, v. g. ad esum carnium, sed etiam ad eius malitiam, aut periculum transgressionis legis: alia est imperfecta, etc. Dico* 2. *Ut aliquid in individuo*

(1) Salm. tr. 20, c 13. n. 7.
(2) Suar. in 3. p. to. 5. D. 4. sect. 8. n. 18
(3) Sylvius in 1. 2. q. 76. a. 3. concl. 1. et deinde q. 3. concl. 1. (4) Sainte Beuve de pecc. D. 5. sect. 1. a. 3. (5) Gotti tr. de vitiis q. 1. dub. 4. §. 3. n. 11.

imputetur ad culpam mortalem, debet adfuisse plena et perfecta deliberatio (1). Consentit his s. Antoninus, qui ad peccandum mortaliter in delectatione morosa requirit, non solum deliberationem, sed etiam animadversionem periculi, his verbis: *Aut ergo manet talis complacentia post sufficientem deliberationem, et animadversionem periculi, et tunc est mortale* (2). Alio loco inquit: *Defectus recti iudicii ad considerationis vitium pertinet, prout scilicet aliquis in recte iudicando deficit, ex eo quod contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum iudicium procedit* (3). Consentit etiam continuator Tournely, qui sic concludit: *Itaque, ut intra veri limitis gradum sistamus, existimamus eum, qui ita non advertit ad peccati malitiam, ut vel naturali raptus distractione, vel ob similem causam advertere non possit, peccato non teneri. Sic excusabitur poenitens, qui iniunctam poenitentiam prae oblivione non implet. Verum aliter dicendum de actionibus, quas eliciunt aut omittunt viri terrenis rebus absorpti, passionibus suis servientes, assueti ut nequidem cogitent se non cogitare* (4). Sed idem iam nos admisimus supra *n.* 28. *ad* 31. Consentit etiam Antoine, qui agens de ignorantia dicit, inadvertentiam sive inconsiderationem esse culpabilem in eo, qui debitam diligentiam omittit, vel qui praecipitanter agit iam advertens rem indigere maiore consideratione, vel qui actu positivo vult sequi passionem quae advertentiam impediat. *E contra* (dicit) *si inadvertentia sit invincibilis in homine habente cognitionem habitualem debitam, est prorsus inculpabilis, et excusat a peccato ea quae ex illa fiunt contra legem; quia malitia actus tunc nullatenus ne interpretative quidem est voluntaria; nam sine potestate cognoscendi non potest esse volitio* (5).

35. Hinc concludendum, quod opinio eorum (si forte adsunt) qui dicunt operanti adversus legem imputandos esse omnes errores quos committit, etiamsi nulla unquam intercesserit actualis advertentia, nec directa, nec indirecta, in se, vel in causa, saltem in confuso, sed tantum adfuerit advertentia interpretativa, in hoc dumtaxat consistens, quod ipse debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam advertere: haec opinio nullo modo sustineri potest; alias sequeretur quod plurimi homines multis mortalibus culpis gravatos se invenirent, quin circa illas ullam cognitionem unquam habuerint. Dicent quod homines illi in poenam aliarum culparum, puta ob cupiditates suas non repressas, obligationes proprii status non impletas, ceterasque negligentias merentur subtractionem lucis, qua alioquin bene advertissent operationum suarum malitiam, et ideo omnes sui errores imputantur ad culpam. Sed ut illatio haec valere posset, prius probanda esset supposita propositio, quae nobis minime probatur: nam ratione aliorum defectuum Deus privabit aliquem sua ulteriore luce, qua tentationibus et passionibus propriis restitisset, nisi defecisset in aliis, itaque subtractio illa efficiet quod talis homo incidat in culpas, quas satis advertit ut culpas; sed non efficiet quod ei imputentur errores, quos nullo modo, neque expresse, neque in confuso ut culpas agnoscit; quia ubi non est cognitio, non est libertas; et ubi non est libertas, non est peccatum. Instabunt. Sed s. Thomas (*Lect.* 7. *in cap.* 1. *epist. ad Rom.*) dicit: *Si ignorantia causatur a culpa, non potest subsequentem culpam excusare.* At hoc dicimus sane intelligendum de ignorantia voluntaria aliquo ex modis, ut supra ab eodem Angelico explicatis. Praeterquam

(1) Wig. tr. 4. Ex. 2. de pecc. n. 50.
(2) S. Ant. p. 2. tit. 5. c. 5. in fin.
(3) Idem ibid. c. 11. sub init.

(4) Cont. Tour. tr. de pecc. c. 4. a. 1. part. 1. (5) Antoine part. 1. tr. de peccat. cap. 4. q. 7. v. Quare.

quod s. Doctor loquitur ibi de infidelibus, quibus errantibus in fide, ob eorum certe culpabilem ignorantiam, merito imputantur ad culpam omnia mala quae patrant.

36. Praeterea si absque ulla advertentia imputantur homini omnes sui errores, quamvis ipse, debita diligentia iam adhibita, recte operari iudicet, sequeretur quod ad honeste operandum non sufficeret sequi sententias (si sint minus tutae) nec probabiliores, nec probabilissimas, nec etiam moraliter certas. Sed hoc dici nequit, cum ab Alexandro VIII. damnata sit prop. 3. quae dicebat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

37. Remanet obiectionibus prolixis adversariorum satisfacere, sed nos brevi expediemur. Opponunt I. illud in *reg.* 13. *iuris in* 6. ubi dicitur: *Ignorantia facti, non iuris excusat.* Sed huic bene respondet Sylvius (1) id intelligi de statutis forensibus, uti iam explicat Glossa ibidem; in foro enim iudiciali post legis promulgationem ignorantia transgressorum ordinarie praesumitur vincibilis; nisi adsit aliqua ratio, quae contrarium praesumere faciat, ut habetur in *cap. In tua tit. Qui matrim. accus., etc.*

38. Opponunt II. quod si ad omnia peccata requireretur actualis advertentia, inculpabiles reputandi essent Iudaei crucifigentes Dominum, Pagani occidentes martyres, et Haeretici innumera crimina perpetrantes. Sed uno verbo his omnibus respondetur, nempe quod horum omnium ignorantia fuit et est omnino crassa. Loquens enim Christus Dominus de Iudaeis, dixit: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent. Ioan.* 15. 24. Idem quippe dicendum de Infidelibus, et Haereticis, quibus ob suam malitiam vel supinam negligentiam omnes sui errores iuste imputantur ad culpam.

39. Opponunt III. quod sententia requirens aliquam advertentiam actualem non differt ab ea, quae peccatum philosophicum tuebatur a culpa theologica immune. Sed respondetur, quod ideo praefata opinio proscripta fuit ab Alexandro VIII., quia ille qui operatur contra rectam rationem, ut supponitur in peccato philosophico, etiamsi non reputet laedere Deum, reipsa iam laedit, offendendo enim naturam rationabilem, offendit simul ipsius naturae Auctorem. Sed in tali peccato semper requiritur, ut homo advertat suam actionem rectae rationi adversari. Quid ergo commune est inter peccatum philosophicum, et actionem illam, qua quis nullo modo, ne in confuso quidem advertit esse malam, et forte aliquando bonam reputat?

40. Praeterea ad hoc, ut peccatum sit mortale, requiritur plenus consensus voluntatis, ut communiter omnes dd. catholici docent, Contensonius, Tournely, Gonet, Wigandt, Gotti, Concina, Sanch. Salmant. Cardenas, etc. ex s. Thom. 1. 2 *q.* 88. *a.* 6. Ratio est, quia ad peccatum consummatum requiritur perfectum voluntarium, quod idem est, ac plenus consensus (2). Potest tamen voluntas assentiri gravi culpae cum consensu indirecto, nempe cum vult causam praevidens effectum, ut superius dictum est; sed hoc intelligitur cum adest obligatio impediendi effectum, nam si in aliquo casu non adest talis obligatio, excusabitur quidem (causam ponendo) a malitia effectus, cum positive non vult, licet illum praevideat (3).

41. Notandum I. post intellectus advertentiam, tribus modis posse voluntatem ferri circa obiectum peccaminosum sibi propositum, 1. positive in illo consentiendo, 2. positive resistendo, 3. negative se habendo, nec consentiendo, nec resistendo. Hinc fit quaestio, an graviter peccet, qui negative se habet, et

(1) Sylvius 1. 2. q. 76. a. 3. q. 1. concl. 7.

(2) Lib. 5. n. 5. (3) Ib. v. Praenot. II.

positive non resistit appetitus sensitivi motibus circa obiectum graviter malum? Generaliter loquendo iuxta sententiam veriorem Gerson., Sanch., Castrop., Salmant. cum s. Thoma et aliis, iste leviter peccat, non vero graviter; nam periculum consensus, quod potest esse in non resistendo, non est proximum, sed tantum remotum (1).

42. Sed secus procedit in delectatione carnali, cui (iuxta sententiam communem DD.) tenemur sub gravi positive resistere, quia istae, cum sunt vehementes, de facili possunt sibi trahere voluntatis consensum, si ipsa positive non resistit (2).

43. Quomodo autem huiusmodi carnis tentationibus resistendum sit, auctor quidam modernus quoad fraenandam externam et sensualem commotionem dicit, multum prodesse, vestibus tegere, et comprimere partes commotas. Quoad praeservandam animam a consensu, iuvant devotae cogitationes super Iesu Christi morte, super inferno, aut morte: et valde quoque proderit animo revolvere conscientiae remorsus, quos anima, patrato peccato, sensitura erit cum advertet Deum amisisse. Sed maxime quoque iuvat, imo necesse est in huiusmodi tentationibus ad orationem confugere; nam (teste Sapiente) castitas obtineri non potest, nisi a Deo, et per orationem: *Et ut scivi, quod aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adii Dominum, et deprecatus sum. Sap.* 8. 21. Invigilet confessarius ad insinuandas poenitentibus praecipue recidivis, istas considerationes, ne eorum sequatur exemplum, quibus satis est ab ore poenitentis audivisse, se amplius nolle peccare, et nullo alio interposito sermone, eos absolvunt. Prae caeteris eos moneat, ut in turpibus tentationibus, ne cum eis mente sermocinentur, sed propositum renovent se mori potius esse paratos, quam assentiri Dei offensae, et ut inde statim invocent pluries cum fiducia SS. Nomina Iesu, et Mariae, hac invocatione intendentes eorum auxilium exposcere. Dixi, *ne mente cum tentationibus sermocinentur*; omnes enim spiritus magistri advertunt quod in huiusmodi sensus tentationibus, sicut etiam in illis contra fidem, satius esset mentem alio divertere, quam manu cum eis (ut dici solet) confligctari; contrariis voluntatis actibus obsistendo, et rationes exquirendo, quibus sibi suadeat, cur consentire non debeat. Cum vero motus sunt leves, melius erit, quin resistat, si eos contemnat (3).

44. Et insuper advertatur non esse obligationem resistendi tentationibus, et motibus carnalibus, cum adest iusta causa positive non resistendi, puta si quis expertus esset, resistendo magis augeri motus, et contra contemnendo cessari: aut si motus proveniant ex aliqua necessaria, aut utili actione, sicut est ab audiendis confessionibus, aut a legendis libris, ut discatur disciplina moralis, aut medica, aut a tactibus necessariis in medendo, et similibus. Nam tunc (ut docent DD.) non tenemur opus omittere propter huiusmodi involuntarios motus, nec resistere positive, si illi motus durarent, et magnae esset molestiae debere semper eos positive repellere. Satis tunc erit dare operam, ne consentiat: dum haec ipsa diligentia erit sibi sufficiens reluctatio. Ita Tolet. Caiet. Laym. Tournely, Azor, Sanch. La-Croix, etc. (4).

45. Notandum II. peccata omissionis requirere actum positivum, et deliberatum voluntatis in consentiendo omissioni operis praecepti, ut bene docent *Gonet*, *Filliuc.* et *Salm.* quidquid dicant alii (5). Insuper advertendum omissiones, quae proveniunt a causa prius posita, non imputari ad peccatum tunc, cum omittitur praeceptum, sed cum ponitur

(1) Lib. 5. n. 6. (2) n. 7.
(3) Vide lib. 5. n. 8. (4) Lib. 5. n. 9.
(5) Vide Salm. tr. 20. c. 10 n. 11.

causa, ut recte dicunt *Sanch. Becan. Filliuc.* contra alios. Hinc qui causam ponit praevidens effectum, exemp. gr. qui ebriatur praevidens se omissurum Sacrum, etsi accideret, ut postea Sacro adesset, etiam ei confitendum esset peccatum omissionis, quia praestitit consensum, cum causam posuit, nempe ebrietatem (1). Nihilominus si peccato consummato annexa sit censura, et quis, antequam effectus sequatur, se retractaret, tunc esset reus effectus praecogniti, sed non incurreret censuram; quia censura requirit contumaciam eodem temporis momento, quo peccatum consummatur (2). Si quis omitteret Sacrum, ut iret venatum, aut ut ludo vacaret, sat erit si tantum confiteatur Missae omissionem; quia ideo ludus, et venatio sunt illi peccatum mortale, quia sunt causa omissionis Sacri (3).

46. Notandum III. propositionem, quae dicebat non esse mortale, nec mereri poenam aeternam peccatum philosophicum, nempe illam culpam, quae dignoscitur esse contra rationem, sed non contra legem divinam, quae his verbis adnotatur: *Quod in eo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, sit grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei; neque aeterna poena dignum*, merito fuisse damnatam ab Alexandro VIII., quia qui advertit opus suum esse naturae rationabili adversum, advertit saltem in confuso iniuriam quae irrogatur naturae auctori, qui est ipse Deus.

PUNCTUM II. *De peccatis in particulari, de desiderio, complacentia, et delectatione morosa.*

47. *Desiderium, gaudium, et delectatio.*
48. *An in delectatione explicanda sit species.*
49 *Delectatio de opere malo, et de mala cogitatione.*
50. *Desiderium mali, si esset licitum.*
51. *Delectatio et desiderium inter sponsos etc. et inter coniuges.*
52. *Delectatio de causa mala ob bonum effectum.*
53. *De damno alterius ob bonum finem.*
54. *De rebus prohibitis lege positiva.*

47. Inter cogitationes peccaminosas distinguenda sunt inter se desiderium, gaudium, (sive complacentia), et delectatio morosa. *Desiderium* respicit tempus futurum, et est cum homo deliberate cupit opus malum opere complere. Hoc desiderium dicitur efficax, cum quis proponit illud exequi, inefficax cum consentit in voluntate exequendi, si posset: v. g. si diceret, vellem surripere thesaurum ab ecclesia, si possem. *Gaudium* respicit tempus praeteritum; et est quando homo complacet sibi de malo patrato. *Delectatio morosa* denique respicit tempus praesens, et est cum quis praesentem sibi imaginatur actum peccati, et de illo oblectatur, ac si tunc illum exequeretur. Et dicitur *morosa*, non quia opus sit longa mora, ut fiat peccatum; quia illa potest momento compleri; sed ob moram deliberatam, quam voluntas facit (4).

48. Hoc posito, notandum 1. tam desiderium, quam complacentiam comprehendere totam malitiam, et omnes species, quibus obiectum induitur; unde si quis v. g. cupit cum aliqua coire, vel sibi complaceat de copula habita cum illa, debet explicare qualitatem mulieris, an sit coniugata, an habeat votum castitatis. Ideoque bene docent Salm. (5) cum Lugo, Castrop., etc. quod si quis se iactat de peccato patrato, debet explicare in confessione omnes species illius, quia in se iactando regulariter adiungitur ad iactantiae malitiam etiam complacentia de peccato commisso (6). An autem idem dicendum de delectatione morosa, quaestio est. Alii affirmant, ut Caiet. Less. Sanch., etc.; alii negant, ut Azor. Lugo, Bo-

(1) Lib. 5. n. 10. v. Notandum III.
(2) Ib. in fin. (3) n. 9 v. Hic demum.
(4) Vide Opus nostrum l. 5. n. 15.
(5) Tr. 20. c. 3. n. 66. et 67. (6) L. 5. n. 26.

nac. Laym. Coninch. Castropal., etc. qui dicunt, quod si quis delectatur de copula coniugatae, non ut coniugatae, sed tantum ut pulchrae, non committit adulterium, siquidem adulterii circumstantia non intrat in delectationem, prout intrat in desiderium, et in complacentiam, quae (ut dictum est) totum obiectum, ut in se est, exhauriunt, nec possunt praescindere ab illius circumstantia. Haec opinio speculative loquendo est valde probabilis, sed in praxi dico cum *Holzman*, sine dubio esse explicandas in delectatione omnes obiecti circumstantias, quia in illa adest periculum proximum desiderii pravi peccandi cum huiusmodi persona (1).

49. Notandum 2. aliam esse delectationem de malo, cum opus malum est obiectum delectationis: et haec delectatio sine dubio est graviter peccaminosa, si opus est culpa gravis. Aliam esse delectationem de cogitatione operis mali, cum non delectatur de opere malo, sed tantum de cogitatione illius: v. g. aliquis legit materias turpes, et non delectatur de illis, sed tantum de illarum lectione. Haec delectatio etiam potest esse gravis, cum adest proximum periculum consensus: sed cum non adest tale periculum, erit tantum venialiter mala; imo omni culpa carebit, cum iustam habet causam legendi, aut cogitandi de huiusmodi materiis, causa v. g. studendi, medendi, aut confessiones auscultandi, etc. Ita s. Thom. 1. 2. *q*. 74. *a*. 8. *et* s. Anton. Sanch. Less. Bonac. Salm. aliique communiter (2).

50. Quaeritur 1. An peccet graviter, qui concupiscit obiectum graviter malum, sed sub conditione si esset licitum? in rebus prohibitis lege positiva, certo negandum. Dubium restat in prohibitis lege naturali. Et tunc ita distinguendum: si conditio abstrahit totam malitiam peccati, v. g. si quis diceret, si Deus mihi permitteret, vellem equum Titii mihi accipere, hic non peccaret, vel saltem non graviter: secus autem si conditio non aufert malitiam, v. g. peccarem si non adesset infernus; occiderem si non essem sacerdos, et huiusmodi alia. Et idem rationabiliter dicunt Sanch. Laym. Azor. de eo, qui diceret: si non esset peccatum ulciscerer, blasphemarem, etc. nam cum haec sint intrinsece mala, nunquam abstrahi possunt a sua malitia. Quamvis probabiliter dicant Sanch. Bonac. Castropal. Vasq. Sa, Valent. et Salm. cum Caiet. et aliis, quod cum quis cupit aliquid malum sub conditione si non esset malum, nunquam concupiscit malum revera, sed tantum ostendit inclinationem ad illud, quod ad mortalem non attingit. Qui vero optaret absolute, ne esset prohibitum, quod est intrinsece malum, non potest excusari a mortali dum ex se malum est velle invertere ordinem et legem naturae, ut recte dicunt Salm. (3).

51. Quaeritur 2. An sponsus possit delectari de congressu cum sponsa sub conditione, si esset sibi uxor, aut cogitando ad tempus, quo erit uxor? Alii absolute admittunt: alii admittunt, modo delectatio sit de solo appetitu rationabili, praeciso periculo appetitus sensitivi, nimirum sine spirituum commotione. Sed nos cum Sanchez, Suar. Layman, Azor. Salmant. Holzman, Roncaglia, Croix, etc. dicimus, neutrum esse admittendum, quia delectatio facit obiectum sibi praesens, et cum sit tunc praesens obiectum a conditione cohonestante praecisum, tunc obiectum certe est malum, et quamvis consensus sit conditionatus erga obiectum, est tamen absolutus erga delectationem (4). Aliud est autem, ait Roncaglia, si sponsus desiderat simpliciter copulam futuram cum sponsa, quando sibi erit uxor: quia tunc optat rem ad tempus, quo revera illa sibi licita erit. Sed hoc non obstante ego subiungo, quod per huiusmodi

(1) Lib. 5. n. 15. in fine. (2) n. 17.

(3) L. 5 n. 13. v. Quaer. (4) n. 14. et 24.

desideria, cum quis moratur in iis cogitationibus, magnum subest periculum delectationis praesentis: ideoque debet confessarius omnino prohibere ne sponsi in huiusmodi desideriis morentur. Contra valde probabile est, per se non esse mortale se delectare de copula habita, vel habenda cum sua uxore absente (quidquid dicant Salmant. et Roncaglia, qui affirmant, si delectatio habeatur cum commotione spirituum), dum semper ac periculum pollutionis abest, matrimonium ipsum licitos reddit tactus impudicos inter coniuges (qui sine dubio nequeunt esse sine commotione aut saltem sine proximo periculo commotionis, et tamen eos ipsi Salmanticenses et Roncaglia non damnant de mortali), ita reddit per se licitam ipsam delectationem copulae; huius sententiae sunt s. Anton. Caiet. Coninch. Vasq. et Croix cum Suar. Gers. Laym. etc. (1), et expresse eam docet etiam s. Thomas (2).

52. Quaeritur 3. An liceat oblectari de aliquo opere intrinsece malo quod accidit ob bonum effectum inde secutum? Distinguendum: si opus est formaliter malum, nempe cum peccato patratum, pro certo est apud omnes non licere delectari de illo. Si autem accidit sine peccato, non desunt qui admittunt posse delectari de illo, uti de causa boni effectus; nos vero cum Sanchez, Laym. Croix, Salmant. Roncaglia, etc. dicimus talem delectationem semper esse illicitam: quia licet opus non fuerit peccaminosum, nihilominus semper fuit obiective malum. Et hoc videtur non posse amplius revocari in dubium post proposit. 15. damnatam ab Innoc. XI. quae dicebat: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.* Nec obstat quod dicit s. Thomas (3): *Si autem placet* (nempe nocturna pollutio) *ut naturae exoneratio peccatum non creditur.* Dum hoc intelligendum de pollutione pure naturali, quae provenit a natura se exonerante, ideoque cum non sit obiective mala, licet delectari de exoneratione ob eam obtenta. Contra (per se loquendo) licet delectari non de causa peccaminosa, sed de effectu inde secuto ut de exoneratione ob pollutionem habita aut de acquisitione haereditatis orta ex homicidio. Dictum est *per se loquendo*, quia etiam delectatio solius effectus, ut dicunt Salm. et Ronc., non caret aliquo periculo (4).

53. Quaeritur 4. An licitum sit delectari, aut optare damnum proximo propter aliquem bonum finem? Praenotandae hic sunt duae propositiones damnatae ab Innoc. XI. nempe 13. quae dicebat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare: non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Et prop. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.* Hae fuerunt merito damnatae, quia secundum ordinem charitatis vita proximi praeferenda est cuicumque nostro temporali emolumento bonorum, aut honorum. Contra licet gaudere, et cupere damnum temporale proximi, ob bonum commune aut innocentis, aut proximi; ita docent Toletus, Nav. Bonac. Salm. Ronc., etc. cum s. Thoma (5), qui sic loquitur. *Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere, in quantum est impedimentum malorum alterius, vel communitatis, vel Ecclesiae.* Item scribit s. Gregorius: *Evenire plerumque potest, ut non amissa charitate, et inimici nostri ruina laetificet, et rursus eius gloria*

(1) Lib. 5. n. 25. (2) qu. 15. de malo a. 2. ad 17. (3) In 4. dist. 9. q. a. 4. q. 1. ad 5. (4) Lib. 5. n. 20. (5) In 3. Sent. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4

sine invidiae culpa contristet; cum et, ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo, plerosque iniuste opprimi formidamus. Mor. lib. 22. *c.* 22. Quare licet (semper tamen servato ordine charitatis) optare aut sibi complacere de infirmitate aut morte impii, ad exemplum aliorum, et ut cesset ille a praebendis scandalis, aut ruinae esse alio modo animabus. Ita etiam gaudere licet de damno temporali privati ad vitandum damnum commune. Ita etiam dicunt Salmanticenses, et Roncaglia, posse patrem cupere mortem filio, si iuste timet ne ille dedecori futurus esset familiae (1). Ita etiam Sotus, Castrop. Trullench. Granad. Viva, Felix Potestas (contra Nav. Salmant., etc.) permittunt sibi posse mortem optare, si minus duram putaret esse sibi mortem quam vitam adeo molestam ob infirmitatem, paupertatem, aut aliam molestiam, qua afficitur. Et hoc mihi non videtur improbabile; ut contra videtur improbabilis mihi cum Roncaglia, et Salmant. opinio Azorii, et Bonac. licitum esse matri mortem filiae optare, quia eam in matrimonium collocare nequit ob eius deformitatem aut paupertatem familiae, aut quia ipsa mater vexatur a viro illius causa (2).

54. Oblectari autem de rebus solum a lege positiva vetitis, uti est in diebus ieiunii oblectari de carnibus, etc. hoc semper licitum est, aut saltem non est culpa gravis. Sed contra, ei qui ex inadvertentia in die ieiunii carnem comedit, non licet de hoc delectari (3).

PUNCTUM III. *De peccatorum distinctione.* 1. *Quoad speciem,* 2. *quoad numerum.*

55. *et* 56. *De distinctione specifica.*
57. *De numerica, et de I. radice a multiplicitate actuum.*
58. *ad* 61. *Circa actus internos.*
62. *et* 63. *Circa actus externos.*
64. *et* 65. *De II. radice a diversitate obiectorum totalium.*

55. Et I. Quoad speciem quaeritur primo a doctoribus a quibus radicibus desumenda sit distinctio specifica peccatorum? s. Thomas docet desumendam ab obiectis vitiosis specie diversis: Scotus contra ab oppositione ad diversas virtutes, quibus opponuntur peccata. Utraque sententia est probabilis: secunda tamen, ut fatetur etiam Tapia Thomista, est facilior ad distinguendas species peccatorum. Quare dicimus distinctionem specierum desumi a duabus radicibus, prima ab oppositione ad diversas virtutes, ut dictum est. Sed quia aliqua peccata opponuntur eidem virtuti, ut blasphemia et periurium, ambo opponuntur religioni, ideo dicimus secundam radicem desumendam a diversa deformitate eidem virtuti opposita. Hoc tamen valet, ut distinguantur peccata commissionis; peccata enim omissionis quoad speciem distinguuntur tantummodo ab obiectis, quae omittuntur, v. g. omissio Sacri et ieiunii ambo adversantur Ecclesiae obedientiae, et in tantum sunt diversae speciei, in quantum Sacrum et ieiunium sunt obiecta diversae speciei (4).

56. Quaeritur secundo, an peccatum ex *obiecto* leve possit propter aliquam circumstantiam devenire ad gravitatem speciei superioris? Vasq. et Durandus negant: sed affirmat sententia communis quam tenent Suar. Castrop. Salmant. et alii cum s. Thoma (5), cum non accidat physice, sed moraliter. Quare aits. Doctor (6) esse graviorem bestialitatem periurio (7). Et ideo regula praedicta metiendi gravitatem peccati ex oppositione ad superiorem virtutem currit tantum, quando peccata sunt maxima adversus aliquam virtutem, non autem cum comparatur maximum peccatum adversans uni virtuti cum minimo adversante alii virtuti (8).

(1) L. 5. n. 21. v. Licitum. (2) n. 22. (3) n. 27. (4) Lib. 5. n. 30. 31. et 32.

(5) 2. 2. q. 10. a. 3. ad 1. (6) 2. 2. q. 154. a. 12 (7) Lib. 5. n. 34. (8) Lib. 5. n. 34.

57. II Quoad numericam distinctionem, dicimus pariter ex duabus radicibus desumendam, 1. *Ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum*. 2. *Ex diversitate obiectorum totalium* (De hac secunda dubitant DD., sed nos iuxta nostram sententiam, de qua in fine huius puncti *num.* 64. agemus). Et loquendo de prima radice, ut dignoscatur quandonam actus voluntatis moraliter interrumpantur, plures oportet facere distinctiones.

58. Primo oportet distinguere actus internos ab externis. Et quoad internos, distinguendum, cum hi possint esse aut circa peccata interna (*cordis* dicta) quae interius consummantur, ut sunt odium, haeresis, prava desideria, delectatio morosa, et huiusmodi: aut circa peccata externa (*oris et operis* dicta) quae externe perficiuntur, ut sunt blasphemiae, furta, etc. Hoc posito dicimus actus internos circa peccata *cordis*, odia, desideria, etc. statim ac multiplicantur, interrumpuntur; itaque tot sunt peccata, quot sunt actus consensus voluntatis: ut communiter Suar. Azor. Vasq. Castrop. Bonac. Salm. Tourn. Conc.; et alii contra Canum, et Lugo, qui tenent per somnum, aut per distractiones non interrumpi, sed solum per contrariam voluntatem. Sed haec opinio non est mihi satis probabilis; unde dico teneri poenitentem ad explicandum, si potest, numerum actuum internorum, quibus praestitit consensum; si non potest, saltem tempus in quo in tali pravo animo perseveravit, explicando saltem in genere, si eae interruptiones (praeter ordinarias somni, etc.) fuerint rarae, an frequentes. Si enim praedicti actus procederent ab uno, et eodem impetu passionis, dicunt Lugo, Viva et Tamb. (et id videtur probabile) tunc eos, quamvis intercederet aliquod intervallum, sed breve, constituere unum peccatum (1).

59. Quoad actus internos circa peccata externa *oris* et *operis*, ut detractionis, homicidii, etc. haec bifariam moraliter interrumpuntur: 1. voluntatis retractatione; 2. voluntaria cessatione, nempe si voluntarie a pravo proposito cessat; nam si post cessationem voluntariam a proposito iterum illud reassumit, tunc novum committit peccatum (2).

60. Certum igitur est apud omnes tam per retractationem, quam per voluntariam cessationem interrumpi actus internos circa peccata externa. Sed quaestio est, an per ordinarias interruptiones interrumpatur pravum propositum circa peccata externa. Alii affirmant, ut Vasq., Henno et Diana, et haec opinio est satis probabilis. Sed probabilior est altera Salmanticensium, Vivae, Roncag. et Concinae; quod si perseveret propositum per breve tempus, actus replicati non interrumpantur; interrumpuntur autem, si tempus est diuturnum; et opinio aliorum, quod quantumlibet temporis pravum propositum duret, actus non interrumpuntur, est contra communem sententiam, quare id mihi non videtur probabile. Quodnam autem tempus iudicandum sit longum in hac materia, p. Concina putat unum diem; Roncaglia duos, alii quatuor, aut quinque; ego autem sentio posse idem pravum propositum duos, aut tres dies perdurare, sed non amplius; dum existimo concupiscentiae sive passionis vehementiam (regulariter loquendo) difficulter ultra duos, aut tres dies posse persistere. Quare dico, quod si pravum propositum praecedat actum duobus aut tribus diebus, potest accipi pro uno peccato una cum actu externo consummato. Sed si quis perseverat diutius tribus diebus, ille debet explicare tempus: et tunc confessarius accipiet in confuso numerum actuum eo tempore interruptorum per quamlibet morulam somni, coenae, distractionum, etc. prout sunt coram Deo, tunc utendo prima opinione Vasq. etc. nempe actus internos per quam-

(1) Vide lib. 5. n. 37.

(2) Lib. 5. n. 38.

cumque morulam semper interrumpi (1).

61. Advertendum nihilominus, hoc non procedere cum actus voluntatis, qui proficiscuntur a primo pravo proposito, perdurant in aliquo effectu, qui conducit ad perficiendum unum dumtaxat peccatum externum; quia tunc quantumcumque temporis perduret prava voluntas, illi actus unum constituunt peccatum. Hinc qui proponit occidere inimicum suum, et ideo parat arma, insidias struit, et postea eum occidit: licet tunc plures et plures dies reiteret actus suae pravae voluntatis, unum peccatum committit: ita omnes dd. cum s. Thoma (2). Ita etiam fur unum peccatum committit, si ipse semper perseverat (licet diutius) in sibi proposita a principio voluntate furandi, vel non restituendi; quia in illa voluntaria et numquam retractata retentione virtualiter durat in effectu prima voluntas, ut valde probabiliter docent Nav., Lugo, Sairus, Trull., p. Nav., Roncaglia, Diana, Malder. et Salmant. (contra Suar. Bonac., etc.). Recte tamen advertit Diana, quod si fur aliquando sit impotens restituendo, et postea iterum fieret potens et non restitueret; tunc novum committeret peccatum; tunc enim tempore impotentiae non perseveravit in effectu voluntas non restituendi (3).

62. Hoc quoad actus internos peccatorum, quae externe perficiuntur Quoad autem ipsos actus externos, isti tunc moraliter interrumpuntur, cum non respiciunt aliquem actum completum, v. gr. si quis pluries percutit inimicum, non habens animum eum occidendi, tunc omnes illae percussiones sunt distincta peccata, quia quilibet actus habet suam distinctam malitiam. Idem dicendum de tactibus turpibus, sine intentione coeundi adhibitis. Contra advertendum, quod bifariam actus externi uniuntur, et unum constituunt peccatum: 1. si procedunt ab ipso impetu, cum quis eodem iracundiae tempore pluries blasphemat, iniuriis aliquem afficit, percutit, aut detrahit, sive eadem concupiscentiae vehementia pluries turpiter tangit; ita communiter Nav., Less., Castropal., Bonac., Concina, Viva, Salmant. etc. 2. Si actus externi moraliter ordinentur ad idem peccatum consummandum, prout qui accipit arma, inquirit inimicum, et postea eum occidit. Item si quis ad copulam consummandam praemittit verba, oscula, etc. Itaque tunc sufficiet tantum explicare commisisse homicidium, aut copulam. An autem explicandi sint tactus statim copulam subsequentes? Respondetur probabiliter negative; semper ac tactus (et idem est de complacentia, quae habetur de copula) statim post copulam habeantur, et non dirigantur ad novam copulam; quia tunc verosimiliter tactus illi adhibentur ad primae copulae complementum (4). Sed hic notandum cum p. Viva, et communi (ut ipse asserit) omnia media externa adhibita ad exequendum peccatum, prout sunt tactus et verba obscoena, ac etiam iter susceptum, ascensus in domum meretricis, parare arma ad vindictam, et huiusmodi, omnia haec explicanda sunt in confessione tamquam peccata distincta numero, quando peccatum intentum executioni non mandatur; quia illae actiones iam externatae omnes informantur a malitia pravi finis (5).

63. Quaeritur, si quis habens animum suscipiendi 100. aureos, centum vicibus susciperet, quot peccata committit? La-Croix putat centum peccata committere, quodlibet enim furtum suam propriam habet malitiam. Sed probabiliter Holzman sentit, satis esse confiteri furtum 100. aureorum, tamquam unum peccatum, dum caeteri actus tendunt ad complendum furtum intentum. Si autem non est intentum ad centum, certe distincte explicanda sunt omnia furta gravia (6).

(1) n 39. (2) In 2. dist. 42. q. 1. art. 1. (3) Lib. 5. n. 40. (4) Lib. 5. n. 41.

(5) n. 42. (6) n. 44

64. Hactenus de prima radice: loquamur de secunda, nempe de diversitate obiectorum totalium. Quaestio est tamen inter dd. an per hanc radicem multiplicentur peccata, v. gr. si quis unico ictu sclopeti plures occidit, an committat plura peccata? Alii negant, ut Suar. Lugo Laym. Anacl. Viva, etc. sed nos cum Azor. Tournely Concina Salmant. Diana Croix, etc. et communi affirmamus, quia idem actus, sicuti potest continere plures malitias specie distinctas, ita pariter potest habere plures distinctas numero: et hoc etiam contra eamdem virtutem; puta si coniugatus committit adulterium cum coniugata. Hinc dicimus plura committere peccata 1. Qui uno ictu sclopeti plures occidit homines; aut unica detractione multos unius familiae infamat: aut unico sermone pluribus est scandalo. 2. Qui unica vice furatur a pluribus, sed hoc non intelligitur, si furaretur bona monasterii, aut capituli, quia ea bona pertinent ad communitatem, non vero ad particulares. 3. Qui unico actu voluntatis proponit plures dies omittere officium, aut ieiunium; aut malum optat pluribus, vel cupit ad plures foeminas accedere, aut pluries ad eamdem, fortius si pluries successive cum aliqua rem habet (1).

65. Si autem aliquis negat plures Fidei articulos, unum committit peccatum; nam, cum unum sit obiectum Fidei, nempe veritas Dei revelantis; aeque infidelis est, qui unum articulum negat, ac qui omnes. Ita pariter qui coram pluribus alicui detrahit, probabile est cum Azorio Molina Lugo, etc. (contra La-Croix) unum peccatum committere dum unicum est apud omnes ius ad famam. Item qui plura mala exoptat inimico, v. gr. infamiam, mortem, etc. sed sub una mali ratione ea apprehendit, nempe ut media ad illius perniciem, probabiliter cum Caiet. Lugo Valent. Bonac. Croix, etc. committit unum tantum peccatum, et ei satis est confiteri: *Exoptavi grave malum proximo*: sed qui efficaciter optasset in suum inimicum diversa mala inferre, aut optasset specifice et in particulari ut praedicta mala illi acciderent, tunc debet omnia illa distincte confiteri, quia illa sunt diversa peccata (2). Dicunt Salmant. Viva et Lug. cum aliis confessarium, qui est in peccato mortali, plures successive absolventem, unum committere sacrilegium. Sed nos dicimus cum Bonac. Escobar. Concina Tournely Croix, etc. tot sacrilegia, quot sunt personae, quas absolvit, quia quaelibet absolutio est distinctum Sacramentum. Secus autem et non improbabiliter dicunt Filliuc. Viva Busemb. et alii de sacerdote in peccato existente, qui pluribus ministrat Eucharistiam, cum una sit tunc administratio, et unum convivium (3). Quot autem peccata committat, qui celebrat Missam in peccato, vide *append.* 3. *n.*11.

Punctum IV.

De peccato mortali et veniali

66. Peccatum mortale est illud, quod privat hominem divina gratia, quae est animae vita, et ideo dicitur mortale. Veniale est, quod non privat gratia, sed minuit charitatem, non quidem Dei erga nos, sed nostram erga Deum. Admonet confessarios s. Antoninus, ne damnent aliquem peccati mortalis, *nisi habeatur auctoritas expressa sacrae Scripturae, aut canonis, aut determinationis Ecclesiae, vel evidens ratio.* Quare ait Sanctus ex d. Thoma, in grave periculum peccandi se coniiciunt, qui sine certitudine faciliter actiones damnant de peccato mortali in talem conscientiam ponendo poenitentes (4).

(1) Lib. 5. n. 46. (2) Lib. 2. n. 30. v. 1. In confess. et l. 5. n. 50. v. Quaer. 5.

(3) Lib. 5. n. 50. v. Quaer. 6. (4) Lib 5. n. 52. circa fin. v. Bene hic.

67. Quaeritur 1. quot modis peccatum, ex genere suo mortale, fieri potest veniale? Tria requiruntur ad peccatum mortale: gravitas materiae, plena advertentia intellectus, et perfectus consensus voluntatis; et ob aliquem horum defectum mortale fieri potest veniale. Et 1. quoad materiam, eius gravitas consideranda est non solum in se, sed etiam ex circumstantiis ex toto, et ex fine intento. Quapropter non datur parvitas materiae, ubi parvitas non minuit offensam, uti accidit in infidelitate, simonia, periurio, vitio turpi, etc. Praeterea advertendum, materias parvas reiteratas tunc constituere materiam gravem, cum ex se, aut saltem moraliter in se coalescunt; ut sunt furtula, parvae omissiones in officio, in missa, aut comestiones modicae in ieiunio eodem die repetitae. 2. Quoad advertentiam, potest excusari a mortali semidormiens, aut semidistractus, aut qui subita et vehementi turbatione ita corripitur, ut nesciat quid agat. 3. Quoad consensum, notetur quod hic non est supponendus perfectus ad peccatum mortale in iis, qui spiritualem agunt vitam, et meticulosae sunt conscientiae, semper ac certi non sint de consensu (1).

68. Quaeritur 2. quot modis contra veniale possit transire in mortale? Respondetur quinque: 1. Ratione *finis adiuncti*, qui ex se sit mortalis, v. gr. si quis dicat verbum leviter inhonestum, sed fine proximum trahendi ad culpam gravem. 2. Ratione *finis ultimi*, et est, cum quis agit aliquid ex se non mortale, sed ea animi adhaesione, ut potius sit paratus ad praeceptum grave transgrediendum, quam illud omittere: v. g. si quis die festivo sit paratus potius ad omittendum Sacrum, quam ludum. Sat tamen tunc erit, si confiteatur tantum voluntatem omittendi Sacrum. 3. Ratione *contemptus formalis* legis, aut legislatoris, ut docet s. Thomas (2), cum aliquis ex proposito legem (etiamsi humanam) transgreditur, quia non vult ei se subiicere: aut ideo superiori non obedit, quia illi non vult subiici; si autem nollet superiori obsequi, aut ex passione, aut quia res est parvi momenti, tunc ait s. Doctor *non peccat ex contemptu, etiamsi peccatum reiteret*. 4. Ratione *scandali* respectu pusillorum, ut in *Tractatu sequenti n.* 28. 5. Ratione *periculi proximi* in culpam gravem labendi (3).

69. Nonnulli AA. dicunt, quod si quis se exponit periculo tantum probabili labendi in mortale non peccat graviter semper ac sit etiam probabile quod non cadat. Sed haec opinio reiicitur a Carden., Busemb., Croix, etc. quia si nobis nefas est uti opinione probabili cum periculo facti de damno alterius, ut dictum est, *Tract.* 1. *n.* 21. quanto minus possumus ea uti cum periculo propriae animae? Tunc lapsus licet sit incertus, certum tamen est periculum. Hoc intelligitur quod peccet graviter, qui se exponit periculo sine iusta causa; hoc enim non currit iuxta communem Nav., Roncag., Hurtad., Salmant., Elbel, etc. de eo qui ex necessitate se exponit (ut dicetur de chirurgo et parocho *Tract.* 9. *n.* 34. *de sexto praecepto*); quandoquidem tunc periculum ex proximo fit remotum, tum propter necessitatem, tum propter media praeservativa quae debet adhibere in huiusmodi occasionibus: nam licet nemo excusetur, etiamsi velit eadem media adhibere, qui praecisa necessitate se exponit periculo, attamen bene excusabitur, qui illi ex iusta causa se exponit, dum huic, non autem illi in occasione auxiliaturus erit Deus, qui indigentibus, non temere agentibus opitulatur (4).

(1) Lib. 6. n. 476. v. Item, et l. 5. n. 53. ad 58.

(2) 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.

(3) Lib. 5. n. 59. ad 63.

(4) Lib. 5. n. 63. Quaer. hic.

TRACTATUS IV.

DE PRIMO PRAECEPTO DECALOGI

Cap. I. *De virtutibus theologalibus.*

1. Ad primum praeceptum primo spectant virtutes theologales, quae sunt Fides, Spes, et Charitas. De singulis seorsim. Et I. Fides definitur: *Est virtus theologica a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum ob divinam veracitatem omnibus, quae Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit.* Dicitur 1. *Virtus theologica*, id est, Deum respiciens, quia Fides, sicut etiam Spes et Charitas directe respiciunt Deum ad differentiam virtutum moralium, quae illum indirecte respiciunt. 2. *A Deo infusa*, quia Fides est donum Dei supernaturale. 3. *Inclinans nos ad firmiter credendum*, nam assensus Fidei non potest esse cum formidine, ut volebat prop. 4. ex damnatis ab Innoc. XI, sed debet esse firmus. 4. *Ob divinam veracitatem*, cum infallibilis veritas (quae est ipse Deus) sit obiectum formale Fidei. 5. *Omnibus, quae Deus revelavit*, cum omnia a Deo revelata sint obiectum materiale Fidei. 6. *Et per Ecclesiam nobis credenda proposuit*, quia divina revelatio nobis non manifestatur, nisi per Ecclesiam, quae eam proponit; est enim evidens per signa credibilitatis (quae sunt prophetiae, miracula, martyrum constantia, etc.) Ecclesiam non posse falli, nec fallere. Quare aiebat s. Augustinus: *Evangelio non crederem nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.*

2. Itaque *obiectum materiale* Fidei (nimirum id quod credere debemus) praecipuum est Deus, et inde caetera omnia a Deo revelata, ut dicit s. Thomas: *Fides quae hominem divinae cognitioni coniungit per assensum, ipsum Deum habet sicut principale obiectum, alia vero sicut consequenter adiuncta.* Obiectum autem *formale* (sive motivum quo debemus credere) est Dei veritas. Quaestio tamen est inter scholasticos, an revelatio etiam sit obiectum formale Fidei? Iuvenin, et alii dicunt Dei veracitatem esse obiectum formale *quod*, sive rationem praecipuam, in qua fundatur Fides. Revelationem autem esse obiectum formale *quo*, nempe medium, quo nos credimus. Sed communior sententia, quam tenent Habert, Gotti et Holzman cum Scoto, etc. vult obiectum formale Fidei esse veracitatem Dei, et revelationem esse tantum conditionem, qua nobis applicetur notitia eorum, quae credimus.

3. Sed deveniamus ad ea, quae nostri instituti laboris intersunt. Altera sunt praecepta explicite credenda *de necessitate medii*, altera *de necessitate praecepti.* Nulli dubium est, quin explicite *de necessitate medii* credenda sint, Deum esse, et remuneratorem esse boni, et iustum vindicem mali. Quoad autem mysteria sanctissimae Trinitatis, et Incarnationis, et mortis Iesu Christi, licet adsit sententia probabilis pro utraque parte, an debeant credi ex necessitate medii, an praecepti; attamen certum est ex propos. 64. ex damnatis ab Innoc. XI. non esse absolutionis capacem, qui ignorat ea mysteria, aut quia agitur de valore Sacramenti, aut quia agitur de mysteriis longe maximis, et momenti valde gravis, ut credantur, ad salutem aeternam consequendam, ac edoctu ita facilibus, ut sine magna difficultate ea addiscere possit poenitens, antequam absolutione sacramentali donetur. Sed ratio potior est, quia poenitens Sacramentum Poe-

nitentiae recipiendo, quod est meritorum Salvatoris communicatio, tenetur illis explicite credere, sive tenetur exercere fidem circa illa mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis. Explicite vero *de necessitate praecepti* debent sciri et credi, saltem in substantia, ut docet s. Carolus Borromaeus in sua *Instructione ad confessarios* 1. Symbolum apostolorum. 2. Oratio dominicalis et salutatio angelica. 3. Praecepta Decalogi et Ecclesiae. 4. Sacramenta, quae cuilibet sunt necessaria, ut Baptismus, Eucharistia, et Poenitentia; caeterorum enim sufficit habere fidem implicitam, cum explicita sit tantum necessaria illis, qui ea suscipiunt.

4. Peccata, quae Fidei adversantur, sunt infidelitas, et haeresis: infidelitas quae triplex est: *Negativa*, eorum nempe, qui nihil audierunt de Fide. *Positiva*, eorum est, qui sua culpa ignorant veritatem Fidei. *Contraria*, est eorum, qui Fidei sufficienter eis propositae repugnant, aut eam contemnunt. In hac infidelitate contraria, sunt paganismus, iudaismus, et haeresis (1).

5. Ad haeresim duo requiruntur, iudicium erroneum intellectus, et pertinacia voluntatis. Quare non est haereticus, qui tantum externe detestatur Fidem, aut qui tantum negative dubitat de ea, credulitatem suspendendo circa aliquem articulum, quia iste non format iudicium: contra vero est haereticus, qui affirmative iudicat aliquod dogma esse dubium: aut qui ideo suspendit iudicium, in quantum virtualiter iudicat dubium esse illud dogma, licet sciat Ecclesiam illud docere. Nec est haereticus qui est dispositus se iudicio Ecclesiae submittere, quia tunc deest pertinacia (2). Ad haeresim deducitur apostasia, quae est error Fidei ex toto contrarius, ab ea nempe discedendo.

6. II. Spes definitur: *Est virtus, per quam certa cum fiducia futuram beatitudinem, et media illius assequendae expectamus per Dei auxilium.* Obiectum materiale primarium Spei, illud nempe quod sperare debemus, est beatitudo aeterna, quae est Deus ipse fruendus; secundarium sunt divina gratia et bona nostra opera Dei auxilio exequenda. Obiectum vero formale, seu motivum, quo nos sperare debemus, alii dicunt esse Dei misericordiam; alii divinam omnipotentiam, ut communiter Thomistae; alii divinam promissionem, ut tenet Iuvenin; alii denique volunt esse divinam bonitatem, illam intellige bonitatem, qua nobis auxilia ad consequendam salutem communicat, quae eadem est ac misericordia; quod si quis vellet obiectum formale spei esse bonitatem Dei, in quantum est res spectata, bene ait Continuator Tournely (3), erraret utique.

7. Hinc puto concludendum omnia illa tria prima motiva, quae innuimus, obiectum formale Spei constituere, nimirum Dei misericordiam et omnipotentiam, qua nobis Deus opitulatur ad vincendos inimicos salutis: haec duo motiva expresse docentur a s. Thoma (4), qui sic ait: *Ita obiectum formale Spei est auxilium divinae pietatis, et potestatis, propter quod tendit motus Spei in bona sperata, quae sunt materiale obiectum Spei.* Et puto his duobus debere addi tertium, quod est divina promissio, ut ait Iuvenin, sive sit fidelitas Dei in promissis, quibus pollicitus est se ob merita Christi ad gloriam nos adducturum; nam, hac promissione praecisa, nos certa fiducia non possemus nostram salutem sperare.

8. Vitia Spei opposita sunt desperatio et praesumptio: peccat praesumptionis ille, qui meritis ipsius solius innixus, aut solius Iesu Christi meritis, ipso non cooperante, confisus, sperat salutem consequi. Praesumptionis pariter peccat, qui reiterat peccata, sperans Deum aeque duo

(1) Lib. 2. n. 17. (2) N. 19. (3) Tract. de Decal. c. 1. p. 2. de spe concl. 2.

(4) In quaest. disp. q. unic. de spe.

peccata quam unum esse remissurum; aut qui ex facilitate remissionis, quam sperat, inducitur ad peccandum: non autem qui ex passione peccaret, sperans eodem tempore sibi parcendum fore. Qui autem vellet diutius in peccatis perseverare, sperans postea fore ut resipisceret, hic non peccaret quidem contra spem, sed contra charitatem erga seipsum, aeternae damnationis periculo se exponendo (1).

9. III. Charitas definitur: *Est virtus, qua diligimus Deum propter seipsum, ac nos et proximum propter Deum.* Itaque obiectum materiale primarium charitatis (nempe id quod amare tenemur) est Deus quem super omnia diligere tenemur, tanquam nostrum ultimum finem. Secundarium sumus nos ipsi, et proximus, quem sicut nosmetipsos diligere debemus, quia hoc nobis praecipit Deus. Obiectum autem formale charitatis (nempe motivum, quo tenemur diligere Deum) est quia ipse est bonitas infinita, fons et aggregatio omnium perfectionum.

10. Dubitatur 1. An desiderium fruendi Deo sit obiectum charitatis? Et respondemus affirmative: Charitas enim (ut diximus) tendit ad Deum, ut ad ultimum finem, ideoque desiderium eo fruendi, qui est ultimus finis noster, est actus proprius charitatis, imo perfectissimus, quia fruitio est charitas consummata: quare Apostoli desiderium moriendi, et esse cum Iesu Christo, fuit actus perfectus charitatis. Et hoc expresse dicit s. Augustinus: *Charitatem vòco motum animi ad fruendum Deum propter seipsum.* Nec obstat dicere, quod obiectum Charitatis esset idem cum obiecto Spei, quod est etiam frui Deo cupito; nam recte respondet Habert (2) dicens, Spem tendere ad Dei fruitionem, uti nostrum bonum; charitatem vero ad ipsius fruitionem ob gloriam ipsius Dei; dum (ut ait s. Bernardus) cum homo Deo fruitur, sui ipsius obliviscitur, et totis viribus eum diligit

11. Dubitatur 2. An sit actus charitatis diligere bonitatem divinam, ut nobis convenientem, cum hic actus videatur potius amor concupiscentiae quam amicitiae? Respondetur cum Habert, Gotti, et Iuvenin, quod si in hoc respicimus nostrum bonum, ut terminum dilectionis, utique ille est amor concupiscentiae ad spem spectans; si vero respicimus gloriam Dei, uti terminum, eius bonitatem diligentes tanquam nobis convenientem, quia nos adiuvat ad eius voluntatem exequendam, et ad ultimum finem, qui est eum diligere, et ob quem nos creavit, assequendum, hic est verus actus charitatis. Quare s. Augustinus aiebat: *Sic amare debes, ut ipsum* (Deum) *pro mercede desiderare non desinas qui solum te satiet. In Ps* 134. *n.* 11.

12. Deum vero diligere propter beneficia quae in nos contulit, est actus gratitudinis, sed non charitatis, ut dicit Habert et La-Croix (3). Sed bene ait Habert, quod si quis divina beneficia respiceret tanquam Dei bonitatis communicationem, verum eliceret actum charitatis, in illis diligens non iam bonum ipsius recipientis, sed bonitatem Dei dispensantis.

13. Tenemur autem tam circa charitatem erga Deum, quam circa fidem et spem, actus elicere, uti constat ex propositionibus proscriptis 1. et 7. ex illis Alexandri VII. et 6. 16. et 17. Innoc. XI.; nam sublatis actibus, illas virtutes exercere non possumus. Igitur hi actus aliquando obligant ex se, aliquando per accidens. Obligant *per accidens*, cum urget necessitas eos eliciendi ad superandum aliquam tentationem, aut ad alicuius praecepti adimpletionem, v. gr. confessionis, communionis, etc. Obligant *per se* (uti docent dd.) in pluribus vitae temporibus: nimirum cum pervenitur ad rationis usum; in exitu vitae; et pluries in vita, saltem semel quolibet anno;

(1) Lib. 2. n. 20 et 21. v. Hinc recte.
(2) Tom. 3. de Spe. c. 2. q. 2.

(3) La-Croix l. 2. n. 147. Habert t. 3 de Charit. c.

ut dicunt AA.; sed circa actum charitatis magis mihi arridet sententia eorum, qui eum requirunt semel in mense, dum difficiliter observare poterit legem divinam, qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet. Attamen opus non est, ut hi actus reflexe et explicite fiant cum intentione praecepto satisfaciendi: sed satis est, si exercite fiant, nempe ut actu fiant, licet ex alio fine, nempe ad abiiciendam tentationem, ad eliciendam contritionem, si confiteri velit. Ita etiam actus charitatis sunt omnes uniformitatis actus divinae voluntati, et omnes virtutes exercitae ad Dei complacentiam. Ita pariter sunt actus fidei orare, Crucifixum adorare, signare se signo crucis, etc. quare bene ait Card. de Lugo, quod ille, qui semel amplexus est fidem christianam (aut vixerit, ego addo, christiane, saltem praecepto paschali satisfaciendo) non debet dubitari, quin satisfecerit praecepto fidei; et idem intelligendum de praecepto spei (1).

Cap. II. *De charitate erga proximum.*

14. Charitas est ordinata; unde fit quod tenemur praeferre omnibus Deum, et eius gratiam; contra vero non tenemur praeferre bonum proximi nostro bono, nisi quoties proximi bonum sit ordinis superioris. Ordo bonorum hic est. Prae omnibus est vita spiritualis, post hanc vita temporalis, inde fama, et postremo sunt bona. Itaque vita proximi temporalis non est nostrae praeferenda, bene vero spiritualis. Hoc tamen intelligendum, quoties proximus est in extrema illius necessitate; et etiam in gravi respectu episcoporum et parochorum iuxta communem sententiam (2). Cum autem necessitas proximi est extrema, tunc tenemur succurrere ei, licet adsit aliquod probabile periculum labendi in aliquod peccatum, modo lapsus non sit moraliter certus, dum in illo casu debemus iure merito sperare Deum fore nobis auxiliaturum; ita d. Thom., Suar., Sot., Sylv., Tourn., Pal., Salm. etc. (3). Hoc tamen intelligendum, quoties aequalis afforet spes adiuvandi, et nemo alius esset qui opitularetur: et praeterea proximus certe esset damnandus, hoc enim importat extrema necessitas. Sed tempore pestis, merito ait Laym., quod in aliorum defectu sacerdotes tenentur infirmis assistere, quia in tanta multitudine moraliter certum est multos adesse, qui in peccatis versantes, suae saluti aeternae prospicere non poterunt, ob ignorantiam eliciendi actum contritionis perfectae (4).

15. Ordo autem personarum, quas praeferre debemus in officiis charitatis, hic est: In extrema necessitate vitae, omnibus praeferendi sunt parentes, cum enim ab ipsis nos vitam acceperimus, iustum est, ut caeteris nos eos praeferamus. Sed in gravi necessitate 1. succurrendum est coniugi, 2. filiis, 3. parentibus, sed pa-

(1) Lib. 2. n. 6. ad 8. (2) Lib. 2. n. 27. (3) L. 6. n. 453. (4) L. 2. n. 27 v. An autem

tri prae matre, 4. fratribus et sororibus, 5. consanguineis, 6. domesticis (1).

PUNCTUM I. *De dilectione inimicorum.*

16. Certum est nos teneri inimicos diligere tam actu interno, quam actu externo eis ostendendo saltem signa communia consueta ostendi aliis amicis, aut consanguineis: v. gr. eos salutando, aut resalutando, litteris respondendo, eorum consortium non evitando, communibus eleemosynis non privando, etc. Diximus saltem *resalutando*, sed si inimicus esset Superior aut contra adesset scandalum, aut si absque gravi incommodo posset suum inimicum salutare, et hoc modo eum liberare a peccato gravi odii, quo ipse ab illo habetur; tunc (ut recte ait Tournely) tenetur salutationem praevenire. Nonnulli autem auctores excusant a peccato gravi offensum, si nec resalutaret inimicum, si de recenti ab eo iniuria esset affectus, ita Roncaglia, Tamb., Mazzot. (2).

17. Hic memorare iuvat illud dubium quod fit a dd. an teneatur offensus iniuriam remittere offensori? *Salm.* (3) dicunt teneri quidem iniuriam remittere, sed non publicam poenam, quia haec refertur ad bonum reipublicae. Speculative loquendo sententia vera est, sed in praxi ego numquam ausus sum absolvere aliquem istorum, qui dicebant se inimicis pepercisse, sed voluisse ut iustitia suum haberet locum, animadvertendo in scelestos; nam numquam mihi suadere potui, quod huiusmodi, qui aliquando veniunt peccatis onerati, ita bonum commune et iustitiam diligant (non quidem in alios delinquentes; sed dumtaxat in suum offensorem), ut omnis vindictae tabe sint defaecati; unde in ipsis dicunt dd. (4) facillimum est, ut eorum erga iustitiam amor sit coloratus praetextus ad tegendam propriae vindictae cupiditatem. Nihilominus iudico bene posse absolvi offensum, 1. si iam vellet remittere, sed iusto praetenderet prius sibi satisfieri de damnis passis, modo offensor non esset adeo pauper ut nullo modo par esset satisfaciendo. 2. Si condonaret iniuriam sub conditione, ut offensor in longinquam regionem proficisceretur, aut quia habet fratres, aut filios, qui facile iracundia abripiuntur, aut quia offensor est ita discolus, et ad rixas proclivus, ut iuste timeret suam expertus imbecillitatem, ne perlaturus esset eius insolentias.

PUNCTUM II. *De eleemosyna.*

18. Ut videamus quando urgeat obligatio eleemosynae, oportet 1. distinguere necessitatem extremam a gravi et communi. *Extrema* est cum proximus est in periculo vitae. *Gravis* est cum imminet periculum gravis mali, ut infamiae, dedecoris, aut a proprio statu iuste acquisito decidendi. *Communis* denique est illa quam patiuntur mendici. Oportet 2. distinguere bona superflua vitae, a bonis superfluis statui.

19. In gravi necessitate proximi tenemur ei subvenire ex bonis superfluis statui; sed in extrema etiam ex bonis superfluis vitae; imo in extrema possumus succurrere pauperi etiam de bonis alienis, cum nostris caremus (5). In communi autem dicimus cum s. Thoma, Tournely, Sanch. etc. (contra alios) divites teneri sub gravi mendicis eleemosynas dare de superfluis statui, stante praecepto Evangelii: *Quod superest, date eleemosynam*, *Luc.* 11. 41. Non tamen adest obligatio praestandi totum superfluum, sed sufficit, si detur quinquagesima pars annuorum proventuum, qui supersunt, seu duo in centena, ut probabiliter dicunt multi dd. ita Roncaglia, Viva, Tambur., Mazzotta, etc. et si reditus sunt pinguiores, admittunt minus quinqua-

(1) L. 2. n. 27. ad res. 1. (2) L. 2. n. 28. (3) Tr. 21. c. 6. n. 18.

(4) Lib. 2. n. 29. v. Licet. (5) n. 33.

gesima parte. Imo Layman permittit diviti, quod pauperibus huiusmodi elargiendum esset, posse totum in aliquem pium usum impendi (1). Hoc tamen non potest intelligi de beneficiatis, isti enim tenentur totum superfluum pauperibus, aut piis locis distribuere, ut dicetur *Tract.X.n.7.*

Punctum III. *De fraterna correctione.*

20. Materia correctionis est quodlibet peccatum mortale, in quod proximus aut lapsurus est, aut iam incidit, et non adhuc emendatus est, ut recte dicunt Suar., Less., Salm., Tourn. etc. Advertendum, quod sub gravi adest obligatio proximum corripiendi, licet ille ex ignorantia inculpabili legem transgrediatur, modo speretur fructus; et hoc ex probabiliori sententia Castrop., Coninch., Sanch., Croix et Tournely, non solum currit cum peccatur contra legem naturalem, sed etiam contra positivam; nam posita lege talem actionem prohibente, iam illa actio redditur intrinsece mala (2).

21. Multis tamen de causis potest quis ab ea correctione facienda excusari: 1. Si peccatum proximi non est certum, dum in dubio non est obligatio correctionis, nisi in casu damni communis et gravissimi, ut homicidii, et similium. 2. Si non effulgeat spes fructus, et correctio magis nocitura quam profutura sit; tunc enim omittenda est, modo delinquens non versetur in mortis periculo, aut iam sit in mala fide, aut modo alii non sint in periculo perversionis (3). 3. Si non desit alius aeque idoneus, qui eum correpturus sit. 4. Si iudicatur prudenter quod reus ex se resipiscat (4). 5. Si occasio, et tempus id non ferat, propterea dicunt dd. quandoque posse expectari delicti reiterationem, ut correctio fructuosior sit (5). 6. Si correctio non potest fieri, nisi cum gravi incommodo, cum haec obligatio sit charitatis. Item docet s. Thomas (6) tantum venialiter peccare eum, qui ex aliquo timore, aut cupiditate omitteret correctionem, dummodo non putaret sua correctione certo proximum a peccato aversum iri; tunc enim eam omittendo non excusaretur a mortali (7).

22. Hoc praecepto ligantur omnes, etiam subditi: sed strictius Superiores, ut Episcopi, Praelati, parochi, confessarii, parentes, viri, curatores, domini, et magistri, quia isti tenentur suos subditos corripere, non tantum ex charitate, sed etiam ex sui officii munere. Et tenentur etiam ad inquirenda eorum crimina, cum probabilia subsunt indicia. Et Praelati regulares aliquando sub gravi tenentur non solum ad arguenda peccata gravia, sed etiam venialia suorum subditorum, cum huiusmodi sunt ut gravi sint damno communi observantiae; ita Laym., Busemb., Tourn., etc. (8). An autem praefati Superiores ad correctionem teneantur etiam cum periculo vitae, negatur. Excipiuntur tamen pastores, isti enim non solum vi officii, sed etiam ex iustitia (ratione stipendii quod percipiunt) tenentur ad correctionem, et suis subditis in bonis spiritualibus consulere; et non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi, ut communiter dd. (9). Et hic notetur etiam quod concionatores vi sui muneris debent emendare peccata publica, etiamsi nulla effulgeat spes emendationis. Et tenentur ad hanc publicam correctionem etiam cum periculo proprii damni, prout aiunt Salmanticenses. Sed hoc currit semper ac ex reprehensione speratur fructus, nec timeatur damnum commune fore maius (10).

(1) Lib. 2. n. 32. v. Dicunt autem.
(2) n. 34. et 36. (3) Cont. Tourn. tr. de Decal. c. 1. part. 3. de char. art. 6. s 3. ex concl. 2. cum Hab. et Antoine.
(4) Tourn. loc. cit. cum iisd et s. Th.
(5) L. 2 n. 38. et 39. (6) 2. 2. q. 33. a. 2.
(7) Lib. 2. n. 37. (8) n. 35. et l. 4. n. 13.
(9) L. 2. n. 40. v. Strictius et ex S. Th. 2. 2. q. 185. a. 5. (10) Ibid.

Punctum IV. *De scandalo.*

23. Dividitur scandalum in activum et passivum: *activum* definitur: *Est dictum, vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae.* Hoc autem scandalum activum potest esse directum et indirectum: *Directum* dicitur, cum directe inducitur proximus ad peccandum; *Indirectum* cum profertur aliquod verbum, aut aliquid mali fit, quod sit aptum ad inducendum alium in peccatum. Adest etiam scandalum *daemoniacum*, quod committitur cum non solum inducitur proximus ad peccandum, sed etiam ideo inducitur, ut ille animam perdat, quod proprium daemonis est.

24. *Passivum* est ipsa ruina, sive peccatum, in quod proximus labitur. Et hoc dividitur in scandalum *datum*, quod dicitur pusillorum, eorum nempe, qui propria imbecillitate cadunt; et in acceptum, quod *pharisaicum* dicitur, eorum nempe, qui propria malitia labuntur.

25. Hic quaeritur 1. An scandalum sit peccatum contra charitatem, et contra virtutem, adversus quam inducitur proximus ad peccandum. Tres adsunt sententiae. *Prima* dicit quod, cum directe intenditur ruina spiritualis proximi (quod proprie est scandalum daemoniacum supra explicatum), tunc peccatur contra charitatem, alias tantummodo peccatur adversus illam virtutem, quae laeditur a proximo in scandalum inducto. *Secunda* sententia ait, quod, quando peccatur cum scandalo directo, id est, cum inducitur positive proximus ad peccandum, tunc peccatur tum contra charitatem, tum contra virtutem; sed si peccatur tantum scandalo indirecto, praevidendo tantum proximi peccatum, quin ad peccatum inducatur, tunc peccatur tantum contra charitatem. *Tertia* sententia, quam nos tuemur cum Suar., Sot., Lugo, Salmant., Roncag., Tamb., et aliis, quamque expresse tenet s. Thomas (1), dicit quod tam scandalo directo, quam indirecto peccatur tam contra charitatem, quam contra eam virtutem. Contra charitatem quidem, quia si nos ex charitate tenemur, cum possimus, impedire proximi peccatum, multo magis tenemur non esse proximo occasionem illud patrandi. Contra virtutem vero, quia quaelibet virtus cuivis prohibet, ne sit causa, aut occasio aliis eam laedendi (2).

26. Quaeritur 2. An peccet scandali, qui a proximo rem pravam exquirit, ad quam tamen proximus est iam paratus (v. g. si quis petat copulam a meretrice)? Nos contra aliorum sententiam affirmamus cum Sanch. Caiet. Nav. Bonac. Ronc. Tamb. Sporer etc. Ratio est, quia (ut dictum est *Tr. III. n.* 20.) etiamsi certa sit sententia quod actus externus speculative loquendo nihil malitiae addat actui interno, tamen in praxi semper actu externo consummato augetur malitia voluntatis, ob maiorem complacentiam, quae regulariter actum externum concomitatur, aut ob maiorem diuturnitatem illius complacentiae: quare qui externe peccat, maiorem suae animae affert perniciem. Ideoque qui in hoc cooperatur, semper peccat graviter contra charitatem. Unde probabiliter infertur cum cardinale de Lugo, et aliis, non opus esse in peccatis, quae habent complicem, explicare quisnam fuerit primus ad tentandum; quia tam inducens, quam consentiens in peccato operis semper graviter peccat contra charitatem: itaque inductio nihil aliud est, quam circumstantia aggravans in eadem specie, quam iuxta probabiliorem sententiam cum s. Thoma non teneris explicare in confessione, ut dicemus de Sacramento Poenitentiae (3).

27. Hoc procedit cum expetitur res intrinsece mala: sed si res petita esset indifferens, ut a proximo sine peccato praestari possit, ut esset petere mutuum ab usurario, aut ali-

(1) 2. 2. q. 43. a. 3. (2) L. 2. n. 45. v. Tertia sententia. (3) Lib. 2. n. 46.

quod Sacramentum a sacerdote in peccato existente, tunc dicimus quod, cum adest causa necessitatis, aut notabilis utilitatis, licet illam petere; praecisa autem hac causa, postulans etiam peccat graviter, tam contra charitatem, quam contra virtutem; ita Sanch., Molin., Busemb., Roncag., Tambur., Salmant. etc. (1).

28. Aliquando cum grave incommodum non adest, tenemur derelinquere nostra bona temporalia, et etiam spiritualia, modo ad salutem non sint necessaria, ut evitemus grave scandalum pusillorum. Sed hic bene advertit s. Thomas (2) quod, admonito proximo, eius scandalum evadit pharisaicum, ita ut non teneamur amplius illud evitare (3). An autem, ut evitetur scandalum pusillorum, adsit obligatio omittendi praecepta positiva, ut auditionem Missae, ieiunium, etc. Dicimus probabilius affirmandum; quia praeceptum naturale impediendi scandalum, nempe alterius peccatum (advertendum tamen aliud esse impedire peccatum, aliud impedire admirationem), praeferendum est praecepto positivo. Hoc tamen non intelligitur quoad semper (etiamsi actio non esset de praecepto, sed ex simplici devotione, aut indifferens), sed tantum semel atque iterum: alias esset illi gravi incommodo, ad quod non obligat charitas; ita Caiet., Nav., Sanch., Azor., Less., Salm., etc. (4).

29. Peccant graviter scandali mulieres, quae pectore immoderate denudato se ostentant, aut saltem usum, ubi non adest, introducunt, licet ea denudatio non sit immoderata; ita s. Antonin., Nav., Less., Laym., et alii communiter (5). Etiam graviter peccant scandali illi, qui elucubrant, aut agunt comoedias notabiliter obscaenas. Et idem dicendum de pictoribus, qui pingunt, aut in publico exponunt imagines positive turpes (6).

30. Dicimus contra cum Sanch., Soto, Navar., Molin. Caietan., Silvest., Salmantic., etc. confirmati s. Augustini auctoritate (contra alios) licere minus malum suadere, ut maius evitetur, quod proximus paratus est exequi; quia tunc qui suadet, non procurat malum, sed bonum, suadens minus malum, licet alterius sit speciei (7). Ita etiam licet domino, aut parenti non auferre occasionem furandi servis, aut filiis, qui iam parati sunt ad furandum, ut in delicto comprehensi, melius emendari possint. Ob id permittunt dd. multi posse etiam offerri occasiones furandi, permittendo ut furentur, ut evitentur delicta futura (8), duce s. Thoma, qui sic ait: *Inducere ad peccandum nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est* (9).

Punctum V. *De cooperatione materiali*

31. Cooperatio materialis communiter admittitur uti licita a dd. cum iusta adest causa. Sciatur hic quod alia est cooperatio *formalis*, quae evenit cum directe cooperatur ad peccatum (ut est in eo, qui fornicatur): aut cum influit in pravam voluntatem proximi volentis peccare, ut esset servare terga latroni, aut sicario, ut securius furetur, aut occidat: scribere litteras amatorias vice concubinarii aut afferre dona concubinae: accipere dona ab eo, qui tuae honestati insidiatur. Hae et his similes cooperationes sunt intrinsece malae, quia ipsis datur ansa proximo ad peccatum exequendum, aut saltem istius prava voluntas fovetur, ideoque nulla ex causa, ne mortis quidem, excusari possunt a mortali. Alia vero est cooperatio *materialis*, quae est cum actio est indifferens, et proximus potest ea uti sine peccato, sed ille sua malitia ea abutitur ad peccandum, ut esset mutuari pecuniam ab aliquo, qui eam non vult dare sine foenore:

(1) n. 47. v. Si autem res. (2) 2. 2. q 43. a. 7. (3) Lib. 2. n. 50. et 52. (4) Lib. 2. n. 51. et 53. v. Si ergo

(5) n. 55. v. Quaer. (6) n. 56. (7) n. 57. (8) n. 58. (9) 2. 2. q. 78. a. 4.

ministrare vinum ei, qui eo abutitur ad ebrietatem; dare claves illi, qui eis utitur ad furandum.

32. Itaque hae materiales cooperationes possunt esse licitae, si tres conditiones concurrunt: 1. Ut actus tuae cooperationis (ut iam dictum est) sit ex se indifferens. 2. Ut ex officio non tenearis impedire alterius peccatum. 3. Ut causam iustam et proportionatam habeas sic operandi; nam tunc proximi peccatum non provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia illius, qui abutitur tuo opere ad peccandum: itaque tunc non est actio tua, quae coniungitur pravae voluntati proximi, sed ille coniungit suam pravam voluntatem tuae actioni; unde fit, quod actio tua non est causa illius peccati; sed est tantum occasio, quam tu non teneris auferre, quando habes iustam causam eam ponendi; et sic licitum est cauponi dare vinum ebriaturo semper ac alias grave metueret damnum; ita Sanch. Tourn. Bonac. Busemb. et alii commun. Dictum est, *causam iustam et proportionatam*, quia quanto proximior est tua actio proximi peccato, eo maior debet esse causa, quae te excuset. Ad iudicandum, quando causa sit iusta et proportionata, ante omnia pro regula sit observare quod dicunt dd., quia cum hoc pendeat a prudentum aestimatione, sententia in hac materia communior erit etiam probabilior, ut dicemus etiam loquendo de gravi materia furti, *Tract. X. n.* 22. Praeterea cum agitur de praeiudicio proximi, tenenda est haec regula, quod non possumus cooperari damno alterius, nisi quando damnum quod timemus bonis nostris, sit ordinis superioris, v. g. cum aliquis tibi minatur mortem, nisi tu cooperеris morti sui inimici, praebendo v. g. ensem; tu non potes eum illi dare, quia non potes positive concurrere morti alterius, ut liberes te a morte. Ita etiam cum fur minatur tibi auferre bona tua, nisi coopereris, ut ille surripiat bona alterius, nec potes quidem cooperari. Secus esset, nisi coopereris, ut ille surripiat illa bona, tu subiturus esses vitae, aut famae dispendium, quia tunc cum in extrema sis constitutus necessitate, tenetur proximus ad permittendam tibi illam cooperationem in suorum bonorum iacturam, ne tu vita, aut fama pericliteris (1). Observa etiam super hoc quod dicetur *Tract. X. num.* 56.

Cap. III.

De religione, et vitiis ei oppositis.

33. Virtus religionis princeps est inter virtutes morales et definitur: ***Est virtus debitum cultum Deo exhibens.*** Duo vitia huic virtuti adversantur. Superstitio nempe per excessum, et irreligiositas per defectum. *Superstitio* tres continet species, *idololatriam*, *divinationem*, *et vanam observantiam*. Irreligiositas quatuor alias continet species, *tentationem Dei*, *sacrilegium*, *simoniam*, *et periurium*.

Punctum I. *De superstitione.*

34. Superstitio definitur: *Est vana, seu falsa religio, indebitum Deo cultum exhibens.* Propterea superstitio duplex est, *cultus indebiti*, *et rei cultae*. *Cultus indebiti* est cum Deo exhibemus cultum falsum, ut si laicus vellet Missam celebrare, aut si exponerentur reliquiae falsae, aut si fingerentur falsae visiones, revelationes, aut miracula, aut alia adinventa, ut augeretur devotio: quae omnia ex

(1) Lib. 2. n. 59. et l. 3. n. 571.

genere suo sunt peccata mortalia. Aut cum Deo cultum supervacaneum exhibemus, ut esset audire Missam a sacerdote talis nominis, aut vultu converso ad Orientem (1). Superstitio autem *rei cultae* est, cum cultum, qui Deo debetur, exhibemus creaturis. Hinc prohibita est *idololatria*, qualis est illa gentium, qui pro diis homines venerantur, pecudes, herbas, statuas, etc. *Divinatio*, quae est praedictio eventuum futurorum, ope daemonis facta cum pacto expresso, aut tacito: unde illicita est 1. *astrologia iudiciaria*, quae praedicit futura a libera hominum voluntate dependentia. Ad differentiam *naturalis*, quae ex motu planetarum auguratur pluvias, aut sterilitates, aut ex momento nativitatis auspicatur inclinationes, aut temperamenta personae, haec caeteroquin licita est, sed saepe saepius est vana et inutilis (2). 2. Ita etiam est graviter illicitum constanter credere *somniis*, ut quis proprias actiones dirigat, ut futuros eventus praedicat, nisi moralis certitudo habeatur quod talia somnia sint a Deo (3). 3. Ita etiam est illicitus *ensalmus constitutivus*, qui est quaedam oratio certis et determinatis verbis constans, ad morbos sanandos ordinata. Et hoc est peccatum mortale, cum effectus creditur infallibilis, praecipue si verba sint vana, aut falsa, aut scripta certo peculiari modo. Contra est licitus *ensalmus invocativus*, quo a Deo expostulatur sanitas, quin credatur effectus infallibilis (4). 4. Illicitum quoque est *sortilegium*, seu *sors divinatoria*, nempe cum exposcitur a daemone expresse, aut tacite revelatio occultorum aut futurorum, sorte aliquem numerum, aut signum accipiendo. Contra vero est licita *sors divisoria*, quae adhibetur ad bonorum divisionem, aut ad lites praecidendas, aut ad distribuenda officia saecularia, inter aequaliter dignos Sed non licet ea uti in beneficiis, aut officiis ecclesiasticis (5).

35. Hic adverte omnino illicitum esse usum virgae bidentis, quam vocant *virgam divinatoriam*, ex cuius declinatione inveniuntur thesauri absconditi, metalla, aquarum venae, aut praediorum termini translati. Nonnulli admiserunt hoc, ut effectum naturalem; sed quomodo (nos inquirimus) haec virga potest naturaliter moveri ad intentionem ea utentis, quandoquidem si aquam quaerit, virga inveniens thesaurum non movetur? praeterquam quod observatum est, quod si quis praemiserit protestationem non consentiendi concursui diabolico, etsi res conquisita ibi esset, virga immota stetit (6).

36. *Vana observantia* est usus alicuius medii improportionati ad obtinendum aliquem effectum, ut est uti inspectione certarum figurarum, aut caeremoniarum, aut signorum, aut certarum orationum tali situ recitatarum, aut cum verbis sacris, aut vanis mixtarum, aut cum fiducia certa prolatarum, ut aliquam scientiam acquirat sine studio, aut ut liberetur ab aliqua infirmitate, aut vulnere. Omnes istae sunt vanae observantiae, quae sunt graviter illicitae. Et de istis praecipue interrogandi sunt milites, nutrices, veterinarii, seu iumentorum medici, pastores, et rustici (7).

37. Advertatur nihilominus hoc, quod dicit s. Thomas (8), quod ubi non adsunt manifesta indicia malitiae alicuius effectus, in dubio praesumi debet, quod proveniat ex causa naturali; unde est valde probabile licere usum pulveris *sympathici* admoti super sanguinem effluxum, ut hunc inhibeat amplius ex vulnere profluere, modo statim, et in distantia proportionata applicetur. Ita nec videtur esse prohibitus usus coral-

(1) Lib. 3. n. 1. et seqq.
(2) n. 10. v. Quaer. inde. (3) n. 9.
(4) n. 21. (5) n. 11. (6) Cont. Tourn. ely tr. de rel. p. 3. c. 2. cum aliis.
(7) Lib. 3. n. 14.
(8) 2. 2. q. 60. a. 4.

lorum, et quorumdam animalium ungularum, ut naturalis effascinatio evitetur certorum, qui ea noxia qualitate scatent, ut aspectu suo aliis nocere soleant. Ceterum in huiusmodi remediorum genere, quae innoxia videntur, satis erit, ut omnis scrupulus auferatur, si protestatio praecedat cuilibet diabolico operi nolle consentire (1).

PUNCTUM II. *De irreligiositate.*

38. Irreligiositas tendit contra reverentiam Deo debitam. Prima species huius vitii est *tentatio Dei:* haec potest esse vel formalis, vel interpretativa. *Formalis* est quando aliquis expresse dubitat de aliqua divina perfectione, et de ea vult periculum facere. Haec est peccatum mortale; et quando accedit dubitatio positiva, est etiam haeresis. *Interpretativa* est, quando aliquis omittit media naturalia, et vult quod Deus per miraculum eum liberet ab omni malo; v. gr. si cupit spretis medicinis ab infirmitate curari a Deo, aut si velit, dum ipse in aliquod vitae discrimen se coniicit, ut Deus ab omni damno eum liberet. Et haec per se etiam est mortale, nisi quis excusaretur, aut quia aliquo divino impulsu, aut ab ignorantia ductus illud faceret, aut materiae levitate, puta si neglectis remediis a levi infirmitate sanitatem a Deo expectaret (2).

39. Secunda species est *sacrilegium*, quod triplex est, personale, locale, et reale. *Personale*, cum percutitur clericus, aut monachus, aut turpiter agitur cum persona voto castitatis obstricta. *Locale*, cum aliquid committitur, per quod polluitur ecclesia, nimirum si in ipsa effunditur semen humanum, aut sanguis in aliqua copia. Dubitatur autem an per occultam seminis effusionem polluatur ecclesia? Alii negant, et non improbabiliter; sed alii probabilius affirmant (3). Et idem dicimus de usu matrimonii, ideoque omnes hae actiones sunt sacrilegia. Ita etiam probabilius sacrilegia sunt omnes tactus, aspectus, sermones impudici in ecclesia habiti (4); observetur quod dicetur super hoc puncto in *Tract. IX. n.* 22. *et* 23. Hic obiter advertatur nemini quacumque praedito dignitate, modo non regali, licere indicere, ut sibi ad ecclesiam deferatur stratus, secus statim cessandum a Divinis, et ministri ecclesiae ipso facto excommunicationem incurrunt, et ecclesia tamquam interdicta habenda est. Hoc decretum fuit a S. C. Caerem. quae ait: « Proposito in S. C. Caerem. quodam abusu inter alios, qui de recenti in Urbe irrepserunt, eadem S. C. ad eum omnino tollendum die 30. augusti 1701. decrevit: « *Non licere cuicumque, etc. (personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere, secus cessandum immediate a Divinis: quod nisi servetur, rectores, caeterosque ministros* ipso facto *excommunicationem incurrere, eamque ecclesiam esse pro interdicta* (ita adnotatum reperitur in Bullario Clementis XI. *part.* 3. *Decr.* 1. *Caer.*). Deinde subiungitur: *Et facta relatione Sanctitas sua* (i. e. praefatus Clemens) *Decretum approbavit, nec non promulgari, atque executioni tradi, et in omnibus Urbis sacrariis affigi mandavit die* 3. *octob.* 1701. » Hoc omne refertur a *Ferraris* in sua *Bibliotheca* (5), qui etiam refert (*ibid.*) vetari pluribus ex Decretis S. R. C. dare intra Missam laicis (etsi praesidibus) Evangelium osculandum, uti etiam dare illis usum baldachini, et illos admittere ut assistant in presbyterio. Ad nostra autem redeuntes dicimus furtum rei ecclesiis commodatae, aut in eis repositae, ut custodiatur, procul dubio esse sacrilegium. Probabile autem est furtum cuiuslibet rei profanae, quae

(1) L. 3. n. 20. et 22. (2) L. 3. n. 29. et 30. (3) n. 36. et 458. (4) n. 458. 459. 461.

(5) Ferrar. biblioth. tom. 3. verbo Ecclesia, art. V. n. 28. et 29.

ad ecclesiam non pertinet, non esse sacrilegium, sed nobis probabilius videtur esse quidem (1). *Pro loco sacro* intelligitur quilibet locus ab Episcopo ad divina officia, aut mortuos tumulandos destinatus a tecto ad solum (2). Sacrilegium *reale* est illicita administratio, aut receptio Sacramenti, aut reliquiarum, aut imaginum, aut vasium aut vestium sacrarum, aut alterius rei, quae consecratur, aut benedicitur, profanatio. Sacrilegium quoque est sacrae Scripturae verborum abusus, ad turpia, aut detractiones ea detorquendo. Sacrilegium pariter est reliquiarum Sanctorum surreptio, cum dominus est graviter invitus (3).

40. Tertia species est *simonia*, quae definitur: *Studiosa voluntas emendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum.* Et ut clarius explicetur, est malitiosa voluntas, qua intenditur pretio emi aliquid spirituale, aut spirituali annexum, ut sunt redditus beneficiorum, vestes sacrae, et etiam labor intrinsecus in administratione Sacramentorum (4). Simonia quadruplex est, mentalis, conventionalis, realis, et confidentialis. *Mentalis* est, cum aliquis dat temporale animo obligandi aliquem ad reddendum spirituale, aut contra, sine ulla conventione. *Conventionalis* est, cum intercedit pactum, sed a neutra parte executioni mandatum. *Realis* est, cum pactum effectu completum est (5). *Confidentialis* denique est, cum aliquis renuntiat alteri beneficium cum pacto, ut in posterum sibi ipsi, aut alteri illud cedat, aut renuntiet, aut cum onere, ut sibi partem proventuum reddat (6).

41. Dona, quae habent rationem pretii in emendo spirituale, nuncupantur *munus a manu*, *munus ab obsequio*, et *munus a lingua*. *Munus a manu* comprehendit quodlibet temporale pretio aestimabile, ut pactio vendendi, aut mutuandi, etc. debiti remissio, aut solutio (7). *Munus ab obsequio* est quodlibet servitutem prae se ferens. *Munus a lingua* est quaelibet intercessio, etiamsi sit mediata, quae pretio digna est. Dare autem aliquid mediatori ob laborem, aut damnum subeundum, non est ex se illicitum, est tamen periculosum (8).

42. Simonia altera est iuris divini, iuris humani altera. *Iuris divini* est Sacramentorum ceterarumque rerum sacrarum venditio. *Iuris humani* est venditio officiorum ad res sacras institutorum, ut sunt officia sacristae, oeconomi, thesaurarii, praefecti domus, vicedomini, et advocati ecclesiae. Et hic notandum posse dari simoniam iuris humani, quin sit iuris divini (9).

43. Est etiam simonia iuris divini admissio alicuius in religionem ob bona temporalia: nisi dentur dumtaxat ad conciliandam benevolentiam, aut quia monasterium esset pauper, aut postulans esset senex, aut infirmus, ita ut ille esset oneri monasterio. Et propterea dicimus, quod si monasterium esset opulentum, non licet his praecisis rationibus aliquid accipi ab ingredi volentibus, ob sui sustentationem, exceptis monasteriis Monialium, quae semper possunt acceptare dotes prout declaravit Clemens VIII. (10).

44. Dubitatur 1. An semper sit simonia dare temporale pro spirituali? Iuxta communiorem et veriorem sententiam negatur, quando temporale datur non iam ad obligandum, sed ad conciliandam benevolentiam. Nihilominus advertendum est, ut habetur ex propos. 46. ab Innoc. XI. proscripta, certe esse simoniam dare temporale (praecipue cum datur in aliqua notabili quantitate) ob principalem finem obtinendi spirituale (11).

(1) Lib. 3. n. 39. (2) n. 460.
(3) n. 40. (4) n. 49.
(5) n. 67. (6) n. 85.

(7) n. 56. et 57. (8) n. 64. et 65.
(9) n. 68. et 69. (10) n. 91. et 92.
(11) n. 51.

Communissime autem dicunt Salm. cum Caiet. Suar. Less. Laym. Tolet., etc. contra Azor. et alios paucos, quod liceat dare aliquid temporale, v. gr. Episcopo, primario ad captivandam suam benevolentiam, secundario ad obtinendum beneficium. Ceterum recte advertunt Ronc. et ipsi Salmant. cum Sanch. et Bonac. quod cum datur temporale solo intuitu rei spiritualis, vel contra, tunc facile praesumenda est intentio saltem virtualiter simoniaca, ut eruitur ex *cap. Tua nos, de simon.* Excepto, ut aiunt, nisi constet de opposito, vel aliter colligatur ex circumstantiis, nempe ex parvitate muneris, vel ex pietate, aut opulentia dantis (1).

45. Dubitatur 2. An liceat aliquid recipi ob Sacramentorum administrationem? Nulli dubium est non licere accipere tanquam pretium rei sacrae, aut laboris intrinseci ipsiusmet administrationis; secus vero extrinseci, v. gr. si sacerdos celebratum iturus esset in locum longinquum, aut in hora, aut tempore incommodo. Et quamvis non esset labor extrinsecus, licet accipere temporale, non tanquam pretium, sed tanquam stipendium sustentationis ministri, qui occupatur in alterius gratiam, quamvis minister non esset pauper. Id est commune cum s. Thoma (2). An autem sit lethale administrare Sacramenta, concionari, assistere in choro principaliter ob temporale emolumentum. Alii affirmant; sed alii, ut Sotus, Suar. Silvest. Sanch. Salmant., etc. communius et probabilius negant, eadem ratione superius allata, quia stipendium non recipitur, uti pretium rei sacrae, sed tanquam stipendium debitum personae, quae in proximi gratiam occupatur. Ceterum videtur non posse excusari saltem a veniali, qui spiritualia munia ad bonorum temporalium acquisitionem ordinat (3).

46. Dubitatur 3. An beneficiorum venditio sit prohibita etiam de iure divino? Probabilius s. Thomas et alii affirmant. Nihilominus Papa potest a spirituali beneficii separare temporale, uti sunt fructus, et ita ex suo assensu potest efficere, ut aliquis, soluto aliquo pretio temporali, possit assequi beneficium (4).

47. Dubitatur 4. An sit licitum permutare res sacras? Si ambae sunt mere spirituales, puta Missam cum rosario, etc., utique licitum est eas permutare. Si sunt mixtae, oportet distinguere cum s. Thoma, et communi. Si temporale subsequitur spirituale, ut fructus subsequuntur beneficium, tunc illicita est permutatio sine Pontificis permissu, aut saltem Episcopi, ut aliqui asserunt. Secus vero si temporale sit annexum antecedenter spirituali, ut argentum vasis sacris, pannus vestibus sacris, et alia huiusmodi. Haec bene possunt vendi, et permutari, modo habeatur ratio tantum pretii intrinseci rei (5).

48. Dubitatur 5. An sit simonia dare aliquid, ut alter omittat rem spiritualem? Distinguendum, et affirmandum, si omissio est de re directe a potestate spirituali, et adest obligatio eam ponendi, uti esset omissio absolvendi, dispensandi, eligendi etc., ita ex *cap. Presbyter, de simon.*, ubi prohibetur negare propter aliquod lucrum temporale absolutionem poenitentibus, modo illa non esset iniusta, aut sacrilega. Negandum vero esse simoniam, si omissio esset alicuius actus spiritualis pendentis a libertate, ut esset omissio orandi, celebrandi, largiendi eleemosynam; dummodo omittens non teneatur ex iustitia ad id praestandum (6).

49. Dubitatur 6. An liceat dare aliquid, ut se redimat a vexatione, ut beneficium, aut aliquid aliud spirituale assequatur? Duas affert Doctor angelicus regulas. *Prima* est, quod si acquisiverit ius *in re*, et ius

(1) Lib. 3. n. 51. v. Caeterum. (2) n. 55.
(3) Lib. 3. n. 55. v. Quaer. VI
(4) n. 70. (5) n. 72. (6) n. 97.

est certum, bene potest redimi vexatio dando aliquid temporale (non tamen spirituale) (1). Et hoc procedit etiam de vexatione circa possessionem beneficii pro eo, qui iam acquisiverit ius; nam actio possessionis est mere temporalis (2). *Secunda regula* est, quod si ius est *ad rem*, vexatio nullo potest redimi pretio etiamsi elector iniuste negaret suum suffragium, ut communiter dd. et habetur ex *cap. Matthaeus, de simon.* Nihilominus excipitur cum Suar. Castrop. Anacl. et Elbel, si tu pecuniam tradidisses alicui, qui tantum posset obesse, et non prodesse, ut abstineat tibi nocere, etiamsi ille nullis malis artibus hoc faceret, sed precibus, aut donis ob livorem in te conceptum impedire vellet electores, quominus tibi beneficium conferrent, ut recte dicunt Suar. Anaclet. et Salm., etc. quia cum sit temporalis talis iniqua vexatio, bene potes eam redimere pretio temporali. Et propterea paucis abhinc annis, cum delatus fuisset ad summum Pontificem Benedict. XIV. casus, quo cum quidam sacerdos dioecesis Nusci nominatus fuisset ad canonicatum in una insigni illius dioecesis collegiata insurrexit quidam laicus, qui potentia valebat in curia episcopali, et popescit a praefato sacerdote certam summam non immodicam, alias multa crimina ei affigeret, quibus pro canonicatus honore decorando, reus in curia sisteret. Sacerdos hoc timore incussus, cum omnium eorum, quae ab illo opponi sibi intendebantur, culpa vacaret, promisit se daturum quidquid ille turpiter postulabat, et praestitit; et ita a canonicatus consecutione non impeditus fuit. Post multos annos re Romam ab Episcopo successore delata, Pontifex dixit, si forsan indigeret talis provisio convalidatione, se convalidare eam, et decrevit talem canonicum permansurum in eodem gradu; unde apparet quod Papa non habuit pro certe invalida illam collationem, sed voluit ad securitatem sic agere, quia sic fuit postulatus, ut ageret. Secus tamen dicendum cum Suar. Anacl. Salmant., etc. si ipse esset elector, qui non solum posset obesse, sed etiam prodesse (quidquid dicat Castropal. qui tenet posse dari pecuniam tantum ad removendum illius pravum animum); quia illa pecunia de facto semper efficeret, ut deflecteretur erga te illius animus, et consequenter gratiam illius sollicitat ad beneficii consecutionem. Casu autem, quo elector fraudibus, et vi moliretur alios electores subornare, ut ei suum suffragium negarent, tunc communiter dicunt Less. Soto, Suar. Fill. Sanch. Salm. Croix, Bus., etc. posse pecunia redimi talem iniustam vexationem. Et hoc mihi videtur satis probabile, cum (ut ait p. Mazzotta) daretur ei pecunia cum expressa protestatione, quod nihil ab ipso petitur, nisi ut a vexatione desistat (3). Illicitum est autem pecuniam dare competitori, ne concurrat, si ille iuste potest concurrere (4). Contra licet pecuniam dare, ne eligatur indignus, aut minus dignus (5). Et ita pariter licitum est pecuniam illi offerre, qui iniuste renuit Sacramenta ministrare, accedente tamen causa gravi ea suscipiendi, nam hoc etiam est redimi ab iniusta vexatione (6). Gerson, Caiet. Suar. Less. et Spor. cum s. Bonav. Vasq. Pont. et aliis communiter.

50. Poenae vero a sacris Canonibus in simoniacos inflictae, sunt sequentes: 1. Propter simoniam pro ingressu in religionem, communitas incurrit suspensionem, et particulares *id praesumentes*, ut loquitur textus (7), excommunicationem papalem. Sed haec probabiliter tantum incurritur in professione; imo multi dd. dicunt illam in desuetudinem abiisse (8). Et hic advertatur, quod om-

(1) L. 3. n. 98. (2) n. 99. (3) n. 100. et 102. (4) n. 103. (5) ibid.

(6) L. 3. n. 103. v. Quaer. 5. (7) C. 1. Extr. de simon. (8) l. 3. n. 108. v. Certum.

nes electiones simoniacae ad generalatum, rectoratum, et ad quodlibet officium spirituale in religione sunt irritae, ut habetur ex textu (1).

51. II. Propter simoniam in collatione Ordinum (non tamen primae tonsurae) Episcopus ordinans, et mediatores incurrunt excommunicationem, et suspensionem Papae reservatas, ac interdictum ab ecclesiae ingressu. Ordinati vero praeter excommunicationem, et suspensionem Ordinum (sed probabiliter eorum tantum simoniace susceptorum) prohibitum est eis ascendere ad superiores Ordines. Hoc tamen non procedit, cum simonia ab aliis, ordinato inscio, commissa est (2).

52. III. Propter simoniam realem in beneficiis irritae sunt omnes praesentationes, electiones, etc. Quare simoniacus nequit retinere beneficium, neque fructus ab illo perceptos (3). Et hoc etiamsi beneficiatus invincibiliter praedictam poenam, et simoniam commissam ignoraret, si v. g. patrata fuerit a quodam tertio, ut habetur ex *cap. Nobis, de simon.* Excipiuntur tamen, 1. Si beneficiatus contradixerit, et postea simoniam ignorando acceptaverit beneficium. 2. Si ille tertius commiserit simoniam hoc dolo, ut illum redderet inhabilem ad beneficium. 3. Si pacifice tres annos in beneficii possessione fuisset, ut communiter dd. Exceptis dictis casibus, recipiens simoniace beneficium, praeter excommunicationem papalem per Bullam s. Pii V. *Cum primum* an. 1566. *qui beneficium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, perpetuo* fit inhabilis ad ea, et ad quaecumque alia (ita ut etiam per *Extrav.* Pii IV. *In sublimi*, si nollet omittere beneficium, non posset absolvi); et praeterea privatus existit etiam illis beneficiis, quae antea obtinuisset. Attamen iuxta communiorem et probabiliorem sententiam, quam tenent Navar., Suarez, Less., Sanch., Laym., Anacl., Ronc., Croix, etc. dictae poenae non incurruntur, nisi simonia sit ab utraque parte completa; et hic est stilus curiae, ut testantur Nav. et alii (4), excepta tamen confidentiali, in qua sufficit, ut tantum temporale sit praestitum iuxta Bullam s. Pii V. (5). Et quamvis simonia sit completa, illae duae poenae privationis et inhabilitatis non incurruntur, nisi post sententiam condemnatoriam, ut communissime Bonac., Castropal., Sanch., Laym., Filliuc., etc. (6). Nec obstat Bulla Pii V. quia (ut dicunt praefati dd.) illa intelligitur valere pro foro externo, cum ibi dicatur *Quicumque convictus fuerit*; saltem in eo sensu recepta est.

53. IV. Propter simoniam confidentialem, praeter poenas impositas adversus realem, incurritur etiam privatio aliorum beneficiorum etiam antea obtentorum; sed probabiliter non quidem ante sententiam delicti declaratoriam. Advertatur tamen quod per Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 18. cum statutum sit, examinatores synodales qui ratione examinis aliquid accipiunt ab eis qui ad beneficia curata concurrunt, tam examinatores accipientes, quam dantes fieri inhabiles ad beneficia obtinenda, ac non posse absolvi a simonia, nisi *dimissis beneficiis*, deducitur quod praefati ipso facto, et quidem ante omnem sententiam, omnibus beneficiis, quae etiam ante collationem simoniacam obtinuissent, privati existunt.

Denique notandum hic 1. quod praefatae poenae incurruntur tantum propter simoniam in materiis descriptis, nempe in materia religionis ingressus Ordinum, et beneficiorum, non vero in venditione rerum sacrarum, aut ecclesiasticae iurisdictionis, aut capellaniarum non collativarum (7). Notandum 2. quod pre-

(1) Extrav. 2. de simon. (2) Lib. 3. n. 109 et 110.
(3) Extr. 2. de simon.

(4) Lib. 3. n. 106. (5) Ibid. v. Not. 3.
(6) n. 112. v. Quaer. 3. et Quoad autem.
(7) Lib. 3. n. 112.

tium acceptum pro simoniaca collatione beneficiorum, aut Ordinum, aut Sacramentorum, si excedit quod poterat a ministro exigi (loquendo de Sacramentorum administratione, ut dictum est *praec. n.* 45.) pro sua sustentatione, restituendum est illi, qui illud tradidit ante traditionem rei spiritualis; si autem postea traditum fuisset, tunc, licet probabile sit posse restitui eidem, nihilominus probabilius est cum s. Thoma restituendum esse Ecclesiae, aut pauperibus. Quoad autem fructus beneficii simoniace acquisiti, isti restituendi sunt Ecclesiae, et probabile est posse dari pauperibus, aut successori in beneficium, et potest etiam obtineri compositio a Papa. Quod autem acceptum est pro admissione in religionem, non est restituendum, nisi post sententiam, et interim potest retineri pro alimentatione communitatis (1). Notandum 3. quod ab excommunicatione et suspensione ob collationem Ordinum, vel beneficiorum, aut ob admissionem in religionem incursis, si publicae sint, solus Papa potest absolvere; sed si occultae, possunt etiam Episcopi iuxta communem sententiam per *Trident. cap. Liceat.* 6. *sess.* 24. Et Salmant. cum Less., Sa, et Castropal. dicunt posse etiam mendicantes, addentes quod Bulla Pii V. quae quoad hoc revocavit omnia privilegia Regularium, non est recepta; sed hic nequeo intelligere, quomodo revocatio privilegiorum opus habeat acceptatione, cum in tantum Regulares prius poterant, quia Pontificibus sic placuit; ergo si eis ablata fuit ab eodem iurisdictio, qua potestate possunt sibi talem iurisdictionem vindicare? Vide dicenda *Tractatu* 20. *num.* 17. *circa fin.* Sed quicquid sit de hoc, certum est per Clementem VIII. ablatam fuisse Regularibus extra Urbem, et intra Italiam facultatem absolvendi seculares a simonia reali, et confidentiali. Vide *Tract.* 20. *de privilegiis num.* 99. Quoad inhabilitatem ad alia beneficia Episcopus potest dispensare, dummodo crimen simoniae non sit deductum ad forum contentiosum, et modo non sit confidentialis (2). An autem possit Episcopus dispensare cum simoniaco ad obtinendum idem beneficium? Respondetur quod si beneficium (sive sit curatum, sive simplex) scienter fuerit receptum simoniace, non potest Episcopus dispensare: si autem simonia commissa fuerit a tertio, et beneficiatus receperit beneficium inscius simoniae, tunc potest Episcopus dispensare, sed non tamen ante renuntiationem beneficii; Navar., Sanch., Salmant., etc. Si autem beneficium est curatum, non potest Episcopus dispensare in illa vacatione, potest vero in alia, Panorm., Pal., Salm., etc. (3).

De *periurio* autem, quod est quarta species irreligiositatis, fiet sermo in *Tract. seq. Capit.* 2.

TRACTATUS V.

DE SECUNDO PRAECEPTO DECALOGI

Cap. I. *De blasphemia.*

1. *Quando committitur blasphemia.*
2. *De maledictione creaturarum.*
3. *ad* 11. *De maledicentia in mortuos.*

1. Blasphemia committitur aut attribuendo creaturae aliquod attributum divinum, ut si vocaretur daemon sanctus, etc. aut aliquod convicium in Deum, vel Sanctos, vel in res sanctas, aut in dies sanctos proferendo, ut si quis malediceret alicui Sancto, dicendo: *Male habeat sanctus N. Male eveniat Ecclesiae.*

(1) n. 114. ad 116. (2) L. 3. n. 117. (3) n. 118

Maledictum sit Pascha, *sabbatum sanctum*, etc. quam quidem execrationem vulgo rudes exprimunt per verbum, *Mannaggia*. Etiam Blasphemia est dicere: *Deo invito hoc fiet; O sanguis Christi!* (ira excandescens in Dominum): *Deus non iuste operatur*. Et hoc postremum esset etiam blasphemia haereticalis; itaque si serio prolata esset, qui eam audiret, infra mensem teneretur ad denunciandum. Blasphematur etiam facto v. gr. spuendo versus coelum, conculcando imagines, coronas, etc.

2. Dicere autem *Atta* sancti N. non est blasphemia, nec etiam *Potta*; nam hoc verbum tantum significat in nostro idiomate interiectionem indignantis. Nec esset blasphemia dicere *Mannaggia santagata*. *Male habeat Santagata Sanctusermus*, *Sanctusmenna*, etc. quando intelligitur locus, et non Sanctus. Nec item erit blasphemia maledicere creaturis, nimirum igni, vento, pluviae, etc. nisi addatur verbum *Dei*, aut nisi essent eae creaturae, quae speciali relatione referuntur ad Deum, aut in quibus peculiari modo relucet divina potentia, prout sunt anima, coelum, etc. Item dicendum puto de maledictione mundi, modo non intelligatur mundus pravus, quomodo accipiebatur a Iesu Christo, cum dixit: *Si odit vos mundus*: *Ego vici mundum*, etc.

3. Maledicere *fidei* alicuius, ex se non est blasphemia, nisi exprimeretur *Fides Christi*, aut *Fides sancta*: quia caeterum nomine fidei potest etiam accipi fides humana. Nec est blasphemia maledicere *mortuis*, nisi mens specifice ferretur ad animas purgatorii, aut nisi malediceret mortuis sanctis aut Christi. De hoc puncto iam egi in opere morali (1): sed quoniam de hoc puncto usque adhuc ab aliis auctoribus minime actum est, lubet hic maiore qua possum claritate de hoc tractare, praecipue ut satisfaciam cuidam auctori anonymo, qui quadam sua epistola nonnulla obiecit.

4. Itaque affirmo maledicere mortuis natura sua non esse blasphemiam neque ex se, neque relative ad eos, qui ea verba effutiunt. Primo non est blasphemia ex se, dum hoc verbum *mortui* proprie est terminus privativus, qui significat homines vita privatos, qui amplius non existunt in praesenti, et in hac suppositione vox *mortui* non denotat nec animam, nec corpus. Qua de re philosophico rigore loquendo qui maledicit mortuis, nemini iniuriam irrogat, dum maledicit illi qui existentiam non habet.

5. Dicit aliquis: Sed hic vox *mortui* accipitur non tanquam terminus *privativus*, sed tanquam *analogus*, nempe quod possit referri tam ad corpus, quam ad animam defuncti. Respondeo primo quod qui sic loquitur, iam loquitur de relatione, qua mens ad aliquod fertur; sed ego loquor de eo, quod importat ex se vox *mortui*. Sed dato quod accipienda sit talis vox tanquam terminus analogus, respondeo secundo, quod sub hac voce *mortui* principaliter, et in recto, ut aiunt philosophi, venit solum corpus; quod dumtaxat potest dici mortuum, non autem anima, quae non moritur. Anima enim potest tantum in obliquo intelligi, dicendo v. g. anima mortui, ex eo quia aliquando fuit forma corporis illius, cui dedit vitam. Sed supposito quod vox *mortuus* principaliter respiciat corpus, et minus principaliter, et ut melius dicam, improprie denotet animam; cum aliquis nominat *mortuos*, ex se loquendo non intelliguntur animae illorum, sed corpora. Ut intelligantur animae, opus est, ut ipse aut mente intendat de animabus loqui, aut animas denotent cetera verba sermonis, ut est illud, quod scriptum habetur in libro 2. Machabaeorum 12. 46.: *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare*. Hoc

(1) Lib. 3 n. 130.

loco verbum *exorare* iam significat sermonem ad animas dirigi.

6. Igitur ex se loquendo maledictio mortuorum non est blasphemia; quia non refertur ad animam. Videamus nunc, an sit blasphemia saltem ex relatione mentali eorum, qui eam proferunt. Et hoc etiam negamus; quia illi, qui maledicunt mortuis, ordinarie a consideratione animarum ipsorum praescindunt. Hic autem auctor epistolae conviciis me onerat ac improperat quod nesciam terminum *abstractum* a *concreto* secernere. *Abstractus*, sic ille me instruit, est qui formam significat a subiecto praecisam, prout est pulchritudo, albedo, etc. *Concretus* vero significat subiectum cum forma coniunctum, v. g. homo pulcher, charta alba, etc. Hinc dicit vocem *mortuos* significare hominem, qui olim anima et corpore constabat, sed nunc importare corpus, et animam disiunctas. Et ex hoc concludit quod *mortuis* maledicens non tantum eorum corporibus, sed animabus etiam maledicit.

7. Respondeo: Ego non dico quod, qui *mortuis* maledicit, eos tanquam abstracta considerat, nempe uti formas sine subiecto: sed dico quod praescindit a considerando in mortuo animam quam olim habuit. Aliud est abstrahere, quod est considerare formam sine subiecto: aliud est praescindere, quod est considerare subiectum praecisum ab aliqua eius qualitate aut circumstantia, cum qua potest illud conspici. Certum est quod homines mortui in praesenti non sunt illi ipsi qui prius existebant in vita. Tunc erant tot personae quae anima et corpore coniunctis constabant: sed nunc quidem existunt eorum animae et corpora, sed sunt substantiae separatae. Adeo ut maledicendo in praesenti hominibus mortuis, non proinde necessario maledicitur eorum animabus, nisi cum illae specialiter exprimuntur, aut subintelliguntur.

8. Sed esto concedatur auctori epistolae, quod ipse sustinere contendit, nempe quod maledicere *mortuis*, idem sit ac maledicere vivis. Quaero ab ipso: ergo qui viventi maledicit, semper peccat mortaliter? Omnes dd. Caietanus, Sotus, Molina, Prado, Azor. de Lugo, et alii apud Salmanticenses (1) cum sancto Thoma (2) dicunt tunc maledictionem in proximum esse peccatum mortale, cum illa est formalis, nempe (ut explicat Caietan.) cum quis animo pravo proximo optat malum (et grave quidem), quod illi imprecatur. Secus vero cum maledictio est materialis tantum, nempe sine pravo animo prolata; et tamen in vivente certe adsunt anima et corpus. Et cur non est mortale? quia qui maledicit non semper intendit maledicere proximi animae, et iniuriam inferre illi substantiae, in qua Dei imago elucet, sed praescindit a respicienda anima, et ita non peccat lethaliter. Qui maledicit creaturis rationis expertibus (docet idem s. Thomas in loco citato a 2. et omnes alii), si eas respicit ut Dei creaturas, graviter peccat, et veram blasphemiam committit, secus vero si praescindit a considerando eas uti tales, et eis maledicit dumtaxat uti creaturis in se consideratis, et tamen omnes illae sunt creaturae Dei. En vide quod s. Thomas iam admittit hanc praecisionem. Ita pariter qui maledicit *mortuis*, si ipsis maledicit respiciendo eorum animas, peccat mortaliter: secus autem si praescindit, ipsis maledicendo, quin specialem ad eorum animas habeat respectum.

9. Dicere autem quod omnes qui mortuis maledicunt, intendunt etiam in animas invehere, ego et tot alii confessarii experientia docti poenitentes de hoc interrogando oppositum experti sumus. Tanto magis quod qui mortuis maledicunt, eis animus non est mortuos laedere, sed viventes, quibus eas maledictiones diri-

(1) De rest. c. 4. n. 27. et 28.

(2) 2. 2. q. 76. a. 3.

gunt ad iniuriarum modum. Sed haec est materia facti; confessarius de hoc potest se certum facere, et a dubio se liberare, sedulo interrogando poenitentes.

10. Dicere autem quod, licet quis intelligat maledicere solis corporibus mortuorum, nec potest excusari a mortali, propter respectum quem Ecclesia erga defunctorum corpora adhibet, ea thure suffiendo, aqua benedicta aspergendo, ac in sacra sepultura tumulando. Nescio utrum hac ratione possit aliquis sibi persuadere, quod maledicere mortuis sit mortale. Brevibus respondeo, et dico quod praefatae functiones non sunt cultus religiosi honor erga cadavera defunctorum, sed sunt quaedam caeremoniae quas Ecclesia etiam erga viventes adhibet. Igitur si honor, qui defunctis praestatur, praestantior non est eo qui vivis exhibetur, nec iniuria erit maior. Sed cur (subiungit auctor epistolae) leges severius puniunt in cadavera saevientes? Respondeo: puniunt non ratione iniuriae maioris, sed animi pravi, qui in eo actu manifestatur, quod quidem crimen punitur etiam in necantibus infideles, et haereticos. Secus, si id esset ex se in defunctorum corpora contumelia gravis, eiusdem criminis rei essent qui ea incidunt, et frustatim dividunt ad medicas observationes. Ceterum quod ego concludo est, quod maledictio in mortuos non est blasphemia, nec peccatum mortale. Et tres auctores (in opere allati) qui tantummodo de hac re scripserunt, idem senserunt. Addo quod ego, ut cautius agerem, scripsi Neapolim ad plures viros doctos, ubi flos extat doctorum, et ad tres congregationes missionariorum, nempe ad illam p. Pavone, archiepiscopatus, et s. Georgii, et omnes uno exemplo mihi rescripserunt, meae sententiae assentientes. Accedit; pater Sabbatinus (tunc pius operarius, nunc digniss. Aquilae praelatus) mihi respondit, cunctos pios operarios, tam praesentes, quam antiquos, idem uniformiter sensisse. Insuper tamquam certum accepi, quod nuntius Neapolis, postquam typis editae fuissent, tam mea epistola circa hanc rem, quam epistola mei adversarii, utramque ad Pontificem Bened. XIV. transmisit, qui R. D. Thomae Sergio pio operario, consultori s. Officii qui iam suum obiit diem controversiam discutiendam demandavit, et quod ipse Pontifici suam sententiam significavit hanc esse, nempe maledictionem in mortuos non esse veram blasphemiam. Et ab alio pio operario, qui nunc Romae degit, mihi affirmatum deinde fuit, quod Papa cognita p. Sergii sententia, et perpenso difficultatis puncto, ostendit se etiam idipsum sentire.

11. Itaque hoc posito, intelligere nequeo, quomodo fieri potest, ut quidam possint non dubitare saltem, et pro certo habere, et etiam ex pergamis sine scrupulo praedicare, mortuis maledicere generaliter loquendo ex se esse mortale, atque veram blasphemiam, quando omnes dd. et etiam illi qui rigidiorem profitentur sententiam, ut p. Concina, et alii docent non esse damnandum de peccato mortali, quod aliquis perspicuus textus Scripturae, aut evidens non suadeat ratio. S. Raymundus scripsit (1): *Unum tamen consulo, quod non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam.* Et s. Antoninus (2) dixit: *Nisi habeatur auctoritas expressa sacrae Scripturae, aut Canonis, seu determinationis Ecclesiae, vel evidens ratio, nonnisi periculose determinatur; nam si determinatur quod sit ibi mortale, et non sit, mortaliter peccabit contra faciens, quia omne quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam, etc.*

(1) lib. 3. tit. de poenit. §. 21.

(2) Part. 2. t. 1. c. 11. § 13.

EPISTOLA RESPONSIVA

ADVERSUS EPISTOLAM APOLOGETICAM SCRIPTAM IN PROPUGNATIONEM DISSERTATIONIS, QUAE SUPER ABUSU MORTUIS MALEDICENDI PRODIIT

Prae omnibus indicandum esse duxi, quod cum adversus ea quae super hoc puncto scripseram, quaedam dissertatio, cui brevibus respondi, prius prodiisset, pollicitus fui, cum semel atque iterum iis quae mihi opponebantur satisfecerim, non amplius circa hoc verbum me fore facturum; tum ne in infinitum daretur progressus, tum ne eadem, quae iam a me scripta erant, repeterem; sed dixi quod dumtaxat respondere volebam (prout feci) ad duas s. Thomae *doctrinas, quas mihi de novo obiiciebat. Et una simul significavi in animo mihi statutum esse deinceps nihil amplius super hac controversia scripturum (quia mihi satis in propatulo res collocata esse videbatur) nisi cum ab adversario meo de veritate prorsus fuissem persuasus: tunc enim nihil mihi difficultatis esset a sententia desciscere et id in omnibus per publicam scripturam significare non erubescerem, prout animus meus ab hoc faciendo non abhorruit in aliquibus aliis meis opinionibus, quas ubi eas rationi non consentaneas cognovi, libenter revocavi.*

Nihilominus post responsionem a me datam, vulgata est altera epistola apologetica in propugnationem praefatae dissertationis, in qua contendebat auctor probare mortuis maledicere per se esse mortale: cui epistolae, non obstante consilio, quod de non amplius respondendo ceperam, alia epistola nunc respondere sum coactus. Et hanc dumtaxat hic subiungo, in qua summatim continetur tum responsio quam ad dissertationem dederam, tum responsio ad dissertationis propugnationem.

Reverendissimo Abbati
D. Bartholomaeo de Marco Basiliano.

Reverendissime pater, et domine colendissime.

Cum dissertatio quaedam super mortuorum maledictione, ac cum adversus eam brevis responsio mea prodiissent, novissime typis edita est altera epistola apologetica pluribus scripta in praefatae dissertationis propugnationem. Ubi ad manus meas illa epistola pervenit, et accurate illa a me lecta, diu animi pependi, rescriberem nec ne. Ex una enim parte consilium de non amplius respondendo susceptum, sartum tectum habere voluissem, ne in infinitum progrederer. Ex alia parte expediens videretur nunc denuo respondere sicut amici mei ad id faciendum me adigunt; tum quia in priori responsione error quidam, a quo me retractare intendo, fortuito excidit, licet ille ad rem nostram nihil referat, sicut ex hac altera responsione animadvertes. Tum quia in laudata epistola apologetica adversarius alias novas exponit animadversiones, quibus ut ambiguitates aliae de medio tollantur, altera responsione satisfacere opus esse duxi. Quapropter ad te hanc alteram responsionem afferendam curavi, et abs te duo haec peto: primum, ut omni qua potes animi attentione eam perlegas, detrahendo, addendo, corrigendo quicquid tibi visum fuerit: secundum, ut mihi consilium tuum candide aperias, utrum expedire tibi videatur ut hanc typis excudendam curem, dum ex una parte mihi contendere displicet cum viro et aliis eius sociis ordinis, quem ego maximi facio, atque mirum in modum veneror (tametsi mihi compertum est non deesse aliquos inter illius ordinis, forte eis minime indoctiores, qui meae adhaerent sententiae). Ex altera parte a fidelium cordibus hanc deducere opinionem, nimirum quod praefata maledictio sit mortale, cum

tale non sit, ad gloriam Dei, qui sibi animarum salutem gloriae habet, non parum conferre censeo.

Parcas mihi, quaeso, si non pauca, quae in priori responsione iam notata erant, hic repetita obsérvas. Hoc non aliter faciendum esse censui, ut lectoris ante oculos omnia simul exponantur, dum legit illas animadversiones, quas mihi adversarius de novo obiicit. In dissertatione probare aggressus est maledictionem in mortuos esse peccatum lethale, et veram blasphemiam duabus ex rationibus: 1. Quia corpora fidelium defunctorum sunt sacra: 2. quia praefata maledictio praescindere non potest, quin ad animas referatur. In responsione ad dissertationem data, dixi quod iam illis obiectionibus bis responderam, propterea ne eadem semper canerem, nolui ad omnia quae opponebantur respondere. Nihilominus duabus s. Thomae auctoritatibus, quae de novo afferebantur, dixi me facere non posse quin responderem. Primus textus desumptus est ex 3. *p. qu.* 8. *art.* 2. ubi S. doctor dicit Christum in fidelium corpora influere ius resurgendi propter Spiritus sancti inhabitationem. Et hoc idem ius auctor dissertationis probare intendit aliunde, nempe ex ratione sacramentalis communionis, qua fideles, dum vivunt, reficiuntur; hincque ex hisce duabus rationibus infert mortuorum corpora inter sacra annumeranda esse, adeo ut sacro cultu ex religionis virtute emanato, veneranda sint. Ast si hae rationes (respondeo ego) probarent quod corpora quorumlibet defunctorum pro sacris habenda sunt, probarent etiam quod necessario corpora fidelium damnatorum inter sacra annumeranda essent: in iis enim etiam aliquando habitavit Spiritus sanctus, et cum Iesu Christo per Eucharistiam concorporata fuerunt. Dicit quod illae qualitates per peccatum postea amittuntur. Igitur subsumo, quoties Ecclesiae authentico testimonio mihi non constat, animam illius gloria aeterna frui, ac etiam quoties Ecclesia honorem qui ei debetur ad cultus sacri rationem non elevat, ut infra explicabimus, mihi fas non est illud corpus pro sacro habere. Praeterquam quod, si corpora defunctorum sacra sunt propter Eucharistiam quam receperunt, et propter Spiritus sancti inhabitationem, necessario dicendum erit etiam corpora viventium fidelium tamquam sacra colenda esse, ita ut quaelibet iniuria, aut maledictio in fidelis viventis corpus irrogata, peccatum grave religioni adversans dicendum sit. Sed hoc est contra expressam s. Thomae doctrinam, ut mox videbimus. Dicere autem sacra corpora defunctorum propter ritus, quibus erga illa utitur Ecclesia, quia nempe sacrae sepulturae beneficio donat, processionibus et benedictionibus ea decorat, thure suffit, et etiam ob antiquum ritum (ut adversarius dicit) dudum adhiberi consuetum sacram Eucharistiam super defunctorum pectore collocandi: nescio cur hi ritus actus sacri cultus dici debeant; cum compertum sit, saeculis superioribus etiam tempore quo ab infidelium persecutionibus pace Ecclesia fruebàtur, defunctorum fidelium corpora sepeliri in campis, et viis, prout testatur Thomassinus, et Calmet: imo plura Concilia prohibuerunt quominus in ecclesia cadavera sepulturae darentur. Quod si posterioribus temporibus usus invectus est ut in loco sacro sepelirentur (hoc affirmante sancto Gregorio), inde processit, ut proximi ex sepulchrorum conspectu recordarentur defunctorum animas saepius suis precibus coadiuvare: *Hoc prodesse mortuis* (sunt verba Sancti), *si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, ipso tumulorum conspectu admoniti, pro illis frequentius exorent; lib.* 3. *Dial. cap.* 50. 52. *et* 53. Et idem dicit *sanctus Augustinus lib. de cura pro mortuis*. Benedictiones autem cum aqua lustrali, dicunt Ga-

vantus, et Durandus, erga cadavera ideo adhiberi, ut a daemonum infestatione illa liberentur. Et hac eadem de causa illa thurificantur; ut scribit *Innoc. III. lib.* 2. *de myst. Missae, c.* 17. et ob id idem SS. Eucharistia in defuncti pectore apponebatur, ut idem s. Gregorius asserit *lib.* 2. *Dial. c.* 24. Quamvis hoc denique reprobatum fuerit a conciliis in 4. 6. et 7. saeculo, ut refert p. Vestrini in suis litteris theologicis *Tr.* 3. *epist.* 53. sicut etiam vetitum fuit sacram Eucharistiam in ecclesiarum fundamentalibus lapidibus collocare, aut ad energumenos, aut ad infirmorum vulnera admovere, sicut pariter sanguine consecrato frontem, oculos, etc. linire, qui apud antiquos fideles mos receptus habebatur, referentibus s. Cyrillo, et s. Ioanne Chrysost. Haec perspicuum dilucidumque faciunt hos pios actus (qui a simplicitate potius quam a religione derivarunt) non indicare sacra esse ea, circa quae illi adhibebantur, sed quod solum ad bonos assequendos effectus, quos ex eorum usu sperabant fideles, adhibebantur.

Sed loquendo de ritibus, quibus hodie utitur Ecclesia communiter in tumulandis cadaveribus, haec sunt quae scribit Spondanus (*lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 15. *sect.* 8. *De sacr. coemet.*): *Quanta namque sit vis crucis qua signantur et ornantur, et aquae benedictae qua asperguntur, et thuris quo suffiuntur, tum ad alia plura arcenda mala, tum maxime ad fugandos daemones, eorumdemque ac magorum praestigia dissolvenda, pronum mihi esset quamplurimis Patrum testimoniis et exemplis testatissimum reddere.* Et in *cap.* 2. *Sect.* 1. *Fit suffitus ad corpora fidelium defunctorum, quoniam, qui pie moriuntur sunt Christi bonus odor; et ut insuper significetur, defunctos reliquisse odorem bonorum operum, etc. Per incensum ut iudicetur eosdem credidisse se per mortem ire ad immortalitatem.* Insuper Stephanus Durandus (*lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 9.): *Porro thurificatio fit ad reverentiam loci, et divini officii, etc.* Item Ioannes Beleto (*in explicat. divin. offic. cap.* 161.): *Cadaver ponitur in sepulchrum, et aqua apponitur benedicta, ac prunae cum thure. Aqua benedicta, ne ad corpus daemones accedant. Thus propter corporis faetorem removendum. Prunae ad designandum, quod terra illa in usus communes redigi nequeat.* Praeterea Guillelmus Durandus (*in rationali lib.* 7. *cap.* 35.): *Aqua benedicta ponitur, ne daemones ad corpus accedant. Thus propter faetorem removendum, seu ut defunctus Creatori suo acceptabilem bonorum operum odorem indicetur obtulisse, seu ad ostendendum quod defunctis prosit auxilium orationis.* Ex quo patet omnes praefatos ritus quos erga defunctos adhibet Ecclesia, non esse cultum sacrum quo honorare intendit cadavera, sed mysticas caeremonias. Nota praeterea quod eos denegat Ecclesia iis, qui excommunicationis aut interdicti vinculo ligati ex hac vita decesserunt, quamvis antequam animam efflarent certa poenitentiae ac suae salutis signa dedissent. Igitur non ideo cum defunctis eos ritus adhibet Ecclesia, quia supponit eos esse templa Spiritus sancti, sed quia communionem inter viventes et defunctos cupit conservari.

Alter locus s. Thomae qui mihi obiicitur excerptus est ex eadem 3. *p. q.* 25. *art.* 6. ubi dicit Angelicus quod Sanctorum reliquiae venerandae sunt, quia fuerunt templum et organa Spiritus sancti, qui in ipsis inhabitavit et operatus est: et etiam quia aliquando illa per gloriosam Resurrectionem Iesu Christi configuranda sunt corpori. Ex hoc infert adversarius maledictionem in defunctorum corpora veram esse blasphemiam, ex eo quia illa iam dudum etiam templa et organa fuerunt Spiritus sancti. Sed si haec ratio valeret pro defunctis (iterum pariter dico) tanto magis valere deberet pro

vivis; imo quam longe fortius: viventes enim sunt actu (si in charitate vivunt, prout pie praesumendum est) templa viva et organa Spiritus sancti. Sed s. Thomas 2. 2. *q*. 76. *a*. 3. cum communi theologorum, qui eum sequuntur, Caiet. Sot. Azor. Prad. Serra, Mol. Lugo, Laym. Trullen. et omnes dicunt quod maledictio sive imprecatio in homines prolata, veniale non excedit, quoties maledictio non est formalis, sed tantum materialis, nempe sine pravo affectu. Referamus integrum textum Angelici, ne mihi imponatur quod truncum retulerim: *Maledictio est, per quam pronunciatur malum contra aliquem* (nota) *vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius, secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius. Et ita secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare et revereri tenemur. Unde dicitur* (*Lev.* 20. 9.). Qui maledixerit Patri suo, aut Matri, morte moriatur. *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum, esse veniale vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo, imprecatur, vel etiam propter affectum proferentis, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur*. Hinc in me adversarius invehendo, et verba Angelici cum emphasi mihi repetendo, *secundum genus suum est peccatum mortale*, sic me alloquens excandescit: *Intende, o non intende!* Ego tamen mihi videor haec intelligere, et quidem ita, ut nemo aliter, quam ego intelligo, textum s. Thomae intelligere debeat, nimirum quod hominibus maledicere tunc est peccatum mortale, cum maledictio est formalis, quae tunc dicitur esse talis, cum quis animo pravo optat, ut illis eveniat malum quod imprecatur, aut cum alios inducit ad illis malum ferendum, sicut se explicat Angelicus in loc. cit. *a*. 1. exemplo iudicis, qui ministros iustitiae ad poenam iniustam exequendam in reum iniuste movet. Et hoc dicit Sanctus ex se esse peccatum mortale, quia hoc *secundum se* (ut ipse loquitur) *repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius*. Nam sicut charitas nobis imponit, ut proximi bonum velimus, ita vetat ne illi malum optemus, et ne alios ad illi malum inferendum inducamus. Loquendo vero s. Thomas de maledictione verbali (de qua dumtaxat nos in praesenti casu loquimur) dicit illam non excedere veniale, aut cum malum quod quis imprecatur est leve, aut deest pravus affectus (quae materialis maledictio nuncupatur) proferendo nempe maledictionem aut ioco, aut sine plena deliberatione. Et hoc denique hac ratione confirmat: *Quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur*. Hoc idem docet Caietanus super cit. *q*. 76. *a*. 1. dicens: *Nota ex* 1. *art. quid sit proprie maledictio, scil. dicere malum, in quantum malum, alicui ex intentione. Et ex hoc oritur quod maledictio distinguitur in maledictionem formaliter, et materialiter; et quod quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale; nam maledictio formaliter est ex suo genere mortale, ut patet, materialiter autem si fiat optative, non est mortale; si vero fieret imperative, posset esse mortale. Et ratio diversitatis est, quia praeter intentionem optative maledicens neminem laedit, quia nec ex intentione nec ex opere ministri obsequentis, quamvis non ex propria intentione. Dixi autem ex suo genere, quia propter imperfectionem actus, sive ex parte obiecti, ut si parvum malum optet vel imperet, sive ex parte operantis, ut si ex ira* (*vel ex ludo*, addit s. Th.) *maledicat, quamvis affectu tendat in malum, quia non ex consensu rationis in malum tendit, deficit a perfecta ratione peccati, et per hoc non est*

mortale. In sequela igitur doctrinae s. Thomae Caietanus ex una parte ait quod maledictio formalis, nempe *ex intentione*, est de genere suo mortalis, et fit venialis vel propter imperfectionem actus, scilicet consensus rationis, vel propter parvitatem mali quod optatur; ex alia dicit, esse nonnisi venialem maledictionem materialem, nimirum *praeter intentionem* pronuntiatam *optative*, id est modo optativo, sive per verba desiderium exprimentia, sumendo illud *optative* adverbialiter, ad differentiam *Tò imperative*; scilicet imperativo modo. Et idem quippe, etsi diverso modo, docet d. Thom. loco citato: ibi enim distinguit maledictionem formalem a materiali; nam primo loco loquitur de formali, nempe cum intentione volendi malum, quod pronuntiatur, dum ait: *Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius. Et ita secundum suum genus est peccatum mortale*. Illud igitur quod S. doctor repugnare intelligit charitati, et esse mortale secundum suum genus, non est simpliciter pronuntiare maledictionem; sed illud *velle, vel imperio movere ad malum alterius*. Ergo s. Thomas tantum in volendo malum quod pronuntiatur, vel in movendo alios ad malum inferendum, gravitatem culpae recognoscit. Deinde ad explicandam procedit maledictionem materialem dicendo illam esse venialem si ex levi motu, vel ex ludo profertur, rationem tradens: *Quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur*, ut supra dictum est *q*. 76. *a*. 3. et in *q*. 72. *a*. 2. sic prius dixerat: *Verba, in quantum sunt soni quidam, non sunt in nocumentum aliorum, sed in quantum significant aliquid; quae quidem significatio ex interiori affectu procedit; et ideo in peccatis verborum maxime considerandum est ex quo affectu aliquis verba proferat*. Aliud itaque est maledicere *optative*, ut loquitur Caietanus; aliud maledicere *optando*, ut loquitur s. Thomas; *optative* enim denotat maledicere per verba optativa praeter intentionem: *optando* autem intelligit *s. doctor* maledicere ex vera intentione, sicut perspicue deinde se explicat, dicendo: *Velle autem, etc., secundum se repugnat charitati, etc.* Et hoc quidem est maledictio formalis, ac ideo graviter culpabilis; et tantum evadit venialis, ut subdit Angelicus vel ob parvitatem mali quod optatur, vel ob surreptionem, sive levi motu, quo maledictio profertur.

Caeterum quaestio haec me inter et meum contradictorem de mero nomine est, nam dato quod s. Thomas generaliter diceret quamcumque maledictionem de genere suo esse mortalem, attamen s. doctor pro certo equidem habet, quod maledicere homini sine pravo affectu, non est nisi veniale. Et non aliud quam hoc ipse probare quaero. Itaque tam d. Thomas, quam Caietanus, et omnes alii doctores, cum s. Augustino apud eumdem Angelicum (1), non reputant esse blasphemiam maledicere homini, ex eo quod homo sit templum Spiritus Sancti; nam si hoc tenerent, nequirent dicere maledictionem sine pravo animo esse venialem; maledicere enim Sanctis aut rebus sacris, licet absit malus animus, semper est mortale. Ex hoc evidenter infertur quod iuxta Angelicum, et communem dd. sententiam recte considerari potest fidelis persona praecise ab eo quod sit templum Spiritus Sancti. Et deducitur praeterea (adversus id quod etiam innuit meus adversarius) quod sicuti non est culpa gravis contra charitatem, et pietatem, maledicere corpori fidelis viventis, si abest pravus affectus, ita non est gravis contra charitatem, et pietatem, sine pravo animo corpori fidelis defuncti maledicere; quandoquidem iuxta ipsum s. Thomam, charitas qua mortui, qui

(1) 2. 2. q. 76. art. 4. obiect. 1.

in gratia decesserunt, prosequendi sunt, non est aliud quam extensio charitatis quam vivis praestare debemus: *Charitas* (ait Sanctus) *quae est vinculum Ecclesiae membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos qui in charitate decedunt.*

Sed adversarius meus dicit, quod maximum est discrimen inter vivorum, et defunctorum maledictionem, quia in vivo regnat fomes, ac proinde ipse in peccandi periculo versatur, a quo qui decessit in gratia immunis est: unde fit (ait) quod maledictio in vivos potest esse venialis: cum enim sit peccatum contra charitatem, remoto pravo affectu, potest esse non grave; sed maledictio in defunctos, cum sit peccatum contra religionem, etiam remoto pravo affectu semper est grave peccatum, ratione iniuriae, quae religioni irrogatur, cum corpori sacro maledicitur. Sed ut respondeam iterum, principium eius perquiramus, unde ille fidelium defunctorum corpora sacra esse autumat. Ipse dixit iuxta s. Thomae doctrinam mortuis maledicere esse grave, quia eorum corpora fuerunt organa Spiritus sancti, et quia Communionem sacramentalem receperunt. Respondeo igitur: quoad illud quod defuncti corpus propter Communionem, et quia templum fuit Spiritus sancti, pro sacro habendum sit, iam superius dixi, quod haec ratio probat tam defuncti quam vivi corpora pro sacris habenda esse, quia etiam vivus est templum Spiritus sancti: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* 1. Cor. 6. 19. Sed in vivos (replicabit) quod fomes adest, qui hominem redigit sub potestatem peccandi. Respondeo: Ergo corpus Adae ante peccatum erat sacrum? Praeterea, potentia ad peccandum non efficit, ut mutetur species sanctitatis corporis. Item nec fomes nec periculum peccandi efficiunt, ut *hic et nunc* vivens non sit templum Spiritus sancti: tanto magis quod fomes iste nullum reatum aut maculam in animam inducit, nam gratia Redemptoris baptizatis omnes peccati maculas extergit, et cumulatissime omnia eius damna reparat... *Copiosa apud eum redemptio.* Ps. 129. 7. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. 5. 20. *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Ioan.* 10. 10. Unde definivit Trident. (*Sess.* 5. *in decr. de pecc. orig. can.* 5.). per Baptismum animas immaculatas reddi, et fomitem nihil nocere, imo prodesse ad maiorem mercedem recipiendam non consentienti: *In renatis enim nihil odit Deus . . . innocentes, immaculati, puri ac Deo dilecti effecti sunt, etc. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem haec sancta Synodus fatetur et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus non valet, quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur.* Itaque ratio, quod sunt Spiritus sancti organa, non efficit, ut corpus fidelis vivi vel defuncti sacrum habeatur; alias vivis, etiam sine pravo animo, maledicere, semper esset peccatum grave; et oppositum certum est, ut ipse adversarius admittit. Unde ad aliam rationem (si forte adversarius eam reperiat) confugere opus est, ut probet defunctorum corpora sacra esse. Nec valet dicere quod maledicendo vivum potest praescindi, eum non considerando ut templum Spiritus sancti, sed mentem ad alia motiva peculiaria applicando, v. g. ad iniurias quibus ab eo affectus est. Et ego subsumo: et cur haec praecisio effici non potest etiam respectu defunctorum, iis maledicendo ratione habita alicuius molestiae, qua ab eo affectus sit, sed sine pravo animo? Praeterquam quod (ut scripsimus in prima epistola) plerumque hae maledictiones potius in vivorum contumeliam, quam in defunctorum effutiuntur. Sed (dicit) hoc neutiquam effici potest, quia defunctorum cor-

pora sunt sacra; sed hic redit quaestio, quia hoc est quod controvertitur; nos enim dicimus nullum defunctorum corpus pro sacro habendum esse, nisi cum Ecclesia sanctum illud esse declarat, atque praecipit illud uti sacrum venerandum esse, elevando venerationem ab ordine humano ad supernaturalem et divinum, ut mox cum s. Thomae auctoritate videbimus.

Sed replicabit auctor, quod iuxta eumdem *s. Thom.* 3. *p. q.* 25. *a.* 6 reliquiae Sanctorum veneratione dignae sunt, quia huiusmodi corporum animae Deo actu fruuntur; et quod propterea defunctorum corpora (ait), licet cultu duliae venerari nequeant, non possunt tamen sperni, cum sint sacra: pie enim credendum est eorum animas salvas esse. Igitur, respondeo, defunctorum corpora, cum sint sacra, eis sacer cultus exhibendus est? Sed vellem scire quinam sacrorum cultuum eis exhibendus sit? Adversarius fatetur non deberi cultum duliae, sed ego nullum alium reperio qui ab Ecclesia aut a dd. assignetur, nec capere possum quod alia cultus sacri species assignari possit, praeter latriae, hyperduliae, et duliae. Sed (insurgit) ad quem cultum reducitur altarium, vestium, et vasorum veneratio? Respondeo quod reducitur ad cultum latriae, nam hae res per se nullum cultum merentur: dum cum execrantur, non amplius sacro cultu venerantur, sed *relative* sive *reductive*; unde eorum cultus reducitur ad cultum latriae ratione sacrificii ad quod ordinantur. Ideoque dico quod cum defunctorum corpora cultu latriae, vel alio sacro venerari non possint, inter sacra numerari non debent. *P. Suar. (opusc. defens. fid. cath. adv. Ang. sect. errores, lib.* 2. *c.* 10. *n.* 14. *circa fin.)* loquendo de veneratione debita Sanctorum, et caeterorum defunctorum reliquiis, dicit: *Imo insuper addo, hanc ipsam consuetudinem* (nempe venerandi uti sacras reliquias Sanctorum) *ostendere, longe altiori modo Ecclesiam de Sanctorum reliquiis sentire, quam vulgarium hominum mortua corpora soleant reputari.* Occurrit mihi quod etiam s. Gregorius Nyssenus, loquendo de corporibus Sanctorum et caeterorum fidelium vulgari morte defunctorum, dicit nullam paritatem esse inter honorem qui illis exhibendus est, et illum, qui aliis; nam subiungit quod corpora aliorum defunctorum omnes horrent, et ab illis fugiunt; sed ad corpora Sanctorum quia sacra sunt quilibet se appropinquare optat, et tactu se credit sanctificari. Afferamus eius verba, quae de corpore sancti Theodori affert (in *orat. de s. Theod.*): *Corpus s. Theodori ad alia corpora quae communi et vulgari morte dissoluta sunt, nec comparandum quidem est . . . nam caeterae quidem reliquiae abominabiles plerisque sunt, ac nemo lubenter sepulchrum praeterit, aut si ex inopinato apertum offendit, praetercurrit. At si venerit in aliquem locum similem huic, ubi hodie noster conventus habetur, ubi memoria iusti, sanctaeque reliquiae sunt, primum quidem earum rerum quas videt magnificentia oblectatur... cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem ac benedictionem contrectationem eius esse credens.* Hinc notandum quam alia sit veneratio quam Ecclesia, et fideles Sanctorum corporibus exhibent, et alia qua aliorum defunctorum corpora honorantur.

Quoad venerationem autem debitam corporibus quorum animae Deo fruuntur; respondemus quod ratio s. Thomae non potest valere, nisi pro solis Sanctis ab Ecclesia declaratis, de quibus tantum Angelicus loquitur: S. enim Thomas ex ratione quod animae Sanctorum Deo fruuntur, procedit ad demonstrandum quod eorum corpora veneranda sunt. Ad percipiendum igitur quid sanctus Doctor sentiat, et quae sit rei veritas, distinguendae sunt duae species cogni-

tionis, qua nos scimus, et credimus animam alicuius Deo frui; humana una, superhumana, et divina altera ex Ecclesiae declaratione. Nunc certum est venerationem illam corporibus Sanctorum, de quibus loquitur sanctus Thomas, debitam non posse applicari nisi ad illa corpora, quorum animas beatas esse scimus cognitione revelata nobis per Ecclesiam, quae elevat honorem qui eis debetur ex ordine humano ad superhumanum.

Hinc fit non sufficere nobis pro sacro habere aliquem defunctum, etiam morali certitudine, ut debeat a t possit eius corpus sacro cultu venerari, sed requiritur ut Ecclesia authentice nos certos faciat certitudine ipsi divino lumine communicata, animam illius defuncti iam cum Deo in coelis regnare. Audiamus verba s. Thomae *Quodlib.* 9. *art.* 16. *ad* 1. Ibi ad obiectionem quam praemittit quod non possint venerari Sancti, quia de ipsorum beatitudine moralis certitudo haberi non potest, Sanctus (*ad primum*) ita respondet: *Dicendum quod Pontifex, cuius est Sanctos canonizare, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitae, et attestationem miraculorum; et praecipue* (nota) *per instinctum Spiritus sancti, qui omnia scrutatur profunda Dei.* Itaque propter quamcumque moralem certitudinem, sed humanam, et naturalem, nos non debemus nec possumus pro sacris habere fidelium defunctorum corpora, nec eis exhibere cultum sacrum, nisi post eorum canonizationem; tunc enim Ecclesia ex illa notitia supernaturali, quam ex Spiritus sancti instinctu habet, sicut dicit Angelicus, transfert venerationem erga illud corpus ab ordine humano ad ordinem superhumanum, et divinum. Idem apparet expressum in Decretis Urbani VIII. spectantibus ad cultum servorum Dei, non adhuc canonizatorum aut beatificatorum (vide apud *Benedictum XIV. de canoniz. ss. lib.* 2. *cap. XI.*); in quibus praecipue statutum fuit ut in scribendis vitis, aut gestis talium Dei servorum sequens protestatio auctoris praemitteretur: *Profiteor me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent quae humana dumtaxat auctoritate, non autem divina catholicae romanae Ecclesiae, aut sanctae Sedis apostolicae nituntur:* notentur haec verba, *quae humana auctoritate, non divina Ecclesiae, etc.* Itaque servorum Dei gesta aliam non habent fidem, et venerationem, quam humanam: sed cum eos Ecclesia sanctos declarat, tunc veneratio ex humana ad divinam extollitur propter Ecclesiae divinam auctoritatem. Hinc est quod ut alicui defuncto cultus aliquis praestetur sacer, qui superhumanus sit, necesse est, ut principium aliquod, et cognitio superhumana habeatur de sanctitate obiecti, media illustratione divina nobis per Ecclesiam communicata. Et propterea cum sancti iam ab Ecclesia declarati sunt, sacra evadunt non tantum eorum ossa, sed etiam vestes, litterae, et caetera quibus ii usi sunt; et irreverentia gravis, et sacrilegium esset iis praecisa necessitate ad profana uti. Quod quidem contra de rebus mortuorum non adhuc canonizatorum, licet qualemcumque de eorum coelesti beatitudine haberemus notitiam, id efficere vetitum non est.

Quamquam concedimus quod cum veneratione possumus reliquias alicuius defuncti cum sanctitatis opinione apud nos habere, eum invocare, effigiem depingendam curare, et alia id genus efficere, quia haec cultus sacri rationem non habent, sed sunt dumtaxat religionis actus (non autem civiles) qui, ut dicit *p. Ioan. a s. Thoma*, auctoritatem cuius mihi adversarius obiicit, et ut etiam docet Bellarminus (*Contr.* 4. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 4. *et* 7.) et Bened. XIV. de *canon. ss. l.* 2. *c.* 7. *n.* 4.

et 7. adhiberi possunt aeque erga defunctos, ac erga vivos. Imo ex hoc infert Bellarminus licitum esse eos actus erga defunctos adhibere, quia vivis licite praestari possunt: *Si licet* (sic ille concludit) *honorare viventes, quos credimus sanctos, cur non mortuos?* Et cum nonnulli hanc Bellarmini doctrinam carpsissent, nempe quod venerari concedebat sanctos non canonizatos, sic eam vindicavit dicendo, quod ipse alium non concedebat non canonizatis cultum, nisi illum qui vivis exhiberi solebat, apud Bened. *loc. cit. cap.* 9. *n.* 1. Dixi *actus religionis*, quia alius est actus religionis, alius est cultus sacer: deosculari manus servo Dei, se eius precibus commendare, pedes ei lavare, et caetera, hi sunt quidem religionis actus, quia a religione manant; non sunt autem cultus sacri, cum erga res sacras non exerceantur. Et ita pariter mortuos in loco sacro sepelire, thure suffire, pedes deosculari, reliquias eorum venerari, sunt quidem caeremoniae sacrae ac religionis actus, non sunt autem cultus sacer.

Profecto caeremoniae sacrae dicuntur, et vere sunt, quia illae seipsas respiciunt, quae sacrae sunt prout ab Ecclesia praeceptae; sed cultus sacer dici nequeunt, quia cultus obiectum erga quod adhibentur respicit; ideoque nunquam dici potest cultus sacer cum obiectum sacrum esse non constat. Praeterea sunt utique actus religionis; et hic fateor quod in mea prima responsione (nescio quomodo) error excidit; nam cum dicere deberem thurificationes, et benedictiones, et alias caeremonias, quas erga defunctos adhibere solemus, non esse cultum sacrum, dixi non esse actus religionis. Affirmo quidem, nec dubito quin actus religionis sint; sed non proinde sunt cultus sacri, et per consequens non est quod propter praefatos actus, qui adhibentur erga defunctos, corpora eorum tamquam sacra habenda sint, atque ideo possint ea cultu sacro venerari. Propterea Alexander III. *cap.* 1. *de reliq. et ss. venerat.* absolute prohibuit venerari pro Sancto aliquem nisi Ecclesiae auctoritas accedat: *Cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Ecclesiae romanae venerari.* Et quamvis olim pro Sanctis sine Ecclesiae declaratione, sed populorum consuetudine aliqui venerabantur; nihilominus respondet Bellarm. loco cit. (*cap.* 8. *in fin.*) quod hoc ex tacita Papae approbatione licebat: *Sicut consuetudines aliae vim habent legis ex tacito consensu principis; ita Sancti alicuius cultus ex consuetudine introductus, vim habet ex approbatione tacita, vel expressa Pontificis.*

Repono igitur: ego non dubito quin ritus quos adhibet Ecclesia erga defunctos sint caeremoniae sacrae, et religionis actus, non autem cultus sacer; prout revera Rituale romanum, loquendo de exequiis, ritus qui adhibentur in sepelitione mortuorum, non iam vocat cultum sacrum, sed tantum *mysteria religionis, et signa christianae pietatis*, sic dicens: *Sacras caeremonias ac ritus quibus Mater Ecclesia in filiorum suorum exequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria, christianaeque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, parochi summo studio servare debent.* Addo duas alias animadversiones, ex quibus hoc fit clarius. Primo si talis cultus esset sacer, etiam esset cultus publicus, siquidem ille a publico ministro Ecclesiae adhibetur; et hoc certum est quod fieri non potest, dum ipsa Ecclesia prohibet ne cultus publicus cuivis ab ea pro Sancto aut Beato non declarato exhibeatur. Praeterea, dicit s. Franciscus Salesius, quod cultus sacer defunctis non praestatur nisi in protestationem eorum virtutis excellentis; et cognitio huius excellentiae certa esse debet. Quomodo autem dici poterit quod ritus,

qui erga defunctos exercentur, sint cultus sacer, cum de defunctis (communiter loquendo) non habetur haec eorum excellentis virtutis cognitio? Imo pro comperto habetur, quod inter fideles defunctos non pauci sunt, qui aeterno igne cremantur, et interim hi ritus indifferenter erga omnes practicantur. Igitur dicendum est Ecclesiam tales ritus pro sacro cultu non habere.

Argumentum quoddam praevenio, quod mihi obiici posset; si ergo conceditur quod mortuos venerari sit actus religionis, eis maledicere procul dubio erit religioni actus oppositus. Respondetur prius per instantiam: si hoc argumentum valeret pro defunctis, valeret etiam pro vivis, nam venerari servos Dei viventes actibus superius descriptis, ut ostendimus, etiam est actus religionis sive cultus religiosus, unde maledicere huic tali servo Dei, etiam praeciso animo pravo, esset pariter grave sacrilegium; sed nemo hoc dicit. Sed responsio directa affertur. Distinguendum atque videndum est ex quo motivo talis actus religionis proveniat; si provenit ex motivo ipsius obiecti, quia obiectum sacrum est, contumelia in illud tunc est peccatum religioni adversans, et est sacrilegium; sed si actus honoris procedit a pietate religiosa fidelis, tunc utique erit actus religiosus, quia a motivo religionis procedit; sed maledictio in obiectum non erit actus contra religionem, quia non est actus, qui ad obiectum sacrum refertur.

Adversarius in dissertatione admiratur, et imprudentes (ne dicam temerarios) sincera fronte appellat eos, qui in confessionario aut in suggestu dicunt non esse ex se grave mortuis maledicere. Sed ego, et alii mecum admirantur eos qui sibi scrupulum non faciunt absolute praedicare hanc maledictionem esse peccatum mortale, atque blasphemiam. Ad hoc ut dicatur quod actio aliqua non sit peccatum grave, sufficit ut vera probabilitas habeatur, quod tale non sit, quemadmodum omnes fatentur, intelligo illam, quae fundamento non tenui innititur, sed tali, ut tuto (iuxta sententiam communem, seposita quaestione de probabiliori, et minus probabili) possit teneri et doceri. Et parvi aut nihili faciunt ad nostram rem duae illae doctrinae, quas mihi adversarius opponit, s. Augustini unam: *Graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta praeponeret. Lib. 1. de Bapt. cap.* 3. *n.* 4. *in fine, et cap.* 5. *n.* 6. *Si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum?* Nam ibi s. doctor loquitur de eo, qui operatur in dubio circa res ad salutis aeternae necessitatem spectantes, in qua re quilibet tenetur certum sequi. Praeterquam quod ibi Sanctus sermonem habet de quodam Donatista, qui cum certus esset in catholica Ecclesia rite et recte Baptismum conferri; contra dubius erat an recte in sua secta eum reciperet; integrum textum exhibebo (dicto c. 5.): *Si dubium haberet non illic recte accipi quod in* Ecclesia *catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta praeponeret*. Et deinde (dict. c. 5.) *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Quis dubitat quin iste Donatista certo peccaret? Sed non dicebat s. Augustinus, quod qui ex vera et solida probabilitate operatur, cum dubium non versatur circa ea quae ad salutis necessitatem pertinent, prout est Baptismus, et cum actio non est certe illicita. lex enim dubia non imponit certam obligationem, iuxta id quod docet Angelicus *Quodlib.* 14. *de verit. art.* 3. *Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti*. Et idem probatur ex cap. *Cum iure* 31. *de offic. et pot. iudicis deleg. Nisi de*

mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur. Idem in *can. Sicut quaedam*, *distinct.* 13. ubi s. Leo haec scribit: *In his, quae vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis ss. Patrum inveniatur adversum.* Hoc locum habet in quantum asseri potest, quod aliqua actio non sit graviter illicita. Sed ut affirmetur absolute aliquam actionem esse peccatum mortale, non sufficit opinio probabilis, nec etiam probabilior: nam probabilior non excludit rationabilem timorem errandi: unde non efficit quod lex non remaneat dubia, et quod opinio opposita non possit esse vera, si vere probabilis est: quapropter cum agatur de Sacramentis, non est licitum sequi probabiliorem cum opposita est probabilis, licet minus probabilis. Ad hoc igitur ut actio aliqua sit graviter illicita, requiritur certitudo, prout docent omnes cum s. Raymundo, qui (*lib.* 3. *de poenit.* § 21. scripsit: *Non sis nimis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam.* Itaque Sanctus monet ne iudicetur aliqua actio esse peccatum mortale ubi non constat tale esse; et cum dicat Sanctus *ubi non constat*, semper reprobare intelligit tamquam excessum asserere aliquod esse peccatum grave, quoties de illius gravitate non constat. S. Antoninus pariter dixit (*P.* 2. *tit.* 1. *cap.* 11. § 28.): Quod sine periculo peccandi determinari non possit aliquam actionem esse peccatum grave, nisi aperta scriptura, aut Ecclesiae determinatio, aut ratio evidens non habeatur: *Quaestio in qua agitur* (sunt verba Sancti) *de aliquo actu, utrum sit peccatum mortale vel non, nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa Scripturae aut Canonis Ecclesiae, vel evidens ratio, periculosissime determinatur.* *Quia* (ut subiungit) *qui determinat sine aliquo ex praedictis momentis aedificat ad gehennam*, coniicit animas in periculum damnationis. Hinc sapientissime Bened. XIV. in suo opere *de Synodo*, in plerisque capitibus nihil aliud Episcopos monet, quam ne unquam peccati gravis eas damnent opiniones, quae uti probabiles dd. utriusque partis defendunt.

Adversarius meus caeteroquin usque eo progressus est, ut conclusionem theologicam suam opinionem appellet. Ego nolo me ingerere ad decidendum, utrum eius opinio pondere, et quo pondere probabilitatis fulciatur, sed nescio an *conclusio theologica* dici possit, cum nullus Scripturae textus pro illa habeatur, nec Ecclesiae definitio extet, nec ratio evidens, nec dd. communis auctoritas, imo nec unius, qui iuxta eius opinionem scripserit, reperiatur. Adducit ille textum s. Isidori Pelusiot. (*lib.* 5. *Epistolarum, epist.* 491): *Vivi incessunt etiam mortuos; et hostes foedus ineunt! Cur igitur et naturae leges, et inimicitiarum superas terminos, vita functos maledicens? Videris enim in cinerem ac favillam linguam acuere; sed primo violas sanctimoniam, cui omnes mortales studeant oportet. Deinde immortalem habet animam, cuius vindex est oculus Dei pervigil.* Sed in libro, qui apud me est, typis edito Romae anno 1629. reperio non ita, sed aliis verbis textum praefatum esse conceptum (*pag.* 370.); sic enim ibi legitur: *Vivi solent calumniis incessi, cum iam defunctis etiam hostes conciliantur, et foedus ineunt. Cur igitur ipse, et naturae et inimicitiarum terminos transgrederis, dum vita iam functum calumniaris, et lacessis? nam putas quidem te solum adversus cinerem, et pulverem linguam stringere, sed heus! primum ipsum sacrosanctum sepulturae ius violas, quod tamen nemo non ambit, et habere studet: deinde habet is animam immortalem, cuius oculus ille pervigil, et semper excubans vindex est.* Iudicent nunc alii, si haec auctoritas quid momenti opinioni conferat adversarii mei, qui defunctorum fidelium corpora omnia tamquam sacra veneranda esse con-

tendit. S. Isidorus sacrum appellat ius sepulchri, non autem corpus defuncti. Sed praeterea adversarius sibi assentatur omnia sibi favere, Scripturas, Ecclesiae definitiones, dd. communem auctoritatem, et evidentes rationes. Scripturae sunt... *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* 1. *Cor.* 6. 10. (*maledici*, explicat Calmet, qui convicium in faciem proferunt, vel de absente obtrectant). Ecclesiae definitionem dicit esse disciplinam qua ipsa utitur in sepeliendis fidelibus. Pro se etiam habet communem dd. auctoritatem, dicendo quod moralistae ideo de hac sententia non disseruerunt, quia iuxta eorum regulas apud ipsos pro certa habita est. Tandem habet pro se rationes evidentes quae illae utique sunt quas ipse in sua dissertatione exposuit. An haec suadeant, nolo meo iudicio quaestionem decidere, sed sapientes omnem controversiam exhauriant.

Caeterum loquendo de mea sententia, ut superioribus paginis retuli, praeter tres auctores ibi citatos, qui de hac re scripserunt, curavi rem hanc a multis examinandam, et praesertim ab omnibus congregationibus missionariorum civitatis Neapolis, in quibus, quia missionariorum theologiam moralem praecipue omnes profitentur, et ibi (ut omnibus compertum est) selectiores cleri Neapolitani coadunantur viri. Hic adversarius meus Socratis quemdam textum in medio afferens, innuit quod non omnes ea sunt solertia praediti, ut sint magistri idonei ad similes enucleandas quaestiones. Concedo quod non omnes sunt magistri; sed cum mihi praefatae congregationes totius corporis nomine responsum dedissent, supponendum est, resolutiones non a minus sapientibus, sed a sapientioribus datas fuisse. Praefata quaestio, ut iam prius scripsi, fuit etiam Romae ex mandato Benedicti XIV. discussa, et iuxta mentem ipsius Pontificis (quam caeteroquin numquam animo intendi hanc fuisse definitionem ex cathedra) quaestio resoluta fuit, quod peccati mortalis reatu careret. Sed ille scribit quod non tenetur fidem praestare, nec huic examini adhibito, nec resolutioni Romae datae. Nec eo unquam meus appulit animus, ut cogerem eum ad id credendum: sed id ego scripsi, quia vehementia mihi adsunt momenta, ne in dubium id revocem; dum mihi testatus est tamquam testis ex propria scientia, et de visu (ille enim propriis oculis aspexit Pontificis schedulam) quidam sacerdos religiosus, doctus, et in hac controversia minime affectus; propterea que existimavi alios qui ad utramque sententiae partem indifferentes sunt, prudenter et non abs ratione id credere etiam posse. Caeteroquin, quantum ad me, tanto certius hoc mihi visum est, ut non dubitaverim hoc idem in eodem opere morali a me congesto, quod eidem pontifici dedicavi et praesentandum curavi scribere, et rem uti mihi ille testatus fuit exponere. Quod reliquum est, si meus adversarius bono fine deductus id scripsit, ego etiam pro certo habeo non inductum fuisse ad id scribendum aliqua animi adhaesione, aut contendendi lubentia (esset quidem optimum, ut postquam ex saeculi laqueis me expedissem, ut in aeternae salutis tuto animam meam collocarem, id aggredi contenderem, quod ad damnationem meam obduceret, et cur? ut inanem gloriam, melius dicam, ut perpetuum dedecus in defendenda opinione falsa aucuparer!) sed fine recto et bono, ut ex loto peccati liberarem tam multos, qui habitum contraxerunt ad mortuis maledicendum, et qui, non obstante quod credant (erronee, meo iudicio) esse peccatum grave, prout eis assertum erat, prosequebantur nihilominus ad eas maledictiones effutiendas. Quod autem meus adversarius voluerit me appellare *obstinatum et falso zelo impulsum;* hoc omissum facio, sciens quoniam *qui iudicat me, Dominus est.* 1. Corinth. 4. 4.

Ad haec subiungo epistolam responsivam ad me rescriptam a reverendiss. abbate d. Bartholomaeo de Marco Basiliano (cui hanc epistolam meam perpendendam misi), *viro quidem maximi pro eius doctrina habito, tum apud ipsius religionem, quae praestantissimis muneribus eum decoravit, tum etiam quoquoversum Neapoli et Romae etc. magistro in sacra theologia, quam ipse per plures annos cum omnium plausu docuit, et 30. aut 40. annos in excipiendis confessionibus exercitato. Ego animi pendebam utrum huc afferre deberem nec ne sequentem illius epistolam; sed mihi consilium datum est, ut duobus ex motivis id efficerem, 1. ut omnibus notum fiat me, ut cautius agerem, et ne proprii sensus adhaesione deciperer, prout iam me deceptum autumat meus adversarius, semper solitum fuisse aliorum doctorum consilium exposcere: 2. ut patefaciam quam tum de mea, tum de opposita sententia, caeteri praestantes viri existimationem habeant. Epistola est sequens:*

Reverendiss. Padre, Sig. e Pad. Col.

Da molto tempo fa ebbi la consolazione di leggere la sua erudita dissertazione sopra l'imprecazione dei morti, sostenendo che non sia colpa grave il maledirli, siccome tal è il sentimento mio e delle persone più saggie, colle quali su di ciò ne ho tenuto spesso discorso. Ora per sua bontà mi manda la risposta fatta ad un suo contraddittore, nella quale ho ammirata la sua dottrina, e aggiungendo ragioni a ragioni l' ha resa quasi dimostrativa, nè saprei con qual fondamento il suo contraddittore difenda che sia colpa grave, sembrandomi i motivi addotti da lui di niun momento, conforme li lessi in un libretto mandato dal medesimo alle stampe, e che V. S. Reverendiss. gli ha sodamente confutati, e presentemente li confuta. Certamente io non comprendo come possa esser peccato mortale il maledire i morti. Lodo poi la sua moderatezza in chiamar probabile questa sentenza, che dice non esser colpa grave la bestemmia de' morti; dovea più tosto chiamarla moralmente certa, e per conseguenza l'opposta, che si difende dal suo contraddittore, moralmente falsa, e di debole e tenue probabilità.

Io dunque non ho avuto nè che togliere, nè che aggiungere, nè che mutare della sua dotta scrittura: e prego il Signore, che illumini la mente del suo contraddittore, e di alcuni pochi compagni, che fan pompa di trovar la colpa in ogni piccola azione. V. S. Reverendiss. intanto non si arretri di mandar alla luce l'accennata apologetica risposta, che ne sarà applaudita, come ne fu in tutte l'altre sue opere. Mi raccomando alle sue orazioni, e facendole riverenza con ogni rispetto le bacio le mani.

Di V. S. Reverendissima

Mater Domini 14. giugno 1758.

Umiliss. servitore, obligat. e divotiss.

Bartolomeo di Marco Abbate.

Subiungo haec pauca. Praefatus Abbas reverendissimus, ut scribit, videtur supponere a me opinionem meam dumtaxat uti probabilem haberi. Hoc a me dictum non est: dixi tantum quod ad hoc ut affirmari possit, culpa gravi actionem aliquam carere, sufficiens esse quod probabile sit non esse gravem. Caeterum nolui iudicium ferre, utrum mea sententia sit nec ne moraliter certa; cum hoc sapientium iudicio committam; sed caeteroquin ego illam plus quam probabilem esse duxi et duco.

Nuper alia prodiit epistola adversarii, cui respondere opus esse minime censemus; sufficiunt quae iam respondimus. Si autem forte putat adversarius in controversiis eos remanere victores, qui ultimo loco scribunt, huiusmodi victoriam valde libenter illi concedimus.

Cap. II. *De iuramento.*

12. Iuramentum definitur: *Invocatio nominis divini in veritatis testimonium.* Iurat igitur qui dicit: *Per Deum*; *per Sanctos; per res sacras; per creaturas*, in quibus modo speciali relucet bonitas, aut potentia Dei, nimirum *per Ecclesiam*, *Crucem*, *Sacramentum*, *Evangelium*, *animam*, *coelum*, *terram*, *etc.* Sed iuramentum non facit qui iurat per conscientiam, per fidem suam (non intelligendo fidem divinam), aut qui dicit: *Vivit Deus; Deus hoc videt; Est verum tanquam Evangelium.* Sed hoc de verbis illis *vivit Deus*, *Deus hoc videt*, intelligendum est, si verba tantum enunciative proferantur, ut aiunt Caiet., Ledesma, etc. apud Salmant. *Tract.* 17. *cap.* 2. *num.* 25. Alioquin, si dicantur invocative, sunt vera iuramenta; notantque ibi Salmant. cum Azor., Facund., Soto, et Trullench. huiusmodi effata ex communi usu accipi ut invocative dicta, ideoque vera iuramenta censeri. Si quis autem diceret: *Iuro hoc ita esse*, non reputatur verum iuramentum, nisi ille qui exposcit iuramentum, petit expresse iurari per Deum, Evangelium, Sanctos, rem sacram aut per animam; et alter post huiusmodi exquisitionem sibi factam iurat ita esse.

13 Iusiurandum quadruplex est: *Assertorium*, cum asseritur aliquid: *promissorium*, cum aliquid iuramento promittitur: *execratorium*, sive *imprecatorium*, cum v. g. dicitur: *Deus in me animadvertat, nisi hoc faciam: comminatorium*, cum v. g. dicitur: *Nisi mihi obedias, per Deum efficiam ut te poeniteat*; *dabis mihi poenas*, etc. Hinc advertatur, quod in iuramento *assertorio* graviter peccat qui asserit falsum. Peccat etiam graviter, qui in promissorio iurat sine animo standi promissis. Dico *sine animo*; quia si habet animum servandi promissa, sed postea non servat, et res est parvi momenti; tunc valde probabile est cum Soto, Suarez, Azor., Sanch., Salm., non peccare mortaliter (1); quia in iuramento invocatur Deus ut testis voluntatis praesentis, non autem futurae executionis promissae. Sed hic dubium fit: Certum est, quod si promissio est gravis materiae, gravis etiam est culpa eam non implere propter iuramentum emissum; cur autem ratione eiusdem iuramenti non committatur gravis culpa, si non impleatur promissio materiae levis, quandoquidem in periurio parvitas materiae non admittitur? Sed recte respondetur a Salm. (2) cum Soto, Suar., Castropal., etc., quod, cum quis promissionem iuramento firmatam non implet, non iam committit periurium, sed peccat ob infidelitatem, quam erga Deum operatur, despiciendo in materia gravi divinam auctoritatem, quae adducta est ad promissionem firmandam; at cum promissio est levis materiae, non reputatur gravis defectio fidelitatis, et contemptus qui fit divinae auctoritatis. Id firmatur doctrina s. Thomae, qui sic docet: *Qui aliquid promittit, si habet animum faciendi, non mentitur; si vero non faciat, tunc videtur infideliter agere* (3). Si quis autem iuramento promitteret, sed sine animo iurandi, aut se obligandi, graviter peccaret. Nihilominus probabiliter non teneretur promissis, saltem non sub gravi; Sanch., Castropal., Ronc., s. Anton., Salmant., etc. (4). Iuramentum vero *execratorium*, cum in eo non invocatus est Deus, probabile est

(1) Lib. 3. n. 172.
(2) Salm. tr. 17. c. 2. n. 53. et 54.
(3) S. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5.
(4) Lib. 3. n. 172. v. An autem.

non obligare sub gravi. Et idem dicendum de comminatorio, imo si poena comminata fuerit iniusta, iuramentum nullo modo obligabit (1). Ideoque iuramenta parentum puniendi filios, saepe saepius non obligant; quia fiunt aut ob res inutiles, aut calore iracundiae (2).

14. Iuramentum ut sit licitum, tres requiruntur conditiones, nempe iudicium, iustitia et veritas. *Iudicium* significat, ne ex vanitate iuretur, sed ex rationabili causa. Defectus autem iudicii non excedit culpam venialem. *Iustitia*, ut res iurata sit iusta: quare graviter peccat qui iurat facere rem iniustam, licet sit leviter iniusta. *Veritas*, ut res, quae iuramento asseritur, sit moraliter certa, saltem aliquo modo (3).

15. Hic quaeritur an liceat iurare cum aequivocatione? Aliud est mendacium, aliud est aequivocum. *Aequivocum* potest esse pluribus modis, aut cum sermo, aut verbum habet unum sensum litteralem, et alterum spiritualem, aut mysticum. Aequivocum dicitur etiam restrictio *non pure mentalis*, quia pure mentalis est omnino prohibita, uti habetur ex propos. 26. damnata ab Innoc. XI. in qua generaliter dicebatur licere negare *se fecisse aliquid quod revera fecit*, dummodo negans intra se intelligat *aliquid aliud quod revera non fecit. Pure mentalis* est cum nullo modo proximus potest animadvertere aequivocum. *Non pure mentalis* est cum ex circumstantiis potest proximus arguere quod tu loqueris, intelligens intus aliud, quam propositio ex se significat; v. g. si aliquid sub sigillo scias, potes dicere: *Nescio*; nimirum nescio eo modo, quo possim illud detegere: prout dixit Iesus Christus, nescire tempus novissimi iudicii: *De die autem illo vel hora nemo scit ... neque Filius. Marc.* 13. 32. intelligendo, quod nesciebat uti homo; aut, ut melius dicunt Gotti, Tourn. (4), quod nesciebat, ut revelaret. Sic etiam sentit s. Thomas (5): *Dicitur nescire diem, quia non facit scire.* Idem est ac si dixisset, nescio ad manifestandum aliis. Et idem sentiunt s. Ioan. Chrysost., s. August., s. Hieron., s. Ambros., s. Athanas., s. Basil., s. Hilar., etc. ut testatur Suarez (6). Pariter illud Christi:... *Non ascendo ad diem festum, Ioan.* 7. 8. intelligendo *manifeste*, dum ipse iam occulte se contulit ad templum. Cum ergo iusta adest causa, bene possumus licite respondere, imo iurare cum aequivocatione, sive restrictione non pure mentali, ut communiter dicunt Soto, Gonet., Palud., Wig., Laim., Carden., Holzman., Salmant., Tournely, Croix, Viva, etc. (7). Adde Adrianum, Caiet., Riccard., Armil., Tabien., Silvest., Soto, et Navarr. (8); quia tunc non intenditur decipere proximum (quod semper est illicitum), sed permittere ut ipse decipiatur, cum nec semper teneamur respondere ad mentem interrogantis. Nihilominus hoc non licet in iudicio, quia quisquis a iudice interrogatus legitime tenetur veritatem dicere; quare qui iurat cum aequivocatione, peccat contra iustitiam legalem (9).

16. Sed extra iudicium dicunt dd. multi, quod si quis iam confessus sit peccatum uni confessario, interrogatus postea ab alio potest dicere se illud peccatum non admisisse, intelligendo non admisisse, ita ut denuo teneatur illud confiteri. Advertatur tamen hic quod quilibet tenetur patefacere peccandi consuetu-

(1) L. 3. n. 134. ad 6. et 143. (2) n. 186 v. Parentes. et 187. (3) L. 3. n. 144. ad 150. (4) Tourn. de incarn. quaest. 11. art. 2. v. Quo autem. (5) S. Th. 3. p. q. 10. a. 2. ad 1. (6) Suarez t. 1. in 3. p. q. 10. a. 2. (7) L. 3. ex n. 151. (8) Adrian. 4. Sent. q. de sig. conf. Caiet. Opusc. 16. resp. q. 5. Riccard. in 4. Dist. 18 Armil. v. Iuramentum n. 16. Tabien. v. Iurare §. 13. n. 14. Silvest. v. Mendacium q. 6. §. 4. et v. Iuramentum qu. 3. §. Licet. Soto de iust. l. 5. q. 6. a. 2. Navar. Man. c. 12. ex n. 8. et c. 18. n. 61. et c. 25. a. 94. (9) Lib. 3. n. 155.

dinem, cum interrogatur a confessario, ut constat ex propos. 58. damnata ab Innoc. XI. Ita etiam si quis pauper habet unum panem, requisitus ad mutuandum panem, potest dicere se non habere (1), quia ex circumstantia paupertatis bene possunt alii arguere, quod ille loquitur in alio sensu, nempe quod non habeat tantum ut possit alii dare. In his et similibus tutius erit respondere: *Utinam et haberem!* aut *Et quis hoc habet? Et ubi reperitur panis?* (2).

17. Si quis iurat sine animo iurandi, et sine animo standi promissis, procul dubio peccat graviter. Si contra iurat cum animo standi promissis, sed sine animo iurandi, probabile est quod tantum venialiter peccat, quia tunc nulla alia adest culpa, quam in vanum Deum nominare. Et idem est, si iurat sine animo se obligandi, quia talis promissio non est verum iuramentum promissorium, nec vera promissio, sed potius iurat se nunc habere voluntatem dandi. Si autem iurat sine animo adimplendi, sed vero animo iurandi, tunc peccat graviter, et tenetur ad promissa, licet non habuisset animum se obligandi, quia tunc obligatio oritur ex ipso iuramento, quod ob divini nominis reverentiam obligat ad verificandum quod iuratur, modo ille sciat obligationem iuramenti, quod revera non obligat praeter intentionem iurantis, ut dicit s. Thomas (3).

18. Iuramentum nunquam potest obligare ad faciendum illicitum; et ita nec ad implendum inutile, aut quod impedit maius bonum, ut si res esset contra consilia evangelica. Advertendum tamen quod, cum iuramentum est factum in favorem tertii, tunc adimplendum est semper ac potest sine peccato. Hinc qui iurat solvere usuras, aut dare bona sua latroni, tenetur ea praestare, licet postea possit compensationem facere (4). Et est probabile etiam cum Sanch. et La-Croix, quod tunc potest iurar se daturum fore, subaudita conditione, nisi obtineat a praelato relaxationem iuramenti; itaque ea obtenta, non amplius tenetur (5). Quod si promissio irrita facta fuisset a iure ob bonum commune, ut esset promissio facta concubinae a clerico, aut renunciatio fori ecclesiastici, aut iuramentum timore extortum pro religiosa professione, aut pro matrimonio, aut sponsalibus; tunc plane iuramentum est nullum (6). Caeterum omne iuramentum intelligitur factum sub sequentibus conditionibus: 1. Si ille cui promissio facta est, eam acceptet, aut non eam remittat. 2. Nisi status rerum notabiliter mutetur; aut nisi adsit aliqua circumstantia, quae si praevisa fuisset, iuramentum praestitum non esset. 3. Si non cessat causa finalis, ob quam promissio facta est. 4. Si altera pars observat, quod pollicita est. 5. Nisi Superiores prohibeant quominus promissio executioni detur (7). 6. Si promissio adimpleri potest sine gravi damno (8). Hinc si promittis secretum, non teneris ad illud non aperiendum cum gravi tuo damno. Si autem promitteres secretum servare etiam cum periculo vitae, probabile est te non teneri (9). Item etiamsi promittis te secretum non proditurum in medendis morbis, non teneris illud celare cum caeteroquin aliquis esset in gravi periculo mortis (10).

19. Quomodo tollitur obligatio iuramenti? 1. *Irritatione*, quae potest fieri a quolibet, cui est potestas dominativa, ut est pater, Praelatus, Abbatissa, tutor, etc. et hoc etiam, licet sit in praeiudicium tertii, in illis contractibus qui ab ipsis Superioribus irriti fieri possunt (11). 2. *Dispensatione*, aut *commutatione*, quae potest concedi ab illis in quibus resi-

(1) n. 163. (2) n. 153. et seq.
(3) Vid. lib. 3. n. 172. v. Quaeritur.
(4) n. 177. (5) n. 172. in fin.

(6) n. 177. v. Aliter. (7) Lib. 3. n. 180. 187. et 188. (8) n. 183. (9) n. 971. v. Hoc quoad (10) n. 183. v. Iuramenta (11) n. 189.

det talis potestas dispensandi aut commutandi vota (1). 3. *Relaxatione*, quae potest fieri a Praelatis ecclesiasticis cum suis subditis, et etiam a delegatis, qui possunt dispensare vota (2). Hic notetur 1. quod iusiurandum datum in tertii beneficium potest relaxari ab eodem tertio, ut docet s. Thomas (3) cum communi. Et hoc (ut dicunt multi dd.) etiamsi iusiurandum sit exhibitum in honorem Dei, cum tota promissio vergitur in tertii utilitatem, v. g. monasterii, ecclesiae, aut pauperis (4). Notetur 2. quod ad irritationem nulla requiritur causa, bene vero pro dispensatione, commutatione, et relaxatione (5). Notetur 3. quod cum promissio iureiurando firmata est, et a tertio acceptata, non potest ab alio relaxari, nisi ab eodem tertio, cum intercedit contractus. Unde fit quod iusiurandum, sive votum perseverantiae, quod praestatur in aliquibus congregationibus, ut in venerabili congregatione patrum missionis s. Vincentii a Paula, in nostra minima SS. Redemptoris, non potest ab aliis relaxari, nisi a Papa, aut Superiore maiore congregationis; tale enim iusiurandum (sive votum) assumit naturam contractus, qui intercedit inter subiectum, et congregationem, dum congregatio se obligat ad sustentandum, et ad instruendum illum, et contra subiectum se obligat ad inserviendum congregationi: et ita declaravit N. SS. Pontifex Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, §. 32. sub die 25 novembris 1748. et idem confirmavit in alia Bulla *Inter praeteritos*, §. 5. *n.* 66. die 3. decembris 1749. (6) Denique notetur quod promissio iurata, etiamsi sit acceptata a tertio, potest relaxari a Superiore, cum illa esset in praeiudicium sui iuris, aut in damnum commune, aut cum iusiurandum timore extortum esset (7).

20. Hic etiam theologi loquuntur de *adiuratione*, quae fit, cum aliquis adiuratur sive obsecratur Dei nomine, ut respondeat; aut eius nomine imperatur, ut fit in exorcismis cum energumenis, sive a daemone vexatis, qui exorcismi bene possunt in privato fieri a quolibet, sed solemniter dumtaxat ab Ecclesiae ministris ex licentia Ordinarii. Et qui unquam tali fungitur officio, caveat ne exquirat vana et curiosa, sed utatur praefatis exorcismis tantum ad evitanda damna, et ad liberandum energumenum a daemonis vexatione (8).

(1) n. 190. (2) n. 192. (3) 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2. (4) n. 193. (5) n. 192.

(6) L. 3. n. 255. v. Notandum. (7) n. 192.
(8) post n. 193. Append. de Adiurat.

Cap. III. *De voto.*

21. Votum definitur: *Promissio facta Deo deliberata de bono possibili et meliori.* Explicatur definitio. Dicitur 1. *promissio*: intelligitur promissio facta cum animo se obligandi, et quidem obligatione gravi, ad differentiam meri propositi, quod ex se loquendo ne obligat quidem sub levi. Quare votum emissum sine animo promittendi, nec se obligandi est omnino nullum. Contra tenetur quidem ad votum qui vult promittere

et se obligare, licet nolit illud adimplere, aut vult promittere et satisfacere, conscius voti obligationis quamvis reflexe ad eam non advertat: nam qui vult antecedens, vult etiam consequens (1). Si quis autem vellet promittere, et non se obligare, dicimus istum peccare, sed iuxta probabiliorem non teneretur ad votum, licet conscius esset voti obligationis, quia cum debitum oritur a propria voluntate, nemo ligatur, nisi habeat voluntatem se ligandi. Et tale peccatum (subiungimus) regulariter loquendo non esset nisi veniale; nisi hoc contingeret in profitendo religionem aut susceptione Ordinum sacrorum: nam tunc utique esset mortale; Less. Sanch. Suar. Salm., etc. (2). Imo si quis ordinaretur sine animo se obligandi ad castitatem, iste remaneret ad illam obligatus, saltem ex praecepto Ecclesiae (3). In dubio enim de voluntate se obligandi praesumitur ordinarie illam adfuisse in quolibet voto quod emittitur. Et idem procedit si dubitatur an adverterit ad obligationem voti, ex regula generali quod *quilibet actus praesumitur rite factus*. In dubio vero, an promissio fuerit votum, an propositum, dicimus quod tunc praesumitur fuisse votum, quando ille recordatur credidisse se peccaturum, nisi adimpleret quod promisit (4).

22. Dicitur 2. *Deliberata*, dum ad voti obligationem primo requiritur perfectus usus rationis. Quare votum pueri, si illud fuerit emissum ante septennium, non obligat, nisi constet de usu rationis: sed si emissum fuit post septennium, in dubio obligat, quia tunc bene praesumitur adfuisse perfectus usus rationis, iuxta id quod communiter contingit. Et idem dicendum in dubio an votum fuerit emissum ante, an vero post septennium, ex regula mox tradita, *quod omnis actus praesumitur rite factus* (5).

23. Item requiritur plena et libera deliberatio, qua velit se obligare voto; ideoque votum emissum ex metu iniuste ab aliis incusso ad votum extorquendum, illud est nullum, et non solum si votum est solemne (quod certum est) sed etiam si est simplex, iuxta probabiliorem (6). Ita etiam nullum est votum, si emissum est ex errore (licet supino), cum error fuit circa substantiam, aut circa aliquam circumstantiam substantialem. Imo probabiliter dicunt Suar. et Sanch. cum s. Thoma (7), quod quilibet error circa circumstantias accidentales liberat a voto, semper ac votum emissum non esset, si a principio cognitus esset error: *Id liberare* (sunt verba Angelici) *a voti vel iuramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediret* (8).

24. Dicitur 3. de bono *possibili* et *meliori*. Dicitur *possibili*, quia alias non tenet votum. Si autem esset possibile tantum in parte, et materia esset divisibilis, esset validum tantum quoad partem possibilem. Et ita etiam deberet adimpleri principale votum, si accessorio non potest satisfieri, sed contra, si principale non est possibile, non est obligatio adimplendi accessorium (9). Item dicitur de bono *meliori*, dum etiam nullum est votum, cum materia est de bono inferiori, aut indifferenti; nisi accideret quod ex circumstantiis redderetur melius (10).

25. Quaeritur hic 1. An sit irritum votum ob malum finem emissum? Distinguitur: Si finis est pravus ex parte voventis, v. gr. si quis voveret ieiunare, ut ex ipso actu voti humanam laudem assequeretur, tunc est validum. Nullum vero erit, si finis est pravus ex parte *rei votae*, ut si quis promitteret ieiunium, ut laudaretur in ieiunando, aut ut ieiunando expensis parceret. Si autem iste voveret, ut a Deo aliquid tem-

(1) L. 3. n. 201. (2) n. 201. Quaer. II. (3) Lib. 6. n. 809. Dubit. 2. (4) L. 3. n. 201. Quaer. III. (5) n. 196. (6) L. 3. n. 197. (7) In 4. sent. dist. 38. q. 1. a. 3. ad 1. (8) L. 3. n. 198. et 226. (9) n. 202. (10) n. 204.

porale obtineret, aut si finis est positus sub conditione (v. gr. si occideret inimicum), votum est certe validum (1). Item notetur, quod si quis voveret peccaturum, licet venialiter, graviter peccaret; quia vellet ut in Dei honorem converteretur quod est illi contumeliae (2). Et idem dicunt de iureiurando aliquod peccatum committendi; ita Marchant. Turrian et Elbel. (3); licet persaepe ignorantia excuset rusticos.

26. Quaeritur 2. An valeat votum non impetrandi dispensationem? Respondetur affirmative, dummodo non observetur quod dispensatio sit utilior profectui spirituali voventis (4).

27. An valeat votum uxorem ducendi? Ordinarie non valet, licet votum esset ducendi mulierem pauperem, vel meretricem, nisi matrimonium iniretur ad tollendum scandalum, aut ut occurratur honori ablato; aut esto quod homo vellet ducere uxorem aut nollet adhibere alia remedia, ut continens fiat, postquam expertus fuerit suam incontinentiam (5).

28. Quaeritur 4. An valeat votum non amplius vovendi? Valet si quis est nimis pronus ad vovendum cum periculo vota postea non observandi. Unde si postea ipse emittit aliquod votum, peccat, sed votum postea emissum remanet firmum: modo intentionem non habuerit ut omnia futura vota sint invalida, et hanc intentionem non revocaverit, prout revocata iudicaretur, si ipse memor primi voti emiserit secundum (6). Si quis autem emiserit plura vota incompossibilia, teneretur ad dignius; et si essent aequalia, ad anterius iuxta communiorem (7).

29. Deveniendo ad voti obligationem, plura advertenda sunt, et I. Si materia est gravis, votum obligat sub gravi; sed si quis vellet ad illud se obligare sub levi, probabilius est remanere obligatum sub levi (8). Si vero materia est levis, nemo, licet velit, se potest obligare ad illam voto sub gravi. Quod si quis voveret quolibet die unius anni aliquod leve opus ponere, eo casu, cum votum est emissum *per modum unius*, *ad sollicitandam obligationem* (ut existimatur regulariter in votis realibus), tunc omittendo opus pro tempore, aut in materia notabili, graviter peccaret. Contra si votum sit emissum in *honorem diei ad finiendam obligationem* (prout existimantur vota personalia, v. g. recitandi *salutationem Angelicam* quotidie) tunc omissiones sunt tantum venialia (9). II. Haeres ex iustitia satisfacere tenetur omnibus votis realibus sui testatoris; et haec sunt solvenda prius quam legata, sed post debita iustitiae (10). III. Licitum est patrifamilias emittere vota realia, licet aliqua ex parte (moderate tamen) laederetur legitima filiorum. Hoc tamen nequit facere in morte, quia tunc debet disponere de bonis iuxta legum dispositiones (11). IV. non potest pater obligare filios ad vota emissa eorum nomine; neque communitas potest obligare subiectos futuros (12). V. Vota personalia debent satisfieri ab ipsomet qui ea emisit; sed realia possunt satisfieri etiam ab aliis (13).

30. VI. Circa conditiones votorum advertendum, quod si sola conditio est turpis aut impossibilis, votum non tenet (14). Si filius voveret, v. gr. ieiunare sub conditione consensus patris, ille non peccat, si exorat eum ne consentiat. Peccaret contra, si dolo obtineret eius dissensum; sed tunc probabilius liber remaneret a voto, quia iam non adimpleretur conditio apposita (15). VII. Qui vovet castitatem sub hac conditione, v. gr. si Deus per annum eum liberat a culpa gravi, et interim labitur: si scienter

(1) n. 206. (2) n. 205. (3) Lib. 3. n. 146. v. 5. Venialiter. (4) num. 208. (5) n. 209. (6) n. 210. v. Quaeritur hic. (7) Ibid. v. Notandum. (8) num. 213.

(9) n. 212. (10) L. 3. n. 214. (11) n. 215. (12) n. 216. (13) n. 217. (14) n. 219. (15) n. 21°

labitur ut liberetur a voto, peccat iste etiam contra votum, secus si peccat ex fragilitate (1). VIII. Qui vovet, si ludat, se aliquam poenam subiturum, sufficit ut prima vice se illi subiiciat; sed si voveat non ludere sub tali poena, tunc quoties ludit, toties dabit poenam: excipe tamen si ludendo penitus sit immemor voti (2).

31. IX. Qui facit votum disiunctivum, et postea eligit satisfactionem alterutrius partis, ad illam tenetur, licet post electionem altera pars redderetur impossibilis. Secus si altera pars redderetur impossibilis ante electionem; nam tunc ad nihil tenetur, dummodo illi mora non eligendi non fuisset culpabilis. Facta nihilominus electione, probabile est quod semper possit eligere partem quam malit (3). X. Qui vovet audire Missam quotidie, probabiliter die festivo non tenetur audire duas. Qui vovet recitare rosarium, sufficit ut recitet tertiam partem: et utique satisfacit si cum socio recitet. Qui vovet ieiunare quolibet sabbato, probabiliter non tenetur si eo die accidat Natalis Domini; modo expresse hoc etiam non promiserit (4). XI. Si quis satisfacit operibus voti, quin voti recordetur, non tenetur ad aliud; quia quilibet habet voluntatem generalem prius satisfaciendi operibus debitis, et postea illis ex devotione: ita communissime Lessius, Sanch., Laym., etc. (5). Et generaliter loquendo qui habet rationes probabiles satisfecisse voto, non tenetur ad aliud, ut dicunt Lugo Laym. Ronc. Bossius, Viva et Salm. Card. Bardi, etc. (6). Sed dices; ille est certe ligatus voto, et dubie solutus. At hic distinguendum dubium facti a dubio iuris. Si quis emisit votum, et deinde dubitat an facto illud impleverit, tenetur equidem implere; sicut certus de debito et dubius de solutione, tenetur solvere, quia dubia solutio non aequivalet debito certe contracto. Sed hic sermo est de iure circa factum, nam sicut constat votum fuisse emissum, sic etiam constat iam impletum fuisse opus promissum. Restat igitur dubium iuris, an opere impleto de facto, et extante probabili satisfactione de iure, adsit obligatio satisfaciendi voto? Et hic dicimus, quod facta probabili satisfactione, obligatio iuris evasit dubia, et consequenter dubia etiam possessio illius; obligatio autem dubia, quae adhuc dubie possidet, nequit inducere onus praestandi rem certam.

32. Quaeritur 1. Si quis vovens ieiunare in aliquo die determinato, transacto eo die, an postea teneatur ad votum? Non tenetur si dies est appositus *ad finiendam obligationem*, quod praesumitur ita esse in votis personalibus, ut supra dictum est. Aliter dicendum si dies est appositus ad *sollicitandam obligationem*, ut praesumitur in votis realibus (7).

33. Quaeritur 2. Quanta temporis dilatio requiritur ut differens voti satisfactionem peccet lethaliter? Si votum est perpetuum, ut est votum religionis, peccat graviter (ut dicunt dd.) si differt sine causa ultra sex menses; nam si adolescentulus est, potest ex aliqua iusta causa licite differre etiam ad tres, aut quatuor menses. Si vero votum sit ad tempus, ut sunt vota peregrinationis, rosariorum, etc. dicunt Castrop., Salm., Trull., Garcia et Croix, peccare graviter, si differt ad duos, aut tres annos (8). Votum indeterminatum (v. g. quotidie recitandi rosarium) intelligitur etiam perpetuum (9). In dubio autem an votum fuerit ad annum, an ad mensem, sufficit satisfacere minus ut ex *cap. Ex parte de censibus* (10).

34. Quaeritur 3. Ad quid tenetur qui vovet religionem? Si simpliciter voveat religionem, tenetur eam in-

(1) Ib. v. At, si. (2) N. 223. (3) N. 224. Not. 3. (4) Lib. 3. n. 224. v. Qui hic. (5) N. 224. in fin. v. Si quis. (6) N. 224 in fine et l. 1. n. 76. (7) N. 220. (8) N. 221. (9) Lib. 3. n. 221. v. Votum. (10) Ibid.

gredi, et ad permanendum etiam in ea; aliter si egrediatur sine iusta causa, graviter peccaret: nisi intellexisset tantum de ea periculum facere. Ceterum esset iusta causa egrediendi, si ibi inveniret talem vivendi modum, cui suae vires pares non essent; aut ibi gravem et longum moerorem experiretur. Si vero etiam vovisset profiteri, tenetur etiam cum gravi suo incommodo id exequi; modo status religionis illi penitus intolerabilis non succedat. Advertatur etiam hic, quod qui vovisset religionem, si admissus non fuerit in monasteria provinciae, non tenetur extra eam proficisci. Et si est mulier, non tenetur egredi patria, si in ea adsint Monialium monasteria (1).

35. Voti obligatio primo tollitur ex se, *ob materiae mutationem*, prout si evenerit aliqua nova, aut non praevisa circumstantia, quae si praecognita fuisset, votum non fuisset emissum (vide *n.* 23.); aut si materia redderetur inutilis, aut impossibilis. Quod si votum potest adimpleri ex parte et commode, debet illi satisfieri (2). Secundo tollitur *Superiorum auctoritate*, irritatione nimirum, commutatione, aut dispensatione.

36. *Irritatio* potest fieri ab omnibus qui habent potestatem dominativam, ut sunt parentes, tutores, praelati, mariti, et alii, ut dictum est n. 19.; et hoc etiamsi vota essent futura, nempe nondum emissa a filio, pupillo etc., et licet non adesset causa sufficiens irritationis, saltem talis irritatio sine causa non est culpa gravis (3). Itaque pater, et avus paternus in patris deficientia, et etiam mater (modo non contradicat pater) possunt irritare omnia vota, tam impuberum (etiam in dubio an votum sit emissum ante vel post pubertatem), quam puberum, cum votum est reale, et si puber sit in aetate minori, modo tunc aetatis non habeat bona propria; quod si votum esset personale, etiam possunt illud irritare, cum illud esset in praeiudicium domesticae gubernationis. Idem dicitur de tutore, et curatore (4). Notandum quod, quando votum est emissum tempore impubertatis, potest pater illud irritare, licet filius sit factus puber, modo filius non ratificaverit, sciens votum fuisse infirmum (5). Imo praelati religionum etiamsi locales, dummodo a praelato superiore approbatum non fuerit votum, possunt irritare omnia vota (praeter votum transeundi ad religionem strictiorem) suorum subditorum professorum; vota enim novitiorum possunt solummodo suspendi. Hoc etiam conceditur Abbatissis (sed non dispensatio) a multis dd. uti sunt Suar., Bon., Fill., Salm., etc. (6). Advertendum tamen quod vota emissa ante professionem, omnia per illam extinguuntur (7). Item viri possunt irritare omnia vota uxorum, licet incommodo non essent familiae, aut matrimonio, ut valde probabiliter dicunt Sot., Sanch., Prado, Salm., etc. et etiam vota exequenda post mortem virorum, v. g. religionis, aut castitatis, ut dicunt Sanch., Soto, Salm. contra Nav. et Caiet. (8). Vota tamen facta ante matrimonium, non possunt irritari a viro; sed tantum suspendi in quantum illi essent incommodo (9). Vota autem virorum non possunt irritari ab uxoribus, nisi in quantum illi afferrent nocumentum, ut esset votum longae peregrinationis, et etiam votum non petendi debitum, quod ceteroquin respectu viri est irritum ex se, uti de materia inepta (10).

37. Notandum hic 1. quod vota subditorum probabilius cum s. Thoma non sunt irrita ex se, sed valida, donec fiant irrita a Superioribus; quia subditi, licet debeant habere voluntatem Superioribus subiectam,

(1) L. 4. ex n. 72. (2) L. 3. n. 225. (3) N. 227. (4) Lib. 3. n. 229. et 230. (5) N. 238. (6) N. 233. et lib. 4. n. 54. (7) L. 3. n. 236. v. Non potest. (8) N. 234. (9) N. 236. (10) N. 235

non tamen sunt illa privati (1). Notandum 2. Superiorem (ut pater, praelatus; aut maritus) posse valide irritare vota subditi, licet aliquando ea approbassent; etenim ille non potest, licet vellet, a se abdicare potestatem quam sibi concedit lex etiam naturalis. Dictum est *valide*, quia irritando illa sine causa iusta, non excusaretur saltem a culpa veniali; sed non peccaret graviter: uti dicunt Soto, Suar., Bonac., Valent., Sporer, Peyrin. et alii (2).

38. *Commutatio* autem votorum potest fieri Ecclesiae auctoritate saltem cum commutatio fit in opus aliquanto minus, aut dubie aequale; quia si esset evidenter aequale dicunt plures aa. ut Less., Bonacina, Sa, Salm., etc. probabile esse, quod possit fieri commutatio ab eadem persona, quae votum emisit. Sed multo magis mihi arridet opposita sententia negativa. quam tenent Caietan., Sanch., Soto, Suarez, Azorius, Laym. et alii cum s. Thoma, qui ait: *Quia commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu eius, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet praelati.* Praeterea quia, posita promissione, magis gratum censetur esse Deo, ut vovens fidelis sit ei praestando rem promissam, quam aliam aequalem. Contra vero communiter admittunt dd. licite posse fieri commutationem ab eadem persona, si fiat in melius quia minus in meliori continetur (3). Et notandum hic 1. quod si commutatio fiat in opus melius, non requiritur causa, secus vero si in aequale. Ceterum pro iusta causa sufficiet minoratio periculi transgressionis, et etiam sufficiet maior propensio subiecti; et si opus est dubie aequale, sufficiet notabilis molestia in eo adimplendo. Si autem opus commutatur in minus, est probabile cum Sanch., Tamb., Candido, etc. quod valide et licite adimpletur minus, si postea suppletur per aliud opus adiunctum (4). Notandum 2. quod qui habet facultatem commutandi vota, non potest commutare, nisi in aequale, ita ut non appareat, excessus notabilis et manifestus, iuxta communem sententiam (5). Probabilius est vota realia posse commutari in personalia, et personalia in realia, ut dicunt Suar. Less. Laym. Castropal. Salm., etc. (6). Notandum 3 quod, facta commutatione voti, semper licet reassumere primum opus, licet commutatio sit facta in melius, dummodo secundum votum non acceptetur tamquam novum, ut recte dicunt Castrop. Prado, etc. (7). Sed si unquam opus commutatum redderetur impossibile, quaeritur an debeat reassumi primum votum? Affirmandum, si commutatio fuerit facta propria electione; secus si auctoritate Ecclesiae: et id etiamsi opus evasit impossibile propria culpa (8). Notandum 4. quod qui habet facultatem commutandi pro aliis (idem dicendum de dispensatione) habet etiam pro seipso, ut docent Suar. Azor. Sanch. Salmant. Prado, et alii ex s. Thoma, qui (9) expresse docet Praelatum posse secum dispensare in voto emisso (10).

39. Pro *dispensatione* requiritur maior causa quam pro commutatione. Causae sufficientes dispensationis sunt 1. Bonum communitatis, aut Ecclesiae aut familiae, aut ipsius subiecti, exemp. g. si dispensatio iudicaretur esse illi maiori profectui, ut habetur ex *cap. Magnae, de voto*; aut si ille esset in periculo gravi votum transgrediendi, aut si scrupulis vexaretur. 2. Difficultas notabilis pro adimplendo voto. 3. Imperfecta libertas et deliberatio, v. g. si quis vovisset cum erat impuber, aut impulsu iracundiae, aut timore intrinseco incussus, puta incendii, naufragii, etc. aut timore extrinseco, sed levi. 4. Si cessat causa impul-

(1) N. 231. (2) n. 239. (3) Lib. 3. n. 244 (4) Ib. et n. 245. (5) N 247. (6) Ib. Not. hic. (7) N. 248. (8) N. 249 (9) 2. 2. q. 185. a. 8 (10) L. 3. n. 249. v. ult.

siva voti (1).

40. Notandum 1. quod si revera adfuit causa iusta, sed Praelatus dispensavit mala fide credendo eam iniustam, dispensatio probabiliter est valida, etiamsi concessa sit a delegato, ut dicunt Suar. Pontius. Sanch., etc. (2). Contra si Praelatus dispensavit bona fide, sed causa certe non erat sufficiens, dispensatio est nulla iuxta veriorem sententiam; observa quod dictum est *Tract. II. n.* 53. Dictum est *certe*, nam in dubio possessio stat pro valore dispensationis (3). Si autem causa non esset sufficiens pro dispensatione, potest illa concedi, adiuncta aliqua commutatione (4).

41. Notandum 2. quod si votum fuerit emissum in tertii utilitatem, et iste tertius est determinatus, nempe talis pauper, talis ecclesia, votum non potest dispensari, quoties a paupere, aut a rectore illius ecclesiae acceptatum est. Sed si votum emissum est pro paupere indeterminato, potest dispensari, licet ab aliquo paupere iam acceptatum fuisset. Et idem dicunt probabiliter multi dd. ut Caiet. Nav. Viva, Trullench. Henriq. etc. (contra Suar. Sanch. etc.) de voto facto principaliter in Dei honorem, et secundario in tertii beneficium, habita particulari ratione, v. g. ipsius paupertatis, bonitatis etc., quia tunc pauper non acquirit verum ius ad rem promissam; aut si acquirit, illud acquirit dependenter a Dei voluntate, cui praecipue promissio facta est (5). Sed advertendum quod hoc intelligitur de promissis omnino gratuitis, non autem de mutuis, ut advenit in votis, et iureiurando perseverantiae, quae fiunt in aliquibus congregationibus; nam illa tunc assumunt rationem contractus, sicut superius dictum est *n.* 19 cum auctoritate Pontificis (6) Benedicti XIV.

42. Notandum 3. facultatem dispensandi vota residere apud omnes Praelatos habentes iurisdictionem ordinariam in foro externo, ut sunt 1. Papa respectu omnium fidelium. 2. Episcopi respectu subditorum: sed non vicarii eorum, nec parochi, nec poenitentiarii. 3. Praelati regulares tam quoad professos, quam quoad novitios; licet votum emissum esset in saeculo (uti dicunt Lessius, Sanch. et Busemb.), saltem possunt suspendere illa, quatenus praeiudicant novo vitae statui (7). 4. Confessarii mendicantes, qui ex licentia suorum Superiorum possunt dispensare vota cum saecularibus etiam extra confessionem, iuxta communem Lessii, Nav. Pal. Salm., etc. (8) possunt etiam ipsi votum ad strictiorem religionem transeundi dispensare; quod concessum est etiam Episcopis, qui cum subditis qui habent votum ingrediendi in aliquam religionem, in qua viget observantia, possunt dispensare, ut ad aliam minoris observantiae se recipiant; Soto, Less. Sanch. Ledesm. Salm., etc. (9).

43. Omnes Superiores qui ordinaria potestate gaudent, possunt certe eam delegare cuilibet clerico, qui saltem sit prima tonsura initiatus. Et qui possunt dispensare cum aliis, possunt etiam eo modo cum seipsis; Suar. Sanch. Less. Bonac. Laym. Cai. Pontas, Castropal., etc. cum s. Thoma 2. 2. *qu.* 185. *a* 8. *in fine*(10). Quaeritur autem hic, an qui delegatam facultatem habet dispensandi in votis, possit dispensare in iuramentis? *Prima* sententia negat quia vinculum voti differt a vinculo iuramenti; et ideo ex stylo Curiae facultas quoad iuramenta specialiter conceditur; ita Lessius et Salmant. cum Azor. Sanch. Bonac. et Ledesma (11). *Secunda* vero sententia affirmat, quia iuramenta, licet sint vin-

(1) N. 252. et 253. (2) Lib. 1. n. 181. (3) L. 3. n. 251. (4) N. 254. (5) L. 3. n. 255. (6) Ib. v. Notandum. (7) N. 237. v. Quaeritur in fine, et 256. (8) N. 257. v. Imo. (9) N. 257. (10) N. 256. v. Quaer. (11) Lessius l. 2. c. 42. n. 60. Salm. de iuram. c. 3. n. 3.

cula diversa a votis, in ordine tamen ad dispensationem, ut vota reputantur, argumento *L. tantum ff. de servo corrupto*, ubi: *Dispositum in uno aequiparatorum censetur dispositum in altero.* Illa autem specialis concessio ex stylo Curiae fit ad maiorem cautelam. Ita Caietanus, Suarez, Pontius, Castr. Prado, Aragon. Trullench., etc. apud Salmant. *cap.* 3. *n.* 4. Quamvis autem haec secunda sententia sit satis probabilis, tamen omnino prima est tenenda, quae est aeque probabilis; namque, cum obligatio iuramenti iam contracta sit certa, et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam.

44. An autem possit Episcopus dispensare vota peregrinorum, qui brevi morantur in dioecesi, probabilior sententia est quod non possit, nisi per maiorem anni partem illic moram faciat. Sed contraria non est improbabilis, ut dicunt Suar. Pontius, Castropal. Sanch. Salas, Salmant., etc. quia (ut dicunt) peregrini etiam brevi alibi morando, subditi fiunt Episcopi loci, ita ut teneantur legibus illius loci, ubi reperiuntur. Vide quod dictum est *Tract.* 2 *n.* 41 *et* 42.

45. Notandum 4. dispensationem quinque votorum, nempe religionis, castitatis perpetuae, trium peregrinationum ad terram sanctam, Romam ad limina apostolorum ss. Petri et Pauli, et Compostellam ad s. Iacobi templum, esse Papae reservatam. In casu tamen urgentis necessitatis, et quando non est facilis recursus ad Papam, si in mora sit periculum gravis damni, vel spiritualis, v. g. violationis voti, scandali, rixarum, vel alterius peccati; vel damni temporalis proprii, aut alieni nimirum gravis infamiae mulieris, etc. tunc cum ipsis possunt dispensare iuxta communem, etiam Praelati inferiores praelaudati (1).

46. In pluribus vero casibus praefata vota non sunt reservata, et 1. Si sunt facta sub levi. 2. Si facta sunt ex timore extrinseco, licet levi, quia tunc iam non cum plena libertate sunt emissa. 3. Si votum non est perfectum iuxta materiam reservatam, ut in voto castitatis, esset votum non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum coniugale; et etiam votum servandi virginitatem, quando vovens non intendit promittere abstinentiam ab actu venereo, sed solum virginitatis praestantiam servare. Ita nec etiam est reservatum votum castitatis ad tempus, nec votum castitatem aut religionem vovendi, nec votum suscipiendi Ordines sacros, quia hoc non est votum castitatis iam emissum, sed emittendum. Ita nec votum proficiscendi Romam, nisi sit emissum causa devotionis, et praecipue ad visitanda ss. Apostolorum limina. Neque sunt reservatae voti circumstantiae, ut iter facere pedestre, vel mendicando, aut intra mensem (2). Nec est reservatum votum disiunctivum, v. g. aut religionis, aut ieiunandi, et hoc etiamsi sit electa pars reservata, uti probabiliter dicunt *Salm.* cum multis aliis, quia etiam post factam electionem semper integrum est voventi iterum eligere alteram voti partem (3). In voto autem castitatis post contractum matrimonium, possunt utique dispensare tam Episcopi, quam Mendicantes, licet votum sit emissum ante matrimonium (4).

47. Dubitatur 1. An sicut est reservatum votum, ita etiam sit reservatum iuramentum castitatis? Alii dd. affirmant, quia promissio iurata includit votum, quod nihil aliud est quam promissio. Sed ab aliis melius respondetur, quod, cum quis intendit se duobus vinculis obstringi, nempe voto et iuramento, utique remanet ligatus voto reservato; secus vero dicendum si quis voluerit se

(1) L. 3. n. 258. v. Notand. 1. et 2. (2). L. 3. n. 258. Notand. 3. (3) N. 224. v. Quaer. (4) L 6. n. 1128.

tantum vinculo iuramenti obligare, volens ut suum propositum, seu promissio non obligatoria, per iuramentum fieret irrevocabilis, non quidem voti obligatione, sed iuramenti: quod ceteroquin inducit minorem obligationem quam votum, ut dicit s. Thom. (1); ita Sanch. Valent. et Lopez. Et in dubio an iste voluerit se obligare necne ambobus vinculis voti et iuramenti, non intelligitur voto adstrictus, ex regula communiter accepta a dd. quod votum dubium non obligat (2).

48. Dubitatur 2. An cum commutetur votum reservatum, remaneat reservata etiam materia commutata? Alii affirmant; sed est communis sententia opposita, quia licet materia commutata secum afferat eamdem obligationem primi voti, nihilominus cum non sit ipsa ex se reservata, neque inducit reservationem, quae est addicta dumtaxat primae materiae (3).

49. Dubitatur 3. An votum poenale, aut conditionatum in futurum castitatis, religionis, aut trium peregrinationum sit reservatum? Respondetur cum sententia probabiliori Tolet. Castropal. Prad. Salmant. Sanc., etc. negative, quia huiusmodi vota non procedunt ab affectu absoluto erga virtutem. Secus tamen dicendum, si votum fuerit factum ob merum affectum ad virtutem, et conditio tantum apponitur, ut votum valeat eo tempore, quo iudicatur sublatum fuisse impedimentum, quominus possit observari, v. g. cum aliquis voveret religionem sub conditione *si mater obierit*: nam ille tunc revera movetur iam ad vovendum a desiderio perfectionis; sed quia non potest illud exequi, ne matrem derelinquat, ideo apponit conditionem, quae in rigore non est coniunctio conditionalis, sed potius adverbium temporis significans *quando* (4).

50. Dubitatur 4. An Papa possit dispensare in votis clericorum in Sacris, et Religiosorum? Quoad clericos probabilius est cum s. Thoma, et communiori, quod possit; modo adsit causa urgentissima (5). Dictum est clericorum, sed non iam sacerdotum, ut vult communis sententia (6). Et sicut potest cum clericis, ita etiam probabilius est posse cum Religiosis (7).

TRACTATUS VI.

DE TERTIO PRAECEPTO DECALOGI

CAPUT I. DE OBLIGATIONE TERTII PRAECEPTI MEMENTO ETC.

1. *An hoc praeceptum hodie sit ecclesiasticum, an divinum, et an obliget infideles.*
2. *Qui peccat die festo, etc.*
3. *Quis potest instituere festa.*
4. *Obligatio concionem auscultandi.*
5. *Obligatio concionandi.*
6. *Quinam pueri, etc.*

1. Antequam progrediamur ad videndas obligationes particulares, quas hoc tertium praeceptum inducit, plura praenotanda sunt. Et 1. quod tertium praeceptum, quoad debitum honorandi Deum in aliquo vitae tempore per aliquem cultum, illud erat, et est divinum, et naturale. Sed quoad tempus praescriptum die sabbati in veteri Lege, et dominica in nova, erat caeremoniale, et nunc est ecclesiasticum, iuxta communem s. Antonini, Navar. Azor. Suar. Caiet. Sanchez, Salmant. Carden. et aliorum cum s. Thoma (8), et Catechis. rom. (9). Stante hoc infertur, quod

(1) 2. 2. q. 89. a. 8. (2) L. 3. n. 259. v. In dubio. (3) L. 3. n. 260. (4) N. 261. (5) L. 6. n. 1059. (6) Ibid. (7) L. 3. n. 256. v. Quaeritur. (8) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1. et 4. (9) 3. p. in 3. praecept. dec. n. 4. 6 et 19.

quamvis Ecclesia non possit generaliter dispensare huic obligationi exhibendi Deo aliquem cultum, potest nihilominus mutare, et etiam dispensare observantiam dominicae, et aliorum festorum assignatorum, ut patet ex cap. *Licet de feriis* (1). Ex hoc infertur etiam probabile esse, vetitum non esse imponere opera servilia infidelibus, qui sunt extra, ideoque non subditi Ecclesiae.

2. Notandum 2. Quod iuxta sententiam etiam communem s. Thomae (2), s. Antonini, Soti, Coninch., Sanch., Salmant., Covar., Bonac., Filliuc., etc. in hoc tertio praecepto desideratur, sed non imponitur cultus internus per actus charitatis et contritionis, ut volunt aliqui. Tantummodo praecipitur cultus externus audiendi Missam, et abstinendi ab opere servili in diebus festis; etenim licet sanctificatio animae sit finis praecepti, attamen finis praecepti non cadit sub praecepto, ut docet communis sententia cum s. Thoma (3), qui ait: *Non enim idem est finis praecepti, et id de quo praeceptum datur.* Et id confirmat Catechismus rom. (4) dicens: *Hoc legis praecepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, praescribitur.* Et hac ratione cum laudato s. Thoma (5) et communi Nav., Soto, Silvest., Caiet., Suar., dicimus verum non esse (uti volunt aliqui) die festo peccantem duplex committere peccatum (6).

3. Notandum 3. Episcopos posse festos in honorem alicuius Sancti (non vero Beati) statuere, ut habetur ex *cap. Conquestus de fer.*, modo sint consentientes clerus et populus (7).

4. Notandum 4. In diebus festis (ex se loquendo) non adesse obligationem concioni interesse, nam in *cap. Sacerdotes, dist.* 1. *de consecr.* aliud non praecipitur, nisi ut episcopi et parochi in dominicis et solemnioribus festis sermocinentur per se, vel per alios idoneos, et ut in quadragesima saltem ter in hebdomada habeant concionem, cum ibi subiungitur: si ita oportere duxerint. Dictum est, *ex se loquendo*, caeterum rudes, qui Mysteria principalia, aut res necessarias saluti ignorant, utique ipsi tenentur concioni interesse, aut potius catechismo (8).

5. Hic advertere iuvat a Tridentino *sess.* 5. *c.* 2. *de ref.* imponi episcopis, ut concionentur diebus dominicis et solemnioribus per se, vel per alios, si ipsi impediti fuerint. Hanc ipsam obligationem (quae procul dubio est gravis, pariter imponi parochis legimus his verbis: *Ut plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque cum brevitate, et facilitate sermonis vitia quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat.* Ex quo rationabiliter dicunt Barbosa, Salmant. et Ronc. graviter peccare parochum, qui per integrum mensem, aut per tres interruptos omittit concionari (9). Hoc tamen procedit de parochis, non autem de episcopis, qui ex consuetudine communi legis interprete, non tenentur tam frequenter praedicare, ob tot negotiorum genera quae expedire debent, et aliis facile committere nequeunt, ut committi potest munus concionandi: cui iam episcopis posse per alios, si ipsi impediti fuerint, a Concilio permittitur satisfieri (10).

6. Notandum 5. Huic tertio praecepto teneri omnes fideles usu rationis pollentes, qui quidem ordinarie septennio adipiscitur. An autem pueri, qui ante septennium pervenerint ad discretionis aetatem, teneantur? Vide quidquid dictum est *Tr.* 2. *n.* 37.

(1) L. 3. n 263 et 265. (2) 2. 2. q. 122. a. 4. (3) 1. 2. qu. 100. a. 9. ad 2. (4) Part. 3. de tertio praecepto n. 1. (5) In 3. sent. dist. 37. q. 1 a. 5. q. 2. ad 1. (6) L. 3. n. 273. (7) N. 266. (8) N. 308. (9) n. 269. (10) L. 4. n. 127. dubit. 3. v. Hinc.

CAPUT II. DE ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS.

PUNCTUM I. *De operibus prohibitis in die festo.*

7. Tria genera operum ab auctoribus distinguuntur. Opera *corporis*, quae a corpore exercentur, et ad corporis utilitatem ordinantur, ut sunt fodere, suere, et similia; et haec dicuntur servilia, quia a servis dumtaxat exercentur. Opera *animae*, quae ab anima principaliter procedunt, et ad mentis culturam spectant, ut legere, studere, sonare, etc. et haec *liberalia* dicuntur, quia a liberis solent fieri. Deuique opera *communia*, seu media sunt, quae promiscue tum a servis, tum a liberis exercentur, ut iter facere, venari, etc. Itaque festis tantum opera servilia sunt prohibita, non vero liberalia et communia (1).

8. Quare permissum est studere, docere, scribere, canere, sonare, et huiusmodi: et hoc etiam lucri causa, ut dicunt Soto, Navar., Suar., Salmant. (contra alios) ex s. Thoma (2) qui sic docet: *Nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam sabbati, puta si quis doceat verbo, vel scripto.* Nam intentio agentis non potest operis naturam ex liberali in servile mutare (3).

9. Ita pariter probabilius permissum est transcribere scripturas Suar., Bonac., Salm., Sa, Castropal., etc. communissime, quia tam scribere, quam transcribere ordinatur ad mentis instructionem. Ideoque plures dd. admittunt etiam notas musicales, et computationes exscribere, et etiam characteres typographicos ordinare, non autem folia imprimere (4).

10. Pingere communius volunt dd. esse opus servile, hoc enim requirit actionem materialem. Sed opposita sententia non est improbabilis, uti dicunt Laym., Sa, Castrop., Ronc., Anacl., Holzman, etc. dum pingere (modo non sit labor notabilis in praeparandis coloribus et tabulis edolandis) videtur etiam potius opus liberale quam servile, cum magis in eo mens operetur, quam manus. Saltem est dubium sitne liberale an servile; et si non est liberale, saltem est opus commune, cum id exercitium tam a liberis quam a servis factitetur. Sculpere autem nemo dubitavit quin sit ars servilis (5).

11. Venari autem sclopeto, vel reti, alii tenent esse servilia; sed communior et probabilior sententia negat, licet lucri gratia id ageretur. Servile potius videtur piscari, cum magna defatigatio adesset; alias non opus fuisset Pontificis dispensatione in halec um piscatione; ut habetur *cap.* 3. *de feriis*. Piscatio autem, si moderato labore fiat, probabilius excusatur ex consuetudine, ut dicunt Castrop., Filliuc., Sanch., Holzman, etc. (6).

12. Praeter opera servilia in festis sunt prohibita etiam forensia; sub horum nomine intelliguntur primo omnes actus, qui ad forum spectant circa causarum decisiones, ut sunt citatio partium, compilatio processus, examen testium, sententiam proferre, aut eam executioni mandare. Huiusmodi igitur opera prohibentur in festis; modo necessitas aut pietas aliter non expostulet, ut praescribitur *cap. ult. de feriis*. At vero non est prohibitum excommunicare, dispensare, aut aliud iurisdictionis exercitium, quod iudiciali strepitu non indiget (7).

13. Sub nomine forensium intelliguntur 2. prohibitae nundinae modo non fiant de rebus necessariis usui quotidiano, ut sunt cibi, et potationes; et etiam candelae, calceamenta, et similia, quorum pretium est de-

(1) L. 3. n. 272 (2) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. (3) L. 3. n. 278. v. Quaer. I. (4) N. 279. (5) N. 280. (6) N. 283. (7) L. 3 n. 284. et 287.

terminatum. Caeterum hodie ex consuetudine permittuntur nundinae universales (et alicubi etiam particulares), et ita etiam aliarum rerum venditiones, exceptis iis quae in publicis officinis venduntur, ut dicunt Nav., Sanch., Castrop., Salmant., LaCroix, etc., nam hae tantum prohibitae sunt a lege canonica ratione scandali (1). Item permittunt dd. etiam mercatoribus vendere aliquid clausis ianuis, cum emptores pro tunc iis valde indigerent (2). Ita etiam ex consuetudine pluribus in locis permittuntur (saltem ex licentia generali Ordinarii) contractus locationum, permutationum, negotiationum et huiusmodi, quae strepitum iudicialem non requirunt (3).

PUNCTUM II. *De casibus quibus permittuntur opera servilia die festo.*

14. *I. Excusant dispensatio Papae, aut Episcopi, aut parochi.*
15. *II. consuetudo.*
16. 17. *III. Pietas.*
IV. Charitas.
18. *ad* 21. *V. Necessitas.*
22. *An propter magnum lucrum, etc.*
23. *Ut evitetur otium.*
24. *VI. Utilitas.*
25. *VII. Parvitas materiae.*
26. *Qui imponit opus decem servis, etc.*

14. Hae causae sunt I. *Dispensatio* Papae pro tota Ecclesia aut Episcopi pro sua dioecesi, aut vicarii capitularis, sede vacante (non autem vicarii Episcopi); modo adsit iusta causa, loquendo de festis communibus; aut praelati regularis respectu suorum religiosorum, aut domesticorum. Parochi possunt etiam dispensare (etiam praesente Episcopo) in casu particulari, sed tantum ad tempus, et in iis in quibus consuetudo permittit eis dispensare, nempe in ieiunio et laborando die festo, ut communiter testantur Suar., Sanch., Viva, Salm., Spor., etc. (4).

15. II. *Consuetudo.* Propterea excusantur qui vehuntur sella gestatoria ab hominibus conducta (5). Ducere vehicula, vel animalia rebus onusta, Roncagl., Viva, Salm., Mazzotta (6). Irrigare olera, vertere aut separare segetes (7). Ita etiam ex consuetudine permissum est die festo animalia occidere, et ea excoriare, cum die praecedenti id fieri nequit, ut accidit in frequentioribus civitatibus, non autem in oppidis, nisi esset tempore aestivo, aut plura festa concurrerent. Ita etiam ex consuetudine permittitur molere frumentum (8). Et ita pariter licitum est cibos parare, et coquere, licet superflui sint: Azor., Castrop., Viva et Mazzotta, etc. (9). Ita etiam calceamentis novis aliquem calceare, et barbam tondere; ita circa barbam tondendam aliqui dd. dicunt adesse consuetudinem ubique; alii dubitant. Caeterum probabiliter dicunt alii universaliter permitti rusticis tonderi in festo; quia hic dies tantum illis, ut tonderi possint, vacat; et dicunt etiam posse excusari tonsores, si eis renuentibus tondere diebus festivis, notabilis lucri iactura [illegible]ienda esset (10). Plures auctores dicunt dubiam consuetudinem non posse excusare, bene vero probabilem, prout si attestaretur ab aliquo doctore eximio: ita Salm., Salas, Granado, Viva, Mazzotta, etc. (11) His positis mihi lubet hic afferre quid s. Carolus Borromaeus in 1. et 3. conciliis mediolanensibus pro venditoribus rerum victui necessariarum, et pontifex Bened. XIV. cum esset Archiepiscopus Bononien. (12) tam pro dictis venditoribus, quam barbitonsoribus statuerint, ut praescriberetur hora, qua claudendae essent huiusmodi tabernae, propterea praefatus Pontifex iussit affigi tabellam horarum, quibus pro temporum varietate ad signum campanae maioris statim illae claudi deberent. O utinam hoc ubique ab Episcopis fieret! utique non viderentur homines penitus suae salutis tam

(1) N. 285. et 286. (2) N. 303. v. 14 (3) N. 286. v. An autem. (4) L. 3. n. 288 (5) N. 275. (6) N. 276. (7) N. 290. (8) N. 277. (9) N. 298. (10) N. 290. (11) Ibid. v. Notandum. (12) Notificat. 43.

immemores, ut vix semel in anno, et quasi inviti ad Sacramenta accedant, numquam verbo Dei, quod est Christi ovium alimentum, ab eis audito.

16. III. *Pietas*. Qua de re permittuntur opera quae proximo spectant ad cultum divinum, ut campanarum pulsatio, statuarum delatio in processionibus, et etiam (saltem ex consuetudine) altaria, et ecclesias ornare, hostias coquere, templa verrere, molem funerariam, vel ad sanctissimi Sacramenti expositionem erigere. Conficere autem tabulata ad invisendas processiones non licet in festo, nisi quando nullum aliud tempus suppeteret (1).

17. Hic dubitatur an liceat laborare in festo ad solam pietatem, ut pauperum vestes suere, ecclesiae agros colere, aut eas aedificare, aut lapides pro illius aedificio adferre. Alii hoc permittunt, quia in *cap. Conquestus de fer.* iam permittuntur opera forensia, si necessitas, vel pietas suadeat; propterea idem putant posse dici de operibus servilibus, in aequiparatis enim, *ubi currit eadem ratio, eadem est legis dispositio.* Alii tamen probabilius id negant, nisi adsit actualis et gravis necessitas, aut nisi adsit licentia Episcopi: quia opera praedicta tantum remote concurrunt ad cultum divinum. Caeterum dicunt Salmantic. cum Suar., Soto, Caiet., Castropal., Sanch., Bonac., Trullench., etc. quod nostra hac tempestate cum loca pia quasi omnia egeant, bene posse exerceri praedicta opera, ut eis succurratur (2). IV. *Charitas;* ideoque permittuntur agi causae pauperum, eis opitulari, etc. (3).

18. V. *Necessitas* propria vel aliena animae vel corporis: si nimirum sine gravi incommodo aut detrimento aliquid omitti non possit. Ideoque possunt excusari servi et famuli etc. si coacti a dominis laborare metu gravis incommodi, v. gr. ne dimittantur, sine spe faciliter et brevi inveniendi cui serviant. Idem dic de uxoribus, et filiis coactis a patre ad laborandum. Suar., Azor., Palud., Salmant., etc. (4). Ita etiam excusantur pauperes, quibus die festo laborandum est pro seipsis ad sui et familiae alimentationem, ac pariter ut resarciant vestes proprias aut consanguineorum (5).

19. Ratione etiam necessitatis permittitur laborare pharmacopolis, vitri, et ferri conflatoribus, laterum et calcis coctoribus, et quibuscumque quorum opus semel coeptum non potest interrumpi sine damno (6). Ideoque etiam permittitur equos calceare itinerantium, reficere vomeres eorum quibus aliter die sequenti cessandum esset a labore, reficere vias et pontes, fontes etc. (7). Ita pariter licitum est sartoribus (si aliud non suppetat tempus) vestes suere pro nuptiis aut funeribus, et similibus; puta si exterus indigeret vestibus iuxta loci ubi reperitur decentiam, aut si alii expectarent vestes promissas, quas si non exhiberent, ipsi magnum detrimentum subituri essent. Idem valet pro calceamentariis (8).

20. Permittitur etiam pistoribus publicis panem conficere diebus festis, tam ob consuetudinem, quam ob populi necessitatem; dum semper adest periculum, ne ob quamlibet panis penuriam populus commoveatur. An consuetudo permittat omnibus indiscriminatim hisce diebus panem conficere, merito Tamburinus dubitat, nisi accideret concursus plurium festorum, et panis antea coctus edendo minus aptus redderetur; aut si panis esset necessarius pro illo die. Et idem dicimus de *pastillis*, sive artolaganis (9).

21. Ita pariter, ut evitetur damnum, permittitur colligere fruges, aut foenum, et (saltem ex consuetudine) etiam fructus, quamvis non necessarios usui illius diei, ut melius serventur, praecipue si est periculum pluviae imminentis, ideoque in multis regio-

(1) L. 3. n. 291. et 292. (2) N. 293. (3) N. 294. (4) N. 296. (5) N. 297. (6) L. 3. n. 300. (7) Ibid. (8) N. 303. (9) N. 299.

nibus solent colligi quibuscumque diebus olivae, castaneae, aut alii fructus silvestres. Communiter licent quaelibet opera, quae sunt necessaria usui quotidiano familiae, ut verrere domum, lectos sternere, utensilia culinaria lavare, etc. (1).

22. Dubitatur 1. An iactura magni lucri possit excusare laborantem die festo? Multi negant, ut Salmanticens., Roncaglia, etc., quia dicunt aliud esse damnum pati, aliud lucrum non facere. Sed multi alii dd. etiam graves, ut Suar., Castrop., Caiet., Sanch., Navar., Armilla, Holz., Bonac., Viva, Elbel, Mazzotta, etc. probabiliter excusant, quia ex *L. un. c. de Sentent.* lucrum non facere magnum aequiparatur gravi damno. Saltem hac in circumstantia dici potest praeceptum festorum, quod est humanum, cum tanto incommodo haud obligare (2). Eademque ratione multi dd. excusant etiam a Sacro; ita Suar., Castrop., Mazzotta, etc. Contra tamen nescio approbare opinionem nonnullorum dicentium, posse sabbato proficisci aliquo venatum, licet praevideat Dominica omissurum Missam. Aliter tamen dicunt multi aa. de eo qui proficisceretur die Iovis: et aliter de iis qui ex officio iter agunt, aut merces vehunt (3).

23. Dubitatur 2. An liceat laborare in festo ad evitandum otium? Alii dd. id negant; alii affirmant, uti Laym., Silv., Sa, Mazzotta, etc. quando quis alias esset in periculo peccandi; nam (dicunt) si excusat necessitas, quae corporis commodum respicit, tanto magis debet excusare necessitas, quae animae bono conducit. Hanc sententiam puto probabilem in solo casu quo tentatio non possit alio modo superari, nisi se labori applicando; sed hic casus nescio an moraliter possit accidere, saltem erit rarissimus (4).

24. VI. Excusat *utilitas* publicae laetitiae, aut splendoris; quapropter licet in victoriis, natalitiis, vel adventibus principum theatra constituere, vestes conficere, ignes accendere, etc. modo haec praeveniri non potuissent; dum consuetudo permittit huiusmodi res, cum sint signa laetitiae moraliter necessaria ad populi pacem (5).

25. VII. *Parvitas materiae* excusat saltem a mortali. Sed hic quaeritur 1. quaenam in hoc sit gravitas materiae, alii ponunt tres horas, sed haec opinio est nimis laxa. Alii unam horam, et haec est nimis rigida, alii communius duas horas, et multi alii aliquid amplius, nempe duas cum dimidia, ut Valentia, Granado, Henriq. Bas. La-Croix, etc. cum Viva, qui asserit hanc esse communiorem; imo Viva et Mazzotta dicunt excusare etiam longius hoc temporis spatium, si intercedat aliqua necessitas, quae alioquin non sufficeret ad excusandum (6).

26. Qu. 2. An peccet graviter dominus qui imponit decem servis laborem mediae horae? Si labor impositus eodem tempore exercetur, ex communi sententia non peccat graviter. Dubium restat an si successive? Alii volunt peccare mortaliter; nihilominus communior est opposita cum Sanch., Bonac., Salmant., Roncag., Trullench., Viva, etc. quod non excedit veniale, et est satis probabilis, nam huiusmodi dominus non potest amplius peccare quam ipsi servi, quorum nemo pro eo labore peccat graviter. Secus esset si dominus eidem servo praeciperet pluries intra eumdem diem laborare, quia illae plures vices coalescunt ad constituendam materiam gravem (7). Advertatur hic denique quod in operibus forensibus gravitas materiae non tam desumitur a quantitate temporis quam a quantitate operis.

(1) N. 298. v. Permittunt. (2) L. 3. n. 301. cum Castrop. tr. 3. de leg. d. 5. p. 3. §. 2. n. 3 et Suar. eod. tit l. 6. c. 7. ex n. 9. (3) L. 3. n. 301. v. Ob eamdem. (4) N. 302. (5) N. 304. (6) N. 305. (7) Lib. 3. n. 306.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE AUDIENDI SACRUM

Punctum I. *Quomodo huic obligationi satisfaciendum est.*

27. *De intentione.*
28. *De attentione.*
29. *Qui, dum audit Missam recitat officium, etc.*
30. *Qui celebrat.*
31. *Qui confitetur.*
32. *Qui dormitat, aut colligit eleemosynas.*
33. *De materiae parvitate.*
34. *Qui audit duas dimidias Missas.*
35. *De loco unde audiri potest Missa.*
36. *et* 37. *De oratoriis, et ubi potest Episcopus celebrare.*
38. *Utrum Episcopus possit dispensare ad celebrandum in domibus privatis.*

27. Hoc praeceptum audiendi Missam omnibus festis habetur ex *can. Omnes fideles*, et *can. Missas, de consec. dist.* 1.; et obligat omnes fideles usu rationis utentes. Ad satisfactionem huius praecepti duo requiruntur: *intentio* et *attentio*. Requiritur 1. *intentio*, nempe ut quis intendat Missam audire; nam non satisfaceret praecepto, qui assisteret solo fine ecclesiam visendi, amico praestolandi, etc. aut vi detineretur; dico *vi*, quia si quis interesset Sacro timore a patre, vel magistro in eum incusso, iam satisfaceret debito suo, quamvis peccaret ob pravam voluntatem Missam omittendi si posset. Praeterea sufficit intentio adimplendi opus praeceptum, et nihil refert quod non habeatur intentio satisfaciendi praecepto; quare qui iam adfuisset Sacro, utique praecepto satisfecit, licet fuisset immemor diei festivi (et idem dicitur de voto, iureiurando, poenitentia sacramentali; modo opus promissum in voto, aut impositum pro poenitentia non applicetur ad alium finem) (1). Imo satisfacit, licet habuisset expressam intentionem non adimplendi praeceptum iuxta communissimam et probabiliorem Suar. Lessii Sanchez Castropal. Tournely Pontas Valentia Vasq. La Croix Salmant. (2). Ratio, quia qui voluntarie iam exequitur opus praeceptum, necessario etiam satisfacit praecepto. Nec obstat paritas quae a contrariis adducitur, nempe quod sicut qui debet alteri centum, et conscius debiti centum illi donat, non remanet liber a debito; ita non remanet liber a praecepto, qui praecepto satisfacere non vult. Nam responsio patet: in debito pecuniae (idem de debito voti) obligatio dependet a propria voluntate, quare bene potest aliquis, non obstante solutione, velle ligatum remanere; sed in casu nostro obligatio audiendi Sacrum dependet ab Ecclesiae voluntate, unde non potest homo ex se illam sibi imponere, adeoque dum adimplet praeceptum, non potest non adimplere.

28. Requiritur 2. Attentio (saltem virtualiter et in confuso) nimirum ut advertat et attendat ad assistendum, ut debet, Sacrificio quod peragitur. Quare non satisfacit certe, qui assistit dormiendo, aut sensibus abreptus, aut nesciens quod fit. Quaestio est inter dd. an in assistendo Sacro requiratur attentio interna? Multi aa. negant, uti Suar., Less., Lugo, Coninch., Silvest., Medina, Hurtado, Henr., Renzi, Croix, et plures alii, dum dicunt quod, ut Missae praecepto satisfiat, non sit necesse orare, sed sufficit praesentia morali adesse, intendens illa Deo cultum exhibere. Sed communior sententia cum s. Thoma, Laym., Bonac., Sporer, Salmant. et aliis pluribus vult esse necessariam attentionem internam, attendendo aut ad Deum (nimirum eius bonitatem, amorem, etc.) aut ad Sacrificii mysteria, aut ad verba et actionem celebrantis; sufficiendo caeteroquin (ut dicunt communiter) ut in principio habeat intentionem interne attendendi, et eam non revocet voluntarie, et advertenter se distrahendo: dico *advertenter*, quia si quis voluntarie se

(1) Lib. 1. n. 163.

(2) N. 164. et fusius l. 4. n. 176

distrahit non advertens quod distrahitur a Missa (idem valet de Horis canonicis), etiam satisfecit; quia iste, licet voluntarie distrahatur, non tamen voluntarie distrahitur a Missa. Hanc secundam opinionem puto esse probabiliorem et quidem consulendam, contrariam vero non iudico improbabilem; saltem stante auctoritate tot dd. qui eam tuentur, redditur res valde dubia, an adsit haec Ecclesiae lex obligans fideles ad Missae assistentiam etiam cum interna attentione (1).

29. Ceterum communiter admittunt, quod satisfacit Missae qui conscientiam examinat ut confiteatur, aut aliquem librum spiritualem legit(non autem historiarum licet spiritualium) (2); aut recitat Horas canonicas, vel poenitentiam persolvit, aut aliam orationem debitam facit; quia eodem tempore potest duobus praeceptis satisfieri, quando res praeceptae non sunt ad invicem incompatibiles, ut communissime Suar., Bonac., Castropal., Sanch., Filliuc., Sa, Bus., Salmant., etc. contra pauciores (3). Ita etiam satisfaciunt, qui Missae inservientes se parant, ut res altari necessarias afferant, puta vinum, hostias, thus etc. cum eaedem res ad idem Sacrificium pertineant; sed hoc intelligitur modo ab ecclesia non egrediendum erit, aut saltem per multum tempus (4).

30. Probabile etiam est, celebrantem posse aliam Missam audire, quae una simul celebratur, quia, dum ipse celebrat, iam orat. Sic etiam probabiliter satisfacit qui, dum Missae assistit, extasim patitur, quae a sensibus eum abalienat, quia anima tunc ad Deum attendit.

31. An satisfaciat qui audiendo Sacro confitetur? Multi dd. affirmant, modo poenitens tunc attendat Missae: ita Castropal., Reginal., Molfes., Hurtad., La-Croix, Elbel, Pichler, etc. dicentes quod per confessionem honoratur Deus; et idem dicunt de confessario audiente confessiones. Sed nos contrarium sentimus cum Lugo, Tambur., Bonac., Esc., Salmant. ratione quia qui confitetur tamquam reus sistit, non autem ut offerens Sacrificium cum sacerdote. Nihilominus dicunt Lessius et La-Croix absolute bene satisfacere servum aut famulum, cui nullum aliud tempus vacaret ad confitendum, nam pro isto praesumitur Ecclesiae conniventia.

32. Satisfacit etiam, aut saltem in materia gravi non delinquit qui in audiendo Sacro (aut in Horis canonicis recitandis) dormitat, modo advertat ad id quod fit (5). Probabiliter etiam satisfacit qui circumiens ecclesiam colligit eleemosynas, modo ad Missam attendat. Qui vero confabulatur per partem notabilem Missae (quicquid dicat Busemb.) cum communi dicimus quod non satisfacit, quia confabulatio destruit attentionem etiam externam, quod impedit praecepti satisfactionem (6).

33. Quaeritur 1. Quae sit parva materia in praecepto audiendi Sacrum? Alii putant esse parvam materiam omittere usque ad Evangelium exclusive; multi *inclusive*, prout Azor. Lugo Suar. Laym. Castrop. Sa Holzman Elbel Salmant., etc. etiamsi omitteretur *credo*, ut dicit Lugo cum aliis. Prima sententia est communior et probabilior, sed secundam non puto improbabilem, quia Missa iuxta s. Isidorum ab offertorio olim incipiebat. Commune vero est cum Suar. et aliis non esse grave omittere ea quae praecedunt epistolam, et quae post communionem subsequuntur, etiamsi utrumque omittatur. Commune contra pariter est esse gravem omissionem a consecratione ad *Pater noster*, etiam exclusive; aut omittere consecrationem, et sumptionem. An autem sit grave omittere consecrationem vel sumptionem? Alii communius affirmant, imo dicunt esse grave, licet omittatur

(1) L. 3. n. 313. (2) N. 314. (3) N. 309. (4) Ibid. v. Satisfaciunt. (5) L. 3. n. 316. (6) N. 317.

consecratio unius speciei. Multi alii nihilominus cum Lugo Suar. Hurt. Fagund. Escob. Tamb. Elbel, etc. negant; nam, uti dicunt, non constat essentiam Sacrificii consistere in consecratione (sicut communius volunt), aut in sumptione (uti vult Ledesma, Pignatelli, et alii cum Alberto Magno; attamen nos probabiliorem putamus primam sententiam, tanquam probabilius habentes essentiam Sacrificii in utraque simul consistere, nempe in consecratione, et in sumptione (1). Dicunt autem aliqui auctores quod, cum sit probabile essentiam Sacrificii Missae in sola consecratione consistere, ideo etiam probabile sit, quod si aliquis veniret post consecrationem ultimae Missae, reliqua audire non teneatur. Sed dicimus oppositum tenendum cum Continuatore Tournely, et p. Zaccaria in La-Croix (2); ratio, quia cum sit satis etiam probabile quod essentia Sacrificii in sumptione consistat, dicimus illum bene obligari ad reliquam Missae partem audiendam: qui enim implere nequit praeceptum impositum certe, tenetur saltem, si potest implere probabiliter, nam huiusmodi onus satisfaciendi praecepto probabiliter, cum non possit satisfieri certe, inclusum est in praecepto certe satisfaciendi; cum enim praeceptum stet in possessione, debet ipsum impleri, ut melius impleri potest.

34. Quaeritur 2. An satisfaciat qui duas medias Missas audit a duobus celebrantibus? Qui eodem tempore has partes audit, utique non satisfacit, uti patet ex propos. 53. damnata ab Innoc. XI.; sed si successive, multi admittunt satisfieri, ut Navarr. Laym. Soto, Bonac. Sa, Castrop., etc. quia talis assistentia, non iam physice, sed moraliter iam terminatur ad unam Missam integram: itaque illae duae medietates sufficiunt ad unitatem obsequii ab Ecclesia praecepti. Hanc non negamus esse probabilem, saltem extrinsece; sed longe probabiliorem putamus contrariam cum Suar. Lugo, Azor. Coninch. Tamb. Sporer, etc. si audiatur pars usque ad consecrationem inclusive ab uno sacerdote, reliquam vero ab alio; quia hae duae partes nequeunt constituere unum integrum Sacrificium. Secus dicimus si assisteret tam consecrationi quam sumptioni eiusdem sacerdotis (3).

35. Quaeritur 3. In quo loco satisfit praecepto de audiendo Sacro? Respondetur in qualibet ecclesia publica, etiamsi non sit parochialis, prout hodie certum est ex communi consuetudine. Et iam satisfacit qui audit Missam in choro post altare, aut per aliquam fenestram quae prospectat ecclesiam, etsi sacerdos non videatur, dummodo saltem per alios advertatur quod fit; et licet adsit post parietem, aut columnam ecclesiae, et etiam extra ecclesiam, modo uniatur cum populo, qui est intra ecclesiam. Admittunt alii (et non improbabiliter) cum Lugo, Escob. Mazzott. Spor. Elbel, Dicast. et Gob. et non dissentit Tourn., posse satisfieri huic praecepto ex aliqua fenestra domus, licet via intermediet, modo prospiciatur altare, et distantia sit parva, quia sic etiam moraliter assistitur. Admittunt Lugo, et Escob. distantiam 30. passuum, sed haec merito non admittitur a Tamb. et Gob. (4).

36. Dictum est *ecclesia publica*, nam in oratoriis privatis non satisfaciunt praecepto omnes ii qui ibi adsunt Missae, nisi sint domini, aut illorum coniuncti, qui habitant eamdem domum, et vivunt illorum expensis (etsi aliqui dd. admittunt satisfacere fratres, et uxores eorum, etiamsi habeant mensam particularem, et separatam), aut servi qui ab iisdem dominis aluntur, quamquam isti degant extra domum, ut admittunt Pelliz. Quarti, Diana, La-Croix,

(1) N. 310. (2) Cont. Tourn. tract. de 3. praec. Dec. c. 3. et P. Zacchar. ap La-Croix l. 3. p. 1. n. 608. (3) L. 3. n. 311. (4) L. 3. n. 312.

Castrop. Tamb. et Mazzotta (contra Barbos. Lez., etc.). Sed non satisfaciunt familiares qui non sunt necessarii, uti loquitur indultum (1), et tanto minus extranei, ut sanxit Clemens XI. adversus quorumdam opinionem (2).

37. Circa oratoria privata plura hic advertenda. Et 1. non posse in iis celebrari in quibusdam festis principalibus, et haec sunt *Pascha, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphania, Feria V. in Coena Domini, Ascensio, Annuntiatio, et Assumptio B. Mariae Virg., festa ss. Petri et Pauli, et omnium Sanctorum.* Ita ex Decret. S. C. Sed haec limitatio non intelligitur pro oratoriis concessis infirmitatis causa (3). 2. Pontificem Benedict. XIV. in Bulla *Cum duo nobiles*, anno 1740. declarasse non posse celebrari Missam in oratoriis privatis, nisi actu assistat saltem unus illorum, quibus directe concessum est indultum (4). 3. Per eundem Pontificem in Bulla *Magno*, sub die 2. Iunii 1751. declaratum esse, attenta formula Indultorum, in praedictis oratoriis privatis non posse celebrari nisi unam tantum Missam, cum iam explicatum sit, verbum *una Missa* idem sonare ac *unica* (5). 4. Non licere ministrare Sacramentum Poenitentiae in oratoriis privatis sine licentia Episcopi, et praecisa iusta causa, expressum est in citata Bulla *Magno* §. 20. An autem requiratur licentia Episcopi pro ministranda Eucharistia? Alii negant; sed communius affirmant, et reperi quod praefatus Pontifex Benedictus XIV. in Epistola encyclica ad Episcopos Poloniae, data eodem die 2. Iunii 1751., prohibuit Communionem ministrari in oratoriis privatis sine licentia Episcopi. 5. Hoc procedere de oratoriis privatis concessis a Papa privilegio aliquas personas donare volente, non autem de illis auctoritate Episcopi erectis et designatis ad sacros usus in seminariis, conservatoriis, hospitalibus, et etiam in domibus privatis, modo in istis ingressus pateat a via publica; nam in huiusmodi oratoriis seu capellis quilibet potest celebrare, et Missae praecepto satisfacere in quibuslibet anni diebus, quia haec sunt vere ecclesiae publicae. Et idem currit pro oratoriis Religiosorum, et pro iis qui in domibus Episcoporum, aut Cardinalium eriguntur (6). Episcopi autem possunt celebrare, et celebrare facere se praesentibus in omnibus domibus (etiam extra dioecesim) ubi reperiuntur causa visitationis, aut itineris, aut morae extra dioecesim a iure, vel a s. Sede ob aliquam peculiarem causam permissae; ita habetur ex Bulla *Apostolici ministerii* Innoc. XIII. confirmata a Benedicto XIII. et extat in appendice Conc. Rom. (7).

38. An autem Episcopi possint dispensare, ut aliquando celebretur in domibus privatis? Respondetur quod licet hodie per Trident. *Sess.* 22. *in Decr. de celebr. Miss.* et luculentius in Decr. Clementis XI. ablata sit Episcopis potestas, quam primitus per *Can. Missarum*, 11 *de consecrat. dist.* 1. habebant celebrandi, et celebrare faciendi etiam in domibus laicorum, nihilominus valde probabilis, et communissima est sententia cum Nav. Suarez Lugo Castrop. Vasq. Coninch. Salm. Croix, etc. quod hoc intelligitur de licentia perpetua per modum habitus, non autem de licentia ad tempus per modum actus, intercedente aliqua iusta causa particulari, et transitoria infirmitatis, aut alterius rei. Nonnulli dd. admittunt hoc tantum pro aliquibus vicibus in anno; sed alii, ut Holzm. Elbel, et Pasqual. concedunt quoties occurrit aliqua causa specialis, dicentes, solum vetitum esse Episcopis per modum habitus, et quoties dispensato

(1) N. 319. (2) Vide l. 6. n. 359. Not. 3. (3) Ibid. v. Ex quo, et ex alio Decr. quod affert P. Zaccharia ap. Croix l. 6. p. 2 ad n. 271. (4) L. 6. n. 359. (5) Ibid. v. Dices. (6) L. 6. n. 357. (7) N. 358.

lubet ea licentia uti, et hoc etiam approbatur a Gallemart in citat. loco Trid. et non irrationabiliter (1).

Appendix *De oratoriis privatis.*

Operae pretium est hic adnotare formam Brevium pontificiorum, quibus concedi solent oratoria privata; haec igitur est: — « Clemens XIII. tibi N. N. dioecesis Neapolitanae, qui (ut asseris) ex nobili genere procreatus existis, ut in privato domus tuae solitae habitationis oratorio in civitate N. existentis, ad hoc decenter (muro extructo) ornato, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, et approbando, ac de ipsius Ordinarii licentia, eius arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret alteri concessa non fuerit per quemcumque sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum secularem, seu de Superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac Paschatis resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis D. N. Iesu Christi, nec non aliis solemnioribus festis diebus exceptis in tua, et familiae tuae, nec non hospitum tuorum nobilium praesentia celebrare facere valeas. Non obstantibus, etc. Volumus autem quod familiares servitio tuo tempore dictae Missae actu non necessarii ibidem Missae huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur ». — *Datum Romae*, etc.

Nunc examinemus sigillatim dictas clausulas, quarum I. *Tibi dioecesis Neapolitanae.* Hic quaeritur an qui habuit privilegium, cum transferat domicilium in aliam dioecesim possit ibi uti privilegio? Multi affirmant, ut Barbosa Pasqual. La-Croix cum aliis (2); nam dicunt hoc privilegium non loco sed personae concessum ob suam nobilitatem; adeoque stante eadem causa in alia dioecesi, adhuc et privilegium perseverat. Addunt postea *tò tibi dioecesis Neapolitanae* non taxative apponi, sed demonstrative, i. e. *Tibi qui es dioecesis Neapolitanae*; et hoc eo fine ne ab alio, qui forsan sit eodem nomine appellatus, privilegium usurpari queat. Hoc tamen non obstante, contrarium tenendum cum p. Fortunato a Brixia (3), qui secundum se multos auctores adducit. Ratio, quia nunc temporis in exemplaribus Brevium huiusmodi privilegii, secus ac fiebat antiquitus nomen civitatis respicit non personam tantum, sed etiam eadem oratoria, cum dicatur: *In privato domus tuae solitae habitationis oratorio in civitate N. existentis;* et quandoque apponitur etiam nomen dioecesis. Sicuti ergo privilegium quoad personam, sic etiam ad locum limitatur. Praeterea, ut bene ait p. Brixiensis (4) mox laudatus (et asserit hanc esse comm. sententiam), quamquam hoc dubium esset, stricte tamen interpretandum est; etenim generaliter loquendo, privilegia favorabilia sunt late interpretanda; non autem illa derogantia iuri communi uti est privilegium de oratorio privato; contra Tambur. sententiam (5). Vide quod dicemus de privilegiis *Tract.* 20. *n.* 7.

Clausula II. *Qui (ut asseris) de nobili genere procreatus existis.* Igitur animadvertendum cum non verificatur conditio nobilitatis, privilegium utique nullum esse, dum illa est apposita uti causa finalis (6). An autem sufficiat nobilitas habita ex privilegio, vel dignitate, seu gradu acquisito? Quidam admittunt (7); sed

(1) Lib. 6. n. 359. (2) Barb. de iur. eccl. l. 2. c. 8. n. 16. Pasq. de Sacr. Miss. q. 629 La-Croix l. 6. p. 2. n. 269. cum Sylv. Bonac. et aliis. (3) A Brixia de orat. domest. p. 62. (4) Brix. loc. cit. c. 3. annot. 1. p. 91. (5) Tamb. Meth. cel. Miss. l. 1. c. 6. §. 4. n. 31 (6) Vid Tambur. loc. cit. §. 4. n 5. (7) Pasq et Cleric. cum Pignat. t. 6. cons. 98. n 100

negatur a p. Fortunato a Brixia asserente requiri proprie dictam nobilitatem habitam ex nativitate. De reliquo semper in hoc locus a loco est distinguendus.

Clausula III. *Ut in privato domus tuae solitae habitationis oratorio in civitate N. existentis ad hoc decenter (muro extructo) ornato, ab omnibus domesticis usibus libero.* Hic quaeritur an privilegio donatus illo uti possit, cum per parum temporis domi suae ruri extructae immoratur? Affirmant Pignat. et Pasq., sed merito id negat Ronc. (1) attentis verbis: *In privato domus tuae solitae habitationis.*

Notetur hic 1. Per verba *muro extructo*, uti probabiliter dicunt quidam aa. (2) non signari opus esse ut quatuor adsint parietes, sed sufficere tres, et pro quarto ut apponatur tapes, aut tela quae claudatur, aperiaturve cum opus erit. Iuxta usum autem Neapoli receptum, scio pro huiusmodi privatis oratoriis ab Archiepiscopo approbari armaria lignea; attamen sentio semper observandum Decr. S. R. congr. die 3. *Decemb.* emanatum 1661. ubi dicitur: *Habens indultum erigendi oratorium in propria domo, si voluerit ibi aedificare altare ligneum, non indiget facultate apostolica, dummodo altare cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non prae se ferat.* Notandum 2. quoad verbum *ornato*, quod locus oratorii ita aptari debet, ut omnes fatentur, ut distinguatur ab aliis profanis usibus destinatis. Imo bene ait Pasqual. in huiusmodi oratoriis ornamenta splendidiora ante alia quae in ecclesiis adsunt, esse apponenda, quia ecclesiae ex se exigunt venerationem. Notandum 3. quoad verba, *ab omnibus domesticis, etc.* id quod dicunt dd., nimirum quod sicut in ecclesia quis dormire potest, comedere, et similia, tanto magis haec permittuntur in oratorio (3); et uti haec agendo in ecclesia absque necessitate venialem culpam non excedit, modo non fiant per modum habitus, ut inquit Suar. cum aliis (4); idem a fortiori dicendum est de oratorio privato. Casu tamen quo per modum habitus oratorium tamquam locus profanus haberetur, volunt dd. (5) locum illum ineptum fieri, et privilegium cessare; saltem, ut aiunt alii, (6) novae eget Ordinarii approbationis. An autem super oratorii tecto dormire non liceat, aut aliae actiones profanae, negant aa. fere communiter (7), dicentes id omittere esse solum convenientiae, non vero praecepti; dum qui dormit super tecto ecclesiae extra ecclesiam dormit. Verum tamen est in sua dioecesi s. Carolum Borromaeum vetuisse. Ceterum, inquit p. Gatticus (8), hoc permitti posse in aliqua domo, ubi aliter ex angustia provideri non potest.

Clausula IV. *Per Ordinarium loci prius visitando, et approbando, ac de ipsius Ordinarii licentia, eius arbitrio duratura.* Notetur hic Ordinarium, cum semel approbaverit oratorium, non posse impedire quominus ibi celebretur, ut decisum legitur apud Barb. (9). Hoc tamen intelligitur, cum desit iusta causa, nam cum adest, bene potest celebrationem suspendere vi verborum, *eius arbitrio duratura.*

Clausula V. *Unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit.* Iam superius dictum est *n.* 37. per verba,

(1) Ronc. de Sacr. Missae c. 5. q. 3. v. Quarto. (2) La-Croix l. 6. p. 2. n. 266. et Tamb. loc. cit. n. 8. (3) Sa v. Eccles. n. 3. et Tamb. n. 8. (4) Suar. de relig. t. 1. l. 3. c. 5. (5) Pasq. qu. 618. n. 8. cum aliis. (6) Tamb. ex Castropalao (7) Ronc. de Sacr. Mis. c. 5. q. 3. v. Primo, cum Pignat. et Croix l. 6. p. 2. n. 266. cum Quarti, et Tamb. n. 9. v. Illud, ex Sanch. et Glossa in c. un. de Cons. eccl. in 6. (8) Gattic. de orat. dom. c. 33. n. 6. (9) Barb. in Trident. Sess. 22. Decr. de observ. in cel. n. 19.

unam missam, intelligi *unicam*, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Magno*. Per verba autem *dummodo in eadem domo, etc.* advertatur quod, etsi unus ex dominis oratorium obtinuisset in suis diaetis, sed eiusdem domi, invalide alter dominus privilegium impetraret.

Clausula VI. *Per quemcumque sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum secularem, seu de Superiorum suorum licentia regularem.* Notandum hic non opus esse approbatione speciali ad celebrandum in oratoriis privatis, hodie enim ordinarie solent ibi Sacrum facere sacerdotes vi cuiusdam approbationis, quae ex consuetudine (1) adest.

Clausula VII. *Sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio.* Ob hanc clausulam nequeunt in oratoriis privatis denunciari matrimonia, et similia. An autem possint ministrari Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae, vide quod dictum est *n.* 37. ad 4.

Clausula VIII. *Paschatis resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis D. N. I. C. nec non aliis solemnioribus festis diebus exceptis.* Advertendum cum Gavanto (2) sub Paschatis et Pentecostes nomine primum tantum diem comprehendi. Quinam alii dies comprehendantur in verbis, *solemnioribus festis diebus*, dictum est *n.* 37. iterum iterumque citato.

Clausula IX. *In tua, et familiae tuae, nec non hospitum tuorum nobilium praesentia celebrare facere valeas.* Superius etiam notatum est (*n.* 37,) per verba, *in tua et familiae tuae praesentia*, intelligi quod celebrari non potest, quin adsit aliqua ex illis personis quibus principaliter est concessum Indultum, ut declaravit Bened. XIV. Sub verbo autem *familiae* veniunt omnes consanguinei, saltem usque ad quartum gradum, modo eamdem incolant domum, et vivant privilegio donati expensis, ut volunt doctores communiter (3).

Clausula X. *Volumus autem quod familiares servitio tuo tempore dictae Missae actu non necessarii Missae huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.* Ut igitur servi gaudeant privilegio requiritur 1. ut non modo vivant expensis domini, sed etiam ut actu serviant, ut habetur ex *cap. Sicut nobis*, *de verb. sign. in* 6. 2. Non sufficit quod continue serviant domino, sed requiritur actualis eorum necessitas tempore Sacri. Tenet Pign. (4) servos utiles etiam posse quodammodo necessarios reputari, saltem, ait p. Gatticus, si sunt necessarii ad decus domino competens: sed Brix. negat utrumque ex principio superius dato, privilegium nempe hoc stricte esse interpretandum, tanquam derogans iuri communi; tantum admittit cum Gatico unum servum, qui moraliter necessarius reputatur ad ea, quae occurrere possunt tempore Missae.

Quaeritur an gaudeant privilegio servi qui vivunt de salario domini, sed habitant extra illius domum? alii negant; sed communius alii (5) affirmant: et non improbabiliter: modo continue serviant in domo heri, et actu, ut dictum est, sint necessarii tempore Missae.

Punctum II.

Quae excusant ab auditione Sacri.

39. ***Excusat impotentia, qualis est infirmorum, excommunicatorum, vinculis detentorum, custodum, etc.***

(1) Tamb. l. c. n. 23. (2) Gav. p. 1. tit. 10. §. sciendum. (3) Pignat. tom. 6. cons. 98. n. 91 et seqq. Pasq. qu. 669. Ronc. de Sacr. Mis. c. 5. q. 3. v. Sexto. Croix l. 3. p. 1. n. 627. P. a Brixia p. 8. contra Peliz. et Tambur. (4) Pignat. loc. cit. n. 107. (5) Peliz. Manual. tract. 8. c. 2. sect. 2. qu. 22. Mazzotta, Gattic. Castrop. Quarti, et alii apud La-Croix l. 6. p. 2. n 272. contra Bon. Barb. Lez. etc. ap. La Croix.

40. *De servis, filiis, et uxoribus coactis, etc.*
41. *Excusat grave incommodum.*
42. *Excusat usus.*
43. *An propter scandalum, etc. an propter grande lucrum, aut ut confiteatur possit omitti Sacrum.*

39. Excusat a praecepto audiendi Sacrum quaevis impotentia sive realis, sive moralis, quae grave afferret damnum, aut incommodum spirituale, vel temporale propriae personae, aut proximo. Quare 1. excusantur infirmi quia, si domo egrediantur, grave nocumentum, aut dolor, aut valetudinis procrastinatio timetur. In dubio potest infirmus iudicio medici, aut Superioris, aut viri prudentis acquiescere, et etiam proprio, si iam potest ipse prudenter iudicare, et quando agitur de gravi damno, etiam perseverante dubio, infirmus probabiliter excusatur; nam in tali dubio praevalet ius naturale conservandi salutem (1). 2. Excusantur excommunicati, et carceribus detenti, qui non tenentur absolutionem, vel libertatem procurare, ut Sacro adsint, ut volunt multi dd. Sed ego non excusarem, ut melius dicunt alii, si de facili sine gravi incommodo possent absolutionem, aut libertatem obtinere; aut si ipsi ideo eam obtinere non curent, ne tali praecepto se obstrictos reddant (2). 3. Excusantur qui custodiunt castra, urbem, gregem, domum, infantes, vel pueros, quos domi relinquere sine periculo, et secum conducere sine templi perturbatione nequeunt. Item illi qui probabiliter timent, ne in carcerem detrudantur, si ad ecclesiam pergant, et illi qui necessario debent assistere infirmis, ut medicinas, et cibum tempore opportuno illis ministrent, aut eos nequeunt derelinquere, quin molestia magna afficiant (3).

40. Excusantur 4. servi, si necessaria foret eorum opera, ut dominorum grave incommodum evitetur. Debent nihilominus huiusmodi servi procurare (si possunt) ut adsint Sacro cum suo incommodo levi, etc., v. g. auferendo aliquid a somno, citius foras egrediendo, etc. Si autem eorum opera non esset necessaria eo tempore, quo audiendum sit Sacrum, non excusantur, nisi in casu, in quo gravem indignationem, aut grave incommodum timeant, v. g. ne dimittantur, ac de facili et statim alium dominum non possent invenire. Idem dicendum de filiis a parentibus, et de uxoribus a viris coactis ad omittendum Sacrum, aut ad laborandum in festo; ipsi enim excusantur, si timeatur gravis indignatio (4).

41. Excusantur 5. navigantes, et itinerantes, si ex auditione Sacri grave damnum passuri sint (5). Excusat notabilis distantia ab ecclesia. In hoc pensandae sunt circumstantiae personae, temporis, et loci, sed regulariter putant Suar. Castr. Filliuc. Salm. Trull. Croix, Mazz. et alii excusare distantiam trium milliarium, aut iter pedestre unius horae cum quadrante; et minus si plueret, aut ningeret, aut adesset alia causa excusans (6).

42. Excusat 6 usus iuxta locorum consuetudinem domo non egrediendi sex hebdomadas post partum, vel mensem tempore luctus ob mortem viri, et etiam sororis, aut filiae, ut dicunt Suarez, et Mazzotta. Sed illae personae, quae iam domo exeunt, ob has causas non excusantur a Sacro. Nulla autem ratione potest licita reputari illa consuetudo (ut melius dicam abusus) qua puellae, ne in publicum exeant, ab auditione Sacri se abstinent. 7. Excusantur tamen mulieres, quae vestibus, aut servis, aut sociis se decentibus carent: sed istae tenentur, si possunt, valde mane, aut in aliqua ecclesia, ubi populus non frequens Sacro adest. Idem dicitur de puella inhoneste praegnante. Aliqui dd. excusant puel-

(1) L. 3. n. 325. (2) Ibid. v. Excommunicatus. (3) Lib. 3. n. 326. (4) L. 3. n. 327. (5) N. 328. (6) N. 329.

lam, si tantum una Missa celebranda esset, et inter eam proclamationes illius nuptiarum faciendae essent sed hoc non potest admitti, nisi in iis locis, ubi talis esset usus, aut puella magno rubore suffundenda esset; quod quidem raro accidit (1).

43. Potest 8. excusari mulier, si sciat quod turpiter concupiscatur. Sed dicimus quod illa non teneretur ideo abstinere a Sacro, nisi semel aut bis (2). Denique potest probabiliter excusare iactura magni lucri, ut in simili dictum est *n.* 22. Et ita etiam possunt excusari muliones, rhedarii, molitores, qui, ut Sacro adessent, magnum damnum, aut iacturam lucri extraordinarii subituri essent (3). Ita etiam potest excusari, qui omitteret Sacrum ut impediret aliquod grave peccatum, aut damnum: aut ut confiteatur, qui secus esset diutius permansurus in peccato mortali. Sed non licet Missam omittere, ut faciat aliquod opus non praeceptum, licet altioris meriti (4). An autem peregrinus teneatur ad audiendum Sacrum in festo, in loco ubi est de praecepto, licet ibi tantum diem moretur, vide quid dictum est de legibus *Tract.* 2. *n.* 41.

Hic obiter notandum Benedictum XIV, in Brevi *Cum sicut*, dato 22 Decemb. 1748. in regnis Neapolis, et Siciliarum permisisse opera servilia in festis, exceptis *Dominica paschali, et Pentecostes, et omnibus aliis dominicis;* item *diebus circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, et eius Nativitatis,* item *Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis B. V. Mariae immaculatae*: item *diebus ss. Petri et Pauli, omnium Sanctorum, et patroni principalis cuiusque civitatis aut loci dioecesis.* In aliis autem festis indulsit fidelibus teneri tantum ad Sacrum audiendum.

TRACTATUS VII.

DE QUARTO PRAECEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE FILIORUM OBLIGATIONE

1. *De amore erga parentes.*
2. *De reverentia.*
3. *De obedientia.*

1. Filii tenentur erga parentes (ita etiam subditi erga Superiores) amorem, reverentiam, et obedientiam praestare. Quare peccant graviter I. contra *amorem*, et quidem pluribus modis: 1. Si ab eis abhorrent, aut illis malum grave optant (in quo dupliciter peccant, contra pietatem, et contra iustitiam). 2. Si iniustis modis eos impediunt, ne testamentum conficiant. 3. Si eos sine iusta causa gravi molestia afficiunt. 4. Si non subveniant in gravi necessitate temporali, aut spirituali, praecipue si negligunt ut illi in articulo mortis Sacramenta suscipiant (5).

2. II. Peccant graviter contra *reverentiam*, 1. Si percutiant eos etiam leviter, aut ostendant velle eos percutere. 2. Si gestus eorum, contumeliose exprimendo derisui eos habeant. 3. Si maledicta, aut convicia in eos coram effutiant, appellando illos *amentes, ebrios, bestias, latrones, veneficos, scelestos.* Vocare autem eos *senes, ignaros, stupidos*, etc. non debet absolute damnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter contristarentur (6). Dictum est *coram*, quia si filius parenti illuderet, aut mala imprecaretur, sine pravo animo, et clanculum, nescirem eum damnare de peccato mortali (7).

(1) N. 330. (2) L. 3. n. 331. (3) N. 332. (4) Ibid. v. Non excusatur. (5) L. 3. n. 333. (6) N. 334. (7) Ibid. v. Absolute.

3. **III.** Peccant graviter contra obedientiam, 1. Si ipsis invitis ducunt uxores indignas cum familiae dedecore (observetur quod dicitur de sponsalibus *Tractatu* 18. *num.* 10). 2. Si furentur in materia gravi bona domus; quocirca observetur quod dicetur loquendo de furto *Tract.* 10. *num.* 32. Peccant 3. Si non obediant parentibus in rebus gravibus et iustis, ac per ipsos iussis (praecepto expresso et serio, ut dicunt *Roncaglia*, *Holzman*, et *Sporer*) v. g. ne ludant ludis perniciosis, ne domo exeant nocte, ne cum mulieribus, aut cum malis sociis versentur, etc. (1). Dictum est in rebus iustis, quia circa status electionem filii non tenentur parentibus obedire, ut docet s. Thomas (2). *Non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda.* Quare parentes (ut dicemus capite sequenti) si impediunt filios, quominus statum eligant, aut cogunt eos ad suscipiendum aliquem statum invitos, peccant graviter.

CAPUT II.

AD QUID TENENTUR PARENTES ET FRATRES.

4. *De alimentis, Legitima, et dote; decisio quatuor Rotarum.*
5. *De educatione; si pater impedit vocationem, aut cogit ad aliquem statum, aut ingredi monasterium.*
6. *Ad quid tenentur fratres.*

4. Parentes ad duo potissimum tenentur, ad procurandam filiis conservationem, et educationem. Circa *conservationem* ipsi peccant 1. Si bona sua dilapident, ita ut impotentes reddantur ad ministranda filiis (licet essent spurii) alimenta necessaria, aut si negligant eis modo quo possunt illa procurare. 2. Si iniuste priveut eos in morte Legitima, aut in vita recusent constituere patrimonium filiis, qui ad Ordines sacros promoveri cupiunt, aut negent dotem filiabus, licet ipsis invitis illae nupserint, cum iam annum 25. excesserint. Si autem ante illam aetatem nupserint, divorsae adsunt opiniones; sed probabilior mihi videtur illa Sanch. Molin. Salm. Trullench., etc. qui dicunt patrem saltem teneri ministrare alimenta, licet se indignis nupserint (3). Respectu autem patris, ait Sanch. Boss. cum Glossa in *cap. Admonere* 33. *q.* 4. et cum Surdo illum teneri alimenta non filio modo, sed etiam eius uxori, etsi ipsam duxerit absque dote, et contra voluntatem patris (4). Praeterea aiunt Azor. et Merenda (5) cum Baldo et Iasone, patri alendum esse filium, etiamsi iste consumpsisset in vitiis partem sibi prius datam. Hic adnotetur decisio 4. Rotarum s. Conc. Neapol. quod pater non potest domo filios expellere, licet foris vellet eis ministrare alimenta, et contra quod filii nihil possint praetendere a patre si velint extra domum habitare, nisi hoc facerent causa virtutis (6). Quando autem pater possit, vel non, filios exhaeredare, vide quod dicemus *Tract.* 10. *n.* 238. cum loquemur de contractibus.

5. Circa *educationem* 1. peccant parentes, si negligunt filios in rebus Fidei, et salutis instruere vel per se, vel per alios. 2. Si eis scandalum afferant, blasphemias, vel verba obscoena proferendo, etc. et praecipue si secum in lecto decumbere faciant, aut permittant pueros et puellas simul dormire. 3. Si de excessibus eos non corripuerint, et praecipue si aliquid furati sint. 4. Si non curent, ut filii Sacramenta suscipiant, et festa, ieiunia, etc. observent. 5. Si permittant ut illi cum scandalosis versentur, et praecipue si non impediant quominus sponsi suarum filiarum ad domum accedant. 6. Si impediant filios quominus aliquem

(1) Lib. 3. n. 335. (2) 2. 2. q. 104. a. 5. (3) Lib. 3. n. 336 v. 3. Pater. (4) Sanch. l. 4. de matr. D. 26. n. 21. Boss. de effect. matr. p. 2. n. 95. etc. (5) Azor. p. 2. l. 2. c. 4. q. 12. Merenda contr. l. 4. c. 34. n. 6. (6) L. 3. n. 338.

vitae decentem statum assumant, v. g. matrimonium sibi competens (1); observetur circa hoc quod dicetur *Tractatu* 18. *num.* 17. cum sermo fiet de sponsalibus. Tanto magis peccant, si filios a statu religioso sine causa avertunt (2); observetur quid dicetur *Tract.* 13. *n.* 25. 7. Peccant contra si cogant filios ad nuptias ineundas cum certis personis: modo non adsit aliqua gravissima causa, puta si aliquod matrimonium multum conferret ad aliquam grandem inimicitiam sedandam, aut ad solandos parentes gravi necessitate oppressos; ita dicunt Bellarm. Laym. Sanch. Petrocor. Tolet. et alii communiter cum s. Thoma; sed hoc intelligitur semper ac filius statueret ducere uxorem (3). Ita etiam peccant, si adigant filios ad ecclesiasticum statum, vel religiosum, aut filias ad monasteria ingredienda. Et hic advertatur quod iuxta Trident. *Sess.* 25 *cap.* 18 *de reg. et mon.* incurrit excommunicationem quicumque adigit puellam ad profitendum in aliquo monasterio, ad suscipiendum habitum, et etiam ad illuc ingrediendum, licet solo fine educationis, uti tenemus cum Suar. Nav. Bonac., etc. contra Sanch. sic intelligendum Concilium citato loco (4). Contra dicimus non incurrere censuram illos parentes, qui simpliciter suaderent suis filiabus monasterium ingredi, ut ait Barbosa cum Rodriq. et alii contra P. De Alexandro *de monialibus*, qui non recte supponit hoc esse quamdam coactionem metu reverentiali; nam revera aliud est ingredi timore incusso a patre, aliud est ex voluntate patris, etiamsi adiungeret preces, modo istae non sint nimis instantes, adeo ut probabilis timor incuteretur ne pater secum indignetur (5). Cum autem Concilium exceperit casus in iure expressos, probabiliter Suar. Bonac. et Filliuc. permittunt posse cogi puellas ad ingrediendum monasterium in poenam alicuius delicti, vel ne cadant in aliquam impudicitiam, uti deducitur ex *cap. Significavit*, et *cap. Gaudemus de convers. coniug.* (6). Imo ego nescirem id culpa damnare, cum, si domi detineretur puella, esset in periculo dandi, aut recipiendi scandalum; tunc enim videtur finis legis Concilii cessare non solum negative, sed etiam contrarie, iuxta id quod dictum est de legibus *Tract.* 2. *n.* 69 (observa quae fusius dicentur super hanc excommunicationem *Tractatu* 19. *num.* 29.). Praeterea hic advertatur cum eodem *de Alexandro* quod excommunicantur etiam qui sine iusta causa impediunt puellas professionem emittere, aut habitum suscipere in aliqua religione; et etiamsi impediant ingressum in monasterium, uti probabilius tenent Suar. Bonac. et Filliuc. adversus Sanchez, et Castropal. (7).

6. Quoad fratres, etiam isti tenentur (cum possint) alimenta suis fratribus, et dotes sororibus ministrare, et non tantum in necessitate extrema, sed etiam gravi, ut communissime docent Azor. Barbosa, et Salmant. cum Trullench. Fagnan. Menoch., etc. Dicunt tamen hi aa. quod fratribus, et sororibus uterinis non ad aliud tenentur quam ad alimenta (8).

CAPUT III. AD QUID TENENTUR DOMINI SERVI ET CONIUGES.

7. *Obligatio dominorum, praesertim circa salarium.*
8. *Obligatio servorum. Si permittant furari. Si discedant contra pactum.*
9. *Salarii praescriptio.*
10. *et* 11. *Compensatio.*
12. *Viri obligatio.*
13. *Mulieris obligatio, praesertim de sequendo viro.*

7. I. Quoad dominos, peccant hi, 1. Si in causa sunt cur servi non satisfaciant praecepto festorum, et an-

(1) L. 6. n. 849. circa fin. v. Conveniunt. (2) L. 3. n. 335. v. Praeterea. et l. 4. n. 77. (3) L. 6. n. 850. (4) L. 7. n. 212 v. Quoad. (5) Ib. Dubit. 2 (6) Ib. v. Quoad in fine. (7) Ibid. Dubit. 3. v. Insuper. (8) L. 3. n. 340 v. Notandum.

nualium Sacramentorum. 2. Si eis denegent, aut differant salarium. 3. Si eos non corrigant, cum blasphemant, aut scandalum praebent. 4. Si eos sine iusta causa ante tempus conventum eiiciant, et tunc tenentur integrum salarium promissum eis solvere, ex L. *Qui operas* 38. et L. 16. *ff. Locati*. Sed hoc intelligitur post sententiam: nam si servus ex expulsione nihil damni passus fuisset, tunc non debet dominus obligari ad integrum salarium, sed ad medietatem, et aliquid amplius (1). Si autem servus infirmetur per sex menses, ad nihil tenetur dominus iuxta communiorem Lugonis, Molinae, Laym. Croix, etc. (quicquid dicat Antoine); dummodo illic non adsit contraria consuetudo. Et ne tenetur quidem ad expensas infirmitatis, ut probabiliter tenet Lugo contra alios; modo servus non esset in gravi necessitate (2).

8. II. Quoad servos dicimus, quod peccant isti, 1. Si famulatui desunt, aut si domino, ut debent, non obediunt. 2. Si permittunt dominos damnum pati cum impedire possent, et damnum provenit ab extraneis, ad restitutionem tenentur; si vero fieret a domesticis, iuxta communiorem, et probabiliorem Lessii, Lugonis, Azorii, Molin. Holzman, Salmant. (contra Pontium, et alios) peccarent contra charitatem, cum commode possent impedire damnum; non autem contra iustitiam, dummodo illorum bonorum cura non sit illis praecipue commissa (3). 3. Peccat servus, si ante statutum tempus discedat sine causa. Sed eo casu non potest dominus illi negare totum salarium quod ei debetur pro rata famulatus praestiti; satis tamen erit, si ei solvet dimidium, aut paulo minus, ita dicunt Azor. Filliuc. Silvest. Salmant. Trullench. Fagund., etc. (4). Si vero discessit ob infirmitatem, aut aliam iustam causam, potest totum stipendium tempori correspondens famulatui exhibito exigere, et tunc nec supplere tenetur opera a quibus tunc cessavit (5).

9. Notandum hic 1. Servo post duos annos, quam discessit (iuxta Bullam sancti Pii V. apud *Salmantic. de 4. praecepto num.* 134.), imo post duos menses (iuxta Decretum S. Concilii Neapolitani) non posse amplius dari actionem in salarium; sed hoc intelligitur in iudicio, quia in conscientia bene potest illud praetendere, imo compensare, modo pro domino non stet praescriptio triennalis legitime facta cum titulo, et bona fide (6), iuxta id quod dicetur *Tract.* 10. *n.* 10. *et* 11. cum de praescriptione erit sermo.

10. Notandum 2. Quod si servus famulatus fuisset sine salario determinato, et dominus nollet ei satisfacere, bene potest sibi compensare, saltem quoad infimum pretium, semper ac dominus solitus fuisset solvere illud aliis, aut si iam aliis soluturus esset. Aliud vero est de illis pueris, pro quibus rogantur nobiles, ut eos inter suos familiares adscribant, vel cooptent, quibus ex consuetudine solent dari tantum alimenta (7).

11. Notandum 3. Quod non potest servus operas suas sibi compensare, si ipse eas maiori pretio dignas existimet, quam est quod accipit, cum proscripta sit haec propositio 37. ab Innoc. XI. quae dicebat: *Famuli domestici possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.* Nihilominus recte dicunt Viva, et Salm. Less. et Molina (quicquid dicat La-Croix) hoc non procedere, cum servus necessitate coactus convenisset de salario notabiliter minore iusto; quia tunc, sicut dominus teneretur solvere iustum, ita servus potest sibi compensare (sed non ultra infimum); dummodo (ego subiungo) herus pro

(1) N. 342. (2) Ibid. v. 3. Herus, et n. 864. (3) L. 3. n. 343. et 344. (4) n. 345.

(5) N. 346. (6) N. 347. (7) N. 348.

eodem pretio minore iusto non invenisset sine iustitiae laesione qui ei famulatus fuisset. Praeterea dicunt Sotus, Navar. La-Croix, Corella Filguerra, etc. quod tunc servus non potest maius salarium exigere, quando proprio libito augeret operas debitas, non autem quando eas augeret ex voluntate expressa, vel tacita domini. Tunc tamen dicunt Viva, Croix, et Cardenas, quod non potest servus ex se facere compensationem sine consilio peritorum, aut alicuius theologi valde docti. Contra tenent Salm. quod si compensatio esset evidenter iusta, et abesset periculum allucinationis, quia res de se patens esset, tunc potest servus iuxta infimum pretium compensationem sibi facere. Et dicunt quod praefata propositio ideo damnata fuit, quia nimis generaliter loquebatur (1).

12. III. Circa coniuges peccat vir, 1. Si male habeat uxorem verberibus, aut contumeliis sine iusta causa; potest autem caeteroquin in eam animadvertere, iusta accedente causa (ut esset praesertim causa honoris), dummodo animadversio esset competens statui, et conditioni uxoris, ut dicunt Busemb. Elbel, et Gob.; alias dupliciter peccaret. 2. Si uxori est impedimento, quominus satisfaciat praeceptis: si vero tantum ei impediret ea, quae sunt consilii, nimirum frequentiam Sacramentorum, dicunt Bonac. Sayr. Busemb. Filliuc., etc. quod si impediret sine causa, tantum venialiter peccaret, non autem graviter, nisi sibi constaret, quod ex ipsis uberiorem fructum illa perciperet (2). 3. Si negat, aut negligit ei procurare alimenta, intelligitur iniuste: nam iuste potest ea negare, si mulier discedit ab illo sine causa, aut si illa adulterasset, ut dicunt Sanch. et La-Croix, cum Castropal. (3). Quoad dotem tamen propter adulterium non potest vir sibi abdicare illam ante iudicis sententiam: licet ut dicit Croix cum Castrop. contra Sanchez, possit uxori repetenti dotem opponere exceptionem adulterii (4).

13. Peccat vero uxor, 1. Si non obedit viro in eo, quod iustum est (praesertim in non reddendo debito coniugali), et si domesticam gubernationem sibi assumit, modo vir ad eam habilis sit, aut non sit profusus in prodigendis rebus suis. 2. Si de rebus communibus impenderet plus quam solent sui ordinis aliae uxores. Observa quod dicetur *Tract.* 10. *num.* 33. *de furto.* 3. Si ad secundas nuptias transiens non servat filiis prioris coniugii bona, quae a primo viro accepit, quorum tantum usus sibi competit, ut habetur ex Authentica, *Ex testamento*, et Authent. *In donatione*, *cap. de secundis nupt.* 4. Si iniuste renuit sequi virum, qui mutat domicilium, licet sine sufficienti causa, et etiam si in longinquas partes proficiscatur, ubi diutius ei morandum sit, quia si brevi redeundum esset, nec mulier tenetur ire, nec vir eam conducere, sicut etiam nec vir tenetur, si magna impensa opus esset, ad secum illam conducendam; ita Sanch. Tolet. Filliuc. Salmant. et alii communiter (5). Contra non tenetur mulier sequi virum: 1. Si talis esset conventio inita in sponsalibus, et nulla accidisset nova et gravis causa, tunc non animadversa, ut dicunt Castrop. Navar. Sanch. Salmant., etc. (6). 2. Si vir vellet eam conducere ad malum finem. 3. Si illa in itinere deberet se exponere gravi periculo mortis, aut alterius gravis damni. 4. Si vir vellet peregre proficisci, ut dicunt Nav. et alii communiter (7). An autem uxor teneatur sequi virum exulantem? alii negant, sed probabilius affirmant Sanch. Bossius, et alii (8).

(1) L. 3. n. 522. et seqq. (2) N. 356. (3) Sanch. de matrim. l. 10. disp. 8. n. 25. et La-Croix l. 3. p. 1. n. 714. (4) Ib.

(5) Lib. 6. n. 977. (6) Lib. 3. n. 353. (7) L. 6. n. 907. v. Regulariter. (8) L. 3. n. 35[illegible]

CAPUT IV.

AD QUID TENENTUR PASTORES ANIMARUM

Punctum I.

De parochorum obligationibus.

14. Parochi multis oneribus devinciuntur, sed quinque praecipue: I. Tenentur ad residentiam. II. Ad Sacramentorum administrationem. III. Ad celebrandam Missam pro populo. IV. Ad corrigendum. V. Ad praedicaudum, et instruendum. De omnibus sigillatim. Et I. quoad residentiam ante omnia advertendum quod fuit declaratum, et dispositum a Tridentino *Sess.* 23. *de reform. c.* 1. super hoc. Itaque Concilium 1. sufficienter declarat (ut communi dd. sententia intellectum est) omnes Episcopos, et praesertim caeteros omnes curatos teneri de iure divino ad residendum in loco, ubi cura exercenda est, dum ibi pastores dicuntur de iure divino teneri pascere oves non solum Sacramentis, et verbi divini praedicatione, sed etiam exemplo, cui non potest satisfieri, nisi per residentiam, qua praesentes se ostendunt. 2. Statuit quoad Episcopos (quod procedit etiam de parochis) ne a dioecesi discedant, nisi una ex sequentibus causis ita postulet, nempe charitas christiana, vel necessitas urgens, vel debita obedientia, vel evidens Ecclesiae, aut reipublicae utilitas, approbanda tamen a Papa, vel a metropolitano, etc. (Benedictus XIV. tamen eam approbationem in Bulla *Grave* soli Papae reservat), providendo tamen, quantum fieri poterit, ne sua absentia oves aliquid patiantur detrimenti. Conceduntur caeteroquin Episcopis tres menses, quibus possunt abesse, sed ex aequa causa, et sine gregis detrimento, de quo eorum conscientiae onerentur: hortantur tamen residere in suis cathedralibus temporibus adventus, quadragesimae, Nativitatis Domini, Paschae, et Pentecostes. Quoad parochos dicitur, quod ipsi nequeunt ecclesias derelinquere ultra menses duos modo non adsit gravis causa procul morandi, sed tunc non nisi ex licentia *in scriptis* ab Episcopo obtinenda. Imo etiam illis duobus mensibus non possunt parochi discedere, nisi Episcopus approbaverit causam, et idoneitatem vicarii, quem semper tenetur substituere parochus cum discedit. 3. Declarat, et statuit omnes pastores non residentes praeter peccati mortalis reatum, pro rata absentiae non facere fructus suos ex cura provenientes, et teneri, *alia etiam declaratione non secuta*, ad illos restituendos vel fabricae ecclesiae, vel loci pauperibus, quacunque compositione remota.

15. Hoc supposito, dicimus I. cum P. Viva eamdem culpam, et restitutionis obligationem incurri a pastoribus absentibus, ac ab inutiliter in ecclesiis residentibus; et hoc tum ex lege naturali: fructus enim dantur pastoribus ratione utilis residentiae, non autem personalis tantum; tum quia Concilium expresse eos obstringit ad talem utilem residentiam, dum dixit, *ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur*; et novissime luculenter hoc declaravit laudatus Pontifex Benedict. XIV. in praefata Bulla *Grave*, dicens, residentiam non esse veram, nisi sit formalis, nempe cum debito officio satisfit. Et notant Barbosa, et Salmant. cum Vasq. et Garcia afferentes declarationem S. C. non reputari residere illum parochum, qui duos menses per se non exercet munera principaliora, nempe concionem et Sacramentorum administrationem (1).

16. Dicimus II. parochum (aut Episcopum) non residendo, quamvis bona fide credat habere iustam causam, etiam teneri ad restitutionem (quicquid dicant Viva et Garcia); et eadem ratione superius assignata, dum pastor tenetur residere, non solum lege positiva, sed etiam naturali, ratione contractus inter pastorem, et Ecclesiam initi, propter quem illi dantur fructus; unde non potest hos sibi retinere, semper ac (licet sine mala fide) muneris sui partes non adimplet. Tanto magis quod Benedict. XIV. in Bulla *Ad universae* 3. Sept. an. 1746 declaravit expresse Episcopos absentes ultra tres menses ab ecclesiis sine legitima causa, et expressa licentia Papae, transgressorum poenas incurrere, inter quas, uti dictum est, praecipua est poena, ut non faciant fructus suos (2).

17. Dicimus III. licet a Concilio requiratur licentia Episcopi tantum pro absentia parochi ultra duos menses, nihilominus parochum non posse derelinquere parochiam, neque per illos duos menses, tametsi iustam habeat causam, nisi Episcopus eam approbet, et nisi etiam (quod magis interest) approbet substitutum sufficiendum (3). Caeterum si unquam accideret aliqua necessitas discedendi, quae moram non pateretur, tunc bene permittitur parocho discedere, modo sit pro brevi tempore, et vicarium idoneum pro se substituat. Ita dd. communiter cum Decr. S. C. Debet tamen tunc parochus certiorem facere saltem Episcopum de hac sua absentia, ut saltem licentiam obtineat pro alio tempore, quo abesse deberet, modo brevi reversurus non esset. Praeterea huiusmodi absentia admittit materiae parvitatem, ut communiter dicunt Castropal. Anacl. Roncag. Barb. Holzman, etc. Alii dicunt esse parvitatem materiae moram unius hebdomadae, multi alii etiam duarum, ut Tournel. Cabassut. Sanchez Ronc. etc. (semper intelligitur, si substituat alium). Sed in Concilio romano sub Benedicto XIII (*tit.* 25 *cap.* 6.) prohibitum fuit parochis abesse a cura sua ultra biduum sine licentia Episcopi, aut ipsius vicarii: rumor tamen communis est etiam a doctis viris divulgatus, quod talis Synodus non fuerit in nostro regno acceptata. La-Croix excusat a culpa gravi parochum, qui abesset duos menses sine licentia, sed cum causa, et sine gravi damno gregis, dicens quod talis absentia non reputatur a Concilio gravis, et pro se citat Barbosam, Nav. Bonac. et alios. Sed huic opinioni nescio acquiescere, dum Concilium (ut dictum est) statuit ut Episcopus in tali absentia non solum approbet causam, sed etiam vicarii idoneitatem ob periculum quod contingere potest, quod non idoneus substitutus possit magno damno esse gregi duos menses ei praesidendo (4).

18. Quaeritur 1. Ubi debent resi-

(1) L. 4. n. 127. Dubit. 3. (2) ibid. Dubit. 2. (3) N. 123. Dubit. 2. (4). Lib. 4. n. 123. v. Caeterum.

dere pastores? Papa et Cardinales Romae. Episcopo, ut dicunt Fagn., Salm., etc. residendum in cathedrali: nos vero cum Cabass., Bonac., Holzman, quod possit residere in quolibet loco dioecesis, et hoc non potest hodie revocari in dubium post Bullam Benedicti XIV. quae incipit *Ubi primum* anno 1740. in qua sic declaratum est: *Personalem in ecclesia vestra vel dioecesi servetis residentiam.* Confirmando caeteroquin quod prius expresserat Trident. his verbis: *Obligari ad personalem in sua ecclesia, vel dioecesi residentiam.* Parochus autem debet manere domi ecclesiae suae, si adest; sin minus, in alia domo in restrictu parochiae existente, saltem moraliter; unde ipse commode ecclesiae servitio praesto esse possit, et quo sui parochiani facile accedere possint, ut Sacramenta suscipiant. Ideo dicunt Bonac. et Salm. non iudicari residere illum parochum, qui longe a parochia habitaret tribus milliaribus, nec duobus, ut rationabiliter dicit La-Croix. Imo non sine ratione addit idem auctor cum 4. aliis, non sufficienter residere parochum, qui inter limites parochiae habitaret, tamen non facile oves ad eum accurrere possunt (1).

19. Quaeritur 2. Quo sensu accipiendae erunt quatuor causae superius descriptae a Tridentino? Et 1. pro *charitate* christiana intelligitur, quando pastori alio proficiscendum est ad lites componendas, et praesertim inter potentes, aut ad liberandam aliam ecclesiam ab haeresi, aut ab aliis enormibus sceleribus. 2. Pro *necessitate* urgenti intelligitur, si pastori illic imminet mortis peculiare periculum; et praecipue pro parochis decrevit S. C. quod ob talem causam potest parochus per sex menses abesse, relicto ibi vicario ex licentia Episcopi, quae potest prorogari ad aliud temporis spatium, sed elapso anno debet induci ad renunciandam parochiam. Loquendo autem de supradicto periculo, non intelligendum periculum commune, ut esset pestis (ut dd. communiter sentiunt, et S. C. declaravit), inimicorum invasiones, et huiusmodi; sed intelligitur periculum particulare respectu parochi ipsiusmet (aut Episcopi) v. g. quia ab inimicis vexatur, aut quia suae valetudini aer nocivus est, modo infirmitas non sit perpetua, et absentia non gravi detrimento futura sit gregi, alioquin aut pastori residendum est in loco curae, aut abdicanda est cura; observetur quod super hoc praecipue de Episcopis sancitum est a Benedicto XIV. in Bulla *Ad universae* edita 3. Sept. anni 1746 (2). 3. Pro *obedientia* debita intelligitur, si parochus aut Episcopus abesset, ut Papae aut Ordinarii mandatis obsequeretur propter bonum Ecclesiae aut reipublicae, aut quamcumque aliam causam gravem, ut dicit Tournely, dummodo absentia sit brevis; si enim diuturna est, requiritur necessitas boni communis. Et hic adverte quod Episcopus non potest sibi assumere parochum in vicarium, aut visitatorem, etc. et apud se retinere, ut declaravit S. C. Sed hoc limitant Castrop. Barbosa, Azor. et Vasq. si nullus alius inveniretur (quod rarissime accidit) qui supplere posset. 4. Pro *utilitate* evidenti Ecclesiae, aut reipublicae intelligitur, quando contingit pastorem abesse, vel ut Synodo assistat, vel se, aut suos, aut Ecclesiam in negotio gravi apud regium tribunal defendat, ut dicunt Soto, Bonac., Vasq., Ronc. et Salm. cum decisione Rot. rom. Hoc tamen intelligitur semper ex licentia, et modo adsit alius, qui assistere possit. Et Benedictus XIV. dicit in citata Bulla, quod, si agatur de lite propriae familiae, non concedendam Episcopis aliam licentiam praeter menses conciliares (3).

20. Quaeritur 3. An licentia, quam obtinere debet parochus valeat si data sit oretenus tantum? Affirmant Lessius et alii, dicentes scripturam

(1) N. 124. (2) Lib. 4. n. 125. v. Sic pariter. (3) N. 125.

tantum requiri quoad forum, non autem quoad validitatem. Contra id negant Sanch. et Castropal. qui dicunt a Concilio requiri licentiam in *scriptis pro forma*, uti loquuntur, alias nullius esset roboris. Sed cum hoc non constet, putant Viva et Croix probabilem esse Lessii opinionem. Imo Coninch. et Reginald. admittunt etiam licentiam tacitam Episcopi cum consensu de *praesenti*. Addit Mazzotta sufficere etiam licentiam praesumptam de *futuro*, seu interpretativam; sed La-Croix dicit hanc a nemine admitti. Et S. C. declaravit praefatam licentiam debere esse expressam (1).

21. Quaeritur 4. An parochus (aut Episcopus) teneatur ad restitutionem fructuum, foris morando sine licentia, sed ex causa certe iusta? P. Viva ait (2) parochum tunc peccare contra ius positivum, sed non contra naturale, ex quo infert non teneri nisi post sententiam ad fructuum restitutionem. Sed huic opinioni nescio acquiescere, dum Concilium vult respectu parochorum pro tempore absentiae (ut superius dictum est) non solum probandam causam, sed etiam substitutum qui sufficitur. Et quoad Episcopos declaravit Benedictus XIV. (ut dictum est *n.* 16.) comprehendi sub nomine transgressorum eos, qui derelinquunt dioeceses ultra *tres menses absque legitima causa, et expressa Pontificis licentia.* Et animadvertendum quod transgressores, iuxta Concilium et Bullam Benedicti, in poenam non solum damnati sunt ad fructuum restitutionem, sed etiam ad eos non acquirendos, dum ibi dicitur: *non facere fructus suos.* Hinc etiam ex lege positiva mihi videntur teneri ad restitutionem fructuum, quos perceperunt non suos; cum enim delinquunt in ecclesia derelinquenda sine licentia, fructus acquirere non possunt (3). Saltem (dico ego) est dubium an in tali casu possit pastor suos facere fructus praedictos, et in dubio iusti tituli nemo potest iuste rerum acquirere dominium, ut dicetur *Tr.* 10. *n.* 8. *et seqq. et* 144. cum agemus de dominio (4). Caeterum nescirem condemnare parochum illum, qui ex causa evidenter iusta discederet, et oeconomum idoneum alias iam approbatum ab Episcopo, et qui actu iam reperiretur in parochiae servitio, relinqueret.

22. Quaeritur 5. An parochus delinquendo in residentia teneatur ad omnium fructuum tempori absentiae correspondentium restitutionem? Affirmat Navar. ex eo quia Concilium indefinite obligat ad restitutionem. Nihilominus probabiliter dicunt Barb. Bonac. et Viva cum Vasq. et communi, ut asserit, teneri tantum ad eam partem, quae residentiae oneribus respondet, dum fructus non tantum ad hoc dantur, ut haec onera sustineantur, sed etiam ob alia, nempe ob Horas canonicas, Missam, etc. Quare cum Concilium non expresserit contrarium, praesupponitur in hoc se remisisse naturali rationi, quae dictat neminem privandum tota mercede, qui iam parti onerum assumptorum satisfecit (5).

23. Quaeritur 6. Cuinam restituendi sunt fructus a pastoribus non residentibus? Caeteri beneficiati si omittunt recitare Horas canonicas, possunt restituere pauperibus cuiusvis loci (aut fabricae ecclesiae, aut domus beneficii); sed pastores non residentes, uti praecepit Trid. *Sess.* 23. *c.* 1. debent eos applicare omnino *fabricae ecclesiae, vel pauperibus loci.* Nec sufficit eos applicare animabus purgatorii illius regionis, Missas, aut alias preces offerendo; nam revera animae defunctorum nequeunt amplius dici illius regionis. Dicit tamen p. Viva cum Lessio, quod bene possit parochus sibi illos applicare, si vere pauper sit; dummodo id non efficeret in fraudem, nempe si deesset residentiae

(1) L. 4. n. 123. v. Hic autem. (2) Opusc. 3. q. 3. a. 3. ad 7. (3) L. 4. n. 127. (4) Cit. n. 127. (5) L. 4. n. 127 Dubit. 4.

animo sibi applicandi restitutionem faciendam: *fraus* enim *nulli patrocinari debet*. Praeterea posset parochus fructus sibi retinere, si pauperes ei illos donarent, sed postquam ad eorum manus illi pervenerint; antea enim pauperes non possunt illos remittere, cum ipsi non acquirant dominium illorum fructuum, nisi post traditionem sibi factam (1).

24. II. Parochi, aut alii curati per se ipsos tenentur ad Sacramentorum administrationem. Quod ad Sacramentum Poenitentiae attinet, parochus tenetur illud administrare non solum tempore praecepti et in casibus gravis necessitatis, sed toties quoties (ut communiter Lugo, Azor., Busemb., Salm., Holzman, etc. contra Silvest. et pauciores) poenitentes confiteri etiam ex devotione petunt; nisi (ut recte excipit Aversa) illi intempestive et nimis frequenter vellent audiri: aut nisi essent alii confessarii, et ipse esset legitime impeditus (2). Unde dicunt La-Croix, Gobat. Concina et Salm. peccare illum parochum, qui redditur morosus et difficilis ad audiendas confessiones, praesertim si fuerit accitus ab infirmis, quibus ut praecepit s. Carolus Borromaeus, statim et qualibet hora accurrere debet. Si tamen curatus semel atque iterum extra necessitatem renueret alicuius confessionem audire, probabiliter dicunt Suarez, et La-Croix, cum Arriaga (contra Bonac.) non peccare graviter, dummodo non adesset aliqua urgens necessitas, v. gr. iubilaei, festivitatis solemnis, ut limitat Aversa (3). Si autem parochus haberet oeconomum ab Episcopo approbatum, non tenetur cum tanto rigore confessionibus audiendis vacare; sed ei animadvertendum est quod certus debet fieri oeconomum idoneum esse tam quoad scientiam, quam quoad mores, alias rationem Deo ipse redditurus est de omnibus damnis, quae ob eius ignorantiam, et pravos mores evenient. Semper expediens erit (obiter hic notamus) ut parochus interdum arcessat confessarios exteros propter animas verecundas, praesertim si eo concionator quadragesimalis non solet accedere ad audiendas confessiones.

25. Quoad Communionem pariter communiter dicunt dd. teneri parochum ad eam subministrandam quoties rationabiliter et opportune de ea expostulatur, dum pastor non solum debet prospicere ut eius oves praecepta adimpleant, sed etiam ut iis auxiliis praemuniantur, quae eorum profectui conferre possunt. Hinc sancitum fuit ex decreto S. C. an. 1679. approbato ab Innoc. XI. pastores (Episcopos nempe aut parochos) licet ex iustis causis possint Communionem taxari alicui subdito in particulari, non posse tamen praescribere dies Communionis pro omnibus generatim, sed debere in hoc remitti iudicio confessariorum (4). Circa Viaticum quando possit et debeat dari, observa quod dicetur in *App. II.* de assistentia moribundorum § 4. *n.* 2.

26. Tenentur quoque parochi curare, ut pueri Communionem paschalem suscipiant, cum illius capaces sunt, nempe (regulariter loquendo) cum pervenerint ad decimum usque ad duodecimum annum, ut dicunt Lugo, Castrop., Salmant., Dicastil. etc., aut saltem usque ad quartumdecimum, uti dicunt Suar., Laym., Wig., Antoine et La-Croix. Sed s. Carolus Borromaeus in nona Synodo dioecesana praecepit suis parochis, ut habiles redderent Communioni omnes pueros decennes; et quidem parochi postea difficiles se praebent ad Communionem dandam pueris duodecim annos natis; sed cur? Ne sibi assumant onus eos instruendi. Proh! quot parochi hanc suam obligationem negligunt, quae utique levis minime dicenda est!

27. Quoad Extremam-Unctionem sub gravi tenentur parochi ad eam ministrandam iis, qui exposcunt. Et

(1) N. 128. (2) L. 6. n. 58. et n. 623. (3) N. 623. (4) N. 253. et 254.

animadvertant quod docet Catechismus rom. (*part.* 2. *de Extrem. Unct. n.* 18.): *Gravissime peccant qui illud tempus aegrotos ungendi observare solent, cum, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiunt.*

28. An autem parochi tempore pestis teneantur residere, et Sacramenta ministrare cum periculo vitae? Quod ad residentiam spectat, communiter docent dd. ad eam teneri cum s. Thoma, qui ait (1): *Ubi subditorum salus exigit personae pastoris praesentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere ... propter aliquod personale periculum imminens.* Excipit tamen s. doctor casum, quo pastor possit sufficienter per alios providere, sed non loquitur de tempore pestis. Ceterum habemus apud Fagnanum (2), Gregorium XIII. declarasse tempore pestis omnino teneri parochos residere; et alio decreto (ut refert Fagnanus ibidem) declaravit teneri etiam Episcopos residere, cum potestate tamen (ut dixit) residendi in aliquo loco tutiori dioecesis, et illius prospicere necessitatibus. Quoad Sacramentorum administrationem, approbando decretum S. C. Concilii an. 1576. ita declaravit: *Parochum suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat Sacramenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum et Poenitentiam.* Cum igitur dixerit *dumtaxat*, declaravit parochos liberos esse ab obligatione ministrandi Communionem et Extremam-Unctionem peste laborantibus. Imo subiunxit, quod possint ipsa Sacramenta Baptismi et Poenitentiae per alios idoneos ministrare, se ipsos servando ad audiendas confessiones bene valentium, qui alias ab ipsis abhorrerent, si viderent eos accedere ad morbo decumbentes (3). Advertunt tamen Suarez, Holzm., Concina, Castropal., Sporer et alii communiter, quod si peste laborans (modo sensu careat) multo abhinc tempore non sit confessus, et probabiliter parochus putaret illum esse in peccato mortali, tunc tenetur etiam cum periculo vitae eum Extrema-Unctione munire (4).

29. III. Parochi, aut alii curati seculares, aut regulares (et eo magis Episcopi) teneutur orare et celebrare Missam, non solum ut populus ei intersit, sed etiam applicare fructum pro illo singulis dominicis et festis, ut novissime statuit Benedictus XIV. in Bulla *Cum semper*, 19. aug. an. 1744. declarans hoc valere, etiamsi curatus congruam non haberet (*licet*, verba Bullae, *congruis redditibus destituatur*), et quamvis alicubi adsit consuetudo immemorabilis in contrarium. Et si parochia vacaret, facultatem dedit Episcopo assignandi oeconomo congruam portionem fructuum, ut ipse pariter in festis possit celebrare pro populo. Tribuit pariter facultatem Episcopis dispensandi cum aliquo parocho, qui aliter non posset vivere, ut possit applicare in festis pro dantibus sibi eleemosynam, cum onere supplendi diebus ferialibus pro populo. Hic autem dubium fit, de quo apud nullum auctorem invenio mentionem fieri, an parochus infirmus, cum nequeat Missam per se ipsum celebrare pro populo, teneatur per alium? Plures doctos in hoc consului; alii negarunt, dicendo hanc obligationem includi in generali onere, quod omnes pastores habent orandi pro suis gregibus; et cum obligatio orandi sit mere personalis, sicut parochus impeditus orare, non tenetur orare per alium, ita impeditus celebrare, non tenetur celebrare per alium. Sed ego cum aliis censeo oppositum tenendum, quia parochus non solum tenetur celebrare pro populo, sed etiam Missam populo applicare, ut declaravit Benedictus XIV. an 1744. in sua Bulla supra citata *Cum semper*. Id est, iuxta effata s. Pauli (*Hebr.* 5. 1.): *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur*

(1) 2. 2. q. 185. a. 5. (2) In 1. partem. 3. Decretal. cap. Clericus de cleric. non resid. n. 38. et seq. et 45. et seqq. (3) L. 6 n. 233. (4) N 729.

in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Et denique idem confirmat *vers.* 3. dicens: *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Obligatio autem pastoris orandi pro populo est equidem personalis, sed obligatio applicandi populo fructum Missae est simul personalis (quia si potest celebrare per seipsum, nequit celebrare per alium) et etiam realis, cum sit una ex obligationibus muneri pastoris annexis, prout dictum fuit in Concilio Tridentino *sess.* 23. *de reform. cap.* 14. ubi mandatum fuit sacerdotibus curam habentibus animarum Missas celebrare *tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant.* Onus autem hoc offerendi Missas pro populo est ex praecepto divino, ut expressit idem Concilium *cit. sess.* 23. *cap.* 1. ubi dicitur: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione* etc. Illud autem praeceptum divinum habetur apud Ioan. (21. 17.): *Pasce oves meas.* Sicut igitur tenetur pastor oves suas pascere praedicatione, Sacramentorum administratione, correptione, etc., sic etiam tenetur pascere applicando eis fructum Sacrificii: quapropter, sicut pastor impeditus praedicare, vel Sacramenta administrare, tenetur praedicare, et administrare Sacramenta per alium: ita impeditus applicare per seipsum populo Missam, tenetur per alium applicare Sacrificii fructum, qui est pascuum utilius, quo populum iuvare potest.

Si autem parochi, et omnes quibus cura animarum commissa est, tenentur in dominicis et festis praeceptis Missam celebrare et applicare pro populo, tanto magis ad id tenentur Episcopi, uti principaliores pastores animarum. Non autem ad hoc tenentur quotidie; nec obstat textus in cap. *Quoniam, ult. de privil.* ibi enim dicitur, quoad Episcopos quotidiana celebratio Missae, vel auditio esse tantum de decentia, non vero de obligatione; haec sunt verba textus: *Quoniam Episcopi eorumque superiores, se habent diversis ex causis a suis ecclesiis et dioecesibus absentare frequenter, nec semper possunt commode ad ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet* (nota *non decet) absque causa rationabili ullum diem: praesenti Constitutione indulgemus eisdem ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, ac facere celebrare ubicumque absque interdicti transgressione, illis permittit celebrare, vel audire Divina.*

Notandum demum hic obiter, quod Benedictus XIV. in Bulla supra relata, *Cum semper*, declaravit insuper, Missam Conventualem, quae a clero ecclesiarum quotidie cantatur, non posse applicari pro populo, sed omnino applicandam esse pro benefactoribus in genere cuiusque ecclesiae, quacumque consuetudine non obstante (1).

30. IV. Parochi, et tanto magis Episcopi tenentur etiam cum periculo vitae ad corripiendos subditos, qui in peccato mortali existunt, aut in proximo periculo labendi in illud, et non solum in eorum extrema necessitate, sed etiam in gravi, semper ac fulget emendationis spes, ut communiter docent Suar., Bonac., Valent., Coninc., Salm. etc. cum s. Thom. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5. (2). Addimus cum Caiet., Sanch., Castrop., Diana, Ronc., Holzm. et aliis communissime (contra paucos) ad id teneri pastores non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia, propterea enim a communitate stipendium recipiunt, ut ipsi pro viribus curent impedire vitia cuiuslibet suae ovis, ideoque, cum deliquerint graviter in eo debito iustitiae, remanent etiam obligati ad fructuum restitutionem (3).

(1) Vide l. 6. n. 325. et 326. et l. 3. n 350. (2) N. 360. v. Parochi.

(3) Ibid. v. Sed dubit. 1.

31. Et cum ab aliquo potente reperitur aliquod scandalum dari, cui parochus non posset occurrere, debet ille Episcopum certiorem facere, ut de remedio occurrat. Et si forsan Episcopus in hoc negligens esset, debet parochus ad secularem potestatem recurrere, si subditus laicus esset, aut alia remedia opportuna tentare, et non debet hoc negligere ob quemcumque humanum respectum, aut timorem. In summa hoc est, quod Evangelium clamat, quod *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Cum in regione reperiuntur notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, parochus tenetur curare, ut Missio eo adveniat (ille parochus, qui Missionem non curat, suspicionem ingerit suorum morum; boni enim parochi non praetermittunt quarto aut quinto quoque anno Missionem arcessere). Denique ubi nihil intentatum reliquit, ut consuleret malo, etsi generaliter loquendo non esset praecisa obligatio faciendi correctionem, cum nulla subest spes profectus, non debet ideo parochus eam omittere; et etiam eam identidem repetat peccatoribus obstinatis, saltem in casu, quo periculum non subesset aliquod grave damnum subeundi; inserviet saltem illa correctio ad hoc, ne parochus ab aliis subditis male audiat, cum videant scandalum durare, et pastorem obdormiscere, praeter quam quod correctio inserviet ne alii in exemplum inducantur in peccatis sordescere, cum vident neminem adesse qui eos corripiat aut exprobret.

32. Et pastor non solum tenetur peccata et scandala iam incoepta auferre, sed etiam illa quae facile postmodum excitari possunt, impedire. Prae ceteris praecipue debet impedire, quominus sponsi accedant ad domum sponsarum : nam quamvis initio non accedant cum pravo fine, nihilominus experientia docet, quod in huiusmodi occasione quasi omnes sponsi postea in peccata labuntur, et secum in illa trahunt etiam parentes , qui permittunt eos versari cum sponsis. Quare debet parochus omnibus modis curare, ut impediatur haec spiritualis ruina duarum familiarum ex hac causa proveniens, quae ruina perseverabit usque dum matrimonium contrahetur, praesertim si sponsalia iam sunt inita. Ideoque cuilibet parocho elaborandum esset, ne verba sponsorum acciperet, nisi paulo ante matrimonium contrahendum; cum experientia observemus, initis sponsalibus, totum illud temporis spatium inter nuptias intercedens esse tempus peccatorum.

33. Ad haec debet parochus apud Episcopum impedire, ne habitus clericalis conferatur adolescentulis, aut pueris, qui suis moribus non sunt aliis exemplo, aut saltem indolem ecclesiasticam non prae se ferunt; nam si ipsi tacent, et sinunt eos induere habitum clericalem, illi postea adolescerent in otio, et exui habitum erubescentes, per fas et nefas, quanquam vitiis onusti niterentur ordinari, et religioni magnae essent perniciei, cui in principio facile parochus potuisset occurrere; post vero desperabitur remedium. Et ideo clericos, qui iam initiati reperiuntur, curet saltem instruere, et per semitas vitae devotae dirigere, ut boni ecclesiastici evadant. Igitur quam rationem reddituri sunt Deo illi parochi, qui fidem faciunt, illos ordinandos Sacramenta frequentare, et bonis esse moribus, quos sciunt nec esse assiduos in Sacramentorum susceptione, nec aliis bono exemplo, sed potius scandalo fuisse! Quid miserius esse potest, quam cernere clericos, qui vix bis aut ter in anno confessi sunt et communicaverunt, parochi fides audacter praesentare qualibet hebdomada aut bis in mense fuisse confessos et communicasse! De huiusmodi parochis, qui has fides praestant, dicendum est defecisse a Fide, nam certe de omnibus flagitiis quae committunt isti sic sine Dei vocatione promoti, et

de omnibus iis, quorum ipsi aliis causa sunt, parochus sibi Deum vindicem facit, cum Episcopi in hoc parochis omnem fidem committunt. Sed Episcopi diligentiores non quiescunt in parochorum attestationibus in hac materia tanti momenti, unde salus populi pendet, nec parochus coram Deo excusabitur, si fidem facit ex aliorum attestatione, nisi de eo, quod testatur circa Sacramentorum frequentiam, et bonos mores, plus quam certus fiat.

34. Non tantum tenentur parochi ad correctionem faciendam, et ad impedienda peccata et scandala, quae vident, sed etiam ad diligentius inquirendum, an in regione adsit aliquis subditus, qui in aliquo peccato versetur, et suo muneri non satisfaciat; parocho enim commissa est salus uniuscuiusque ovis. Ita communiter docent dd. Caietanus, Laym., Soto, Salmant. et alii cum s. Thoma (1) qui ait: *Qui habet specialem curam alterius, debet eum quaerere ad hoc, ut corrigat de peccato* (2). Praesertim invigilare debet ut subditi omnes praecepto paschali satisfaciant, sine personarum acceptione; propterea que cavere debet ne schedulas Communionis committat alicui clerico. Elapso iam tempore paschali, diligenter debet inquirere de iis, qui forte non adimpleverint praeceptum (3): et debet eos monere, qui si non resipuerint, deferat ad Episcopum, ut excommunicatione, aut interdicto saltem in illos animadvertat. Hoc quidem aliqui parochi efficiunt cum personis popularibus, conivent autem et sopore torpentur cum aliis maioris existimationis. Quot istorum in Missionibus reperiuntur, qui per multos annos omiserunt praecepto satisfacere; quin de hoc parochus verbum quidem admonitionis cum eis impenderit! Praeterea cum aliquod matrimonium contrahendum erit, debet inquirere si aliquod subsit impedimentum, et si probabiliter putat subesse, tenetur suam eis negare assistentiam, et nuptias suspendere, donec saltem certior fiat Episcopus, ut ipse quid faciendum decidat, ut communiter Sanchez, La-Croix, Ledesma, Vega, et alii cum Lugo, qui cum Coninch. addit, quod si Ordinarius sciat aliquod impedimentum occultum, debet matrimonium prohibere, licet hoc privata scientia noscat, et nequeat probare (4).

35. V. Parochi tenentur instructiones, et conciones facere. Quoad instructionem debent instruere et docere plebem Mysteria Fidei, quae sciri et credi debent, et quae necessaria sunt ad salutem, prout sunt 1. Quatuor Mysteria principalia, nimirum esse unum Deum, et hunc esse omnipotentem, sapientissimum, Creatorem et Dominum universi, misericordem et amabilem super omnia, praecipue vero esse iustum remuneratorem bonis et malis; item Mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, ac mortis Iesu Christi. 2. Sacramenta necessaria, quae sunt Baptismus, Eucharistia et Poenitentia; cetera saltem cum suscipienda sunt; et dispositiones necessarias, ut haec suscipiantur. 3. Articulos symboli Fidei, et hos inter praesertim Virginitatem sanctissimae Mariae: Sessionem Iesu Christi ad dexteram Patris, nimirum ipsum in coelo esse in aequali gloria cum Patre: Resurrectionem mortuorum in finali iudicio a Iesu Christo faciendo: Unitatem Ecclesiae romanae, in qua tantum reperitur salus; et tandem aeternitatem paradisi, et inferni. Quae omnia quilibet fidelis tenetur scire sub gravi 4. Praecepta Decalogi et Ecclesiae. 5. *Pater noster* et *Ave Maria*, et actus Fidei, Spei, Amoris et contritionis. Itaque sicut graviter peccat, qui negligit haec scire (et quidem non tantum quoad voces, sed etiam quoad sensum), ita etiam graviter peccat parochus, ut

(1) 2. 2. q. 33. a. 2. ad 4. (2) L. 3. n. 360. Dubit. 2. (3) Barb. de offic. par. c. 2 n. 7 et Segneri paroch. instruct. cap. 23. (4) Lib. 6. n. 54.

communiter dd. si per se, vel per alios idoneos (ipso legitime impedito, ut loquitur Conc. Trid. *sess.* 5. *c.* 2.) non curat ea docere saltem quoad substantiam suos subditos, pueros et adultos, qui ea ignorant. Hinc cum animadvertit, parentes, aut dominos non curare ut filii, aut famuli intersint doctrinae christianae, tenetur cum Episcopo de opportuno remedio consilium capere, qui ut habetur in Trid. *sess.* 24. *c.* 4. *de ref.* potest etiam per censuras ecclesiasticas ad id parentes cogere. Boni pastores adnotatos tenent pueros, ut sciant quis eorum desit suas in hoc adimplere partes. Imo ait La-Croix *l.* 2. *n.* 174. *et l.* 3. *p.* 1. *n.* 767. si adessent alii rudes, qui adire ecclesiam nequeant, quia custodiunt domum, aut greges, cum in gravi necessitate spirituali reperiuntur, debere parochum eo proficisci, ad eos instruendos *cum quantocumque suo incommodo*, ut loquitur praefatus auctor. Saltem nos dicimus, cum hoc ei maximae molestiae futurum foret ob horum rudium multiplicitatem, curet saltem eos instruere tempore praecepti paschalis, aut cum accedunt ad suscipiendum Sacramentum Confirmationis, aut ad contrahendum matrimonium. Expedit etiam, ut exploret magistros, et magistras, an possint recte docere pueros et puellas doctrinam christianam, et media conducentia ad in timore Dei vivendum.

36. Quoad concionem, parochus tenetur ad concionandum omnibus dominicis, ut praecepit Trident. *sess.* 5. *c.* 2. *de ref.* (circa quod vide *Tract.* VI *n.* 5.). Sed hic advertendum per Tridentinum non solum impositum esse parochis pascere greges verbo divino; sed etiam eos pascere pro captu eorum; facilitate sermonis, ut percipiant quod praedicatur. Cum enim verum sit quod Fides sicut diffunditur, ita conservatur praedicatione, *Fides ex auditu;* parum aut nihil proderunt populis conciones illae, quae non sunt conformes modo, quem tenuit Iesus Christus, et apostoli secuti sunt, qui praedicarunt non *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, *sed in ostentatione spiritus et veritatis*, ut fatetur s. Paulus. Ideoque merito v. p. m. Avila non Christi ministros, sed proditores vocabat eos concionatores, qui ex vanitate praedicant, ut laudes assequantur; et p. Gasp. Santius dicebat quod isti sunt, qui magis Ecclesiam persequuntur, dum sic praedicando causa sunt, cur multae animae pereant, quae per conciones ad apostolorum normam salvarentur. Vana verba, periodi contorti, et sonantes, descriptiones inutiles, dicebat s. Franciscus Sales., sunt pestis concionis; cuius unicus finis esse debet voluntatem auditorum ad bonum movere, non autem inutiliter intellectum pascere; sicuti experientia docemur, huiusmodi exornato stylo concionandi animas vitam non mutare, quia Deus cum vanitate non concurrit. Et hoc dictum sit de omnibus concionatoribus, qui cum vanitate praedicant, sed praecipue de parochis, quibus Tridentinum loco citato haec praescribit: *Archipresbyteri quoque, plebani, et quicumque parochiales vel alias curam animarum obtinent per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis.* Notentur verba illa, *pro earum capacitate.* Quare certe transgrediuntur Concilii praeceptum illi pastores qui stylo sublimi ultra populi captum praedicant.

37. Hic etiam iuvat advertere nonnulla, quae valde expedit ut parochus in concionibus populo saepe saepius inculcet. Et 1. quod ad emendationem non sufficit peccatum fugere, sed etiam oportet fugere occasionem peccati. Et loquendo de sponsis, qui versantur in domibus sponsarum, dicat tam ipsos, quam illarum parentes, qui hoc permittunt, non posse absolvi, nisi removeant

praedictam occasionem. 2. Adurgeat homines ne tabernas adeant, eis patefaciendo innumera peccata, quae illic, praeter ebrietates, committi solent, nempe blasphemiae, rixae, scandala, obscoenitates, domesticae discordiae, subtractiones victus a familia, etc. 3. Saepe declamet in vitium (quod est generale, praecipue in villis) loquendi inhoneste in campis et in officinis, tanto magis si loquatur coram pueris et puellis, et aliis diversi sexus. Propter hos pravos sermones quot iuvenes depereunt! Et hortetur de hoc parentes, dominos, et magistros officinarum, ut invigilent ad corrigendos, et ad puniendos suos filios, aut famulos, qui ita obloquuntur, praesertim tempore vindemiae. 4. Instet ad demonstrandam sacrilegii enormitatem, qui confitentur, et communicant, omisso aliquo peccato in confessione ob ruborem, et ut horror concipiatur, curet saepe saepius narrare aliquod terribile exemplum eorum qui sacrilege confessi sunt ob ruborem, et postea infelici exitu perierunt, et poterit propterea ad manus habere libellum p. Vegae, cui titulus: *Casi della confessione*, etc.

38. Insinuet 5. necessitatem doloris, et propositi pro confessione, etiam si illa sit de solis venialibus, hortando ne quis accedat ad absolutionem, nisi vere doleat saltem de aliquo peccato veniali eorum, de quibus se accusat, aut nisi materiam certam vitae anteactae exponat, cuius se vere poenitet, ut valida fiat confessio. At quoniam rudes parum capiunt quomodo debeat esse hic dolor, saepe explicet, quod quisque poenitens, ut valide confiteatur (sive dolor sit contritionis, sive attritionis) debet ita poenitere sui peccati, ut illud odio habeat, et detestetur super omnia mala.

39. Hortetur 6. ut in irae motibus, pro blasphemando, et imprecando, assuescant dicere; *Male habeat peccatum meum; male vertat daemoni*: aut *Domina mea adiuva me*; *Domina mea concede mihi patientiam*. 7. In horrorem ponat superstitiones sive vanas observantias, quae solent adhiberi ad curandos morbos, aut ad cognoscendos fures, etc. 8. Inculcet parentibus, ut in filios animadvertant, praesertim dum sunt pueri, cum blasphemant, aut furantur, etc. Insuper invigilet ad observandum, et sciscitandum cum quibus illi versantur, et interdicat ne cum malis sociis comitentur, aut personis diversi sexus familiariter utantur. Praeterea ne in proprio lecto filios cubare faciant, vel nimis parvos ne suffocentur, aut aetate provectos (puta si 6. annos excesserint) ne illi scandalum patiantur, et tanto minus permittant mares, et femellas in eodem lecto dormire.

40. Hortetur 9. persaepe suos auditores, ut tentationes internas (praecipue impuritatis) arceant invocando SS. Nomina Iesu et Mariae. Hoc est maximum remedium adversus tentationes. 10. Instet iugiter ad hortandum, ut, cum quis in mortale prolapsus est, statim contritionis eliciat actum quo gratiam amissam recuperare possit, cum proposito quantocius confitendi; et ab eis deducat hanc daemonis fraudem, nempe quod tam Deus parcit duobus quam uni peccato; cum contingere possit quod Deus expectet post primum, et post secundum suo auxilio eos destituat.

41. 11. Doceat actus quos quilibet facere debet cum a cubitu surgit, nempe gratiarum actionum, oblationis, et supplicationis, ter *Ave* recitando in honorem SS. Mariae et proponendo vitare omne peccatum, et illud praesertim in quod saepius labi solitus est, divinam Matrem supplicando ut ab illo eum liberet; et hortetur omnes matres, ut hoc practicari faciant quolibet mane a suis filiis. In concionibus significet parentes teneri ad curandum ut filii Sacramenta frequentent; ea enim non frequentando facile a Dei gratia ex-

cident, et huic tanto damno parentes consulere debent. Dicant etiam quod ipsi peccant si sine iusta causa filios a matrimonio aut a religione avertunt, aut eos ad matrimonium invitos cogunt, sicut contra peccant filii qui matrimonio coniunguntur, parentibus iuste dissentientibus: vide quod dicemus de sponsalibus *Tr.* 18. *n.* 10.

42. 12. Cum verum sit, ut supra diximus, quod parochus non solum tenetur impedire malum, sed etiam ad promovendum bonum, hortetur populum ad visitationem SS. Sacramenti, et beatiss. Virginis. Hanc visitationem potest ipse in communi cum populo obire, ut moris est in pluribus regionibus. Et dicat quod, qui ad ecclesiam convenire nequeunt, saltem e domo hanc faciant. Maxime insinuet ut congregationem homines frequentent, et omnes Communionem, praevia praeparatione, et subsequentibus gratiarum actionibus per actum fidei, amoris, oblationis, et petitionis, docendo eos modum practicum, quo fieri debent.

43. 13. Curet saepe ut populus singulari studio SS. Mariae devotionem prosequatur, insinuando quanta sit eius potentia et misericordia erga suos devotos. Idcirco insinuet ut recitent rosarium in communi quotidie una cum familia, ut ieiunent sabbato, et celebrent Novenas septem festivitatum, quas ex altari annuntiet populo, quoties aliqua Novena accidit. Expediet propterea, ut sabbato ille conciunculam faciat, narrando aliquod exemplum beatiss. Virginis, et semel in anno celebret aliquam Novenam solemniorem cum sermone, et expositione Venerabilis, et propterea uti poterit inter caeteros libro, quem typis edidi, cui titulus: *Glorie di Maria*, ubi collectam reperiet materiam et exempla. Felix ille parochus, qui suas oves ferventes tenet erga devotionem SS. Mariae, nam illae, Virgine opitulante, recte vivent, et advocatam in vitae exitu potentem experientur.

44. Tandem potissimum insinuet usum petitionis, nempe ut saepe se Deo commendent, ab eo praesertim sanctam perseverantiam postulando propter Iesu et Mariae amorem: saepius explicando quod divina gratia, et praecipue donum perseverantiae non obtinentur, nisi petantur: *Petite et accipietis*. Et publicet saepe illam magnam Iesu Christi promissionem, quod quicquid Patrem petierimus in eius nomine, Pater dabit nobis: *Amen amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan.* 16. 23. Insinuet etiam instanter usum orationis mentalis, et curet faciendam in ecclesia una cum populo quolibet die, aut saltem quolibet die festo: docendo etiam modum quo fieri potest domi. Modus practicus orationem mentalem faciendi ponetur in *Appendice Prima*, *De directione animarum spiritualium, n.* 2. *ad* 5. *et append.* 4 §. 3. Sed hic mihi concedatur conceptum animi dolorem foras aperire. Proh magnam infelicitatem! Quam pauci sunt illi parochi et confessarii, qui curam hanc sibi suscipiunt insinuandi suis poenitentibus hoc tam magni momenti exercitium orationis mentalis, sive meditationis, sine quo valde difficile est animam posse perseverare in Dei amicitia, et impossibile est in viam perfectionis se immittere. Si aliqua attentio in hac re adhiberetur, quot animae viderentur in Dei amorem accendi! Sed hoc quis non operatur, ne sibi aliquid incommodi suscipiat: alius ne stimulos suae exprobrantis conscientiae sentiat in suadendo aliis bonum, quod ipse negligit. Summa haec est, quod curae hoc non est, quia parum diligitur Iesus Christus. O si parochi, et confessarii multum diligerent Iesum Christum, a quot efficerent ut amaretur, et eos ab inferno liberarent! Igitur exorandus Dominus est ut, si velit amari ab animabus, faciat se amari a sacerdotibus.

45. Praeter descriptas obligationes,

quae sunt principales, supersunt aliae parocho, quae etiam non sunt minores. 1. Tenetur ipse caeteris esse bono exemplo. Pastor enim est illa lucerna *lucens et ardens*, quae in Evangelio describitur, ardens zelo sancto in interno, et lucens bono exemplo in externo. Secus ipse praedicet, et moneat alios pro viribus, quantum velit ad incedendum per virtutum semitas, nisi ipse praecedat exemplo, subditi ne fidem quidem praestabunt iis, quae ipse dicit: nam homines *magis oculis, quam auribus credunt*, ut loquitur Concil. Urcellense *(Tract.* 3. *de offic. cler.)*. 2 Debet sedulo assistere moribundis et praesertim peccatoribus habituatis, qui peculiari assistentia magnopere indigent. Verum est quod parochus potest hanc assistentiam committere aliis sacerdotibus, sed non debet fidere cuilibet sacerdoti; nam in hac occasione assistendi moribundis possunt accidere scandala non mediocris damni. 3. Tenetur succurrere pauperibus ex parochiae reditibus, qui supersunt, deducto tamen suo, et etiam suorum (si ipsi vere sunt pauperes) alimento. Observetur in hoc quod dicetur *Tract.* 13. *cap.* 1. *punct.* 2. *de beneficiatis, a n.* 45. *ad* 49. 4. Tenetur diligenter examinare obstetrices, si ipsae sciunt quod ipsas oportet scire ad conferendum Baptismum infantibus in casu necessitatis, ut habetur in Rituali rom. *de babt. pueris;* nam talis casus saepe potest eis accidere, ideoque sub gravi ipsae tenentur scire administrare Baptismum, ut dicunt s. Antoninus, Reginald. Aversa, etc. (1). Praeterea parochus debet observare circa Baptismum quod praescribit parochis Rituale rom., nimirum 1. Ut notent in libro distincto nomina baptizatorum, parentum, et patrinorum. 2. Ut admoneant patrinos de cognatione, et de eorum obligatione contracta. 3. Ut admoneant matres, et nutrices, ne secum accumbere faciant pueros. Nibilominus adnotant Barbosa Anacl. et Tournely, et alii communiter, talem obligationem cessare, si omne periculum cessaret, v. g. si lectum fuisset spatiosum, et puer caeteroquin ob frigus quiescere non posset, et mulier soleret suum situm dormiendo retinere (2).

(1) Lib. 6. n. 117. v. quoad.

(2) Lib. 6. n. 160.

Notandum ultimo quod Benedictus XIV. in Const. 9. edita die 23. Decemb. 1740. incipiente, *Ad Passionis, etc.* Bullar. tom. 1. mandat in virtute s. obedientiae omnibus parochis, sive rectoribus, etc. ut singulis feriis sextis hora tertia post meridiem in omnibus ecclesiis cathedralibus, et parochialibus campanam pulsare faciant, ut fideles lucrari possint indulgentiam centum annorum, recitando flexis genibus quinque *Pater* et *Ave*, et orando iuxta intentionem Pontificis.

46. Tandem a bonis parochis pendent boni mores, et salus populorum. Si in regione bonus parochus adest, ibi videbitur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis, et bonum exemplum; sin autem parochus erit pravus, tota regio vitiis et scandalis redundabit.

PUNCTUM II. *De Episcopi muneribus.*

ad se concurrentibus, et de exemplo praecipue circa mansuetudinem, paupertatem, orationem, etc.

47. Pluribus aliis oneribus prae parochis Episcopus tenetur. Prae caeteris 1. circa Ordinationes clericorum tenetur eligere in altaris ministros, dignos dumtaxat, et excludere indignos: s. Franciscus Salesius contremiscebat, dum hanc obligationem perpendebat, ideoque Sanctus neminem ad Ordines admittebat, quem bona vita non comitabatur, nulla in hoc habita ratione commendationum, nobilitatis, nec doctrinae subiecti; dum doctrina, quae malam vitam sociam habet, maiori detrimento est, quia vitio auctoritatem adducit. Unde fiebat quod paucos promovebat, prout hodie factitant boni Episcopi; cum pauci sunt, ut veritatem fatear, qui sacerdotio initientur ex vera vocatione, et ut gloriam Deo praestent, et hinc fit quod pauci sacerdotes sunt, qui boni evadant, et utiles animabus. Dicebat ipsemet Sanctus non esse Ecclesiae necessarios multos sacerdotes, sed bonos.

48. Duo debet Episcopus examinare in iis, qui ad Ordines anhelant, spiritum et docrinam. Circa spiritum et mores parum tutus est ille Episcopus, qui attestationibus parochorum confidit. Hae plerumque fiunt ob humanos respectus. Nec Episcopus potest tantum acquiescere soli bonitati negativae Ordinandi, ut dicit s. Thomas, nempe quod nihil sciat mali de illo, sed oportet ut eius bonitatem positivam cognoscat, tales notitias habendo, ut sufficientia praestent indicia, quod ille vero spiritu Ecclesiae sit donatus. Dicit s. Paulus (1. *ad Tim.* 3. 6.) oportere sacerdotem (qui etiam sub nomine Episcopi comprehenditur a ss. Patribus, ut a s. Ambrosio, s. Ioanne Chrysostomo, s. Thoma, et aliis) non esse neophytum, nimirum, ut explicat Angelicus, *non solum aetate, sed etiam perfectione*. Quare ait Trident. *Sess.* 23. *c.* 12. eos tantum debere assumi ad Ordines sacros, *quorum probata vita senectus sit*, significans eos bono habitu debere esse dotatos, et debere esse senes in virtute, iuxta illud Sapientiae 4. 9: *Aetas senectutis vita immaculata*. Propterea Episcopi zelantes non firmare solent supplices libellos, nisi prius secreto certi facti fuerint de eorum morum probitate a pluribus personis fide dignis, quae noscunt subiectum. Advertatur hoc attente, quia hoc est medium valde efficax, imo necessarium Episcopo, ut tutam faciat suam conscientiam in Ordinationibus, quas habet. Ex his enim secretis cognitionibus Episcopus potest certus fieri non solum si clericus ludis, insolentiis, pravis consuetudinibus sit aliis scandalo, sed etiam si positive vitam spiritualem agit; ecclesias, orationem, Sacramenta frequentando, si solitarie vivit, aut saltem cum bonis sociis comitetur, si studio dat operam, si modesto habitu, et sermone incedit, et huiusmodi. Et si forsan notitiam habeat de scandalo positivo alicuius, tunc non debet sibi satis esse ordinariam probationem exigere, sed multorum annorum resipiscentiam observare debet: cum suspicio rationabilis tunc suboriatur, quod omne ab eo simulatione fiat, ut Ordines assequatur.

49. Iuxta primaevam Ecclesiae disciplinam ei, qui in unum mortale lapsus fuisset, aditus ad Ordines penitus praecludebatur, ut testantur s. Hieronymus, s. Isidorus, et alii. Deinde aliquibus post saeculis excludebantur perpetuo ab Ordinibus saltem illi, qui ob aliquod grave facinus diffamati fuissent. Concedimus hac nostra tempestate tantum rigorem non ubique practicari; nihilominus certum est (ut supra vidimus) nullum posse admitti ad Ordines, qui prius in virtutibus probatus non sit, et praecipue in diuturna continentia, quam ordinati in Sacris profiteri debebunt. Habemus in *cap. Nullus dist.* 25. ex s. Gregorio. *Nullus de-*

bet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata, lib. I. epist. 42. Et requirit s. Pontifex, ut huiusmodi probatio habeatur a multis annis, dicens: *Ne umquam ii, qui ordinati sunt, pereant, prius aspiciatur si vita eorum continens ab annis plurimis fuit.* Hanc eandem probationem requirit Trident. *Sess.* 23. *c.* 13. *de ref.* dum praescribit Ordines sacros non conferri nisi iis, qui in minoribus Ordinibus probati sunt, nimirum quorum bonae vitae experientia habeatur.

50. Summa igitur haec est, quod non potest dubitari, quin Episcopus graviter peccet admittendo ad Ordines sacros indignum; indignus autem est quicumque sufficientem probationem non dedit de sua positiva bonitate. Rationem affert s. Thomas dicens (1): Ad Ordinem sacrum requiri maiorem sanctitatem, quam ad statum religiosum, *quia per sacrum Ordinem deputatur ad dignissima ministeria.* Et alibi (2): *Sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis.* Itaque iuxta s. Thomam sicut clerici per Ordinem sacrum, quem suscipiunt, elevantur ad gradum superiorem super populum christianum, ita debent reperiri superiores merito sanctitatis. Ideoque asserit quod opus habent eo gratiae gradu acquisito (intelligitur certe de gratia non *gratis data*, scilicet de illa, quae nos gratos Deo facit, quia hoc solum meritum sanctitatis producit) quae eos dignos reddat, ut inter Iesu Christi ministros annumerentur: *Et ideo praeexigitur gratia, quae sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebem Christi.* Deinde concludit Sanctus quod non sufficiet Episcopo ordinanti, ut aliquem ad Ordinem sacrum promoveat, si nihil mali sciat, sed etiam debet esse certus de probitate Ordinandi: *Sed exigitur amplius* (sunt Angelici verba) *ut secundum mensuram Ordinis vel officii iniungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum.* Et ad hanc rem adducit auctoritatem s. Dionysii, qui dicit neminem in ministrum Divinorum (sicut est sacerdos) audere assumi, nisi per diuturnum habitum se Deo conformem cognoscat: *In Divino omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit deiformissimus, et Deo simillimus.*

51. Praeterea, sicut peccaret Ordinandus, si probitate positiva carens, nempe habitu bonae vitae iam acquisito, vellet in sacris Ordinibus initiari, saltem ob periculum, cui se exponit non sustinendi onus, quod suscipit ferendum, et praecipue coelibatus, sine Dei vocatione, quam certe tunc non est praesumendum habere; ita tanto magis peccaret Episcopus, qui eum ordinaret, si suae emendationis non praecederet diuturna probatio. Ait s. Thomas (3): *Ordines sacri praeexigunt sanctitatem, unde pondus Ordinum imponendum parietibus iam per sanctitatem desiccatis.* Adducit s. doctor similitudinem fabricae, dicere volens quod, quemadmodum parietes recenter elevati pondus grave sustinere nequeunt; ita iis, qui paulo ante mores mutarunt, et adhuc ab humore vitiorum purgati non sunt, non est imponendus sacer Ordo, qui secum affert debitum perpetuae continentiae, et vitae exemplaris, quam ministrum altaris decet. Itaque Episcopus sacrum Ordinem indigno conferens, duplici titulo peccat: peccat quia suo muneri deest, et peccat quia cooperatur omnibus peccatis, quae ille committet, et causa erit ut alii etiam peccent. Hoc idem innuit s. Paulus (1. *Timoth.* 5. 22.) cum dixit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Super quem textum postea dixit s. Leo: *Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui*

(1) 2. 2. q. 184. a. 8. (2) Supp. q. 35 a. 1. ad 3. (3) 2. 2. q. 189. a. 1. ad 3.

non meruit ordinari?

52. Hactenus circa spiritum, transeamus nunc ad doctrinam, quae requiritur in eo, qui sacris Ordinibus initiari postulat. Ignorantia in ecclesiaticis non solum sibi, sed etiam aliis nocet; et quod peius est, ignorantia in sacerdotibus est malum, cui nullum remedium invenitur, ut dicebat s. Franciscus Salesius, aut quia semper incapaces persistent, aut quia, accepto sacerdotio, difficulter cogi poterunt ad studendum. Debet ideo Episcopus maxime curare ut inspiciat an qui postulat promoveri, sit bene edoctus, et an sit studii cupidus: dum qui studii non est amator, nunquam idoneus erit Ecclesiae, imo necessario erit pravus, nam (ut dici solet) otium est pater vitiorum. Propterea Praelatus non sibi satis habeat examen quod plerumque solet fieri circa requisita ad Ordines, et super alias res consuetas, quas Ordinandi discunt in aliquo liberculo, sed, postquam ordinati sunt, remanent indocti, uti erant antea. D. Fabricius de Capua fel. rec. Archiepiscopus Salernitanus in suis Ordinationibus, et praesertim sacerdotum, suos Ordinandos examinari faciebat super tota morali. Scio etiam alium Praelatum (Episcopum vigilantem), qui etiam a clericis circa moralem examen exigebat, unicuique Ordini assignando tractatus, quos scire debebant; itaque ad sacerdotium ascendentes tota morali ita callebant, ut ad confessiones audiendas quisque idoneus reperiretur. O utinam et omnes Episcopi has semitas tenerent, non audirentur utique tot conquestus, uti plerumque audiuntur, quod non invenitur cui confessarii officium committatur! Sed dicet aliquis Concilium Tridentinum non exigere tantam scientiam ab Ordinandis. Sed respondeo quod non prohibet e contrario Concilium, quominus Episcopus id exigat a suis Ordinandis (ut loquuntur pp.), cum videt talem esse suae dioecesis necessitatem. Tum etiam Concilium tantum statuit quod, si talis scientia desit, ad Ordines nemo promoveatur, non autem praecepit ut, qui tali scientia praeditus esset, ab Ordine repelli non possit. Sed loquendo etiam iuxta Tridentinum Concilium *Sess.* 23. *c.* 14. dicit quod promovendi ad sacerdotium *ad populum docendum.... ac ad ministranda Sacramenta diligenti examine comprobentur*. Quibus Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici ministerii* pro Hispania lata, et a Benedicto XIII. pro toto orbe distensa, aliam benignam interpretationem (ut testatur Lambertini postea Benedictus XIV. *Notif.* 7. *n.* 16. *et* 36. dare non potuit, quam ut Ordinandi saltem morali theologia callerent.

53. Quapropter Episcopo incumbendum est, ut seminarium optima directione constitutum habeat, ab hoc enim (statuendo ut nemo Ordines ambiat, qui saltem tres aut quatuor annos ibi commoratus non sit) postea seligentur parochi confessarii, et caeteri sacerdotes; et ita poterit dioecesim suam cultam reddere. Dixi *seminarium optima directione constitutum*, alioquin seminarium esset maiori perniciei iuventuti, et dioecesi. Iuvenes qui seminarium ingrediuntur (quantavis diligentia adhibeatur) non omnes erunt angeli: multi non afferunt eo spiritum; sed ibi acquirere debent illum. Igitur si seminarium erit male directum, eveniet quod etiam illi, qui tamquam angeli ingrediuntur, paulo post tempore daemones evadent, et ipsi suae vitae contagione contaminabunt totas suas regiones. Quare Episcopus si ob redituum tenuitatem, aut ob aliquem alium defectum non posset suum seminarium de bonis ministris providere, tenetur penitus illud extinguere, nisi velit Deo tot criminum et scandalorum rationem reddere. Oportet igitur, ut seminarium optima disciplina floreat tam in spiritu, quam in litteris. Quod ad spiritum attinet, 1. In regulis constitutum sit ut nun-

quam desit meditatio, ut Missae quotidie intersint, ut adsit lectio spiritualis, visitatio Sacramenti, conscientiae examen, silentium extra tempus solatii: et hoc omne servetur quotidie. Item qualibet hebdomada confiteantur, et communicent, aut saltem bis in mense, arcessendo bonos et plures confessarios, et etiam alios extraordinarios pluries in anno. Item quolibet mense sit unus dies solitudinis spiritualis, in quo aliquis pater bono spiritu dotatus faciat sermonem; ac fiant quolibet anno exercitia spiritualia: oporteret etiam statuere, ne tempore feriarum seminaristae domos adirent: nam tunc (praecipue tempore vindemiarum) isti intermittunt omnia exercitia spiritualia, et illo mense, aut bimestri cum foris vivunt, quantum boni acquisiverunt, amittunt, et regrediuntur in seminarium vitiis et peccatis onusti. 2. Debet Episcopus procurare bonum pastorem, qui sit zelo plenus, et experientia exercitatus, qui sit sagax ad suspicandum de unoquoque, et de qualibet actione, et vigilans ad discurrendum per classes, et defectus indagandos, saepe praefectos interrogando, et etiam aliquem fideliorem seminaristam, qui praeventus sit in qualibet classe, ut sibi referat defectus, quos animadverterit. 3. Debet procurare praefectos moribus probatos, qui nunquam a suis classibus absint, nec familiaritatem peculiarem permittant seminaristis inter se habere, et animo forti sint in corripiendo, et fideles sint in referendo apud rectorem qualibet hebdomada delinquentes. 4. Expedit ut Episcopus persaepe adeat seminarium, et semel, aut bis in anno particulare scrutinium faciat, interrogando quemvis seminaristam, an adsit aliquod inconveniens. 5. Prae caeteris debet invigilare Episcopus super pueros, qui in seminarium recipiuntur, operam dando ne ingrediatur aliquis, qui dudum exemplo bono non fuerit, secretas informationes de illorum moribus inquirendo. Satis est habere paucos et bonos, quam multos et imperfectos, qui suae vitae turpitudine etiam bonos contaminent. Deinde utendum est stricto rigore, miseratione omni postposita, cum incorrigibilibus, et cum aliquo, qui scandalum positivum praebuerit, v. gr. impuritatis, tumultuationis, furti, etc. Huiusmodi seminarista vix prima vice tolerandus esset post diuturnam, et exemplarem animadversionem; sed tutius consilium est eum statim e seminario expellere, quia talis ovis contagione inquinata potens est totum seminarium corrumpere. In hac re charitatem adhibere non est charitas, sed tyrannis, et iniustitia, quia Episcopus ex iustitia tenetur damnum commune evitare. Quod ad scientias attinet, maxime interest ut Episcopus curet sedulo instruendos iuvenes in lingua latina, aliter in caeteris scientiis parum proficient, et parum intelligentibus latinitatem parum gratum erit studere. Curet etiam ut addiscant philosophiam (et praecipue logicam, sed meliorem) et theologiam scholasticam et dogmaticam. Sed prae caeteris in dioecesibus non numerosis necesse est, ut seminaristae omni sedulitate incumbant morali, ut habiles fiant ad audiendas confessiones, et Episcopus possit eorum opera uti, cum oportebit. Alias cum e seminario profecti sunt, non amplius student, et inutiles Ecclesiae remanebunt. Expediet etiam ut exerceantur seminaristae nunc unus in docendis pueris doctrinam christianam qualibet hebdomada, nunc alius in aliqua conciuncula, colloquiis, etc. Ita ipsi et alii erga exercitia apostolica pro tempore, cum egressi fuerint e seminario, amore inflammarentur. Ideoque utilissimum est instruere seminaristas circa talia exercitia. Qui vellet alia circa bonum regimen seminarii, potest observare meum parvum libellum, quem ad hoc typis dedi.

54. Tenetur II. Episcopus ad eligendos bonos parochos et bonos con-

fessarios. Quoad parochos, iam compertum est praeferendos esse digniores. Etiam in beneficiis simplicibus probabilior sententia cum s. Thoma et aliis (1) requirit praeferendos esse digniores, quia hoc exposcit utile commune Ecclesiae. Sed quoad parochialia certum est ex Trident. Episcopum teneri ad eligendum digniorem spectata qualitate concurrentium, nempe consideratis prudentia, aetate, meritis, sed maxime scientia, et vitae probitate. Quoad scientiam potest bene Episcopus se conformare examinatorum iudicio; sed sua praecipua diligentia sit, ut ipse cognoscat de vitae probitate, inquirendo notitiam a diversis. In dubium revocanda non est maxima s. Francisci Salesii, quod in curis animarum praeferendi sunt sufficienter docti doctioribus, qui spiritu sunt inferiores. Et S. C. de parochorum electione (*ap Piasec. pag.* 528. *n.* 19.) sic decrevit: *Praeferendus est minus doctus (modo idoneus) quando eius mores sunt approbati, doctiori, cuius vita ignoratur.* Pro certo habendum parochum probum uno mense utiliorem esse populo, quam parochus doctior, sed minus probus toto anno.

55. Tenetur etiam Episcopus se informare ab aliis an parochi dent operam docendo pueros doctrinam christianam, an praedicent, et an praedicent ad Tridentini praescriptum. De hoc debet Praelatus saepe admonere parochos, ut parvulis frangant panem verbi divini, hortando etiam eos, ut in concionibus conentur insinuare res, quae ad usum conducant v. gr. quomodo repellendae sint tentationes, quid dicendum, cum occurrunt res adversae, aut cum iniuriis quis afficitur, et huiusmodi. Item perquirant Episcopi, qua diligentia parochi, et confessarii incumbant in audiendas confessiones. In aliquibus locis parochi, et confessarii assistunt etiam choro; sed quid accidit? Accidit quod, dum populus est magis frequens in ecclesia, illi pergunt in chorum, et populus per plures menses differt confiteri: ad hoc Episcoporum est remedium afferre. Item perquirant an parochi sint diligentes, ut pueri capaces decem annos circiter nati communicent, ut supra dictum est. Item, an seduli sint ad colligendas schedulas Communionis paschalis, ut videant an omnes praecepto satisfecerint: an orationis mentalis exercitium perseveret, an visitatio sanctissimi Sacramenti, et Beatae Virginis fiat in communi in ecclesia, ut in multis regionibus in usu est. Et magni refert ut curet Episcopus introduci hunc usum, ubi non est, et restaurari, ubi intermissus est; et confirmari, atque augeri, ubi reperitur. Commendet quoque assistentiam moribundis, et congregationibus secularium. In pluribus locis nostris Missionibus introduximus congregationes puellarum. Hae ita disponuntur; congregentur in aliqua ecclesia omnes puellae sexdecim annos et infra natae, quolibet die dominico vesperi: ibi sacerdos nota probitate ad hoc designatus, praeter doctrinam christianam, exhibeat brevem et simplicem sermonem, aut instructionem supra orationem mentalem, aut circa modum suscipiendi Sacramenta, aut circa aliquam virtutem illi aetati convenientem, et postremo assignet devotiones, quae practicari debent ab illis in illa hebdomada, et praeter regulas, quae praescribuntur, sacerdos saepe in memoriam reducat earum, ut non omittant recitare quotidie rosarium, visitare sanctissimum Sacramentum, saltem ex propria domo, conscientiam examinare, Sacramenta frequentare saltem semel in hebdomada, ut modesto ornatu ostendantur, et huiusmodi. Hae congregationes, sive collectiones puellarum, causant postea bonum summum, quia si ipsae postea nubent, faciliter docebunt filios ea, quae ipsae factitarunt, et familiae integrae sanctificabuntur.

(1) Lib. 4. n. 93.

56. Praeterea maxima debet esse Episcopi diligentia in seligendis confessariis. A confessariis pendet directio conscientiarum omnium subditorum, et unus confessarius, qui sit ignarus, aut moribus pravis, potest totam regionem perditam facere. Non debet igitur Episcopus aliquem probare, quin prius certus fiat de eius probitate, et doctrina, examinando eum super morali. Nonnulli Episcopi facultatem audiendi confessiones praebent indistincte omnibus concionatoribus quadragesimalibus, et omnibus aliis qui in aliis dioecesibus iam probati fuere. Sed alii Episcopi scrupulum sibi faciunt de hoc, et merito, cum postea observantur tot mala, quae oriuntur ab huiusmodi confessariis caeco ductu approbatis. Si praelatus cupit habere confessarios, quorum opera uti possit sine scrupulo, praeter congregationes casuum moralium, quae solent fieri in multis dioecesibus, curet statuendas in qualibet regione academias moralis bis aut ter in hebdomada, notum faciendo, ab eo nullum admissum iri ad audiendas confessiones, qui saltem per annum non interfuerit huiusmodi academiis, quae maxime utiles (ne dicam necessariae) sunt illi, qui vult in hac scientia esse versatus, dum ita melius dubia disceptantur, et doctrinae magis in memoria figuntur.

57. Optimum consilium esset etiam, si Episcopus curaret in locis grandioribus suae dioecesis congregationes particulares statui sacerdotum, et clericorum magis vitae spirituali addictorum, ubi se exercerent qualibet hebdomada in praxi audiendarum confessionum, aut moribundis assistendi, aut celebrandi Missam et aliquando se exerceant in aliqua oratiuncula (vulgo *Sentimento*) facienda, colloquio, sermone, aut instructione. Hi congregati vero habebunt suas peculiares regulas, v. gr. veste talari semper vestiendi, aleis non ludendi, etc. ut populus de eis venerationem concipiat. Nihil refert hos paucos esse, imo expedit multos non esse, ut cautiores et magis addicti in operibus charitatis se servent. Et Episcopi diligentia erit semper eos ad id inflammare, ac etiam de eis bene mereri, saltem dando eis conciones quadragesimales, aut alias conciones, etiam mittendo eos ad aliquam Missionem, aut exercitia spiritualia facienda; hortando eos semper, ut stylo simplici et populari concionentur, si cupiunt fructum ex concionibus afferre.

58. Item, ut bene advertit Roncaglia cum Quarti et Pasqual., Episcopus sub gravi tenetur invigilare, ut sui sacerdotes Missam celebrent debita attentione et gravitate a tanto Sacrificio requisita sine verborum, et caeremoniarum conculcatione, ut impie cum communi scandalo saecularium a nonnullis, ne dicam plerisque, sacerdotibus factitatur, quae quidem conculcatio, cum est notabilis (ut necessario evenit), certe est peccatum mortale, ut dicetur loquendo de Sacrificio Missae *Tract.* 15. *cap.* 4. *n.* 84. ubi considerabitur ex proposito hoc punctum. Sed quod ad Episcopos attinet, declaratum est in Trident. *Sess.* 22. *Decr. de observ. in celebr. Miss.* eos teneri (et quia materia est gravis, certe gravis est obligatio) prohibere in suis dioecesibus quominus tali irreverentia Missae celebrentur: *Decernit s. Synodus* (sunt verba Concilii), *ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere .... sedulo curent, ac teneantur, quae .... irreverentia (quae ab impietate vix seiuncta esse potest) .... induxit.*

59. III. Maxima etiam esse debet cura Episcoporum in non negligenda visitatione oppidorum, quam Tridentinum districte praecipit Episcopis in *Sess.* 24. *c.* 3. *de ref.* ubi dicitur: *Episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium, aut visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem*

visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se, vel per visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant. Et subiungitur: *Studeant quam celerrime cum debita tamen diligentia visitationem persolvere.* O quot perturbationibus occurritur a Praelato, circumeundo, et propriis oculis res inspiciendo! Impossibile est tam bene dioecesim gubernare per alios, quam per proprium pastorem. S. Carolus Borromaeus licet bonis ministris provisus fuisset, non omittebat ipse personaliter adire, et gravi incommodo visitare etiam regiones remotiores suae dioecesis. Ipse ut aliquoties adiret aliquod oppidum cum visitatione, reptans per lutulenta et nivosa loca iter fecit, et percurratur eius vita, ut observetur quantum ille operatus sit, et quantum suis visitationibus profecerit. De s. Francisco Salesio narratur etiam, ut aliqua loca visitaret necesse sibi fuisse per semitas adeo difficiles et asperas progredi, ut plantas pedum decorticatas haberet, adeo ut per plures dies pedibus insistere nequiret. Aliquando contigit ei super foliis dormire, et se roganti, ne vitam suam periculo exponeret, Sanctus respondebat: *Me vivere non est necesse; sed est necesse, ut muneri meo satisfaciam.*

60. In istis autem visitationibus debet Episcopus efficere ut suae oves pastoris vocem audiant. O quam, plus quam aliorum, proprii pastoris vox movet! s. Carolus in visitatione solebat bis, aut ter inde concionari. Item debet examinare pueros, ut videat quomodo instructi sint; et ita potest consulere parochorum negligentiae, eos corripiendo, et etiam substituendo aliquem oeconomum ad docendos pueros doctrinam parochi impensis, saltem ad aliorum exemplum; item incumbat, praesertim in oppidis, in examinandos sacerdotes in caeremoniis Missae, et suspendat a celebratione sine ulla misericordia eos, qui uti debent, eas non callent. Potest etiam Episcopus ad examen revocare confessarios approbatos, et ex iusta causa etiam parochos; vide *Tract.* 16. *n.* 75. Inprimis debet scrutinium personale adhibere de omnibus sacerdotibus regionis, unumquemque secrete interrogando, primo de suis muneribus, ut ei insinuet quod oportebit, et deinde de aliorum defectibus, et praesertim parochi, et confessariorum, verbi gratia, quomodo suo muneri dant operam, cum quibus versantur, etc. Nonnulli Episcopi vigilantes apud se habent libellum memorialem, ubi qualitates bonas aut malas uniuscuiusque ecclesiastici adnotant. Haec monumenta possunt inservire sexcentis rebus bonis, et praecipue ut parochorum electionem, confessariorum, aliorumque ministrorum sibi certam faciant. Et postremo interroget de abusibus, scandalis et discordiis, quae in regionibus serpunt. In istis visitationibus curet ad fervorem erigere congregationes saecularium, ac eas de auxiliis opportunis providere assignando concionatorem ac confessarium, si istis carent. Et tunc potest etiam particulares congregationes sacerdotum Missionariorum superius adnotatas instituere. Expediret etiam ut in istis visitationibus Episcopus in confessionali sederet sin ut confessiones exciperet, saltem ut auscultaret aliquam personam, quae illum in secreto alloqui vellet. Denique non praetermittat in visitatione Confirmationis Sacramentum administrare. Et compertum est apud omnes, graviter peccare illum Episcopum, qui diutius differt huius Sacramenti administrationem, quia privat suas oves tanto bono. Quare dicunt Castropal. Salm. et Croix non excusari a mortali, si per 8. aut 10. annos saltem non circumit (et suis expensis si consuetudo aliud non ferret) regiones saltem principales dioecesis tale Sacramentum administraturus, modo hoc sibi non es-

set moraliter impossibile.

61. VI. Episcopo curae esse debent monasteria Monialium; quocirca 1. invigilare debet sedulo, ut puellarum profiteri cupientium voluntatem exploret, quandoquidem maior harum pars religionem ingrediuntur non Dei vocatione, sed parentum impulsione; et hinc fit postea, ut vitam ibi ducant inquietam, et introducant laxitates in communitatem cum damno communi. 2. Tempore visitationis, quae quolibet anno fieri debet in monasteriis sibi subiectis iuxta Clem. *Attendentes de statu Mon.* (circa autem visitationem monasteriorum exemptorum quoad clausuram vide *Tract.* 20 *de privilegiis n.* 80.) debet ille particulare scrutinium adhibere, secreto sigillatim Moniales audire, ut cognoscat si in monasterio adsit aliquod scandalum, aut morum dissolutio. Sit nihilominus cautus, ne partialis videatur alicui factionum, quae forsan vigent in monasterio. Audiat omnes, et postea de opportunis provisionibus prospiciat. 3. Non sit facilis ad extraneis veniam colloquendi cum Monialibus dandam. Suadeat sibi affectiones multoties non in principio contrahi sed temporis progressu, et diuturna consuetudine; et unica animorum cum exteris adhaesio potest esse scandalo, et ruinae toti monasterio. Et si monasterium extra suam residentiam esset, Episcopus admoneat vicarium, cui hoc curae est, ut nimis sit parcus et circumspectus in dandis huiusmodi licentiis. 4. Curet pariter pluries in anno in dandis confessariis extraordinariis, saltem ut remedium afferatur confessionibus nullis, aut sacrilegis, quas nonnullae Moniales apud ordinarios faciunt; nec credat hos casus esse valde raros; nec in hoc attendat Monialium postulationem, quia quae magis indigent sunt magis difficiles ad requirendum extraordinarium. Et cum eum assignet, unamquamque obliget ad illum adeundum, si non ad confitendum, saltem ad colloquendum, uti statuit Benedict. XIV. in sua Bulla, *Pastoralis curae*, qui explicando verba Tridentini *sess.* 25 *c.* 10. *Qui* (confessarius extraordinarius) *omnium confessiones audire debet*, sic ait: *Extraordinario confessario singulae se sistant, ad sacramentalem confessionem apud ipsum peragendam, sive ad salutaria monita accipienda.... ne aliae censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactae essent, aliae vero ab huiusmodi necessitatibus immunes iudicarentur.* Convenit etiam ut Episcopus sine praecisa necessitate non inducatur ad confirmandos ultra triennium confessarios ordinarios. Postremo curet ut singulis annis dentur exercitia spiritualia ab aliquo sacerdote exemplari, et perito communitatum disciplinae: dico hoc, quia secus potest accidere quod potius damnum, quam utile percipiatur.

62. V. Episcopus (ut supra dictum est) tenetur ad residentiam, sed strictius parocho, ille enim est illius gregis principalis pastor. Episcopo in eius ordinatione consignatur annulus, ut illum gerendo consideret non esse amplius sui iuris, sed Ecclesiae suae sponsae, ut perpetuo, dum vivit, ei assistat. Conceditur tamen a Concilio Episcopis posse abesse tres menses ex causa a dioecesi, sed notetur quod Benedict. XIV. 3. Dec. 1746 in Bulla *Ad universae*, declarans hanc causam (quae a Tridentino nominatur *aequa*) dicit eam non debere esse futilem, nec ob vanum solatium: *Animi levitas oblectationum cupiditas, aliaeque futiles causae excluduntur*, sunt verba Pontificis. s. Carolus cum extra suam dioecesim esse cogebatur, catenis (ut legitur in eius vita) obstrictus esse videbatur ob vehemens desiderium, in quo erat citius redeundi. Cardinalis Bellarminus, licet a Papa coactus Romae morari, et extra ecclesiam suam Capuanam,

sed ob bonum Ecclesiae universalis, sibi non videbatur ipse tutus in conscientia, ideoque se Episcopatu abdicavit.

63. VI. Episcopus tenetur ad corripiendum, et ad scandalis occurrendum strictius quam parochi, tum quia ipse est principalis pastor, tum quia maiore auctoritate sua potest malis consulere, invocando etiam, si opus est, auxilium principis secularis; uti fit a multis bonis Episcopis, et quidem voti sui fiunt compotes. Hoc est illud grave onus, quod Episcopi etiam sancti mirum in modum formidant. Episcopus Neriti Sanfelix fel. mem. dicebat: *Quomodo somnum capere possum, cum scio aliquam ex ovibus meis Dei gratia carere?* Verum est tale officium odio esse non paucis, et Episcopo, ut bene eo fungatur, conciliandae sunt sibi maledictiones, aversiones et etiam vitae pericula; *sed bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Dicebat idem Episcopus Sanfelix: *Episcopum in acceptando episcopatu praeparare se debere, aut ad esse inquisitum, aut venenatum, aut damnatum.* Ut recte occurratur scandalis, opus est ut Episcopus attendat assidue ad inquirendum, et non tantum a parochis, vel a vicariis foraneis, qui multoties ob humanos respectus, aut ne videantur negligentes, tacent; sed etiam perquirat ab aliis sacerdotibus zelantibus, quos ubique locorum dioecesis ad id destinatos habeat, ut ab ipsis certior fiat de omni quod sciunt. Et cum ad se adeunt parochi et vicarii, curet statim coram se admittendos, et cito expediendos, ut postea sint faciles ad redeundum, et ne excusationem afferant, se non posse tamdiu expectare.

64. VII. Episcopus tenetur ad largiendas eleemosynas. Ecclesia reditibus episcopatum non instruit ut suo libitu profundat Episcopus, sed ut pauperibus succurrat; patrimonium pauperum est mensa episcopalis. Sanctus Gregorius ait, eleemosynam esse primum opus misericordiae, quod pastor suo gregi praestare debet. O quot malis potest Episcopus eleemosynis prospicere! Quot sponsi vivunt in peccato, quia eis non suppetit modus matrimonium perficiendi! Quot pueri ob paupertatem dormiunt una cum parentibus, aut mares cum puellis in eodem lecto cum tanta animarum pernicie! Ideoque boni Episcopi curant perquirere a parochis de necessitatibus, quae adsunt, et eis imponunt ut se certiorem faciant, quoties aliquod occurrit. Scio equidem doctores (1) dicere, posse beneficiatum servare fructus superfluos suae sustentationi (intelligitur semper ac pauperes in gravi necessitate constituti non sunt) ut eos impendat in emendis reditibus pro Ecclesia, aut ut in posterum aliis maioribus necessitatibus provideat; scio etiam Episcopos sanctos non legare nummos, aut praedia empta, sed aes alienum. Dedecet Episcopum, dicebat s. Carolus, ut fama audiatur, quod ipse nummos in arca retineat. Et sanctus Thom. de Villanova dicebat quod si moriendo nummos reliquisset, se pro damnato habiturus esset.

65. Omitto denique sermonem facere de aliis Episcopi muneribus, v. g. de Missa quam ipse, etiam plus quam parochus, tenetur in festis pro suis ovibus applicare. De accessu quem ad se patentem assidue tenere debet subditis, etc. et praecipue parochis et vicariis foraneis, quos statim ad sui praesentiam admittere tenetur; nec non rationem exquirere a vicario capitulari de omnibus quae fecit, ut praecipit Trident. *Sess.* 24. *c.* 16. *de reform.* Sed omittere non possum, quin aliquid dicam de bono exemplo, quod ipse cunctis exhibere debet. Si pastor cupit, ut oves ad montem ascendant, opus est ut praeeat ipse. Episcopus est illa lucerna a Deo super candelabro posita, ut

(1) Lib 3. n. 491. Quaer. 4.

luceat omnibus, qui sunt in domo Domini. Igitur oportet, ut dixit s. Paulus Tito, Praelatum omnium virtutum, quas in suo grege videre cupit, se exemplum ostendere. Sit exemplo *mansuetudinis*; beneficia cum potest ingratis et inimicis, a quibus vexatur, rependendo. Perspicua exempla habemus, quae nobis reliquerunt s. Carolus, s. Franciscus Salesius, et nuperrime Emilius Cavaliere Episcopus Troiae, de quo erat proverbium: *Qui ab Episcopo Cavaliere vult beneficiis affici, oportet ut de ipso male mereatur.* Sit exemplo *paupertatis*; verum est quod Episcopus quin iustitiam laedat, potest impendere quantum suam decentem sustentationem decet, sed in cunctis deberet efficere ut sancta paupertas splendeat. Paupertas in habenda familia moderata: tot tantum sibi famulentur, quot suae mere necessitati satisfacere sufficient. Paupertas in vestitu, et in modesta ac simplici domus supellectili; Episcopus enim, qui palatium sumptuosa supellectili, qua laici oblectantur, ornatum habet, non utique aedificationem prae se fert populo. Sanctus Carolus e domo sua omnia aulaea tapetia, paramenta et curiosas imagines penitus dimovit. Paupertas in mensa frugali, et pro comperto habeatur, quod nihil aliud poterit magis Ecclesiastici apud vulgus existimationem conciliare, quam frugalitas in victu: *Vivere autem de altari, non lucrari concessum est.* Can. I. dist. 44. Et Trident. iubet, *quod modesta supellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint.* Sess. 25. *c.* 1. *de ref.* Ita pariter exemplo sit *orationis*: Cardinalis de Aretio consulto descendebat in ecclesiam oraturus ante ss. Sacramentum, ut alios exemplo suo moveret. *Mortificationis*: abstinendo a quibusdam solatiis Praelatum non decentibus. *Solitudinis*; ad saecularium consuetudines nisi ex necessitate non accedendo. *Modestiae*; mulierum commercia aufugiendo, et cum necesse sit, maxima cautela cum eis agendo. *Zelo*; operam dando, ut in omni privato sermone de Deo eloquia immisceat, uti s. Carolo moris erat, dum sibi cum quibuscumque agendum erat.

66. Dixi, loquendo de parochis a bonis parochis pendere subditorum salutem. Nunc dico a bonis Episcopis pendere salutem totius dioecesis; nam Episcopus promovet bonos clericos, bonos sacerdotes, eligit bonos confessarios, et bonos parochos: suo bono exemplo, et vigilantia multum confert, ut in probitate sua ilii perseverent, et ita universe in dioecesi pietas vigere videtur. Propterea in hac materia de pastorum debito fusius egi, quam in aliis, quia in hac agitur de bono, vel damno communi, quod omne in pastorum bono vel malo ductu positum est.

TRACTATUS VIII.

DE QUINTO PRAECEPTO DECALOGI

CAPUT I. DE OCCISIONE SUI IPSIUS

1. et 2. *Quando licet vitam periculo exponere.*
3. *De puerorum eviratione.*
4. *De ebrietate.*
5. *An liceat inebriari pro medicina.*
6. *An ut evitet occisionem.*
7. *An liceat inducere proximum ad se inebriandum, ut impediat eum a maiori malo.*
8. *Quae culpae imputantur ebrio, et de peccatis in causa.*

1. Nemini directe, et ex proposito sine auctoritate, aut inspiratione divina (qua nonnulli martyres mortem sibi ipsi sine culpa intulerunt) seipsum interficere permittitur. Ita pariter non licet positive gravi vitae periculo se exponere: quare peccant funambuli (qui super fune ex locis

altis ludos repraesentant) et alii, qui venena sorbent, aut a viperis se mordere faciunt cum mortis periculo (1). Dictum est *directe*, quia indirecte aliquando ex iusta causa licet exponi periculo, ut communiter docent Doctores (2). Hinc dicunt posse, immo debere militem perseverare in suo loco, licet praevideat mortem passurum, et hoc est commune. Dicunt 2. licere cibum amico cedere in penuria, aut tabulam in naufragio, etiamsi iam eam apprehendisset: ita Toletus Less. Silv. Lugo Salm. Prad. Busemb. Victoria, et alii communius, contra Soto et Laym. et est valde probabile; quia aliud est sibi mortem inferre, et aliud est omittere vitam tueri, quod est licitum ex iusta causa, et hoc expresse docet s. Thomas (3) dicens: *Tradere se ipsum morti propter amicum est perfectus actus virtutis, unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam corporalem* (4). Dicunt 3. licere in casu incendii se praecipitem dare ex fenestra semper ac apparet spes mortem imminentem evadendi; ita Laym. Less. Lug. Fill. Bus. Salm. Spor. et Elbel, qui hoc permittit etiam reo morti, aut carceri perpetuo damnato (5). Dicunt 4. Bonac. Lugo Less. Salm. Trullench., etc. licere navi ignem applicare etiam cum periculo vitae evidenti, ne cum damno communi in manus inimicorum veniat (6). Dicunt 5. Laym. Busemb. et Mazzotta, quod licet aliqua virgo non possit se ipsam occidere, possit tamen se exponere mortis periculo, ne violetur; et hoc non videtur improbabile tum ob amorem, qui castitati debetur, tum ob periculum peccati, quod semper adest in tali occasione (7).

2. Licet 6. reo non fugere, cum possit, et etiam se iudici praesentare, ut puniatur, quamvis morte mulctandus sit. Imo dicunt Vasquez, Bonac. et alii, quod posset reus etiam se occidere, si iudex eum carnificem sui ipsius constitueret; sed hoc communius negant Suarez cum s. Thoma, etc. dicendo occisionem sui ipsius esse intrinsece malam. Caeterum communiter permittitur reo scalam ascendere, collum securi aptare, cum tales actiones sint remotae ad mortem (8). 7. Licitum est, imo laudabile, Carthusianis a carnibus abstinere etiam cum periculo vitae, ut probabilius dicunt Sanchez, Busemb. Salm., etc. Sed si comederent in tali periculo (modo saltem probabili) non peccarent, ut dicunt Azor. Med. et Vict. Imo si nullum alium cibum haberent quam carnem, ea vesci tenentur (9). Dicunt 8. licere poenitentiis, et ieiuniis virtutis amore se mortificare; licet vita per multos annos imminuenda foret, modo poenitentiae non sint immoderatae (10). 9. Licet paulo ante mortem ob humilitatem se humi collocandum facere, ut moris est apud Monachos Trappenses, Busemb. cum Vasq. Insuper dicunt communiter Sotus, Bonac. Salm., etc. neminem teneri vitam servare (nisi necessaria esset bono communi) mediis extraordinariis et valde doloriferis, v. gr. tibiam sibi incidendam, lapidem e vesica extrahendum permittere. Ita etiam dicunt Less. Sanch. Escob. Turrian. Salm. Busemb., etc. non teneri virginem aegrotantem manus chirurgi in verendis subire, ut suae infirmitati occurratur: potest tamen id sinere. Tenetur autem permittere ut curetur ab alia foemina (11).

3. Contra vero, sicut non licet se occidere ita nec sibi membrum mutilare, nisi ad servandam vitam. An autem sit permissum pueros evirare ad servandam eis vocem; negant Laym. Lugo, Bus. Salmant. cum communiori: sed alii affirmant cum

(1) Lib. 3. n. 369. v. Notand. (2) L. 3. n. 367. (3) 3. Sent. dist. 29. q. 1. a. 4. ad 3. (4) L. 3. n. 366. (5) N. 367. (6) Ibid. quaer. 2. (7) Ibid. cit. quaer. 2. (8) Lib. 3. n. 369. (9) L. 3. n. 370. (10) N. 371. (11) N. 372.

Trullench. Salonio, Elbel, Mazzotta, Pasqual. et Tamburin., dummodo puer consentiat, et praeciso vitae periculo, tum quia, ut dicunt, vocis conservatio in iis, qui sunt pauperes, videtur esse bonum magni momenti, quod fortunam, et statum praestantiora offert; tum etiam quia eunuchi videntur esse utiles bono communi, cum illi suo cántu conferant, ut populi cum devotione in ecclesiis detineantur; tum denique quia id quotidie fit, et toleratur a Praelatis (1).

4. Ad hoc quintum praeceptum spectat ebrietatis prohibitio, quae est culpa gravis cum perfecta erit; imo omnia mala probabiliter praevisa ab ipso, quae committuntur, suae culpae imputantur: sed advertendum est ebrietatem, ut docent s. Thom., et s. Antoninus, tunc dici perfectam, et graviter culpabilem, cum quivis advertenter, et voluntarie omni usu rationis se vino privat, dum in hoc consistit malitia ebrietatis (iuxta s. Thomam) ut *homo volens*, et *sciens privet se usu rationis* (2). Ex quo infertur 1. non peccare graviter, qui eo non pervenit, ut careat ratione totaliter, sed remanet potens (licet caput vacillet) ad bonum, et malum discernendum; ita Caiet. Laym. Tolet. Wigandt, Holzm. Salm. Elbel et alii communiter (3). Infertur 2. cum s. Thoma, et aliis communiter, non peccare graviter qui bibendo non iudicat illa potione, licet immoderata, posse inebriari; dicit s. Doctor loco cit. non esse mortale ebrietatem, cum accidit *quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen aestimet potum esse inebriare potentem*. Nihilominus in hoc debet adverti cum eodem s. Thoma, et aliis, quod si quis frequenter expertus sit se inebriari eamdem quantitatem bibendo, tunc non excusatur a mortali: sicut etiam (addo) non excusatur, si tantam quantitatem sumit, quam advertit iam potentem esse ad inebriandum, etiamsi postea ad somnum capiendum se recipiat, quia iam actionem intrinsece malam ponit.

5. Quaeritur 1. An liceat se inebriare, cum hoc esset necessarium, ut ab aliquo morbo mortali se liberet? Multi id permittunt, ut Lessius, Castr. Laym. Toleto, Ronc. et Salm. cum Sylvio, Caiet. Silv., etc. dicentes comedere, et bibere tunc esse grave, cum haec sunt immoderata, sed immoderatum dici non posse id quod est necessarium ad vitam conservandam. Alii vero negant, ut Tourn. Petrocor. Felix Pot. et Holzm. dicentes voluntariam usus rationis privationem esse intrinsece malam. Nos autem sic dicimus: bibere vinum directe ad finem se inebriandi est intrinsece malum, et non potest permitti; ideoque esset illicitum inebriari ad sensus sopiendos, ne dolorem ob aliquam incisionem, aut carnis adustionem sentiat: non autem cum vinum sumeretur tamquam remedium ad expellendos, aut corrigendos humores melancholicos, sicut licet matri (ut dicemus *seqq. n.* 25. et 26.) medicinam sumere, ut occurrat morbo, licet per accidens foetus animati expulsio eveniat (4).

6. Quaeritur 2. An liceat alicui inebriari ad evitandam mortem, quam alii sibi minantur, nisi ebrietur? Multi affirmant, Less. Bonac. Castr. Laym. Bus., etc. dicentes quod in tali casu rationis privatio non intenditur, sed permittitur, ut dictum est in casu antecedenti. Sed probabilius negant Azor. Wigandt, Tourn. Holzm. Salm., etc. qui recte dicunt quod in casu antecedenti ideo licet ebrietatem permittere, in quantum periculum est intrinsecum, qualis est morbus, qui expelli desideratur; sed non licet, quando periculum est extrinsecum: sicut non est permissum matri foetum expellere, ne occidatur a parentibus, cum hoc sit intrinsece malum, prout habemus ex propositione 34. ex proscriptis ab Innoc. XI. Et ita docet sanctus Augustinus *serm.* 232. *de temp.* ubi loquendo de

(1) Lib. 3. n. 374. (2) 2. 2. q. 150. art. 2.

(3) Lib. 5. n. 75. (4) n. 76.

eo, qui ab aliis cogeretur ad inebriandum dicit: *Etiamsi tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua moreretur, quam per ebrietatem anima moreretur* (1).

7. Quaeritur 3. An liceat inducere proximum ad se inebriandum, ut impediatur quominus maius malum committat, v. g. sacrilegium, homicidium? Alii negant, sed non videtur improbabilis sententia Lessii, Medinae, Gob. et aliorum, qui permittunt ob id quod dictum est *Tract.* 4. *n.* 30. ubi dictum est cum Soto, Sanch. Cai. Mol. Nav. Cast. Bonac. licitum esse suadere alicui peccatum minus (licet alterius speciei) ut liberet eum a peccato maiore, quod committere est determinatus (2).

8. Quaeritur 4. An imputentur ebrio ad culpam omnia mala, quae in ebrietate committit? Resp. si ebrietas non est voluntaria, quippe nec etiam peccata erunt mala quae ex illa sequentur. Si vero est voluntaria, certe erunt peccata omnia mala praevisa, et etiam quae moraliter praevideri debuerant. Hinc praevisa reputantur mala, quae ebrii ordinarie committere solent, vel quae aliquis antea ex aliis ebrietatibus novit committere, et etiam omnia peccata ad quae se noverit propensum, cum enim in ebrietate, amisso rationis usu, natura necessario operetur, facile ipsa prorumpet in ea vitia ad quae propendet. Contra vero non reputantur praevisa alia mala, quae casu eveniunt: ita Cai. Azor. Less. et Salm. cum aliis (3). Recte autem advertunt Lessius, et Salm. (4) cum aliis, quod gravitas peccatorum, quae in ebrietate committuntur, accipi debet iuxta mensuram advertentiae, et voluntarietatis illorum in causa, scilicet in ebrietate. Quod autem sentiunt Salmanticenses cum Soto *n.* 30. *et* 31. ubi distinguunt et dicunt mala operis, ut occisio, fornicatio, etc. haec imputari, non autem mala oris, ut contumeliae, blasphemiae, et periuria: quia, ut dicunt, ea verba prolata ab usu rationis experte, sunt pure materialia, tamquam prolata a psittaco, unde non habent malitiam formalem. Huic opinioni accedo circa contumelias erga homines, quia revera cum illae prolatae sunt ab ebrio, non habentur dedecori, modo ille non patefaceret aliquod infame delictum; non vero circa periuria, et blasphemias, quia hae, licet materialiter prolatae, semper sunt Deo iniuriosae; et si illae non sunt voluntariae in actu, sunt voluntariae in causa.

(1) L. 5. n. 76. Qu. II. (2) n. 77. v. Qu. (3) Caiet. 2. 2. q. 150. a. 4. Azor. l. 7. c. 6. Less. l. 4. c. 3. n. 25. Salm. tr. 25. de V. praecept. cap. 2. ex n. 26.
(4) Less. loc. cit. et Salm. n. 33.

CAPUT II. DE OCCISIONE PROXIMI

9. Nemini licet hominem occidere, nisi auctoritate publica; vel ob defensionem propriam. *Auctoritate publica* possunt certe occidi rei condemnati, et etiam proscripti (vulgo *fuorgiudicati*), modo inveniantur in loco principis proscribentis. Caeterum ne satellitibus quidem licet sortem occidere profugum, aut obstantem, licet sit iam mortis damnatus, nisi de hoc habeatur speciale principis mandatum. Hoc mandatum caeteroquin potest dare princeps, quan-

do reus iam esset condemnatus, aut convictus, aut sufficienter diffamatus de aliquo capitali delicto, et si fugere permitteretur, timeri possent ab eo mala peiora, ut dicunt Layman, La-Croix, Elbel, et alii (1). Contra non potest princeps praecipere occisionem rei in carcere detenti, et non adhuc morti damnati, quamvis scientia privata constaret eum morte dignum esse; dummodo (limitant Salmant.) eius delictum non esset notorium, aut periculum esset seditionis, si moraretur eum supplicio necare, aut principi esset dedecori, si ille iuridice damnaretur (2).

10. Hic duo notanda sunt. *Primum* est, quod non possunt clerici, licet potestate laicali gaudeant, damnare aliquem morti, nisi expressam Papae dispensationem obtineant. Caeteroquin Episcopi qui dominio temporali dominantur in aliqua regione in causis sanguinis bene possunt suam potestatem laicis committere; ita Bonac. Trull. et Salm. cum s. Thoma (3). *Secundum* est, quod iudex sub gravi tenetur concedere damnato tempus confitendi, et etiam communicandi (modo non timeatur aliter grave damnum); nam tunc urget praeceptum divinum, cum revera reus sit in articulo mortis: itaque ille potest communicare etiam non ieiunus, ut dicunt Suarez, Lugo, Navarrus, Salmant., etc. Si autem reus animo obfirmatus nollet confiteri, facta ei monitione, potest executioni sententia mandari, Bonac. Trullench, Salm., etc. (4).

11. Insuper ob propriam defensionem licet iniustum aggressorem interficere, modo fiat cum moderamine inculpatae tutelae, nempe si non inferatur proximo damnum maius illo, quod necesse est ad vitandum proprium. Hoc omni lege humana, et divina permissum est, ut dicunt s. Thomas (5), Catechism. Roman. (6), et dd. omnes, et habetur expresse in *cap. Si vero*, 3. *de sentent. excom.* ubi dicitur: *Cum vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant.* Quidam auctor rigorismi amicus asserit, s. Augustinum, et s. Thomam tenuisse non licere hominem occidere, neque ob defensionem propriae vitae; sed prorsus errat, nam s. Thomas *loco citato* pluries expresse docet id esse licitum, dummodo (ait) non intendatur homicidium; sed tantum propria defensio; et sic *cit. art.* 7. *ad* 1. explicat intelligendum esse s. Augustinum. Nec obstat dicere quod praeferenda sit vita spiritualis proximi vitae temporali propriae; quia hic ordo charitatis (ut respondent Petrocor. Lessius, et alii dd. communiter) tunc locum habet, cum vita propria est absolute necessaria saluti spirituali proximi, qui in extrema necessitate manet (v. g. si puer manet in periculo proximo sine Baptismo moriendi, tunc adest obligatio vitam fundendi, ut ille baptizetur), non autem cum aggressor voluntarie seipsum coniicit in periculum damnationis; tunc enim eius prava voluntas non potest aliis auferre ius quod habent propriam vitam tuendi (7).

12. Sed quidam *neotericus*, *Eusebius Eraniste in sua defensione doctrinae s. Thomae* circa tyrannorum occisionem *Epist. I. pag.* 54. *num.* 111. occasione huius materiae progreditur ad discutiendum, an liceat viro privato iniustum aggressorem interficere, conaturque probare ex eodem s. Thoma illicitum esse privatis aggressores interficere etiam ad propriam vitam servandam. Oportet igitur Angelici sententiam perpendere. S. Doctor 2. 2. *q.* 64. *a.* 7. scribit, aliquem actum plures effectus habere posse, unum in intentione, alium praeter intentionem. Ex actu autem propriae defensionis duo possunt effectus sequi, conservatio

(1) Lib. 3. n. 376. et 380. v Decius. (2) n. 377. (3) n. 378. (4) n. 379.

(5) 2. 2. q. 64 a. 7. (6) P. 3. de V. praec. n. 8. (7) Lib. 3. n. 380.

propriae vitae, et occisio aggressoris: hinc autem s. Thomas dicit quod actus, qui fit ad vitam servandam, licitus quidem est; sed potest illicitus reddi, si improportionatus sit ad finem tuendae vitae, prout esset, si quis pro sua defensione maiorem vim adhiberet, quam opus esset. En Angelici verba: *Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur maiori violentia, quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundum iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae. Sed quia occidere hominem non licet, nisi publica auctoritate propter bonum commune, ut ex supradictis patet; illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem.* Ex his postremis verbis, *illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat*, infert praefatus Eusebius Eraniste, s. Thomam docere quod homo ita se continere debet intra limites iustae defensionis, ut nullam ipse nec minimam voluntatem habeat interficiendi aggressorem, quamvis ad propriam vitam servandam id oporteret. Unde concludit quod, ut tale homicidium sit inculpabile ex parte petiti, illud contingere deberet per merum accidens, ita ut invasor maneret occisus, quin ulla voluntas petiti in occisionem illam partem haberet. Et sic ait intelligendum esse illud s. Thomae, *Illicitum est quod homo intendat occidere hominem.* Fere eodem modo se explicat *Iuveninus*, dicens tunc defensorem esse a culpa immunem in tali homicidio, *cum id contingit ex ipso aggressore, qui irruit in defensoris* ensem; ita ut aggressor decedat non iam ex vulnere inflicto a defensore, sed ex vulnere illo quod ipsemet aggressor a seipso sibi infligit, petitum aggrediendo, sive ut alius auctor eiusdem opinionis exprimit: *Si ex seipso aggressor se transfigit ense defensoris.*

Sed hoc, dico, non esset quidem *vim vi repellere*, sed esset velle repellere vim sine vi. *Vim vi repellere* importat, quod petitus talem opponat vim, quae correspondeat, ac sit proportionata ad repellendam vim aggressoris. Idque satis innuit s. Thomas inquiens, tum illicitum esse actum defensionis, cum non est proportionatus ad finem: *Potest tamen actus illicitus reddi, si non sit proportionatus fini.* Deinde subdit: *Et ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur maiori violentia, quam oportet, erit illicitum.* Adverte verba, *si utatur maiori violentia, quam oportet;* tunc igitur petitus immoderate et culpabiliter se defenderet, si uteretur maiori violentia, quam opus esset. At, inquio, si aggressor ensem iam impugnat ad feriendum, quomodo posset dici licitum esse petito vim vi repellere, si ille aliud non posset agere, quam manus adhibere, vel ense uti tantum ad repellendos ictus aggressoris quin eum laedere posset? Haec defensio quippe est valde improportionata ad vim invasoris repellendam. Quis non dicet quod defensio haec coniuncta esset cum periculo moraliter certo subeundae mortis? Valde enim difficile est, imo moraliter impossibile, quod defensor, si fugere, aut abscondi non valeat, mortem hoc modo evadere possit. Adde quod s. Thomas, ut legitur sub initio citati articuli 7., referens legem Exodi absolute admittit licitum esse aggressorem interimere pro vitae propriae defensione; sic enim ait: *Sed contra est quod Exod.* 22. 2. *dicitur*: Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus

fuerit, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum. Ergo etiamsi aliquis occidit aliquem pro defensione vitae suae, non erit reus homicidii.* Notentur verba Exodi, et s. Thomae, *percussor*, *occidit*; ergo tam Scriptura, quam s. Doctor admittunt esse licitum *percutere et occidere* inimicum pro tutela vitae: at si petitus nullo modo laedat invasorem, et homicidium per merum accidens evenit, eo quod invasor ipsemet sibi mortem infert, se impellens in ensem defensoris, tunc nequit dici *occisor*, aut *percussor*. Sed s. Thomas inquit: *Ergo etiamsi aliquis occidit aliquem pro defensione vitae suae, non erit reus homicidii.* Ergo s. Thomas pro tuenda vita absolute permittit occidere aggressorem, adhuc eum vulnerando, occidere enim importat positive hominem ferire: ensem tantum agere ad ictus hostis repellendos, cum solo periculo quod ipse invasor se transfigat ense petiti, non est occidere, neque ferire, sed tantum permittere, vel occasionem praebere, quod inimicus ex seipso se feriat et occidat; at s Thomas dicit: *Si occidit, non est reus homicidii.*

Remanet autem explicare, quomodo intelligatur illud s. Thomae: *Illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat.* Caietanus illud *non intendat* sic interpretatur, nempe quod occisio non sumatur pro *medio* propriae defensionis, sed tantum pro defensionis *effectu*. Sed haec interpretatio nimis subtilis videtur Dominico Soto, unde ait *lib.* 5. *qu.* 1. *art.* 8. quod semper ac finis est licitus, licitum etiam est eligere medium necessarium ad talem finem obtinendum *Qui iuste* (ait) *vult finem, iuste velle potest et medium cum eodem fine necessario connexum.* Idcirco addit quod, cum defensor suum invasorem interficit, alio medio carens ad mortem evitandam, tum eum occidendo non censetur quod illius mortem intendat, sed tantum sui defensionem: *Caeterum, cum quis invaditur, quocumque modo occidat invasorem, quia nulla alia via potest illius manus evadere, non censetur intendere hominis occisionem, sed tantum sui defensionem.* Eodem quasi modo Sylvius s. Thomam explicat dicens: *Si aliud spectes, quam te defendere, malumque evadere, vindicta est, non mera defensio.* Huicque explicationi adhaerent du-Hamel, et p. Concina *loc. cit. n.* 8.

Sed instat Eusebius Eraniste dicens: s. Thomas docet, *illicitum esse quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem.* Ergo eis, qui publica auctoritate carent, semper illicitum est hominem necare. Attamen advertendum quod s. Thomas non dicit illicitum esse viro privato hominem occidere sed quod *intendat occidere*. Quapropter respondemus quod illi, qui publicam auctoritatem habent, non solum hominem occidere possunt, sed etiam illius occisionem intendere. Privatis autem nunquam licitum est intendere occisionem aggressoris, sed tantum eis permissum est aggressorem occidere in necessitate propriae vitae servandae, quo casu non mortem hostis, sed tantum suam defensionem intendunt. Caeterum angelicus Doctor Canonum venerator maxime fuit; Canones autem, ut vidimus, nimis aperte declarant licitum esse aggressorem interimere ad propriam mortem evitandam: explicandus igitur est s. Thomas, ne dicatur ipse sacris Canonibus adversari, et ideo auctores superius laudati quaerunt textum s. Doctoris explicare, et apte explicant, quomodo eius verba intelligi debent.

Nulli dubium quod potius velle mortem sufferre, quam occidere aggressorem, ne ille occisione pereat

in aeternum, est actus sublimis charitatis et perfectionis, estque conformis Evangelii consilio; modo (aiunt Sotus, Concina et alii) defensor non inveniatur, cum invaditur, gravatus mortali peccato: *Consilio*, sed non praecepto; opinio enim quod illicitum sit aggressorem necare etiam in necessitate evadendi mortem, non solum est contra sententiam communem (ut vidimus) theologorum; sed eam Salonius vocat etiam *temerariam*, et Dominicus Soto (*loco citato*) appellat *errorem* manifestum; atque p. Concina *n.* 7. ait rationabiliter sic loqui Sotum, quoniam talis opinio destruit ius ab ipsa natura in hominibus insitum propriam tuendi vitam: *Quippe opinio haec* (sunt verba Concinae) *quamquam proferre videatur charitatis evangelicae imaginem, tamen iura omnia pervertit; et certe ius illud ipsi naturae insitum conservandi propriam vitam omnino convellit*. Praeterea, addit Concina, quod per illam opinionem ordo providentiae pervertitur; en eius verba: *Providentiae item ordinem* (haec opinio) *perturbat, qua permittitur, ut iniquorum temeritas hominibus vitam eripiat. Accedit opinionem hanc ministrare arma perversorum malitiae ad bonorum caedem, adque flagitiorum quorumvis executionem: quae omnia ut de medio tollantur, nihili facienda est sceleratorum vita*. Idem prius scripsit Comitolus, *Lib.* 4. *q.* 10. *n.* 10. brevioribus verbis: *Opinio* (contraria) *arma certa ministrat iniustitiae, caedi bonorum, rerum publicarum eversioni, tyrannidi vitiorum*.

Obiicitur ab adversariis illud s. Augustini in *epistola* 47. *alias* 154. *n.* 5. *ad Publicolam*, ubi dicitur: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, accepta legitima potestate, si eius congruat personae... Dictum est:* Non resistamus malo, *ne nos vindicta delectet, quae alieno malo animum pascit*. At sapienter huic respondet Du-Hamel (*tom.* 5. *tr. de* 5. *praecept. lib.* 2. *diss. unic. c.* 2. *n.* 9. *v.* Resp. Aug.) dicens: *Augustinus non de eo loquitur, qui se defendere coactus hos necat, ubi non est alia ratio expediendae salutis, sed de homine qui hominem improbum occidit, ne ab illo ipse et alii occidantur*. Inquit, *ne ipse et alii occidantur*, ergo s. doctor non loquitur de iniusto aggressore, sed de homine impio, a quo occisor suam aliorumque mortem formidabat.

Praeterea obiiciunt, id esse contra ordinem charitatis, qua tenemur spiritualem vitam proximi praeferre nostrae temporali vitae, iuxta dicta *lib.* 2. *num.* 27. *Sed haec charitatis lex* (recte respondet p. Concina) *tunc solum obligat, cum nostra temporalis vita medium necessarium fuerit ad spiritualem proximi salutem. Porro qui me impetit, sua culpa id facit, atque adeo mea vita haud est necessaria illius saluti, cum ipse desistere possit ab iniqua aggressione*. Ita p. Concina, et ita expresse docet etiam s. Thomas 2. 2. *qu.* 25. *art.* 8. ac praesertim id sufficienter declaravit in citata *qu.* 64. *art.* 7. ubi dixit, prout iam notavimus: *Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius, plus tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae*.

Prudenter autem addit P. Concina, quod si petitus sit valde timoratae conscientiae, in eo sperari potest, quod talis defensio cum occisione aggressoris sit immunis a culpa; contra vero, si vir ille sit non magnae virtutis, difficulter innoxia erit; nam in praxi difficulter invasorem, a quo impetitur, sine spiritu vindictae interimet, intendens tantum propriae vitae defensionem, non autem mortem adversarii, idcirco s. Augustinus sapienter monebat: *Non resistamus malo, ne nos vindicta delectet*. Sed aliud est dicere quod in praxi viri

modicae virtutis, occidendo aggressores suos, raro a peccato immunes erunt, aliud dicere, numquam esse licitum iniustos invasores velle occidere, quamvis id esset necessarium ad propriam vitam tuendam, nam huiusmodi nimis rigida et irrationabilis opinio illaquearet conscientias, non solum iniquorum qui saltem speculative loquendo non peccant, putantes licite posse suos aggressores perimere ad propriam mortem vitandam, sed etiam plurium timoratorum, si credere tenentur non posse aggressores laedere; etiamsi iniuste illi aggrederentur, nec alia via pateret ad vitam servandam.

13. Hic autem videndum, an liceat unquam principem tyrannum interficere? Praemittendum quod duplici modo princeps potest esse tyrannus, in *titulo* et in *regimine*. Tyrannus in *titulo* est ille, qui sine ullo iure per vim occupat statum aliquem expoliando de eo legitimum dominum: aut is qui, iniuste occupato alieno statu, deinde pacifice illum possidet. Tyrannus vero in *regimine* est ille, qui iusto titulo regnum possidet, sed iniuste illud regit, plures iniustitias et immanitates exercendo. His expositis, aliqui auctores, sed pauci parvaeque auctoritatis, insipienter dixerunt, licitum esse interimere tam tyrannum in titulo, quam tyrannum in regimine. Alii vero negant occidi posse tyrannum in regimine, quantumcumque regnum tyrannice gubernet; ac etiam tyrannum in titulo, cum ille, etsi iniuste regnum occupasset, postea tamen illud pacifice possidet. Contra autem dicunt licitum esse interficere principem, qui iniuste per vim regnum occupavit, et per vim prosequitur illud possidere, repugnantibus regnicolis, qui tantum timore affecti aegre ei subduntur. Sed nos dicimus privatis hominibus semper esse illicitum interficere tyrannum tam primae, quam secundae speciei. Ratio, quia subditi ex divino praecepto venerari et obedire tenentur suis dominantibus, quamvis iniustis et perversis, prout docet s. Petrus: *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*. 1. *Petr*. 2. 18. Unde d. Aug. scripsit, Dominum dare *regnum terrenum piis, et impiis, sicut ei placet*. Semper igitur ac princeps est in possessione regni, obligantur subditi tenere eum tamquam proprium dominum; ait enim s. Thomas, quod, licet aliquis iniuste usurpatus fuisset alterius statum, si postea subditi ipsum ut dominum recognoscerent, aut antiquus dominus vel alius princeps amborum superior ei dominium regni ultro concederet, tunc legitimus dominus illius evaderet: *Qui per violentiam dominium subripit, non efficitur dominus; et item, cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere; nisi postmodum dominus verus effectus sit vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris*. S. Thom. 2. *sent. dist*. 44. *q*. 2. *art*. 2. Quamobrem cum usurpator multipliciter possit iustus regni dominus fieri, ideo subditi semper parere debent suis actualibus dominantibus, ad ipsos enim minime pertinet iudicare, an illi legitime aut illegitime statum possideant.

Et subditi huiusmodi dominantibus obedientiam negare nequeunt, tanto minus eos vita et possessione regni privare possunt. Subditorum est obedire, non iudicare de principe, qui Deo solummodo subiacet circa res sui dominii, nec ab alia terrena potestate dependet. Si subditi de titulo, aut possessione principis iudicium ferre possent, numquam deesset eis, qui pravo animo affecti sunt, praetextum invenire ad se concitandos adversus principem. Scripsit Azorius: *Haec sententia de licita occisione tyranni in titulo, quamvis tot auctorum testimonio comprobetur, mihi tamen dubia est. Quamvis enim evidentia patrati sceleris probationem non postulat, requirit tamen sententiam. Insu-*

per quamvis huiusmodi tyrannus ius et titulum non habeat in regno, facto tamen habet possessionem a qua deiici non potest, nisi prius audiatur et iudicetur. Optimae sunt rationes, quas hic auctor profert ad opinionem reprobandam, quod tyrannum in titulo tollere e vita liceat; nemo enim, nec princeps, nec privatus potest vita rebusque suis expoliari quin prius audiatur, aut saltem a suo legitimo iudice damnetur. Subditi autem nunquam ius habere queunt ferendi iudicium in ipsorum actualem dominum. Sed minus recte fassus est dicendo: *Haec sententia dubia mihi est*; dicere debebat, improbabilis, falsa, falsissima mihi est, iuxta id, quod prius scripserat p. Alphonsus Salmeronus *tom.* 13. *p.* 14. *in epist. apost. diss.* 5. ubi sic dixit: *Cum mandatum sit nobis indistincte obedire principibus etiam dyscolis, iis parendum est; in his tamen quae non sunt contra Dominum. Atque insuper, quod etiamsi princeps iniuste regnum usurpatus fuisset, eum ut dominum existimare debemus ob eamdem quippe rationem, quia ad privatos minime pertinet de iuribus principis iudicare; cum non sit ergo privati iudicare de principibus, etsi illi regnum non iuste occupaverint, et regnent ex parte sua, iuste tamen sub eius tyrannide plectitur populus.*

Sed alia adest ratio magis urgens et ampla, propter quam numquam licet principem vita privare, tametsi iniuste regnum occupasset, et iniuste possideret. Obiiciunt auctores contrarii: Sed qui regnum alienum sine aliquo titulo occupat, et sine ratione aliqua possidet, non est illius neque dominus, neque princeps, sed fur et usurpator. Sit utique (respondeo) fur, usurpator, et non princeps, nec dominus, postulo: estne ille homo ut alii? et si est homo, nequit ipse privari vita, aut bonis ab iis qui ius non habent eum vita aut bonis exspoliare. Communis est ss. Patrum doctrina, quod nulli privatae personae licet unquam occidere hominem, quamvis privatum, et quantumcumque iniquus ille sit, nisi publicam habeat auctoritatem, aut nisi id necessarium sit ad propriam vitam tuendam, ut diximus in praeterita quaestione; sed loquendo de publica auctoritate, certum est axioma illud a s. Augustino traditum: *Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur. Lib.* 1. *de civ. Dei, cap.* 26. *in med.* S. Thomas autem de hoc rationem reddit dicens: *Occidere malefactorem licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis.* 2. 2. *q.* 64. *a.* 3. Deinde subdit quod occidere malefactores solis permittitur principibus, qui publicam auctoritatem habent, quibusque cura communis boni commissa est: *Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem, et ideo eis solum licet malefactores occidere et non privatis personis.*

Si ergo illicitum est subditis interficere tyrannum in titulo, quamvis ipse absque ullo iure regnum occupasset, licetque illud iniuste possideret: tanto magis erit illicitum mortem machinari principi existimato tyranno in *regimine*, qui iusto titulo possidet regnum. Item si privatis, eo quod publica auctoritate carent, vetitum est perimere hominem quantumcumque impium, quanto minus proprium principem interficere licebit? Falsum autem omnino est, in communitate subditorum quamdam adesse auctoritatem superiorem, et a principe independentem, ita ut casu quo princeps perverse regnum gubernet, tota communitas eum regno et vita expoliare possit. Nimis perniciosum in hac re fuit principium Ioannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione iudicari, si regnum iniuste regat; dicebat enim quod, cum natio sit totum regni respectu ad principem, qui est tantum pars, apud ipsam necessario debet suprema au-

ctoritas existere. Principium (inquio) non tantum falsum, sed perniciosissimum; nam hoc modo duae in regno essent supremae potestates, unde enormissima evenirent schismata, regnique desolatio. S. Thomas aliam non recognoscit auctoritatem supremam, nisi illam, quam habent principes, quibus cura communis boni tribuitur: *Cura communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem. Quapropter etsi princeps perversus, ac populus gravatus esset, tenetur tamen populus obsequium obedientiamque illi praestare, cum subditi nunquam ius habere possint de rebus gestis principis iudicare, et tanto minus eum damnare ad vitam, aut regnum amittendum.*

Praeterea perpendi debet, quod si huiusmodi casus accideret, quod princeps a suis subditis trucidaretur causa mali regiminis, quodnam malum esset maius, illud nempe quod princeps patrabat, aut illud quod eius mors inferret, quae tali modo eveniret? Postquam subditi sic temere contra eorum principem concitati fuissent, atque impie manus suas in eius sanguine inquinassent, quot rixae, schismata et civilia bella statim insurgere inter eos ipsos inspicerentur? insuper quot rapinae, quot sacrilegia, quotque strages? sublato enim a populo subiectionis fraeno et reverentiae erga regem, omnes illi, qui pravo animo sunt affecti, quibusnam flagitiis seipsos non traderent, abscisso iam timore publicae iustitiae? idque dicere voluit s. Thomas (*Opusc.* 20. *de regim. princ. l.* 1. *c.* 6.) ubi scripsit: *Esse hoc multitudini periculosum et eius rectoribus, si privata praesumptione aliqui attentarent praesidentium necem etiam tyrannorum.*

Hinc est, quod licet imperatores gentiles impii, et Ecclesiae persecutores fuissent, attamen quia ipsi imperium possidebant, Deus praecepit, ut in omnibus rebus licitis obedientia ipsis praestaretur. Unde scripsit Lessius (*de iust. et iure l.* 2. *c.* 9. *dub.* 4. *n.* 11.): *Princeps etsi tyrannice regat, tamen manet superior, unde Scriptura iubet, nos in rebus licitis parere principibus ethnicis tanquam superioribus, etsi maximi essent tyranni, utpote qui Ecclesiam persequerentur et ad impietatem cogerent; ergo non potest a subdito interfici.* Idem scripsit Molina (*de iust. etc. tom.* 4. *tr.* 3. *D.* 6.): *Aliquis est tyrannus, qui licet sit vere dominus reipublicae, in qua tyrannidem exercet, inique tamen eam administrat: tyrannum hoc modo nefas est privatis interficere.* Idem scripsit Gregorius Valentia (*tom.* 3. *disp.* V. *q.* 8. *p.* 3.): *Tyrannum perpravum, et communitati exitiosum, legitimae alioquin auctoritatis usum in gubernando, nulli particulari licet occidere.* Idem scripsit cardinalis Toletus (*Instruct. l.* 5. c. 6. *n.* 16.): *Tyrannum administratione, qui habet quidem verum titulum, sed tyrannice tractat subditos, non licet occidere; et asserere contrarium damnatur ut haereticum in Concilio Constantiensi.* Idem scripserunt Caietanus 2. 2. *qu.* 64. *art.* 3. Soto *l.* 5. *qu.* 1. *art.* 3. Prado *cap.* 20. *qu.* 1. §. 3. *n.* 21. Tapia *lib.* 5. *q.* 7. *art.* 3. *num.* 2. Bonac. *D.* 2. *q. ult. sect.* 2. *p.* 3. *n.* 2. cum Silvestro, Bannez et Serra *in loco cit. d. Thomae.* Idem scripsit Suarez *in defens. Fidei l.* 6. *c.* 4. dixitque hanc sententiam non solum communem, sed certam esse: *Diximus principem propter tyrannicum regnum, vel propter quaevis crimina non posse ab aliquo privata auctoritate iuste interfici. Assertio est communis et certa: conformis est praeceptis Petri (Epist.* 1. *cap.* 2. 18.): Subditi estote omni creaturae propter Deum etc. *Magis vero in specie definita est et contraria ut haeretica damnata in Concilio Constantiensi, sess.* 15. En propositio quae tanquam haeretica in praefato Concilio proscripta fuit: *Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque*

vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias et subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque praestito iuramento seu confoederatione facta cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscumque. At quale remedium adest, si regimen principis esset excessive tyrannicum? remedium quod suppetit, ait s. Thomas, est ad Deum recurrere, ut auxilium praebeat. *Quod si omnino contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum ad regem omnium Deum, qui est adiutor in opportunitatibus.*

Praeterea scribit doctissimus dom. Soto (*l.* 5. *qu.* 1. *art.* 8.): *Si is qui adoritur sit rex, princeps, vel alia persona valde utilis reipublicae, et persona quae invaditur sit abiecta et vilis, cuius nihil intersit reipublicae, tunc subeunda est mors personae invasae, omittendaque defensio*; intellige cum nece principis. Haec sententia non placet p. Danieli Concinae, dicenti unumquemque de iure naturae et charitatis magis amare propriam quam alienam vitam. Sed hoc non obstante sententia Soti placet mihi, et probabilissima videtur; ratio est, quia quisque privatus commune bonum omni suo bono temporali praeferre tenetur, omneque temporale pati detrimentum ad damnum gravissimum communitatis vitandum, atque hoc gravissimum damnum profecto communitas sufferret, ut supra consideravimus, si princeps a propriis subditis interficeretur. Licitum quidem est necare iniustum aggressorem privatum cum moderamine inculpatae tutelae, si nullum patet effugium evadendi mortem. Sed quod procedit respectu vitae privatorum, locum non habet respectu vitae regnantium. Valde enim diversa ratio habenda est inter privatorum et principum vitas, reges sunt *uncti Domini*, ideoque ipsorum personae sacrae eorumque vitae pretiosae ac nimis necessariae sunt ad pacem populorum bonumque publicum servandum. Si occiditur iniustus aggressor, damnum ipsi soli evenit, non autem reipublicae, imo eius mors bono communi proderit, ut insolentia temerariorum reprimatur; at si princeps per manus suorum subditorum vita privetur, malum (ut supra perpendimus) commune evadit et immensum, propter innumera flagitia, deordinationes et schismata quae propterea deinde sequentur.

14. Et hac ratione dicunt etiam Navar. Azor. Molin. Less. Vasq. Layman, Lugo, Ronc. Tapia, Carden. Filliuc. et alii plurimi cum s. Antonino et Silvestro (1) contra paucos, licere nobili laico occidere, non in vindictam, sed tantum ad defendendum se ab eo qui graviter offendere vellet eum in honore, et non iam solis verbis (quia verbis potest verbis occurrere, v. g. respondendo illum mentiri etc.), sed etiam factis, v. g. calcibus, colaphis aut similibus iniuriis gravibus; quibus tamen semel illatis non potest amplius compensari, repercutiendo, quod quidem non licet, uti habetur ex propos. 30. ex damnatis ab Innocentio XI. quia tunc non esset defensio sed vindicta. Quare post illatam iniuriam non est amplius licitum ferire percutientem, nisi ad impediendas novas percussiones, quae praeter contumeliam graviter corpus laederent, et nullus alius occurreret modus, quo ab illis se defendat. Dicunt vero *nobili laico*, quia non licet hoc plebeis, nec clericis, aut religiosis, cum illos fuga non dedeceat: ideoque tenentur fugere, semper ac sine vitae periculo possunt (2). Caeterum etiam respectu secularium haec sententia quoad praxim parum aut nihil deserviet, quia in praxi, ut sapienter censet Sylvius, impossibilis aut valde rarus erit casus, quo ea licebit uti. *Etiamsi* (ait Sylvius) *honor sit bonum praestantius quam divitiae, aut nullum, aut rarissimum*

(1) S. Antonin. 3. p. t. 4. c. 3. Silvest. v. Bellum. n. 4

(2) Lib. 3. n. 381.

arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris licet aggressorem interficere (1).

15. Eadem ratione communiter affirmant s. Anton. Suar. Soto, Caiet. Less. Bonac. Lugo, Ronc. Salm. et alii, licere etiam occidere furem rei magni momenti, semper ac admonitus fur ne rapiat vel ut relinquat illam nisi occidi vellet, ille obstinate recusaret. Huius sententiae certe est s. Thom. (2) qui, ut probaret licere vitam cum occisione aggressoris tueri, affert textum *Exod.* 22. 2.: *Si effringens fur domum, seu suffodiens inventus fuerit, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Et postea subiungit Sanctus: *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum.* Et probatur etiam ex *cap. Dilecto, de sent. excomm. in* 6. ubi declaratur licere defendere bona gladio tam temporali, quam spirituali (3). Dictum est tamen *rei magni momenti*, quia non sufficit valor non solum unius aurei (nempe ducati), ut dicebat prop. 31. ex damnatis ab Innoc. XI. sed nec etiam octo aut decem aureorum. Dicunt Molina, Vasq. et Salm. esse eam magnam summam, cuius amissio est ei notabili damno. Cardenas dicit summam 40. ducatorum esse magnam respectu uniuscuiusque. Sed Viva et Elbel putant illam esse magnam summam hoc casu, qua sola ablata, deesset alicui sustentatio pro se et suis. Nec opinioni nonnullorum dd. assentio, posse nobilem se defendere armis a fure, qui sibi vellet vi auferre aliquid etiam minimum ob respectum iniuriae, quia haec in tali occasione non videtur adeo gravis, ut possit dari fur morti, ut bene dicunt Diana et Salm. (4). Contra, iuxta sententiam probabiliorem Less. Lug. Vasq. Busemb. Tanner. Malder. (contra Salm. Bonac. etc.) licite potest dominus occidere furem, qui vult impedire eum, quominus rem ablatam reaccipiat (sed valoris supra iam descripti), cum alius modus eam recuperandi non occurrit; nam tunc fur est vere aggressor (5), et hoc quod permittitur laicis ad suorum bonorum defensionem, licere etiam clericis et religiosis, dicunt communissime Lugo, Becan. Lessius, Tanner. Salm. Elb. Busemb. etc. et probatur ex citato textu *cap. Dilecto* (6). Nec isti tunc incurrunt irregularitatem (7). Et illam defensionem, qua potest dominus se tueri per seipsum, potest etiam adhibere per suos servos; Nav. Lugo, Laym. Sporer, Salm. Elbel, etc. (8).

16. Si autem licet occidere bonorum aggressorem, tanto magis licet se defendere a pudicitiae aggressore, cum nullum aliud medium subest, ut dicunt dd. communiter. Et quamvis, postquam patratum est, non liceat aggressoris ulcisci; nihilominus recte advertit Lugo, licere (et ego addo etiam expedire) ut mulier oppressa (dummodo hoc faciat immediate post iniuriam acceptam, non tamen ob vindictam) procuret insultare eum, qui iniuriam sibi intulit, pugnis, alapis (et etiam, ut dicunt alii, aliquo vulnere, non tamen gravi nec periculoso), ut cognoscatur quae sit sua constantia et molestia concepta, et ita ille iterum non audebit eam vexare (9).

17. Quemadmodum licet vitam propriam defendere, sic etiam vitam proximi innocentis etiam morte iniusti aggressoris, ut docet s. Thomas (10) et alii communiter. Nec obstat dicere quod proximus potest cedere defensioni vitae suae; quia licet possit ille cedere iuri se defendendi, non potest tamen cedere vitae suae, cuius dominus non est. Magistratus et etiam satellites ad id stipendio conducti ex iustitia tenentur innocentium vitam defendere, et etiam cum pe-

(1) Sylvius in 2. 2. q. 64. d. 7. q. 9
(2) 2. 2. q. 64. a. 7. (3) Lib 3. n. 383.
(4) Ibid. Quaer. 2. (5) Ib. Quaer. 3.
(6) n. 384. (7) L. 7. n. 389
(8) L. 3. n. 385. (9) L. 3. n. 386.
(10) 2. 2. q. 60. a. 6. ad 2.

riculo vitae propriae, cum agitur de bono communi, ut esset publicos latrones interficere; ita Less. et Salm. Dicunt autem Salm. cum Navar. Bonac. etc. etiam privatos teneri innocentis aggressorem occidere, si possunt, sine gravi incommodo: sed probabilius id negant Lessius et Lugo, quia in praxi hominem occidere non potest esse sine magno horrore, quale est manus sanguine humano foedare. Excipiunt tamen dd. si aggressus esset necessarius bono publico, aut esset suus pater, filius, aut frater (1).

18. Ita etiam dicunt communissime Lessius, Filliuc. Bonac. Lugo, Salm. Trull. etc. licere occidere aggressorem pudicitiae aut honoris proximi, si ille factis velit eum offendere, ut dictum est *n.14*. Sed quoad pudicitiam hoc non intelligitur, quando mulier expresse aut tacite assentitur; excepto tamen, si illa esset tibi coniuncta, et tu non posses tuo dedecori consulere, nisi aggressorem vulnerando (2). Ita etiam dicunt s. Antoninus, Less. Navar. Bonac. Lugo, Molina et Salm. licere innocentis bona magni valoris tueri morte aggressoris, cum aliud medium non extat; nam in omnibus istis casibus ratio in principio adducta semper valet, nempe quod ordo charitatis in praeferenda vita proximi bonis temporalibus locum habet quando proximus in extrema necessitate positus est, non autem quando ille voluntarie subiicere vult se periculo suae mortis (3). Advertantur hic propositiones damnatae 18. ab Alexandro VII. et 30. 31. 32. et 33. ab Innoc. XI.

19. Quaestio 1. est, an liceat aliquando aggressorem vitae occidendo praevenire? Duplex est sententia, sed istae Soto, Azor. Covarr. Ronc. Busemb. Salm. etc. conciliantur, dum dicunt. quod si quis moraliter sit certus inimicum determinatum esse ad se occidendum, v. g. pro certo habet iam ad hoc arma parasse, aut commisisse sicario sui occisionem, tunc bene potest praevenire, si alio modo insidias et mortis periculum aufugere nequit; secus autem si de hoc tantum aliqua suspicio aut dubium sibi subortum esset; dum iustum non est inimicum vita orbare ob simplicem dubium timorem (4). Ceterum quod ad praxim spectat, difficillimus erit casus, et fere moraliter impossibilis, quo licitum esse possit aggressorem praevenire, difficillime enim ille, qui aggressionem timet, poterit habere certitudinem futurae aggressionis, nisi praeveniat necando aggressorem.

20. Quaestio 2. an liceat adultero, ut defendat vitam suam, occidere virum qui in se invadit? Adulter tenetur certe fugere, si potest, nam in tali casu etiam nobili non est dedecus fugere; saltem non est dedecus grave. Sed si sine vitae periculo fugere non posset, alii dd. reum homicidii, si occidit, faciunt; alii non. Nos distinguimus cum Suarez, Layman, Castrop. Coninch. Salm. Ronc. Sporer etc. ita: Si ille praevidit proximum periculum aggressionis viri, et audenter velit suam pravam intentionem exequi, tunc non potest ab homicidio et irregularitate excusari, quia tunc adulterium est proximum periculum homicidii, ut dicemus de censuris *Tractatu* 19. *n.* 8.; secus autem si periculum esset remotum, ut si adulter cum cautela procederet (5).

21. Quaestio 3. an aliquando liceat innocentem occidere? Directe nunquam licet; sed in certis casibus licet indirecte: 1. Si tyrannus minatur civitatis excidium, nisi innocens occidatur, non licet iam eum occidere, sed permissum est eum tyranno tradere, si ipse se praesentare renuit, ut probabilius dicunt Molina Less. Layman Lugo Filliuc. Busemb. contra Sotum etc. quia tunc ille ut evitet commune damnum, tenetur se praesentare; qua de re, cum id recusat, fit reus, et tanquam reum pot-

(1) L. 3. n. 390. (2) n. 391 (3) n. 392.

(4) L. 3. n. 387. (5) n. 398.

est respublica eum tradere (1). 2. Si quis equo sedens fugiendo nequit mortem evadere ab inimico persequente, nisi morte pueri qui in angusto calle reperitur, potest ille quidem occidere, modo puer sit baptizatus; Sanch. Less. Lugo Fill. Salm. Prado et alii communiter (2). 3. Licet in bello tormenta bellica versus inimicorum stationes dirigere, licet innocentes mortem passuri essent; Less. Busemb. etc. (3).

22. Quaestio 4. an liceat esse causam abortus? Abortum ex proposito procurare, certe est semper illicitum, licet foetus esset inanimatus; quia si nullius vitae nocetur, saltem nocetur naturae generationis. Et hic advertendum est Sixtum V. in Bulla *Effraenatam* praeter poenas privationis privilegiorum clericalium et beneficiorum et inhabilitatis ad ea recipienda, imposuisse excommunicationem papalem *ipso facto*, et irregularitatem omnibus iis scienter abortum foetus (animati vel inanimati) procurantibus cooperatione, consilio, aut favore. Sed postea Gregorius XIV. Bulla *Sedes apostolica* 1591. restrinxit praefatam excommunicationem et irregularitatem dumtaxat ad abortum foetus animati (4), et facultatem dedit Episcopis et aliis ab ipsis ad id deputatis specialiter, absolvendi ab hac excommunicatione; id tamen non excludit quin ab ea possint absolvere etiam alii, quibus Episcopus generalem facultatem concedit absolvendi ab omnibus casibus a Papa sibi reservatis, ut dicunt valde probabiliter Bonacina Elbel Sporer (5). An ab ea possint absolvere regulares, vide *Tractat.* 20. *num.* 100. Sed hic notandum 1. quod cum in Bulla Sixti V. dicatur *scienter*, non incurrunt excommunicationem et irregularitatem illi qui ex ignorantia crassa sunt causa abortus, ut communiter dd. (6); vide de censuris. Notandum 2. varias esse opiniones circa tempus quo foetus indicandus sit animatus (7), sed communissima vult fieri animationem post dies 40. a conceptione, si proles est mas, post 80. si est foemina; ita Silv. Azor. Elbel Busemb. et Salm. cum s. Thoma (8) (qui extendit usque ad 90. dies pro foeminis); et hanc sententiam, ait Continuator Tournely (9) esse fere omnium theologorum, et addit cum Navarro et Silvio hanc teneri a sacra Poenitentiaria cum agitur de poenis et irregularitatibus.

23. Sed hic dubitatur 1. an incurrant excommunicationem mulieres praegnantes, quae sibi abortum procurant? Multi affirmant cum Bonac. Viva Spor. etc. ex eo quod in Bulla Sixti V. (§. 5.) dicitur: *ac mulieres ipsas quae pocula scienter sumpserint.* Sed est valde probabilis et ratione intrinseca probabilior sententia negans cum de Lugo Avila Lezana de Leone Salmant. etc. quia praedicta verba Bullae intelliguntur tantum de poenis temporalibus non vero spiritualibus; et hoc deducitur ex verbis sequentibus (§. 7.) ubi dicitur: *Insuper ut huius delicti gravitati non solum temporalibus, sed etiam spiritualibus poenis prospiciamus, omnes qui, vel quae, uti principales, vel ut socii, ad tale facinus, opem, consilium, favorem dederint etc.* Et istis solum cooperatoribus videtur imposita fuisse excommunicatio, non autem praegnantibus, dum illae hic non exprimuntur, sicut antecedenter in aliis poenis expressae sunt. Nec excommunicatio hic imponitur omnibus abortum procurantibus, sed dumtaxat principalibus sive sociis praebentibus auxilium, consilium aut favorem: quod intelligi non potest de muliere, de qua dici non potest quod ipsa sibimet praebeat auxilium aut consilium etc. (10).

24. Fit dubium 2. an incurrat irregularitatem qui abortum procura-

(1) L. 3. n. 393. (2) Ibid. (3) ib. ad 4. (4) n. 395. (5) n. 397. (6) n. 395. (7) n. 394. Qu. III. (8) in 3. d. 3. q. 5. a. 2. (9) tr. de dec. c. 2. de 5. praec. art. 3. d. 1. (10) L. 3. n. 395. Quaer. 5.

vit in dubio, fuerit nec ne animatus? Affirmant Salm. Viva, ex *cap. Ad audientiam, de homic.* et aliis textibus similibus ubi dicitur: in dubio an in homicidium concurrerit vel ne, habendus esse pro irregulari. Sed sententia huic adversa, quam tenent Praepos. Giball. Maia Pelliz. Marchant. Verde Tambur. Elbel Diana Sporer, et alii cum docto *auctore Instruct. pro confessariis nov.* mihi videtur certa. Et ratio videtur esse convincens, quia ex una parte habemus in *cap. Is qui, de sent. excom.* irregularitatem non incurri, nisi in lege expressa sit. Ex altera, in nostro casu nullibi expressum est quod haec irregularitas incurratur; nam quamvis in allegatis textibus irregulares declarati fuerunt aliqui de quibus dubitabatur an fuerint vel ne causa homicidii, tamen certum erat quod homicidium patratum fuerat; sed in nostro casu, cum sit dubia foetus animatio, dubium est etiam homicidium. Itaque nos sumus in casu, cui non reperitur expresse ab aliqua lege imposita irregularitas. Secus contra est dicendum de iis, de quibus dubitatur an sua opera concurrerint nec ne in abortum (1). Si autem dubitaretur de concursu tantum verbali, mandato aut consilio patrato, observa quod dicetur de irregularitate *Tract.* 19. *n.* 7.; et quod hic dicitur de irregularitate, erit dicendum de excommunicatione; sed quoad irregularitatem, dispensatio a nemine nisi a Papa obtinenda est. An autem Episcopus possit dispensare cum iis qui abortum procurarunt, circa inhabilitatem ad obtinenda beneficia; affirmant Elbel Sporer et Roncagl. contra Anaclet. (2). Vide quod dictum est *Tract.* 2. *n.* 58.

25. Dubitatur 3. (redeundo ad quaesitum propositae quaestionis IV.) an liceat matri medicinam sumere directe ad expellendum foetum inanimem? In hoc ex una parte certum est ex se loquendo, non licere (ut principio dictum est) directe foetus etiam inanimis expulsionem procurare (modo iam non esset certe corruptus) quacunque ex causa, quamvis mater caeteroquin esset in mortis periculo, aut propter parentes ex sua praegnatione iniuria affectos, ut irrationabiliter permittebat propositio 34. damnata ab Innoc. XI. aut propter periculum quod mater in aliis partubus experta sit, ut dicunt cum communi sententia Sanch. Azor. et Petrocoren. Ex alia parte certum est apud omnes licere remedium praestare matri, directe ad medendum eius morbo, licet cum periculo abortus, cum morbus est mortalis. Hoc posito, multi dd. dicunt in eo casu licere foetum expellere, qui certe non sit animatus, etiam directe, quia tunc (ut dicunt) habetur foetus tanquam vitae matris aggressor. Alii dd. contra communius hoc negant. Sed recte hic ait Busemb.: Quid refert opinione opposita uti de directa expulsione, cum iuxta omnes potest sine culpa foetus indirecte expelli (3)?

26. Dubitatur 4. an liceat matri praegnanti de foetu animato medicinam sumere directe, ut convalescat, sed cum prolis periculo? Cum moraliter certum iudicetur quod, moriente matre, moriatur etiam proles, nulli dubium est hoc licere. Difficultas versatur cum aliqua spes affulget quod, moriente matre, possit proles supervivere et baptizari. Hoc permittunt etiam in tali casu Holzm. Prado et Salm. dicendo quod obligatio vitam temporalem fundendi ut vita aeterna proximi procuretur, tunc adest, cum proximi salus spiritualis est certa, non vero cum est dubia. Sed huic opinioni ego nescio acquiescere, quia aliud est debere se exponere morti ad proximi salutem obtinendam, et hic regulae adversariorum (nempe quod salus proximi debet esse certa) locus datur; aliud est ob defendendam propriam vitam positive proximum aeternae mortis pe-

(1) L. 3. n. 396. (2) n. 396

(3) n. 394. v. Quaer. igit. I.

riculo exponere; cum enim aequale est periculum tam matris quam prolis moriendae sine baptismo, certum mihi videtur quod, ordine charitatis spectato, magis evitandum est periculum prolis, quam matris: quare puto omnino tenendum cum Petrocorense Elbel et Tournely, (qui citans Sylvium Comitolum et Habert vocat communem hanc sententiam) praebere medicinam matri cum periculo foetus animati licere in eo solo casu, quo nulla spes appareat rationabilis de prolis vita, ut possit baptizari post matris mortem; nam tunc tantum videtur non obligare charitas matrem (in extrema necessitate positam), ut abstineat a medicina, ob solam remotissimam spem quae haberetur de vita prolis. Quapropter Salmanticenses dicunt medicos non debere adeo scrupulosos esse in praebendis medicinis mulieribus praegnantibus, quia rarissimus est casus, imo moraliter impossibilis, ut sentiunt Sanch. Lugo et Ronc. quod si mater moriatur, proles supervivat. Et idem confirmarunt plures medici docti, quos ego consului de hac re; cum enim mater aliquo morbo mortali laborat, humores corrumpuntur, et alimentum prolis contaminant, adeoque proles moritur probabilissime, dum (et forsan antecedenter) mater moritur (1). Nihilominus est qui mihi testatur non semel accidisse, quod ob peritiam chirurgorum statim ac mater spiritum exhalaverit, inciso matris utero, proles viva extracta fuerit, et baptizata. Non autem licebit matrem incidere cum periculo probabilis mortis, ut baptizetur proles, etiamsi adesset eius assensus. Si tamen periculum matris esset remotum ob peritiam chirurgi, tunc posset incidi, et ipsa teneretur incisionem perferre. An autem ex tali incisione possit infans ad baptismum pervenire, sine periculo gravi matris, videant experientiam callentes; mihi enim hoc difficile videtur (2).

(1) Lib. 3. n. 394. v. Quaer. II.

CAPUT III. DE DUELLO ET BELLO

PUNCTUM I. *De Duello.*

27. Duellum est pugna inter duos aut plures ex condicto praecedenti de loco, die et armis. Duellum non est licitum nec ad veritatem indagandam, nec ad lites finiendas, nec ad obiecti criminis purgationem, et tanto minus ad timiditatis notam (ut permittebat propos. 2. damnata ab Alex. 7.), aut ignominiae vitandam, licet tantum apparenter fieret; ita tenendum cum communi contra alios. Et advertendae hic sunt 5. propositiones novissime damnatae a Benedicto XIV. 10. nov. anni 1752. in Bulla *Detestabilem*, et sunt sequentes: I. *Vir militaris qui nisi offerat et acceptet duellum tanquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.* II. *Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse sequuturam, utpote ab aliis impediendam.* III. *Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, vel officii.* IV. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quan-*

(2) Lib. 6. n. 106. v. Omnino.

do alio remedio eorum iactura propulsari nequit. V. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.*

28. In duobus casibus tantum duellum erit licitum. I. Ad finiendum bellum commune, et iustum cum minori damno, aut, ut aliqui dicunt, ad servandum honorem exercitus ab inimicis oppressi. II. Si inimicus determinatus est ad te occidendum, et ex sua petulantia tibi arma concedit ad te defendendum; nam tunc pugnatio tua est vera defensio, modo pugnam aufugere non valeas (1). Tres vero sunt poenae quas Trident. (*Sess.* 25. *c.* 19. *de ref.*) imposuit duellatoribus: 1. Infamia cum bonorum confiscatione. 2. Privatio sepulturae ecclesiasticae quoad eos qui in conflictu decedunt, licet Sacramentis ante mortem praemuniti fuerint, ut ex cit. Bulla *Detestabilem*. 3. Excommunicatio papalis ipso facto incurrenda tam ab ipsis duellatoribus, quam a patrinis, consilium dantibus (modo consilium fuerit efficax, ut notat Elbel), et insuper a praebentibus favorem aut locum, et etiam a spectatoribus, non quidem ab illis qui per transitum ibi reperiuntur, sed ab iis qui data opera assistunt, ut explicavit Gregorius XIII. in Bulla *Ad tollendum*, sic dicens, *ex composito spectantes*; imo addunt communiter Tourn. Salmant. Elbel, et alii, comprehendi proprie solos socios duellatorum, aut eos qui sua praesentia illos ad pugnam acuunt (2). Quocirca advertenda sunt 1. praedictas poenas, et excommunicationem non incurri, nisi ob duellum stricte acceptum, nempe praemeditatum (ut dictum est) cum designatione loci, temporis, et armorum (licet caeteroquin sine patrinis conficeretur, ut declaravit Gregorius XIII. in cit. Bulla); secus vero si pugna ex inopinato accideret, licet gladiatores ex rixae impetu ad locum magis aptum se reciperent, uti communiter dd. (3) 2. Quamquam ex verbis Concilii videatur requiri, ut duellum sit secutum, tamen ex Bulla Clementis VIII. *Illius vice*, etiamsi duellum non sequitur, tam principales quam omnes alii cooperantes excommunicationem incurrere (4). Notandum 3. si duellum non est notorium nec ad forum deductum, Episcopos posse absolvere a praefata excommunicatione ex *cap.* 6. *Liceat*, Trident. *sess.* 24.; sed non iam Regulares, nisi Romae, et extra Italiam (5).

(1) L. 3. n. 400. (2) n. 401. (3) Ibid.

Punctum II. *De Bello.*

29. Tres conditiones requiruntur, ut bellum sit iustum; auctoritas principis supremi; intentio recta de bono communi; et causa iusta et gravis. Quaeritur 1. an liceat inferre bellum cum sola probabili opinione? Tres adsunt sententiae. *Prima* affirmat cum Azor. Sanch. Filliuc., etc. dicens quod, sicut permittitur privatis litem movere cum sola probabili opinione, ita et principibus bellum movere concedendum est; saltem ad obtinendam partem regni quod contenditur, cum nullus adsit iudex supremus qui hanc litem decidere potest. *Secunda* cum Bannez Prado et Ledesma, requirit saltem probabiliorem, eo quia, prout eo casu iudex debet rem privato adiudicare, licet non sit in rei possessione, ita princeps, cum nullus adsit iudex competens, potest bello potiri eo quod praetendit. *Tertia* sententia docet non posse bellum inferri, si non constat certe de iure quod ad illud habet, dum pro regula generali acceptum est (ut dictum est *Tract.* 1. *n.* 18.) possessorem bonae fidei non posse re exspoliari, nisi constet quod iniuste retineat; ita de bello loquendo dicunt Castr. Laym. Holzm. Vasq. Sal. Montesin. Villal. Salmant. qui pro certa habent hanc sententiam; et Tambur. qui ut im-

(4) L. 7 n. 220. (5) Ibid. Not. 5.

probabilem habet contrariam. Haec tertia sententia, spectata intrinseca ratione, mihi videtur longe probabilior. Caeterum aiunt Roncagl. et Salmant. quod, cum bellum regulariter tot damnorum religionis, et tot scelerum causa est, saltem in praxi valde difficulter potest videri iustum esse bellum inferre sine certo iure ad regnum, quod ab alio principe possidetur (1).

30. Quaeritur 2. an liceat principi catholico in bello iusto infideles, aut haereticos, ut sibi auxilientur, advocare? Alii absolute negant; alii vero absolute affirmant; alii denique cum communi, ut s. Antonin. Suar. Sylv. Bonac. Castropal. Coninch. Busemb., etc. dicunt probabilem esse secundam sententiam semper ac nulla damna religioni futura sint; sed quia in praxi inevitabilia sunt, ideo dicimus cum Mol. Sporer Salmant. Diana, etc. in praxi omnino primam esse sequendam (2).

31. Quaeritur 3. an miles possit bellare in dubio de belli iustitia? Distinguendum: si ipse est subditus, bene potest, imo tenetur, ut dicunt communiter dd. ex celebri illo textu s. August. allato in can. *Quid culpatur, dist.* 23. *qu.* 1. ubi dicitur posse miles iuste pugnare usquedum non est certus bellum esse iniustum: *Si utrum sit* (contra praeceptum Dei) *certum non est*, sunt verba s. Patris. Ratio est quia subditus tenetur obedire ubi peccatum certum non est, ut diximus *Tract.* 1.*n.*18. Qui vero non est subditus, non potest in militiam descendere, nisi sit certus de eius iustitia; quia nemo potest cooperari ad spoliandum aliquem re quam possidet, nisi sit certus quod iniuste ille eam possideat. Et idem dicendum de militibus salario conductis, modo ante belli illationem conducti reperirentur (3). Notandum hic peccare milites qui ab exercitu, cum adhuc spes victoriae erepta non sit, aut a castris sine iusta causa decedunt (4).

32. Quaeritur 4. quaenam actiones sint licitae in bello iusto? 1. Licet occidere inimicos, et eorum bona arripere. Innocentes tamen non licet directe occidere, bene tamen eos exspoliare bonis, si ipsi sunt partes reipublicae inimicae, et alio modo haberi victoria non potest, ut dicunt Mol. Bellarm. Laym., etc. verum bona ecclesiastica deberent restitui, si adhuc extant (5). 2. Licet ecclesias demoliri si inimici pro defensione iis utantur. 3. Licet uti insidiis et stratagematibus: non autem puteos veneno inficere, aut aliud efficere quod prudenter caveri non possit. 4. In aliquo casu, sed raro, ex urgentissima causa potest a duce iuberi civitatem dari diripiendam, ut dicunt Laym. Fill. Sa, etc. 5. Licet captis in bello fugere semper ac possunt. 6. Licet bona inimici damnificare (quod dicuntur repressaliae), modo adsit principis praeceptum, et constet de iniuria a civibus reipublicae inimicae illata, et non excedatur iusta compensatio (6). De bonis in bello arreptis immobilia ad principem spectant, mobilia vero ad arripientes, nisi consuetudo sit contraria (7).

(1) Lib. 3. n. 404. (2) Ibid. n. 406. (3) n. 408. v. Quaer. (4) n. 410.

(5) n. 409. (6) L. 3. n. 410. (7) n. 411.

TRACTATUS IX.

DE SEXTO PRAECEPTO DECALOGI

PUNCTUM I. *De tactibus, aspectibus, et verbis turpibus.*

1. Peccatum contra hoc praeceptum est materia maxime ordinaria in confessionibus, et est vitium quod replet infernum animabus; quare plura de hoc praecepto sigillatim disseremus. Monemus autem ne haec, nisi a confessoribus, legantur, aut ab iis sacerdotibus, qui ad audiendas confessiones se capaces efficere cupiunt; imo rogamus istos ne legant in hoc, aut alio libro de hac materia (quae sola lectione sua mentem inficit) nisi post omnes alios tractatus, et cum iam ad administrandum SS. Poenitentiae Sacramentum proximi sunt.

2. Ante omnia advertendum, quod in materia luxuriae (quidquid aliqui dicant de levi attrectatione manus foeminae, vel de intorsione digiti) non datur parvitas materiae; ita ut omnis delectatio carnalis, cum plena advertentia et consensu capta, mortale peccatum sit. Hinc damnata fuit ab Alexandro VII. propos. 40. quae dicebat *non esse mortale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur.* Et sic etiam reprobanda est opinio admittentium parvitatem materiae in delectatione sensibili, nempe si vir delectetur de contactu manus foeminae, tamquam de contactu panni serici; quia in hoc saltem adest proximum periculum incidendi in delectationem carnalem (1). Bene tamen advertit Continuator Tournely (2) aliud esse agere propter delectationem, aliud cum aliqua delectatione naturali, quae de se consurgit ex qualitatibus corpori annexis, quia in ea potest quidem dari parvitas materiae, puta in medico qui ex necessitate mulierem tangit; modo (addendum) curet ille non sistere in tali delectatione; eamque tangendo detestetur; alias iam ageret propter delectationem, quae licet naturalis sit, tamen (ut diximus) non est seiuncta a proximo periculo transeundi in carnalem, si ex proposito quaeratur. His positis, procedamus ad loquendum de singulis luxuriae speciebus. 1. De non consummatis; 2. de naturalibus consummatis; 3. de consummatis contra naturam.

3. Et I. de *tactibus*. Extra matrimonium mortales sunt omnes tactus, oscula et amplexus ob delectationem carnalem exerciti, omnes enim eiusdem sunt naturae quam actus consummatus; unde explicandum in confessione, an habiti sint cum eodem, an cum diverso sexu, et an cum persona coniugata, aut sacra. Et sic pariter mortalis est tactus propriorum genitalium, et maxime cum commotione spirituum, nisi fiat ex necessitate; si autem ex curiositate vel levitate fiat, poterit esse tantum veniale, modo tamen sit obiter, ac sine mora, absque commotione spirituum, aut scandalo, aut periculo delectationis. Tactus autem verendorum alterius corporis, maxime si sint nudi, et fortius si diversi sexus, etiam secluso affectu venereo habiti, vix unquam excusantur a mortali. Excipe tantum nisi fiant ob necessitatem,

(1) Lib. 3. n. 415. et 416.

(2) Tr. de Dec. c. 3. de 6. praec. art. 8.

puta a chirurgo, dummodo ipse in delectationem non consentiat. Tangere autem genitalia brutorum, per se non est lethale, sed tactum huiusmodi usque ad pollutionem, merito Bonac. Holzman Croix, etc. contra aliquos, non excusant a mortali, cum sit actio valde incitans ad venerem (1).

4. Choreae si fiant a laicis, et modo honesto, sine inhonestis gesticulationibus aut periculosis, non sunt per se illicitae, ut loquitur d. Antoninus cum aliis (2).

5. Mulier, aut adolescens non peccat, si permittat se pudice iuxta morem tangi, nisi (excipe) ei constet de pravo affectu tangentis, possitque tunc resistere sine sua infamia, aut scandalo aliorum, ut docent Caiet. Azor. Sa Bonac. Busemb., etc. Peccat vero si non obsistat tactibus impudicis, aut osculis morosis, vel furtivis (3).

6. Hic dubitatur 1. an puella oppressa teneatur clamare si oporteat ad se liberandam a turpitudine? Alii ut Navar. Soto Bonac.; etc. si ipsa resistit omni modo quo potest, et si clamando periculum ei imminet infamiae, eam excusant, nisi sit in periculo consentiendi; nec obstare dicunt illud Deuteronomii 22. 24. ubi damnatur puella, *quia non clamavit*; eo quod (ut aiunt) tale praeceptum pertinebat ad externum iudicium, in quo praesumebatur puella non clamans consensisse. Alii vero ut Caiet. et Salm. cum aliis, affirmant, et haec quidem sententia ut tutior consulenda est (licet opposita non sit damnanda) maxime si proximum non adsit periculum consensus (4).

7. Dubitatur 1. an mulier teneatur potius mortem pati vi repellendo invasorem, quam sui violationem permittere? Negant Tolet. Sotus Navar. Holzm., etc. modo voluntate resistat, absitque periculum consensus. Sed haec opinio in praxi non videtur probabilis, quia mulier quiescendo in tali congressu, nimis difficulter poterit se eximere a periculo consentiendi in illum (5). An autem et quomodo liceant tactus inter coniuges, aut sponsos? Vide quae dicentur de matrimonio *Tr.* 18. *n.* 42.

8. II. De *aspectibus*. Aspicere verenda personae diversi sexus, difficulter excusatur unquam a mortali, nisi forte aspectus fiat e loco valde longinquo, et ita obiter ut nullum periculum delectationis adsit. Et etiam loquendo de verendis personae eiusdem sexus, non excusarem a mortali virum morose, et delectabiliter aspicientem pulchrum adolescentem nudum. Censeo tamen cum La-Croix (quicquid dicant Salmant.) simplicem aspectum turpem, sine desiderio tactuum, nunquam induere speciem personae quae aspicitur, nimirum consanguineae, sacrae, aut coniugatae; species enim incestus, sacrilegii, vel adulterii non contrahitur, nisi per tactum quo pietas, vel ius coniugii violatur (6). Aspicere concubitum humanum sine dubio est lethale; brutorum vero, valde periculosum, unde nulli permittendum nisi tantum illis quibus incumbit animalia coniungere ad generationem: modo absit in ipsis periculum consentiendi in turpia (7) Aspicere autem partes minus honestas mulieris, sed non turpes, nempe brachia, crura, aut pectus, non semper est per se mortale, sed si aspectus sit deliberatus et diuturnus, aut si aspiciens sit ad venerem proclivis, difficillime a mortali excusabitur; et idem sentio de eo qui vultum mulieris pulchrae morose inspicit, saltem si inordinato affectu eam diligit (8). Aspicere picturas obscoenas ex mera curiositate, dicunt aa. non esse mortale, si absit periculum turpis delectationis, sed vir morose aspiciens pudenda muliebria depicta nuda, vel levi velo tecta, nescio quomodo a mortali excusari possit (9).

(1) Lib. 3. n. 417. ad 422. (2) n. 429. (3) n. 430. (4) Ib. v. Utrum (5) n. 368.

(6) Lib. 3. n. 421. (7) n. 419. (8) n. 422. et 423. (9) n. 424.

Qui autem pingunt vel exponunt huiusmodi imagines, gravissimo peccato scandali delinquunt, cum ipsae valde adolescentes ad libidinem provocent (1). Et idem puto dicendum de iis qui eas domi retinent expositas omnium aspectui.

9. III. De *verbis*. Verba obscoena non sunt mortalia, si proferantur ex ira aut ioco, prout solent messores, vindemiatores et muliones. Secus si verba sint nimis lasciva, aut si proferantur cum ipsarum rerum turpium delectatione, vel cum audientium scandalo, quod ut plurimum adest, si huiusmodi verba dicuntur coram puellis aut pueris, et maxime si quis se iactat de aliquo peccato turpi, in quo se iactans tripliciter ordinarie peccat, 1. quia gloriatur de re mala, 2. quia magnum praebet scandalum, 3. quia de facili se complacet de peccato patrato (2). Insuper hic sedulo notandum cum Salmant. et Roncagl. ex d. Thoma, non esse sine gravi periculo diuturnum colloquium cum puella inordinate dilecta (3).

10. Audientes autem verba turpia, aut turpes comoedias tantum ob curiositatem, aut ob vanum solatium, possunt aliquando excusari a mortali; nisi adsit delectatio turpis, vel illius periculum, quod facile fere semper aderit in adolescentibus, vel aliis parum timoratae conscientiae (4); aut nisi adsit scandalum: et ideo merito docet Bened. XIV. (5) clericos, et Religiosos non posse comoediis turpibus interesse sine scandalo gravi. Et etiam merito Holzman et La-Croix propter scandalum aliorum damnant de mortali eos qui pecunia aut plausu cooperantur ad huiusmodi comoedias notabiliter turpes; eosque qui eas impedire tenentur, aut commode possunt, et non impediunt; ac fortius qui illas repraesentant (6). Gravissime quoque peccant qui libros componunt incitantes ad turpia, vel ad inhonestos amores (7). Hactenus de actibus luxuriae non consummatis, nunc videamus de speciebus turpibus consummatis.

PUNCTUM II.

De actibus turpibus consummatis naturalibus.

11. I. De *fornicatione*. Fornicatio est coitus inter solutos ex mutuo consensu. Concubinatus autem non est aliud quam continuata fornicatio habita uxorio modo in eadem, vel alia domo. Quando vero concubinarii possint vel ne absolvi, vide quae dicentur infra de iis qui sunt in occasione proxima, *Tract. ult. Punct.* 1. *per totum*. De poenis autem concubinariorum, et praesertim clericorum vide (8).

12. Dubitatur hic 1. an permittendae sint meretrices? Alii affirmant ex d. Thoma, quia plura graviora crimina alioquin evenirent. Sed probabilius negant Navar. Roncagl. Guttierez et alii, quia permittendo meretrices innumera peccata iam patrantur, et contra, mala graviora non evitantur. Caeterum sedulo omnino advertendum, quod esto in magnis urbibus meretrices permitti possent, nunquam tamen permittendae in oppidis aut civitatibus parvis (9).

13. Dubitatur 2. an fornicatio sponsorum diversam induat speciem peccati? Alii id affirmant de utroque sponso; alii tantum de sponsa: alii vero satis probabiliter de utroque negant, ut Pontius Sanchez Laym. Lugo Salm. Trullench. Covarr. Ledesma Elbel etc. quia uterque spon-

(1) N. 429. v. Exhibentes. (2) L. 3. n. 426. (3) N. 422. in fin. (4) n. 426. et 427. (5) De Synodo l. 11. c. 10.

(6) L. 3. n. n. 427. et 428. (7) Ibid. (8) L. 3. n. 442. (9) n. 434.

sus licet se obliget ad matrimonium ineundum, neuter tamen aliquod ius tradit alteri in corpus suum, ita ut nequeat illo ad suum arbitrium uti sine alterius iniuria (1).

14. II. De *stupro*. Stuprum est defloratio virginis ipsa invita, et ideo praeter fornicationis malitiam habet etiam iniustitiae. An autem virgine consentiente sit speciale peccatum? Affirmant Navarr. Azor. etc. sed communius negant Less. Sanch. Bonac. Busemb. Salmant. Barbosa etc. Potest tamen aliunde esse specie diversum, nimirum ratione dedecoris familiae, moeroris parentum, aut rixarum (2). Ad quid vero teneatur stuprator, vide dicenda de 7. *praec. Tract.* 10. *n.* 91. *et seqq.*

15. III. De *raptu*. Raptus committitur, cum abducitur foemina aut masculus libidinis causa, illata vi personae illius, vel iis quibus ipsa subest, nempe parentibus, aut tutoribus (3). Ad quid autem teneatur raptor, vide de matrimonio *Tract.* 18, *num.* 76.

16. IV. De *adulterio*. Adulterium est copula habita cum persona coniugata, estque speciale peccatum iniustitiae, etiamsi adsit consensus mariti, ut constat ex propos. 50. damnata ab Innoc. XI., quia per adulterium irrogatur iniuria non solum ipsi, sed etiam proli, et generationi humanae. Hinc sentiunt Lugo, et Lessius (4) quod in adulterio, dissentiente marito, duplex adest iniustitia, sed Viva (5) cum Caiet. et Turriano tenet unicam tantum adesse iniustitiam contra bonum generationis, eo quod per adulterium infertur iniuria marito non ut personae privatae, sed ut marito; ac ideo ad ipsum spectat consulere prolis bono, cui nequit ipse cedere, sicut nequit quis consentire, ut membrum ei ab altero mutiletur. Qui sodomitice cognoscit uxorem, ex communi sententia committit adulterium, et debet explicare, peccasse nefande cum propria uxore (6). Ad quid autem teneantur adulteri, si proles ex adulterio nascitur; vide de rest. *Tract.* 10. *n.* 101.

17. V. De *incestu*. Incestus est congressus cum consanguinea vel affine, ex copula licita usque ad quartum gradum; ex illicita usque ad secundum. Hic dubitatur 1. an incestus cum consanguinea differat specie ab incestu cum affine? Affirmant probabiliter Less. Salm. Ronc. Croix, etc. quia in consanguinitate vinculum est ab identitate sanguinis, in affinitate autem est a copula, unde diversa videtur difformitas. Alii vero, ut Sotus Caiet. Sanchez Lugo etc. probabilius negant, quia uterque incestus ex eodem motivo pietatis vetatur; et consentit d. Thomas (7) dicens: ***Eiusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas, et affinitas.*** Omnes autem incestus inter affines ex communi sententia sunt eiusdem speciei, excepto incestu inter privignum, et novercam, interque socerum, et nurum (8).

18. Dubitatur 2. an omnes incestus cum consanguineis sint eiusdem speciei? Tres sunt sententiae omnes probabiles. Prima cum Caiet. Pontio Soto Navar. Castrop. etc. affirmat, excepto primo gradu in linea recta; quia (ut dicunt) commixtio coniugalis inter alios consanguineos tantum ab Ecclesia est vetita, non vero a naturali iure, per quod specifica diversitas solummodo constituitur. Secunda sententia cum Suarez Vasq. Laym. etc. tenet omnes gradus usque ad quartum speciem diversam incestus constituere, quia maior debetur reverentia proximiori gradui quam remotiori. Tertia demum cum Lessio Lugo Sanch. Roncagl. etc. dicit tantum primum gradum, tam in linea recta, quam in

(1) n. 447 et l. 6 n. 847. (2) l. 3 n. 443 (3) n. 444. (4) Lugo de Poenit. d. 16. n. 218. et Less. l. 2. c. 7. dub. 3. (5) In propos. 50. damn. ab Innoc. XI n. 10. (6) L. 3. n. 446. (7) 2. 2. q. 154 a. 9 ad 2. (8) Lib. 6. n. 469.

transversali constituere diversam speciem; quia sentiunt commixtionem inter fratres et sorores ab ipsa natura esse vetitam (1). Certum autem est quod incestus inter cognatos spirituales, et legales (ratione scilicet adoptionis) sunt diversae speciei, quam inter consanguineos et affines (2).

19. Dubitatur 3. an cognati, obtenta, et executa dispensatione ad matrimonium ineundum, committant incestum si ante coniugium fornicentur? Adest duplex probabilis sententia. Alii communius negant, ut Sanch. Lugo Caiet. Armilla et Vega; quia, sublata prohibitione matrimonii, cessat ratio incestus. Alii vero, ut Maior et Gallego affirmant, quia impedimentum propinquitatis ablatum est tantum ad nuptias contrahendas, non autem ad fornicandum (3).

20. VI. De *sacrilegio*. Sacrilegium est, cum violantur Sacra per actum venereum. Potest igitur sacrilegium committi circa personam, locum et rem. Et I. circa *personam* fit, si quis peccat habens votum castitatis, vel cum habente illud. Hinc sacerdos peccans cum alia persona sacrata duplex committit sacrilegium. Contra vero Religiosus qui est etiam sacerdos, castitatem laedendo probabilius unum sacrilegium committit, tum quia sacerdos probabilius tantum ratione voti Ordini sacro annexi tenetur ad castitatem (ut dicemus in *exam. Ord. n.* 59.); tum quia talis, etiamsi teneretur ad castitatem ex solo praecepto Ecclesiae, tamen adhuc contra religionem peccaret, cum Ecclesia tantum ex motivo religionis castitatem praecipit (4). Sacerdos autem inducens suo consilio laicum ad fornicandum, committit sacrilegium si ex affectu ad libidinem inducit; secus si ex alio pravo fine (5).

21. II. Circa *locum*, committit sacrilegium qui fornicatur in loco sacro, nempe intra ecclesiam, aut caemeterium, non autem in atrio ecclesiae, monasterio, aut oratorio privato non benedicto ab Episcopo (6). Dubitatur hic I. an copula maritalis, aut occulta habita in ecclesia sit sacrilegium? Adest triplex probabilis sententia. Alii negant de maritali, ut Alensis Pontius Sa etc.; alii negant de occulta, ut idem Pontius Tolet. Vasq. Azor. etc.; alii vero communius et probabilius de utraque affirmant, quia per utramque irreverentia irrogatur ecclesiae, et ecclesia polluitur; tametsi, cum crimen sit occultum, non est obligatio a divinis officiis abstinere; ita Suar. Sanch. Less. Holzman Croix Bonac. Salm. etc. Attamen iidem aa. merito excusant coniuges copulantes in ecclesia, si ipsi sint in morali necessitate coeundi, puta si sint in periculo incontinentiae, vel si diu in ecclesia permanere debeant. Quomodo autem intelligendum illud *diu*; alii putant decem dies; alii vero probabilius mensem aut saltem 20 dies. At si coniuges iudicent se per mensem esse in ecclesia mansuros, advertunt Sanchez Salmant. et alii, eos ab initio copulari posse (7).

22. Dubitatur II an omnes actus externi impudici habiti in ecclesia, nempe tactus, aspectus, aut verba sint sacrilegia? Negant Caiet. Navarr. Bonac., etc. eo quod tantum per seminis effusionem ecclesia polluitur. Sed probabilius affirmant Suarez Sanchez Molina Salmant. etc. quia his actibus, licet non violetur ecclesia, tamen iam illi irrogatur irreverentia. Actus vero interni sive cogitationes non sunt sacrilegia, nisi sint de peccando externe in ecclesia (8).

23. III. Circa *rem* demum committit sacrilegium, qui abutitur rebus sacris ad turpia. Idem dicendum de sacerdote qui turpiter peccat indutus ad Missam, aut gestando Euchari-

(1) L. 6. n. 470. (2) l. 3. n. 450. (3) n. 452. (4) n. 454. ad 456. (5) n. 457.

(6) n. 460. (7) L. 3. n 458. (8) n 459. ad 462.

stiam, aut statim post Communionem, v. g. infra mediam horam (1). Egimus de speciebus turpibus naturalibus, nunc de iis quae sunt contra naturam.

Punctum III.

De actibus turpibus consummatis contra naturam

24. Et I. de *sodomia*. Sodomia habet quidem specialem deformitatem. Dubitatur autem inter dd. in quo ipsa consistat. Alii sentiunt consistere in concubitu ad indebitum vas; alii vero communius et probabilius cum D. Thoma, in concubitu ad indebitum sexum. Hinc infertur 1. quod coitus foeminae cum foemina, et masculi cum masculo, perfecta est sodomia, in quacumque parte corporis fiat congressus, quia ordinarie semper adest tunc affectus ad indebitum sexum; ideo non est opus explicare in confessione, an pollutio fuerit intra vel extra vas praeposterum, quamvis ad incurrendum casum reservatum requiratur seminatio intra vas, ut ait P. Mazzotta (2). Censeo vero in sodomia omnino explicandum in confessione (quicquid dicant Salm.), an quis fuerit agens vel patiens, quia patiens non facile semper polluitur ut agens, prout non bene Salm. supponunt (3). Imo explicandum si sodomia habita sit per vim, vel cum coniugata, aut habente votum castitatis (4).

25. Infertur 2. coitum viri in vase praepostero mulieris esse sodomiam imperfectam, specie distinctam a perfecta. Si quis autem se pollueret inter crura aut brachia mulieris, duo peccata diversa committeret, unum fornicationis inchoatae, alterum contra naturam. An pollutio in ore sit diversae speciei? Affirmant aliqui, vocantque hoc peccatum *irrumationem*, dicentes quod semper ac fit pollutio in alio vase quam naturali, speciem mutat. Sed probabilius sentiunt Caiet. Filliuc. Holzm. Graffius, etc. quod si pollutio viri fit in ore maris, est sodomia; si in ore foeminae, est fornicatio inchoata, et insuper peccatum contra naturam, ut mox diximus. Coitus autem cum foemina mortua non est bestialitas, ut quidam aiunt, sed est pollutio, et insuper est fornicatio affectiva (5). Praeterea pollutio habita tangendo puerum vel mulierem dormientem, absque tamen concubitu sive coniunctione corporum, non habet nisi simplicis pollutionis malitiam ut probabilius dicunt Salm. Caiet. Azor. Bonac. etc. Item qui polluitur tactibus alienis, iam dupliciter peccat cooperando peccato alterius; non tenetur vero explicare an tactibus maris, vel foeminae, nisi illa habeat virum, aut votum castitatis (6). Item probabilius est cum Lugo Silvest. Salm. Roncaglia Croix etc. contra aliquos, quod tam sodomia, quam omnes tactus impudici inter consanguineos aut affines, vel cognatos spirituales, aut legales induunt malitiam etiam incestus, cum eamdem habeant deformitatem quam actus consummatus (7).

26. Quoad poenas sodomitarum, si sint laici, damnantur morte et combustione. Clerici vero et Religiosi per Bullam 27. s. Pii V. editam die 30. Aug. 1568. *Horrendum*, privantur omni officio, beneficio, et privilegio clericali; dummodo (ut docent dd.) sodomia 1. sit cum alio viro, non foemina, aut bruto; 2. sit perfecta cum pollutione intra vas; 3. sit fre-

(1) n. 463. (2) Mazzot. t. 3. p. 519. de cas. res. (3) Vide opus nostrum l. 3. n. 468. (4) n. 469. in fin. (5) L. 3. n. 466 (6) n. 467. (7) n. 469

quentata, dum dicitur in Bulla, *sodomiam exercentes*. Probabilius est has poenas incurrere etiam patientes, ut dicunt Bonac. Salm. Diana et Barbosa, contra alios, dum patientes sunt vere sodomitae. Contra vero probabilius et communius docent Suar. Navarr. Bonac. Barbosa Less. Fill. Trullench. Salmant. etc. (adversus Azor. Dicast. etc.) has poenas non incurri nisi post sententiam, quamvis dicatur in Bulla: *Praesentis Canonis auctoritate privamus*; quia ut diximus in *Tract.* 2. *n.* 25. nulla poena privans iure acquisito incurritur, nisi post sententiam, saltem declaratoriam (1).

27. II. De *bestialitate*. Bestialitas est coitus cum bestia; ipsaque detestabilior est quam sodomia. Non oportet autem explicare an bestia fuerit mas vel femella, ut communiter docent dd. contra paucos, quia tota huius criminis deformitas est in accessu ad speciem diversam (2).

28. Coitus cum daemone succubo vel incubo, uti communissime sentiunt Azor. Caiet. Bonac. Fill. Salmant. Busemb. etc. reducitur ad peccatum bestialitatis, addita tamen malitia culpae contra religionem, et etiam fornicationis, aut sodomiae affectivae, si daemon appareat in forma pueri aut mulieris; et etiam adulterii, aut incestus, si quis delectetur de coitu cum daemone tamquam cum nupta vel coniuncta, iuxta quae diximus de delectatione morosa *Tr.* 3. *n.* 48. (3).

29. III. De *pollutione*. Pollutio est seminis effusio sine congressu cum alio; ipsaque est vetita de iure naturali, ut patet ex propos. 49. damnata ab Innoc. XI. Unde per se est peccatum gravius quam fornicatio, cum sit contra naturam. Pollutioni autem additur malitia sacrilegii, si sit ab habente votum castitatis; adulterii, si a coniugato: item fornicationis, si quis se polluendo delectatur tanquam de coitu cum foemina, vel sodomiae, si cogitet coire cum puero (4).

30. Dubitatur 1. an distillatio voluntaria, nempe illa quae est fluxus humoris inter urinam et semen, sit culpa mortalis? Resp. Si est cum aliqua delectatione venerea, vel cum commotione spirituum, erit quidem mortalis, si non vitetur, sicut vitanda est pollutio. Si vero evenit absque sensu et commotione, poterit ea permitti tanquam emissio alterius excrementi, ut comunissime docent Cai. Bonac. Sayr. Busemb. Holzm. Salm. Sporer. Elbel. etc. Diximus *permitti*, sed nunquam potest data opera procurari, ut recte advertunt Sanch. et Bonac. (5).

31. Dubitatur 2. an liceat expellere semen corruptum medicinis (nunquam enim licet tactibus)? Negant Salm. et Roncaglia; sed communius affirmant Laym. Sanch. Bonac. Anaclet. Sporer Croix etc. modo expulsio possit fieri sine sensu venereo; et modo semen sit certe corruptum, nec aliter expelli valeat (6).

32. Dubitatur 3. an sit obligatio impediendi pollutionem de se evenientem, puta si incoeperit in somno, et in vigilia consummetur? Communiter negant aa. modo absit consensus in delectationem, vel eius proximum periculum ex praeterita experientia; ita Sanch. Concina Navar. Azor. Salmant. Holzm. Spor. Trull. etc. tum quia difficillimum est illam cohibere, cum iam incoepta sit; tum quia non tenetur homo eam impedire cum periculo morbi ex corruptione seminis: tunc enim ipsam non vult, sed patitur. Caeterum sapienter monet Gerson semper expedire, ut tunc homo conetur impedire quantum potest; saltem (iuxta Sanchez) omnino curare debet, ut eo tempore se muniat signo crucis, avertatque mentem ab illa delectatione, invocando ss. nomina Iesu et Mariae, ut adiuvent ne ipse in culpam ruat Notandum autem quod si persona existit tunc in semiplena vigilia, et

(1) N. 470. ad 473. (2) L. 3. n. 474. (3) n. 475. (4) n. 476. (5) n. 477. (6) n. 478

delectetur de pollutione incoepta, minime damnanda est de mortali cum ad mortale omnino requirantur et plena advertentia, et perfectus consensus (iuxta dicta *Tract.* 3. *n.* 24. ad 39.), quibus certe caret qui est semidormiens, et ideo non habet usum rationis perfecte liberum et expeditum (1).

33. Dubitatur 4. an sit obligatio vitandi omnes causas in pollutionem influentes? Resp. Si causae sint graviter influentes, prout certe sunt illae, quae sunt graviter culpabiles in materia luxuriae, nempe tactus, vel aspectus impudici, delectationes morosae, et similes, sine dubio tenetur homo eas evitare; alioquin pollutio, saltem in confuso praevisa, licet non intenta, illi ad culpam imputatur. Et idem dicendum de pollutione causata ob colloquium diuturnum cum puella inordinate dilecta, vel orta ex actione, quae, esto per se non sit mortalis, esset tamen talis respectu alicuius, qui pollutionibus huiusmodi habitis fuit solitus consentire (2).

34. Advertendum tamen quod, si praefatae actiones graviter influentes ponantur ex causa necessaria vel utili, absitque periculum consensus, tunc pollutio ex eis orta non imputatur ad peccatum, ut omnes docent. Hinc etiam praevisa pollutione (intellige semper involuntaria), I. licet confessariis excipere confessiones, et tractatus legere de rebus turpibus: item chirurgis aspicere et tangere partes foeminae aegrotantis, ac studere rebus medicis: ita communiter d. Antonin. Navar. Caiet. Petrocorens. Sanchez Bonac. Anacl. Spor. Salm. Holzman et alii plures cum d. Thoma (3). Idque admittunt Navarr. Hurtad. Roncag. Salmant. Elbel Spor. etc. etiamsi aliquis chirurgus ex officio medens, vel parochus excipiendo confessiones aliquoties in pollutionem consenserit, modo proponat in futurum convenientibus mediis se praecavere ad peccatum vitandum; secus vero dicunt de simplici confessario; hic enim tenetur eo casu abstinere ab audiendis confessionibus, si possit sine gravi suo damno. Imo si parochus vel chirurgus in iis occasionibus semper vel fere semper lapsus fuerit, et non appareat nova probabilis spes emendationis hic omnino tenetur etiam cum iactura vitae officium deserere (4). Sic etiam II. dicunt quam plurimi, ut Caiet. Bonac. Laym. Sanch. Navarr. Fill. Salmant. Spor. Croix Busemb. Villal. Ledesma Marchant. Trull. etc. licere iis, qui magnum patiuntur pruritum in verendis, tactu illum abigere, etiamsi pollutio sequatur. Recte vero id prohibet Roncaglia, si pruritus non sit valde molestus, quamvis permittat eum abigere cum aliqua tantum commotione. Nihilominus non facile credatur quibusdam puellis quae tactibus se polluere solent, praetextu huiusmodi ardoris: nam si diligenter examinentur, cognoscetur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravis cogitationibus praehabitis, vel ab habitu pravo contracto se tangendi. III. Dicunt etiam Castropal. Laym. Sanch. Armil. Lessius Azor. Navar. Vas. Bonac. Anacl. Salmantic. etc. licere equitare causa utilitatis, et etiam recreationis, ut subdunt Sanch. Laym. Castrop. Dicunt quoque Sanch. Laym. Castrop. Holzm. Sporer etc. ex communi, unicuique licere decumbere in aliquo situ ad commodius quiescendum. IV. Demum dicunt s. Antonin. Less. Tolet. Pichler. Salmant. Holz. Spor. etc. etiam communiter licere cibos aut potus calidos moderate sumere et honestas choreas ducere (5).

Si vero causae leviter influant in pollutionem, alii dicunt omnes esse vitandas sub gravi, praevisa pollutione, etiamsi sint leviter culpabiles. Alii id admittunt, si sint mortales, quamvis in alia materia quam luxuriae.

(1) Lib. 3. n. 479. (2) n. 482. (3) p. 3. quaest. 80. art. 7. (4) lib. 3. n. 483. et l. 5. n. 63. v. quaer. hic. (5) Lib. 3. num. 483.

Sed communiter, et probabilius docents. Antonin. Suar. Abulens. Sanch. Silvest. Sa Roncaglia Bonac. Anacl. Salmant. Holzman Elbel etc. non esse obligationem gravem vitandi causas, nisi graviter culpabiles in eadem materia luxuriae. Diximus *gravem*; nam erit obligatio levis nisi adsit aliqua rationabilis causa ut probabilius tenent Sanch. Less. Roncaglia Bonac. Salm. etc. contra Holzman, Croix etc. Imo valde probabiliter Ronc. et Salm. dicunt non excusari a mortali qui frequenter pollutiones expertus fuerit ex causis culpabilibus (licet per se non graviter) in materia turpi, puta ex lectione turpium curiosa, aspectu picturae inhonestae, vel coitu animalium, et similibus quia respectu talis personae causae praedictae non leviter sed graviter influunt. Secus autem aiunt iidem Salm. et Sanch de causis quae sunt omnino leves, quas universas vitare esset moraliter impossibile (1). Pollutio habita in somno non est peccatum, nisi fuerit antea intenta, vel nisi postea quis se complaceat de delectatione habita; si vero gaudeat de exoneratione, vide dicta *Tr.* 3. *n.* 52.

Denique sedulo hic advertendum, quod in hac materia sexti praecepti oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat, et plures opiniones, quae speculative loquendo sunt probabiles in praxi improbabiles evadunt. Hinc confessarius ubi periculum poenitentium inspicit, licet actionem, quam illi vellent perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est praesertim respectu eorum qui in vitio turpi habitum in praeterito habuerunt: his enim non solum proximas occasiones vitare, sed etiam remotas opus erit; alias ob fragilitatem contractam semper in idem recident, cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediuntur.

TRACTATUS X.

DE SEPTIMO PRAECEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE IUSTITIA IURE ET DOMINIO

1. Iustitia dividitur in legalem, distributivam, et commutativam. *Legalis* respicit iura, et poenas iuxta leges; *distributiva* respicit personarum merita circa praemia, et honores; *commutativa* bonorum valorem, ut unicuique reddatur quod suum est. Ius autem dividitur in ius *in re*, et in ius *ad rem*. Ius *ad rem* dicitur illud quod praebet actionem ad praetendendum aliquod non adhuc obligatum. Ius autem *in re* dicitur illud quod actionem praebet super re iam obligata, ut est ius quod acquirit emptor super re empta, aut clericus super beneficio ipsi collato. Insuper ius *in re* dividitur in dominium, et usumfructum. *Dominium* aliud est iurisdictionis in subditos, aliud proprietatis in bona. Praeterea aliud est *directum* quod habet princeps in suo feudo, et dominus in fundo in em-

(1) L. 3 n. 484.

phyteusi dato; aliud est *utile* quod habet feudatarius, et emphyteuta. *Ususfructus* autem est ius percipiendi ac etiam alienandi fructus alicuius fundi: ad differentiam *usus*, propter quem, qui eum habet, potest quidem uti fructibus, quibus ipse et eius familia indigent, non tamen potest aliis alienare (1).

2. Hinc videndum super quibus bonis habeant dominium filiusfamilias, uxores, et clerici. Et I. quoad filiosfamilias notandum est quadrifariam posse esse eorum peculium: castrense, quasi-castrense, profectitium et adventitium. I. *Castrense* sunt illa bona quae filius acquirit in militia, aut propter militiam. II. *Quasi-castrense* sunt bona acquisita in officiis publicis, iudicis nimirum, advocati, lectoris, medici, et etiam notarii, ut docent Nav. Mol. et Lugo; et Sanch. addit officium architecti principis vel civitatis. Istorum peculiorum filius plenum dominium habet in proprietate, et usufructu. Et idem dicitur de eo quod acquirit filius familias qui est clericus, tam ob officium clericale (iuxta id quod habetur in *Authent.* I. *c. de Episc. et Cler.*) quam ob quemlibet alium titulum, iuxta communem sententiam Mol. Lug. Sanch. etc. (2). Excepto titulo beneficii; de quo quaestio est an clericus acquirat plenum dominium fructuum, ut videbimus *seq. num.* 7.

3. III. *Profectitium* vero sunt bona quae filius negotiando patris pecuniam lucratus est, aut filio donata fuerunt, sed tantum patris intuitu. Hoc peculium est solum patris quoad proprietatem et usumfructum. Notandum tamen 1. in dubio an bona sint filio donata intuitu eius, an patris, tunc filius integre potest ea retinere tantum, si bona fide incepisset ea possidere. Notandum 2. bona a patre in patrimonium filio data, ut ordinetur in *Sacris*, non esse amplius profectitia; sed haec tamen debent conferri cum fratribus, cum clericus haereditatis paternae portionem exquireret. Not. 3. si filius negotiatus est bona paterna nomine patris, lucrum fore peculium profectitium; si vero nomine proprio, fore adventitium, ut docent Lugo et Mol. Et in dubio an lucrum provenerit ex bonis patris aut alterius, tunc tantum habetur profectitium, cum filius habuit bonorum patris administrationem, Lugo cum Gomez Bartol. etc. Nota 4. si filius negotiatur bona patris, extra domum paternam morans, et nihil a patre recipiens pro alimentis, tunc lucrum est adventitium; sed si negotiatur in domo patris, et alimenta ab eo recipit, lucrum est profectitium. Sed si servitus, quam filius praestat, sit excedens, tunc potest praetendere stipendium (3); circa hoc vide infra *num.* 228.

4. IV. Denique peculium *adventitium* sunt bona quae proveniunt filio aliunde quam a paternis, aut sunt donata filio intuitu suo proprio. Haec, si sunt consumptibilia usu, pater disponere potest, cum obligatione tamen ea restituendi filio post suam mortem; si vero sunt stabilia, filius habet solam proprietatem et pater usumfructum, etiamsi sint bona maioratus, ut dicit de Lugo. Sed in quibusdam casibus ad filium spectat etiam ususfructus, puta 1. si ususfructus etiam donatus fuisset praecise filio, aut si donatio facta fuisset contradicente patre. 2. Si filius simul cum patre succedat in fratris haereditatem. 3. Si filius recipiat dotem sine patris fideiussione. Ceterum extra hos casus filius non potest de bonis adventitiis sine patris consensu disponere; et etiam cum consensu patris non potest testari, nisi ad causas pias, ut ex *c. Licet, de sepult. in* 6. Ususfructus vero est patris usquedum hic vivit, licet filius ex patria potestate exiverit, dummodo ad Episcopatum non sit promotus, aut ad aliam magnam dignitatem; Salm. et Holzm. Et si

(1) lib. 3 n. 486. 487. (2) n. 488.

(3) L. 3. n. 488. v. 3. Peculium

pater filium emancipat sponte, dicit de Lugo, medietatem ususfructus ad patrem, et alteram medietatem ad filium spectare; sed hoc non procedit si emancipat matrimonii causa. Insuper dicit quod si pater permittit filium extra domum incolere, non ideo iudicare illum remittere usumfructum praedictum, nisi quando eum dimittit, ut sibi aliunde victum comparet, aut quando filius hunc usumfructum consumit patre tacente (1).

5. II. Quoad uxores, bona earum altera sunt *dotalia*, altera *paraphernalia*, quorum ipsae plenum habent dominium. Bonorum autem dotalium ususfructus et administratio pertinent ad virum, proprietas vero ad uxorem, adeoque mortuo viro ipsa omnibus creditoribus ipsius personalibus praefertur. Et etiam in vita potest repetere dotem, si vir periclitaretur fieri impotens ad illam restituendam. Si vero dos consisteret in pecunia aut in aliis usu consumptibilibus, vir plenum acquirit dominium, cum obligatione postea restituendi uxori tantumdem. Et idem currit pro bonis stabilibus, quae viro aestimata dantur, et animo venditionis, adeoque si pereunt, sibi pereunt (2).

6. III. Clericorum denique bona quadruplicia sunt. I. *Patrimonialia*, quae ipsi obveniunt ex quacumque causa profana. II. *Industrialia* seu quasi *patrimonialia* sunt ea quae clerici acquirunt ex ecclesiasticis functionibus sine beneficio, ut ex concionibus, ex Missis, etc. III. *Ecclesiastica* quae acquiruntur ex beneficiis. IV. *Parsimonialia* quae clericus ex reditibus ecclesiasticis subtraxit de sua sustentatione, vivendo parcius quam honeste vivere potuisset. Et I. quoad bona patrimonialia non dubitatur quin de iis plenum dominium habeat. II. Idem procedit de bonis industrialibus iuxta comm. sententiam Lessii Sanch. Castrop. Lugo Anac. Salm. etc.; et idem dicunt probabiliter Silvest. Azorius Angel. Bonac. Lugo Salmant. Less. etc. de distributionibus quotidianis quae dantur canonicis (contra Navarr. et Sanch.); quia istae non dantur immediate ob titulum beneficii, sed ob servitium tamquam personae stipendium (3). III. Idem procedit de *parsimonialibus*, de quibus potest clericus pro suo libitu disponere, ut dicunt etiam communiter Navarr. Cabas. Sot. Less. Anacl. Covar. contra Petrocor. et alios paucos (4). Et idem docet expresse s. Thomas (5), ubi sic dicit: *De his autem quae sunt specialiter suo usui* (nempe clerici) *deputata, videtur esse eadem ratio quae est de propriis bonis*. Ratio est quia huiusmodi fructus dantur clerico tanquam stipendium laborum, quos ille exhibet servitio Ecclesiae, iuxta id quod declaravit Concilium Agathense in Canone 36. (6).

7. IV. Maior difficultas restat circa bona ecclesiastica quae supersunt propriae sustentationi, si clericus male impendat ea, an teneatur ad restitutionem. Non dubitandum quin beneficiatus mortaliter peccet, si male impendat fructus superfluos, et si non distribuit pauperibus aut in aliis piis causis, ut dicunt dd. communiter (7). Dubium itaque est an praeterea teneatur ad restitutionem? Prima sententia affirmat cum Layman Concina Habert Roncagl. Petrocor. etc. quia, ut dicunt, nulla ratione probatur beneficiatus adipisci dominium fructuum beneficii; et si forte adipiscitur, saltem (sicut aiunt Laym. Bonac. Roncagl. etc.) acquirit quoddam dominium limitatum, iuxta mentem ecclesiae, ad quam supremum dominium ecclesiasticorum bonorum spectat, nempe dominium cum onere annexo superfluum pauperibus dispensandi. Credunt auctores contrarii hoc dominium probare propter divisionem factam olim a Simplicio Papa, qui praecepit bonorum ecclesiasticorum quartam

(1) L. 3. n. 488. v. 4. Peculium. (2) n. 489. (3) n. 490. et 491. (4) cit. n. 491. v. 3. Idem. (5) 2. 2. q. 185. a. 7. (6) L. 3. n. 491. (7) ibid. v. 4. Maior.

partem tradi Ecclesiae; quartam Episcopo, quartam pauperibus, quartam clericis. Sed respondet Habert ignorari, an haec divisio unquam effectum habuisset; unde, inquit, donec probetur illam certe factam fuisse, retinent pauperes ius suum super omnia bona ecclesiastica superantia clericorum sustentationem (1). Hoc tamen non obstante, negari non potest oppositam sententiam, quam tenent Lessius Lugo Azor. Cabass. Salmant. Holzman etc. satis esse probabilem, praesertim ob auctoritatem s. Thomae (2), qui expresse docet, quod de bonis beneficiorum eadem habetur ratio, quam de bonis patrimonialibus; hinc dicit in alio loco (3) quod si clericus abutitur fructibus suae praebendae, ***non tenetur ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam.*** Atque loco antea citato supponit s. Doctor asseritque pro certo divisionem praefatam bonorum vere effectum habuisse; imo notandum, non quidem Simplicium Papam introduxisse praedictam divisionem, sed invenisse introductam, et ipsum tantum de illa executionem praecepisse, ut apparet ex eadem eius epistola, ubi iussit Episcopum Gaudentium restituere tres portiones ecclesiasticorum redituum, quos per triennium sibi appropriaverat, retinendo solam quartam partem quae ad eum pertinebat: *Sed sola ei ex his quarta portio remittatur, tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodo vindicasse, restituat* (4). Ex quo deducunt secundae sententiae auctores, quod fructus beneficiorum clericis deputati in eorum dominium transeunt. Idque videtur confirmari a Concilio Trident. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.* illis verbis: *Fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos.* Atque a Concilio Lateranensi V. *Sess.* 9. §. ***Statuimus,*** ubi dictum fuit quod beneficiarius, si omittit officium recitare post sex menses a die possessionis, ***fructus suos non faciat;*** ergo si non omittit, bene fructus facit suos.

8. Hinc quaeritur an qui recipit dono a beneficiato haec bona superflua graviter peccet, et teneatur pauperibus restituere? Distinctione utendum est: si tali donatione factus non est beneficiatus impotens satisfaciendo suae obligationi, et donatarius bona fide recepit dictos fructus, ad nihil tenetur, nam recepit a clerico qui, probabiliter (ut supra dictum est) erat dominus, saltem cum dominio limitato. Si autem clericus redderetur impotens, et donatarius reciperet fructus praedictos cum mala aut dubia fide, dicimus eum debere maiorem partem restituere pauperibus, iuxta id quod dicetur in simili casu *num.* 130 Dico *maiorem*, quia cum iam sit aeque probabilis cum s. Thoma prima sententia, nempe quod beneficiarius sit dominus absolutus fructuum, non potest ad totum teneri donatarius, sed tenetur tamen ad maiorem partem, quia cum sola opinione probabili non potest quis accipere possessionem alicuius rei, ut dicitur in simili casu (5). Circa administrationem fructuum beneficii observentur quae dicemus *Tract.* 13. ex *n.* 45. loquendo de obligationibus beneficiatorum.

9. Videamus denique quot modis acquiratur dominium. Tribus modis acquiritur, nempe voluntate domini, propter ius naturale gentium, et propter ius positivum. Et I. acquiritur dominium privata domini voluntate, et de hoc erit sermo agendo de contractibus II. Iure naturali gentium, nimirum 1. *Occupatione*, nam res quae dominum non habent primo occupanti conceduntur; §. *Ferae, instit. de rer. divis.* (de Thesauris, et rebus casu inventis loquemur *num.* 69. et 70.).

(1) L. 3. n. 492. (2) S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7. (3) Idem s. Thom. Quodlib. 6. a. 12. ad 3. (4) Epist. 1. Simplicii ad Florent. ap. Harduin. in collect. concil. tom. 2. pag. 380. (5) L. 3. n. 492. v. Quaer. 8.

2. *Nativitate*, propter quam foetus animalium spectant ad dominum stabulorum; §. *Item ea*, *eod. tit.* 3. *Alluvione*, propter quam si insensibiliter fundo alterius aliquid adiicitur, illi acquiritur; secus si patenter; §. *Praeterea*, *eod. tit.* 4. *Accessione*, v. g. si ad tuam vestem consuitur ornamentum aliquod (quod difficiliter separari potest, ut est opus acu pictum), illud fit tuum; §. *Sic tamen*. 5. *Specificatione*, cum datur ab aliquo forma materiei alienae, illi acquiritur, soluto pretio domino rei; §. *Cum ex aliena* (1). 6. *Confusione*, v. g. olei cum oleo; aut *commixtione*, v. g. pecuniae cum pecunia, frumenti cum frumento, tunc res fit possidentis (dummodo res sua sit maior), cum obligatione tamen restituendi domino minoris partis pretium; ut habetur ex *L. Si alieni nummi. ff. de solut.* Et hoc quod de pecunia valet etiam pro aliis similibus, ut dicunt Less. Lugo Vasq. Silvestr. etc. Caeterum dominus minoris partis semper potest ex cumulo accipere suum, ut dicunt probabiliter Less. Castrop. Salm. et Trullench. (2). 7. *Aedificatione*, si aliquis aedificat in suo fundo ex materia aliena, acquirit dominium materiae cum obligatione restituendi duplo maius; si quis autem materia propria aedificat in fundo alieno, totum perdit; §. *Cum in suo, inst. de rer. div.* quia praesumitur velle donare, secus vero si constet noluisse donare (*L. 1. c. de rei vind.*). 8. *Plantatione*, ut si quis arborem alienam in suo solo plantat. Planta tamen si iuxta fines alieni soli consita sit, et radices in illud iecerit, fit communis, §. 31. *Eodem*, etc. Si vero arbor secus alienum fundum posita ramos distendit in proprium fundum, non licet incidere ramos illos, nisi quando proximus admonitus incidere renuit (3). 9. *Perceptione* fructuum bona fide facta, §. *Si quis eod. loc.* 10. *Traditione* rei, qua dominus vult dominium in alium transferre, §. *Per traditionem eod. instit.*

10. III. Denique dominium acquiritur iure positivo praescriptionis. Sed ad praescriptionem quatuor conditiones requiruntur: 1. *Bona fides*, qua possessor rei certo credit rem esse suam. 2. *Titulus iustus* emptionis, donationis, etc. saltem probabiliter praesumptus, aut coloratus, ut dicit La-Croix cum communi (4). 3. *Possessio continuata*. 4. Ut res non sit vitiosa, sed apta praescribi. Quoad tertiam autem conditionem animadvertendum quod possessio debet esse continuata per tres annos pro mobilibus, ut ex § 1. *Inst. de usucap.* sive inter praesentes, sive inter absentes, ut dicunt Less. Anacl. et Verde cum comm. contra Bonac. qui vult quatuor annos inter absentes. Nihilominus Bus. cum Trullench. etc. requirit pro fructibus perceptis duos annos inter praesentes et quatuor inter absentes. Bona autem immobilia praescribuntur spatio decem annorum inter praesentes, et viginti inter absentes, qui in diversis provinciis morantur, ut vult de Lugo. Si vero aliquis partim est praesens et partim absens, anni absentiae sunt duplicandi, v. g. si fuerit praesens octo annos et duos absens, hi duo duplicandi sunt, et 12. anni requiruntur ad praescriptionem. Si autem deesset titulus, tam pro stabilibus, quam pro mobilibus, requiruntur 30. anni. Pro bonis immobilibus Ecclesiae requiruntur 40. anni, *c. 1. de Inst. restit.* et Ecclesiae romanae 100. An autem pro mobilibus Ecclesiae requiratur idem tempus 40. annorum? Affirmant Anacl. Hostiensis Panorm. etc. dicentes, quod in praefato textu nulla fit distinctio; sed Bonac. Less. Laym. Mol. Castrop. et Lug. volunt sufficere triennium. Utraque sententia est probabilis (5). Notandum hic possidentem beneficium tres annos aut illius fructus, iam praescribere iuxta regulam Cancellariae relatam

(1) L. 3. n. 493. ad 497. (2) n. 498. et 499. (3) n. 500. ad 503.

(4) n. 504. et 505.
(5) lib. 3 n. 506. ad 511.

a Croix (1), etiamsi titulus fuisset nullus; dummodo non intercesserit intrusio, aut simoniacus ingressus.

11. Dictum est *possessio continuata;* nam possessio potest interrumpi aut naturaliter per illius cessationem; aut civiliter, ut cum mota est aliqua lis iusta super bona, aut si prosequitur in possessione cum ignorantia legis manifestae, prout tenuimus cum sententia probabiliori Mol. Dicast Croix etc. (contra Lugo Less. Castrop. etc.) quia tunc deficiente fide civiliter bona, leges (vi quarum acquiritur dominium) negant praescriptionem. Si vero cum iam coepta est possessio cum bona fide, supervenerit dubium, et facta diligentia veritas non reperitur, dicunt Anacl. La-Croix et Lugo cum Molin. Less. et communi, ut asserit, praescriptionem non interrumpi (2).

12. Notandum 1. successorem particularem (ut est emptor, legatarius, etc.) possessoris malae fidei bona posse praescribere, nunquam vero haeredem, ut dicunt Molin. La-Croix, et alii communiter; et Neapoli iam sic decisum est a quatuor Rotis S. C. 1738. Et hoc procedit etiamsi esset haeres haeredis, ut probabilius tenent Lug. La-Croix, etc. contra Less. Notandum 2. bona fide posse praescribi etiam liberationem a solvendo aliquod debitum, si debitor invincibiliter ignoret, ut dicunt Lugo et Croix. Item hic advertatur quod in praefata decisione admissa fuit praescriptio 30. annorum in beneficium tertii possessoris, cum bona fides praesumatur usquedum contrarium ab actore evidenter non probetur. Insuper statutum fuit advocatos, et procuratores elapsis duobus annis stipendium suorum laborum non posse contendere. Idem statutum fuit circa notarios quoad scripturas factas, si adhuc copiam non exhibuerint, quia, copia exhibita, eis agendi actio amplius denegatur. Idem pro pharmacopolis respectu debitorum principalium, quia respectu suorum haeredum agere nequeunt post duos menses; artifices post annum; famuli similiter post duos menses. Sed advertatur tales praescriptiones (ut ibi dictum fuit) non habere locum, si actor pro se scripturam publicam sive privatam produxerit. Insuper dictum fuit illas habere locum *non ope praescriptionis, sed vi praesumptae solutionis*: adeo ut in conscientia debitor obligatus remaneat, qui revera sciret debitum non solvisse (3). Notandum 3. certis personis privilegiatis, nimirum minoribus, locis piis, et uxoribus pro dotibus conceditur restitutio in integrum per quatuor annos post praescriptionem completam ad bona praescripta recuperanda (4). Notandum 4. ad praescriptionem requiri ut res sit apta praescribi; unde res furtivae, aut vi possessae nunquam praescribuntur. Illae res tamen, quas tertius possessor recipit bona fide a fure, possunt praescribi, sed requiruntur 30 anni inter praesentes, et 40. inter absentes, alioquin non possunt praescribi. Ad praescribenda vero bona fisci requiruntur 40. anni (5).

13. Denique adnotare oportet communem esse sententiam apud theologos, et iurisperitos etiam in foro conscientiae praescriptione acquiri dominium (ait Caiet. Less. Lug. Silvest. Covarr. La-Croix, et alii). Et probatur ex *cap. fin. de praescript.* ubi tantum reprobatur praescriptio malae fidei; dum bene potest lex humana transferre dominium bonorum ex uno in alium propter commune bonum, ut tot lites evitentur. Et advertendum quod lex communis de praescriptione in nostro regno neapolitano, licet in foro externo non admittatur propter difficultatem probandi bonam fidem, nihilominus non reperitur iam ex ulla alia lege abrogata, ut dicunt Staib. Gallup Prat. Ver. et Amato; quare etiam in nostro regno, ut dicunt praefati aa. con-

(1) La-Croix l. 4. n. 689. (2) L. 3. n. 511. v. Si vero. (3) Lib. 3. n. 516.

(4) n. 514. (5) n. 515.

tra Ursill. et Rovit. (et ut etiam me docuit doctissimus Episcopus d. Iulius Torni) licite uti possumus praescriptione legitime facta.

CAPUT II. DE FURTO

PUNCTUM I. *De essentia furti.*

14. *Quid sit furtum.*
15. *De paupere in extrema aut quasi extrema necessitate.*
16. *De redemptione Christianorum.*
17. *An pauper teneatur ad petendum, etc*
18. *An possit accipere rem magni valoris.*
19. *De fure qui consumit furtum in extrema necessitate.*
20. *An dives, non succurrendo pauperi, teneatur ad restitutionem.*
21. *De compensatione.*

14. Furtum definitur: ***Est occulta et iniusta rei alienae ablatio invito rationabiliter domino.*** Dicitur 1; *occulta*, ut distinguatur furtum a rapina, quae fit vi, et novam culpam iniustitiae addit ratione iniuriae. Quod si res est sacra addit sacrilegium. Dicitur 2. *iniusta*, quia secus non est furtum, nec peccatum, unde fit quod non peccat, v. g. uxor quae aufert nummos a viro, ne cum familiae damno eos dilapidet, aut vinum ne ebrietur (1). Dicitur 3. *invito rationabiliter domino*; nam in duobus casibus potest quis alterius rem accipere, etiam invito domino, nempe in extrema necessitate, et cum iusta compensatio intercedit.

15. Et 1. quoad necessitatem, si quis alienum surriperet sibi, aut alii existenti in extrema necessitate, quantum est mere necessarium, non peccat, intellige, si non habet de proprio, prout dictum est *Tract.* 4. *n.* 19. quia in tali casu bona sunt communia, iuxta quod docent omnes cum s. Thoma (2). Et idem currit pro necessitate quasi extrema, ut dicunt communiter Lugo Less. Sot. Caiet. Azor. Silvest. Carden. Salmant., etc. Ea necessitas esset, cum quis in probabili vitae periculo esset, ut dicunt Navarr. Vasq. Roncagl. et aut amittendi aliquod membrum principale, ut Castropal. Dicastill. et Tambur. aut in periculo fieri captivus, aut ad triremes damnari, aut gravissimum, vel perpetuum morbum, aut infamiam incurrendi, ut Lug. Ronc. Elbel et Sporer, ex s. Thoma. Idem dicit p. Mazz. cum Suar., etc. de periculo prostituendi filiam; sed hoc ultimum probabilius negant Salm. Contra mihi videtur probabilius cum Less. Castr. Bann. Ronc. Viva, etc. posse nobilem sibi providere de re aliena, si esset in extrema necessitate, et ita erubesceret mendicare, ut potius mori contentus esset (3).

16. Sed hic plura dubia cadunt. Et 1. an divites teneantur redimere Christianos a Turcis? Alii communius affirmant cum Azor. Caiet. Maior. et Filliuc.; alii negant, ut Sporer cum Hurt. Sed si Sporer non dubitat concedere alicui alienum surripere, cum reperiretur in periculo fieri captivus, quomodo postea potest eximere divites saltem a contribuendo aliquod mediocre subsidium, ut redimantur ii qui sunt facti captivi? p. Concina sic scribit, et valde probabiliter: Si dives certo scit aliquem captivorum in periculo esse a fide deficiendi, aut vitam amittendi, tunc gravior erit eius obligatio. Caeterum, subiungit, si redemptio magnam summam importaret, ipse non auderet tale onus diviti imponere, quia hoc posset incitare Turcas ad magis vexandos Christianos captivos, et ad maiores incursiones faciendas, quae postea in commune fidelium damnum redundarent (4).

17. Quaeritur 2. an peccet extreme pauper alienum accipiendo, quin prius petat a domino? Coninchius damnat de peccato mortali, sed alii communius, ut Less. Laym. et Concina, tantum de veniali. Nos distinguimus cum Cardin. de Lugo ita: si illa res particularis non est abso-

(1) L. 3. n. 518. et 519. (2) 2. 2. q. 66. a. 7. (3) l. 3. n. 520. (4) lib. 3. n. 520. v. Sed hic

lute necessaria pauperi, ille accipiendo graviter peccat, si eam non petat, quia alias omnes pauperes possent alienum surripere, quin petant. Si autem illa res est sibi absolute necessaria, omnino non peccat, ut dicit s. Thom. (1), quia tunc habet ius sibi eam vindicandi (2). Dictum est *extreme pauper*, quia in gravi necessitate nemini licet alienum accipere, ut habetur ex propos. 36. damnata ab Innoc. XI.

18. Quaeritur 3. an in dicto casu quo illa res est absolute necessaria pauperi ad sibi vitam servandam, possit ille eam accipere cum res esset magni valoris? Negant La-Croix et Concina; sed rectius affirmant de Lugo Sporer et Croix vocat probabile, quia in extrema necessitate pauper ius habet in bona alterius cuiuscumque valoris illa sint. Nec obstat dicere quod in isto casu dives non tenetur (prout caeteroquin vult sententia communior et probabilior) ad succurrendum pauperi tanto dispendio, v. g. erogando ter aut quatuor mille aureorum; ut dicunt Lug. Castropal. Coninch., etc. modo pauper non esset suus pater aut filius; nam charitas non obligat cum tanto incommodo. Dum respondetur cum eodem Cardinali de Lugo, quod sicut in mundi principio, ante bonorum divisionem, utique quilibet poterat sibi de necessario providere, nullus autem contra ex iustitia tenebatur proximo providere; ita in casu extremae necessitatis (in qua bona fiunt communia) potest bene pauper accipere bona divitis, sed non tenetur dives ex iustitia ei providere: teneretur tantum ex charitate: sed charitas (ut dictum est) non obligat cum tanto dispendio. Si tamen in eo casu positive eum impediret, ille peccaret contra iustitiam (quicquid dicat Sporer); quia pauper tunc, cum habeat ius posse uti illa re, habet ius etiam ne impediatur quominus eam accipiat (3).

19. Quaeritur 4. an fur teneatur ad restitutionem ablati, postquam, cum in extremam necessitatem ceciderit, eam consumpsit. Affirmant probabiliter et communius Less. Azor. Conc. et alii, dicentes necessitatem supravenientem non extinguere obligationem restitutionis iam contractam. Sed hoc non obstante sententiam contrariam Castr. Nav. Con. Sporer., etc. (probabilem nuncupatam ab ipso Less.) ego non audeo reprobare ut improbabilem, quia in tali casu fur habet idem ius in eam rem, quam habet quilibet pauper suam faciendi. Nihilominus hoc intelligitur 1. quoties pauper eget ea re in particulari, ut diximus in 3. quaesito. Intelligitur 2. si pauper tunc temporis non solum sit pauper re, sed etiam spe (4); nam sub tali distinctione dicimus etiam cum Castrop. Lug. Valent. Holzm. La-Croix Sporer Salm. et aliis, quod si quis etiam est pauper spe, tunc sicut dives tenetur ei absolute in eleemosynam dare id quo eget, nec satisfaceret si mutuo ei daret, ita pauper, si casu fieret potens restituendo, non tenetur; teneretur quidem, si ipse alibi haberet alia bona, aut saltem spem probabilem illa habendi.

20. Quaeritur 5. an si dives negligeret succurrere pauperi in extrema necessitate, ea elapsa, teneatur ad restitutionem. Affirmant Laym. Concina, dicentes quod pauper tunc iam habebat ius accipiendi bona divitis; sed communissime, et recte negant Less. Lugo Suar. Vasq. Coninch. Sanch. Holzman Salmant., etc. quia cum talis obligatio sit charitatis, ut superius vidimus, cessata necessitate, ad nullam restitutionem obligat; et licet pauper habuisset ius ad bona divitis, nihilominus illorum non acquisivit ius (5).

21. II. Potest etiam res aliena sine ipsius consensu accipi, cum intercedit iusta compensatio. Ad licitam

(1) 2. 2. q. 66. a. 7. (2) L. 3. n. 520. Quaer. 2. (3) l. 3. n. 520. Quaer. 3. (4) Ibid. Quaer. 4. et 5. (5) Ibid quaer. 6

compensationem occultam tres requiruntur conditiones; 1. Ut non fiat cum damno debitoris; 2. ut creditum sit certum et liquidum, 3. ut satisfactio alio modo obtineri non possit, quare creditor debet prius in iudicio postulare: quamquam si hoc negligitur non erit peccatum grave, imo nec leve, si via iudiciaria sumptus, odia, aut alia damna subeunda essent, ideoque regulariter non peccat servus, si occulte sibi compensat, cum a domino salarium conventum ei non satisfit, aut si inique a domino inductus fuit servire pro salario iniusto; sed advertendum quod tunc non potest accipere ultra pretium infimum (1). An autem servi possint sibi compensare de labore extraordinario, vide dicta in *Tract.* 7. *n.* 11.

Punctum II. *De quantitate furti ut sit materia gravis.*

22. *De materiae gravitate respectu diversorum generum personarum.*
23. *et* 24. *De furtis vinearum*
25. *Et lignorum.*
26. *De furtis minutis.*
27. *Reliquiarum.*
28. *et* 29. *De furtis minutis, quae fiunt multis, et praecipue tabernariorum.*
30. *De furtis minutis factis eodem tempore a multis.*
31. *Qui accipit parum post furtum grave*
32. *De furtis filiorum.*
33. *Uxorum.*
34. *Servorum.*

22. Ad iudicium ferendum quando furti quantitas perveniat ad mortale, debet considerari quantitas non solum in seipsa, sed etiam respectu personarum, temporis et loci; v. gr. auferre acum sartori potest esse materia gravis, si ipse non posset ibi habere aliam. qua possit sibi victum comparare. Et ita etiam potest esse grave (saltem contra charitatem) furari rem tenuis pretii, si dominus magnam poenam subiturus esset ob illius amissionem (2). Sed loquendo de furti quantitate in seipsa, haec diversimode mensuratur iuxta diversas dominorum qualitates. Et quia talis commensuratio pendet a sapientum existimatione, ideoque recte dicunt Salmanticenses opiniones in hoc communiores fieri etiam intrinsece probabiliores. I. Respectu pauperum qui mendicant, assignant communius dd. regalem (qui nuncupatur etiam *iulius* aut *argenteus*, qui importat *carolenum* de nostra moneta) et etiam dimidium in casu raro magnae paupertatis et indigentiae. II. Respectu pauperum qui laborant, duos regales: licet diverse loquantur dd. de fossoribus, quam de artificibus, unde dicimus pro fossoribus esse materiam gravem duos regales, sed pro artificibus saltem requiri duos regales cum dimidio, si lucrum eorum diurnum tantum sit aut maius. III. Respectu eorum, qui propriis reditibus vivunt, Concina et Bonac. assignant pro materia gravi tres iulios; communius vero alii assignant quatuor, et alii usque ad quinque. Nihilominus in hoc puto distinguendum: nam nonnulli, licet vivant reditibus suis, attamen vitam ducunt angustam: et pro istis erunt materia gravis tres regales, et forsan minus si valde misere vivunt. Contra pro persona valde opulenta Cardinalis de Lugo requirit sex aut septem regales. IV. Respectu mercatorum nimis divitum multi dd. requirunt tres florenos (florenus aequivalet tribus regalibus); sed haec summa videtur mihi nimis excedens; libentius adhaereo Croix, qui quoad istos requirit octo regales; pro aliis mercatoribus vero mediocris fortunae dd. requirunt quatuor regales; sed ego puto pro iis, qui tenui sunt patrimonio, sufficere pro materia gravi etiam duos regales cum dimidio. V. Respectu magnatum communius requirunt aureum (nempe ducatum sive scutum); licet alii quid maius velint. Et idem dicunt Sanch. et Card. respectu communitatis valde opulentae. VI. Respectu denique regum dicunt non esse materiam gravem summam excedentem duos au-

(1) lib. 3. n. 521. (2) n. 526.

reos; ita Sotus Silvester Wigandt Laym. p, Nav. Bann., etc. (1).

23. Notandum tamen 1. quod in furtis rerum expositarum, ut sunt fructus iuxta vias, et ligna in silvis, ut furtum sit grave requiritur materia maior (2).

24. Sed hic dubitatur 1. an liceat vesci uvis in vinea aliena? Admittunt Covar. Valer. Ripa, etc. adducentes textum Deuteronomii: *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum* 23 24. Et idem dicit Abulensis de pomis et aliis fructibus. Contra hoc negant de Lugo et Holzman, dicentes hoc intelligi pro solis Hebraeis; imo pro solis vindemiatoribus, qui in eadem vinea laborant. Hae duae assertiones attamen non probantur, dum Ioseph Hebraeus, et multi alii auctores apud Calmet sentiunt textum non solum loqui pro Hebraeis, sed pro omnibus aliis; et quod intelligatur non solum de vindemiatoribus, sed de omnibus praetereuntibus, videntur probare eadem verba textus, *Ingressus vineam, etc.*, quae verba potius denotant itinerantes, quam alios, qui iam existunt in vinea laborantes. Quare primam sententiam non puto improbabilem. Caeterum de Lugo concedit quemlibet posse accipere unum vel alterum pomum, aut duas uvas de vinea per quam transit (3).

25. Dubitatur 2. an liceat lignari in silva aliena? In hoc oportet distinguere ligna communitatis ab iis quae sunt privatorum. Si silva est communitatis, licet possit communitas sub aliqua poena prohibere, ne ligna exportentur (modo adsit alius locus unde commode possit quisque sibi providere), nihilominus dicunt communiter dd. cum silva est totius communitatis, incolas qui contra prohibitionem incidunt, non peccare mortaliter (imo volunt Sotus Sanch. Salmant. Angel. Cordub. non peccare ne venialiter quidem), neque teneri ad aliquam restitutionem, sed ad solam poenam post iudicis sententiam. nam talis prohibitio reputatur ut lex mere poenalis, quae non obligat ad culpam. Et idem dicit de Lugo Mol. Bonac. Filliuc., etc. de eo qui incidit ligna de silva communitatis vicinae quia tunc praesumitur contenta esse illa communitas de solis poenis, quas exigit, semper ac non exposcit restitutionem. Hoc nihilominus intelligitur, modo incisores magnam non facerent stragem arborum cum magno communitatis damno; unde Sanch. cum Henriq. excusant qui incideret unam tantum sarcinam in die pro usu proprio, aut duas in hebdomada, ut vendat et ex percepto familiam alat. Idem tanto magis valet, ut dicunt Sotus Mol. Sanch. Bonac., etc. cum adsunt duo oppida vicina, quorum incolae solent ad invicem incidere ligna in suis silvis. Hoc valet pro silvis communitatis; sed si essent silvae privatorum (quicquid dicant alii) dicimus cum Soto Molina Bonac. et aliis multis, eos, qui incidunt ligna, teneri ad restitutionem; quia domini absolutum habent dominium super suis silvis, ita ut suo arbitrio possint vendere aliis ligna. Et idem recte dicit Croix de privatis qui ab ipsis communitatibus emerunt, aut conduxerunt omnia ligna; quia tunc communitas totum suum ius, quod habet super silvis, transfert illis. Quod vero dictum est de silvis, dicitur etiam de pascuis (4).

26. Notandum 2. maiorem materiam requiri ad constituendam culpam gravem in furtis minutis, quia licet sit proscripta haec propositio 38. ab Innoc. XI. *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis*; unde bene potest fieri materia gravis, etsi furta omnia facta sint in materia parva, et etiamsi fa-

(1) Lib. 3. n. 527. et 528. (2) n. 529. v. 3. Plus. (3) L. 3. n. 529. Quaer. 2.

(4) L. 3. n 529. quaer. 1.

cta sint diversis dominis; ut dicemus *num. sequenti*. Nihilominus volunt communiter dd. in furtis minutis requiri maiorem materiam; et hac maiorem si facta sint diversis dominis, et amplius maiorem si in diversis temporibus. Dicunt Less. Trullench. et Villalob. indistincte pro furtis variis vicibus factis requiri duplo maiorem materiam ut sit grave: v. g. si pro una vice requiruntur quatuor iulii, pro pluribus vicibus requiruntur octo. Sed mihi videtur aequa sententia aliorum, qui maiori distinctione loquuntur et dicunt quod, si furta facta sint pluribus vicibus, et diversis eodem tempore, requiritur dimidio plus, nempe sex iulii. Si autem diversis personis, et diversis temporibus, duplo maius, id est octo. Sed hoc intelligitur, modo fur a principio non haberet animum accipiendi materiam gravem, quia tunc currit eadem regula quae currit in alio furto una vice facto. Contra non intelligitur quando inter unum et aliud furtum intercederet magnum intervallum; nam tunc furtula non coalescunt in materiam gravem. Dubitatur autem inter dd. quodnam intervallum iudicetur ita magnum, ut excuset a restitutione sub culpa gravi? Laym. dicit unum annum; Tolet. Nav. Filliuc. Vivald. dicunt unum mensem et etiam quindecim dies, sed ego assentio Ronc. et Viva, qui refellunt hanc opinionem, tantum admittit Viva, si materia esset valde tenuis; et Ronc. videtur idem sentire, dicens requiri intervallum saltem duorum mensium, quando materia cuiuslibet furti accederet quasi ad gravem (1). Itaque iuxta hanc opinionem intervallum duorum mensium excusat a gravi obligatione restituendi furtula inter duos menses facta, quae materiam gravem non attingunt.

27. Notandum 3. quod sicut non peccat graviter qui differt restitutionem per breve tempus, ut docent communiter Sanch. Rebell. Vasq. Sayr. Lugo et La-Croix; nec culpam esse mortalem surripere summam gravem alterius cum animo cito restituendi (2) Et hic obiter notandum quod qui furatur aliquam minimam partem sacrarum reliquiarum in romano districtu incurrit excommunicationem latam a Clem. VIII. Contra probabiliter excusant a culpa gravi Sanch. Castropal. Croix Bonac. et alii eos, qui alibi surriperent aliquam portiunculam reliquiarum, quin eas deforment, modo non esset aliqua reliquia insignis aut rara, ut s. Crucis, aut vestis Christi, aut capillorum SS. Virginis (3).

28. Notandum 4. circa furta minuta aliquos, ut Angelus p. Navarr. et Med. dixisse, huiusmodi furta cum diversis dominis sunt facta, non importare gravem restitutionem. Nihilominus haec opinio est contra communem, et debet omnino reiici, ut recte dicunt Lugo Sanch. Salmant., etc., unde semper ac huiusmodi furta minuta simul unita deveniunt ad materiam gravem (iuxta dicta *num.* 22.) sub gravi debet restitui. Ratio, quia praeceptum non furandi obligat non solum ne damnum grave inferatur proximo, sed etiam ne quis re aliena ditescat (4); quando tamen sunt facta diversis, semper requiritur materia maior, ut dictum est *n.* 26. Sed hic fit dubium, cuinam in tali casu restitutio facienda sit? Si domini sunt incerti, non dubitatur quin tunc facienda sit pauperibus aut locis piis, ut dicetur fusius *n.* 67. Si autem domini sunt certi, iuxta regulam generalem videtur quod ipsis facienda sit restitutio, licet sit parva uniuscuiusque portio; nihilominus puto cum aliis doctis (quos super hoc puncto consului) non peccare graviter qui restitueret pauperibus loci: nam fur huiusmodi non iam intulit in tali casu grave damnum dominis, sed reipublicae, quae quia tunc ad ipsam pertinet ius principale bonorum ablatorum, ideo praesumitur illa non

(1) L. 3. n. 530. (2) n. 531. (3) n. 532.

(4) N. 534. v. Hic quaer. 1.

esse graviter invita, si restitutio fiat pauperibus, aut locis piis, qui sunt partes magis indigentes. Hinc concludimus quod fur, restituendo pauperibus, aut locis piis loci, excusabitur a mortali; et etiam a veniali si adest aliqua causa, qua non posset sine gravi incommodo aut infamiae periculo fieri restitutio dominis, aut si adessent pauperes nimis indigentes quibus praesumerentur ipsi domini assentire restitutionem fieri (1). Et idem dicimus de restitutione quae facienda esset a tabernariis pro furtis minutis v. g. olei, vini, etc. in tali enim casu dicimus cum sententia communissima quod (per se loquendo) restitutio non potest fieri pauperibus, ut dicunt aliqui, sed civibus qui ordinarie prosequuntur in iisdem tabernis haec rerum genera emere; sed qui restituisset pauperibus, propter rationem supra allatam excusaretur a peccato gravi, et etiam levi, si non posset fieri restitutio civibus sine periculo, aut sine notabili incommodo (2).

29. Notandum 5. quamvis pro gravi obligatione restitutionis requiratur culpa gravis theologica, ut dicemus *n.* 39. nihilominus in furtis minutis cum quis devenit ad materiam gravem, eum obligatum esse sub gravi ad restitutionem; licet in ultimo furto, quod complevit materiam gravem, non animadverterit peccatum mortale; nam tunc tenetur non iam pro iniusta acceptione, sed pro iniusta retentione rei alienae: ita communiter Lugo Card. Viva Tamb. La-Croix, etc. contra paucos. Advertendum tamen quod tunc, ut iste liberetur a culpa gravi, satis erit restituere illam solam materiam parvam, quae complevit gravem, uti dicunt Less. Sanchez Bonac. Vasq. Elbel. et La-Croix contra alios (3).

30. Notandum 6. si accideret quod multi furarentur parvam materiam, modo communi consilio id non facerent, neminem eorum peccare mortaliter, quamvis quisque advertisset furtum alterius, et grave damnum quod domino causaretur, ita communiter Habert Lugo Less. Sanch. Salmant., etc. et hoc procedit licet furarentur eodem tempore, ut dicunt Less. Sot. et Sanch. (contra Lugo), quia tunc nemo revera est per se causa damni domini, cui damnum per accidens grave redditur. Et licet alter moveatur alterius malo exemplo, est communis sententia Moli . Bonac. Less. Sanch. Lugo Salmant. et aliorum, quemlibet eorum qui surripiunt parvam materiam cum gravi damno domini peccare graviter contra charitatem ratione scandali, quod vicissim sibi praebent, sed non contra iustitiam; nam exemplum non est causa, quae positive influit in damnum alienum (4).

31. Notandum 7. quod si quis, completa iam materia gravi, facit alia furta minuta, volunt Lugo La-Croix, etc. semper eum novum grave peccatum committere; sed probabilius dicunt Less. Bonac. Tapia et Salm. reliqua furta subsequentia non esse mortalia, nisi deveniant ad novam gravem materiam (5).

32. Notandum 8. furta domesticorum, ut filiorum, uxorum et famulorum, ut sint gravia, requirere maiorem materiam; dum domini respectu horum sunt minus inviti, aut saltem minus rationabiliter inviti, quam respectu extraneorum: et saepe sunt inviti magis quoad modum (quod clam accipiatur), quam quoad substantiam. Et loquendo sigillatim 1. circa furta filiorum, dicunt Less. Navar. et Filliuc., etc. non peccare graviter filium qui patri diviti furatur duo, aut tria scuta; imo dicit Ban. quod a patre valde opulento non est mortale furtum, nisi ascendat ad 50. scuta; sed hoc rationabiliter respuunt de Lugo et La-Croix nisi esset filius principis. Et idem dicit Holzm., qui contra admittit non esse grave ac-

(1) L. 3. n. 534. quaer. 2. (2) n. 595. (3) n. 553. (4) n. 537. et l. 2. n. 45.

(5) n. 538.

cipere decem scuta a patre nimis divite; Sanch. admittit usque ad sex. Si vero pater mitteret filio, qui alibi studeret, centum scuta, dicunt probabiliter Sot. Navar. Laym. etc. filium posse impendere quinque eorum in honestas recreationes (1). Advertit tamen Less. quod licet filius peccasset graviter furando patri, non est obligatus restitutioni quando furtum est iam consumptum, et praesumitur pater nolle ad tantum eum obligare (2). An autem filius negotiando in domo paterna possit sibi compensare de salario suorum laborum, observetur quid dicemus infra *punct.* 10. *num.* 228. loquendo de societate.

33. 2. Circa furta uxorum etiam requiritur maior materia. Potest ceteroquin uxor accipere aliquid pro expensis necessariis familiae, si vir parum curat de eis, ut dicunt Bonac. Trullench. et Bus. (3). Praeterea si uxor habet parentes, aut filios alterius matrimonii pauperes, potest accipere aliquid ex bonis communibus, et etiam viri, quantum sufficit illis, ut iuxta eorum statum vivant, licet vir repugnet, quia eius repugnantia est irrationabilis; ita Navar. Castrop. Less. Busemb., etc. imo Lugo Mol. Sanch. Less. et Trull. admittunt hoc etiam pro fratribus pauperibus. Advertendum tamen quod, si uxor dat bona viri aut communia filiis egenis primi matrimonii, tenetur post suam mortem recompensare filiis secundarum nuptiarum (4). Insuper bene potest impendere in eleemosynas et dona, iuxta sibi aequalium morem, ut communiter dicunt dd. Dicit Mol. cum nonnullis aliis posse uxorem impendere in hoc vigesimam partem annuorum redituum sui viri, nempe quina in centena, sed haec summa merito iudicatur excedens a Lugo Sporer, etc. saltem universaliter loquendo (5).

34. 3. Circa furta servorum communiter dicunt dd. ut Less. Caiet. Navarr. Sanch. Sporer Busemb, etc. quod furta minuta, quae fiunt a servis de cibis, qui non solent caute servari, nunquam deveniunt ad culpam gravem; modo illos non vendant, aut foras extrahant: et modo non accipiant in extraordinaria quantitate; aut (addendum) si non essent res pretii extraordinarii (6).

CAPUT III. DE RESTITUTIONE.

PUNCTUM I. *Unde oritur restitutio, et ob quam culpam illa debetur.*

35. Praesens materia restitutionis sedula consideratione indiget, tum quia scatet quaestionibus implicatissimis, tum quia confessarius aeque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem poenitentes qui restituere tenentur, ac si obliget qui non tenentur. Et praecipue si obliget eos qui sunt possessores bonae fidei, qui etiam ex sententia auctorum qui rigorem profitentur (ut Habert Natalis de Alexand. Wigandt, Henno, etc.), non debent cogi, ut se privent suis bonis, nisi constet eos iniuste possidere alienum. Ideoque tam in hac materia restitutionis, quam in ea capitis sequentis de contractibus, in opere maioris molis theologiae moralis curavi operam et diligentiam extraordinariam impendere. Idcirco opus est etiam, ut in hac praxi fusius solito sermonem proferam in notando dd. varietatem opinionum circa multas quaestiones, et eorum rationum momenta, saltem strictim cursimque, quam potui.

36. Restitutio definitur: ***Est actus iustitiae commutativae, quo reparatur damnum proximo illatum per in-***

(1) l. 3. n. 543. (2) n. 544. (3) n. 541 v. 5. (4) n. 542. (5) n. 540. (6) n. 545.

iuriam. Dicitur 1. *actus iustitiae*, quia non omnis laesio, quae proximo infertur (ut si esset contra charitatem aut aliam virtutem) inducit restitutionis obligationem, sed dumtaxat illa qua laeditur ius quod proximus habet *in re* vel *ad rem* super aliqua re. Dicitur 2. *iustitiae commutativae*, quia laesio iustitiae legalis, quae respicit legum observantiam et distributivam quae respicit personarum merita circa praemia, aut poenas non inducit restitutionis obligationem. Dicitur 3. *quo reparatur damnum proximo illatum per iniuriam*; quia restitutionis obligatio non oritur tantum ex furto, sed etiam ex damno quod fit proximo cum eius iniuria (1).

37. Radices sive rationes restitutionis, quae communiter a moralistis assignantur, duae sunt: 1. *Ex iniusta acceptione*, cui coniungitur radix *ex iniusta damnificatione*. 2. *Ex iniusta retentione*, cui coniungitur altera radix *ex obligatione contractus* (2).

38. Praeterea advertendum est alteram esse culpam theologicam quae afficit conscientiam, et proprie est peccatum. Alteram esse iuridicam quae respicit leges; et haec dividitur in *latam* quae est cum omittitur diligentia, quam ordinarie adhibent omnes: in *levem* cum omittitur diligentia, quae adhibetur a viris diligentibus: et *levissimam*, cum omittitur diligentia, qua utuntur diligentissimi. Et loquendo de hac culpa iuridica, dicunt dd. si contractus est in commodum recipientis rem, ut sunt precarium, et commodatum, commodatarium teneri ad restitutionem ob culpam levissimam: si contractus est in commodum habentis rem, ut est depositum, depositarium teneri tantum ob culpam latam; si vero contractus est in commodum utriusque partis, tunc recipientem teneri ob culpam levem (3).

39. Hoc posito, dicunt communiter dd. ob solam culpam iuridicam neminem teneri in conscientia ad restitutionem sub culpa gravi, nisi adsit etiam culpa theologica gravis; ita Nav. Sotus Azor. Less. Cabass. Lugo Laym. Salm. Ronc. et ceteri omnes. Ratio est quia, ut conscientia obligata remaneat, opus est ut in conscientia sit patratum delictum; et quia obligatio est gravis, oportet ut gravis fuerit culpa. Hinc qui non intendit, nec praevidit damnum proximi (saltem in confuso), etiamsi det operam rei illicitae, ad nihil tenetur: prout ad nihil tenetur fur qui furatum pergens, furtum non fecit, attamen sua profectione fuit causa (sed omnino casualiter) incendii segetum; ita Less. Rebell. Bonac. Salm. et alii communiter (4).

40. Quaeritur 1. an culpa venialis obliget ad restitutionem? Oportet distinguere: si culpa est venialis ratione parvitatis materiae, utique obligat ad restitutionem, sed non amplius quam sub levi. Si autem culpa est venialis ratione imperfectae advertentiae, aut non pleni consensus (ambae conditiones necessariae ad peccatum mortale, ut dictum est *Tr.* 3. *num.* 24. *et* 26.), tunc alii dicunt, ut Layman Mol. La-Croix, etc. inducere obligationem restituendi tantum materiam levem, pro modo culpae. Sed sententia communior, et probabilior Lessii Lugo Sanch. Azor. Sa p. Navar. Filliuc. Ronc. Viva et aliorum multorum, tenet inducere nullam obligationem restitutionis, nec sub culpa gravi, nec levi. Ratio est: non sub culpa gravi, quia talis obligatio proportionem non habet cum culpa levi: non sub levi, quia levis obligatio proportionem non habet cum materia gravi (sic ratiocinatur sapientissimus Cardinalis de Lugo, qui in decidendis dubiis investigare bene scivit rationes intrinsecas, quin aliquis sibi ducatum praebuerit); tanto magis quod culpa quae perfecte non est deliberata, non potest inducere

(1) L. 3. n. 547. (2) N. 548. (3) N. 549. (4) N. 550 et 551.

perfectam obligationem (1).

41. Quaeritur 2. an in contractibus sufficiat culpa iuridica, ut obligetur quis ad restituendum, vel solvendum? Affirmant probabiliter Laym. Navarr. Mol. Vasq., etc. quia ad id obligat lex contractuum cui contrahentes se subiiciunt; sed non improbabiliter negant Sotus Tolet. Less. Lugo Filliuc. Sa Croix Ronc. Salm., etc. qui dicunt aequum non esse obligare aliquem in conscientia ad gravem poenam sine gravi sua culpa, quoties non constat eum voluisse se subiicere soli culpae iuridicae. Et idem probabiliter dicunt Sotus Less. Lugo Vasq. Salm., etc. de culpis commissis in officiorum administratione (2).

Punctum II.

De iis qui restituere tenentur.

42. Praeter principales qui furantur, aut damnificant rem alienam, ad restitutionem tenentur omnes cooperatores, qui sunt causa influens et efficax damni proximi, aut qui ex iustitia tenentur damnum impedire, et non impediunt. Hi comprehenduntur sequentibus versibus:

1. *Iussio*, 2. *consilium*, 3. *consensus*, 4. *palpo*, 5. *recursus*,
6. *Participans*, 7. *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*.

43. Et incipiendo a 1. *iussio*. Tenetur restituere mandans qui expresse aut tacite iussit aliquod damnum fieri; non autem ille qui tantum approbavit aliquam damnificationem factam; aut antequam mandatum executioni daretur, illud revocavit, mandatario revocationem significando (3).

44. II. *Consilium*. Tenetur etiam restituere qui damni consilium dedit: prout etiam qui alium inducit ad inferendum damnum, contra propos. 39. damnatam ab Innoc. XI. quae eum excusabat. Notandum hic 1. licet consilium dans non teneatur ad restitutionem, cum graviter non peccavit in dando malo consilio; tamen postea tenetur ex iustitia facere quantum potest sine suo gravi incommodo, ut impediat damnum, prout tenetur etiam ex iustitia ignem extinguere, qui sine culpa sua gravi domum alienam incendit; Sanch. Less. Viva, etc. communiter (4). Notandum 2. si executor erat iam determinatus ad damnum ferendum, tunc ad nihil teneri consilium dantem, ut dicunt communiter Les. Mol. Vasquez, Busemb. Viva, et alii ex s. Thoma (5), qui docet iniuriam sine damno ad restitutionem non obligare: *Si aliquis passus sit iniuriam* (sunt verba s. Doct.), *et non damnum, illi non facienda de iure restitutio realis*. Secus autem esset si executor motus sit etiam ex consilio, quia tunc consilium dans est iam causa efficax damni (6).

45. Sed dubitatur 1. an teneatur ad restitutionem consilium dans in

(1) L. 3. n. 552. et 553. (2) N. 554. et 555. (3) n. 557. et 558.

(4) lib. 3. n. 564. in fin. (5) Opusc. 73. c. 20. (6) L. 3. n. 561.

dubio an suum consilium fuerit necne causa damni? Negant Silvest. p. Navar. Rebell. Henriq. Salm. Busemb. Elbel, Dicast., etc.; et huius opinionis videtur esse etiam s. Thomas (1), qui dicit tunc tantum teneri consilium dantem aut palponem, *cum probabiliter aestimari potest quod ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsecuta*; et illud *probabiliter* facile intelligi potest de probabilitate pro una sola parte, ita ut constituat persuasionem moraliter certam. Ratio horum dd. est, quia nemini potest imponi obligatio certa restitutionis, nisi est certus se causam damni fuisse. Contra affirmant Habert, Lugo, Sanch. La-Croix, Ronc. etc., et dicunt in tali dubio possidere delictum, et praesumptionem quod ipse consilium dans fuerit causa damni. Hoc non obstante non puto improbabilem primam sententiam, quia non semper, ut dicit ipse Angelicus loco citato, consilium in effectum operatur. P. Concina tenet consilium dantem in tali casu teneri pro rata dubii; sed nos replicamus quod nemo potest certa obligatione onerari, cum non fuit certa causa damni. Si tamen consilium dans iam fuit damni causa, ille tenetur restituere, licet non defuisset qui idem consilium fuisset daturus (2). Hoc vero quod dictum est circa consilium dantem, dicitur de quolibet alio cooperatore in dubio suae cooperationis (3).

46. Dubitatur 2. cum aliquis iam est paratus ad damnum inferendum, et tu tantum suades modum, aut tempus, v. g. veneno, et non gladio, aut hodie, non cras, etc. an tenearis ad restitutionem? Affirmant Caiet. Molin. Viva, etc. quia (ut dicunt) executio damni sine tuo consilio fuisset incerta, cum potuisset ille a voluntate desciscere. Sed communiter negant Less. Laym. Lugo, Holzman. et Sporer; et dicunt probabile esse Salm. cum s. Antonino, Navar., etc. quia in tali casu consilium dans non est causa efficax quoad damni substantiam: et rationi oppositae respondent, quod tunc non possidet iam consilium, sed prava determinatio iam facta ab executore. Ego attamen dico, quoties dubium est an executor voluntatem mutasset, aut si damnum non eodem modo accidisset, teneri consilium dantem ad restitutionem; nam possidet pravum consilium quod iam suum certum effectum assecutum est (4). Secus vero si esset moraliter certus quod damnum sine suo consilio etiam evenisset.

47. Dubitatur 3. an illi, qui paratus est damnum maius inferre, possit suaderi minus? Respondemus affirmando cum Sanch. Bonac. Busemb. Viva, etc. modo damnum sit circa eamdem personam; dum nequit suaderi damnum (licet minus) alteri particulari inferendum, et neque (ut ego sentio cum Sporer contra Vivam) in genere aliis, quia tunc consilium etiam fit causa damni alterius (5).

48. Dubitatur 4. an consilium dans deobligetur, cum revocat consilium ante damni eventum? Prima sententia communissima cum Less. Lugo, Habert, Croix, Holzm. et Sporer distinguit: si simplex consilium dedit, sufficiet ut revocet illud; non autem si etiam modum, aut motivum damni exequendi insinuavit. Ratio est valida, quia tunc, licet revocetur consilium, motivum et modus data semper pergunt movere; prout qui ignem domui applicat, licet conetur extinguere illum, etiam tenetur ad damnum. Secunda sententia contra cum Concina, Merbes. s. Ant. Azor. Navar. Salmant., etc. (et eam vocant probabilem Less. Laym. Bonac. Roncag., etc.) excusat consilium dantem, semper ac ille modo, quo meliori potest, conetur damnum dissuadere: saltem adducendo rationem aeternae salutis, quae cuicumque rationi humanae praevalere debet. Nec obstat (ut dicunt) paritas ignis, quia ignis operatur necessario; sed cum consi-

(1) 2. 2. q. 62. a. 7. (2) l. 3. n. 562. (3) n. 575. (4) n. 563. (5) n. 565.

lium est revocatum, damnum non amplius accidit causa sua, sed malitia executoris. Non possum negare hanc sententiam esse probabilem, saltem auctoritate dd. qua fulcitur; sed utique prima mihi videtur probabilior. Sed in tali casu (ut advertunt Salm. Sporer, etc.) tenetur ex iustitia consilium dans partem admonere, ut caveat sibi a damno (1).

49. Dubitatur 5. an teneatur ad restitutionem qui ex ignorantia (sed culpabili) alicui suadet aliquod in illius damnum? Respondetur cum Less. Laym. Holzman, et Viva, quod si qui consilium praebet iudicatur in suo officio, v. g. confessarii, advocati, etc. peritus, tunc tenetur; secus vero si pro ignaro habetur, quia tunc damni eventus potius imprudentiae illius, qui consilium exequitur ignari, imputatur: intelligitur, modo consilium non sit datum dolo, sive animo pravo nocendi, quia tunc semper consiliator malus tenetur (2).

50. III. *Consensus:* intelligitur illius qui iniuste suffragium dat sive votum, et suum votum est causa damni; quia illi qui non sunt causa, prout sunt ultimi ad votum dandum, peccant quidem, sed non tenentur ad restitutionem, modo ex communi consensu in conclusionem iniustam non convenerint. Sed quaeritur quid dicendum cum quilibet suffragium ferentium non est certus, an suum votum fuerit causa damni? Alii dicunt omnes teneri *in solidum*; alii contra neminem ad aliquid teneri. Sed vera sententia cum Lug. Molin. et Sporer, est quod quilibet tenetur tunc pro sua rata ad damnum reparandum; et si alii non restituunt, teneri ad totum. Nec obstat quod superius *n.* 45. dictum est quod cooperans non tenetur, quando nescit se fuisse certam damni causam; quia in nostro casu quilibet suffragium ferentium, saltem ius, quod habebat damnum patiens ad recuperandum ab aliis suffragatoribus damnum acceptum, deterius fecit, et ideo quilibet tenetur ad totum damnum, si alii non restituunt (3).

51. IV. *Palpo*: intelligitur adulator qui inducit aut animum addit alicui ad damnum alteri ferendum, eum laudando, aut eius animi abiectionem exprobrando (4).

52. V. *Recursus*: intelligitur ille qui furem, aut res ablatas in tutum locum recipit. Hic tenetur ad restituendum semper ac est causa furti facti aut faciendi; et sic tenentur caupones qui accipiunt furta servorum, aut filiorumfamilias. Sed non tenetur caupo, qui post patratum furtum coadiuvat furem ad fugiendum; aut hospitaliter furem et furta in tutum recipit ex suo officio aut amicitia, ut dicunt communiter Conc. et Salmant. cum aliis. Hoc tamen intelligitur, ut bene advertunt Croix, Busemb. et Concina, modo caupo propter hoc non esset causa furtorum faciendorum (5).

53. Hic autem incidit sermonem facere de illa difficillima quaestione, utrum emptor bonae fidei rei furtivae possit eam restituere furi, ad recuperandum suum pretium? Prima sententia (quae est communissima) id permittit, cum nullus alius modus occurrit recuperandi pretium solutum. Ita s. Anton. Lugo, Navarr. Less. Silv. Rebell. Soto, Holzm. Salmant., etc. qui dicunt quod emptor ex hoc non infert iniuriam domino, quia rem in eodem statu in quo erat reponit. Secunda sententia negat cum Laym. Caiet. Mol. Croix, Concina, etc. qui volunt rem restituendam esse domino, quia cum e furis manibus liberata sit, iam in statu meliori existit; unde restituendo eam furi, non iam in pristinum statum remittit, sed in deteriorem. Haec sententia est valde probabilis, sed non minus est probabilis prima; etenim respondet Card. de Lugo rationi oppositae: 1. Quod emptor non tenetur servare rem domino cum proprio da-

(1) L. 3. n. 559. (2) N. 564. (3) n. 566. (4) n. 567. (5) n. 568.

mno: si quis (dicit) sumeret vestem alterius quam reperit, et postea animadverteret retentionem illius fore sibi damno, bene in eumdem locum coniicere potest, licet praevideat alios fore eam sumpturos. 2. Emptor (et haec est ratio potior) cum habeat ius ad rescindendum contractum, non potest ei denegari actio reddendi rem furi; nam talis actio absolute necessaria est ut rescindat contractum, et ut pretium suum recuperet, licet per accidens eveniat domini damnum (1). Et, ut dicunt Tolet. Prad. Silvest. Alens. Holzm. et alii (et probabile dicunt Less. Lugo, et Busemb.), hoc procedit etiamsi emptor mala fide emisset, quia tam emptor malae, quam bonae fidei habet idem ius pretium suum contractus rescissione recuperandi. Et licet ille malae fidei peccaverit in recipiendo rem a fure, nihilominus neque pro illa rei acceptione, neque pro redditione furi, est causa domini damni, cum iam habeat ius eam illi reddendi (2). Sola enim iniuria proximo illata non obligat ad restitutionem, cum illa non est damni causa, ut dictum est *praec. n.* 44. cum s. Thoma (3).

54. VI. *Participans*: participans bifariam intelligi potest: aut ille qui participat de furto, et hic tenetur ad illam partem solam quam recipit, quoties ille non fuit causa damni ab aliis illati, quia tunc tenetur ad totum: aut ille est particeps actionis furti; et super hoc plures quaestiones occurrunt. Quaeritur 1. an quilibet participantium, qui ad furtum concurrunt, teneatur restituere *in solidum*, nempe totum damnum? Distinguendum: si res est divisibilis ut vinea, frumenti acervus, etc. tunc motor principalis tenetur ad totum: reliqui ad solam suam partem, ut dicunt Lugo, Less. Navarr. Bonac. Salm., etc. licet ex communi consilio furentur; modo (excipiendum) alter non moveat, aut animum excitet alterius ad furandum; et idem esset si quolibet non concurrente furtum non fieret, nam tunc omnes tenentur *in solidum*. Quamvis quoad praxim rudes cum difficultate sibi suadere possunt teneri ad restituendum quod fuit acceptum ab aliis, et contra in eo casu praesumuntur ipsi domini fore contenti de sola uniuscuiusque parte, ob timorem ne nihil recipiant, si cogerentur illi ad restituendum totum. Hinc est quod confessarius quemlibet istorum (praecipue, si est conscientiae parum meticulosae) hortetur ut restituat quod debet, quin quantitatem explicet, se remittens dictamini illius conscientiae (4).

55. Sed maius dubium urget quando res est individua, v. gr. cum multi incendunt aliquam domum, navim, etc., an omnes teneantur restituere in solidum? Multi probabiliter affirmant, ut Sotus, Sanchez, Caiet. Rone. Salmant., etc., quia tunc quilibet est causa moralis totius damni. Sed probabiliter etiam negant Silvest. Nav. Lugo, Spor. et alii qui dicunt quemlibet istorum teneri tantum ad suam partem; quia sicut qui concurrit ad partem damni dividui, licet cum aliis concurreret ad totum damnum, non tenetur nisi ad solam suam partem, ratione habita portionis rei circa damnum illatum; ita etiam qui ex parte concurrit ad aliquod damnum individuum, ad eam tantum partem tenetur ob causalitatem partialem, sive influxum partiarium, quem ille in ea re immittit. Sed hoc debet intelligi, quoties sine suo concursu etiam evenisset; quia si deficiente uno cooperantium, damnum non evenisset, tunc, ut dictum est, quilibet tenetur ad totum (5).

56. Dubitatur 2. an qui timore gravis damni inductus cooperatur in alterius damnum, excusetur a peccato, et a restitutione? In hac quaestione dd. locuti sunt valde confuse nec pro mea imbecillitate mihi vi

(1) L. 3. n. 669. (2) n. 570.
(3) Ibid. in fine. (4) n. 579.

(5) n. 579 v. Quaeritur

dentur punctum attigisse mediis propriis principiis. Nonnulli universaliter excusant huiusmodi cooperantem, ut Sanchez, Less. et Busemb. Alii vero eum damnant, si eius actio proxime in damnum concurrit, ut esset arcam infringere, res e domo extrahere, et huiusmodi; excusant autem si actio est remota, ut scalam tenere furi, claves tradere, transvehere furta; ita Bonac. Spor. Holzman, et Salm. licet Salmanticenses alibi dicant etiam has actiones remotas esse intrinsece malas, quia omnes (ut dicunt) cooperantur in actionem iniustam furis, unde etiam ob istas cooperationes damnant cooperantem de peccato, et restitutionis. Ego in opere meae moralis alio modo hoc punctum distinxi, dicendo diversimode esse considerandam cooperantis actionem quoad domini damnum et diversimode quoad furis peccatum. Quoad damnum, dixi neminem posse cooperari ad damnum alterius, ut liberetur a suo, quando damnum est eiusdem ordinis. Qua de re fit, ut etiam cum periculo mortis tenear denegare gladium volenti occidere inimicum; quia non possum, ut me caveam a morte, cooperari positive in mortem proximi (1). Secus vero si damnum meum esset altioris ordinis, dum ut effugiam mortem aut infamiam, bene quidem cooperari possum in damnum alterius bonorum; quia tunc ego existens in extrema necessitate, dominus eorum esset irrationabiliter invitus, si repugnaret meae cooperationi (2).

57. Quoad peccatum furis, dixi cum auctoribus primae sententiae quod ob evitandum meae vitae aut famae damnum, tuto possum ponere actiones tam secundi quam primi generis, superius commemoratas, quia revera sunt pure materiales, et ex se omnes indifferentes, quia omnes sine peccato exerceri possunt; et licet fur iis ad malum finem abutatur, ego tamen non pecco; et tanto minus ad restitutionem teneor, cum ex iusta causa eas exerceam, ut dictum est *Tract.* 4. *n.* 31. *et* 32. loquendo de cooperatione materiali, et ita mecum sentit etiam p. Molina, qui dicit posse licite captivos timore mortis christianorum bona accipere, *quoniam* (en rationem quam adducit) *sunt in necessitate eorum bonorum ad vitam conservandam.* Ita etiam sentit Contin. Tournely qui dicit: *Non teneor subire grave detrimentum, ut alterius peccatum avertam.* Ita pariter doctus p. Milante qui dicit: *Innoxie cooperatur, qui ex metu ad ea* (loquendo de bonorum damnis) *concurrit.* Si unquam (ego subiungo) esset intrinsece malum furi claves tradere, eo quia tunc cooperor illius peccato, ne possem quidem ei tradere claves domus meae, ut me liberem a morte? sed quis hoc unquam cogitare potest? quare illas actiones tantum dico esse intrinsece malas quae augent, aut confirmant pravam furis voluntatem: ut esset servare ei humeros, eum certiorem facere de hora, aut modo magis commodo ad furtum exequendum, quia tales actiones sunt formaliter influentes in furis voluntatem, ideoque nunquam quocumque timore sunt licitae. Ita ego distinxi, punctum suis principiis discutiendo, et puto aliter dicendum non esse; caeterum sapientioribus haec submitto. Observetur locus citatus (3).

58. Dubitatur 3. an teneatur ad restitutionem qui impedit alium, qui vellet avertere proximi damnum? Affirmant generaliter Navar. et Medina: sed nos distinguimus cum Lugo, Less. Mol. et Croix, ita: si impedit vi aut fraude, tenetur; secus vero si solo consilio, aut precibus, quia tunc peccat contra charitatem, non autem contra iustitiam. Hoc tamen intelligitur, modo ille alius non teneatur ex iustitia illud damnum impedire (4).

59. VII. *Mutus, non obstans, non manifestans:* intelliguntur causae negativae, nimirum illi qui, cum pos-

(1) L. 3. n. 697. v. Teneris. (2) n. 571. v. Secunda. (3) n. 571. v. Participantes.

(4) n. 572.

sint impedire alterius damnum, loquendo, aut reum manifestando, et cum hoc debeant facere ex pacto, aut officio, id negligunt. Cuiusmodi sunt principes, magistratus, exercituum duces, tutores, ecclesiae administratores, custodes, satellites, et servi (1); sed servi dumtaxat quoad damnum exterorum, ut diximus *Tr.* 7. *n.* 8. An autem teneatur ad restitutionem confessarius, qui poenitentem non obligat ad restituendum, ut debet, vide quod dicetur *Trac.* 16. *de Sacramento Poenitentiae*, *n.* 122.

60. Hic notandum 1. quod inter praefatos cooperantes tenetur restituere I. loco, qui retinet rem; II. mandans, si res non existit; III. executor; IV. caeterae causae positivae, ut consiliator, participans, etc.; V. causae omnes negativae (2). Notandum 2. quod si creditor remittit restitutionem damnificanti principali, censetur remittere etiam minus principalibus. Praeterea si creditor promittat alicui ex aeque principalibus eum non molestare, censetur remisisse totam illius portionem; secus si creditor vellet exigere totum debitum ab aliis, promissio tunc esset vana, quia alii cogerent illum ad contribuendam illam partem, quam creditori debebat (3).

61. Praeter praefatos cooperantes, tenentur ad restitutionem illi qui impediunt proximum ab alicuius iusti boni consecutione. Sed in hoc distinguendum: si res erat ei debita ex iustitia, quocumque modo eum impedis, teneris ad restitutionem. Si autem non debebatur ex iustitia, tunc teneris, si vi aut fraude ab illius rei consecutione eum impedis; nam etsi proximus non habebat ius ad illam rem, nihilominus quisque habet ius ne malis artibus impediatur, ne aliquod bonum, quo non est positive indignus, consequatur. Et idem dicunt Salmant. si precibus importunis, aut metu reverentiali eum impedis (4); et tunc restitutio debet fieri pro modo spei, quam proximus habebat in illud bonum (5).

62. Sed hic quaeritur 1. an teneatur ad restitutionem qui malis artibus impedit, quominus res interceptae fisco applicentur? Respondeo cum Less. Sanch. Lugo, Azor. Salmant. et aliis communissime, teneri post sententiam, sed non prius; dum fiscus non acquirit ius ad poenam, nisi post sententiam. Saltem, ut dicit Lugo, hoc ius fisci ad poenas ita communiter receptum fuisse concipitur (6).

63. Quaeritur 2. an teneatur ad restitutionem qui odio, sed sine malis artibus, impedit proximum a consecutione alicuius boni, quod caeteroquin ei iuste non erat debitum? Alii affirmant, ut Lug. Cai. Salm. etc, dicunt enim tunc animum iniustum reddere etiam iniustam actionem. Sed alii probabilius, et communissime negant cum Less. Petrocor. Castrop. Navar. Vasq. Sot. Laym. Mol. Bon. Sanch. Ronc. Holzm. et aliis plurimis. Ratio est, quia ad restitutionis obligationem prava voluntas non sufficit, sed requiritur amplius actio externa graviter iniusta, quae de se externe ius proximi laedat, et influat in eius damnum; aliter malevolus peccabit adversus charitatem, non autem adversus iustitiam (7). Hinc infertur non teneri ad restitutionem, qui odio in suum inimicum dehortaretur (sed sine dolo aut vi) testatorem a relinquendo ei haereditatem, aut Episcopum a beneficii collatione: intelligitur de beneficio simplici, quia aliter dicendum est de curato; quia (iuxta sententiam probabiliorem) Episcopus ex iustitia tenetur illud digniori conferre, postquam concursus adhibitus est (8). Observetur quid dicemus *Tract.* 13. n. 37.

(1) L. 3. n. 573. (2) n. 580. (3) n. 581. (4) n. 582.

(5) n. 587. (6) n. 583. (7) n. 584. (8) n. 585. et l. 4. n. 108

Punctum III.

Cui facienda est restitutio.

64. Distinguenda sunt bona certa a bonis incertis: dicuntur *bona incerta*, quae incertum habent dominum. Si igitur dominus est certus, ipsi proculdubio res restituenda est; dummodo illa accepta non sit e manibus tertii iusti possessoris, v. g. a conductore, custode, etc. nam tunc ipsis, non domino, fieri debet restitutio: nisi esset, quod isti probabiliter ea re abusuri essent cum domini iniuria (1).

65. Dubitatur 1. si dominus longe absit, cuius sumptibus res in eius manus pervenienda sit? Si res bona fide accepta est, expensa a domino fieri debet; si autem mala fide, a fure. Sed quaeritur ad quantam expensam tenetur fur? alii eum obligant quibuscumque expensis; alii ad illam tantum quae aequivalet furti valori; sed sententia mihi probabilior cum Mol. Sporer, et Tambur. est, furem teneri efficere ut res in domini manus perveniat, licet expensa superaret debitum; et ut dicit de Lugo etiamsi futura esset duplo maior. Si autem esset hoc excedentior, tunc sententia communis eum obligat tantum, ut restituat pauperibus: hoc intellige cum desperatur posse alio tempore restitui res aut pretium domino, quia aliter expectandum est, et etiam probabiliter (ut dicunt Lugo, Less. Bonac., etc.) differre potest restitutionem quam cum gravi suo damno facturus esset; dummodo dominus ex restitutionis dilatione simile detrimentum passurus non sit, ut dicunt Less. Navar. Tambur. Lugo, etc. communiter; quandoquidem damnum quod ob furtum dominus patitur, semper fur tenetur reficere (2).

66. Dubitatur 2. si tu bona fide emis aliquid ab aliquo, et bona fide alteri vendas, et inde verus dominus compareat, ad quid teneris? Distinguendum: si dominus vindicat sibi rem suam e manibus tui emptoris, tunc recte dicunt Lessius, Sotus, Bonac. Castrop. Busemb., etc. te esse obligatum ad restituendum emptori pretium receptum, licet cum eo convenisses quod non tenearis ad evictionem, ut expressum est *L. Emptorem*, §. *Autem*, *ff. Act. empt.*, quia aequum non est ut venditor lucrum faciat cum damno emptoris. In tribus tamen casibus emptor nequit repetere pretium: 1. Si expresse convenisses de non restituendo nec pretium quidem; 2. si factus non esses ditior ex ea venditione, v. gr. si consumpsisses bona fide pretium in donationes largiendas, etc.; 3. si emptor emisset mala fide a te, sciens illam rem esse alienam; quia tunc in poenam sui delicti (quoties tu expresse eum non cavisses de evictione) non potest suum pretium praetendere, ut habetur ex *L. Si fundum*, *cod. de evict.* Sed ut advertit Castropal. tunc ne retinere quidem potes pretium, quia in conscientia ante sententiam teneris emptori restituere, et fisco post sententiam. Si vero res non est evicta a domino, sed in manibus emptoris remanet, ad nihil tu teneris, ut dicunt Less. et Salmant. quia tunc non es iam causa, ut dominus privetur sua re; nec contra teneris cum tuo gravi damno efficere, ut dominus eam recuperet (3).

67. Hoc procedit si dominus rei est certus. Si autem est incertus, etiam tunc oportet distinguere, et observare an res in bona, vel mala fide accepta sit. Si res accepta est mala fide, oportet rursus distinguere. Si

(1) L. 3. n. 596. (2) n. 597. et 598.

(3) n. 601. et n. 800.

dominus bonorum incertorum est ignotus tantum in particulari, prout cum scitur res spectare ad aliquam trium, vel quatuor personarum cuiusdam loci, tunc nequit fieri restitutio pauperibus, sed res dividenda est inter eas, inter quas persona defraudata existit; ita Sylvius, Lessius, Castropal. cum p. Navar. Caiet. Molin. et Rebell. (1). Si autem dominus est ignotus etiam in generali, ita ut nulla possit fieri separatio personarum illius loci, inter quas adsint illae ad quas pertinet res, tunc restitutio bene potest distribui pauperibus, ut praescriptum est *cap. Cum tu, de usur*. Et tunc sufficit illam erogari in pauperes cuiuscumque loci, aut in quaecumque opera pia. Intelligitur tamen id procedere, cum peracta est iam diligentia debita ad proprios dominos inveniendos, alioquin, si restituatur res pauperibus ante diligentiam, et deinde appareant domini, semper debetur eis refectio damni (2). Praeterea intelligitur id, semper ac illi, qui damnum passi sunt, pauci fuerint, nimirum tres vel quatuor, ita ut, distributione facta in eo loco, verisimiliter res ad proprios dominos non est perventura, prout communiter docent Silvester, Bonac. Navarr. Castrop. Salmant. (3) cum Soto, Tapia et Rebell. Et quamvis *Sylvius loc. cit. concl.* 4. dicat magis convenire, quod eo casu restitutio fiat pauperibus loci, ubi res fuit ablata, attamen ipsemet subdit cum Silvestro id non esse necessarium. Si autem damnum illatum fuisset pluribus, et diversis dominis incertis alicuius universitatis, tunc omnino facienda est restitutio eiusdem universitatis incolis, ut mox postea hic dicetur, atque distinctius dictum est *num.* 28.

68. Notandum hic quod super iis debitis incertis potest fieri compositio; sed haec non potest fieri cum Episcopo, sed cum Papa (aut Poenitentiaria), ut bene dicunt Lugo, Moll. Turr., etc. contra aliquos; et intelligitur quoties adest iusta causa (4), et cum dominus est omnino incertus; unde recte dicunt Soto et Henriq. non permitti compositionem, cum fit restitutio pauperibus ob domini absentiam, ut dictum est *num.* 66. (5); sicut nec permittitur, cum restitutio minutorum furtorum facienda est ab illis, qui vendunt vinum, oleum, etc., nam illa necessario facienda est pauperibus ipsius loci; imo iuxta sententiam communiorem Laym. Conc. Salmant. Diana, Spor. Croix, etc., non sufficit eam pauperibus loci facere, ut admittunt Vasq. Anacl. Escob. cum s. Thoma; sed fieri debet ipsis civibus, qui ad tabernam confluere solent; licet, ut diximus *n.* 28., si pauperibus fiat, graviter non peccetur (6). Sed hic dubitatur an debitor remaneat liber ab omni obligatione, licet compareat dominus, facta iam compositione? Alii negant, dicendo teneri ad id in quo factus est ditior: sed communius affirmant Lugo, Salmant. Trullench. Tap., etc. quia in eo casu Pontifex, ut administrator bonorum temporalium quatenus spectat ad bonum spirituale, utique potest transferre dominium, et omnem tollere obligationem (7).

69. Hoc procedit cum res accepta est mala fide; sed si bona fide, v. g. si quis casu invenit annulum in via, aut ex errore inculpabili recepit maius debito, et nesciat dominum, cui restituturus esset, quaeritur an possit sibi ea retinere? Affirmant Sotus, Sa, Navarr., etc. modo praemittat di-

(1) Sylvius to. 3. in 2. 2. q. 62. art. 5. q. 1. concl. 2. Less. l. 2. de iust. c. 14. n. 32. Castr. part. 5 tr. 32. d. 1. p. 18. §. 8 n 5 cum p. Nav. Caiet. Molin. et Rebel.

(2) Vide opus nostrum l. 3. n. 589. et 596. ad 5.

(3) Silvest. verb. Restitutio 8. q. 3. Bonac. t. 2. de rest. in gen. d. 1. q. 3. p. 4 n. 10. Castrop. loc. cit. n. 2. cum p. Navarr. Salmant. tr. 13. de rest. c. 1. n. 215. cum Soto, Tapia, et Rebellio.

(4) L. 3. n. 591. (5) n. 594.

(6) n. 595. (7) n. 592.

ligentiam; nam, ut dicunt, res derelictae fiunt primi occupantis. Sed negant Less. Laym. Castropal., etc. dicendo quod res illa aut eius pretium applicari debet piis usibus, cum praesumatur ea esse domini voluntas. Nos cum Lugo, Croix, et Holzm. distinguimus ita: Si dominus omnino non potest amplius inveniri, tunc retineri potest; quia tunc res pro derelicta habetur, et a primo occupante acquiritur dominium illius. Secus autem, si etiam post diligentiam aliqua appareat spes inveniendi dominum; tunc enim ei res conservanda est, aut eius pretium: et si neutrum servari potest, debet distribui pauperibus, quia usque dum talis spes durat, dominium est penes dominum(1). Et hanc sententiam tenet s. Thomas (2), dicens: *Si* (res) *pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum.* Et idem dicendum est de paupere cui fur dedit furtum, cum dominus inventus non sit; nam si spes non erat illum inveniendi, iam in pauperem dominium translatum est, ita ut non teneatur rem domino reddere, licet hic postea compareat (3).

70. Praeterea quaeritur ad quem spectant thesauri inventi? Dico I. lege communi cum inventor eum invenit in proprio praedio, thesaurus suus erit. II. Cum reperitur in fundo alieno, tunc si casu invenitur, dividendus est inter loci dominum, et inventorem, qui in conscientia tenetur dimidium dare domino, ut dicunt communiter Lugo, Less. Castropal. Laym. Salmant., etc.: sed si ex industria reperitur, totus restituendus erit domino, ut dicitur in *L. unic. c. de thesaur.* III. Si vero thesaurus invenitur in loco publico aut sacro, dividendus inter inventorem, et fiscum, aut Episcopum. IV. Si denique inveniretur arte magica, totus spectabit ad fiscum, sed non ante iudicis sententiam. Ita lege communi; sed lege nostri regni, si in loco publico invenitur non arte propria, totus fisco debetur, si in privato, et casu, tertia pars erit fisci, tertia inventoris, et tertia domini fundi (4).

71. Insuper quaeritur cuiae erunt ferae, quae in venatione capiuntur? Si fera ab uno vulnerata est, et ab alio capta, spectat ad capientem semper ac illa fugisset; in dubio vero dividenda est. Quae tamen in retibus capiuntur sunt illius qui eas tetendit (5). Si autem aliquis in silva reservata (quae a principe, aut eius privilegiato reservari potest) feram capit, dicit Less. quod peccat mortaliter, et tenetur illius pretium restituere principi, pro spe quam princeps habere poterat efficiendi suam; sed Soto, Mol., etc. hoc admittunt solo casu, quo locus sit conclusus, et Less. penitus negat, cum praeter prohibitionem illic venandi, est imposita poena (6)

72. Advertendum hic, non omnes venationes esse clericis inhibitas, sed solam clamorosam, id est cum strepitu, adhibitis canibus aut avibus rapacibus. Et dicunt Less. Castrop. et Rebell. ne clamorosam quidem interdictam esse sub gravi, nisi fuerit frequens, aut cum scandalo, aut cum magnis impensis. Addunt alii (ut Mol. Caiet. Sa, Spor., etc.) nunquam esse damnandum culpa gravi, praeciso scandalo, clericum ob solam venationem; nam in textu *cap.* 1. *de cler. venant.* illa non vetatur, nisi sub suspensione ferendae sententiae, imo Laym. Less. Valent. et Sa sentiunt esse licitam, si sit rara, et moderata, et si fit causa necessitatis, aut exercitii. Hinc doctus auctor libri cui titulus (*Istruzioni per li nov. confess.*) concludit venationem non clamorosam esse omnino recreationis causa licitam; et clamorosam non esse mortale, nisi adsit contemptus et contumacia. Religiosis vero clamorosa strictius vetita est ex Clem. 1. §. *Porro, de statu Mon.* Sed Castrop. dicit

(1) L. 3. n. 603. (2) 2. 2. q. 66. a. 5 ad 2. (3) L. 3. n. 590. (4) n. 602.

(5) n. 604. (6) n. 605.

ne mortale quidem esse, nisi adsit scandalum; saltem (dicunt Salmant.) si ter, aut quater sine gravi strepitu cam exercent in anno (1).

PUNCTUM IV. *Quid restituendum est a possessore bonae fidei, et quid a possessore malae fidei.*

73. *De possessore bonae fidei.*
74. *De fructibus naturalibus, civilibus, mixtis, et industrialibus.*
75. *Qui recipit a fure rem ablatam mixtam cum re illius.*
76. *Qui infert damnum existimatum minoris quo valet.*
77. *De possessore malae fidei.*
78. *Quid si res crescit, aut crevisset pretio, et de expensis utilibus a fure factis, et de eo qui se simulat pauperem.*
79. *Si res etiam periisset apud dominum.*
80. *Qui emit cum dubio.*
81. *Qui defraudat gabellas.*

73. Loquendo de possessore bonae fidei, nempe de eo qui domino iniuriam tantum materialem intulit (iniuria *materialis* dicitur quae caret culpa, *formalis* cum culpa), ille tenetur restituere rem tantum si existit, aut si cum sua confudit, tantum id in quo factus est ditior: itaque si vestem alienam consumpsit, tenetur ad id quod impensurus erat in propriam sibi conficiendam (2). Sed in dubio sit vel ne factus ditior, ad nihil tenetur, ut dicunt Sanch. Croix, et alii, quia in dubio nemo tenetur re sua privari (3). Dicunt nonnulli dd. quod qui bona fide recipit pecuniam a fure, non tenetur restituere eam domino, licet illa existat; sed haec opinio non mihi videtur probabilis, quia dominium pecuniae in specie spectat ad dominum, sicut et caeterorum omnium (4). Ad quid autem teneatur possessor bonae fidei, superveniente dubio quod non potest dilucidari? Vide quod dictum est *Tr.* 1. *num.* 20.

74. Insuper possessor non tantum debet restituere rem, sed etiam fructus ab illa perceptos. Sed hic oportet distinguere fructus naturales a civilibus, a mixtis, et ab industrialibus. *Naturales* sunt illi qui a sola natura producuntur, ut sunt pascua, animalium foetus et huiusmodi. *Civiles* sunt illi qui percipiuntur a domorum, aut pecudum locatione; et etiam librorum, vestium etc. ut tenendum est cum communi contra Laym. Mixti sunt illi qui partim a natura et partim ab industria habentur, ut sunt oleum, vinum, caseus etc. *Industriales* denique sunt illi qui sola industria acquiruntur, ut est lucrum quod percipitur a pecunia, quae negotiationi exponitur, aut a melioramentis rei factis. Fructus autem *naturales* et *civiles* debent integre (ablatis expensis) restitui, tum a possessore bonae, tum malae fidei, hac differentia, quod possessor bonae fidei ad nihil tenetur, si nihil percepit, aut si in bona fide eos consumpsit, et in nihilo sit factus ditior, aut si eos praescripsit possessione triennalis spatii cum titulo, aut 30 sine titulo, ut iam dictum est *n.* 10. Sed possessor malae fidei semper integre debet fructus praedictos restituere, quamvis eos non perceperit, si dominus iam percepturus esset, si res apud se fuisset: et licet dominus exacturus non fuisset, etiam tenetur restituere, quando iam ipse percepit, quia res semper domino fructificat. Fructus *mixti* denique debent restitui eadem regula, nempe bonae vel malae fidei; sed hic advertendum quod iam non debent restitui praedicti fructus (ut dicunt aliqui) sublatis expensis, et laboris valore, sed ut melius dicunt Mol. Dicast. et Croix cum aliis (5), quoad solum valorem correspondentem naturae, quia valor correspondens industriae possessoris totus ei debetur (6).

75. Quaeritur I. an tenearis restituere domino pecuniam, frumentum, aut similia quae recepisti a fure, post-

(1) L. 3. n. 606. (2) N. 607. et 608. (3) N. 706. (4) Cit. n. 608. v. Dicunt.

(5) L. 3. n. 825. v. Bene. (6) n. 610.

quam ille commiscuit cum suis? Non teneris, si fur remanet potens restitutioni, dum id quod tu accepisti (licet mala fide) erat iam factum proprium furis: secus autem si fur redditur impotens, quia tunc illa acceptatione tu fuisti causa damni domini: et ita omnino tenendum cum Sanch. Tamb. et aliis communiter, quicquid dicant aliqui (1).

76. Quaeritur 2. ad quid teneatur proiiciens in mare gemmam alienam aestimatam 10. si valebat 100? Alii cum Lugo obligant ad centum, dicentes eum, qui iniuste proximo damnum infert cum culpa gravi, teneri ad totum damnum licet ignoratum. Alii tamen communius cum Pontio Exparsa Holzm. Croix, Dicas. Dian. Mazz. et probabilius dicunt teneri tantum ad decem. Ratio, quia obligatio restitutionis correspondet culpae et culpa correspondet iniuriae, quae intenditur inferri proximo. Hinc sicut cum levis est culpa, nulla adest obligatio gravis restituendi (ut ipse Lugo fatetur); ita cum culpa est minor, minor etiam debet esse restitutionis obligatio. Rationi oppositae respondetur, quod damnificans tunc tenetur ad totum damnum culpabiliter illatum, cum saltem in confuso (ut ceteroquin regulariter apprehenditur) damnum quod infertur apprehenditur; sed neutiquam cum omnino invincibiliter ignoratur, ut bene advertunt Salmant Holzm. Mazzot. et alii communiter (2).

77. Loquendo autem de possessore malae fidei, hic tenetur non solum ad restituendam rem existentem, et totum id in quo factus est ditior, sed etiam ad totum detrimentum illatum domino ob damnum emergens, aut lucrum cessans, saltem in confuso praevisum; ut paulo ante diximus. Hoc nihilominus intelligitur quando dominus habebat plenum *ius in re*, nam si habebat ius tantum *ad rem*, tunc debet ei satisfieri solum pro valore spei, quam habebat efficiendi suam (3).

78. Hic notandum 1. quod si res ablata crescit pretio, tempore quo iniuste retinetur, crescit domino: et hoc currit etiamsi dominus eam consumpturus fuisset ante incrementum, nisi illi ablata fuisset; quare si dominus vendidisset agnum cum valebat quinque et fur comsumpsit cum valebat decem, decem debent restitui, non vero quinque, ut dicendum cum Lugo Castrop. Conc. Salm. etc. adversus alios; quia res semper fructificat domino. Dicit attamen *Concina* quod si agnus crescit valore decem, et postea decrescit ad valorem quinque, tantum quinque debent restitui, quia tunc damnum est tantum quinque; et huic opinioni adhaesi in opere morali (4); sed nunc illa mihi videtur omnino improbabilis, quia cum nunc creverit valor ad decem in domini beneficium, et cum fur non restituerit tunc agnum, damnum non fuit quinque, sed decem, et mora culpabilis furis fuit causa detrimenti. Valde probabile contra, imo probabilius mihi videtur quod dicunt Less. Molin. Croix etc. communissime (contra Sotum et alios) nempe quod si quis occidit agnum alterius cum valebat quinque, satis est ut restituat domino tantum quinque, licet agnus postea creturus fuisset pretio, et dominus iam illum servaturus fuisset, quoties dominus, illis quinque sibi redditis, sine incommodo emere posset alterum similem agnum (5). Notandum 2. quod possessori malae fidei ex *L. Adeo*, § 7. *Ex diverso ff. de acquis. domin.* negatur actio contendendi expensas utiles in re factas; unde ait Sanch. (et Lugo vocat sententiam tutam) posse idcirco dominum licite eas retinere. Sed merito Less. Castrop. Navar. et idem Lugo oppositam appellant probabiliorem, nam praelata lex (ut poenalis) non obligat nisi post iudicis sententiam (6). Notandum 3. quod qui se simulat pauperem, te-

(1) L. 3. n. 612. (2) n. 613.
(3) n. 614. (4) n. 621.

(5) Cit. n. 621. v. Quid, si. (6) n. 618.

netur ad restituendam eleemosynam (modo non esset modica) aut domino, ut ait Molin. aut aliis pauperibus, ut dicit Castrop. (1).

79. Quaeritur 1. an fur teneatur restituere pretium rei deperditae, cum illa aeque periisset apud dominum? Distinguendum: si res periit sine furis culpa, et eodem tempore et periculo (v. g. in eodem incendio) in quo periisset iam apud dominum, tunc certum est, ut dicunt omnes, quod ad nihil tenetur, quia tunc furtum non est causa damni, et sola iniuria (ut dictum est *n.* 44.) non inducit restitutionis obligationem. Contra, si res periit ob solam furis, aut alterius culpam ante commune periculum, certum est quod fur tenetur eam restituere, quia periculum quod supervenit, non eximit eum ab iam contracta obligatione. Quamvis si ille eodem tempore quo imminentem ruinam praevideret, rem consumeret, probabiliter eum excusant Less. Lugo Vasq. Sporer et Laym. Sed maius dubium restat, quid, si elapso periculo communi, res in alio periculo perit: dicunt Castrop. Less. et Salmant. tunc possessorem teneri ad restitutionem, ratione habita culpabilis suae morae in restituendo. Sed quoties secundum periculum fuerit pariter commune, ita ut res aeque apud dominum periisset, probabiliter eum excusat Croix: cum non mora tunc, sed periculum fuit causa damni (2). Utrum vero fur restituere teneatur, cum rem consumat, postquam in extremam necessitatem deciderit, vide dicta *n.* 19.

80. Quaeritur 2. ad quid teneatur qui emit rem a venditore cum dubio an sit eius, et deinde adhibita diligentia veritatem detegere nequit? Aliqui dicunt teneri eam illum restituere, aut ei cuius dubitat rem esse, aut pauperibus; sed communius et probabilius dicunt Castrop. Lugo Less. et Salm. pro rata dubii dividendam esse; nam ex una parte non potest tota retineri dum nihil sibi prodest possessio dubia fide incoepta; contra aequum non est obligare eum ad restituendum totum, cum dubium sit an illa res sit aliena, an sua (3).

81. Hic quaeritur 3. an fraudans gabellas teneatur ad restitutionem? Sententia communissima, cui adhaesi in opere morali, affirmat; quia sicut rex tenetur populorum saluti prospicere, ita populi tenentur ei sustentationem ministrare, ita Mol. Suar. Sanch. Croix et alii multi. Et probatur ex textu Apostoli: ***Reddite omnibus debita**: cui tributum tributum: cui vectigal vectigal. Rom.* 13. 7. Alii autem negant, cum adiungitur poena, ita Navar. Beia Sa Duard. Malder etc. dicendo, quod licet subditi teneantur principi suo congruum subsidium ministrare, et licet princeps possit ad hoc etiam sub culpa obligare eos, non praesumitur tamen velle obligare ad culpam, quoties in sui lucrum magnam superaddit poenam, et illi se subiiciunt subditi. Praeterea adhuc iuxta sententiam, quod lex mixta obliget ad culpam et poenam, dicunt quod, posita lege quae poenam iniungit, dici potest tunc peccare fraudantem, cum adhuc post confiscationem bonorum nollet poenam solvere, aut sibi eam compensare vellet; tunc enim lex videtur disiunctiva, nempe quod solvatur aut gabella, aut poena, prout ait Sanchez cum Salon. Cordub. Angles et aliis. Saltem aiunt dubium esse, an lex haec ad utrumque obstringat, et in dubio nequit adesse obligatio certa. Hoc tamen non obstante, ego non omitto primam sententiam suadere (4). Caeterum Sanch. cum s. Anton. Gabriel etc. excusant eos qui vehunt res proprio usui, aut familiae, dummodo etiam super illis expresse non sit imposita gabella, ut deducitur ex *L. Universi c. de vectig.*, aut quia solutio etiam pro rebus usui proprio

(1) L. 3. n. 622. (2) n. 620. v. Pro maiori. (3) n. 625. (4) n. 616. quaer. 3. ubi alia dubia in hac materia discutiuntur.

destinatis non sit introducta iam ex consuetudine. Praeterea Silvest. Lugo Less. etc. excusant pauperes, si eorum paupertas sit tanta ut, solvendo pro gabellis, nequirent se et suos sustentare (1).

Punctum V.

Quid restituendum pro homicidio

82. *Quid restituere debet homicida.*
83. *Si ob offensionem vitae, famae, etc.*
84. *Qui occidit unum pro alio, an teneatur restituere.*
85. *Et an incurrat excommunicationem, vel irregularitatem.*
86. *Qui obtinuit remissionem ab occiso, an teneatur restituere filiis.*
87. *Quid restitui debet haeredibus defuncti; et quid si intendatur eorum, aut creditoris damnum.*
88. *Si homicidium imputatur tertio.*
89. *Qui occidit excedendo iustam defensionem.*
90. *An haeres supplicio affecti teneatur ad damna.*

82. Homicida tenetur restituere omnia damna in bona occisi illata, tum ob expensas curationis (non autem funeralium), tum propter lucrum cessans pro spe quam offensus habere poterat illud acquirendi. Neque ex hoc quod in reum animadversum sit, praefata damna remissa fuisse intelliguntur, etsi remissa praesumuntur si in eo casu non exiguntur (2). Nonnulli dicunt a restitutione lucri cessantis deducendum esse pretium laboris quem offensus insumpturus erat. Alii tamen hoc negant. Melius dicit Bonac. tantum detrahendum fore quod offensus verisimiliter daturus fuisset, ut a tali labore eximeretur (3).

83. Dubitatur 1. an praeter praefata damna teneatur offensor pecunia satisfacere pro offensa illata in vitam vel famam proximi? Affirmant Sotus Caiet. Silvest. etc. dicentes quod, qui nequit restituere totum, tenetur saltem ad partem; et innituntur doctrinae s. Thomae (4) qui dicit: *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia vel in aliquo honore.* Nihilominus probabilior et communior est sententia opposita, quam tenent Less. Lugo Bonacin. Laym. Sanch. Salm. et multi alii, et P. Concina vocat probabilem (quod in sensu illius idem sonat ac moraliter certum, aut saltem probabilissimum, adeo ut oppositum non sit satis probabile). Ratio, quia iustitia commutativa obligat ad restituendum pro aequalitate damni illati, sed ubi damnum est ordinis diversi a satisfactione, non potest dari aequalitas aliqua, nec compensatio, nec in totum nec in partem; ideoque non adest obligatio bonis vitae aut famae, quae sunt ordinis superioris bona, compensandi laesionem. Et hoc probatur ex Scriptura, ubi sic habetur: *Percussor erit innocens, ita tamen ut operas eius et impensas in medicos restituat:* itaque satisfactis damnis, percussor innocens remanet: id est (ut bene dicit Lugo), remanet liber ab omni alio onere. Probatur etiam ex L. *fin ff. de his qui effud., etc.*, unde dicitur: *Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit aestimatio, quia liberum corpus nullam recipit aestimationem* (5).

84. Dubitatur 2. an ad restitutionem teneatur qui volens interficere inimicum, ex errore interficit amicum? Haec quaestio similis est illi, an teneatur restituere damnum qui volens domum inimici incendere, illam amici incendit? Alii affirmant, ut Bonac. Busemb. etc. dicendo, omnem actionem contra iustitiam obligare ad restitutionem; errorem vero domini domus esse circa qualitatem, non circa substantiam, ideoque non excusare a restitutione. Alii tamen dd. ut Lugo Mol. Spor. Croix Leand. etc. (cum doctissimo quondam illustrissimo Torni meo magistro) negant, semper ac ille sine ulla dubitatione intendit incendere domum inimici, non autem amici; nam pro re-

(1) N. cit. v. An autem pauperes.
(2) L. 3. n. 631. ad 10.
(3) n. 639.
(4) 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1.
(5) Lib. 3. n. 627.

stitutione damni illati non sufficit actio materialiter iniusta aut iniuriosa, sed requiritur formaliter, id est voluntarie iniuriosa in offensum. Hinc si ego omnino involuntarie laedo amicum, ego nullam iniuriam formalem infero, ideoque error est circa substantiam, non circa qualitatem, cum tota damnum restituendi obligatio oritur ex iniuria. Et eadem ratio currit pro errore in homicidio, ut dicunt Filliuc. Tamb. et Leand. Idem dicunt de furto Mol. Lugo et Sporer, v. g. si quis accipit rem putans auferre eam suo inimico; sed revera aufert amico, et eam consumit, hic (ut volunt) non tenetur ad restitutionem; sed quoad furtum recte contradicit Sanch., quia haec est differentia inter furtum, et damnificationem: in furto principaliter intenditur lucrum iniustum, et accessorie domini iniuria; sed in damnificatione principaliter intenditur domini iniuria, et accessorie damnum illius: qua de re in damnificatione error personae est circa substantiam, in furto autem est circa qualitatem(1).

85. Quaer. 3. an incurratur excommunicatio Canonis ab eo, qui volens percutere unum clericum percutit alium? Negant Concina Diana Suar. ex eo quia iniuria respectu alterius est involuntaria. Sed mihi videtur absolute probabilior sententia communissima Mol. Sanch. Bon. Viva etc. qui affirmant; quia excommunicatio incurritur non ob personae, sed status laesionem, qui status in eo casu iam laeditur, licet in persona erretur. Igitur percussor excusabitur tamen a restitutione damni illati in personam, ut in praecedenti dubio dictum est, quia non adfuit iniuria voluntaria in personam; non autem ab excommunicatione (2). Et tanto minus excusabitur ab irregularitate, ut recte dicunt Sanch. Covarr. Led. Veg. contra Filliuc. Sporer Tambur. etc. quia irregularitas imposita est delicto cuiuscumque homicidii, et qui occidit unum pro alio, licet erret in persona, non errat tamen in delicto, cum iam hominem occidat. Alius autem esset casus, si quis mandasset, ut occideretur inimicus et mandatarius occideret alium, ut fertur declarasse S. C., nam tunc homicidium respectu alterius est omnino involuntarium, tam quoad personam, quam quoad delictum illud in individuo; dum illud homicidium accidit non ob mandatum, sed ob errorem mandatarii (3).

86. Dubitatur 4. an interfector, cum a vulnerato, antequam moreretur, remissionem damnorum obtinuerit, hoc non obstante teneatur restituere filiis illius? Affirmant Lugo et La-Croix dicendo quod pater non potest praeiudicium inferre filiis in ius quod ipsi habent super eius bona. Sed communiter hoc negant Sotus Sanch. Bonacina Salm. Busemb. etc. quia filiis non fit iniuria nisi in quantum ipsis praeiudicatur in bonis patris contra eius voluntatem; quare sicut propter patrem acquirunt ius, ita propter illum amittunt illud. Licet non bene efficeret pater in remittendo ea damna in filiorum praeiudicium(4).

87. Quaeritur 5. quid homicida restituere debeat haeredibus defuncti? Haeredibus non necessariis restituere debet omne debitum cum defuncto iam contractum ante eius mortem, id est (ut dictum est in principio) omnes expensas in curatione factas, et lucrum cessans tempore infirmitatis. Sed haeredibus necessariis, ut sunt filii parentes et uxor, tenetur amplius restituere lucrum (iuxta valorem spei) quod verisimiliter defunctus lucraturus fuisset; ita communiter Sotus Sanch. Navar. cum s. Thoma, etc. Dicit nihilominus recte La-Croix hoc non procedere si haeredes necessarii in posterum reciperent ab aliis aequaliter alimenta, nam tunc nullum adest damnum (5). Praeterea hoc non procedit pro fratribus et sororibus, quibus defunctus prosecu-

(1) L. 3. n. 629. (2) n. 628. quaer. 1. (3) n. 628. quaer. 1. (4) n. 630.

(5) N. 631. v. quaer. 1.

turus fuisset alimenta praestare, si vixisset, etiamsi homicida iam hoc illorum damnum animadvertisset; ut dicunt probabiliter Less. Concina Sot. Lug. Bonac. Salm. etc. contra Sanchez Azorium etc. Nec obstat dicere, quod qui vi impedit aliquem a consecutione iusti boni peccat contra iustitiam, atque ideo tenetur ad restitutionem, ut dictum est *n.* 61. Quia hoc currit, cum directe intenditur damnum proximi, non autem quando damnum ei per accidens contingit. Ideoque contra, iuxta hanc rationem, dicimus cum Tamb. Conc. Less. Viva Croix Elbel (adversus Sot. Bonacina etc.) quod si homicida directe intendit nocere dictis consanguineis (aut cuicumque alteri), tunc tenetur damna compensare; quia quisque habet ius ne directe impediatur vi a consecutione iusti boni (1). Et idem dicendum cum Less. Becano Salm. Conc. Viva Tambur. etc. contra alios, respectu creditorum defuncti, nimirum quod tunc tantum debet occisor compensare damna quae eis evenerunt, cum haec directe ab illo fuerunt intenta (2).

88. Quaeritur 6. an teneatur homicida ad restituendum damnum quod tertio evenit, cui homicidium imputatur? Dicimus non teneri, licet homicida animadvertat damnum praefatum, et quamvis etiam intendat; quia intentio prava, ut dictum est *n.* 63. sine actione externa graviter iniusta in damnum patientem, non obligat ad restitutionem: ita Sot. Less. Sanch. Tamb. et Croix contra paucos. Hoc tamen intelligitur, modo homicidium non fiat cum talibus circumstantiis, ut moraliter inducant imputationem praedictam, ut si homicidium committeret indutus vestibus tertii, aut in illius agro, etc. quia tunc iam adest actio externa, et iniusta (3).

89. Quaeritur 7. an teneatur ad restitutionem qui invasus ab inimico, occidit eum, sed excedendo iustam defensionem? Nonnulli excusant, dicendo tunc inimicum cedere suo iuri; nos autem non excusamus, cum Lugo Sanch. Nav. Croix, et aliis communiter, quia excedendo iam gravem infert iniuriam suo inimico, qui non amittit ius quod habet ad vitam suam ob suam iniquam aggressionem. Probabiliter tamen Lugo, cum Vasq. et aliis (contra Suar.) excusat a restitutione qui inimicum provocat ad pugnam, et eum occidit: nam tunc non pugnat contra iustitiam, dum ille iam cedit suo iuri, pugnam acceptando (4).

90. Quaeritur 8. an haeredes interfectoris teneantur restituere damna cum ipse iam sit supplicio affectus? Negant Sotus, etc. sed affirmandum cum Sporer Croix, et aliis communiter. Excipiunt tamen probabiliter Sotus Less. Filliuc. Busemb. et Croix, si haeredes occisi praefatam restitutionem non petant, quia tunc praesumuntur eam remittere; modo (intelligitur) res non existat, aut modo illa non sit magni pretii (5).

PUNCTUM VI. *Quid restituendum ob stuprum.*

91. *Ad quid tenetur corruptor, si mulier consentit.*
92. *Ad quid si defloravit vi, aut minis.*
93. *Si adest promissio vera aut ficta, tenetur ad matrimonium.*
94. *Limitatur I. si mulier poterat advertere fictionem.*
95. *II. Si timeatur malus exitus III. Si mulier remittit. IV. Si adest familiae dedecus. V. Si vir adhibeat tantum tactus.*
96. *VI. Si inveniat puellam corruptam VII. Si mulier renuit nuptias.*
97. *Si corruptor ligatus est voto castitatis, an, etc.*
98. *Si est consanguineus, etc.*

91. In hoc oportet distinguere ad quid teneatur deflorator, cum non intervenit promissio matrimonii, et ad quid cum illa intercedit. Cum ille matrimonium non promisit, et puella sponte consentit suae violationi, ad

(1) L. 3. n. 632. et 633. (2) n. 634. (3) n. 636. (4) n. 637 et 638. (5) n. 631

nihil tenetur respectu illius. Et idem dicunt Lugo Sanch. Suar. et Less. respectu parentum, cum illa sit corporis sui domina; sed s. Antonin. Navarr. Salm., etc. obligant eum ad reparandam eius famam aliqua honoris significatione, aut veniae expostulatione, dummodo illi hoc non recusent (1). Ceterum communissime dicunt Sot. Suar. Sanch. Vasq. Mol. Ronc. Laym Less. Lugo Salmant., etc. quod non tenetur vir reficere patri damnum bonorum ratione maioris dotis, qua indiget pro filia collocanda. Excipe tamen 1. si ille manifestaret delictum. 2. Si puella esset pauper, et vir valde dives, ut dicunt Salm. Bann. Tap., etc. (contra Dicast. et Rebell.), nam tunc praesumitur sub tali conditione consensisse. 3. Si iudex virum in poenam sui delicti mulctaret ad dandam illi aliquam summam; ceterum leges (*cap.* 1. *et* 2. *de adulter. et leg. un. ff. de rapt.*) damnant defloratorem aut ad eam ducendam, aut dotandam, quia leges praesumunt deceptionem, aut vim, quoties oppositum non probatur. Sed in conscientia recte dicunt Salm. virum ad hoc non teneri, si mulier revera sponte consensit (2), sicut dictum est *Tract.* 2. *n.* 26.

92. Si autem vir virginem deflorasset vi, fraudibus, aut minis, tunc tenetur reficere tam ei quam patri damna, quae eis intulit in honorem et in bona, dotando eam, aut dotem augendo. Et quamvis ducere eam non teneatur, ut dicunt communiter Lugo Less. Salmantic., etc. nihilominus bene potest iudex ad nuptias in poenam sui delicti eum obligare iuxta textum *cap.* 1. *de adult. et Exod. cap.* 22. (3). Imo quando deflorator non potest alio modo damnum restaurare, ex se tenetur ducere, ut communiter dicunt Less. Lug. Salm. Bann. Dicast., etc. (4). Contra ad nihil tenetur, 1. si mulier iam corrupta erat prius, modo ob iniuriam qua postea affecta est, infamia non remaneret notata. 2. Si illa aeque nuberet ac si esset virgo, quia tunc in effectu nullum damnum adest; veruntamen advertunt quod si mulier a viro male haberetur ob cognitum defectum, debet deflorator aliquo modo reficere damnum quod patitur (5). Ad quid autem teneatur si precibus aut donis eam induxisset? Dicunt communiter Sanch. Less. Lugo Sot. Vasq. Salmant., etc. ad nihil teneri, modo non intercessissent minae aut timor gravis damni; et tunc dicunt ne teneri quidem ad totum damnum (6).

93. Hoc procedit cum non adest promissio matrimonii; sed cum promissio inest, deflorator tenetur puellam ducere, non solum cum promissio est vera, sed etiam cum est ficta, ut tenendum est cum s. Thoma (7), quem communiter sequuntur s. Antonin. Sanch. Lugo Less. Tamb. Salmant. Croix Viva, etc. (contra pauciores, qui obligant ad reparandum solum damnum). Ratio 1. est quia tale damnum nullo alio modo adaequate reparari potest, nisi matrimonio. Ratio 2. (et haec est potior, et inposterum valebit ad decidendos multos casus) quia in contractibus non nominatis, *do, ut des*, et huiusmodi, cum alter praestat suam partem, alter, licet ficte promiserit, pariter tenetur ex iustitia praestare suam non secus ac si vero ex animo promisisset, dum hoc necesse est, ut a contractibus fraudes, quae cum damno communi impedirent commercium humanum, removerentur (8). Et idem dicendum cum Lugo et Salmant. contra Sanch. si quis ficta matrimonii promissione viduam bonae famae cognosceret (9). Hoc procedit quoad conscientiam; sed quoad forum externum, hic obiter notamus, quod advertit Continuator Tournely (10), valde utile esse ad impedienda

(1) l. 3. n. 641. § 1. (2) Ibid. n. 641. § 1. v. Dubium. 2. (3) ibid. v. Hacc de viro. (4) n. 649. in fin. v. Illi autem.

(5) n. 642. Dub. 1. (6) ibid. Dub. 2. (7) Suppl. q. 46. a. 2 ad 4. (8) n. 642 § 2. (9) n. 646. in fin. (10) tr. de dec

haec tam frequentia facinora, si Episcopi et magistratus irritas omnino declararent omnes istas matrimonii promissiones etiam iuramento firmatas, nisi plane testimoniis et scripturis validis hae constarent.

94. Limitatur tamen sententia praefata circa obligationem defloratoris ficta promissione. 1. Si mulier ex verbis aut aliis circumstantiis de facili animadvertere poterat deceptionem: ut esset, sicut dicunt communissime Lugo s. Antonin. Navarr. Silvest. Salm. Busemb. cum s. Thoma (1), si vir esset longe nobilior aut ditior, quia tunc (ut dicit Angelicus) merito praesumi potest quod mulier finxit aut voluit decipi, sed revera non decepta est. Quanta autem haec disparitas debet esse, Lessius exemplificat hoc modo: Si vir esset filius magnatis, et mulier filia fabri; sed Sanch. Navar. et s. Antoninus dicunt sufficere minorem inaequalitatem: v. gr. si nobilis (sed non magnates) ducturus esset filiam agricolae aut artificis. Et idem dicunt praefati auctores cum aliis, et cum eodem Less. si vir esset notabiliter opulentior (2). Item dicunt probabiliter Sanch. Lugo Less. Sal. Viv. et alii hoc procedere, etiamsi puella disparitatem ignoraverit: quia si adesset praecisa obligatio matrimonii, tunc vir teneretur reddere aliquid excedens aequalitati debitae iniuriae illatae; unde tunc sufficiet, ut curet reficiendum damnum eam dotando (3). Contra si mulier poterat percipere disparitatem, ut supra dictum est, probabilius est cum Less. s. Anton. Lugo, Sanch. Sylv., etc. (adversus alios) non teneri tunc ne damnum quidem reparare, sicut etiam expresse docet s. Thomas *loc. cit.* sic dicens *Et etiam quoad hoc* (nempe ad damni reparationem) *non tenetur, quia praesumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit* (4).

95. Limitatur II. si ex matrimonio pessimus timeretur exitus, ut dicunt Lugo Sanch. Busemb. Henriq., etc. (5). Limitatur III. si mulier remitteret defloratori obligationem se ducendi, cum talis remissio valida sit, licet dissentiret familia, ut probabiliter dicunt Lugo Less. Ronc. et Laym., dum ius ad matrimonium praecipue ad eam spectat, ideoque libere illa cedere potest (6). Limitatur IV. si matrimonium non posset perfici a viro sine familiae dedecore; nam tunc non tenetur ad matrimonium, licet promissio esset vera, cum tunc sit invalida, sicut de re illicita, prout dicunt communiter Laym. Navar. Sanch. Ronc. Sporer, etc. (7). Sed utique teneretur, si promissio fuisset vera et disparitas tantum esset in divitiis, ut dicetur *Tract.* 18. *n.* 16. loquendo de sponsalibus. Limitatur V. si vir adhibet tantum tactus cum virgine, ut dicunt Sanch. Navarr. Lugo et Croix, quia soli tactus non sunt tantae iniuriae, ut inducant obligationem ineundi matrimonium ficte promissum, nec tanti ponderis, ut non ingerant mulieri suspicionem fictionis: modo (excipitur) mulier non esset nobilis, aut honesta; aut modo vir non requisisset, nisi solos tactus, cum nuptiarum promissione, et propter illos (iam patefactos, aut saltem familiaritate divulgata) puella remaneret infamia notata (8).

96. Limitatur VI. si vir puellam censebat virginem, sed corruptam inveniret; ita communiter Laym. Sanch. Salm., Ronc. Holzman Sporer, etc. Et eo casu dicitur iuxta sententiam probabiliorem Lessii Coninch. et Roncagl. quod vir non tenetur aliquid dare ratione copulae traditae, nisi adesset pactio expressa, aut nisi ex tali facto mulier remaneret infamia notata: sed dicit probabiliter Elbel quod si ipsamet suam ignominiam

c. 3. de 6. praec. art. 2. concl. 2. v. Quaeres ad.

(1) Suppl. q. 46. a. 2. ad 4.

(2) L. 3. n. 643. v. sed hic Dub. 1. (3) ib. Dubit. 2. (4) n. 643. Dub. 3. (5) n. 644. (6) ibid. (7) ibid et l. 6. n. 851. (8) n. 645

divulgaret, vir ne ad aliquid quidem teneretur (1). Limitatur VII. si ipsamet puella exhibito consensu suae violationi propter fictam matrimonii promissionem repugnaret nuptias contrahere, quia vir non tenetur tunc ad aliud; nisi esset, ut recte excipit de Lugo, quod ille simulasset se melioris conditionis, aut illi conditionis aequalis et esset deterioris; quia tunc, licet mulier nuptias respueret, tamen ille tenetur compensare damnum maioris dotis, qua indigeret, ut nuberet. Eidem compensationi dicimus cum Navarr. Vasq. Sylv. et Henr. (contra Sanch. et Lugo) teneri virum, si puella matrimonium non recusaret, sed sui parentes: nam promissio ficta praecipue intelligitur facta ad compensandum damnum. Idem dicimus cum Less. Azor. Bonac. Lugo Croix (adversus Mol., etc.), si mulier violationem invita passa fuisset, et nollet postea nubere ei a quo iniuria affecta est. Deflorator contra, ut recte dicunt Lugo Less. et alii, non tenetur ad eam ducendam cum nulla intercessit promissio, nec vera, nec ficta; modo alia via subesset, qua damnum repararetur, et inaequalitas non esset nimia (2).

97. Dubitatur 1. an habens votum castitatis virginem deflorando teneatur eam ducere. Negant Laym. Salmant. et Conc.; sed recte affirmant Lugo Sanch. Vasq. Tamb. Spor. et Croix, nec agnosco utrum opposita sententia probabilis iudicanda sit, quia (ut dictum est *num.* 93.) ut servetur bona fides in contractibus, ficte promittens tenetur praestare partem suam, ac si vere promisisset, cum alter contrahentium partem suam adimplevit. Obiiciunt promissionem irritam esse ratione praecedentis voti. Sed respondetur 1. quod debita onerosa semper praeferenda sunt gratuitis, qualia sunt vota. 2. Quod deflorator, si promittere nequibat matrimonium, poterat saltem promittere impetrationem absolutionis a voto; et ad hoc iam se obligavit promittendo matrimonium, dum qui ad finem tenetur, tenetur etiam ad ponenda media, nempe ad impetrandam dispensationem. Et casu quo eam obtinere non posset, tenetur saltem ad compensandum damnum, ut dicunt recte Lugo et Spor. (3).

98. Dubitatur 2. ad quid teneatur violans virginem sibi coniunctam sub matrimonii promissione? Si promissio fuit vera et intercessit pactum impetrandi dispensationem, communis est sententia cum Lugo Laym. Sanch. Salmant., etc. promissionem esse validam, et obligare prius ad dispensationis impetrationem, et deinde ad matrimonium, quoties huiusmodi dispensationes solent concedi. Itaque idem dicimus cum Lugo et Tambur., si promissio fuerit ficta, nec mulier potuisset fictionem animadvertere; nam promittens tenetur efficere omne id (ut superius dictum est) quod facturus fuisset si promissio fuisset vera. Si tamen ille inculpabiliter non advertisset ad impedimentum cognationis quod aderat, et pro dispensatione opus esset magno incommodo, aut sumptu, ad tantum non tenetur; tenetur autem ad damni refectionem, sicut quilibet alius iniustus deflorator (4).

PUNCTUM VII.
Quid restitui debet ob adulterium.

99. *Ad quid tenetur adultera; et an teneatur se prodere apud spurium filium.*
100. *An filius teneatur credere ei.*
101. *Ad quid tenetur adulter; et licet non induxerit matrem ad supponendam prolem.*
102. *In dubio si proles est viri aut alterius adulteri.*
103. *Si proles mittatur ad hospitalia etc.*

99. Distinguenda est obligatio adulterae ab illa adulteri. Adultera cum reparare nequit mariti, et filiorum legitimorum damnum ob prolem spuriam, quae nata est, tenetur saltem illud compensare suis bonis pro-

(1) L. 3. n. 646. (2) n. 648.

(3) n. 649. (4) n. 650.

priis, aut se privando illis quae praetendere potest, suis industriis, aut inducendo filium, ut religionem ingrediatur, si sit ad hoc idoneus (1). Dubium restat utrum teneatur prodere delictum suum? Respondemus non teneri, cum prudenter timeret mortem, aut infamiam, et tale suum damnum valde praeponderaret damno viri, et filiorum legitimorum; sed cum damnum respective esset aequale, aut parum excedens, illa non potest suum celare crimen; ita dicunt communiter Lugo Sot. Less. Tol. Croix Roncag. Dian. Tambur. Spor. (contra aliquos). Hinc fit quod adultera debet suum crimen manifestare: 1. Si illa iam sit malae famae apud vulgum: aut ut dicunt Less. et Lugo, si foemina esset adeo vilis conditionis, ut eius fama non esset tanti, quanti alterius damnum. 2. Si secus timeretur damnum commune, v. gr. si spurius sit perditis moribus, et succedere deberet in principatum. 3. Si illa posset sine multo damno se prodere viro suo: sed recte hic dicunt Lugo et Sporer, difficulter adulteram posse ad id teneri, quia difficulter poterit magnam vexationem evitare, ut infertur ex *cap.* 9. *de poenit.* ubi dicitur: ***Mulieri quae de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est poenitentia deneganda.*** Sed contra dicunt communiter Lug. Less. Ronc. Spor. Croix Tamb., etc., quod mater tenetur se prodere filio spurio, si probabiliter sperare posset illum sibi crediturum, et bonis cessurum. Nec obstat dicere quod amissio famae praeponderat bonorum amissioni; quia ex una parte non est certum quod delicti propalatio apud unum vel alterum probum sit gravis infamiae; imo non videtur improbabile oppositum, ut dicetur *Tract.* 11. *num.* 11. Ex alia parte mater certe tenetur ad damnum reficiendum, unde quoties certa non est, quod suum damnum sit multo maius damno aliorum filiorum, illa tenetur ad illius reparationem (2).

100. Sed punctum sistit, quod filius non tenetur matri in hoc praestare fidem, ut docent communiter Azor. Filliuc. Lugo Less. Laym. Ronc. Salm. Holzm., etc.: nam nemo tenetur credere testimonio unius, etiam probatissimi, ut habetur ex *cap. Relatum*, *de testam.* et ex *c. Licet*, *de test.* ubi dicitur: *Nulla est causa quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Cum hoc expediat bono communi, ut vitentur fraudes, quae secus possent de facili committi. Ideoque dicunt Elbel et alii, quod raro potest accidere quod mater teneatur se prodere apud filium, quia raro contingere potest, quod filius teneatur credere matri. Sed si unquam ea indicia illegitimitatis filii adessent, ut nota fuissent, filius iure in foro externo damnaretur, v. g. si mater perspicue demonstraret viri absentiam, aut impotentiam tempore conceptionis, tunc filius teneretur credere matri, et mater se prodere apud filium (3).

101. Hactenus de adultera. Quoad adulterum, ille tenetur restituere filiis legitimis tam haereditatem suae proli relictam, quam alimenta illi exhibita a tertio anno, quia usque ad tertium annum tenetur eam lactare mater si potest; si autem non posset, etiam tenetur ad hoc adulter (4). Dicunt nonnulli aa. quod si adulter non induxisset matrem ad prolem supponendam inter legitimos, sed in hoc se negative habuisset, tunc non tenetur ad alimenta, aut saltem non ad haereditatem. Sed nos dicimus cum Less. Mol. Caietan. Conc. Salmant. Croix, etc. communiter ad utrumque obligari; quia ille semper est causa moralis proxima damnorum praefatorum, coniiciendo adulteram in moralem necessitatem prolem supponendi (5).

102. Quaeritur 1. ad quid teneatur adulter in dubio an proles sit propria, an viri? Dicit Laym. teneri

(1) L. 3 n. 652. (2) n. 653. (3) ibid. in fine, et n. 654. (4) n. 655. (5) n. 659

ad damnum pro rata dubii. Sed communiter docent Sot. Nav. Lugo Less. Sanch. Castropal. Tourn. Conc., etc. ad nihil teneri, quoties nescit certe prolem esse suam; nam secus possidet matrimonium, et possidet etiam adulter exemptionem a satisfaciendo damno (1). Et idem procedit (ut recte dicunt Sot. Sanch. Salm. Trull. etc.) si dubitatur inter duos adulteros, cuius sit proles; eadem ratione, quia non potest imponi onus certum pro dubia obligatione. Debet dumtaxat excipi, cum Elbel et aliis, casus, quando secundus adulter advertisset, quod suo peccato sit causa ipse incertitudinis, ne dignoscatur cuius sit proles: qua incertitudine posita, non potest postea exigi damnum a primo adultero: ideoque hic secundus remanet obligatus ad totum damnum: iuxta id quod dictum fuit *n.* 45. (2).

103. Quaeritur 2. an si adulteri essent opulenti, et mitterent prolem ad hospitale, teneantur ad refectionem expensarum? Affirmant Spor. Elbel Salm., etc. quia (ut dicunt) huiusmodi opera instituta sunt tantum pro pauperibus. Sed probabiliter negant Henr. Dicast. Rodriq. et Renzi, et probabile dicunt etiam auctores primae sententiae, quia hospitalia non sunt erecta solum ob parentum pauperum levamen, sed etiam et forte potius ad cautionem filiorum ex illegitimo consortio natorum, ob periculum, quod eis subest mortis temporalis et aeternae, si parentes deberent suis impensis eos alere (3).

PUNCTUM VIII.

De tempore et modo restitutionis.

104. Quoad tempus, fur (cum possit) tenetur quam primum restituere, alioquin peccat graviter, et toties (iuxta opinionem Bonac. et aliorum) quoties ei offerantur occasiones restituendi; sed iuxta id quod dicunt Lugo Nav. Salm., etc. probabiliter committit unum continuatum peccatum: observetur quod dictum fuit *Tract.* 3. *num.* 61. Non est autem capax absolutionis qui vellet restituere in morte, cum possit in vita, aut vellet restituere partem, cum possit totum. Caeterum potest aliquando debitor differre restitutionem cum adest iusta causa, ut esset ad evitandum scandalum, aut propriam infamiam, aut ob alias rationes, quae puncto sequenti examinabuntur. Sed advertendum cum sententia communiori Lugonis Less. Mol. Tambur., etc. (quicquid dicant alii) quod, cum debitum provenit ex delicto, non obstante causa iusta differendi restitutionem, semper tenetur fur ad totum damnum, quod creditor patitur, reficiendum; quia huiusmodi damni semper causa est furtum antea factum (4); secus autem, si debitum proveniat ex ratione contractus (5).

105. Praeterea, potest differri restitutio cum dilatio esset modica (nempe 20. dierum, ut putat Castropal.) et creditor nullum damnum pateretur: caeterum, cum poenitens potest statim restituere, regulariter loquendo dicimus cum Conc. quod confessarius non potest absolvere debitorem, nisi prius restituat, ut dicemus pariter *Tract. ult. punct.* 1. loquendo de iis, qui sunt in occasione proxima. Ratio est, quia cum restitutio sit res valde difficilis ad exequendum, si poenitens absolveretur antequam satisfaciat, communi experientia quae habetur, relinquitur in eodem non restituendi periculo. Quare recte ait s. Thomas de Villanova: *Prius restituat, et tunc ad confessarium redeat, ut absolvatur.* Dictum est *regulariter*, quia (ut dicit idem p. Concina) si restitutio non potest fieri tam cito, et poenitens dignoscatur vere

(1) lib. 3. n. 657. (2) n. 658

(3) n. 656. (4) n. 679 ad 682. (5) n. 678.

paratus satisfaciendo, potest absolvi prima vice; et probabiliter (ut dicunt Lugo et Salm.) etiam secunda et tertia vice, si eae concurrant circumstantiae, ut confessarius debeat illi dilationem concedere (1). Si autem admonitio de restitutione non esset profutura, vide quod dicitur *Tract.* 16. *n.* 115. loquendo de Poenitentiae Sacramento.

106. Quoad autem modum restituendi, qui non posset sine sua infamia per se restituere, debet saltem secreto per confessarium, aut per alium fidelem restituere. Sed hic dubium fit: cum accideret quod confessarius sibi retineret pecuniam sibi traditam, ut restituatur, an poenitens teneatur iterum ad eam solvendam? Negant Sotus Castr., etc. dicentes quod, cum non teneatur debitor ad palam restituendum, tenetur esse contentus creditor de restitutione manu alterius. Sed nos absolute affirmamus cum Lugo, (qui vocat contrariam tenue probabilem) Less. Nav. Silv. Spor. Salm. Croix, etc. 1. quia licet fur non teneatur ad manifestandum suum delictum, nihilominus semper tenetur ad reddendum dominum indemnem; 2. quia fur tenetur ad omnia damna quae eveniunt domino causa furti; et nunquam praesumitur dominus esse contentus, usquedum non recuperet quod sibi ablatum est (2). Si vero dominus esset certus, et confessarius imprudenter Missas celebrare fecisset; ait Tamb. quod si prima opinio opposita superius allata Soti, etc. est probabilis in primo casu, probabilis est etiam in hoc quod debitor ad nihil tenetur. Sed nec huic acquiescere valeo, quia semper creditor petit suum, et de illo, arbitrio suo, non aliorum, vult disponere (3). Iam dictum est *num.* 65. quod fur tenetur curare, ut suis sumptibus res perveniat in manus creditoris. Adverte tamen, quod commodatarius, si rem commodatam mittit domino per virum qui communiter existimatur fidelis, et res deperditur, adhuc ob culpam emissarii ad nihil tenetur, ita statutum per *L. Argentum* 20. *ff. de commodat.*

(1) lib. 3. n. 679. et 682. (2) n. 705.
(3) ibid. v. Quid si. (4) n. 684 et 685.

Punctum IX. *De ordine personarum quibus restitutio prius facienda est.*

107. *Si res existit, debet domino tradi, sed si alienata est, etc.*
108. *debent praeferri creditores onerosi*
109. *Si omnes sunt onerosi.*
110. *An debita ex delicto, an ex contractu, etc.*
111. *An debita certa incertis.*
112. *An hypothecaria anteriora; et an anteriora personalia.*
113. *An debitor possit praeferre quem maluerit.*
114. *Quid si creditor exigit, etc.*
115. *Si servus recipit salarium a domino aere alieno gravato.*

107. Cum debitor potest omnibus satisfacere, nullus ordo observandus est. Sed cum non potest omnibus, sequentes regulae observandae sunt: 1. Si res existit, debet utique domino illa restitui, aut, eo deficiente, pauperibus, ut dicit Busemb. Idem currit pro restitutione rei emptae, cum pretium non est solutum, quia tunc dominium penes venditorem restat, ut habetur ex §. *Venditae, instit. de rer. div.* Secus autem si venditor pro pretio pignus, aut cautionem accepisset; tunc enim dominium iam in emptorem translatum est, et venditor iam pro suo pretio in tuto est: et idem dicimus cum Lugo Mol. Laym. Castrop. Vasq. Azor., etc. (contra Bonac. et Salm.) si fidem pretii percepit, quia etiam tunc rei dominium est emptoris, ut in *capite* sequenti *de contract. num.* 167. Quare tunc nihil aliud venditori competit quam actio personalis in emptorem (4). Si tamen esset pecunia furtiva confusa cum propria, recte dicunt Castropal. Ronc. et Croix, illam restitui debere suo domino, dum in tali casu totus cumulus eidem remanet obligatus (5).

108. 2. Debita onerosa satisfacien-

(5) n. 686

da sunt ante gratuita, quia horum promissio semper includit tacitam conditionem *deducto aere alieno* (satisfactis debitis) ut dicunt communiter Lugo, Silv. Molin. Navar. Less., etc. ex *L. Inter*, §. 15. *ff. de re iudic.* (1).

109. 3. Si debita autem sunt omnia onerosa, 1. debet satisfieri debitis, quibus obligata sunt bona debitoris cum expressa hypotheca. 2. Debitis cum hypotheca tacita, et haec inter praeferendae sunt uxorum dotes. 3. Depositis in manu debitoris deperditis. 4. Debitis privilegiatorum, nempe, pupillorum, locorum piorum, etc. 5. Caeteris debitis personalibus. Sed omnibus istis creditoribus, licet expressam haberent hypothecam, debet semper praeferri qui pecuniam dedit ad rem emendam, aut ad domum reparandam, aut ad campum colendum, et custodiendum, aut ad colligendas fruges, ut est expressum in *L.* 3. *ff. Qui potiores*, etc. (2).

110. Dubitatur 1. quae debita prius satisfacienda sunt, an quae ex delicto, an quae sunt ex contractu? Tres sunt sententiae: Prima praefert quae sunt ex delicto; ita Medin. Rebell., etc. cum s. Thoma (3), quia retinere res ablatas est maior iniuria, quam non solvere pro debito promisso ex contractu. Secunda praefert debita ex contractu, non iam gratuito, sed oneroso; ita Caiet. Nav. etc., quia secus (dicunt isti) fieret restitutio pro furto ex eo quod ad alios spectat; sed Lugo hanc rationem uti firmam non habet. Tertia communior Lugo Less. Castr. Bonac. Laym., etc. et mihi probabilior, dicit praefatis debitis *pro rata* satisfaciendum esse, modo non existat in specie res domini, aut modo non sit alicui creditorum hypotheca, secus, nullum habetur fundamentum ex lege aliqua, quod inter creditores ex delicto aut ex contractu praelatio facienda est (4).

111. Dubitatur 2. an debita certa (nimirum quorum domini certi) praeferenda sint incertis? Probabiliter affirmant Less. Bonac. Busemb. Salmant. etc., quia debita certa lege naturae debentur creditoribus, incerta vero tantum ex lege positiva debentur pauperibus. Nihilominus est satis probabilis sententia Mol. Bann. Tap. Rebell., etc. a Lugo nuncupata probabilissima, restitutionem faciendam esse *pro rata*; dum est valde probabile, ut aliunde dicunt Caiet. Covarr. Arag., etc. quod restitutio pauperibus debeatur etiam ex lege naturali; nam talis praesumitur esse creditorum ignotorum voluntas, quia cum ad ipsos nequeat pervenire restitutio, saltem fiat pauperibus pro suis animabus (5).

112. Dubitatur 3. an semper praeferendi sint creditores anteriores? Loquendo de creditoribus hypothecariis cum expressa hypotheca, certum est semper inter ipsos praeferendos esse anteriores. Et idem dicunt Lugo Vasq. Mol. cum aliis communius de creditore cum hypotheca tacita, quod debet iste praeferri illis qui habent expressam. Inter creditores vero personales non negatur probabilis esse sententia Castr. Less. Holzm., etc. quod istis debeat pro rata creditorum satisfieri, dum istis non sunt obligata bona, sed persona debitoris quae aeque est obligata omnibus. Sed communior et probabilior est sententia de Lugo sancti Antonini Suar. Nav. Bonac. Conc. Croix Tol. et Salmant. qui citant sanctum Thomam et alios, praeferendos esse personales anteriores, quia regula: *Qui prior est in tempore, potior est in iure*, licet a lege civili pro solis hypothecariis assignata sit, tamen a iure canonico (*reg.* 45. *iur. in* 6.) illa assignatur pro omnibus; et talis regula est fundata in lege naturae, dum licet creditor personalis directe habeat devictam solam debitoris personam, indirecte tamen sibi habet bona illius obligata (6).

113. Dubitatur 4. an debitor possit

(1) L. 3. n. 649. v. Secunda et n. 689
(2) n. 689. et 690. (3) Opusc. 73. c. 13.
(4) n. 688. (5) n. 687. (6) n. 690.

inter creditores personales pauperiorem praeferre? Probabiliter id asserunt Molin. Sa Less. Laym. Med., etc. cum s. Thoma (1), quia pauper maius damnum suffert. Sed probabilius id negant Lug. Castrop. Azor. Vasq. Less., etc., quia talis praelatio nullibi legum indicata reperitur. Excipit Less. si pauper esset in gravi necessitate; sed hoc dico debere intelligi tantum quando alii creditores tenerentur in particulari ad succurrendum tali pauperi, ex obligatione praecisa eleemosynae (2),

114. Dubitatur 5. an creditor qui integrum suum debitum exegit, possit illud sibi retinere, quin aliis personalibus creditoribus impertiatur? Negat Lugo, si ille non est anterior, et si extraiudicialiter exegit. Sed est communissima sententia opposita, Less. Navar. Cabas. Salmant., etc., quia leges favent vigilantibus exactoribus; et non distinguunt in iudicio. an extra, ut observatur in *leg. Pupillus, ff. Quae in fraud.* et *L. Si non, in* 6. § 1. *ff. de bon. auct. iud.*, etc. Hinc dicit Busemb. cum Silv. Navar. et Bonac. quod, cum quis creditorum personalium aequalium suum creditum efflagitat, debitor tenetur ei satisfacere (3). Si nullus vero creditorum exigit, non potest debitor (qui est impotens satisfaciendo omnibus suis creditoribus) arbitrio suo uni integre satisfacere. Et in tali casu dicimus cum Castrop. Tourn. Conc. Salm. Bon. Azor., etc. (contra Less. et alios) non posse creditorem integram solutionem sibi factam retinere. Nec obstat dicere quod praefata lex, Pupillus, non revocat quod solutum est, quia leges tantum intendunt remunerari creditoris diligentiam, non autem dare alicui ius retinendi quod debitor ei iniuste solvit; nec in hoc iuvare potest accepisse in bona fide (4).

115. Dubitatur 6. an possit servus qui non est praecise necessarius recipere stipendium a domino aere alieno gravato? Respondetur quod potest retinere illud, si in bona fide recepit. Si autem ille advertit dominum inposterum futurum fore aliis creditoribus satisfaciendo iniuste (sine necessitate) impotentem ex tali solutione, dicimus cum Navar. Ang., etc. eum teneri ab illo discedere, nec posse prosequi ad exigendum; nam alias ille fit causa creditorum damni, ut diximus in simili casu *n.* 75. (5). Contra uxores, et filii licite recipiunt alimenta a patre quantovis aere alieno gravato, ut dicunt Sanchez Laym. et Croix (dummodo non habeant unde aliunde vivant), cum talis debitor teneatur ex iustitia eos alere. Imo quantum ad uxorem dicunt Mol. Navarr. Vasq. et Laym. illam, licet haberet unde viveret, ettiam posse a viro usurario ad restituendum impotente alimenta recipere; quia vir non minus tenetur ad mulierem alendam, quam ad pro debitis solvendum. Addit Laym. quod mercedes operariorum pro debitoris necessariis usibus debent etiam creditis hypothecariis praeferri (6).

PUNCTUM X.

Quae causae excusant a restitutione.

116. *Causae excusantes ex parte creditoris sunt:* 1. *Si restituitur eius creditori;* 2. *si praesumitur eius consensus;* 3. *si praevidetur eius abusus.*

117. *Ex parte debitoris:* 1. *Si deest culpa;* 2. *si obtinetur compositio;* 3. *si damnum suum est multo maius;* 4. *si adest animae periculum;* 5. *vel vitae, vel famae;* 6. *si cedit bonis.*

118. *Excusat necessitas.*

119. et 120. *Quid si creditor etiam esset in necessitate.*

116. Nonnullae causae excusant ex parte creditoris, aliae ex parte debitoris. Ex parte creditoris excusat 1. si solvis creditori creditoris tui, quia tunc acquirendo cessionem crediti illius, iam potes iuste compensare. 2. Si prudenter praesumere potes

(1) Opusc. 73. c. 18. (2) L. 3. n. 691. (3) n. 692. (4) n. 693. (5) n. 694. (6) n. 695.

dominum consentire, ut tu illam rem tibi sumas, aut acceptam tibi retineas, ut communiter admittunt Silv. Navarr. Lug. Less. Sanch. Sa Sayr. Holz. Croix, etc. (1) et expresse hoc docet s. Anton. (2) qui dicit: *Invito domino dicitur, quia si credit dominum permissurum, et subest iusta causa credendi,* (restituere) *non tenetur.* Et habetur ex *L.* 46. §. 7. *ff. de furtis*, ubi sic dicitur: *Recte dictum est, qui putavit domini voluntate rem attingere, non esse furem; quid enim dolo fecit qui putat dominum consensurum fuisse?* Ratio est, quia tota furti malitia consistit in eo quod contra domini voluntatem alienum accipit; unde supposito domini consensu, non est amplius furtum. Confirmatur hoc ex s. Th. (3) qui permittit Religioso donare sub spe ratihabitionis praelati, nempe si putat licentiam habiturum fuisse, si ab eo illam petiisset. 3. Debitor ad restitutionem non tenetur, si dominus rei restituendae hac abusurus fuisset ad peccandum, ut dicunt Less. Lugo Sot. Mol. Navar. Croix, etc. contra alios; et expresse id docet s. Thomas (4) dicens: *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri, non debet ei tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad utilitatem eius cui restituitur.* Imo quando dominus ea re in tertii damnum abusurus fuisset, tu teneris denegare illam, semper ac sine damno tuo gravi potes ei illam denegare, ut dictum est *n.* 56. ubi dictum fuit nunquam licere, etiam ad vitandam propriam mortem, gladium restituere volenti inimicum occidere. Et tunc peccares non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, ut docent communiter Lugo Sot. Less. Castrop. Conc. et Salm., quia proximus ius habet ne quis in sui damnum cooperetur (5).

117. Ex parte autem ipsius debitoris, excusatur ipse a restitutione, 1. si in damno causando culpam lethalem non commisit, ut *n.* 39. diximus. 2. Si restitutio pauperibus pro debitis incertis facienda esset, et debitor a Papa compositionem obtinuisset, ut dictum est *n.* 68., aut si ipse pauper esset, et sibi applicasset (6). 3. Si restituere sine damno suo multo maiore, et duplo excedente nequiret, nam tunc recte restitutionem differre potest, modo ex dilatione aequale damnum dominus passurus non esset; ut dictum est *n.* 65. Pro amissione vero lucri non potest debitor restitutionem differre, ut recte dicunt Salm. Excipit Beya, si ex dilatione nullum passurus esset damnum creditor (7). 4. Si restituere non posset debitor sine periculo animae suae aut suorum, v. gr. si periculum subesset quod mulier aut filiae prostituantur, aut se dent in latrocinia, etc. ita Less. Mol. Bon. Fillinc. etc. (8). 5. Si restituere sine vitae aut famae periculo non potest; modo famae suae amissio damno creditoris praeponderet, ut *n.* 99. in fine. 6. Si cedit bonis suis; nam leges debitori impotenti omnibus creditoribus suis satisfaciendo permittunt, ut sibi retineat quantum satis est ad se sustentandum iuxta statum suum, cedendo illis reliqua sua bona, et ita ut liber sit pro eo quod solvendo non est, modo ad meliorem fortunam non perveniat: *L. Cum*, et *fil. c. Qui bon.*, etc., licet dicat Layman, quod etiam ille in paupertate sua remanens, tenetur laborare, et acquirere quantum potest, ut satisfaciat. Notandum tamen talem cessionem locum non habere in debitis ex delicto: quamvis Less. Navarr. et Salon. etiam concedant furi cedere bonis, retinendo sibi quantum ei ad victum satis est (9).

118. Excusat 7. paupertas, si restituendo vitam decentem iuxta statum suum debitor ducere non pos-

(1) L. 3. n. 700. v. Quaer. hic 1.
(2) 2. p. t. 1. c. 15. in princ. (3) in 4. D. 15. q. 2. art. 5. ad 4. (4) 2. 2. q. 62. a. 5. ad 1. (5) n. 697. v. Teneris.
(6) n. 696. (7) n. 697. (8) n. 698. ad 9.
(9) n. 699.

set; Azor. Sot. s. Anton. Navar. Laym. Salm. Croix, et alii communiter (1); modo (intelligitur) debitor talem statum iuste acquisiverit; nam si iniuste acquisivisset furtis aut fraudibus, ille teneretur ad restituendum, etiamsi casurus sit a suo statu, ut communiter dd. Praeterea intelligitur, ut dicunt Castropal. Navarr. Silvest. p. Layman Croix, etc. modo debitor culpabiliter ludis, crapulis, etc. in talem necessitatem se non coniecerit: sed hoc non obstante, semper ac debitor a suo statu iuste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Ceterum recte advertunt s. Antonin. Spor. Elbel, etc. quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminuere, ut possit restituere saltem quod potest (2).

119. Sed maius dubium est, an paupertas a restitutione excuset, cum dominus etiam esset pauper? Hic oportet distinguere necessitatem extremam a gravi; si debitor restituendo se aut suos (nempe filios, parentes, aut uxorem) in extremam necessitatem coniecturus esset, excusatur; quia tunc bonis quae restituturus esset utitur, non secus ac si iam in extrema necessitate constitutus esset; et hoc quamvis res aliena in sua specie existeret; et etiamsi rei dominus in eadem necessitate extrema reperiretur; quia in tali necessitate omnia sunt communia, ideoque in tali casu melior est conditio possidentis; sed recte excipiunt Less et Castrop. si accideret casus quod dominus rei ex illo particulari furto in extrema necessitate positus esset: dum dominus qui prius possidebat tunc praeferendus est (3). Sed si fur, necessitate transacta, teneatur ad restitutionem, vide dicta *num.* 19.

Loquendo autem de gravi necessitate, si solus debitor est in gravi necessitate, aut si restituendo decidere debet a statu suo iuste acquisito, bene potest ille restitutionem differre, ut dictum est *num.* praecedenti. Sed dubium restat, cum uterque, nempe debitor et creditor sunt in eadem gravi necessitate, an debeat fieri restitutio: et respondetur quod, si creditor iam in gravi necessitate reperitur, debitor restituere debet, licet in aequalem gravem necessitatem coniiciendus esset, quia in aequali necessitate praeferendus est creditor; ita communiter Azor. Mol. Less. Laym. Spor. Salm. Croix, etc. sed si debitor et creditor in eadem necessitate gravi iam reperiuntur, adeo ut illud vitae sustentandae iuxta eorum statum satis non sit; tunc aliqui dicunt debitorem teneri restituendo: saltem cum debitum est ex delicto; ut dicit Ronc. Sed Lessius Castrop. Sylv. et Trullench. cum eodem Ronc. merito dicunt, probabile esse in tali casu restitutionem posse differri; quia tunc debitor restituendo subiicere se deberet damno multo maiori, dum ex gravi necessitate in quasi extremam prolabi deberet. Sed excipitur semper, si creditor propter illud furtum in particulari in illam gravem necessitatem lapsus esset. Excipitur si res in specie existeret (4). Advertendum hic tandem, quod qui dubitat an damnum quod causavit, sit leve, an grave, non tenetur compensare nisi leve. Sed si res ablata existit, et dubitat an sit valoris gravis, an levis, tenetur sub gravi ad eam restituendam; aliter exponet dominum ad iniuste subeundum damnum grave (5). Ad quid autem teneatur possessor bonae fidei, superveniente dubio, quod res non sit sua, vide dicta *n.* 73. huius *Tract.* et *Tract.* 1. *n.* 20.

120. Quaeritur hic ultimo, an debitor donans creditori immemor sui debiti, a restitutione excusetur? Negant Sanch. Laym. Bonac., etc. quia (ut aiunt) non potest una solutione satisfieri duabus obligationibus, uni ex titulo iustitiae, alteri ex titulo gratuito. Sed affirmant Card. Rodriguez

(1) L. 3. n. 702. (2) n. 698. ad 5. et 6. et n. 702 ad Dicendum 2. (3) n. 701.

(4) n. 701. et 702. (5) n. 706.

Mazzotta et La-Croix, cum Rebellio ac aliis, quorum sententia satis est probabilis, semper ac certe praesumitur quod debitor, si debiti fuisset memor, nequaquam donasset. Ratio est, quia semper censetur quisque, cum dat bona sua, velle potius satisfacere obligationi iustitiae, quam voluntati donandi, sive obligationi factae donationis, quae cum facta fuerit per errorem, sive per debiti oblivionem, quae dedit causam donationi, manet rescindibilis ab eodem donante, qui in conscientia non tenetur ad eam implendam; nam in quovis homine supponitur tacita mens non velle se obligare, ubi deceptus invenitur (1). Nec obstat 1. quod in contractibus non attenditur voluntas interpretativa, seu conditionalis, sed actualis; quoniam in nostro casu non intelligitur facta satisfactio primae obligationi per voluntatem interpretativam, sed per voluntatem actualem ab initio habitam a debitore satisfaciendi debitum quod contrahebat; quae voluntas habitualiter perseverat semper ac non revocatur; et haec voluntas debet praevalere, tanquam anterior et magis urgens; idque probatur ab iis quae scribunt ipsimet adversarii in similibus casibus (2). Nec obstat 2. quod debitum certum nequit compensari cum satisfactione probabili, quia hoc procedit, cum debitum est certum et solutio est tantum probabilis: sed in casu nostro habetur, quod debitum est certum et satisfactio sive datio debiti compensativa etiam est certa quapropter aequalitas iam ponitur. Stante igitur ex una parte debiti oblivione, quae causam dedit donationi, redditque eam aut nullam, aut saltem rescindibilem ab eodem donante; et ex alia parte praesumpta satisfactione obligationis iustitiae per voluntatem perseverantem debitoris illam satisfaciendi; in hoc casu redditur dubia lex sive obligatio satisfaciendi duobus oneribus iustitiae et donationis; et cum huiusmodi lex sit dubia, ipsa non obligat, iuxta id quod dictum est in *Tract.* 1. *ex n.* 15 et 32.

Idem autem quod dicitur hic de debito procedit de votis; quapropter si quis aliquod edidit votum, et postea implet operam promissam immemor voti, non tenetur iterum implere, semper ac pro certo praesumere potest quod, si memor voti fuerit, pro eo operam impletam applicasset. Idque communiter docent Suarez Azor. Bonac. Lessius Laym. Sanch., etc. quia tunc votum impletur per illam primam voluntatem habitam in principio, cum votum fuit emissum. Idemque dicunt ipsimet aa. de obligatione implendi poenitentiam sacramentalem (3).

(1) L. 3. n. 700. v Quaer. 2. (2) ibid. (3) n. 700. v. Limitant vero.

CAPUT IV. DE CONTRACTIBUS

PUNCTUM I. *De contractu in genere.*

121. *Quot modis constituuntur contractus.*
122. *Qui contrahit sine animo contrahendi, aut se obligandi.*
123. *De contractibus turpibus.*
124. *De contractibus initis dolo, aut errore.*
125. *Metu.*
126. *Sine solemnitatibus.*

121. Contractus quatuor modis constituitur: 1. solo consensu, ut venditio, locatio, etc. 2. solis verbis, ut stipulatio, 3. scriptura, ut census, 4. traditione, ut donatio, mutuum, depositum, et commodatum (4).

122. Notandum 1. si quis externe contrahit, sed sine animo contrahendi, non remanere eum obligatum (nisi esset quia alter contrahentium, cum contractus esset onerosus, iam partem suam adimplevisset, ut dictum est in hoc *Tract. n.* 93.). Et qui contraheret sine animo se obligandi, probabiliter ne obligatus quidem remaneret (5).

123. Notandum 2. contractus turpes, v. g. grassationis, fornicationis, etc. antequam effectum habeat delictum, cum ipsi sint omnino irriti,

(4) n. 708. (5) n. 710. et l. 6 n 833.

non obligare; sed eo patrato, communior et probabilior sententia, quam tenent Sot. Caiet. Less. Sanch. Lug. Mol. Salm. Croix, etc. (quamvis opposita Adriani Comitoli et Tournely etiam sit satis probabilis) docet teneri solvere pretium promittentem, et recipientem non teneri illud restituere, tum ratione superius allata, quod cum alter contrahentium partem suam posuit, alter tenetur ponere suam; tum etiam quia opus malum iam positum, licet non sit dignum pretio uti malum, est tamen aestimabile ut utile uni, et onerosum alteri, id ponenti (1). Vide quod dicetur *Tract.* 13. *n.* 67. Si quis autem donum aliquod mulieri traderet ad copulam extorquendam, non posset illa, copula non concessa, donum retinere; secus vero si donum datum fuisset ad voluntatem mulieris alliciendam (2).

124. Notandum 3. contractum dolo, aut errore circa substantiam initum esse invalidum, licet error non dedisset causam contractui, nempe cum, etiamsi pars errorem cognovisset, etiam contraxisset. Contra cum error est circa qualitatem rei, et causam contractui non dedit, ille certe est validus. Sed si error fuisset circa solam qualitatem, et contractui causam dedisset, nonnulli dd. dicunt esse nullum; sed communis et valde probabilior sententia vult esse validum, nam talis contractus non potest dici invalidus, nec lege naturae, cum iam adest plenus consensus circa substantiam: nec lege positiva, ut constat ex textu Iustiniani, *Instit. l.* 4. *tit.* 13. *de except.* ubi declaratur validus talis contractus, licet detur actio parti deceptae illum rescindendi. Sed hoc non obstante, quando error fuisset invincibilis, et res adhuc esset integra, probabile est cum Less. Laym. Castrop. etc. deceptum non teneri in conscientia stare contractui, cum omnium contrahentium mens tacita ea sit, ut nolint se obligare iis contractibus in quibus decipiuntur (3).

125. Notandum 4. contractus metu initos (modo metus sit gravis, et iniustus) similiter posse rescindi non solum a iudice, sed etiam propria auctoritate partis metum passae; et hoc etiamsi res in manus tertii possessoris bonae fidei transiverit. Et si unquam pars laesa peteret contractum rescindere, et altera renueret, potest tunc sibi compensare damnum quod passa est (4). Caeterum huiusmodi contractus ex se sunt validi, licet essent gratuiti, iuxta sententiam communissimam et probabiliorem, quam tenent Less. Azor. Lugo Salmant. et alii multi (5). Nihilominus excipiuntur 1. matrimonium (et etiam sponsalia ut dicetur *Tractatu* 18. *n.* 3.); 2. professio religiosa; 3. votum; 4. promissio, aut traditio rei ecclesiae; 5. electio praelati; 6. auctoritas tutoris metu extorta; 7. iurisdictio ecclesiastica metu acquisita; 8. absolutio a censuris; 9. renunciatio beneficiorum. Loquendo autem de aliis contractibus, iam dictum est quod metum patiens actionem habet rescindendi contractum: intelligitur quando metus est gravis, non autem cum est levis iuxta probabiliorem sententiam; licet oppositam Soti Navar. Lessii Sanch. Castrop. Salm. etc. non iudicamus improbabilem, sed semper excipiunt hi dd. matrimonium, et professionem religiosam, quae irritari non possunt ob metus levis incussionem (6).

126. Quaeritur autem inter dd. an liget in conscientia contractus sine debitis solemnitatibus celebratus? Multi affirmant, ut Sot. s. Antonin. Sa Mol. etc. dicentes legem humanam auferre quidem actionem in huiusmodi contractibus, non autem naturalem obligationem, pro qua sufficit solus consensus. Multi alii vero id negant, ut Less. Lugo Bonac. Salm. etc. et dicunt legem humanam, ut fraudum

(1) lib. 3. n. 712. (2) ibid. quaer. 2.
(3) n. 714. v. Contractus et 715.

(4) n. 717. et seqq. (5) n. 716.
(6) n. 716. v. Excipe tamen. et seqq.

periculo occurrat, bene posse etiam naturale debitum auferre. Sed cum utraque sententia sit probabilis, puto in praxi omnino amplexandam esse tertiam sententiam Sanch. Cabass. Bann. Beiae etc. (cui adhaeret etiam Sot.) nempe cum ei tale sit dubium, praeferendum esse possessorem, donec a iudice non sit damnatus ad restituendum.

Punctum II.

De promissione et donatione

127. Quoad promissionem, probabile est simplicem promissionem, nisi adfuerit expressa voluntas sub gravi se obligandi, non obligare nisi ad culpam levem, dum talis promissio non iam obligat ex iustitia, sed ex sola fidelitate sive honestate, ut dicit s. Thomas (1); et huius sententiae sunt etiam Caiet. Bann. Ledesm. Henriq. et Salm. cum aliis (2). Certum est autem omnino non obligare, quando res promissa redditur aut nimis nociva, aut impossibilis, aut illicita, aut inutilis, aut quoties talis rerum mutatio superveniat, ut si praevisa fuisset, promissio non fuisset facta; ita expresse s. Thomas (3) et alii communiter (4).

128. Quoad donationem, multa notanda sunt. Notandum I. impeditas esse donando sequentes personas: 1. ratione carentes; 2. muti et surdi a nativitate; 3. pupilli et impuberes (nisi ad piam causam); 4. morte damnati; 5. communitatum administratores, nisi donationes sint remuneratoriae, et eleemosynae (5). Praeterea non possunt donare aere alieno gravati; et advertendum eos qui dona ab huiusmodi recipiunt, teneri ad restituendum, si debitores iis donis impotentes fierent creditoribus solvendo; quia huiusmodi donatarii recipiendo sunt causa positiva damni creditoris quandoquidem contractus donationis non perficitur sola donantis voluntate, sed etiam acceptantis; unde ipsi, tanquam causa positiva damni creditoris ad restitutionem tenentur (6).

129. Notandum II. donationes inter coniuges non valere, nisi confirmatae sint iuramento, aut donantis morte, postquam in vita doni traditio facta est. Sunt tamen validae si factae sunt causa mortis, et si sunt remuneratoriae; aut factae a viro qui est prodigus, aut ab uxore ut vir aliquam obtineat dignitatem (7). Idem quod est inter coniuges, dicitur de donationibus patris factis filiisfamilias. Est valida tamen si talis donatio facta est causa matrimonii, aut studiorum (et tunc non praesumitur pater velle, ut res donata in legitimam computetur); aut si filius est tantum naturalis, aut si pater donat fructus peculii adventitii (8).

130. Notandum III. donationem ante acceptationem obligationem aliquam non parere (nisi facta esset infanti, tunc enim pro ipsis acceptat lex). Ratio est quia nulla obligatio potest inter partes sine mutuo eorum consensu contrahi. Ita ex *L. si quis argumentum*, § *Si autem*, *c. de donat.* contra *L. Absenti ff. eod. tit.* (9). Vide etiam *de Franchis* Dec. 339. Et hoc procedit, etiamsi donatio esset iuramento firmata (10): dum iuramentum actus naturam sequitur, nempe donationis, quae per se est revocabilis, quoties non est acceptata. Hinc est

(1) 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. (2) lib. 3. n. 720. v. In hac. (3) 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. et l. 3. n. 720. v. Notandum. (4) ib,

(5) n. 721. (6) n. 722. (7) n. 723. (8) n. 724. (9) n. 725. (10) n. 727.

quod si donatio facta est per nuntium, illa potest revocari, usquedum coram ipso nuntio acceptata non sit; et si literis facta est, usquedum acceptationis responsio non refertur ad donantem (1). Ideoque eo casu iuxta probabiliorem Lopez Tiraquel. Decii et aliorum, donatarius non potest talem donationem acceptare, si certior post donantis mortem fiat; quia tunc coniungi non potest (ut dictum est) consensus donantis cum illo donatarii, ut contractus validus fiat. Et iuxta hanc sententiam, si nuntius culpa sua rem donatam non attulit donatario, aut donationem sibi commissam non executus est, ipse tenebitur post donantis mortem non solum ad restituendum rem haeredibus, sed etiam damnum illatum donatario. Sed hoc non obstante, non iudico improbabile contrarium, quod tenent Less. Lugo Sanch. Salm. et Viva, qui dicunt donatarium etiam post donantis mortem posse acceptare donationem, ex eo quia donantis voluntas in literis aut in nuntio misso, aut in legatione huic data donationem faciendi, virtualiter perseverat. Et posito quod utraque sententia sit probabilis, dico quod si donatarius bona fide acceptavit donationem, et rem donatam iam accepit, licite potest eam retinere. Et tanto magis, si tunc cum donatio acceptatur, nec nuntius nec donatarius donantis mortis sunt conscii, quia tunc acceptatio est certe valida, ut dicunt Sanch. Lugo et Salmant. ex *L. Inter causas ff. Mandati* etc. Contra donatarius tenetur ad restitutionem si rem mala aut dubia fide recepit; cum iuxta dicta *n.* 8. *huius Tractatus*, et in opere (2), cum dubio etiam positivo, aut cum opinione probabili legitima possessio acquiri non possit (3).

131. Quod autem supra dictum est, nempe quod donatio ante acceptationem non obligat, hoc currit etiamsi facta sit ad pias causas (advertendum tamen donationes pias a quolibet acceptari posse); ita probabilius docent Sanch. Castrop. Covar. Rebel. Salm. etc. Sed excipitur si donatio directe est facta Deo, quia tunc est votum; et in dubio praesumitur esse votum in quo probabile est posse Episcopum dispensare, licet donatio acceptata sit ex parte piae causae (4). Sed si donatarius (loquendo generaliter de omni donatione) decesserit ante acceptationem, quaeritur an possit haeres eam acceptare; affirmant Molin. Suarez. Sanch. etc. sed probabilius id negant Less. Castrop. Salm. et Rebel. quia haeres in omnia defuncti iura realia, non autem personalia, ut est hoc, succedit (5).

132. Notandum IV. dominium rei donatae non acquiri, nisi post traditionem. V. Donationem principaliter factam ut donatarium obliget ad aliquod, illa erit irrita, si per donatarium stet, quin finis adimpleatur. Secus autem, si facta est ad alliciendum eum ad aliquod praestandum (6). VI. Donationem prodigam non esse validam (7). VII. Donationem factam ob causam praesentem, aut praeteritam non esse validam, si deest causa primaria: secus si deest secundaria (8).

133. Notandum VIII. quod donatio inter vivos multis de causis revocari potest. 1. Ob enormem donatarii ingratitudinem (9): 2. si donanti proles orta est, qua prius carebat: intelligitur cum donatio de magna bonorum parte fuisset, et cum fit extraneis; quia si fuisset in alicuius ascendentis beneficium facta, aut ad causas pias, tunc potest solum revocari in quantum est necessarium, ut filii suam habeant legitimam (10). An autem, quia nascuntur alii filii, possit pater donationem revocare, probabile est eum posse, licet negent alii. Sed si pater eam non revocat, non potest a filiis revocari (11); 3. si do-

(1) L. 3. n. 728. (2) n. 729. et 730. (3) ibid. et 761. v. Quaer. 2. (4) n. 726. (5) n. 731. (6) n. 734. et 736. (7) n. 735. et fusius l. 6. n. 851. v. Cum autem. (8) l. 3. n. 737. (9) n. 738. (10) n. 739. (11) n. 740 ad 6. in fine.

natio est inofficiosa, nempe si laedit filios in legitima; et tunc si facta est extraneis a patre animo pravo, in totum revocatur; sed si sine tali animo, aut est facta aliis filiis, revocatur solum in partem. Donatarius attamen nihil tenetur restituere ante iudicis sententiam. An autem possit laedi filiorum legitima applicando bona in opera pia, permittunt Navar. Card. Rodriq. Lop. Veg. etc. modo restent filiis alimenta. Sed id negant Sanch. Less. Salm. Conc. etc., et haec sententia videtur probabilior, quia leges civiles observari debent, ubi a iure canonico non sunt correctae, ut diximus *Tr.* 2. *n.* 14. 15. et 33. (1).

134. Notandum denique omnes donationes causa mortis usque ad mortem esse revocabiles. Et supponuntur factae causa mortis, quoties a donante factae sunt aut pro tempore post suam mortem, aut ad suae mortis considerationem. In dubio autem intelliguntur factae inter vivos, adeoque irrevocabiles(2). Donationes causa mortis cum sunt factae absentibus, non valent, nisi destinetur nuntius, aut epistola; sed si adsunt testes, valent ut fideicommissa (3).

Punctum III.

De commodato precario et deposito

135. Hic pauca adnotanda habemus. *Commodatum* est cum aliquod ad usum praestatur ad tempus determinatum. *Precarium est* cum conceditur donec dominus illud repetat, et hoc precarium cessat morte illius, qui illud recipit, non autem morte dantis, donec per haeredes non repetatur. Commodatum autem non potest repeti ante tempus determinatum, nisi esset quod aliter commodans damnum pateretur. Expensae ordinariae in commodato fieri debent a commodatario, extraordinariae a commodante (4).

136. *Depositum* autem est cum datur aliquid custodiendum; unde depositarius non potest illo uti, sine domini saltem praesumpta voluntate; secus tenetur restituere usus valorem, si res non sit usu consumptibilis (5).

137. Notandum hic primo: in casu incendii, naufragii, etc. depositarius non tenetur depositi conservationem suis bonis praeferre, nisi esset res multo prestantior sua quia tunc debet praeferre depositum: sed potest sibi rei suae valorem compensare: contra commodatarius semper tenetur praeferre rei sibi in usum concessae conservationem, aliter saltem tenetur dominum de pretio facere indemnem (6). An autem commodatarius, aut depositarius teneatur ad restitutionem, si res periret culpa sua, non iam theologica, sed tantum iuridica, probabile est non teneri ad restitutionem, ut dicunt Lugo Cabass. Ronc. et Salm. (7): vide dicta hic *n.* 41.

138. Notandum 2. quod depositarius non tenetur ad restituendum depositum, si certe scit rem esse furtivam, aut si ipse haberet certam sibi compensandi causam: aut si prudenter timeret, ne dominus ea abusurus esset contra iustitiam (ut gladio ad inimicum interficiendum) aut etiam contra charitatem ut dicit Less. cum s. Thoma (8), contra Sanch. et Bonac. (9).

Punctum IV. *De mutuo et usura.*

(1) L. 3. n. 740. (2) n. 741. (3) n. 742. (4) n. 744. et 745. (5) n. 746. et 748. (6) n. 752. (7) n. 749 (8) 2. 2. q. 62. 5. ad 1. (9) n. 753.

139. Loquendo de *mutuo*, mutuum est cum datur res usu consumptibilis obligatione restituendi eam tempore praefixo in eadem specie, et bonitate. Sed si tempus non est praefixum, restituenda est cum exposcitur (elapso tamen aliquo convenienti spatio); imo restitui debet etiam non requisita, si a mutuante aut ob oblivionem, aut observantiam, aut loci distantiam, non exposcitur (1).

140. Notandum hic I. quod mutuum datum universitati minori, et Ecclesiae, aut ad aliam piam causam non potest repeti, nisi probetur illud in eorum utilitatem esse impensum: excipitur, si daretur alicui ecclesiae cum Praelati et capituli consensu (2).

141. Notandum 2. filiosfamilias, qui non habent bona castrensia aut quasi, non teneri ad restituendam pecuniam mutuo acceptam. *L.* I. *C. de S. C. Maced.* Et hoc non solum valet pro foro externo, sed etiam interno conscientiae; excepto si cum iuramento de satisfactione se obligasset (quod iuramentum potest caeteroquin a Superiore ecclesiastico relaxari); sed in casu quo sciente et non contradicente patre accepissent, aut si mutuum in patris utilitatem expensum esset, nempe in ea quae ille praestare filio debuisset, tunc pater tenetur ad satisfaciendum (3). Hoc tamen quod dictum est de pecunia, non procedit pro re mutuo accepta a filiofamilias. Nec aliud de mutuo dicendum restat.

142. Loquendo de usura, usura est lucrum proveniens ex mutuo ob usum rei mutuo datae. Illa tum lege positiva, tum naturali est illicita: nam in aliis rebus usus est distinctus a dominio, sed in rebus consumptibilibus usus non distinguitur a dominio, dum usus rei destructionem importat, ideoque cum in mutuo dominium necessario in mutuatarium transfertur, si mutuans aliquid lucri exigeret, ex re non amplius sua, et ex sterili, ut est pecunia, frumentum, etc. exigeret (4).

143. Itaque ex mera mutui ratione nullum lucrum exigi potest. Imo ne licet quidem mutuum dare cum spe alicuius lucri; et licet s. Thomas (5) videtur admittere exspectationem alicuius lucri, cum lucrum exspectatur aut exigitur non ex pacti debito, sed ex benevolentia; hoc tamen dicimus intellgi debere cum mutuum principaliter datur ad benevolentiam expiscandam, et minus principaliter aliquod lucrum speratur. Sed principaliter mutuum dare ob lucri spem (licet sperati ob meram benevolentiam), ut esset si alias sine tali spe mutuum non daretur, dicimus omnino non licere, cum evangelium dicat: *Mutuum date, nihil inde sperantes. Lucae* 6. 35. Et hoc est expressum in *cap. Consuluit. de usur.* ubi dicitur usurarius, qui mutuo dat animo lucrandi, licet sine pacto, *alias non traditurus* (verba sunt textus): et ibi adducuntur pariter verba quae mox retulimus ex Evangelio (6). Et notetur hic prop. 42. damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *Usura non est, dum ultra sortem exigitur aliquid tamquam ex benevolentia debitum.* Propositio merito reprobata, quia benevolentia nunquam obligare potest ad lucrum praestandum, cum mul-

(1) l. 3. n. 754. et 755. (2) n. 756.
(3) n. 757. (4) n. 758. et 759
(5) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 3.
(6) n. 760

tis aliis modis exhiberi possit (1).

144. Sed si mutuatarius daret aliquid mere gratis, bene potest a mutuante retineri. Sed quid dicendum in casu, quo dubitatur an mutuatarius gratis dederit, an ut mutui pretium? Respondetur, quando mutuans bona fide recepit, et postea superveniente dubio non potest certus fieri, tunc potest licite illud sibi retinere. Secus autem si iam recepit in dubio (quicquid dicant alii), quia cum dubio nemo legitime potest possessionem inchoare (2). Caeterum si mutuatarius non esset pauper, nec illiberalis, nec dedisset motus ab aliqua mutuantis efflagitatione, sive minis, tunc praesumi potest illum gratis dedisse; praesertim si dedit post sortis mutuo datae redditionem (3).

145. Dicunt multi dd. ut Laym. Sot. Lugo Castrop. Salmant. et alii, quod si mutuatarius ultra sortem dederit aliquid, ne videretur ingrati animi, aut ne deinceps sibi denegaretur mutuum, bene potest mutuans illud retinere; quia mutuatarius ad praestandum illud donum non inducitur ab aliqua extrinseca mutuantis actione, sed tantum ex motivis suis intrinsecis, quae omnia spontaneam efficiunt illam donationem (4).

146. Hic notanda propos. 42. ex damnatis ab Alexand. VII. quae dicebat: ***Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*** In mutuo est intrinseca obligatio, ut mutuans expectet restitutionem sortis pro aliquo tempore. Sed si mutuans se obligaret expectare ad tempus longum et extraordinarium (v. g. ad tres, vel quatuor annos), dicunt Sporer Medina Serra Ledes. Trullench. et Henriq. posse tunc illum exigere aliquid, quia talis obligatio est extrinseca mutuo, adeoque digna pretio; saltem quia (dicunt Salm. cum Prado Bannez Aragona etc.) mutuans se obligando tantum temporis expectare, est moraliter impossibile, ut aliquod damnum aut incommodum notabile non patiatur. Et si potest quis licite aliquid exigere, si se obligat ad dandum mutuum intra longum tempus, ut dicit Molina, cum communi, cur non potest qui se obligat ad non repetendum suum, nisi post tempus extraordinarium (5)?

147. Quatuor sunt tituli ordinarii propter quos mutuans potest aliquid ultra sortem exigere. I. Titulus est *damnum emergens*, quod mutuans mutui causa patitur, tunc enim, ut dicit s. Thomas (6), non est quod ille vendit usum pecuniae, sed indemnem se reddit in damno passo (7).

148. II. Titulus est ***lucrum cessans***, nempe illud quod mutuanti non obvenit ob mutuum. De iustitia huius tituli sunt qui dubitant, sed immerito, dum communiter illud probatur apud dd. et etiam s. Thomam (8), qui dicit duobus modis posse aliquem damnificari, aut si impeditur a consecutione alicuius boni, quod iamiam consecuturus erat, aut si privatur illo quod iam habet. Et licet Angelicus alibi (9) dicat non posse mutuantem convenire de lucro sperato, quia non potest vendere quod adhuc non habet; attamen sapienter advertit doctus Sylvius (10) hoc debere intelligi, quod mutuans non potest exigere totum lucrum, quod speratur, sed tantum valorem spei. Sed de hoc titulo hodie non est amplius dubitandum, cum Benedictus XIV. in Bulla *Vix pervenit* declaraverit, unum ex iustis titulis exigendi aliquid a mutuo, esse lucrum cessans, nempe (ut in Bulla se explicat) si pecunia aliter impensa fuisset, ***sive ad proventus annuos conquirendos, sive etiam*** *ad licitam negotiationem exercendam* ***honestaque*** *lucra percipienda* (11).

(1) l. 3. n. 762. (2) n. 761. v. quaer. 2. (3) ibid. (4) n. 763. (5) n. 760. (6) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. (7) n. 768.

(8) 2. 2. q. 62. a. 4. (9). 2. 2. qu. 78. a. ad 1. (10) 2. 2. q. 77. a. 1. Quaer. 5. (11) n. 768.

149. Nihilominus, ut hoc lucrum exigatur ratione damni emergentis aut lucri cessantis, tres requiruntur conditiones. *Prima* ut pactum lucri praecedat contractum (excepto si mutuans cogeretur invitus mutuari, aut si mutuatarius, elapso tempore, non restitueret mutuum); et praeterea ut mutuatarius etiam ante contractum sit admonitus de praefato titulo. Nec sufficit praesumere quod ille consensurus fuisset lucro promisso, si de iusto titulo certior factus esset: quia ad contractum non sufficit voluntas interpretativa, sed requiritur actualis. Attamen si contrahentes consentirent contractui omni meliori modo, quo iniri potest, tunc probabiliter dicunt Less. Tourn. Salm. et Croix quod potest exigi lucrum promissum. Caeterum Bened. XIV. in praefata Bulla haec praescribit: « Qui ab omni usurae labe » se immunes praestare volunt, ad» monendi sunt, ut contractum in» stituendum ante declarent, et con» ditiones inserendas explicent, et » quem fructum ex pecunia postu» lent (1).

150. *Secunda* conditio est ut ratione lucri cessantis non exigatur ultra valorem spei lucri sperati, deductis expensis, et pretio laboris, quem impensurus fuisset ut tale lucrum exigeretur: non iam ex toto, sed ex parte, nempe quantum mutuans aliis soluturus fuisset ut liberaretur ab ipso labore (2).

151. *Tertia* conditio est ut mutuum sit vera causa damni, aut cessationis lucri; nam si mutuans illud lucrum alia pecunia sibi fecisset, aut alia industria, cui vacare non potuisset illam pecuniam in negotiationem applicando, tunc nihil potest exigere. Sed si mutuans daret mutuo pecuniam negotiationi destinatam, nec illi esset animus aliam pecuniam pro familiae opportunitatibus, aut pro alio fine reservatam, in illius locum sufficere, tunc probabiliter potest exigere lucrum cessans pecuniae mutuo datae, ut dicunt Less. Lug. Laym. Castr. Valent. Salm. etc., quia tunc revera mutuatio est causa cur cesset lucrum speratum a pecunia; nec mutuans tenetur in mutuatarii gratiam negotiationi exponere pecuniam illi non destinatam, sed aliis suis finibus. Ego tamen hoc non admitterem in casu quo mutuanti, cum mutuum dat, esset animus substituendi negotiationi illam pecuniam reservatam (3).

152. Addit. P. Concina his tribus conditionibus quartam, nimirum ut damnum aut lucrum sit certum: nempe quod paratae sint lucrandi occasiones. Sed melius dicunt communiter cum Sylvio Navarro Mald. Tap. Salas. Decoquer Salm. etc. quod bene potest in pactum deduci lucrum solvendum ob illos titulos incertos, modo sint probabiles et modo non exigatur ultra valorem periculi damni, aut spei lucri, dum subiacere illi periculo damni incerti, et privare se spe lucri incerti utique sunt digna pretio (4).

153. III. Titulus est periculum amittendi sortem. Hic titulus est valde nonnullis decertatus; sed communiter, et merito admittitur etiam ab auctoribus probabilioristis, prout sunt Fagnanus Petroc. Cabassut. Tourn. Wigandt ultra Silvest. Sylv. Less. Mol. Lug. Salmant. et alios, dummodo periculum sit extraordinarium, non autem commune. Ratio est, quia suscipere tale periculum est certe dignum pretio, ut docet s. Thom. (5), qui dicit: *Res extra periculum plus aestimatur, quam existens in periculo.* Et hoc confirmatur ab eo quod expressum fuit a Conc. Lateran. sub Leone X. *sess.* 10. ubi damnatum fuit recipere aliquid ex mutuo; dummodo (nota) non esset periculum sortis, aut expensae, ut illa recuperetur, dicente Concilio lucrum quod exigitur tunc esse usuram, *quando nullo sumptu, nullove periculo conquiri stu-*

(1) L. 3. n. 769. et 773. (2) n. 769. v. 2. Conditio. (3) n. 771 (4) n. 770.

(5) Opusc. 73. c. 6.

detur. Confirmatur etiam ex declaratione S. C. *de propaganda fide* approbata ab Innoc. X. et relata a pluribus gravibus aa., nimirum a Cabass. Tournely La Croix Bancel et primo ab Hurtado, qui authenticum exemplar manu notarii apostolici firmatum adducit; in illa dictum fuit posse ex mutuo peti lucrum ultra sortem, *ratione periculi probabiliter imminentis* (1).

154. Opponunt adversarii textum in *cap. Naviganti de usur.* ubi legitur quod pactum exigendi aliquid praeter sortem habendum est usurarium, quando mutuans suscipit supra se sortis periculum; verba textus haec sunt: *Eo quod* (mutuans) *suscipit in se periculum, usurarius censendus est*. Sed respond. 1. a multis quod in textu citato praesumitur ex errore sublata fuisse particula *non*, quae praecedebat verbum *censendus*; ita valde probabiliter Tourn. Cabass. Laym. Castrop., etc. ratione accepta ex contextu verborum immediate subsequentium: *Ille quoque... non debet ex hoc usurarius reputari*, etc. loquendo de alio casu: caeteroquin hoc non cohaereret cum verbis praecedentibus *usurarius censendus est*. Sed (de hoc quicquid sit) respondetur 2. cum Fagnano, quod hoc valet pro foro externo, quod praesumit in tali contractu animum usurarium, non autem pro interno. Respond. 3. hoc currere quando mutuans vi ipsius mutui vellet obligare mutuatarium ad transigendum huiusmodi periculum, nam si mutuatarius offerret cautionem, mutuans teneretur eam acceptare; non autem cum non intendit eum obligare (2).

155. Hic scire iuvat ab eodem Conc. Lat. adducto approbatos fuisse *montes* nuncupatos *pietatis*, in quibus exigitur certum lucrum ultra sortem propter expensas officialium montis, et ob pignorum conservationem, quae veneunt elapso tempore praefixo mutui restitutioni, et quod residuum est redditur dominis, si inveniuntur, alias applicantur pauperibus, aut in ipsius montis augmentum. Dicunt nonnulli mutua huius montis non debere dari, nisi pauperibus, ne postea deesset unde auxilietur pauperibus, in quorum gratiam praesertim huiusmodi montes instituti sunt (3).

156. IV. Titulus est *poena conventionalis*, nempe pactum, quod si mutuatarius non satisfacit solutioni intra tempus praedefinitum solvenda ei erit aliqua summa ultra sortem. Hic titulus etiam communiter censetur iustus a Soto Less. Tournely Cabas. Henrico de s. Ignatio Wig. Salmant., etc.; talis enim poena non imponitur, nec imponenda est fine lucrandi, sed fine reddendi vigilem mutuatarium redditioni in praefinito tempore. Ut tamen talis poena exigatur, tres requiruntur conditiones: 1. ut dilatio mutuatarii in reddendo sortem tempore praefinito sit notabilis et culpabilis; 2. ut poena sit moderata, et culpae proportionata; 3. ut mutuatarius se obliget ad reddendam sortem tempore, quo vere possit ille eam restituere, alias pactum aestimatur usurarium (4).

157. Dubitatur autem an praefata poena debeatur ante sententiam iudicis? Alii negant; sed probabilius affirmant Less. Tournel. Silvest. Salmant., etc., quia talis poena induit pacti rationem, non poenae (5). Et hic advertendum quod pactum nuncupatum *legis commissoriae*, nempe quod si non reddatur termino praefixo mutuum, pignus in totum abdicatur mutuanti, hoc pactum solum cohonestari potest, si appositum fuisset tamquam poena conventionalis cum conditionibus supra expressis; caeterum per se loquendo, esset usurarium, et mutuans, pacto non obstante, deberet restituere totum superfluum pignoris ultra sortem, et praeterea fructus a pignore perceptos, si illud est fructiferum; ideoque pa-

(1) lib. 3. n. 765. (2) n. 765. v. Obiiciunt 2. (3) n. 765. v. Circa.

(4) n. 766 (5) n. 767.

ctum, ut a mutuante exigantur fructus fundi pignori dati, nuncupatum *antichriseos* (vulgo *a godere*), per se est illicitum. Excipitur si tale pignus fuisset datum pro dote promissa (sed non adhuc constituta), ad sufferenda matrimonii onera (1).

158. Ad dignoscenda quaenam pacta licita sint in mutuo, oportet attendere regulam traditam a s. Thoma (2), nempe omne onus quod imponitur dignum pretio, esse usuram; non autem, si exigitur aliquod quod pecunia non acquiritur, ut est benevolentia (3); modo non exigatur aliquod beneficium in particulari, tanquam debitum illi benevolentiae, aut gratitudini, cum damnata sit propositio 42. ab Innocent. XI. quae dicebat non esse usuram exigere aliquid, *tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum*, ut esset v. g. si mutuans obligasset mutuatarium ad ei conferendum aliquod officium; ratio est, quia gratitudo potest multis aliis modis exhiberi, ut laudando, honore afficiendo benefactorem, etc. Quare debitum reddendi aliquod in particulari est onus pretio aestimabile, adeoque usura.

159. Ita etiam est illicitum obligare mutuatarium ad emenda inposterum a mutuante necessaria, aut locandam illi domum, ad vendendum frumentum, ad mutuandam pecuniam, aut id simile. Dictum est *inposterum*, quia exquirere a mutuatario haec eodem tempore quo ille petit mutuum, hoc non est illicitum, ut docet s. Thomas cum aliis communiter (4).

160. Est illicitum etiam pactum, ut pro pecunia aut alia re mutuo data, reddatur alia rei species, quia hoc onus etiam esset pretio aestimabile. Hic autem dubitatur, an sit licitum pactum, ut reddatur res mutuo data certo tempore in eadem specie, et quantitate? v. g. si datur mutuo frumentum mense Augusti cum pacto, ut restituatur in eadem quantitate mense Maio? Respondetur, quando dubium est aequale, quod mense Maio frumentum (et idem de caeteris rebus) possit crescere et decrescere, aut si mutuans statuit suum frumentum usque ad Maium conservare, tunc certe licitum est pactum; deductis tamen expensis, aut periculo conservationis. Sed si res non potest pretio decrescere mense Maio, et contra mutuans non erat certo conservaturus (quicquid dicant Less. Salm. Azor. Bonac. etc.), tale pactum est usurarium; nam obligando mutuatarium ad reddendum frumentum Maio, cum pluris valet, dignoscitur animus lucrandi: unde tunc in restituenda sorte deducendus est a sorte valor augmenti. In mutuo autem pecuniae semper licitum est pactum, ut reddatur in eadem specie, saltem si diminutio non est moraliter certa (5).

161. Est commune inter dd. non esse illicitum mutuanti exigere aliquid ex iustitia debitum, v. gr. ut mutuatarius cesset a vindicta, aut ab iniusta vexatione, aut ut solvat debitum prius contractum (6). Diximus *ex iustitia debitum*, quia non currit regula, si res erat debita ex charitate. Quare dicimus cum Azor. Bonac. Spor. Salmant. etc. (quicquid dicant p. Concina et alii), quod si detur mutuum medico, aut advocato, qui tenebatur mederi, aut causam defendere ex sola charitate, non licet pacisci, ut ipse teneatur hoc praestare; quia, posito pacto, additur onus iustitiae, quod est dignum pretio (7). Ita etiam dicimus cum Lugo Laym. Bonac etc. adversus alios, non licere mutuanti obligare mutuatarium ad remittendam offensam, quam deberet ex charitate ei remittere, sed ex iustitia poterat satisfactionem petere (8).

162. Denique loquendo de usurariorum obligatione, et aliorum, qui positive et graviter cooperantur con-

(1) L. 3. n. 775. et 776 (2) 2. 2. q. 78. a. 2. (3) n. 774. (4) n. 780. et 781.

(5) n. 782. (6) n. 774. et n. 777. (7) ibid. (8) n. 778

tra mutuatarii voluntatem, ipsi tenentur restituere omnes usuras exactas, non autem accessiones factas ex usuris, quia hic est fructus industriae, qui spectat ad illum qui eam adhibet (1). Probabile est autem haeredes usurariorum non teneri in solidum ad restitutionem usurarum, sed quemlibet pro sua rata, ut deducitur ex *c. Tua nos.* 9. *de usur.* et ex *l.* I. *Cod. de delict. defunct. l.* 4. *tit.* 17. (2).

163. Servi usurariorum qui cooperantur in aliquo quod mutuatario non displicet, ut in deferendo pignore, aut pecuniam, aut in tabulas referre, aut amicis verbis usurarum solutionem efflagitare, hi excusantur a restitutione; secus qui firmant chirographum, aut minis, aut aliis mediis cogunt ad solutionem (3).

164. Loquendo denique de iis qui consilium praestant, aut pecuniam exhibent usurario, hi excusantur a restitutione, sicut dicunt Lugo Tol. Silvest. et alii communiter, cum id agunt in mutuantis gratiam (4). Demum notandum quod usurarii publici sunt infames, et eorum testamentum est nullum; nec possunt admitti ad Communionem, nec sepeliri in loco sacro; et qui scienter eorum corpora sepulturae reddit, ipso facto est excommunicatus (5).

Punctum V.

De emptione et venditione

165. *Determinatio pretii, et rei.*
166. *De emptione.*
167. *Quando transfertur dominium.*
168. *De emptione conditionata.*
169. *An periculum et fructus rei spectent semper ad emptorem.*
170 *De pacto exigendi fructus usque ad solutionem.*
171. *Si emitur pecunia aliena, aut venditur res aliena.*
172. *De pretio iusto.*
173. *Quomodo pretium crescit aut diminuitur.*
174. *De mercibus ultroneis; et quando potest carius vendi.*
175. *ad* 177. *De venditione sub hasta.*
178. *An si ob dilationem, vel anticipationem pretii, etc.*
179. *De chirographis.*
180. *De pacto retrovendendi.*
181. *De pacto reemendi.*
182. *De contractu mohatrae, et antichriseos.*
183. *et* 184. *De monopolio.*
185. *ad* 187. *De vitio rei.*
188. *Qui novit brevi pretium fore, ut crescat aut decrescat, etc.*
189. *De venditricibus, et proxenetis*
190. *Si res est vendita duobus*
191. *Si res perit, etc.*

165. Notandum I. quod ut contractus venditionis sit validus, requiritur determinatio tam pretii (saltem remissa alicui tertio), quam rei, saltem in mensura, v. g. si venditur vinum talis dolii tanti in singulos cados: aut saltem in spe, ut cum venditur iactus retis (6).

166. Hic quaeritur an, data arrha, possit ille qui eam dedit a contractu resilire? Affirmatur, nam haec est consuetudo. Sed secus esset, si arrha daretur tantum ad maiorem cautelam. Caeterum in dubio recte dicit p. Concina (contra Croix) posse resilire dantem, omissa arrha, quia plerumque omnis contractus intenditur fieri iuxta consuetudinem quae est in usu (7).

167. Notandum II. contractum venditionis perfici solo consensu, dominium vero rei non transferri nisi traditione; imo ne traditione quidem illud transfertur, nisi emptor solvat, aut saltem offerat pretium, aut praestet pignus, aut fideiussionem (vulgo dictam *pieggiaria*), aut saltem exhibeatur fides sive promissio; ut habetur ex §. *Venditae instit. de rerum divis.* (8), vide dicta *n.* 107.

168. Notandum III. quod cum emptio est conditionata, adimpleta conditione, contractus fit validus a tempore emptionis, ita ut fructus spectent ad emptorem, excepto si conditio remissa fuisset arbitrio emptoris (9).

(1) l. 3. n. 784. et 792. (2) n. 790 (3) n. 789. (4) n. 785. (5) n. 792 v. 2 Usurarius

(6) n. 794. (7) n. 794. v. quaeritur hic. (8) n. 795. et 796. (9) n. 797.

169. Notandum IV. quod licet periculum et commodum rei plerumque spectet ad dominum rei, nihilominus in emptione rei determinatae, licet res non sit adhuc emptori tradita, aut si est tradita, sed sine fide pretii (in quibus, ut supra dictum est, dominium restat penes venditorem), periculum tamen et commodum sunt emptoris, ut expressum est in sequentibus textibus, §. *Cum autem*, 3. *institut. de emptione, et vendit. L. Id. quod* 7. *de peric. et commod.* ac *L. Post perfectum*, 1. *c. eod. tit.* Excipitur tamen, si expresse conventum sit contrarium, aut si res non sit tradita, et venditor fuerit in mora, ne traderetur, aut si res sua culpa periit, aut deterior facta sit (1). Sed praeter hos casus exceptos, sicut periculum rei spectat ad emptorem, ita ei debentur fructus illius (2). Et leges civiles oppositae in hoc puncto reprobatae sunt a iure canonico, prout favorabiles lucro usurario, prout dicunt Salm. (3).

170. Dubitatur autem an venditor possit a principio convenire, ut fructus ipse percipiat, donec pretium solvatur; cum iam dominium translatum est rei traditione, et fide pretii? Nonnulli negant, sed communis et probabilior sententia affirmat cum Sanc. Mol. Bonac. Petroc., etc., quia tunc licite potest venditor sibi reservare dominium utile rei, usquedum pretium sit solutum (4).

171. Notandum V. si quis emit aliquid pecunia aliena, sed nomine suo, ex *L. Si eo, de rei vend.* res emptoris est? Excipiunt dd. si pecunia esset alicuius ecclesiae, aut minoris, aut militis (5). Contra si quis vendit rem alienam, licet respectu rei invalida sit venditio, nihilominus acquirit dominium pecuniae. Si ipse vero vendidisset mala fide, teneretur ad omnia damna emptori; si in bona fide, non tenetur nec ad damna, nec ad evictionem, sed tenetur restituere pretium emptori (cum res iam evictione ad dominum pervenisset), licet pactum intercesserit, ne ad evictionem aliquam teneretur, ut habetur ex L. *Emptorem*, §. *Qui autem*, *ff. de actionibus empt.* Excipiunt tamen, 1. si pactum expressum intercesserit de non restituendo pretio; 2. si venditor in nihilo sit factus ditior, quia forte ille dono dedit pretium acceptum; 3. si emptor conscius erat rem fuisse alienam, aut alteri obligatam ex *L. Si fundum c. de evict.* Sed hoc procedit pro foro externo, caeterum in conscientia, si pretium in poenam non est fisco adiudicatum, venditor semper debet illud restituere emptori (6).

172. Notandum VI. quod cum pretium taxatum est a republ. illi debent stare omnes, etiam Ecclesiastici, nisi accideret quod mutarentur circumstantiae, et quod maior civium pars, Superioribus scientibus, taxam non observaret (7). Taxa excepta, quaelibet res habet suum pretium infimum, medium et supremum, et horum quodlibet est iustum. In hoc advertendum 1. quod pretium iudicatur iuxta tempus traditionis rei, et locum ubi venditur. Advertendum 2. pretium rerum pretiosarum, et extraordinariarum habere maiorem latitudinem, quam res viles et ordinariae: sit exemplum huius differentiae: Vinum valet 5, potest emi 4. et 6; si valet 10, potest emi 8. et 12: si centum, 95. et 105. Hoc pro rebus ordinariis; sed loquendo de rebus extraordinariis, et magni pretii, villa quae v. g. vendita est 20. millibus, potest emi 12. millibus (8). Advertendum 3. quod si in pretio adest laesio *ultra dimidium*, pars laesa potest rescindere contractum in iudicio: sed si infra dimidium, altera pars etiam tenetur in conscientia ad damnum reficiendum usque ad pretium iustum. Attamen si utraque pars iu-

(1) n. 798. (2) ibid. v. Ita. (3) Tract. 14. c. 2. n. 17. (4) n. 798. v. Diximus. (5) n. 799. (6) Vide Castr. tr. 32. d. 5. p. 28. §. 1. n. 1. et Salm. tr 14. c. 2. n. 31. cum aliis. (7) l. 3. n. 803. (8) n. 804.

stum pretium ignoraret, tunc iustum est illud de quo conventum est (1). Advertendum denique, quod communiter non praestatur fides vendentium mendaciis; quare plerumque hi ad restitutionem non tenentur, si pretium non excedit supremum, aut nisi adverterent, quod emptores sibi fidem praestiterint (2).

173. Notandum VII. pretium augeri aut ob ementium concursum, aut ob mercium penuriam. Et ita contra minuitur, vel ob defectum ementium, vel ob mercium copiam. Haec regula debet praecipuo modo attendi in multis quaestionibus resolvendis, quae postea movebuntur (3). Notandum etiam hic quod communis existimatio regionis, ubi res existit, reddit iustum quodcumque pretium (4).

174. Notandum VIII. quoad emptorem, posse eum minoris infimo emere rem quae sibi parum commoda est, vel si in vendentis gratiam emit. Quare dicunt aliqui merces ultroneas decrescere pretio usque ad dimidium; sed probabilius iuxta communiorem sententiam usque ad tertiam partem. Ratio cur merx ultronea decrescit, est quia in huiusmodi venditionibus est magis infrequens ementium numerus (5). Et propter eamdem rationem qui emit multa simul, potest pariter emere minoris infimo (6). Contra venditor non potest vendere pluris supremo ex eo, quia res esset utilis, aut in nimio desiderio emptori (7). Enimvero potest quid amplius exigere, si alii interveniant tituli, nimirum 1. si fiat cum eius damno, aut lucro cessante (modo de hoc moneatur emptor); et hoc licet adsit taxa pretii, et licet venditor ipse offerat vendere; 2. si venditor peculiari animo erga rem, quam vendit, affectus sit (8); 3. si sint res rarae, ut gemmae, picturae, ferae, et id genus. An autem haec possint vendi quanti plurimi? probabile est, posse; sed probabilius negatur; nisi sit usus mulieris honestae (9); 4. si res vendatur minutim ratione maioris incommodi quod adhiberi debet, et ratione detrimenti (quod vulgo dicitur Sfrando) quod perferri solet (10).

175. Notandum IX. quod bona quae veneunt sub hasta, aut quae per venditrices circumferuntur vendendae, possunt vendi, et emi quocumque pretio quod pacisci possunt ipsi; *L. 2. c. de rescind. vend.* dummodo absit fraus, sive ex parte vendentis, v. gr. si celaret rei vitium, aut fictos emptores introduceret: aut ex parte emptoris, si dolo, minis, aut precibus importunis impediret alios offerentes (11).

176. Hic dubitatur 1. an possit precibus simplicibus effici, ne alii offerant? Alii negant, sed communissime alii id permittunt, Tournely Lugo Salmant. Castropal. p. Nav. Vega Tapia Conrad., etc. (12).

177. Dubitatur 2. an emptor possit cum aliis conventionem facere, ne plus offerant? Hic casus apud dd. parum a dd. invenitur discussus. Diana (13) cum p. Navar. et aliis videtur id permittere, quoties obtulit iustum pretium, saltem infimum quanti res valet. Sed ego cum de Lugo (14) et aliis doctis, quos consului, puto oppositum, casu quo res exponitur sub hasta ex iudicis sententia; ratio est, quia cum vendens tunc teneatur rem dare plus offerenti, iniustitiam ei irrogat emptor, si offerendo pretium tantum infimum, aut etiam medium, impedit vendentem, quominus speret medium, aut supremum ad quod ha-

(1) l. 3. n. 805. et v. quod si. (2) ib. v. Hic etiam. (3) n. 801. v. Notand. 2. (4) n. 808. Notand. autem 1. (5) n. 802. (6) ibid. in fin. v. 2. Emptor. (7) n. 806. (8) n. 807. et v. quaer. 1. (9) l. 3. n. 808. (10) n. 809. (11) n. 808. v. Notand. 2. (12) Ita Tourn. tr. de contract. p. 2. c. 1 art. 4. concl. 1. v. Quaeres denique. Lugo de contr. d. 26. n. 45. Salm. eod. tit. c. 2. n. 58. cum Palao, Trull. Tap. Dian. p. 1. tr. 8. R. 76. cum p. Navar. Reg. Vega, Conr. et Arriag. et l. 3. n. 808. v. Sed dub. 1. (13) p. 1. tr. 8. R 76. (14) Disp. 26. n. 45. in fin.

bet ius, nimirum ne impediatur illud consequi: nam sicut vendens, si alius offerens desit, est in periculo rem tradendi minori pretio, et etiam infimo minore, ita contra aequitas exposcit, ne defraudetur spe consequendi pretium maius, si forte occurrent plures offerentes, qui aemulatione augent pretium. Hoc exposcit aequitas, et hoc videtur exposcere ius licitationis.

178. Notandum X. quod praecise ob dilationem, aut solutionis anticipationem, non potest pretium augeri, nec minui: nisi interveniret alius titulus periculi, aut damni, aut lucri cessantis, de quibus titulis semper monendus est emptor, ut dictum est *n.* 149. Et hic advertendum quod mercatores vendendo carius pecunia expectata, difficulter excusantur ob solum titulum lucri cessantis; quia vendendo dilata solutione, maiorem mercium copiam distrahunt; et ita restauratur lucrum quod eis cessat ob dilationem (1). Potius excusare potest titulus communis existimationis; quae probabiliter reddit iustum pretium huiusmodi venditionum dilatae solutionis, ut dicunt Lugo Less. Cano Mol. Tolet. Sanch. Castrop. Bonac. et Salm., quia in huiusmodi venditionibus adest maior copia emptorum et minor numerus vendentium; et quia semper inest periculum commune amittendi sortem. Et idem dicunt de emptoribus, qui anticipate solvendo pretium minus exhibent, quia in huiusmodi emptionibus adest copia vendentium, et inopia emptorum, et etiam aliquod periculum rem non habendi, aut saltem non habendi iuxta optata (2).

179. Et eadem ratione inducti probabiliter dicunt Nav. Caiet. Sanch. Tourn. Anacl. Azor. Lugo cum s. Bernardino Senensi et aliis, quod chirographa, licet sint liquida, possunt minoris emi, quia aliud est habere pecuniam, aliud est emere actionem ad illam, quae actio communiter existimatur minoris, quia hae actiones in praxi non sunt immunes ab aliquo periculo exactionis, aut saltem molestiae et expensae. Dico tamen excipienda esse chirographa quae vulgo nuncupantur *fides crediti*, pro quibus nullum morale periculum adest: modo ob distantiam, incommodo aut periculo sibi non esset exactio, propter eum qui ad exigendum mittendus est (3).

180. Notandum XI. quod pactum de retrovendendo est licitum, cum debitae conditiones interveniunt, nempe, 1. ut diminuatur pretium, quod decrescere potest usque ad quartam partem: imo alii dicunt usque ad tertiam: et tunc utique valet pactum, ut emptor teneatur retrovendere eodem pretio, licet rei pretium augeatur; 2. ut rei periculum sit penes emptorem; 3. ut fundus retrovendatur cum fructibus aut sine, ut reperitur cum traditur (4).

181. Ita etiam iuxta sententiam probabiliorem Less. Lugo Molin. Castropal. Silv. p. Navarr. Bonac. Azor. et aliorum licitum est pactum de reemendo rem ad emptoris requisitionem cum sequentibus conditionibus, nimirum 1. ne adsit animus usurarius; 2. ut augeatur pretium prioris venditionis; 3. ut venditor non teneatur ad reemendum eodem pretio; sed si res deterior fieret, debeat solvere tantum quanti valet tempore reemptionis; et contra si res crescit, crescit vendenti. Et hoc modo illa est vera emptio, non autem mutuum, ut supponunt adversarii; dum interim quo res non redimitur, periculum ad emptorem spectat, quod secus est de mutuo (5).

182. Contractus, qui *mohatra* nuncupatur, est certe illicitus, ut constat ex propos. 40. ex damnatis ab Innoc. XI. Hic contractus fit cum quis vendit cum pacto expresso aut tacito, ut res sibi minoris retrovendatur (6). Ita pariter est illicitus et usurarius con-

(1) lib. 3. n. 810. (2) n. 811.
(3) n. 829. (4) n. 812. (5) n. 813

(6) ibid. v. Nota hic.

tractus, qui *antichriseos* dictus, vulgo *a godere*, nempe quando quis aliquem fundum frugiferum dat fruitioni alteri, et hic dat illi pecuniam etiam fruitioni (1).

183. Notandum XII. prohibitum esse *monopolium*, cum his duobus sequentibus modis fit, nimirum: 1. quando quis impedit quominus aliae merces in regionem introducantur, ut ipse solus vendat suas cum civium damno; 2. quando unus aut plures emunt omnes merces, ut eas vendant pluris pretio supremo, quam in foro venderentur, nisi monopolium factum fuisset. Caeterum si quis aut plures emunt merces, postquam cives iam sufficienter sibi comparaverunt, ut eas vendant lucro aliquo moderato, hoc utique licitum est, ut communiter docent dd. Et probabiliter dicunt Lugo Med. Less. et Holzmann, quod huiusmodi mercatores non peccarent contra iustitiam, si venderent pretio supremo, et ne contra charitatem quidem, modo non inducerent alios ad vendendum carius (2). Unde fit, quod si inter se conspirarent de non vendendo, nisi supremo pretio, licet probabile sit cum Less. Viva Lugo Holzm. Molin. Bonac. Salmant. etc., (contra Tourn. Spor., etc.) non peccare contra iustitiam: nihilominus non possunt excusari a peccato gravi contra charitatem, ut certum est apud omnes (3).

184. An autem facto monopolio iniusto inter aliquos vendendi pretio supremum excedente, licitum sit aliis eodem pretio vendere. Admittunt Salmant. cum Bonac. Med. et aliis, dicendo quod illud pretium iam factum est commune. Sed haec opinio reprobata a Rebel. Tapia Dicast. et Concina, mihi revera non placet; quia tale pretium ex iniustitia adauctum semper iniustum est; nec debet teneri pro iusta aestimatione, quae ab iniustitia ortum habuit (4).

185. Notandum XIII. loquendo de vitio rei quae venditur, vitium posse esse circa substantiam, circa qualitatem, et circa quantitatem. Si vitium est circa *substantiam*, aut contractus nullus est, aut deceptor debet reficere damnum. licet a parte sibi condonare fecisset excessum pretii iniusti (5). Et hic notandum, quod si res est perfectior ea, quae venditur, illa praeter iniustitiam potest vendi pretio communi, licet sit admixta alia re deterioris conditionis; prout esset vinum cum aqua, modo emptor illud non emat ad conservandum, quia vinum cum aqua commixtum facile corrumpitur. Idem dicunt de pharmacopolis qui minoris vendunt unum pro alio; modo illud sit certe aequalis utilitatis, et minûatur pretium; ita Sotus Lugo et Salmanticenses (6).

186. Si vitium est circa *quantitatem*, etiam damnum reficiendum est; sed si unquam taxa esset iniusta, aut iniustum pretium ob monopolium emptorum, tunc non est improbabile, ut dicunt Lugo Laym. Castr. Salm., etc. vendentem posse uti mensura tantum manca, quantum ad pretium iustum, infimum tamen dumtaxat, perveniat (7).

187. Si vitium denique est circa *qualitatem*, tunc oportet distinguere: quando vitium est patens, non adest obligatio illud manifestandi, et vendente illud non manifestante, contractus est validus: modo illi non constet ignorantia emptoris, et modo qualitas non transeat in substantiam, prout esset, si emptor suam manifestasset mentem, se nolle illam rem nisi cum tali qualitate. Si autem vitium est occultum, tunc certe vendens tenetur illud patefacere, modo non se protestetur vendere, ut communiter dicunt, *ad saccum ossium fractorum*; et prout, tali protestatione omissa, communiter practicatur in nundinis; advertendum tamen, quod tunc non potest res vendi ultra pretium supremum, cum ratio vitii

(1) Vide Salm. tr. 14. c. 3. n. 46.
(2) lib. 3. n. 814. 815. et 816.
(3) n. 817. (4) ibid. v. Sed hic. (5) n. 819.
(6) n. 820. Dub. 1. et n. 821. (7) n. 822.

occulti habenda sit (1).

188. Dubitatur an quis possit vendere pretio currente rem, quam scit brevi minoris valituram. Est valde probabile, quod licite possit, ut communissime dicunt Caiet. Less. Soto Castrop. Tournely Salmant Bonac. cum s. Thoma (adversus aliquos), quia in venditione non attenditur pretium futurum, sed praesens, quod existimatur non iuxta notitiam particularem, sed iuxta existimationem communem. Et ita pariter licitum est emere merces pretio currente, licet noscatur notitia particulari brevi pretium auctum iri. Et eum qui ita vendit, probabiliter dicunt Less. Bonac. Tourn. Ronc. et Salm. ne peccare quidem contra charitatem, nisi esset quia ex hoc emptor in gravem necessitatem coniiciendus esset, aut si cum vendere posset illi qui statim rem consumpturus esset, vellet vendere ei qui eam conservaturus esset. Advertendum tamen hoc procedere cum pretii accretio, aut imminutio notitia privata noscitur, nam si notitia esset communis, iam pretium ex se variatur (2).

189. Notandum XIV. quod qui recipit ad vendendum res pretio designato, nequit sibi retinere plus quod ex ea percipit, licet in loco remotiori, et labore maiore venderet; nisi tamen esset 1. quia talem extraordinariam diligentiam adhiberet, pretium cuius corresponderet lucro percepto; 2. si ipse rem melioraret; 3. si lucrum esset parvi momenti; 4. si tacite convenerit cum domino, nihil amplius ei dare, praeter designatum pretium, ut si dominus nullum ei assignasset stipendium; 5. si facta diligentia ordinaria, ipsemet proxeneta sibi emeret rem pretio designato, et postea illam maiore pretio venderet. Et idem dicitur relative de eo, cui commissa fuisset emptio alicuius rei (3). Sartores qui se offerunt ad emendos pannos, non possunt exigere plus pretio quod solvunt, nisi esset quod mercator ipsis revera ob peculiarem amicitiam, aut quia suam officinam frequentant, remitteret aliquid ex pretio communi (4).

190. Notandum XV. rei duobus venditae ab eo acquiritur dominium cui tradita est post pretii solutionem, aut post datam fidem pretii, ut dictum est *n.* 167. Sed si is mala fide emeret, sciens quod alteri iam vendita erat, tunc tenetur reddere eam primo emptori, ut communiter dd., sed non ante sententiam, nisi esset 1. quod ipse induxisset venditorem ad sibi rem vendendam; 2. si primus emptor esset locus pius, minor aut universitas; 3. si ipse esset donatarius, quia tunc tenetur eam restituere emptori, si eam petat intra annum. *L.* 1. *ff. quae in fraud.*, etc. (5).

191. Notandum XVI. rem venditam, si est determinata, nempe talis domus, tale dolium, etc. quando perit, perire emptori; modo venditor non fuerit in mora ad tradendam rem. Sed si non est determinata, v. gr. decem oves ex hoc grege, aut determinata tantum ad mensuram, ut hoc vini dolium tanti in singulos cados, tunc ante mensurationem, aut traditionem res perit venditori; ita ex *L. Lector, ff. de peric.* Sed incrementum, aut decrementum rei spectat ad emptorem, ut dicunt Less. Bonac. Salm., etc. (6). Cum autem res est iam tradita, eius periculum spectat semper ad emptorem, licet pretium non sit solutum, nec praestita sit fides, ut superius diximus *n.* 169.

Punctum VI. *De negotiatione.*

192. *Cui prohibita sit negotiatio; et quando est culpa lethalis; et si clericus negotiatur per alios, aut aliis.*
193. *Emere pecora pro suis pascuis, etc.*
194. *Vendere pluris, ut emat minoris. Emere lanam, etc. si fit per necessitatem.*
195. *An clerico liceat esse tutor, factor, etc.*

192. Negotiatio proprie dicitur,

(1) L. 3. n. 823. (2) n. 824. v. 12. Etsi. (3) n. 825. v. quaer. et Bene autem.

(4) lib. 3. n. 826. (5) n. 827. (6) n. 828.

cum aliquid emitur animo illud idem non mutatum carius vendendi. Haec sub gravi vetatur Religiosis, et clericis in Sacris constitutis: secus vero minoristis, nisi essent beneficiati, ut dicunt communiter dd. ex *can. Placuit* 3. *q.* 26. (1). Peccat ideoque graviter clericus, vel monachus qui frequenter negotiatur, licet praeciso scandalo, et quamvis in materia non turpi, nec gravi, ut dicunt Lessius Lugo et Salm. cum aliis (contra paucos). Quamquam excusant a mortali, si hoc fieret bis aut ter in materia non gravi, aut semel in gravi (2). Et ita etiam eum excusant Laym, Cast. Salm., etc. si per alium negotiaretur, modo (ut dicunt Lugo, et Salmant.) eius superintendentia non esset nimia (3). Contra declaravit Bened. XIV. in Bulla *Apostolicae*, quod ille clericus qui aliis negotiatur, incurrit easdem poenas, ac si sibi negotiaretur: nisi esset quia negotium, iam a laicis incoeptum, non posset sine detrimento dimitti; nam tunc potest clericus illud prosequi, sed solum ad tempus, et per interpositam laici personam, et de licentia S. C. (4).

193. Non est vetitum clerico emere pecora, ut in propriis pascuis saginata vendat, aut ut vendat partus eorum, lanam, etc.; hoc est commune cum Less. Lugo, Layman. Ronc. Castrop. et Salm. Sed dicimus non esse licitum pascua aliena conducendo hoc facere, cum vetitum sit a Concilio chalcedon. (in *cap. Pervenit* 21. *q.* 3.) pascua aliena conducere, ut vendat fructus. An autem liceat pascua aliena conducere ad saginanda propria pecora, et haec vendere; negant Laym. et Sporer; sed affirmant Salm. et Viva, modo absit scandalum; et haec opinio mihi videtur valde probabilis, dum hoc non reperitur ulla lege vetitum (5).

194. Licitum est vero clericis carius vendere, ut emant minoris. Et ita etiam licitum est vendere aliquid carius, cum emptum sit non animo vendendi, sed conservandi illud. Item etiam licet emere plura pro securitate suae provisionis, et postea superfluum vendere. Insuper emere colores ut vendant picturas, et lanas ut vendant pannum, modo non conducantur alii operarii ad hoc efficiendum, ut dicunt Lugo Salmant. Mol., etc. (6). Praeterea licitum est clerico etiam negotiationem proprie dictam exercere, quando hoc expediret pro sua, et suorum sustentatione, ut habetur ex *c. Multa ne cler. vel mon.* Et pro hoc satis est gravis necessitas conservandi statum decentem, prout probabilius, et communius dicunt Castrop. Spor. Croix et Mazzotta contra Laym. qui admittit solam vitae sustentationem (7).

195. Vetitum est clerico agere tutorem, tabellionem, aut exercere qualecumque officium publici ministerii, propter quod teneatur reddere rationes administrationis. Et si quis clericorum aliquod prae dictorum officiorum exercuerit; ipse non poterit ordinari, donec rationes non reddat, aut saltem praestiterit fideiussionem. Sed hoc non intelligitur de administratione locorum piorum, pupillorum, et viduarum. Item vetitum est clericis personae saecularis procurationem gerere; hoc tamen procedit in casu, (ut dicitur in *c. Sed nec* 4. *ne cler. vel monac.*) quo ut clericus eo fungatur officio, negligere deberet proprium ministerium ecclesiasticum: *Si quis ab ecclesiastico* (sunt verba textus) *fiat ministerio alienus, pro eo quod, officio clericali neglecto, fluctibus saeculi se immergit*: et eo casu clericus incurreret etiam suspensionem a suo officio, sed *ferendae sententiae*.

PUNCTUM VII. *De censu.*

196. *Quid sit census.*
197. *Conditiones requisitae a Nicolao V.*
198. *Conditiones requisitae a s. Pio V.*
199. *An liceat census personalis.*

(1) lib. 3. n. 831. (2) ibid. v. Non peccat. (3) n. 833. (4) n. 832.

(5) n. 835. (6) n. 836. (7) n. 837.

200. *An liceat census redimibilis ex parte emptoris.*
201. *An pereunte fundo pereat census.*
202. *An possit constitui census pecunia antea debitá.*

196. Contractus census, aut venditionis annuorum redditaum, est cum quis pro certa summa (v. g. 100) exigit quotannis quinos, senos, etc. in centenos ex aliquo fundo fructifero. Hic contractus est licitus, modo debitae circumstent conditiones; nam est vera emptio, qua qui dat pecuniam emit non iam pensionem, sed ius ad percipiendam partem fructuum fundi (1).

197. Quoad autem conditiones, in Bullis Nicolai V. et S. Pii V. appositas, sciendum quod in illa Nicolai V. (quae in nostro regno neapolitano viget in observantia) requiritur 1. ut census constituatur super re certa in specie; et generaliter super aliis bonis: 2. ut adsit pactum retrovendendi eodem pretio; 3. ut pensio non excedat denos in centenos (2).

198. In illa S. Pii V. requiritur 1. ut census sit super re stabili et frugifera: et sufficit ceteroquin officium perpetuum, aut alius census; 2. ut pretium sit de pecunia numerata: 3. ut adsit pactum anticipate solvendi pensionem; 4. ut non obligetur venditor ad substituendum alium fundum, si pereat obligatus; 5. ut venditor non privetur ab alienando fundo hypothecato; 6. ne conveniatur ad solvendam aliquam poenam, aut interesse ob lucrum cessans, si pensio non solvatur; 7 ne novus creetur census de pensionibus non solutis; 8. ne emptor suo arbitrio possit repetere pretium; et ut venditor possit semper redimere censum: ceterum de iure naturali est sententia communissima posse pacisci ut census sit irredimibilis; 9. ne census vendatur aliis pluris, vel minoris, nisi esset quia census evaderet non liquidus (3). Sed circa Bullam S. Pii V. advertunt communiter auctores, illam non fuisse receptam in pluribus regnis, nimirum in utraque Sicilia, in Hispaniis, in Germania, in Galliis, in Belgio; imo Continuator Tourn. affirmat nec Romae observari. Et ubi recepta non est, sententia communis est, quod non obligat (4).

199. Dubitatur autem 1. an liceat census personalis? Alii negant sed multi graves aa. probabilius et communius affirmant, loquendo quoad ius naturale; ita Sotus Less. Merbesius Tournel. Hab. Wigandt Castr Ronc., etc., quia sicut in censu reali emitur ius ad percipiendos fructus a fundo, ita in personali emitur ius ad percipiendos fructus ab industria et labore alicuius iam addicti tali officio, v. g. pictoris, mercatoris, etc. (5). Dictum est, iure naturali spectato, nam iuxta Bullam S. Pii paulo ante allatam requiritur (ubi acceptata est) omnino fundus stabilis.

200. Dubitatur 2. an liceat hic contractus si conveniatur, ut census sit redimibilis non solum ex parte venditoris, sed emptoris? Alii ut Lessius Laym. Castropal., etc. admittunt illum, modo observentur conditiones quas alibi (*n.* 181.) recensuimus pro pacto reemendi fundum. Sed alii, ut Sotus Covar. Salmant., etc. negant, et haec sententia proculdubio suadenda est, dum omnes conveniunt quod in tali contractu adest periculum saltem intentionis usurariae (6).

201. Dubitatur 3. an praecisa Bulla S. Pii, pereunte fundo sine culpa venditoris, pereat etiam census? Negant Salmant. Sot. Castrop., etc. dicentes quod in tali casu tenetur venditor ad substituendum alium fundum. Sed nos oppositum tenemus cum Lessio Lugo Ronc., etc., quia in contractu census non iam principaliter obligatur persona, et accessorie res (uti supponunt adversarii), sed res tantum, cum vendatur ius super illius fructibus: unde pereunte

(1) lib 3. n. 839 (2) n. 845. (3) n. 846. et 847. (4) n. 849 (5) n. 840.

(6) n. 843. v. quaer.

fundo, nihil amplius debetur. Et hinc dicimus quod, licet sit licitum pactum solvendi pensionem (modo sit diminuta) etiam annis sterilibus; non licet tamen pactum eam solvendi etiamsi fundus pereat (1).

202. Dubitatur 4. an possit constitui census de pecunia quam prius venditor debebat emptori? Spectata Bulla s. Pii non potest, quia ibi requiritur pecunia numerata. Sed loquendo *de iure naturae*, non est improbabile quod possit cum Navar. Less. Valent., etc. cum census habeat rationem eamdem, quam quaelibet alia emptio, quae utique potest fieri cum pecunia quae ei debetur (2).

Punctum VIII. *De cambio, locatione, emphyteusi, feudo et libello.*

203. Cambium est contractus, quo campsor cambit pecuniam campsario cum lucro aliquo praeter sortem. Et quadruplex est: minutum, per litteras, reale, et siccum. *Minutum* (sive *manuale*) licitum est, et fit cum pecuniae minores pro maioribus, vel contra dantur. Pariter licitum est cambium *per litteras*, et hoc fit, cum campsor recipit pecuniam a campsario, ut eam alibi solvat. Solutio autem pro tali cambio ex constitutione s. Pii V. non est differenda ultra tempus statutum. *Reale* contra est cum campsor dat pecuniam, ut postea eam alibi recipiat a campsario per huius procuratorem; et hoc etiam est licitum. *Siccum* denique (sive *fictum*, ut etiam appellatur) est cum tantum fingitur locus diversus ubi solutio facienda esset, et interim campsor exigit lucrum: hoc proculdubio est illicitum (3). Ad hanc cambii speciem reducitur etiam cambium vulgo *colla ricorsa*, quod (ut paucis comprehendam) est cambium cum duplici fictione (4). Cambium *francofurtense*, nempe cum mercatores dantes cambium ad proximas nundinas, quo magis eae distant, eo plus exigunt, est licitum, modo revera intercedat titulus lucri cessantis pro mercatore (5).

204. Advertendum quod si quis casu recipit monetam falsam, non potest expendere: et si forte expenderit, iuxta sententiam veriorem, tenetur ad restitutionem. Dicunt tamen Croix, et Sporer, hoc intelligi debere cum materia monetae est falsa, secus vero si tantum est adulterina imago principis.

205. *Locatio* est contractus quo quis personam aut rem suam alteri dat ad usum pro certa mercede. Nota 1. quod si res fiat inutilis usui, conductor non amplius tenetur ad pensionem promissam (6). Nota 2. quod expensae ordinariae parvi momenti spectant ad conductorem; sed extraordinariae (modo sint utiles) ad locatorem. Sed casu quo conductor se obligasset ad melioramenta, intelligitur se obligasse suis expensis (7). Nota 3. quod si res perit. conductor ad nihil tenetur, modo locator non probet eius culpam. Nota 4. quod locator non potest rem repetere, nisi in sequentibus casibus, nimirum, 1. si conductor non solvit pensionem biennio: 2. si res sit necessaria locatori 3. si fundus non possit aliter reparari: 4. si conductor ea re abutatur, v. gr. si ibi alat meretrices, destruat, etc. (8).

206. Notatur 5 quod successor universalis, nempe haeres, non potest

(1) lib. 3. n. 847 (2) n. 846. ad 2. v. Ut census. (3) n. 850. ad 854. (4) n. 854. v. quaeritur hic. (5) ibid. v. 5. Quod attinet. (6) n. 857. ad 2. (7) n. 863. (8) n. 858

ante praefinitum tempus cum testatore conductorem expellere; bene tamen potest successor particularis, ut legatarius, donatarius, aut emptor, ut habetur ex l. *Emptorem*, *c. de legat.* Excipiunt nonnulli dd. si ager iam esset cultus aut seminatus: sed ego nescio quomodo huic exceptioni sit locus, cum lex (ut expressum est in *L. Qui fundum*, 25. *ff. de locat.* ubi sermo est de legatario) iam dat conductori actionem pro damnis, quae patitur, in haeredem (1).

207. Notatur 6. quod damnum sterilitatis ex se loquendo spectat ad conductorem; sed loquendo ex aequitate, cum non intercedit culpa conductoris, et sterilitas est nimia (ut si aliquo anno fundus non fructificaret ne pensionis quidem medietatem, sicut dicunt Less. Lugo, etc.) tunc debetur remissio, ut habetur ex *c. Propter*, *de locat.* et ex *L.* 8. *c. eodem tit.* Et si nihil fructificaret, nihil deberetur (2).

208. Dubitatur 1. an liceat pauperi elocare ius mendicandi? Alii affirmant, sed nos negamus cum communiori, nisi in casu in quo pauper non posset ipse mendicare (3).

209. Dubitatur 2. si tabellarius eodem proficiscatur duorum mandata executurus, an possit integram mercedem ab ambobus recipere? Aurigae certo possunt, ob consuetudinem quae viget. Quoad alios autem probabile est, ut dicit p. Concina, quod tantum dimidiam mercedem exigere possint; sed probabile est etiam cum Less. Laym. Castrop. et Croix, quod possint exigere integram ab unoquoque, cum per accidens contingat, quod opera sit utilis utrique (4).

210. Dubitatur 3. an dominus debeat solvere salarium famulo ad annum conducto, si aliquos menses aegrotet? Dicimus cum communi (contra paucos) non teneri; nisi alicubi aliud ferret consuetudo. Et dicimus cum Lugo, et aliis (contra Azorium) ne ad expensas quidem infirmitatis teneri, nisi esset quia servus in gravi necessitate esset (5).

211. Contractus *emphyteusis* est, cum dominus dat corpus stabile alteri in perpetuum, aut saltem per annos 10. ad meliorandum; ita ut ipse retineat dominium directum, et dominium utile transferatur ad emphyteutam, cum onere solvendi annuum canonem: qui canon si non solvatur per tres annos, dominus potest sibi vindicare fundum, si hoc erit saecularium, duos si est Ecclesiae. Praefatus canon semper debetur, etiamsi fundus periret quoad partem (secus si periret totus), et etiamsi pateretur gravem iacturam fructuum, modo pensio non esset magna, et fere aequalis fructibus, nam tunc ex aequitate debet illa diminui (6).

212. *Feudum* est contractus similis emphyteusi, cum datur fundum nobilem aut rusticum vassallo sub onere exhibendi fidelitatem et obsequium personale domino directo (7).

213. Contractus *libellaticus* denique est, cum emphyteuta sive feudatarius tradit tertio fundum eumdem sub iisdem conditionibus, et hic contractus dicitur etiam subemphyteusis, aut subinfeudatio (8).

Punctum IX. *De sponsione et ludo.*

214. *De sponsione, an sit licita, et quid si altera pars dicat se certo scire factum.*
215. *De ludo filiorumfamilias, et Religiosorum*
216. *De fraudibus.*
217. *De ludis prohibitis, an sint prohibiti laicis; et an victor possit sibi retinere lucrum.*
218. *An qui perdit teneatur solvere; quid si intercessit iuramentum solvendi, et non repetendi.*
219. *De ludis prohibitis clericis.*
220. *Religiosis.*
221. *Episcopis.*

214. Sponsio (vulgo *scommessa*) est, cum duo de eventu alicuius facti contendentes aliquam summam

(1) lib. 3. n. 858. ad 11. et 859. (2) n. 860. (3) n. 861. (4) n. 862. (5) n. 864. (6) n. 865. et 866. (7) n. 867. (8) n. 868.

spondent consequendam ab eo pro quo stat veritas. Hae sponsiones non sunt prohibitae (saltem graviter) nisi fiant sub conditionibus peccaminosis, aut si qui ad invicem sponsionem facerent, quis eorum plus vini potabit: aut si quis sponderet aliquid tantum perditurum, si tale peccatum non assequatur, quia tunc se exponit maiori periculo peccandi. Secus si sponderet aliquid, non fore peccaturum (1). Ut autem praefatae sponsiones sint iustae, requiritur aequalitas tam praemii, quam dubii circa eventum. At si quis unquam diceret se certo scire aliquod, et alter, hoc non obstante, etiam vellet sponsionem interponere, tunc dicunt alii quod potest retinere praemium, quia tunc alter cedit suo iuri: sed nos sentimus oppositum cum Lugo et La-Croix quando ille alter etiam pro certa haberet suam assertionem; nam tunc ille non habet animum cedendi, sed inductus est ad ita sponsione certandum a solo errore suo, ratione cuius alter non habet ius sibi retinendi praemium. Secus autem dicerem, si ille iam dubitasset, quia tunc cessat deceptio, et revera vult cedere iuri suo (2).

215. Agendo de ludo oportet distinguere ludum in generali a ludo prohibito. Quoad ludum in generali, notandum 1. quod summa victa filiofamilias restituenda est, modo non sit de suis bonis castrensibus, aut quasi; aut si adsit patris consensus, aut sit summa parvi momenti, aut sit aliqua pars moderata deducta ab alimentis, quae ei pater subministrat. Et idem dicitur de uxoribus, et Religiosis. Contra isti tenentur restituere pecuniam quam lucrati sunt ab aliis (nisi esset modica summa), licet alii scivissent hos subditos, et proprium peculium non habere (3). Hic autem fit quaestio, an illi Religiosi, qui habent licentiam generalem a Superiore expendendi pecunium suo arbitrio, peccent contra paupertatem si illud in ludos insumunt? et an victores teneantur ad restitutionem? Plures auctores, ut Suar. Lugo, Hurtad. Rebel. Salas, Med., etc. dicunt esse probabile quod non; tum quia Superior tunc aufert impedimentum voti, tum quia saltem tunc licentia praesumitur data a religione, quae licet invita circa modum, non est circa substantiam Nihilominus nos dicimus cum Nav. Less. Sanch. Salm., etc. esse absolute probabile oppositum, quia talis licentia non praesumitur fuisse data a Praelatis, nec Praelati, licet vellent, possunt eam impertiri; cum ipsi sint simplices administratores, non autem domini bonorum monasterii (4).

216. Notandum 2. quod lusor, si fraudibus iniustis utitur, v. g. signis notando chartas, aut mutando *talos*, etc. debet restituere lucrum, et etiam quantum valebat alteri spes lucrandi. Dictum est *fraudibus iniustis*, nam licet uti iis astutiis, quas regula lusus, et consuetudo ferunt, ut aspicere chartas, quas alter sua negligentia conspici facit, aut dignoscat chartas quae exterius ob aliquod casuale signum ex seipsis dignosci possunt (5).

217. Quoad ludum prohibitum, notandum est quod omnes ludi sortis (qui dicuntur lusus alearum) ut sunt lusus taxillorum, qui vulgo dicuntur *bassetta*, *primera*, etc. hi vetiti sunt tum iure canonico c. *Episcopus dist.* 35. *et c. Clerici*, *de vita*, *et honest. cleric.* tum iure civili, *L. Alearum*, *c. de Rel. et sump. fund.* Deinde distinguere oportet in hac materia laicos ab Ecclesiasticis. Quoad laicos, est commune inter dd. tales lusus non esse prohibitos sub gravi, quia citatus Canon *Episcopus* est a consuetudine derogatus, et leges civiles circa hos sunt poenales, cum (in victorum poenas) dant actionem ei qui vincitur, repetendi summam amissam (6). Ex quo caeteroquin infer-

(1) lib. 3. n. 869. et 870. (2) n. 879. (3) n. 872. ad 876. (4) n. 873. et l. 4. n. 31. (5) l. 3. n. 882. (6) n. 885.

tur, quod victor potest sibi lucrum retinere, donec per iudicis sententiam non obligetur restituere, iuxta communem (1). Et hoc etiamsi lusisset animo repetendi, si perdebat (2).

218. Contra communis est sententia et probabilior cum Sanch. Less. Lugo, Viva, Nav. Tolet. Layman. Mol. Salm., etc. (contra Sayr. Bann. et alios paucos) quod qui perdit, non tenetur solvere; quia cum ei detur a lege beneficium repetendi, datur etiam non solvendi, ut deducitur ex alia *L. Creditori*, *c. de pactis*, ubi dicitur: *Frustra solvitur*, *quod statim repetendum est* (3). Si autem vellet transigere, bene potest id facere, licet non haberet animum iudicem adeundi (4); et licet cessisset beneficio legis, quia cum lex sit edita ob bonum commune, eius cessio est nulla. Modo (limitatur) ex utraque parte non sit iuramento firmata promissio, non solum de solvendo, sed etiam de non repetendo: nam lex vetat quidem huiusmodi lusibus ludere, sed non quidem solvere amissum; unde tunc neuter lusorum ne potest quidem iuramenti relaxationem petere, dum adest tertii praeiudicium (5). Et ille qui perdidit, si iam solvisset, non potest sibi compensare, nisi adeat iudicem, licet non iurasset de non repetendo (6). Sed si ille peteret contractus rescissionem, et alter renueret, vide dicta *n.* 125.

219. Quoad Ecclesiasticos, non est dubitandum quin clerici (in Sacris tamen aut beneficiati, dum pro aliis interdictio saltem obsolevit) peccent lethaliter, si ludant lusibus merae sortis, ut superius explicatum est, cum iis frequenter ludunt et diu, licet in modica quantitate; quia huiusmodi lusus notabiliter Ecclesiasticorum statum dedecet. Et idem dicitur si exponunt ludo magnam quantitatem, licet raro; saltem cum in hoc grave adesset scandalum aliorum, ut vult Layman (7). Dictum est *lusibus merae sortis*, nam simplices lusus chartarum, in quibus vincere dependet tam a sorte, quam ab industria, ut sunt lusus appellati recreationis, v. g. *tressette*, *ombre*, et alii id genus, hi non sunt vetiti sub gravi clericis saltem ex hodierna consuetudine, nisi adesset scandalum, aut peculiaris alicui prohibitio (8).

220. Loquendo autem de Religiosis, si isti sunt reformati strictioris observantiae, ut Capuccini, Theresiani, Iesuitae, Alcanterini, et similes, illi ludendo ludis sortis, etiam semel, non excusantur a gravi: et tanto minus excusantur Superiores qui id permittunt. Et idem ego dicendum puto, si quocumque chartarum ludo, etiam recreationis causa (ut supra dictum est) ludant, saltem si luderent semel atque iterum; tum ob scandalum cui essent laicis, tum ob abusum qui irreperet. Quoad autem alios Religiosos laxioris observantiae, ut dictum est de clericis, ita etiam dicunt dd. tunc graviter peccare, cum luderent lusibus merae sortis, et frequenter, aut in nimia quantitate; praeter peccatum contra paupertatem, ut dicetur *Tract.* 13 *n.* 13. *et* 14. Si autem ludus esset simplex (ut supra explicatum est), Peyrin. Dicast. Salm., etc. eos excusant a gravi, et etiam a levi, ut dicunt, si luderent animi gratia; sed huiusmodi solatium mihi semper videtur indecens statui religioso, nec usus mihi videtur posse id cohonestare (9).

221. Sed si Episcopus luderet aleis, etiamsi semel, aut frequenter chartis solatii causa, nescio quomodo possit excusari a gravi scandalo. Et idem dico de Praelato qui frequenter, et ex proposito assisteret alearum lusibus. Sed quoad clericos et Religiosos qui assistunt, licet hoc etiam vetitum sit a Canonibus (*cap. Clerici*, *de vita, et honest. cler*) nihilominus communiter dd. eos excusant a culpa gravi (10).

(1) lib. 3. n. 887. (2) n. 889. (3) n. 890. (4) n. 894. (5) n. 891. et 892. (6) n. 893. (7) n. 897. 898. (8) n. 900. (9) n. 901. (10) n. 902 et 903.

PUNCTUM X. *De societate.*

222. Contractus societatis is est, cum duo saltem contribuunt pecuniam et laborem, ut commune faciant lucrum, aut damnum. Conditiones societatis sunt tres, 1. ut ineatur in materia honesta; 2. ut adsit aequalitas inter laboris aestimationem, et pecuniae commoditatem; 3. ut uterque socius subeat onus damnorum, et expensarum quae eveniunt ob negotiationis causam, sed damnum sortis spectet tantum ad dominum (1).

223. Ex quo infertur 1. quod si unus contribuit pecuniam, alter vero laborem, terminata societate, prius restituenda est sors domino, et postea reliquum dividendum est, ut recte docent Lugo, Bonac. Cabass. Petroc., etc. (quicquid dicant alii); quia sicut, sorte pereunte, tota perit domino, ita eadem (dum existit) tota ei debetur. Nec valet dicere quod altero laborem conferente, et altero pecuniam, aequum est ut in fine totum dividatur; quia in ea societate qui contribuit sortem, non contribuit pecuniam, sed huius commoditatem; unde si unus contribuit navem, et navicularius laborem, absoluta navigatione, navis utique tota ad dominum spectat, qui illius commoditatem contulit; non secus cum quis confert sortem, ea integra ad dominum spectat (2).

224. Infertur 2. quod in facienda divisione, prius (uti iam dictum est) detrahendum est capitale in domini beneficium; deinde dividendum est lucrum, habita proportione valoris industriae a socio adhibitae, et valoris, non iam sortis (uti contendit Cabassut.) sed commoditatis sortis collatae ab altero, iuxta communem aestimationem lucri quod producere potest pecunia negotiationi applicata, uti recte dicunt Castrop. Ronc. et Rebell. In quo potest contingere aliquando, quod industriae valor ita excedat valorem usus pecuniae, ut iustum reddatur pactum (quod ex se esset iniustum), ut dividatur etiam capitale. Advertendum contra quod in aliquibus locis valor industriae sit ita tenuis ob loci consuetudinem, aut ob frequentiam operariorum, ut recte subiiciatur operarius etiam quoad partem periculo sortis, licet ipsum periculum per se totum solius domini esse debeat (3).

225. Infertur 3. quod damnum sortis ad dominum totum spectat, quamvis sors pereat antequam operarius suum conferat laborem (ut non recte excipiunt nonnulli dd.), quia, ut non semel supra explicatum est, non confertur sors, sed tantum usus illius. Unde dato quod pereat sors in principio societatis, dominus nihil confert de pecuniae usu; ideoque operarius ad nihil tenetur, licet nihil laboris sui contribuat (4).

226. Infertur 4. quod iniusta est societas pecudum cum pacto, quod dicitur *ad caput salvum*, nempe ut, absoluta societate, prius restituantur pecora in eodem numero, et valore, licet illa sint mortua, aut deteriora facta, deinde reliqua dividantur; hic contractus est iniustus, quia damnum sortis (ut dictum est) totum domini est, nihil custodis (5). Et ita etiam dicimus cum Tamb. Silv. Angelo, etc (contra Azor. Ronc., etc.) non licere (ex se loquendo) pactum, durante societate, sufficiendi partus in locum

(1) l. 3. n. 904. ad 906. (2) n. 907. (3) n. 907. quaer. 2. (4) cit. n. 907. v. quaer. 3. (5) n. 909. quaer. 3.

armentorum, quae moriuntur, quia partus, uti fructus societatis, non debent substitui, sed dividi; unde tale pactum redundaret in custodis damnum (1). Advertendum tamen hic quod, deficientibus pecoribus, custodis intererit probare quod illa sine sua culpa perierint, ut notant Pontas, Tourn., etc. ex *L. Cum duobus* 52. §. *Damna ff. Pro socio* (2).

227. Hic autem 1. agitatur illa celebris quaestio, an liceat exigere lucrum certum, salvo capitali, mediis *tribus contractibus*, nempe societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri; contra qui confert pecuniam, cedere debebit maiori lucri parti, quod sibi probabiliter contingeret praecisis praefatis assecurationibus. Multi dd. ut Merbes. Concina, Habert, Tourn., etc. negant; quia (uti dicunt) talis conventio, posita sortis atque lucri assecuratione, non esset amplius societas, quae de natura sua cum ea sit, ut dans pecuniam periculo subiaceat, transiret in mutuum, unde non potest exigi lucrum. Sed alii communius admittunt, ut Navar. Tolet. Less. Lugo, Castr. Bon. Ronc. Salm., etc. dicentes quod illi tres contractus, si separatim inirentur, iam essent iusti; et ita volunt etiam, cum fiunt cum eodem. Nec est verum, subiungunt, quod talis contractus transeat in mutuum, quia qui accipit mutuum potest suo libitu pecuniam impendere; sed hic socius omnino debet in negotiationem eam impendere, quapropter essentialiter mutatur natura mutui. Et sciendum quod hic trinus contractus approbatus fuit a facultatibus theologicis coloniensi, trevirensi, salmanticensi, moguntinensi, et aliis, ut refert quidam liber typis editus Parisiis 1745. cum titulo: *Exam. theolog. sur la société du prêt à rente*. Dicerem tamen ut hic contractus nunquam fieret, theologorum consilio non praecedente.

228. Quaeritur 2. an filius negotians pecunia paterna possit accipere partem lucri suo labori, et industriae correspondentem? Affirmat Ronc. casu quo filius negotiatur proprio nomine, quia tunc, dicit, detracto valore alimentorum quae a patre recipit, posset sibi sumere quantum pater praestiturus esset aliis pro huiusmodi labore. Sed huic opinioni acquiescere non possumus, quia licet ipsa sit probabilis, attamen cum etiam probabilis sit opposita Molinae, Lug. Silvest. et aliorum, nempe quod filius cum patre cohabitans non potest sibi compensare labores suos stipendio, quod extraneo dandum fuisset, modo labores non essent excedentes (3); qua de re cum agatur de compensatione, pro qua requiritur ius certum et liquidum, nequit filius eam sibi facere sine patris consensu (4).

229. Notandum quod inter fratres non intelligitur facta societas nisi omnes fratres alicui negotiationi vacent, aut si quis eorum negotietur, et alii non conferunt bona propria praeter communia; nam si unus confert bona propria, alii vero tantum bona communia, bene potest ille se compensare iuxta excessum, quem de suis bonis, aut de suo labore in negotiatione impendit. Sed si unus fratrum ab aliis absens de bonis communibus in communi negotiaretur, intelligitur durare societas usquedum alii fratres divisionem non exposcant (5).

230. Notandum denique quod societas potest dissolvi multifariam: 1. Cum terminatur negotium et tempus praedefinitum: 2. mutuo consensu sociorum, etiam tacito, v. gr. si alter eorum seorsim negotiari incipiat. Caeterum neuter sociorum potest a contractu se abdicare, nisi esset quia ei incumbendum foret in bonum publicum, ut si alter damno esset societati, aut si pactis non staret; 3. morte alterius socii, quia societas non

(1) lib. 3. n. 909 quaer. 2. (2) n. 909. v. Hic operae. (3) n. 544. et etiam 488. ad v. 3. in fin. (4) n. 910. (5) n. 907. quaer. 5.

transit ad haeredes, nisi quoad negotia iam incoepta, aut nisi adesset pactum iuramento firmatum cum defuncto socio, ut dicit Bon.; 4. exilio, aut professione religiosa; 5. si alter sociorum infirmitate, aut alia causa necessaria non posset amplius parti suae satisfacere; 6. si amittitur pecunia contributa; 7. si ita res mutantur, ut societas evadat inepta fini(1).

PUNCTUM XI. *De asseсuratione, fideiussione, pignore, hypotheca, tutela, et testamentis.*

231. *De assecuratione.*
232. *De fideiussione.*
233. *De pignore et hypotheca.*
234. *De tutela et curatela; et an pupilli possint se obligare, et donare.*
235. *De testamentis. Si constet de voluntate testatoris, etc. Si adsit tantum unus testis, etc.*
236. *De legato pro virginibus. An ultimae voluntates possint immutari a Papa aut ab Episcopo.*
237. *De obligatione legandi bona filiis, fratribus, aut aliis coniunctis pauperibus.*
238. *In quibus casibus pater possit exhaeredare filios.*

231. **Contractus** 1. *assecurationis* est cum quis suscipit sibi rei alterius periculum mediante aliquo iusto pretio, se obligando ad eam compensandam si pereat. Ut hic contractus sit iustus, requiritur ut eventus sit incertus, saltem quoad praesentem notitiam (2).

232. **II.** *Fideiussio* (vulgo *pieggeria*) est cum quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non esset solvendo. Unde prius fieri debet discussio a principali; et si principalis ad nihil teneretur, ad nihil etiam tenetur fideiussor. Pro fideiussione semper licet accipere pretium, licet absit periculum, ut communiter dd. contra paucos: quia assumptio talis obligationis de se est pretio aestimabilis (3).

233. **III.** *Pignus* et *Hypotheca* similitudinem habent ad invicem, dum pignus est, cum debitor dat creditori rem mobilem; hypotheca, cum dat aliquod stabile, ut sit pro debito obligatum. Creditor non potest uti pignore sine consensu debitoris; et si illo utitur, debet in sortem commutare fructus, quos percipit. Caeterum praesumitur praefatus consensus, cum usus non est domino damno ut ait p. Viva, prout esset liber pignori datus, et huiusmodi. Res sacrae, ut calices, planetae, etc. non possunt pignorari, nisi ad subveniendum pauperibus, aut ecclesiis. Item advertendum quod contractus dictus *antichriseos*, vulgo *a godere*, est illicitus (ut dictum est *n.* 182.), nisi subesset iustus titulus damni, aut lucri cessantis, aut poenae conventionalis (4).

234. **IV.** *Tutela*, aut *curatela* sunt quidem quasi contractus, quibus tutores et curatores obligantur sibi esse curae pupillos et minores, tam quoad educationem, quam quoad bonorum administrationem. Et hic notandum quod pupilli, et minores non possunt sua bona obligare (exceptis castrensibus, aut quasi), si sunt stabilia, sine iudicis auctoritate: et si sunt mobilia, sine consensu tutoris, aut curatoris. Dubitatur tamen, an si ipsi obligentur, saltem remaneant naturaliter obligati? Affirmamus cum Less. Lug. Navar. Sanch. Laym. Castrop. Salmant. et aliis (contra Bonac. etc. quoties pupillus est saltem proximus ad pubertatem, et contractus non sit cum ipso suo tutore, aut curatore, sed cum extraneis, nam in *L. Novatio ff. de novat.* hoc habemus expressum, cum ibi dicatur: *Dummodo obligatio utiliter teneat, aut naturaliter, ut puta* (notetur) *si pupillus sine auctoritate tutoris promiserit.* Praeterea advertatur quod pupilli, et minores non possunt donare, nisi illa quae alii similis conditionis donare possunt; sed donatarii non tenentur restituere accepta, nisi post iudicis sententiam; nam tales dona-

(1) l. 3. n. 907. quaer. 6. (2) n. 911. (3) n. 912. (4) n. 913. ad 916

tiones iam iure naturae sunt validae(1).

235. V. Quoad testamenta, etiam moralistae fusius de hoc tractant, sed quia haec potius ad forum, quam ad conscientiam spectant, omissa hic facio, cum me ad ea, quae in opere morali dixi remittam (2). Hic tantum aliqua, quae confessarium iuvant scire, adnotabo. Notandum 1. quod cum haeredi constat voluntas testatoris circa dispositionem piam, ipse in conscientia tenetur eam adimplere, licet nullae adessent probationes externae. Sed cum hoc non constat, non tenetur credere uni soli testi, licet probatissimo, qui hoc sibi testatur; quia saltem debent esse duo testes; ita habetur ex *c. Relatum* I. *de test. et c. Licet. de testib.* ubi dicitur: *Nulla tamen est causa, quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Et haec regula certa est, ut ait Laym. et recepta ob omnibus communiter (3).

236. Notandum 2. quod legatum relictum virginibus debetur etiam corruptae, si eius corruptio est occulta, iuxta communem sententiam (4). Notandum 3. legatum relictum virginibus oriundis non dandum virginibus ibi fortuito natis, ut dicunt Sanch. Trullench. et Barbosa apud Ferraris (5). Notandum 4. pias dispositiones solum a Papa commutari posse, cum iusta intercedit causa, ut exprimitur in Clement. *Quia contingit de domib. relig.* non autem ab Episcopis, qui, (sicut probabiliter dicunt Laym. Bonac. Salm. et Trull.) tum tantum possunt, cum superveniret talis causa, quae si cognita fuisset a testatore, aliter disposuisset, interpretari eius voluntatem, et applicare legatum alii usui pio (6).

(1) l. 3. n. 917. et 918. (2) n. 919. (3) n. 923. et 924. (4) n. 930. dub. 6. (5) Ap. Ferraris bibl. v. Civitas n. 71

237. Notandum 5. testatores tenentur in conscientia, et quidem sub gravi legare sua bona, non solum haeredibus necessariis, v. g. filiis et parentibus, aut avis, quoad legitimam; sed etiam fratribus et sororibus, cum isti necessitate extrema aut gravi laborant, ut tenendum est cum Lugo Bonac. Silv. Diana, etc. contra Salmant. Ratio est quia nos in vita iam tenemur diligere, et adiuvare fratres pauperes sub gravi obligatione, ut docent communiter Laym. Silvest. Ang. cum ipsismet Salm. ob sanguinis ligamen, et ita ut si quis suum fratrem laedit, duo committit peccata, unum contra iustitiam, et alterum contra pietatem. Si igitur obligatio pietatis nos in vita ligat quidni in morte? Dixi *necessitate extrema aut gravi*, quia si fratres essent quidem pauperes, sed non in tanta necessitate; aut si essent coniuncti in gradu remotiori, licet isti essent in gravi necessitate, tunc probabiliter non erit obligatio gravis, sed erit saltem levis (7).

238. Notandum 6 quod pater potest exhaeredare filios ex iusta causa, puta si isti tentassent eum interficere aut impedire, quominus testaretur, aut alia gravi iniuria eum affecissent; secus vero si matrimonium cum personis suae qualitatis imparibus contraxissent. Contra est valde probabile quod pater possit exhaeredare filiam, quae cum esset aetate minori 25. annis, luxuriose vixisset (8). Hoc tamen intelligitur, si filia (aut filius) habeat unde vivat, quia illa cum paupertate laborat, pater semper tenetur ei alimenta ad vitae sustentationem necessaria ministrare (9).

(6) l. 3. n. 931. (7) n. 946. (8) n. 948. (9) n. 341.

TRACTATUS XI.

DE OCTAVO PRAECEPTO DECALOGI

CAPUT UNICUM
DE IUDICIO TEMERARIO, CONTUMELIA ET DETRACTIONE.

PUNCTUM I. *De iudicio temerario*

1. *De iudicio et suspicione temerariis.*
2. *Advertenda pro praxi.*

1. Iudicium temerarium tunc est peccatum mortale, cum sine sufficienti fundamento iudicamus proximum aliquod grave malum commisisse. Ex quo infertur quod huiusmodi iudicia plerumque excusantur a mortali, aut quia fundamentum iudicatur sufficiens, aut quia non sunt iudicia, sed suspiciones, quae quamvis sint temerariae, non attingunt mortale, nisi dubitetur quod personae bono nomine essent reae gravissimorum criminum, uti atheismi, haeresis, incestus cum parentibus et huiusmodi (1).

2. In hac materia igitur advertat confessarius multos rudes se accusare, quod temere iudicarint: oportet efficere ut ipsi sciant 1. cum adsunt sufficientia momenta ita iudicandi de aliqua actione, iudicium non esse temerarium, sed iustum adeoque non esse culpabile; 2. haec ut plurimum non esse iudicia, sed suspiciones, quas domini, et patresfamilias aliquando tenentur habere, ut aliquod peccatum impediant: v. g. ne servi furentur, ne filiae peccent cum hominibus versando, et alia id genus. Tantum advertatur ne huiusmodi suspiciones cum aliis communicent sine necessitate.

PUNCTUM II. *De contumelia.*

3. *De contumelia, et de honoris restitutione.*
4. *Causa quae excusat.*
5. *De reseratione et lectione epistolarum.*
6. *Cui hoc permissum sit.*

3. Contumelia etiam est gravis, cum per eam graviter laeditur honor proximi coram ipsomet. Unde si publica fuit, publice ei honor restituendus est, veniam ab eo petendo, aut saltem efficiendo ut hi sciant iam talem honoris restitutionem factam fuisse (2). Et si contumelia clam illata est, etiam secreto compensanda est, iuxta veram et communem sententiam Lessii, Lug. Spor. Ronc. s. Anton. Salm. adversus Laym. et Molin. (3).

4. Excipitur tamen 1. si probabiliter praesumitur quod offensus ex signis quae ostendit, iam remiserit offensam, aut recuset illam publicam satisfactionem, ne novo rubore effundatur, et in hoc casu sufficiet eum alio modo honorare; 2. si offensus iam ultus fuerit iniuriae; aut si iam publice in offensorem a iudice poena sufficienti ad reparandum honorem ablatum animadversum sit (4).

5. Contumelia etiam afficeretur proximus, si eius litterae resignarentur, aut legerentur, nisi habeatur, aut saltem praesumatur consensus eius, ad quem mittuntur, aut eius a quo scriptae sunt, ut dicunt Lugo, Busemb. Escob. Navarr. etc (5). Et graviter peccaret, si materia esset gravis, aut indicaret proximum ita moleste laturum, ut graviter offenderetur. Eo casu tamen si revera materia esset levis, qui legeret non peccaret contra iustitiam, sed contra charitatem, ut recte dicit La-Croix cum communi contra Bonac.(6).

6. Licet contra 1. principibus reserare litteras inimicorum et etiam aliorum, qui tempore belli scribunt ad regiones inimicorum. Et idem etiam licet ministris publicis, si hoc

(1) lib. 3. n. 962. ad 965. (2) n. 966. et 984. ad 988. (3) n. 985. (4) n. 989. et 990. (5) l. 5. n. 70. ad 71. (6) n. 70. v. Ita.

iudicant oportere ob bonum commune. 2. Praelati religiosi possunt aperire epistolas suorum subditorum, si in hoc adest statutum aut usus, aut saltem suspicio probabilis quod in illis contineatur aliquid mali. Sed hoc non potest intelligi de illis epistolis, quae directae sunt ad Superiores maiores aut ab istis datae sunt. 3. Licet etiam privatis aperire litteras suorum adversariorum, qui sibi iniustae sunt molestiae; ita communiter Lessius Lugo Laym. Sanch. Nav. Bonac. Salmant. et Ronc. Et idem permittunt Lugo et Busemb. ut evitetur iniuria gravis, quae imminet alicui tertio (1). Si autem aliquis colligeret chartulas epistolae laceratae a domino, et in publico loco relictas (non vero in occulto) et ob curiositatem eas legeret, tunc ei nullam facit iniuriam (modo non patefaceret secretum cum illius damno): nam quae pro derelictis habentur, licitum est ea in propriam utilitatem convertere; ita Laym. Busemb. Diana s. Antonin. Silvest. etc. Et hoc quamvis (dicunt Lugo et Ronc.) dominus lacerasset epistolam in minutas partes; tunc enim videtur voluisse cedere suo iuri. Sed merito contradicit La-Croix cum Rebellio etc. quia lacerando ille minutatim epistolam, bene significare voluit nolle eam legi, et noluisse cedere suo iuri. Et hoc, quod dictum est de epistolis, valet pro omnibus aliis scripturis; quia quilibet habet ius secreti in suis scriptis, quae non vult esse communia cum aliis; ita Navar. Mol. Busemb., etc. (2).

Punctum III. *De detractione*

7. *Detractio quando est culpabilis.*
8. *De arcano per fraudem cognito, etc.*
9. *De arcani obligatione.*
10. *An possit publicare delictum ob defensionem.*
11. *An propter consilium, et solamen; et an viro probo.*
12. *Si delictum est publicum in uno loco etc.*
13. *Si fuerit publicum aliquo tempore ec.*
14. *Si delictum est connexum.*
15. *Si referat ut ab aliis auditum.*
16. *Qui nominat aliquem ordinem, aut monasterium.*
17. *Qui inducit, aut audit detractionem.*
18. *De famae restitutione.*
19. *Causae excusantes a restitutione.*
20. *An adsit obligatio compensandi infamationem cum pecunia.*
21. *An infamatus possit sibi compensare.*
22. *Qui sint libelli famosi, et quae poenae adsint contra eos conficientes.*

7. Detractio alterius famae tunc est mortale, cum aut publicatur delictum falsum proximi, aut delictum verum, sed occultum, et quod brevi non est publicandum; et item cum publicatur, ut infametur; nam si manifestetur ob alium iustum finem (loquendo de delicto vero) v. g. ut proximus corrigatur, aut ut evitetur damnum grave aliorum, et nullum extaret medium quo evitetur illud, tunc illud patefacere non est illicitum (nisi in casu quo damnum infamia notati esset notabiliter excedens proprium damnum): quia, ut dicit s. Thomas (3), illa dicitur vera detractio, quae fit ut denigretur alterius fama, non autem illa, quae fit ob aliud bonum necessarium: *Si verba* (sic ait s. d.), *per quae fama alterius diminuitur, proferat quis ob aliquod bonum necessarium, non est peccatum, nec potest dici detractio* (4).

8. Hic locum habet magna quaestio: An quis ad evitandum grave suum damnum, possit patefacere delictum occultum alterius, sed iniuste cognitum aut vi, aut fraude, v. g. reserando litteras etc.? Variae sunt sententiae, inter quas nobis arridet illa Lugo Laym. Tourn. La-Croix et Sporer, qui negant posse hoc fieri, quia illa actio iniusta obligat patrantem eam ad restituendum proximo omnia damna, quae inde illi proventura erunt. Eo solo casu posset

(1) l. 5. n. 70 et l. 3 n. 969 ad 3 circa fin.
(2) l. 5. cit. n. 70. v. 6. Si litteras.

(3) 2. 2. qu. 73. art. 2
(4) lib. 3. n. 969.

revelare alterius delictum, quando ei liceret illud investigare etiam per vim, aut reserando alterius litteras, ut esset si revelatio conferret bono communi, aut si ille proximus sub gravi teneretur aperire arcanum, ut repararetur damnum, aut si ille iniustam vexationem exhiberet, et alius qui litteras resignat, probabiliter putaret in illis aliquod contineri, quod directe esset causa iniusta damni proprii, aut alterius innocentis; nam secus, si directe non contineretur in litteris vexatio, sed ab illis posset deduci indirecte aliqua notitia, qua sua utilitas promoveri posset, aut vitari damnum, non liceret tunc aperire litteras, cum hoc sit contra bonum commune societatis humanae, quod praeferendum utique est bono privato; ita Less. Laym. et Salmant. cum aliis communiter (1).

9. Hic quoque opportune cadit, ut sciatur quandonam teneamur servare arcanum? In hoc oportet distinguere arcanum naturale a promisso et a commisso: *naturale* est, quando quis casu scit aliquod factum occultum; *promissum* est, cum se aliquis obligat non manifestare aliquid: *commissum* denique dicitur, cum aliquis confidit alteri arcanum cum prohibitione non revelandi. Veniamus ad obligationem arcani. *Promissum* obligat iuxta intentionem committentis, sed non habet ille obligationem gravem observandi, nisi cum certum est ita se obligasse. *Commissum* (dictum etiam *rigorosum*) obligat strictius quam naturale, et potest tantum in sequentibus casibus aperiri 1. Si praesumitur consensus principalis; 2. si factum iam sit publicatum. Imo Azor. Lugo Ronc. Salm. et alii dicunt non esse mortale, uni vel alteri illud communicare commissum, licet sit de re gravi; modo persona non sit talis, ut praecipue illi iudicetur committens voluisse celari; 3. si occultatio arcani vergeret in damnum commune, vel alicuius innocentis, ac ipsius committentis: quia tunc tu bene potes detegere illud. Huc adde iuxta communiorem et probabiliorem sententiam cum Soto Navar. Laym. Less. De Lugo Bonac. Ronc., quod potes detegere secretum etiam ad reparandum tuum proprium grave damnum, cum deterioris conditionis non sis, quam caeteri innocentes; dummodo (limitatur) detectio non vergeret in grave damnum commune; et modo non te obligasses illud celare etiam cum aliquo tuo damno. An autem illud possis prodere in periculo vitae, cum etiam in tali periculo te obligasses celare, utraque sententia affirmativa, et negativa est probabilis (2).

10. Notandum 1. licere (ut dicunt Lugo Carden. Tournely et Busemb.) revelare aliquod verum delictum proximi, in quantum iuvat, et etiam est necessarium ad se defendendum ab aliqua insidia ab illo parata. Dictum est verum, quia imponere delictum falsum semper est grave, uti habetur ex prop. 44. ex damnatis ab Innocent. XI. quae dicebat: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat, etc.* (3). Multi dd. tamen excusant a mortali, cum quis, ut aufugiat acriores cruciatus, confitetur commisisse delictum cuius immunis est; sed hoc non admittimus cum aliis (4), observa id quod dicetur in *Tract.* 13. *n.* 84.

11. Notandum 2. licere patefacere alterius peccatum in quantum conducit proprio consilio, aut levamini in aliqua iniuria gravi, qua quis affectus est, ut communissime Navar. Bon. Sairo. Ledes. Mazzotta Busemb. Salm. et alii. Et multi graves dd. ut Less. Caiet. p. Nav. Bonac. Covar. Nav. Trullench. etc. excusant (saltem a gravi) qui revelaret aliquod delictum secretum uni vel alteri viro prudenti, dum fama consistit in aestimatione hominum, ideoque non iudicatur infamatio significare illud

(1) lib. 3. n. 969. circa fin. (2) n. 970. et 971. (3) n. 972. (4) l. 4. n. 275

peccatum uni vel alteri qui illud celatum tenerent. Et hoc idem aperte sentit s. Thomas (1) dicens: Si ex incautela alicui dixerit hoc (nimirum alterius peccatum), ita tamen quod non proveniat inde infamia delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat (2).

12. Notandum 3. quod cum delictum est publicum alicubi, dubitatur an sit gravis culpa illud manifestare alibi etsi eo non adhuc pervenerit notitia, nec brevi perventura erit? Adsunt tres sententiae. Prima cum Dicast. Villalob. Antoine Tournely Cuniliati etc. tenet esse mortale contra iustitiam, quia delinquens adhuc ibi suam famam possidet. Secunda cum Lessio Sylvio et Bonac. tenet esse mortale contra charitatem, quia licet reus amiserit ius ad famam, valide tamen moereret, sciendo palam fieri suum crimen eo loco ubi ignoratur. Tertia sententia communior, quam mordicus tuetur Lugo (et vocat communem ac veram) cum Caiet. Anton. Ledesma, et Maior, eamque tenent Salm. cum Navar. Bannez Serra Fill. Fagund. Macado et aliis (3), dicit non esse gravem culpam neque contra iustitiam neque contra charitatem. Plures afferunt rationes praefati auctores; sed potior ratio est, quia ad bonum commune expedit agnosci malefactores, ut ab eis alii cavere se possint; hocque commune bonum damno praeponderat delinquentis. Haec ratio utique valde probabilis mihi videtur, semper ac crimen est tale, quod reddat reum perniciosum et vitandum, prout esset crimen latrocinii, impudicitiae, homicidii, proditionis, et similium. Nec obstat dicere quod reus, possidendo eo loco famam suam, nequit illa exspoliari per solam opinionem probabilem; nam respondetur quod eodem tempore quo ipsius peccatum publicum evadit, ex una parte iam probabiliter amittit ipse ius ad famam, et ex alia omnes acquirunt ius ad ipsum agnoscendum, ut evitent; et cum ius rei evadit incertum, incerta quoque evadit possessio illius. Invenio autem quod p. Concina (4) in hac quaestione distinguit et ait, quod cum delictum est notorium *notorietate facti*, scilicet publice patratum, tunc patefieri potest ubicumque; cum vero notorium est tantum *notorietate famae*, sic inquit: *Cauti omnes sint oportet, quia facile fingitur haec publica fama.* Adverte autem quod delictum publicatum in una tantum familia aut monasterio, non potest dici absolute publicum; unde non potest alibi manifestari, et ne in alio quidem monasterio ipsius ordinis, quod cum illo haberet frequentem communicationem (5).

13. Delictum vero alicuius publicum uno tempore, non potest in alio in quo factum est occultum publicari sine gravi culpa, saltem contra charitatem; excipe tunc si delictum esset publicum, non solum *notorietate facti*, sed etiam *notorietate iuris*, nempe per sententiam iudicis, aut rei confessionem in iudicio, ut docent Lessius Lugo La-Croix etc. (6). Ceterum hoc non obstante, non prohibetur quin historici delicta publica describant, etiam ex solo facto; Sotus Molina Vasq. (7).

14. Notandum 4. quod si quis infamia notatus est ob unum delictum, non est grave illum infamare de alio illi connexo, aut affine, ut si dicatur de milite fornicasse, et huiusmodi. Secus vero si publicaretur aliud peccatum diversum; aut si de eo qui dicitur esse adulteratus semel, patefieret bis eum lapsum esse (8).

15. Notandum 5. peccare tantum venialiter eum qui refert peccatum proximi, sed uti narratum ab inimicis, aut aliis modicae fidei, aut si

(1) Quodlib. 11. a. 13. ad 3. (2) l. 3. n. 973. in fine et 974. (3) Lugo d. 15. n 59. Salm. tr. 13. de rest. c. 4. n. 61. cum aliis. (4) Conc. Comp. theol. tom. 1. p. 239. n. 10. (5) l. 3. n. 974. (6) n. 974. v. Similiter. (7) Vide Salm. de rest. c. 4. n. 37. (8) l. 3. n. 976.

verisimiliter creduntur auditores non praestare fidem dictis. Sed peccabit mortaliter, si dicet a fide dignis audivisse, aut si refert delictum gravissimum; quia in hoc erit peccatum grave etiam solum suspectum fundatum praebere (1).

16. Notandum 6. peccare eum qui detrahit famae alicuius ordinis religiosi, aut monasterii alicuius religionis, et etiam qui publicat delictum alicuius religionis, nominando monasterium aut ordinem. Nihilominus si ordo esset amplus, recte ait p. Concina, non aestimandum grave peccatum, nec frangi sigillum, nominare ordinem qui non est strictae observantiae (2).

17. Notandum 7. peccare graviter qui inducit alterum ad detrahendum. Qui etiam non inducit, sed oblectatur de detractione ab aliis facta, peccat etiam graviter, sed tantum contra charitatem. Sed qui oblectaretur non de damno, quod proximus patitur in illa detractione, sed tantum de novitate, aut curiositate, quam continet detractio illa, multi dd. excusant a gravi; modo ille non esset Superior; quia graviter interest subditum detrahentem corripere. Superiores igitur peccant graviter contra charitatem (sed non contra iustitiam), ut recte tenent Lugo Sotus Reb. Dicast. etc. si omittunt corripere subditos detrahentes proximo de re gravi (3). Sed qui non est Superior a multis gravibus dd. excusatur a peccato mortali, si ob verecundiam, aut timorem, non nititur impedire detractionem, dummodo proximo (ultra infamiam) non immineat aliud damnum ex detractione causandum, et modo ait s. Thomas(4), certe non sciat quod si corriperet detractionem impediret; sed hanc certitudinem habere est moraliter impossibile ei qui non est Superior, aut saltem si non multo praestat dignitate, aut nobilitate (5). Advertunt Lugo, Busemb. etc. errare eos qui statim ac audiunt loqui contra proximum, putant illico teneri ad correctionem; quia saepe plus prodest proximo, ut detractio incoepta terminetur, dum aliquando, expleto discursu, cognoscetur quod res aliter sese habeat, quam in principio apprehensa fuit. Ceterum ut ab omni scrupulo se eximat; ubi audit aliquem detrahentem, et quidem de re gravi, et occulta, satis erit si a circulo discedat; aut si nitatur sermonem alio traducere, aut si ostendat sibi illud displicere, vultum alio convertendo, aut oculos demittendo aut vultum valde serium ostendendo (6).

18. Notandum 8. iniustum detractorem teneri ad famae restitutionem, et etiam ad damnum illi causatum (dummodo sit saltem in confuso praecognitum); et non solum cum delictum impositum est falsum, palinodiam canendo apud auditores, tam mediatos, quam immediatos (cum immediati negligerent advertere suos auditores); sed etiam quando est verum, prospiciendo modo quo meliori potest, dicendo v. g.: *Erravi, allucinatus sum, me fefellit, mentitus sum*; quia omne peccatum est fallacia, et mendacium, iuxta s. Ioan. Ego soleo hoc consilium dare, ut dicant: *Ex capite meo hoc erui*, (vulgo *me l'ho cavato dal capo*) aequivocando quia omnia verba e mente (pro qua accipitur caput) procedunt. Quod si unquam famae restitutio probabiliter maiori damno potius, quam utilitati infamia notato futura esse iudicaretur, quia praesumeretur ab hominum memoria effluxisse (ut iam praesumitur, cum famae obtrectatio multo abhinc tempore acciderit, et inde hoc omnino in oblivione iacuerit): tunc satius est occasiones captare infamatum laudandi in aliqua eius virtute; ut eum in bonam aliorum opinionem ponat, quam res praeteritas hac famae restitutione in memoriam revocare. Confessarius attamen curet ut huiusmodi

(1) lib. 3. n. 977. (2) n. 979. ad 16. v. Similiter, et l. 6. n. 654 in fine.

(3) l. 3. n. 980 (4) 2. 2. q. 73. a. 4. (5) l. 3. n. 981. (6) n. 980.

famae compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplebuntur; licet ceteroquin hae minus difficultatis habeant, quam pecuniae restitutio (1).

19. Denique notandum detractorem plurimis ex causis posse excusari a famae restitutione: 1. Si delictum iam ex alia via fuerit factum publicum, aut si infamatus aliis modis suae famae consuluerit; 2. si prudenter praesumitur diffamatus remisisse, dum quilibet est suae famae dominus, ut dicunt Laym. Nav. Trullench. Busemb. Holzman etc. cum communi (2); modo, intelligitur, possit remitti, dum remittere non potest quando eius infamia cederet in scandalum, aut in damnum commune, aut suorum; 3. si ob famae restitutionem subeundum esset periculum vitae, aut damnum multo gravius, quam est illud infamati; 4. si iudicatur quod detractioni praestata non sit fides, ut quando fit in iracundiae calore; 5. si prudenter iudicatur quod factum oblivione sit deletum, ut supra dictum est; 6. si infamatus etiam tibi detraxit, et adhuc non restituit, quia tunc iuxta sententiam communiorem et probabiliorem Soti Sylvii Vigandt Tournely Laym. Salmant. etc. *tu* potes suspendere tuam restitutionem, donec alter adimpleat suam (3).

20. Dubitatur 1. an cum famae restitutio non potest fieri, teneatur detractor pecuniis compensare? Alii ut Sylvius Sotus etc. cum s. Thoma (4) probabiliter affirmant, quia fama etiam est pretio aestimabilis. Sed sententia communior, et probabilior cum Lessio Lugo Sanch. Laym. Vasq. Bon. Salm. Croix etc. negat, quia iustitia obligat solum ad restituendum ablatum, aut aequivalens; sed fama, cum sit diversae speciei, quoniam ordine superior est bonis, nunquam quocumque pretio compensari potest. Unde restitutio facta per pecuniam nunquam erit congruens satisfactioni, cum infamatus semper eodem modo quam ante pretii solutionem creditor restaret (5). Observetur quod dictum fuit *Tract.* 10. *n.* 83.

21. Dubitatur 2. an cum detractor non potest, aut non vult famam restituere, possit infamatus pecunia se compensare a detractore? Alii dd. negant, quia nequit fieri compensatio cum sola probabili opinione. Alii tamen affirmant, ut Lessius Molina Arag. Ledes. etc. et Salm. admittunt hanc opinionem uti practice probabilem, dicentes regulam, non posse compensari cum probabili, procedere cum debitum est dubium non vero cum est certum, ut certum est creditum quod habet offensus de sua fama, et dubium tantum versatur de modo compensandi, et hunc modum probabiliter admittunt dd. (6). Hoc non obstante adhaereo primae sententiae, dum infamatus est creditor in materia famae, non autem bonorum; et si probabile est, imo probabilius (ut nuper vidimus) non teneri detractorem pecuniis compensare, cum non potest famam reparare, semper evenit, quod infamatus compensatur ob creditum tantum probabile, non certum (7).

22. Aliquid hic addendum circa libellos famosos. *Libellus famosus*, sive *infamatorius* est, cum publicatur in scriptis aliqua gravis et occulta infamia cuiusdam. Vocatur etiam libellus famosus scriptura tradita iudici absque nomine accusatoris. Adversus eos qui hos libellos conficiunt, adest excommunicatio ferendae sententiae ut habetur ex *c. Qui alterius* 5. *quaest.* 11.; sed latae, si libellus sit adversus Papam, aut Cardinales; imo est reservata, si est contra ordines Franciscanum et Dominicanum, aut alium communicantem; non vero si contra aliquem particularem Religiosum. Eamdem culpam et poenam incurrunt qui ad alicuius ianuam quoddam infamatorium signum appendunt (8).

(1) lib. 3. n. 992. (2) n. 1003. (3) 998. t 999 (4) 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2. (5) l. 3. n. 627. et 1000. (6) n. 1001. (7) Vide l. 1. n. 35. v. Hinc. (8) lib. 3. n. 995.

TRACTATUS XII.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

1. Praecepta ecclesiae sunt multa, sed principaliora et communiora populo christiano sunt quinque: 1. Sacro interesse diebus dominicis, et festis de praecepto (sed de hoc iam satis in tertio praecepto decalogi): 2. ieiunare in quadragesima, vigiliis, quatuor temporibus; 3. abstinere a carnibus feria sexta, et sabbato; 4. confiteri saltem semel in anno, et communicare in Paschate; 5. non celebrare nuptias temporibus vetitis, et de hoc agetur in *Tract. de matrimonio.* Itaque restat hic agendum de 2. 3. et 4. praeceptis. In 1. capite erit sermo de ieiunio, et hic etiam agetur de abstinentia a carnibus; in 2. capite de confessione et communione annuali.

CAPUT I. DE IEIUNIO ECCLESIASTICO

PUNCTUM I. *De ieiunii obligatione.*

2. *De abstinentia a carnibus.*
3. *et* 4. *De lacticiniis.*
5. *De larido.*
6. *De tribus Bullis Benedicti XIV.*
7. *An dispensati ad carnes possint vesci piscibus.*
8. *De carne suina.*
9. *De unica comestione.*
10. *De interruptione prandii.*
11. *De electuariis, etc.*
12. *De potionibus.*
13. *De vino et birra.*
14. *De sorbetto.*
15. *De chocolate.*
16. *ad* 19. *De collatiuncula serotina.*
20. *Si quis pluries vescitur carnibus, aut alio cibo, etc.*
21. *De hora refectionis.*

2. Tres sunt conditiones quas requirit ieiunium ecclesiasticum, abstinentia a carnibus, unica comestio, et hora refectionis. Praecipue ieiunium consistit in abstinentia a carnibus eorum animalium, quae in terra nascuntur, et respirant iuxta regulam s. Thomae (1): aut communiter inter carnes, et non inter pisces reputantur iuxta sententiam communem aliorum. In dubio autem an esus carnium alicuius animalis tempore ieiunii sit licitus vel illicitus, nec adsit legitima consuetudo, videndum erit, ait Benedict. XIV. (2), ex regula Angelici, *an huiusmodi animal sit simile, aut dissimile iis, quorum esus diebus ieiunii interdictus est, et an illius carnes humano corpori validius nutriendo, et corroborando idoneae dignoscantur; quod ubi ita esse appareat, profecto inter eas adnumerari debent, quae ieiunantibus apponi nequeunt, quemadmodum late probat Tamburinus tum l. 4. in Dec. c. 5. §. 1. n. 10. tum ad 4. praec. Eccl. c. 3. n. 2.* Et si ita nec quid certi definiri potest, subiungit idem Benedict. rem deferendam esse ad sedis apostolicae iudicium. Hinc dicunt Bonac. Regin. Conc. Tamb. Holz. Elbel, etc. non esse vetitas testudines, ranas, limaces (vulgo dictas *maruzze*), locustas (vulgo *grilli*), aut conchilia. Idem dicunt Holzman et Elbel de lutris (vulgo *lutrie*), de castoribus, et de anatibus cuiusdam generis. Contra aves, licet quaedam earum nutriantur in aquis, nihilominus omnes pro veris carnibus habentur, ut sunt fulicae, corvi marini, et similes (3). Ab isto praecepto sunt immunes amentes, et pueri ante usum rationis. An autem eximantur pueri qui ante septennium perfecto usu rationis dotati sunt, vide quod dictum fuit *Tract.* 2. *n.* 37.

3. In quadragesima autem adultis prohibentur sub gravi, non solum carnes, sed etiam ova et lacticinia, ut habetur ex prop. 32. ab Alexandro VII. proscripta, quae dicebat: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in quadragesima obliget.* Hic quaeritur 1. an in vigiliis, et quatuor temporibus

(1) 2. 2. q. 147 a. (2) De synodo l. 11. c. 5. n. 12 (3) L. 3. n. 1011. et 1012.

extra quadragesimam sint universe interdicta lacticinia? Nonnulli (sed pauci) affirmant ex can. *Denique* 6. *dist.* 4. ubi s. Gregorius scripsit: *Par autem est, ut ieiunemus a caseo et ovis.* Et huius sententiae videtur esse s. Thomas (1) dicens, Ecclesiam interdicere fidelibus tam carnes, quam ova. Sed nos dicimus cum sententia communi, in vigiliis non vetari lacticinia, nisi ubi inolevit consuetudo abstinendi; ita Navarr. s. Antonin. Laym. Sanch. Concina, et alii cum Salm. qui pro hac re adducunt etiam Concil. tolet. Nec obstat dictus can. *Denique*, quia ibi s. Gregorius quaesitus fuit de solo ieiunio quadragesimali, et congrue responsio arrisit petitioni; et s. Thomas de eadem quadragesima loquitur, nam de aliis ieiuniis disserens *cit. a.* 8. *ad* 3. dicit: *Et ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium; in ieiunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova et lacticinia.* Igitur extra quadragesimam de iure non interdicuntur ova. Nec obstat quod exprimitur in Bulla, *In suprema* N. SS. P. Benedict. XIV. *In quadragesima aliisque diebus carnium et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit*, etc. Nam ut scripsit probabiliter quidam auctor modernus (*P. de Petio Teatinus in addit. ad Fel. Pot.*), per praedicta verba non reprobatur sententia contraria, cum possint intelligi relative ad tempus solummodo quadragesimale, non vero aliis: sed nodus omnis solvitur ex aliis verbis Pontificis *de Synodo* (2) ubi Pontifex sic loquitur: *In caeteris vero ieiuniis extra quadragesimam sicut ab Episcopo prohiberi non debent ova, et lacticinia in iis locis, in quibus eorum usus legitima consuetudine iam pridem inolevit, ita, etc.* Si Episcopis insinuat quod prohibere non possunt, evidens est quod reipsa quidem non prohibuit, nec declaravit prohibita esse, saltem ubi consuetudo viget iis vescendi (3).

(1) 2. 2. q. 147. a. 8.
(2) l. 11. c. 5. n. 13. (3) l. 3. n. 1009.

4. Quaeritur 2. an ubi adest consuetudo abstinendi a lacticiniis, incolae teneantur sub gravi ab illis abstinere? Negant Sanch. Villal. Tamb., etc. quia de ea non constat (uti dicunt) an introducta sit cum animo se obligandi sub gravi, uti necesse erat. Sed affirmat communis sententia, quam nos sequimur cum Less. Laym. Conc. Salm. Bonac. Viva, et aliis cum s. Thoma (4); quia sicut diximus *Tract.* 2. *n.* 79. *in fin.* cum talis abstinentia sit gravis oneris, et cum videatur ita constanter observari, bene quidem praesumitur introducta esse et continuata animo se obligandi. aliter faciliter cessasset; et posito quod praesumptio stet pro obligatione, pro ea stat possessio, et non pro libertate (5). Et idem dicemus propter eamdem rationem de obligatione Monialium ad Horas canonicas. Vide in appendice 3. *de examine Ord. n.* 61.

5. Quaeritur 3. an iis quibus permittuntur lacticinia, permittatur laridum? Affirmant Silvest. Ostiens. Abb., etc. et p. Viva appellat probabile, citans Laym. et Azor. (sed ego inveni Laym. omnino id improbare, et Azorium non damnare tantum). Tamburinus cum Diana et Henriq. admittit solum cum liquefactum est; sed ego iudico sequendam esse primam sententiam communem San. Bonac. Conc. Ronc. Elbel. Milante, et aliorum qui omnino negant, quia pinguedo est vera caro (6).

6. Quaeritur 4. an dispensati ad carnes, aut ad lacticinia, possint diebus ieiunii vesci piscibus? Sed hic ante omnia notanda sunt ea quae sancita sunt, et declarata a SS. P. Benedicto XIV. circa ieiunium in tribus suis Bullis. Et 1. in Bulla *Non ambigimus* data die 30. Martii 1741. declaratum fuit neminem posse dispensari ad carnes *sine legitima causa et de utriusque medici consilio*, nempe medici et parochi, aut confessarii; et

(4) cit. qu. 147. a. 8. ad 3.
(5) l. 3. n. 1009. dub. 3. (6) n. 1010.

super declaratum fuit ad dispensandum cum integro populo, aut communitate, requiri gravissimam et urgentem necessitatem, ac dispensationem impetrandam esse a Sede apostolica toties quoties opus fuerit; et tunc sic dispensatos teneri ad unicam comestionem, ac non esse miscendas licitas atque interdictas epulas, nempe carnes et pisces, ut declaravit in rescripto ad Episcopum Compostellae, quod affertur in Bulla *Libentissime*. 2. In Bulla *In suprema* eiusdem anni, die vero 22. Augusti declaratum fuit iisdem duobus praeceptis teneri quemlibet privatum cum quo dispensatum esset, et non tantum in quadragesima, sed etiam in omnibus aliis ieiunii diebus. 3. In Bulla *Libentissime* sub die 10. Iunii 1745. declaratum fuit dispensatos ad carnes in collatiuncula serotina *eo cibo eaque portione debere uti, quibus utuntur ieiunantes meticulosae conscientiae*. 4. Debere ipsosmet observare normam praescriptam ieiunantibus. 5. Cibos vetitos dispensatis ad carnes esse pisces (etiam in Dominicis quadragesimae); ita ut in eadem mensa non possint simul apponi carnes et pisces. Epulas interdictas (sunt verba Bullae) *esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse :* subiungendo ibi quod permittuntur pisces dispensatis ad lacticinia.

7. His positis, dubitabatur a quodam an in mensa privata liceret dispensatis ad carnes vesci aliquo pisce? Super hoc scripsit praenominatus de Petio, inhibitionem esse factam tantum pro conviviis ob scandalum, non autem pro illis in mensa privata qui moderate vellent aliquo pisciculo vesci, ablato scandalo, et non ex gula. Sed esto istae limitationes ponantur, attamen omnino improbabilis est talis opinio (ne dicam inventum), dum 1. Bulla loquitur generaliter. 2. Pontifex in tantum exprimit convivia in citata Bulla, non quia praeceptum cadere velit tantum super illa, sed ut ostendat quo fuisset praetergressa gulae indulgendi licentia, ut etiam ad convivia epulae interdictae inferantur, quod utique temeritatem maiorem sapit. 3. Relictis subtilitatibus ratiocinationibusque inanibus ex eo quod in posterioribus Bullis statuitur, luce meridiana clarius videbitur longe aberrasse de Petio. In Bulla enim *In suprema* sic statuitur: *Nos quibuscumque.... dispensari contigerit, ab omnibus omnino, et nemine excepto* (nota) *unicam comestionem, et licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas declaramus , atque decernimus*. Ergo sicuti nemini, sive in privato, sive in convivio licet plures comestiones adhibere, ita nec epulas interdictas (quales sunt pisces), cum ad utrumque obliget omnes, nemine excepto; alias deberent excipi qui privatim et non in convivio pisces comesturi essent. 4. Interrogatus Pontifex quaenam epulae sint interdictae coniungi cum licitis, respondit epulas licitas pro iis quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse: ergo pisces interdicti sunt iis quibus conceduntur carnes absolute, quales sunt ii qui etiam privatim comedunt. 5. Pontifex ibidem declarat pisces non interdici iis, qui sunt dispensati ad lacticinia, ergo sunt interdicti dispensatis ad carnes. Quid clarius desideratur?

8. Quaeritur 5. an dispensatis ad carnes tempore ieiuniorum, sit vetita caro suina? Affirmat absolute p. Conc. ex quodam Decreto quod adducit Clementis XI. Romae edito die 24. Februarii an 1702. Sed communiter negant Lugo Sanch. Croix Tamb. Salm. cum Trull. Villalob., etc., quia esset nimis scrupulosum (uti dicunt) imo magis molestum, quam ieiunium ipsum, si quilibet dispensatus examinare deberet, quae carnes sibi essent nocivae, quae vero non. Nec obstat Edictum (non iam Decretum) praefatum Clementis, ubi duo praecepta

fuerunt, unum ut dispensati tenerentur ad unicam comestionem, aliud ne iisdem permitterentur carnes insalubres: non obstat, dico, quia illud Edictum non fuit generale, sed particulare pro statu romano, ut attestatur Viva et alii, et ut declaravit idem Benedictus XIV. cum erat Archiepiscopus Bononiensis in *notific. tom.* 1. *n.* 24. Et postea in Bulla *Non ambigimus*, cum meminisset laudatum Edictum, licet universale fecisset praeceptum unicae comestionis, sub silentio tamen praeterivit praeceptum de abstinendo a carnibus non salubribus: unde argumentatur non voluisse Pontificem hoc praeceptum fieri universale. Sed ut loquar in particulari de carne suina, non mihi videtur quod possit dici absolute nociva, dum ista, ut scribit celebris medicus Hoffmanno, maximam habet cum sanguine humano convenientiam. Sed dicet aliquis, cur talis caro interdicta fuit Hebraeis, nonne quia nociva? Sed respondetur quod in Palaestina (regione valde calida) ibi ideo potuit ut nociva prohiberi, quia ibi sues (iuxta Calm. in Levit. 11. 8.) sunt faciliores lepra inficiari; quod in aliis partibus non ita accidit: sicut etiam vetita fuit caro leporis, sed in istis regionibus lepores certe non reputantur nocivi. Praeterea s. Thomas (1) dicit carnes vetitas fuisse Iudaeis, aliae ob nimiam humiditatem aut siccitatem; aliae ob immunditiam, ut carnes suillae; et revera ratio talis prohibitionis allata a Moyse est, quia illae erant carnes immundae Hebraeis: *Horum carnibus non vescimini, quia immunda sunt vobis, Levit.* 11. 8. Dicuntur immundae, quia, ut scribit Plutarchus, *nullum animal ita gaudet coeno ac sordidis locis.* Insuper ait Natalis de Alexandro, et idem prius scripserat Tertullianus (*Lib.* 2. *contra Marcionem c.* 18.), carnem suillam fuisse prohibitam Iudaeis ad frenandam gulam et incontinentiam.

9. Secunda conditio ieiunii est unica comestio. Dubitabatur prius an dispensati ad carnes ad illam tenerentur, eo quia cessante abstinentia a carnibus, cessabat quoque essentia ieiunii? Sed hodie (ut diximus) declaratum habemus a Benedicto XIV. ieiunium duo continere praecepta, unde licet cesset primum de abstinentia a carnibus, non cessat secundum (licet minus principale) de unica comestione; excipitur tamen casus quo dispensatio ad carnes concedatur ob infirmitatem aut debilitatem virium, ut dicunt dd. communiter, et ut ab eodem Pontifice declaratum est in Bulla *In suprema*, ubi dicitur: *Dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, vel aliter necessario fieri exigat* (2).

Tertia conditio est hora refectionis, quae est circa meridiem. Fit quaestio an peccet notabiliter antevertens horam sine causa? Illud notabiliter alii intelligunt plus quam horam, sed alii probabilius tantum horam. Ceterum anticipare infra horam omnibus licet. An autem anticipatio notabilis sit mortalis, affirmant Azor. Sanch. Ronc., etc.; sed communius negant Less. Tolet. Pal. Laym. Roncag. Holzm. et Salm. cum aliis pluribus. Quia hora non est de essentia ieiunii, sed tantum circumstantia accidentalis, quae licet olim graviter obligabat, hodie tamen, ut aiunt Holzman et Roncaglia, postquam ex consuetudine mutata est hora prandii, designatio temporis non videtur inducta tanquam de substantia ieiunii (3).

10. Permittitur nihilominus 1. interrumpi prandium ob aliquod negotium quod intercedit. Sine causa ceteroquin non licet prandium interrumpere, et denuo ad mensam redire; sed hoc intelligitur moraliter; nam etiam sine causa, et quamvis aliquis terminasset prandium, potest iterum comedere, si commensales prosequun-

(1) 1. 2 q. 102. a. 6. ad 1. (2) l. 3. n. 1015. v. hic autem (3) n. 1016

tur prandere, aut si in mensa afferuntur aliae epulae, quae non expectabantur; ita Sanch. Salm. et Villalob. Imo Filliuc. Tamb. et Elbel concedunt generaliter posse sumi alium cibum post sesquiquadrantem. Certum est autem per horam, sine causa, prandium interrumpi: sed si aliquo negotio quis intercipitur, utique potest ad horam interrumpere; imo Lezana Diana Fag. Tamb., etc. concedunt usque ad duas: sed id iure merito ait Holzm. licere, cum quis cibo sufficienti non fuerit refectus et ieiunium sub gravi incommodo tolerare non potest, tunc potest prandium reassumere, quia ecclesia non intendit aliquem obligare diem ducere sine sufficiente refectione (1). Probabiliter tamen dicunt Croix Fagund. et Tamb. licere prandium protrahere usque ad duas horas; et Elbel. cum Gobat admittunt usque ad tres aut quatuor horas, saltem pro Germanicis, inspecta eorum consuetudine (2).

11. Permittitur 2. aliquod sumere ratione medicinae, ut sunt electuaria (quae sunt quaedam conservae ex saccharo et iuniperis, aut cedro, etc. confectae) de quibus loquitur s. Thomas (3), et sic dicit: *Electuaria assumuntur ad digestionem, unde non solvunt ieiunium, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Itaque licet assumere haec electuaria ob quamlibet causam iustam, nempe ad vehiculum cibi, ad stomachi roborationem, ad vocem conservandam, ad auferendum oris foetorem et huiusmodi. Ita etiam permittitur sumere parum cibi (v. g. unciam) ad depellendam debilitatem, ut communiter Azor. Less. Tol. Laym., etc. Nonnulli hoc permittunt toties, quoties bibendum erit, ne potus noceat; sed hoc, ut recte dicunt alii, vix potest permitti semel atque iterum in die (4).

12. Permittuntur 3. omnes potiones, quae per modum potus accipiuntur, ut sunt *Caffé, et Thé, Salviae*, etc. non autem lactis, aut iuris, quia licet hae potiones sorbeantur, tamen non habent rationem potus, sed cibi, et potius ad nutritionem, quam ad cibi vehiculum referuntur. Et idem dicitur de succo fructuum, aut pomorum, vulgo *melloni d'acqua* (contra id quod quidam modernus anonimus improbabiliter scripsit), et etiam uvarum dentibus confectarum, aut tunc pressarum (5).

13. Dixi *uvarum tunc pressarum*, non *vini*, quia licet antiqui fideles etiam a vino abstinerent, hodie vinum non est prohibitum, licet biberetur ad sedandam famem, ut communiter tenent Azor. Sanch. Less. Navar. Layman. Bonac., etc. cum Salmant. qui ob praesentem consuetudinem hanc sententiam vocant certam. Et etiam s. Gregorius tunc temporis in cit. *c. Denique, dist.* 4. permittebat vinum sine ulla exceptione: *Vinum quoque ita bibere permittitur, ut ebrietatem omnino fugiamus.* Et idem dicitur de *cerevisia* seu *birra* (quae conficitur ex aqua hordeacea, et aliis ingredientibus), quae etiam pro vero potu accipitur (6).

14. Idem dicimus de aqua mixta saccharo, et succo cinnamomi vel mali cedrini, vulgo dicta *sorbetto*, vel *limonata*, ut docet communis sententia cum Wigandt Concina Elbel Salm. Viva Croix, etc. dum (ut dicunt) semper ac parva quantitas harum rerum misceatur cum magna quantitate aquae, reputatur potio naturalis. Nec debet existimari quod per congelationem mutet naturam, quia naturae mutatio importat privationem essentiae: sed aqua congelata in os immissa statim liquefit, et ad priorem statum redit. Et quod congelatio non mutet naturam, etiam habemus ex Rubrica Missae (*c.* 10. *n.* 11.) approbata a S. Pio V. ubi dicitur quod,

(1) lib. 3. n. 1020 q. 3. et 4. (2) ibid quaer. 5. (3) 2. 2. q. 147. a. 6. ad 3.

(4) l. 3. n. 1018. et 1019. (5) n. 1021 (6) n. 1022.

cum in celebrando Missam congelantur post consecrationem species vini, non debent iterum consecrari (quod utique deberet fieri omnino, si congelatio mutaret naturam specierum), sed debent liquefieri igne, et postea sumi (1).

15. Quaestio magna est inter dd. an potio *chocolatis* frangat ieiunium. Multi negant, Card. Brancatius Escob. Hurtad. Holzm. Viva, etc. modo aquae portio sit in quantitate excedente; dicentes ex hoc sumi rationem potionis, ideoque dicunt posse sumi toties quoties libuerit in die. Alii vero affirmant, ut Sanch. Sylvius Laym. Ronc. et Tambur. dicentes eam potionem tantum habere rationem potus, quae ad alimenti vehiculum inservit, non autem illam quae ipsa est alimentum, ut est lac, et ius, et ita est etiam de chocolate, unde concludunt per illud frangi ieiunium, nisi sumatur in parva materia. Quid ego vero sentio dicam: mihi utique *chocolate* pro potu non probatur, dum vere illud nutrit, et non videtur simplex potus. Sed nihilominus dico licere illud sumere ob duas rationes; prima est, quia si chocolate non habet rationem potus communiter tamen a multis iudicatur habere rationem medicinae, et sicut diximus cum s. Thoma posse sumi electuaria, licet nutriant, ita etiam chocolate, et in hoc convenit etiam p. Concina. Secunda ratio magis universalis, quia hodie talis potio est in usu apud omnes, ut testantur Salmant. Viv. Holzm. Tamb. et Ronc. qui, stante hac consuetudine, pro comperto habent posse licite sumi. Sed tam ratione medicinae, quam consuetudinis, puto cum Salm. et Milante, non posse permitti amplius quam semel in die. Sed tota nunc opinionum varietas est circa quantitatem in qua possit sumi, quin ieiunium laedatur. P. Concina dicit posse admitti sub medicinae ratione; sed dumtaxat in aquam ponendo *parum pulveris*, quod utique est nimis rigidum, et a nemine usque adhuc assertum. Alii ut Salm. cum Leone, et Turriano permittunt usque ad duas uncias. Sed ut meam in medium proferam sententiam, cum Episcopo Milante rationabilius mihi videtur posse admitti iuxta usum communem sesquiunciam, cum ea aquae quantitate, quam capere potest vas usuale, quia haec est quantitas illa, quae communiter est in usu.

16. Permittitur vespere refectiuncula iuxta consuetudinem, quae hodie viget in locis a Praelatis tolerata: nam s. Thomas (2) de ieiunio disserens, dicit: *Ex hoc ipso quod Praelati dissimulant, videntur annuere.* Et in hoc certe standum magis auctoritati aa. modernorum, licet inferiores numero, quam antiquis, qui nihil poterant attestari de consuetudinibus modernis. Nulli dubium est quod antiquitus ieiunium rigorosius observabatur, sed iuxta modernam disciplinam ab omnibus admittitur serotina refectiuncula. In hoc debet attendi quid consuetudo permittat tam circa *quantitatem*, quam circa *qualitatem* ciborum. Circa *quantitatem* (quicquid dicat p. Concina, qui nihil aliud permittit, nisi tres uncias), alii permittunt quartam partem coenae consuetae: sed haec regula mihi non probatur, quia aut potest esse nimis indulgens (saltem respectu aliquorum), aut saltem est nimis obscura et scrupulosa. Melius igitur est sententiam sequi aliorum, communiter hodie acceptam, uti testantur Castropal. Ronc. Salmant. Viva Bonac. Holzm. Elbel Tamb. Dian. Spor. Milante Croix Felix Pot. Mazzot., etc. quae omnibus indiscriminatim (etiam illis qui parvo cibo indigent, ut etiam communiter dicunt) permittit quantitatem octo unciarum, et aliquid aliud (nempe duas alias uncias, quod est parva materia, uti dicetur *num.* 20.) ei qui maiori nutrimento opus haberet (3). In vigilia Nativita-

(1) l. 3. n. 1022. quaer. 2. (2) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. (3) l. 3. n. 1025.

tis communiter admittitur collatiuncula duplo maior, nempe 16. unciarum, ratione talis solemnitatis, etiamsi talis vigilia incidat in sabbato 4. temporum; non autem in sabbato sancto, nec in vigilia Pentecostes. Nonnulli, uti Salmant., permittunt in vigilia Nativitatis usque ad satietatem refici, dicendo talem esse consuetudinem: sed ego de illa valde dubito in nostris regionibus; tanto magis quod p. Mazzotta Pasqual. et Renzi omnino eam negant. Si quis autem vellet in eadem vigilia anticipare collatiunculam in mane, ut coenet vesperi, rationabiliter advertit Sanch. (contra id quod sentiunt alii) non posse excedere octo uncias, quia tunc non adhuc incoepit festivitas, quae incipit a vesperis (1).

17. Circa autem qualitatem ciborum, certum est permitti fructus, panem, herbas et dulciaria: sed quaeritur 1. an permittantur pisces? Multi aa, ut Sporer Marchant. Pasqu. Elbel Tambur. Vivald. et Burghaber, dicunt iuxta hodiernam consuetudinem licere vespere cibum sumere de piscibus etiam recentibus et magnis, ut licet mane. Caeterum in hisce partibus recepta est consuetudo comedendi pisciculos recentes, et ut dicunt Viva et Mazzotta, cum Bonac. etiam licere sumere in modica quantitate (v. gr. duas aut tres uncias) aliquid piscis grandioris. Idem confirmat Milante (2), qui testatur nunc temporis etiam communitatibus religiosis ministrari vespere pisciculos recentes in quadragesima, et quoad maiores sic scribit: *Attenta praesenti disciplina, sine ullo scrupulo posse etiam magnos pisces permitti existimo, cum debito moderamine* (3).

18. Quaeritur 2. an liceat sumere 8. uncias panis in aqua cum oleo decocti? Nonnulli admittunt, sed haec opinio iure merito a Salmantic. Viva Ronc. Tambur. et ab aliis communiter refellitur, quia panis, per coctionem et fermentationem in aqua, certam diversam naturam acquirit; nam ita consubstantiatur cum aqua ut numquam postea possit segregari; saltem hoc consuetudo non admittit. Vix ergo potest permitti cum Tamb. panem in vinum, aut aquam infundere, et illico illum sumere; quia tunc non intercedit fermentatio; aut cum Roncag. permitti possunt 4. aut cum Salmanticensibus ad summum 5. unciae panis aridi decocti in aqua. Et idem dicendum de leguminibus aqua elixatis. Probabiliter postea Castr. Laym. Bonac. Azor. Viva Mazzot. et Salmant. permittunt vesci iusculo cocto cum oleo, aut aceto, aut vino decocto; advertendo tamen cum Viva quod oleum, acetum, et vinum decoctum computanda sunt in pondus 8. unciarum, dum haec non habent rationem potus (4).

19. Quoad dispensatos cum quaesitus fuisset noster Pontifex Benedictus XIV. an ipsi in refectiuncula possent uti carne, respondit (ut legitur in Bulla *Libentissime*) ita: *Non licere, sed opus habere eo cibo eaque uti portione, quibus utuntur homines ieiunantes rectae et meticulosae conscientiae.* Post hanc responsionem multi dd. dicebant dispensatos ad carnes, aut ad lacticinia posse in refectiuncula casei parum (parum *casei* dictum est, non ovum) sumere, modo uncia, aut sesquiuncia non excederetur, et hoc videbatur probabile iuxta usum qui apud multos observabatur; sed postea cum a quodam confessario ad sacram Poenitentiariam datae fuissent litterae de hoc, et cum ipse Pontifex de sua sententia quaesitus esset, respondit Poenitentiaria Papam oretenus declarasse vetitum esse etiam caseum; quam quidem declarationem hic affero: *Sacra Poenitentiaria... optime conscia mentis Sanctitatis suae, de auctoritate speciali eiusdem respondit, quod in serotina refectiuncula non licet carnem, vel lacticinia adhibere. Romae in S. Poe-*

(1) Lib. 3. n. 1025. v. In vigilia.
(2) In prop. Alex. VII. Exercit. 23.
(3) L. 3 n. 1026 et 1028. (4) l. 3 n. 1029.

nit. die 10. *Februarii* 1756. Et cum adhuc dubitatum fuisset a quibusdam de fide praestanda huic responso, ab eodem confessario scriptum fuit ad ipsum Pontificem, et hoc responsum venit: *Sacra Poenitentiaria de mandato sanctissimi Domini, qui suis oculis retroscriptam epistolam dignatus est legere, respondet quod Sanctitas sua dixerit... vera esse, et pro veris habenda quae constat ab eadem Poenitentiaria fuisse rescripta. Romae die* 23 *Iulii* 1756., et haec responsa originaria apud me conservantur. Nonnulli postea dixerunt praefatam declarationem opus habere promulgatione, ut obligare possit; sed iuxta illud quod diximus *Tract.* 2. *n.* 73. *et* 74., cum declaratio ab ipso legislatore, qui declarat mentem suam facta est, non indiget promulgatione (1). Et Salm. in *append. Tract.* 6. *pag.* 98. *num.* 27. afferentes praefatam Bullam, varias illationes deducunt, et inter eas est ista: *Infertur* 2. (sunt verba Salm.) *nec ova nec lacticinia esse materiam collationis serotinae pro his qui dispensati sunt*, et hanc dant rationem; *ex eo quod horum ciborum ab iis qui rigorose ieiunant in tali collatione esus non adhibetur*. Nunc ad huiusmodi confirmationem notum sit nuperrime nostrum regnantem Pontificem Clementem XIII. edidisse Bullam incipientem, *Appetente, etc.* sub die 20. Decemb. 1759. qua Pontifex, cum abusum aliquorum noverit sumendi extra prandium quasdam potiones lacte mixtas; illum condemnavit, declaravitque praedecessorem Pontificem Benedictum XIV. censuisse non licere dispensatis uti nec carnibus, nec lacticiniis, nisi in unica comestione extra quam ipsos non aliter gerendos esse dixit, quam alii qui nulla dispensatione fruuntur. Haec verba Bullae: *Nova infringendis ieiunii legibus vel opinionum commenta, vel a vera ieiunii vi et natura abhorrentes consuetudines humani pravitate ingenii novissime sint invectae, ea omnia, quantum iuvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abusum illum censemus omnino numerandum, quem rumor quidam ad nos pertulit; eum nonnulli, quibus ob iustas et legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere, contra quod praedicto Praedecessori nostro visum fuerit, qui censuit, tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo ieiunantes, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem, adhibere*. Et quae sint ea, quae a carne trahunt originem, habetur a *can. Denique, dist.* 4. ubi dicitur: *Quae trahunt originem sementinam a carnibus, ut sunt ova et lacticinia*. Itaque concludendum, dispensatis in collatiuncula nullum alium permitti cibum, nisi illum qui non dispensatis conceditur.

20. Si quis autem frangit ieiunium, manifestare debet confessario quomodo violavit illud, an pluries comedendo, an carne vescendo; nam quoties quis vescitur carne aut lacticiniis, toties peccat; sed si comedisset cibos communes, sed pluries in quantitate notabili, non amplius teneretur ad ieiunium; ita tenent communiter, Azor. Caiet. Suar. Tol. Castrop. Sanch. Laym. Anacl. Roncag. Holzm. Salm., etc. contra paucos: quia essentia praecepti de abstinentia a carnibus consistit in abstinentia, quare semper durat obligatio ab illis abstinendi: sed essentia praecepti non comedendi pluries consistit in unica comestione, ut docet s. Thomas (2): *Ecclesiae moderatione statutum est, ut semel in die a ieiunantibus comedatur*. Quare destructa essentia praecepti secunda comestione, iam praeceptum solutum est, nec pot-

(1) lib. 3. n. 1027. v. Hic. notand.

(2) 2. 2. q. 147. a. 6.

est amplius observari (1). Quaestio autem fit, an qui inculpabiliter bis comedit in quantitate notabili, debeat in reliquo diei abstinere ab alio cibo? Laym. Bonac. Castrop. Holzm. Sporer, etc. negant eadem ratione: sed probabilius mihi videtur oppositum Azorii Valent. Sa, et Nav. quia licet qui violat ieiunium inadvertenter, iam materialiter illud frangit; nihilominus videtur, advertendo postea ad obligationem, teneri ad illud observandum, ne solvat illud formaliter (2).

Dictum est *in quantitate notabili*, nempe ultra duas uncias, quae putatur materia parva, ut dicunt Sanch. Viva Salmant. Vivald. Turrian. Leone Tambur. Leand. Sporer Busemb. Elbel et alii. Sed si quis pluries in die sumeret aliquid parvum, quod deveniat ad grave, peccaret graviter, ut habetur ex prop. 29. ex damnatis ab Alexand. VII. Nota etiam quod in carne possit etiam dari parvitas materiae, sed haec est multo magis limitata: dicunt Salm. Diana et Roncagl. quod quantitas excedens octavam partem unciae est materia gravis (3). Permittunt Salm. cum Diana posse sumi duo crustula ex ovis, et butyro confecta (vulgo *ciambelle*); sed melius dicunt Ledesma et Villal. quod solum potest excusari ratione parvitatis materiae (4).

21. Tertia conditio demum ieiunii est hora refectionis. Haec hora olim erat hora post occasum solis. Deinde anteacta fuit ad horam Nonae. Sed a saeculo XIV. fuit anticipata ad horam Sextae, nempe ad meridiem. Hinc dubitatum fuit an notabilis huius horae anticipatio in refectione sit gravis culpa? Affirmat prima sententia cum Azorio, Sylvio, Sanch. Natal. Alex. Antoine Franzoia Cuniliati, ac Navar. Abul. Covar. et aliis apud Salm. et Conciniam, qui pro hac sententia refert adesse 24. auctores (5). Id probatur ex *can. Solent* 50. *dist. I.* Concilii Cabillonensis, ubi dicitur: *Nullatenus ieiunare credendi sunt qui ante manducaverint quam vespertinum celebretur officium.* Hinc clare educitur quod eo tempore (in quo refectio erat praescripta ad horam Nonae) hora iam spectabat ad substantiam ieiunii. Proinde s. Thomas scripsit: *Cum Ecclesia instituit certum tempus comedendi ieiunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, ieiunium solvit* (6). Alii vero negant hodie culpam esse gravem anticipationem refectionis, ut Lessius Tolet. Bonac. Laym. et Salmant. cum plurimis, qui observari possunt apud nostrum opus morale (7). Dicunt isti, iuxta praesentem consuetudinem, horam non pertinere ad substantiam ieiunii. Sed haec ratio (pace tot auctorum) minime suadet, nam ipsimet, ut sunt Laym. et Salmant. (8), non negant olim praeceptum observandi horam fuisse grave, et quidem ad substantiam ieiunii pertinuisse. Hoc posito, donec non probetur hodierna consuetudo antiquo gravi praecepto derogasse, illud sine dubio possidet; sed haec consuetudo non probatur, vel saltem non est certa, stantibus tot auctoribus qui illam negant. Quapropter, licet quondam secundae sententiae adhaesi, re tamen melius animadversa, nunc illam minime probabilem censeo. Deinde dubitatur quaenam sit notabilis haec anticipatio vetita sub gravi? hora enim ieiunii moraliter mensuranda est, ut docet s. Thomas: *Ad ieiunium requiritur*

(1) lib. 3. n. 1030. (2) ib. quaer. 2. (3) num. 1029. v. In confess. (4) ibid. (5) Azor. t. 1. l. 7. c. 11. qu. 4. Sylvius tom. 3. in 2. 2. q. 147. art. 7. ad concl. 3. Sanch. l. 5. cons. de obs. ieiun. c. 1. dub. 28. Nat. Alex. l. 4. c. 5. art. 7. reg. 13. Antoine, tr. de virtute moral. part. 1. post. cap. 3. append. de ieiun. eccl. q. 2. Franzoia in Bus. pag. 213. Anim. 5 Cunil. tract. 12. cap. 1. §. 2. n. 2. Alii apud Salm. tr. 23. cap. 2. n. 86. Conc. tom. 5. pag. 275. qu. 7. (6) S. Thom. in 4. dist. 15. qu. 3. a. 4. ad 3. (7) Opus nostrum lib. 3. num. 1016. v. quaer. (8) Salm. tr. 23. c. 2. n. 9. Laym. de observ. ieiun. l. 4. tract. 8. c. 1. n. 11.

hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam aestimationem, sufficit enim quod sit circa horam nonam (1). Hinc alii dicunt anticipationem notabilem esse plus quam hora; idque asserunt Salmant. ab omnibus admitti: sed Natalis Alexand. reprobat. Alii vero communiter assignant, tanquam gravem anticipationem unius integrae horae; ita Natalis Alexand. Sylvius, Azor. Holzman Concina Antoine Cuniliati et Franzoia locis citatis. Aliqui autem auctores asserunt mendicantes habere privilegium a Leone X. anticipandi refectionem per duas horas in hyeme, et per tres in aestate. Sed Franzoia et Natalis Alexand. dicunt de hoc privilegio documenta non ostendi, imo inquisitione adhibita non reperiri. Dicunt vero Azor. Silvest. Palud. et Nav., posse excusare a culpa hanc anticipationem quamcumque rationabilem causam, nimirum negotii urgentis, debilis complexionis, necessitatis praedicandi, docendi, vel legendi in mensa, incipiendi iter, inserviendi hospitibus, exercendi urbanitatem cum amicis; attamen mihi suasum non est quamcumque harum causarum satis esse ad excusandum a praecepto, quod etiam hodie est grave, sicut ostendimus.

Punctum II.
De causis excusantibus a ieiunio.

22. *I. De dispensatione, et quis dispensare potest.*
23. *II. De impotentia physica.*
24. *De impotentia morali.*
25. *De adolescentibus, et senibus.*
26. *et* 27. *III. De labore.*
28 *ad* 30. *De viatoribus.*
31. *De artificibus opulentis.*
32. *Si artifex potest sine gravi incommodo ieiunare.*
33. *Qui sine causa suscipit aliquem laborem.*
34. *IV. De pietate, et quis hac causa sit excusatus.*

22. Quatuor sunt causae quae excusant a ieiunio: dispensatio, impotentia, labor et pietas: de singulis seorsim loquamur. I. Excusat *dispensatio*. Potest dispensare in ieiunio 1. Papa quoad universum populum fidelem. 2. Episcopi, sed isti cum solis suis subditis, et tantum in particulari; nam ad dispensandum cum integra communitate circa qualitatem ciborum Sedi apostolicae reservatum est, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Non ambigimus*. Dubitatur an Episcopus ob causam particularem possit dispensare, aut commutare ieiunium universale una vice, aliqua urgente causa occurrente, v. g. si adesset periculum quod alias ieiunium non observaretur. Multi dd. id affirmant, ut Azor. Sanch. Caiet. Laym. Salmant. etc.; sed Benedictus XIV. in Bulla *Prodiit iamdudum* § 10 dixit contrariam opinionem esse communiorem, et magis in ratione fundatam, et ita ipsum respondisse aliquibus Episcopis Italiae: nihilominus dixit, *quod cum pontificia auctoritas eo pertingat, quo ordinaria nequit pervenire*, ideoque Episcopis licentiam pro illo anno impertitus est, ut transferre possent vigiliam s. Mathiae quae in ultimo bacchanaliorum die contigerat (2). 3. Parochi etiam possunt dispensare in ieiunio cum aliquo suo subdito, ut dictum est *Tr.* 2. *n.* 59. Et hoc etiam praesente Episcopo, ut communiter dicunt Sanchez Azor. Conc. Salm. etc. quia talis iurisdictio competit parochis ob consuetudinem, quae utique iurisdictionem confert, ex *cap. Contingat de foro comp.* Et idem possunt vicarii parochorum qui exercent actus parochiales, modo parochus non repugnet; Sanch. Pal. Salm. etc. (3). 4. Praelati regulares, etsi locales, et eorum vicarii idem possunt cum subditis, et cum seipsis. Sed omnes isti Superiores nominati, excepto Papa, nequeunt dispensare nisi ex iusta causa, secus dispensatio est irrita (4).

(1) S. Th. 2. 2. q. 147. a. 7. ad 2.
(2) lib. 3. n. 1032. ad 2. v. Episcopi.
(3) ibid. ad 3. v. Parochi.
(4) ib. ad 4. v. Possunt.

Quod autem ad subditum spectat, ait s. Thomas (1), quod si causa quae a ieiunio eximit, fuerit evidens, potest subditus a se eximi, praesertim cum sibi non esset facile Superiorem adire (hoc intelligitur ob suae conscientiae maiorem quietem): sed si causa est dubia, debet tunc sine dubio ad Praelatum confugere. Hic notandum quod si festum patroni in aliquem diem ieiunii inciderit, debet ieiunium ad praecedentem diem transferri: sic docet Bened. XIV. in Bulla *Prodiit*, die 30. Ian. 1751. cum Caiet. Sanch. Consil. *lib.* 5. *c.* 1 *d.* 5. *n.* 27. et aliis communiter.

23. II. Excusat *impotentia*, aut physica, aut moralis. Ob impotentiam *physicam*, excusantur 1. infirmi, quibus ieiunium potest esse notabili nocumento; et ita pariter convalescentes, aut debiles qui nequeunt alimento sufficienti in unica comestione se reficere. 2. Mulieres praegnantes, aut lactantes, quibus imo non est permissum ieiunare (nisi semel aut bis, si mulier est robusta); sed amplius in die ieiunii permissum est eis vesci etiam carnibus, si qua est debilis, aut puer fuerit infirmus (2). 3. Pauperes excusantur, qui destituti sunt cibo unicae comestioni sufficienti; ut dicunt omnes cum s. Thoma (3), qui excusat eos, *qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.* Unde valde probabiliter dicunt Sanch. cum Angel. et Ronc. ac Salmant., quod ii qui nihil aliud, quam panem et herbas aut legumina habent, non tenentur ad unicam refectionem; cum huiusmodi cibi tenuis sint alimenti, et in tantum eis sufficiunt qui ad haec obsonia sunt assueti, quia pluries in die ad repletionem se reficere solent (4).

24. Ob impotentiam *moralem* excusantur, 1. omnes qui ieiunare nequeunt sine gravi incommodo, aut difficultate extrinseca. Hinc 2. excusantur illi quibus ieiunium gravem capitis dolorem affert; Castrop. Less. Sanch. Laym. Salmant. etc. Dicunt nonnulli huiusmodi teneri mane collatiunculam sumere, et sero coenare ad refectionem; sed probabiliter eos excusant ab hoc onere Filliuc. Elbel Viva Tamb. Fagund. et alii multi; quia refectionem usque ad vesperam differre nunc temporis est medium extraordinarium et difficile, cum in eo non leve perferatur incommodum: proptereaque antiqua disciplina immutata est. 3. Milites sive in castris sive in stationibus morentur, Roncaglia Concina Pasq. Salmant. et alii communiter. 4. Uxores, si ieiunando gravem paterentur virorum indignationem: et viri si aliter fiant impotentes ad reddendum coniugale debitum; Sanch. Caiet. Nav. Laym. Salm. Concina etc. Dictum est *impotentes ad reddendum*, non vero excusantur si tantum fiant minus potentes ad reddendum, vel impotentes ad petendum; nisi casus esset quod vir, abstinendo a petitione, nequiret amovere ab uxore periculum incontinentiae, aut suspicionem quod ipse aliam diligat mulierem (5).

25. Excusantur 5. adolescentes qui non adhuc expleverint 21. annum. 6. Senes sexagenarii. Sed hic dubitatur an huiusmodi senes exempti sint etiamsi sint viribus validi? Negant Bonac. Laym. Filliuc. etc.; sed multi probabiliter affirmant, ut Sanch. Castrop. Azor. Ronc. Holzm. Salm. Mazzotta, Elbel Viva et alii; tum quia haec est consuetudo universalis: tum quia esset nimis scrupulosum ei cui discutiendum esset, an ipse sit, vel ne satis robustus ad ieiunium sustinendum: tum etiam quia (et haec est potior ratio) huiusmodi senes ob defectum caloris naturalis nequeunt semel alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori; et licet nonnulli in tali aetate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum, et inconstans, cum negari

(1) 2. 2. q. 147. a. 4. (2) l. 3. n. 1033.
(3) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4.
(4) l. 3. n. 1033. v. Excusantur pauperes.
(5) n. 1034. ad 4. v Excusantur ux.

non possit horum vires in diem deficere, et in interitum prolabi, adeo ut, si in morbum incidunt, difficulter convalescunt perfecte. De qua re scripsit Galenus senibus simili ratione ac iis, qui ex morbo convalescunt victum esse curandum (1). Et ad excusandum sexagenarium a ieiunio sufficit annum 60. esse inceptum, ut dicunt Castrop. Angles Sa Naldo Viva Busemb. Mazzotta etc., quia in favorabilibus annus inceptus habetur pro completo (2). Alii excusant a ieiunio etiam mulieres quinquagenarias, sed haec opinio (nisi aliqua particularis circumstantia concurreret infirmitatis, aut debilitatis) est a multis reprobata, a Laym. Tamb. Croix etc. Quare Diana dubitat de eius probabilitate (3). Qui autem voveret ieiunare, et expresse diceret *usque ad mortem*, aut *per totum vitae meae cursum*; (quidquid alii dicant) nos dicimus hunc teneri ad ieiunandum etiam post annum sexagesimum. Secus vero iudicandum (ut tenent Elbel et Anaclet.) de eo qui sine tali expressione, et nihil ad aetatem sexagenariam advertens voveret; quia supervenit notabilis mutatio, quae, esto non fuerit praevisa, excusat a voto, iuxta dicta *Tract.* 5. *n.* 23. et 35. *de voto*. Et idem nos dicimus utendo distinctione de ieiuniis regulae, quae a Religiosis promittuntur (4).

26. III. Excusat *labor*. Imprimis adnotanda est prop. 30. damnata ab Alexandro VII. quae dicebat: *omnes officiales qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii*, etc. Haec propositio merito damnata fuit, quia. erat nimis generalis, et iuxta eam excusaretur quicumque laborat, sive ex officio, sive animi gratia, sive labor sit compatibilis cum ieiunio, sive incompatibilis, quod falsum est. Caeterum et hodie nemo est qui dubitet quin omnes artes, quae sine nimia corporis defatigatione excerceri non possunt, excusent a ieiunio. Hinc ab illo excusantur fossores, agricolae, lapicidae, figuli, textores, lanarii, fullones, baiuli, aurigae, nautae, remigantes, fabri lignarii, ferrarii, murarii, tabellarii, sutores, furnarii, coqui qui multas dapes multis personis parant, si fere per diem laborant, typographi praelum versantes. Servi qui occupantur in laboribus maioribus, non autem famulae, quae nent, vel in aliquem levem laborem incumbunt; mercium venditores qui urbem percursant: ecclesias ornantes, scalas huc illuc circumferendo. Sed hi omnes intelliguntur tunc excusari cum maiorem diei partem consumunt in huiusmodi laboribus (5).

27. Barbitonsores ordinarie non excusantur, nisi quia aliqui (ut dicunt communiter Sanch. Less. Castropal. Concin. Mazzotta etc.) ob laboris quantitatem, aut ob debilitatem complexionis, ieiunando suam artem exercere non possent. Idem dicimus de sartoribus cum Roncaglia Concina et Salmant. Idem quoque dicimus de notariis, scriptoribus, pictoribus et horologiorum artificibus, sed de illis nimirum qui horologia parva conficiunt, nam pro magnis labore magno opus est (6). Alii vero absolute excusant molitores, argentarios, et sculptores. Sed pro istis pariter expendendae sunt circumstantiae prae oculis semper habendo illam regulam communiter acceptam, quod qui artem exercere nequit (licet de se non laboriosam) sine magno incommodo, spectata sua debilitate, aut alia particulari causa, non tenetur ad ieiunium (4).

28. Excusantur a ieiunio etiam illi qui per magnam diei partem longum iter pedestre agunt, ut sunt muliones et agasones. Advertendum tamen quod si quis eorum, completo itinere, et alia refectione non sumpta prius, cibum quantum satis accipiat, tunc secundam refectionem su-

(1) l. 3. n. 1035. et 1036. (2) ib. in fin. (3) n. 1037. (4) n. 1038. (5) n. 1041.

(6) ib. v. Barbitonsores. (7) ib. v. Alii.

mere non potest, nisi die sequenti iter prosecuturus esset. Praeterea quisque (si commode potest) tenetur iter differre, ne reddatur liber a ieiunio, ut docet s. Thomas (1), quem sequuntur Less. Laym. Tol. etc. et iuxta id quod paulo post dicemus n. 33. Sed si quis iam iter incoeperit, et interim dies ieiunii contigerit, non tenetur iter interrumpere, ut ieiunet, ut dicunt communiter Sanch. Laym. Abul. Sporer etc. (2).

29. Quaeritur 1. quale iter sufficiat ad excusandum? Putat Pasqualigus satis esse iter septem milliariorum, sed haec opinio ab aliis reiicitur, qui saltem requirunt iter 4. aut 5. leucarum (nempe 12. aut 15. milliariorum, nam terna milliaria conficiunt leucam unam, sive unam horam itineris, ut dicit Croix); ita Palaus Viva Salm. Diana et Trull.; sed Croix cum Bonac. Fill. etc. requirit saltem 4. leucas. Si tamen via esset difficilis et aspera, aut iter agens esset debilis, aut itineri non assuetus, adeo ut sine gravi difficultate ieiunare nequiret, tunc dicunt Sanch. Salmant. Ronc. et Croix satis esse ad eum excusandum iter etiam sex milliariorum (3).

30. Quaeritur 2. an excusetur a ieiunio iter faciens equo aut rheda? Ab Alexandro VII. damnata fuit haec 31. propos. *Excusantur absolute omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter diei conficiant.* Caeterum communiter dd. excusant eos qui ita per plures dies iter agunt: Laym. et Viva requirunt iter octo dierum, sed hoc videtur nimis rigidum. Attamen idem Viva advertit non excusari a ieiunio qui iter agendo sine gravi incommodo ieiunare potest. Et contra etiam recte dicunt Azor. Sanch. Tolet. Ronc. Salm. Croix etc. etiam iter unius diei posse excusare aliquem qui illud magno labore conficere deberet (ut contingit cursoribus), aut esset viribus debilis, aut tempus pluvium, et via aspera et laboriosa, aut iter esset extraordinarium. Sed iter 8. aut 10. leucarum non esse extraordinarium putant Sanchez Tolet. Salmant. Corell. etc. (contra Machado Dianam etc.). Rationabiliter ait Viva itineranti potius vescendum esse lacticiniis, et servare ieiunium, quam cibis levioribus vesci qui eum sustentare non valent, et postea pluries refici (4).

31. Quaeritur 3. an artifices divites artes laboriosas exercentes teneantur ieiunare? Affirmat p. Concina cum Durando et Armilla. Sed communiter negant Silv. Sanch. Nav. Less. Ronc. Tol. Viva Salm. Elbel, et alii plures, quia in bonum publicum vergit, ne artifices ab opere propriae artis desistant: nam si diebus ieiuniorum tantum pauperes illis deberent vacare, respublica detrimentum sentiret. Et pro hoc omnes citati aa. afferunt expressam declarationem Eugenii IV. an. 1440. ubi dixit: *Artifices laboriosas artes exercitantes, et rustici, sive divites, sive pauperes, non tenentur ieiunare sub praecepto peccati mortalis etc. (5).*

32. Quaeritur 4. an teneantur ad ieiunium artifices qui sine gravi incommodo ieiunare possunt? Alii ut Tamb. Pasqual. et Leand. absolute id negant, tum ex consuetudine contraria, tum quia leges non considerant casus extraordinarios. Alii vero communius et probabilius affirmant, ut Bon. Regin. Conc. et Viva, semper ac ieiunando grave incommodum non patiantur: modo hoc manifestum sit, cum in dubio praesumptio stat pro exemptione a ieiunio. Haec secunda sententia speculative videtur probabilior, dum lex generaliter obligat quemlibet qui sine gravi incommodo ieiunare potest, sed in praxi difficulter invenitur qui ex huiusmodi laboribus non fatigatus, aut debilis

(1) 2. 2. qu. 147. art. 4. ad 3. (2) l. 3. n. 1047. (3) ib. v. Sed dubit. 1.

(4) l. 3. n. 1047. Dubit. 2.
(5) n. 1042.

pro crastino labore derelinquatur(1). Idem dicimus de illo artifice qui diem aut biduum vacat a labore, quia licet sit sententia communis cum Azorio Sanch. Roncag. Bonac. Croix etc. quod illo biduo non tenetur ad ieiunium (in primo die ob laborem hesternum, in secundo ob crastinum), nihilominus si praeciso gravi incommodo potest ieiunare, tenetur, ut recte dicunt Bonac. et Viva, contra Sanchez et Elbel (2).

33. Quaeritur 5. an peccet qui sine iusta causa laborem assumit, quo liberatur a ieiunio? Alii negant, ut Ronc. Bon. etc. modo eo fine laborem non suscipiat, ut a ieiunio eximatur. Alii ut Salm. Pasq. etc. eum excusant, licet in ieiunii fraudem talem laborem assumat, dicentes licite eum suo iure uti, quo liberatur a ieiunio. Nos vero dicimus peccare, licet non laboret in fraudem, et ita tenent Palaus Sanch. Laym. Croix et alii, ut enim diximus *Tract.* 2. *n.* 20. omnis lex exposcit, ne sine iusta causa impedimentum apponatur, quominus observetur. Et idem aperte docet s. Thom. (3) dum dicit peccare eum qui alicui operi vacat, ex quo postea impeditur a Missa audienda; et rationem affert: *Qui enim vult aliquid, cum quo aliud esse non potest, ex consequenti vult illo carere.* Dictum est *peccare*; ceterum si quis opus aggreditur animo ieiunandi, iste postea non peccaret, si illo defatigatus ieiunium solveret; nam omnes communiter, Laym. Conc. Silvest. Sanch. Palaus etc. conveniunt in affirmando, quod licet quis in fraudem praecepti aut alio fine pravo iam aliquo labore gravi defunctus est, ieiunare non tenetur; quia tunc iam evasit moraliter impotens ad ieiunandum. Insuper, ait Sanchez, quod si quis laboraret ex aliquo fine honesto, v. g. ut viseret coniunctos, ut venationi, aut ludo pilae indulgeat, iste non peccaret: sed huic sic generatim asserto recte contradicunt Abelly et Sporer, si iter, aut labor suscipiatur ex puro animi solatio. Qui vero aliquem laborem gravem aggreditur ob magnum lucrum, dicunt probabiliter Nav. Caiet. Laym. Sanch. Sporer Elbel etc. eum non peccare, licet non laboraret ex proprio officio (4). Huc refertur quod dictum est *Tract.* 6. *n.* 22; nam iuxta *L. un. c. de sent.* magni lucri amissio pro gravi damno habetur.

34. IV. Excusat *pietas*, cum v. g. deberet quis in aliquod pium opus se applicare, quod esset maioris meriti quam ieiunium. Et hoc admittunt Sanch. Bon. Armilla Gabr. Salmant. etc. (contra alios), licet opus non exerceretur ex officio, aut obedientia, sed ex mera devotione; modo in aliud tempus differri non possit(5). Hinc excusant dd. 1. eos qui magno labore assistunt pluribus infirmis, Castrop. Holzm. Salmant. etc.; 2. eos qui peregrinationem aggressi sunt, quae valde conferret gloriae Dei, et populi communi aedificationi, aut propriae animae magno profectui, ut Sanch. Castr. Silv. Holzm. Salm. etc. modo non possint eam commode differre, ut dictum est. et ut recte limitant Less. Laym. Salm. Holzm. cum s. Thoma (6) qui sic ait: *Si peregrinatio, aut operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, non sunt Ecclesiae ieiunia praetermittenda.* Sed si peregrinatio iam incepta esset, et interim aliqua dies ieiunii accideret, non debet ideo interrumpi, Laym. Abul. Sanch. Salm. Sporer etc.; 3. concionatores qui in quadragesima quotidie concionantur, ratione studii, et corporis agitatione; et praecipue hoc valeret pro Missionariis, qui vehementiori agitatione praedicant; ita dicunt communiter Wigandt Caiet. Nav. Tolet. Salmant., etc. Caeterum ex me dico quod sacri oratores, qui potius exemplo quam verbis praedicare debent, pro viribus efficere de-

(1) l. 3. n. 1043 (2) n. 1044.
(3) 1. 2 q. 71. a. 5 (4) l. 3. n. 1046.
(5) n. 1048. (6) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.

berent ieiunium observare. Nec assentire possum (generaliter loquendo) iis dd. qui etiam excusant eos concionatores qui ter aut quater in hebdomada concionantur; 4. multi excusant cantores qui ieiunando vocem amitterent, et lectores scientiarum (Sanch. addit et magistros Grammaticae) qui magno studio et labore indigerent. Et idem dicunt de advocatis, et iudicibus, qui animum valde intentum deberent ad studia adiungere, ut suis muneribus satisfaciant, nam isti ob spirituum consummationem opus habent cibo, sin maiori, saltem frequentiori. Ita Castrop. Ronc. Salm. Sanch. Spor. Viva etc. excusant confessarios, qui extraordinarium laborem subituri sunt, ut satisfaciant poenitentibus qui frequenti concursu confluunt. Sed bene advertit Tamburin. omnes istos tunc excusari, cum ieiunando suas partes adimplere non possent; et eam impotentiam debere esse patentem, quia in dubio possidet lex ieiunii. Insuper advertunt Laym. Nav. Caiet. Silvest. Tol. et Sporer, quod si quis non haberet causam sufficientem qua excusari possit a ieiunio quadragesimali; sed contra ipse in bona fide putaret iustam causam habere praecepto satisfaciendi ter vel quater tantum in hebdomada ieiunando, non debet confessarius hunc obligare ut quotidie ieiunet, cum adest periculum ne postea quotidie omittat ieiunium.

CAPUT II.

DE PRAECEPTO CONFESSIONIS, ET COMMUNIONIS ANNUAE

35. *De praecepto annuae confessionis; an obliget qui tantum habet venialia; et an debeat praevenire qui praevidet, etc.*
36. *An qui anno praeterito neglexit confessionem, teneatur confiteri quamprimum; et quot peccata committit qui negligit illam.*
37. *An qui confitetur anno sequenti, satisfaciat praeteritae obligationi.*
38. *Poenae in transgressores.*
39. *De praecepto Communionis paschalis.*
40. *An qui eam negligit teneatur ad quamprimum, etc. Et an teneatur praevenire, etc.*
41. *An excommunicati, etc.; carcere detenti, etc. Debet in parochia fieri.*
42. *A tali obligatione eximuntur sacerdotes, peregrini, et servi monasteriorum.*
43. *Qua aetate, et quando pueri communicare debent.*
44. *Quando amentes.*

35. Et I. quoad confessionem sciendum est, quod in Conc. Lateran. sub Innoc. III. statutum fuit, ut quisque fidelis, cum ad rationis usum pervenerit, omnia peccata sua debeat saltem semel in anno confiteri; ita in *cap. Omnis utriusque sexus de poenit. et rem.* ubi haec habentur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti.* Dicitur 1. *Omnis fidelis*: intelligitur omnis baptizatus, etsi haereticus. Dicitur 2. *Postquam ad annos, etc.* intelligitur qui ad Dei cognitionem pervenit, saltem *crasso modo*, et si peccavit, et poenam meritus est. Quare (ut diximus *Tract.* 2. *n.* 37.) tenentur ad hoc praeceptum, qui ante septennium peccaverunt, si iam usum rationis adepti sunt; nam Concilium obligat universe quemlibet qui iam ad annos discretionis pervenit. Dicitur 3 *Omnia sua peccata.* Hic quaestio fit, an teneantur confiteri in anno qui eo anno non peccarunt mortaliter? Affirmant Silvester, et alii cum Bonac. Sed communis sententia et verior negat cum s. Antonin. Cano Suarez Caiet. Lugo, etc. quia Ecclesia, praecipiendo confessionem, praecipit eam quae facienda est iuxta Iesu Christi institutionem: Dominus autem non praecipit nisi confessionem mortalium dumtaxat, ut declaravit Trident *Sess.* 14. *c.* 5. *de Poenit.* Et hoc deducitur ex eodem textu allato, ubi dicitur: *Omnia sua peccata fideliter confiteatur.* Dicendo *omnia* certe intelliguntur sola mortalia; cum certum

sit apud omnes non esse obligationem confitendi venialia omnia volenti ea confiteri. Dicitur 4. *Saltem semel in anno.* Hic annus proprie deberet incipere a Ianuario, et terminare in Decembri; sed iuxta communem consuetudinem accipitur a Paschate ad Pascha, ut dicunt Suar. Lugo Concina Holzm. etc. (1). Hic fit aliud dubium: cum quis praevidet sibi inposterum non fore commoditatem confitendi toto anno, an debeat praevenire, et confiteri antequam finiat annus? Negat Holzman; sed nos affirmamus cum Busemb. et Lugo (2), quia cum iste iam peccaverit mortaliter, iam contraxit obligationem confitendi in illo anno, quare si praevidet quod postea non possit adimplere illud, tenetur praevenire. Dicitur 5. *Fideliter confiteatur*, ideoque non satisfit per confessionem invalidam, et tanto minus per sacrilegam; propterea merito damnata est propositio 14. ab Alexand. VII. quae dicebat: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* Ratio, quia confessio nulla non est vera confessio. Dicitur 6. *Proprio sacerdoti*, intelligitur non tantum parochus, sed quilibet sacerdos ad confessiones approbatus, ut explicat Glossa, et intelligunt Fagnanus, Cabass. et alii communiter. Et hoc hodie non revocatur in dubium ex universali consuetudine, quae adest: ideoque S. C. anno 1584. declaravit , si Episcopus iuberet ne quis confessarius in Paschate audiret confessiones poenitentium sine licentia curati, talis Decreti nullam habendam fore rationem (3).

36. Quaeritur 1. an qui, cum teneretur confiteri, elabi annum effecit, teneatur confiteri quamprimum? Negant s. Antonin. Sot. Silvest. Tol. etc. dicendo quod, licet adsit praeceptum divinum confitendi pluries in vita, nihilominus respectu confessionis annualis praeceptum est ecclesiasticum, et hoc est addictum anno; quare eo transacto cessat praeceptum. Sed affirmat sententia communior, quam nos sequimur cum Gonet Suar. Navarr. Lug. Tourn. et cum Lambertini (4), tum ob praeceptum divinum Ecclesiae determinationi relictum; et Ecclesia determinavit obligare saltem semel in anno, ut tenet sententia probabilior, et communior (5); tum ob praeceptum ecclesiasticum, quod impositum est, ut quisque confiteatur saltem semel in anno non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem (6). Quot autem peccata committat, qui elapso anno non confessus est, dicunt Silv. Laym. Valent, etc. unum peccatum committi continuatum; sed probabiliter dicunt Bonac. Suar. Lugo Vasq. etc., toties peccari, quoties occasiones opportunae offeruntur, et negliguntur: cum illud peccatum non perseverat in aliquo effectu, sed tantum in malo proposito, propter quod iam multiplicantur peccata, cum per longum tempus perdurat, ut diximus *Tract.* 3. *n.* 60

37. Quaeritur 2. an, qui anno sequenti confitetur peccata praeteriti anni, satisfaciat praecepto utriusque anni? Alii affirmant, alii vero negant. Sed verior sententia Castrop. Viva Hurtad. Salm. etc. sic distinguit. Si ipse confitetur peccata mortalia, tam praeteriti, quam praesentis anni, tum recte satisfacit utrique praecepto, quia iam praecepti finem adimplet, qui est reconciliatio cum Deo a peccatis illius anni: non ita vero si confitetur peccata gravia tantum praeteriti anni in posteriore anno; si post peractam confessionem labitur in alia peccata mortalia, tenetur iterum confiteri, ut satisfaciat praecepto posterioris anni: dum communiter dicunt Suar. Laym. Castropal. Salmant. Lugo etc. quod si quis in principio anni confitetur sola venialia, tenetur denuo confiteri. Itaque

(1) lib. 6. n. 662. (2) n. 671.
(3) n. 564 in fine et 574.

(4) Notif. t. 3. p. 97. (5) l. 6. n. 663.
(6) n. 668. et 297.

illa confessio mortalium prioris anni non habet vim satisfaciendi praecepto anni posterioris (1).

38. Ex lege communi ob relatum *cap. Omnis utriusque etc.*, confessionis et communionis violantibus praeceptum duae poenae impositae sunt, interdicti nimirum, et privationis sepulturae ecclesiasticae. Sed hae poenae non incurruntur nisi post iudicis sententiam. Impuberes sunt universaliter excusati, ut dicunt communiter dd. (2). In qua occasione, et tempore praeter hoc urgeat praeceptum confessionis, sermonem faciemus, cum de hoc Sacramento Poenitentiae agetur.

39. Quoad praeceptum Communionis paschalis, advertendum illud esse tam divinum, quam ecclesiasticum. *Divinum*, propter id quod dixit Dominus apud Ioan. 6. 54.: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Est etiam *ecclesiasticum*, propter id quod in cit. *cap. Omnis* praecipitur: *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum*. Et in Trident. sess. 13, can. 9.: *Si quis negaverit omnes fideles teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum iuxta praeceptum s. Matris Ecclesiae, anathema sit*. Annus huius obligationis computandus est a Paschate ad Pascha, iuxta communem consuetudinem hodie receptam. Tempus paschale incipit a dominica Palmarum, et terminat dominica in Albis, ex declaratione Eugenii IV. in Bulla *Fide digna*, an. 1440. Episcopi tamen ex privilegio, vel consuetudine possunt hoc tempus prorogare, prout solent (3).

40. Sicut diximus de confessione, ita dicimus de Communione, quod si quis tempore paschali non potuit communicare, tenetur ad quamprimum communicandum; quia urget praeceptum tam divinum (ab Ecclesia determinatum ut observetur quodlibet Pascha), quam ecclesiasticum, quod assignat tempus paschale non ad finiendam, sed ad sollicitandam satisfactionem (4). Fit dubium, utrum si quis praevidens non posse communicare in Pascha, teneatur anticipare Communionem: de confessione affirmavimus, quia cum quis peccaverit mortaliter, iam obligationem contraxit confitendi intra annum; quare praevidendo auferendam sibi fore in posterum facultatem confitendi antequam annus finiatur, tenetur praevenire. Sed hoc non procedit pro Communione, ut recte ait Suar Azor. Holzm., etc. (contra Laym. et Habert); quia debitum communicandi iuxta sententiam communem non incipit, nisi incepto tempore paschali, qua de re ante illud tempus non adhuc contracta est obligatio; et si quis praevenit, non satisfacit praecepto (5); et hoc ita est, ut si quis ob impedimentum praevisum anticiparet, et postea cessaret impedimentum, etiam teneretur communicare in Paschate, ut recte dicunt Lugo, Salm., etc. contra Tamb. (6). Dubium minime est quin, incepto tempore paschali, si quis praevidet se impeditum iri communicare postea, teneatur illico communicare (7).

41. Notandum 1. quod excommunicati et carceribus detenti, cum possint, tenentur procurare absolutionem, aut libertatem, quo possint praecepto paschali satisfacere, cum illud sit praeceptum divinum, ut dictum est (8). Notandum 2. neminem posse extra parochiam praecepto Communionis satisfacere; aut saltem extra cathedralem (ut probabiliter admittunt Bonac. et Busemb. contra Lugo; et ipse ignoro an hoc sit satis probabile, si deest usus communis, qui praesumere faciat consensum Episcopi) sine licentia parochi, aut Episcopi, vel eius vicarii; sufficit tamen in hoc licentia praesumpta, seu in-

(1) lib. 6. n. 669. (2) n. 674. (3) n. 256. et 296. (4) n. 297. (5) n. 298.

(6) n. 297. circa fin. v. dicit. (7) n. 298. in fin. (8) n. 299.

terpretativa, ut dicunt Suar. Lugo, Salm. Busemb., dummodo adsit moralis certitudo consensus illius (1). Nonnulli affirmarunt licere Communionem paschalem fieri in ecclesiis Regularium, ratione eorum privilegiorum; sed communiter id reprobatur a Suar. Lugo, Salmant. Tambur., etc. cum Decr. S. C. Nec privilegia suffragantur, dum saepe Pontifices declararunt quoad Communionem paschalem illaesum servandum ius parochorum. Et praecipue Clem. VIII. anno 1592. postquam declaravit Regulares quovis tempore etiam paschali licite posse audire confessiones saecularium, subiunxit: *Dummodo tamen iidem saeculares Christi fideles Sacramentum Eucharistiae die festo paschalis Resurrectionis in propria parochia ab eorum parocho sumant* (2). Idemque statuit Clem. X. Imo apud Benedictum XIV. (3) adest Decretum sacr. Congregat. 9. iulii 1644. et confirmatum die 11. iunii 1650, quo sancitum est posse Episcopos prohibere Regularibus, ne die Paschatis ministrent Eucharistiam saecularibus, etiamsi ipsi satisfecissent praecepto Ecclesiae. Et quamvis die 31. ianuarii 1682. ab eadem S. C. ad instantiam parochorum Lovaniensium, qui contendebant pp. Societatis Iesu non posse ministrare Eucharistiam toto tempore paschali, responsum fuit, posse ministrare, *excepto die Paschatis*, tamen intelligendum est, praesupposita Episcopi prohibitione.

42. Notandum 3. a tali obligatione eximi 1. Sacerdotes, qui ubicumque celebrant, satisfaciunt praecepto, iuxta communem sententiam: si vero non celebrarent, tenerentur communicare in parochia. 2. Peregrini, qui longe absunt a propria parochia, possunt communicare in quacumque ecclesia; nec tenentur communicare in loci parochia, ubi reperiuntur; ita communissime Caiet. Sot. Azor. Suar. Lugo, Sanch. Bonac. Castrop. Salmant., etc. (contra Barb. Tourn. et Ronc.). Ratio est quia tunc illi non habent proprium pastorem, qui eos recognoscere debet, quare penitus cessat finis communicandi in parochia (4). 3. Famuli monasteriorum, qui in eadem clausura degunt, et sub obedientia suorum Praelatorum, ut iuremerito sustinet Lambertini (5) cum Wigandt, et pluribus Decretis S. C. contra Castrop. Bonac. Salmant. Ronc., etc. qui eximunt omnes qui incolunt monasteria. Et licet Societas Iesu habeat privilegium pro omnibus domesticis, qui in suis domibus morantur, tamen p. Zacharia (6) refert S. C. multoties declarasse hoc privilegium ad alias religiones minime extendi (7).

43. Notandum 4. pueris ante usum rationis, et perpetuo amentibus prohiberi Communionem ex Concilio Lateranensi. Sed quaeritur an pueri statim ac usum rationis adepti sunt, et confessionis sunt capaces, possint et debeant communicare? Affirmant Palud. s. Anton., etc.; sed communiter et probabiliter negant alii; nam cum maiorem reverentiam exposcat Communio, et propterea maiorem quoque expostulat cognitionem: saltem quia haec obligatio sic a communi Ecclesiae usu intellecta est. Caeterum valde probabiliter dicunt Suar. Sot. Laym. Castrop., etc. cum s. Thoma (8) quod licet huiusmodi parvuli non teneantur, semper ac tamen discernere valeant hunc coelestem panem a terreno, possunt admitti ad Communionem: *Quia* (ait s. Doctor) *tales possunt aliquam devotionem huius Sacramenti concipere*. Et id confirmatur ex *can. penult.* 26. *qu.* 6. ubi dicitur: *Cui Poenitentiae Sacramentum conceditur, neque Eucharistiae Sacramentum denegari debet, si desiderat*. Et illis pueris, qui in extremo vitae sunt constituti, non solum potest, sed et-

(1) l. 6. n. 300. (2) Lambertini, Not. 18. n. 7. (3) De Syn. l. 9. c. 16. n. 3. (4) l. 6. n. 240. ad 9. v. Huic.

(5) Notif. 55. n. 7., et 8. (6) Ap. Croix l. 6. p. 1. n. 624. (7) l. 6. n. 240. ad 10. (8) 3. p. q. 80. a. 9.

iam debet dari Communio, ut communiter praefati dd. cum Bened. XIV. (1); quia in tali articulo, cum usu rationis polleant, ex praecepto divino tenentur communicare. Extra tamen periculum mortis, dicunt communiter dd. (regulariter loquendo) obligationem communicandi incipere ab anno nono, et non posse differri ultra 12. aut ad plus 14. ita Suar. Laym. Antoine, Croix, etc. S. Carolus praecepit parochis ut instruerent pro Communione pueros, qui ad 10. annum pervenissent (2).

44. Quaeritur hic denique an possit ministrari Eucharistia amentibus? Iam dictum est quod perpetuo amentibus omnino neganda est Communio, etiam in mortis articulo, ut habetur ex Rituali romano *(de Euch.)*. Aliis vero qui sunt amentes, sed non semper fuerunt rationis expertes, potest dari (ut dicit ipsummet Rituale), cum habent aliquod lucis intervallum: aut ut dicit s. Thomas (3): *Si prius quando erant compotes mentis, apparuit in eis devotio huius Sacramenti, nisi timeatur periculum expuitionis;* et idem dicit Catechismus rom. (4). Ex quo bene inferunt multi dd. sufficere ad dandam Eucharistiam fatuo in mortis articulo, ut ipse dudum pie vixerit (5). Semifatuis vero dicunt Castr. Wigandt, Laym. Holzm. Salm., etc. quod tantum in vitae extremo, et praecepto paschali possit ministrari Communio, semper ac discernere valent a cibo terreno. Idem asserunt Laym. Castrop. et Salm. de mutis, et surdis a nativitate, modo constet ex signis ipsos intelligere in Sacramento contineri divinam personam (6).

(1) De Synod. l. 7. c. 12. n. 3.
(2) lib. 6. n. 301. v. Sed hic.
(3) 3. p. q. 80. a. 9. (4) p. 2. n 64
(5) lib. 6. n. 302. (6) n. 303.

TRACTATUS XIII.

DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS CERTO HOMINUM STATUI PROPRIIS

CAPUT I. DE STATU RELIGIOSO

PUNCTUM I.
De obligatione professionis religiosae.

1. *Quid sit status religiosus, et quinam possit approbare religiones.*
2. *Religiosus tenetur tendere ad perfectionem; quando peccat contra hanc obligationem, et quando peccat Praelatus non corrigendo illum.*
3. *Aetas, acceptatio, et spontanea deliberatio requisita ad professionem. Causae nullitatis, etc.*
4. *An Episcopi teneantur ad vota, et regulas, et an fugitivi, et expulsi. Causae expulsionis.*

1. Religio, loquendo iuxta vitae statum, definitur: ***Est status ab Ecclesia approbatus fidelium in communi viventium, et ad perfectionem** tendentium per vota paupertatis, castitatis, et obedientiae.* Dicitur 1. *ab Ecclesia approbatus*, quia religiones prius approbabantur etiam ab Episcopis, sed a Concilio lateranensi statutum fuit, ut in posterum approbarentur tantum a Sede apostolica.

2. Dicitur 2. *ad perfectionem tendentium*, quia quilibet Religiosus vi suae professionis tenetur tendere ad perfectionem, dum tenetur observare ea quae sunt sui status propria; quae quidem sunt consilii, non autem praecepti. Ideoque graviter peccat Religiosus contra hanc obligationem, 1. Si regulas sui ordinis violet ex contemptu, nempe si aut eas putat esse vanas, aut quia non vult se illis subiicere; caeterum, ut dicit s. Thomas (7), in regulis alio modo delinquere

(7) 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.

(etiam frequenter), si illae per se non obligant ad grave, non excedit culpam venialem. At licet regula ad nullam obliget culpam, numquam excusabitur a veniali, qui advertenter, et citra iustam causam eas violat: Laym. Sanch. Valent. et alii cum eodem s. Thoma (1); 2. si suo exemplo alios inducat ad regulae relaxationem, aut alicuius regulae maioris momenti, ut est illa silentii, orationis, aut huiusmodi cum damno gravi communis disciplinae (2); 3. si absolute statuit nihili habere perfectionem. Sed quaeritur an peccet graviter qui vellet observare eas dumtaxat regulas, quae obligant ad mortale, et alias negligere? Multi eum excusant, multi vero non. Sed scite dicit Sanchez difficulter futurum esse, ut iste excusetur a mortali, saltem ex aliis capitibus, nimirum ob periculum cui se exponit aut delinquendi contra vota, aut inducendi (ut dictum est) regulae relaxationem in communitatem (3). Et hic advertendum quod, licet subditi non peccarent nisi venialiter, nihilominus Praelati, qui negligunt eos corrigere, peccant graviter, cum defectus sunt multi, et huiusmodi, ut possint relaxare disciplinam, ut sunt silentii solutiones, orationis omissiones, ieiuniorum, etc. ita peccat etiam graviter (uti dicit p. Suarez, et alii) qui officio fungitur zelatoris, si nimis negligit certiorem facere Superiorem de defectibus, quos observat (4). Insuper dicit s. Thomas (5) Praelatum (si opus est) posse etiam subditum verberare, et conviciis exprobrare, modo id non efficiat ex iracundia, neque coram exteris, aut novitiis.

3. Dicitur 3. *per vota paupertatis*, etc. quia religionis essentia in illis tribus votis consistit. Hic notandum 1. ad valorem professionis religiosae non requiri ut vota sint solemnia; sunt tamen tria necessaria: 1. Ut subiectus sexdecim sit annos natus, et ut integrum annum in novitiatu versatus sit, et nullum habeat impedimentum ex substantialibus pro illo Ordine, quem professurus est, ut statuit Trid. *Sess.* 25. *c.* 15. *de reg. et mon.* Et quoad mulieres declaravit insuper S. C. ut nemini detur habitus ante 12. annos, contra Sanch. et Villalob., etc. Praeterea, ut antequam suscipiatur habitus, et antequam emittatur professio, debeat Episcopus aut eius vicarius voluntatem uniuscuiusque puellae explorare, secus graviter peccaretur, licet professio esset valida. Et notant Salmanticenses, Episcopum posse explorare voluntatem puellarum etiam in monasteriis exemptis (6). 2. Requiritur acceptatio Praelati, et capitularium, iuxta cuiusque ordinis statuta. Et error circa substantiam tam quoad partem Praelati, quam profitentis vitiat professionem (7). 3. Requiritur ut professio sit spontanea, et non sit facta ex timore incusso ab aliis ad hunc finem, aut timore reverentiali parentum, aut precibus importunis et saepe repetitis, ex quibus timet novitius gravem indignationem, nisi profiteatur (8). Qui vero professionem nullam emiserit, et religionem vellet deserere, debet intra quinquennium reclamare, alias non amplius audiretur, iuxta Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 19., quia praesumitur ratam habuisse. Et super hoc puncto iuvat hic notare nonnulla sancita a Benedicto XIV. in Bulla, *Si datam* (47. *in tom.* 2. *Bull.*) nempe 1. Non posse Superiorem aliquem expellere, nisi prius cognita iudicialiter causa; 2. causas nullitatis debere cognosci tam a Praelato regulari locali, quam ab Ordinario loci; 3. professum, non obstante quod non reclamaverit intra quinquennium, posse tamen a Sede apostolica obtinere restitutionem *in integrum*; 4. Professum non posse statim post primam sententiam egredi a religione,

(1) lib. 4. n. 10. (2) ib. Resp. 3.
(3) n. 11. (4) n. 13.

(5) 2. 2. qu. 72 a. 2. ad 2.
(6) l. 4. n. 5. (7) n. 6. (8) n. 7.

sed debere expectare secundam, si pendet appellatio (1).

4. Notandum 2. Episcopos regulares non remanere absolutos a votis, nisi in quantum eorum observantia repugnat statui episcopali; ita s. Thomas (2) et communiter alii ex c. *Statutum*, *n.* 18. *qu.* 1. Quapropter s. Doctor docet Episcopum regularem non posse testamentum facere (3). Contra vero probabilissimum est Episcopum regularem non teneri ad regulas sui Ordinis, ut infertur ex *c. citato*, ubi sic legitur: *Monachus quem canonica electio a iugo regulae absolvit*, etc. Et sic nec tenetur aliis votis suae religionis propriis (4). Religiosus vero ad parochiam promotus tenetur tam ad vota, quam ad regulam, iuxta sententiam probabiliorem; ac tenetur deferre habitum (5). Ad haec omnia tenentur etiam Religiosi fugitivi: et notetur quod quicquid isti acquirunt, monasterio acquirunt. Eiecti vero obstricti remanent voto castitatis, sed quoad paupertatem, omnium quae acquirunt usus est ipsorum, dominium est monasterii; et quoad obedientiam, et regulas, ac etiam divinum officium, ad ea non tenentur usquedum erunt denuo acceptati. Causae eiiciendi aliquem Religiosum sunt hae: 1. Si, dum receptus fuit, aliquod essentiale impedimentum reticuerit, aut aliquem defectum valde nocivum communitati, ut est lepra, aut aliquis morbus id genus; 2. si aliquod infame crimen commisit, quod toti religioni erit damno; 3. si est incorrigibilis in aliis criminibus. Olim ob quodlibet grave delictum, licet semel admissum, poterant Religiosi eiici; sed Urbanus VIII. anno 1644. declaravit neminem (excepta Societate Iesu) posse expelli, nisi sit incorrigibilis, sed ut tantum possint puniri ieiuniis, et carcere: quod semper observandum est cum monialibus incorrigibilibus (6).

(1) l. 4. n. 8. (2) 2. 2. q. 88. a. 11. ad 4. (3) l. 4. n. 2. (4) n. 3. (5) n. 4.

Punctum II. *De votorum obligatione*

5. Ex voto *paupertatis* vetitum est Religiosis possidere, aut disponere quicquidlibet pretio aestimabile. Excipiuntur manuscripta, ut bene dicunt de Lugo Tournely, Sporer, Salmant., etc. (contra Henno), quia haec potius sunt spiritualia, cum sint partus mentis. Et hoc probatur tam ex Brevi Benedicti XIII. ubi dictum fuit quod Religiosi ad episcopatum promoti, debent omnia sua bona in manus Superiorum tradere, non tamen manuscripta; quam ex alia declaratione Clementis VIII. ubi habetur quod Religiosi possunt disponere de manuscriptis, etiam sine licentia. Idem dicunt Salm. de reliquiis sacris (7).

(6) n. 79. et seqq. (7) l. 4. n. 14.

6. Voto autem paupertatis non repugnat, 1. possidere bona in communi, ut docet s. Thomas (1), et expressum est in Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reg. et mon.* et in *Extrav. Ex iis, de verb. signif.* Non repugnat 2. peculium, sive vitalitium, quod retinent Religiosi in multis ordinibus cum licentia Praelati: quia licet iuxta Concilium *sess.* 25. *c.* 2. videtur non posse dubitari quin hoc sit prohibitum, cum ibi dicatur: *Nemini liceat bona immobilia, vel mobilia... etiam nomine conventus possidere.* Nihilominus ex consuetudine, hodie quasi universali facta, tolerata a S. Sede, utique licet habere peculium cum licentia Superiorum pro usibus necessariis et honestis, modo Religiosus sit paratus se eo privare ad Praelati nutum; dum votum paupertatis, quamvis abrogari nequeat quoad substantiam, potest tamen (ut dicunt dd. communiter) mutari quoad modum, iuxta consuetudinem, quae praesumitur iusta, quoties practicatur etiam a Religiosis timoratis, et tolerata est a Superioribus consciis et, cum facile possint, non contradicentibus. Sed hic advertendum 1. quod si quis Praelatus permitteret sine praecisa necessitate usum peculii ubi non adest, ego nescirem eum excusare a culpa gravi, non iam ob voti laesionis rationem, sed ob laxitatem, quae ex tali usu oriretur. Advertendum 2. quod Superiores, qui in aliquo monasterio vellent restaurare vitam communem, subditi non possunt repugnare, ut dicunt communiter Suar. Nav. Less. et alii; quia licet non sit contra votum non observare vitam communem, est tamen contra votum eam recusare; semper ac (intelligitur) a Praelatis sufficienter prospiceretur uniuscuiusque necessitatibus (2).

7. Certum autem est Religiosum peccare contra votum: 1. Si eorum, quae ei data sunt ad aliquem certum usum, aliquid ad alium applicet, dum neutiquam potest illis uti nisi in quantum concedat Superior (3); 2. si res datas sibi usui, commodo, aut mutuo dederit aliis. Dicunt tamen Laym. Sanch. Peyrin. et de Alexand. in opusculo *de monialibus*, non peccare graviter, si esset certus de restitutione (4); 3. si recipit pro usu proprio, aut si consumit, aut donat aliquid sine licentia Praelati, et tunc tenetur ad restitutionem. Idem erit, si sine licentia recipit pecuniam, ut de ea ad proprium arbitrium disponat, licet in opera pietatis, dum Religiosus nequit habere neque proprietatem, neque usum rei independenter a Praelato; vide Rodriguez, *p.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. cum Azor. Idem pariter dicendum, si occultat aliquid, ut subtrahat illud a Praelati dispositione. Idem quoque, si remittit debitori aliquid de eo quod ipse iam acquisivit, vel si remisit aliquam haereditatem, aut legatum sibi relictum; non autem si nollet acceptare aliquam donationem sibi factam; ratio, quia Religiosus antequam donationem acceptet, nullum super eam ius acquirit; sed super haereditatem, aut legatum Religioso relictum, mortuo testatore, statim monasterium ius acquirit, ut communiter dicunt Lugo Sanch. Tourn., etc. Posset in hoc peccare tantum contra charitatem, impediendo bonum sui monasterii; non vero contra votum, quod obligat non alienare acquisitum, non autem ad acquirendum (5). Sicut autem negatur Religioso posse donare sine licentia, ita et testari. Dicit tamen p. de Alexand. quod si Religiosus ex licentia relinquit aliquid alicui, secuta eius morte, et Praelatus promittit adimplere illius voluntatem, tenetur Praelatus stare promissis, sicut tenetur dominus servare promissa facta servo, ut dicunt Lessius, et Sanch. (6).

8. Sed loquendo praecipue de donis, refert hic adnotare, quae statuit

(1) 2. 2. q. 186. a. 3. (2) l. 4. n. 15. circa finem. (3) n. 19. (4) n. 2.

(5) lib. 4. n. 20. (6) n. 22.

Clemens VIII. in sua Bulla *Religiosae* 28. 1. Prohibuit Religiosis subditis, et Superioribus sub poena privationis officii, et vocis activae et passivae, et inhabilitatis *ipso facto incurrendae*, quicquidlibet donare sive nomine proprio, sive conventus, etiam suis Religiosis, aut Praelatis, nisi adsit consensus capituli generalis, praeter esculenta et poculenta, aut res devotionis modici pretii, aut si daretur aliquid in eleemosynam necessariam, aut si exerceretur hospitalitas: sed omnia haec cum licentia Superiorum. 2. Prohibuit Superioribus parare convivia contraria frugalitati religiosae ob quamcumque personam, aut festivitatem. 3. Statuit ne quisquis accipiat dona contra praefatam Bullam, acquirat ullum dominium, sed ut teneatur restituere monasterio, et ne absolvi possit, nisi prius restituat; ac ne talis restitutio possit condonari aut fieri pauperibus. Sed Urbanus VIII. in Bulla *Nuper* 158, licet confirmasset, et innovasset Bullam Clementis, attamen aliquibus moderationibus eam temperavit: 1. Quoad dona, permisit ea quae fiunt *propter actum virtutis et meriti*, nempe propter remunerationem sive gratitudinem, aut propter eleemosynam (quae revera, ut dicit La-Croix, non venit sub nomine *munerum*), sed etiam cum consensu Praelati localis, dicendo sufficere licentiam oretenus datam. 2. Quoad convivia, permisit ea quae fiunt in adventum Ordinariorum, aut benefactorum, modo non adversentur decentiae religiosae. 3. Quoad restitutionem donorum, dixit posse eam fieri etiam monasterio propinquiori, si commode non posset fieri proprio. Et hic notandum cum *auctore Instructionum confess. nov.* (1), hunc casum de recipiendis donis a Religiosis contra Bullam Clementis esse reservatum Papae (licet sine censura), dum Urbanus statuit ne confessarii ordinarii possent absolvere praefatum casum post publicationem suae Bullae; et si donum excederet decem scuta, qui dona recipit, ne posset quidem absolvi a sacra Poenitentiaria, nisi facta prius restitutione doni; quod etiam confirmatum fuit a Bened. XIV in Bulla *Pastor bonus*, die 13. Aprilis, an. 1744. (2).

9. Multi dd. apud Salmant (3). dixerunt Bullam Clementis non fuisse receptam, aut saltem abiisse in desuetudinem, ideoque non obligare Idem postea dixerunt alii (qui valde adhaerent Salmanticensibus) de Bulla Urbani, dicendo quod cum ista sit declarativa illius Bullae Clementis, et novum ius non constituat, sicut hodie non obligat illa Clementis, ita pariter nec obligat haec Urbani. Sed haec opinio nescio quomodo sustineri possit, ut bene advertit *instructor confessariorum nov.* (4). Urbanus enim non solum declaravit ac moderavit Bullam Clementis, sed etiam eam confirmavit, et innovavit, et damnavit omnem contrarium usum usque tunc introductum. Dicunt tamen La-Croix et p. Mazzotta (5) quod, cum illae Bullae emanatae fuerint ad impediendam ambitionem et bonorum dispositionem, non incurruntur illae poenae in iis appositae, si dentur duo scuta; quia respectu poenarum praescriptarum non reputatur gravis talis summa. Nec prohibentur convivia, et donationes moderatae ex iusta causa, v. g. ut animi erga monasterium alliciantur ad hoc ut ab aliqua vexatione eximatur, aut ob meram benevolentiam, ut dicit Croix. Quanta vero sit summa quae hodie permittitur Superioribus, aut subditis, ut possit donari, dicunt hoc dependere ab usu approbato, iuxta quem in quolibet Ordine praefatae Bullae receptae sunt.

10. Discutienda remanent multa dubia super hac materia. Dubitatur

(1) Part. 2. n. 439. (2) l. 7. n. 470. ad 11. (3) Salm. l. 3 tr. 13 de rest. c. 6. n. 10. (4) Part. 2. n. 439.

(5) Croix lib. 3. part. 2. num. 808. et Mazzot. de donat. t. 2 p. 54. c. 4. §. 1.

1. quae quantitas a Religioso impensa sine licentia sit gravis? Aliqui dicunt idem iudicium ferendum esse de Religiosorum furtis respectu monasterii, ac de furtis filiorum respectu parentum. Sed recte hoc non admittunt Sanch. et Lugo, quia filii sunt capaces possidendi, non autem Religiosi; et item sunt magis inviti Praelati in furtis Religiosorum, quam parentes in furtis filiorum. Caeterum dicunt dd. communiter quod, ut sit grave furtum Religiosi de bonis monasterii, requiritur maior quantitas quam in aliis furtis. Circa hoc variae sunt opiniones: Azorius Nav. Cast. Sanch., etc. assignant pro materia gravi 4. scuta, et quid amplius pro conventibus ditioribus; sed haec opinio videtur nimis indulgens. Sotus et Rodriguez assignant duo scuta pro materia gravi, et Croix (1) habet uti certum. Lugo putat esse materiam gravem sex carolenos, et octo pro monasterio opulento, etsi Religiosus accipit de portione suo usui assignata, sed si daret aliis Religiosis monasterii, ampliat usque ad 5. scuta, modo non sint pecunia. Admittunt postea Sanch. Bonac. Salm., etc. non esse culpam gravem accipere res comestibiles multis vicibus; et in materia levi, licet postea devenirent ad materiam gravem, cum praesumantur Praelati non esse graviter inviti; modo (limitant) damnum conventus non sit multum, et non sit de rebus pretiosis (2). Cum autem materia est gravis, an teneatur Religiosus ad restituendum, si nihil aliud habet quam solam portionem monasterii, quae sibi usui contigit; alii affirmant, sed alii negant, ut Peliz. de Leone, Fagundez Salm., etc. quia non praesumitur (ut dicunt) Praelatus velle obligare suum subditum ad restituendum cum tanto incommodo. Et hoc non videtur improbabile in casu quo illa portio est absolute necessaria Religioso pro suis usibus ordinariis (3).

11. Dubitatur 2. an ad non laedendam paupertatem sufficiat licentia praesumpta? Nulli dubium est quod sufficit tacita, sive praesumpta de *praesenti*, ut esset si Superior iam videret id quod Religiosus impendit aut accipit, et, cum posset faciliter prohibere, non prohiberet (quamvis recte ait Tourn. haec non possit esse regula generalis): aut, ut dicunt Sanchez Castrop. Peliz. Salm. etc. si in illa religione adesset aliqua consuetudo recipiendi, aut impendendi aliquid sine licentia, et Praelatus tolerasset (4); ratio est, quia in huiusmodi casibus licentia tacita aequivalet expressae. Maior difficultas est an sufficiat licentia praesumpta de *futuro*, sive ratihabitio, nempe quod si Religiosus eam peteret, utique Praelatus annueret? Hanc non admittit Sanchez; sed eam admittunt Suar. Azor. Nav. Valent. Holz. Elbel, et alii, et non improbabiliter, quoties praesumptio est rationabilis; quia tunc subditus iam procedit cum dependentia a voluntate Superioris, et hoc efficit quod ipse liberetur a culpa proprietatis. Et pro hac sententia est s. Thomas etiam (5), qui dicit quod Religiosus *non potest facere eleemosynam sine licentia abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter praesumpta*. Et quod s. doctor intelligit de praesumptione non de *praesenti*, sed de *futuro*, quae est ratihabitio, se explicat alibi (6) ubi dicit: Non esse proprietarium Religiosum, qui donat aliquid ponens spem in ratihabitione Praelati. Caeterum tales subditi dispositiones ex licentia praesumpta, ut plurimum sunt illicitae saltem venialiter; quia Superiores, saltem quoad modum, sunt inviti, et non raro etiam graviter, et praecipue quando illae sunt expresse ab ipsis prohibitae (7).

12. Dubitatur 3. an Praelato immerito licentiam negante, excusetur subditus a voto paupertatis? Respon-

(1) l. 3. part. 2. n. 808. (2) l. 4. n. 26. (3) n. 26. (4) n. 17. et 18. (5) 2. 2. qu. 32. a 8. ad 1. (6) In 4. dist. 15. qu. 2. a 5 ad 4. (7) l. 4. n. 18. v. Haec docent.

detur negative: modo (limitatur) periculum damni non sit ita in mora, ut subditus habeat tum ius ad concessionem licentiae, quia in tali casu praesumitur saltem adesse licentia Superiorum maiorum; et in aliquo casu potest iudicari votum non obligare; ita communiter Castrop. Holz. de Alex. et alii cum s. Thoma (1) ubi sic dicit: *Si vero sit subitum periculum non patiens tantam moram, ut ad Superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam; quia necessitas non subditur legi* (2). Dubitatur 4. an possit subditus cum licentia dare aliquid alicui, qui si notus fuisset Praelato, licentia data non fuisset? Si praesumeretur quod Praelatus licentiam revocaturus esset, non potest; secus si praesumeretur quod non revocaturus esset, si sciret; licet a principio eam fuisset negaturus. In dubio autem ad Superiorem recurrendum est; sed in casu quo esset difficile Superiorem adire, praesumptio stat pro licentia iam data: ita Molin. et de Alexand. (3). Dubitatur 5. an abbatissae possint donationes (intellige licitas) facere, et licentias dare aliis eas faciendi? Respondetur affirmative, semper ac sunt moderatae, et rationabiles, quia abbatissae iam habent bonorum administrationem. Possunt etiam de redditibus eleemosynas facere, et possunt etiam ecclesiis applicare, et ampliare aedificia domus, aut monasterii redditus adaugere (4). Quosnam autem contractus, aut condonationes possit facere abbatissa, et eius capitulum, vide quod dictum est in opere (5).

13. Dubitatur 6. (et hoc punctum maximi ponderis est) an Religiosus habens licentiam generalem a suo Superiore aliquid expendendi pro suo libitu, si expendat illud in usus turpes aut vanos, peccet contra votum et teneatur ad restitutionem tam ipse quam summam recipiens? Affirmat prima sententia, quam nos sequimur, et est communissima cum Castrop. Sanch. Silvest. Molin. Salmant. Roncaglia, etc.; tum quia Praelatus, dando licentiam, non intendit eam dare ad usus illicitos, tum quia, licet intenderet, licentia esset invalida, cum Praelatus non sit dominus, sed simplex administrator bonorum monasterii. Contra secunda sententia negat, quam tuentur p. de Alexand. Rebell. Bord. et alii. Hi dicunt: Cum licentia est illimitata comprehendit usus tam licitos, quam illicitos, et licet Praelatus sit simplex administrator, nulla lege tamen habetur quod eius facultas restringatur ad solos usus licitos; hinc licet eius licentia esset illicita, tamen non est invalida. Sed Praelatus (subiungunt) dando licentiam, non est quod velit illam concedere etiam ad usus turpes, nec quod limitet ad solos honestos, sed aufert de medio impedimentum quod subditus habebat, ne talem summam suo libitu expenderet defectu licentiae. Et licet licentia Praelati esset invalida, dicunt saltem praesumi rei restitutionem remissam esse a religione, ne fama subditi, aut Praelati, aut personae quae talem summam accepit, periclitetur. Sed, hoc non obstante a prima sententia desciscere nescio, quia satis mihi non probatur, quod Praelatus possit unquam hanc licentiam, sive specialem, sive generalem concedere ad usus illicitos; dum super bonis monasterii non habet aliam facultatem quam eam quae sibi a sacris Canonibus, aut a religione conceditur; et hanc facultatem ei nec Canones, nec religio concedunt, quae non praesumitur dare eam in perniciem suorum subditorum. Quoad restitutionem, dicunt Sanch. Molin. et Salm. cum aliis, sufficere ut ille qui rem recepit restituat ipsimet Religioso, modo ille non sit denuo illa abusurus. Sed hoc non potest convenire cum Bulla Urbani superius allata, ubi praecipitur ut re-

(1) 1. 2. qu. 96. a. 6. in fin. (2) l. 4. n. 33. (3) n. 34. (4) n. 36.

(5) ibid. v. Potest abbatissa.

stitutio fiat monasterio. Insuper dicunt Castr. Salm., etc. quod si mulier ob turpem sui corporis usum acceperit a Religioso, excusatur a restitutione, si propter ipsam honor religionis, vel Religiosi periclitatur. Sed hoc periculum mihi videtur esse valde difficile eventu. Excusant etiam mulierem, si praesumi posset quod Religiosus intenderet ei donare illam rem, quam deberet restituere ex eo quia illa est pauper: dum Religiosus tum eam expendit in usus honestos. Sed huic etiam obstant praefatae Bullae, cum praecipiatur ut restitutio fiat monasterio; et ut a conventu non possit remitti, nec concedi ut fiat pauperibus (1).

14. Dubitatur 7. an Praelatus possit dare licentiam Religioso, ut aliquam summam ludo exponat? Potest utique, si ludus est licitus, solatii nimirum, et non merae sortis, et si summa est modica, et Religiosus non sit strictioris observantiae, ut diximus *Tract.* 10. *n.* 220. Et ut dicunt Azor. Less. Mol. et Salmant. in hoc potest Religiosus uti etiam licentia tacita, aut praesumpta. Si vero summa est magna, aut ludus est per se illicitus, iam numero praecedenti diximus invalidam esse licentiam sive generalem, sive expressam (2).

15. Quoad votum castitatis, iam notum est quod quilibet Religiosus qui illud laedit, peccat etiam sacrilegii, et scandali praeterea, si ob eius peccatum aliquod famae detrimentum religio passura esset. Ob castitatis tutelam introducta est clausura, non tantum pro monialibus, sed etiam pro Religiosis, qui per Clementinam *Nullus*, non possunt e monasterio egredi nisi ex causa, et cum socio, et cum licentia Praelati: singulis vicibus danda in particulari, non in generali. Et communiter dicunt dd. huius praecepti transgressionem esse gravem, nisi esset semel atque iterum (nunquam de nocte) et praeciso scandalo (3).

16. II. Quoad votum obedientiae debent notari multa. Notandum 1. quod si Praelatus non exprimit praeceptum, dicendo: *Impono, iubeo*, etc. non inducitur praecise obligatio obediendi; ita Salmant. cum Suar. et Pelliz. Sed addo ego, oportere distinguere consuetudinem uniuscuiusque Instituti; nam in aliquibus Superiores pro *iubeo* solent dicere, *oro, placeat R. V.* etc. Attamen quocumque modo imponatur obedientia, dicunt communiter dd. Suar. Sanch. Vasq. Medin., etc. non obligare sub gravi, nisi dicatur: *In virtute sanctae obedientiae*, aut *in nomine Iesu Christi*, aut *sub poena excommunicationis ipso facto* (4). Notandum 2. quod Superior potest praecipere omnia quae directe, vel indirecte respiciunt regulam, aut illius maiorem observantiam; non autem illa quae sunt contra regulam (modo ille ex legitima causa non dispenset), aut supra regulam, nisi hoc faceret ad probandam subditorum obedientiam. Non potest autem imponere obedientiam, ut exerceantur quaedam corporis macerationes, aut alia extraordinaria onera (nisi esset in poenam), nec ut acceptetur episcopatus, aut aliud beneficium, sive sit curatum, sive simplex, nec ut ad infideles proficiscatur cum manifesto periculo vitae, aut captivitatis; nec ut assistant extraneis peste infectis, nisi cum non adest qui eis Sacramenta necessaria ministret. Dictum *extraneis*, quia tenentur obedire in assistendo illis, qui sunt eius Ordinis; Sanch. Caiet. Sporer, et alii communiter (5). Notandum hic quod dicitur in Trident. (*Sess.* 25. *de reg. et mon. c.* 4.): *Non licet Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint.*

17. Notandum 3. quod non peccant Religiosi non observando primitivam regulam, postquam introdu-

(1) lib. 4. n. 30. et 31. (2) n. 32.

(3) n. 37. (4) n. 38. (5) n. 39. et 40.

ctus est usus contrarius, ut dicunt Turrecrem. Sanch. Caiet. Salmant., etc. Dubitatur hic an peccent non obediendo Capitulo generali, quod praeciperet primam observantiam? Negant Castr. Laym. Spor., etc., nisi esset quod religio, nisi reformaretur esset potius nocumento Religiosis, quam utilitati. Sed alii absolute, et probabilius affirmant, ut Suar. Pelliz. Salm. de Alexand., etc. (1). Caeterum certum est quod Capitulum generale, aut provinciale semper aliquod novum statutum utile religioni, quod non sit regulae difforme, facere potest (2). Notandum 4. quod Religiosus qui transgreditur praeceptum Superioris, probabilius, ut dicunt Suar. Castrop. Pelliz. Salm., etc., committit duo peccata: unum contra virtutem religionis, ratione voti; aliud contra virtutem obedientiae promissae Praelato, quae praecise a voto obligat (3). Notandum 5. quod subditus tenetur obedire, quoties quod imponitur non est certum peccatum; ita docent omnes, s. Antonin. Sylvius Caiet. Cabass. Tournel. et alii cum s. Bernardo s. Bonav. et s. August. in *c. Si quod culpatur dist.* 23. *q.* 1. quia Superior est in possessione suae potestatis praecipiendi, unde non potest illa privari, nisi constet quod eius praeceptum sit illicitum (4); observetur id quod dictum est *Tract.* 1. *n.* 18. Et idem dicendum de dubio an praeceptum excedat, an non, facultatem Superioris, et an praeceptum sit supra regulam, ut dicunt Azor. Sanchez Valent. Salmant., etc. (5). Idem dicitur in dubio an qui praecipit sit legitimus Superior, cum in tali reperitur possessione (6) semper ei obediendum est. Excipitur tamen, si obedientia imposita ex una parte esset nimis molesta subdito, et ex alia esset probabiliter illicita, aut probabiliter excedèret potestatem Superioris; aut si obedire afferret subdito periculum grave damni spiritualis, aut temporalis; ita communiter Sotus Less. Tournel. Sanch. Castrop. Salmant. Holzman, etc. (7).

18. Quaeritur circa votum obedientiae: 1. An teneatur subditus obedire Praelato qui ei imponit ut revelet secretum sibi commissum? Respondetur cum s. Thoma (8), s. Anton. Navar., etc. negative, quia praeceptum naturale praevalet praecepto Superioris. Sed aliter currit, si ex secreti occultatione detrimentum passurus foret Praelatus, aut monasterium, aut alius innocens (9). An autem posset quis revelare secretum ut vitet damnum proprium; vide quod dictum est *Tract.* 11. *n.* 9. *in fine.*

19. Quaeritur 2. an possit excusari Religiosus a votis emissis in professione, cum suboriretur aliqua circumstantia, quae si praevisa fuisset, utique illa vota non emisisset? Iam diximus *Tract.* 5. *n.* 23. *et* 35. hoc esse probabile cum s. Thoma s. Antonin. et aliis, loquendo de votis simplicibus; exceptis tamen votis religionis et castitatis, ut recte dicunt Sanch. Suar. Pontius Castrop. Diana Salmant., etc. contra Bonac. qui dicit quod excusaretur ab illis, qui reperiretur in gravi periculo incontinentiae: sed nos diximus quod si haec ratio militaret, quasi semper huiusmodi vota frustrarentur. Sed loquendo de votis solemnibus quae in professione religiosa fiunt, aut in Ordinum sacrorum susceptione, nullam circumstantiam, licet novam, et non praevisam, posse unquam ab illis excusare, ut unanimes omnes, nemine contradicente, affirmant; quia professus, aut in *Sacris* ordinatus, non respicitur ut persona particularis, cui satius erit voto non esse ligatam, sed ut membrum communitatis, cuius bono debet posthaberi bonum privatum (10). Et idem propter eamdem rationem currit in votis (licet non solemnibus), quae fiunt in aliquibus

(1) lib. 4. n. 44. (2) n. 43. (3) n. 46. (4) n. 47. (5) ibid. v. Infertur 2. (6) ibid. in fin. v. Dub. 2. (7) n. 47.

v. Limitant (8) 2. 2. qu. 70. a. 1. ad 2. (9) l. 4. n. 49. (10). n. 50.

congregationibus virorum aut mulierum, et maxime si adiungitur votum, aut iuramentum perseverantiae, quia tunc (ut diximus *Tract.* 5. *n.* 19.) adest contractus cum congregatione obligatorius pro ambabus partibus; itaque sicut nequit, quacumque adveniente nova circumstantia (intellige sine sua culpa), congregatio subiectum dimittere, ita subiectus nequit a congregatione abire (1).

20. Dubitatur 3. an valeat licentia a Praelato inferiore concessa, cum a Superiore denegata est. Affirmandum cum Holzm. Pelliz. et Croix, quoties Superior positive non prohibet subdito exequi rem petitam; nam denegando tantum licentiam, non intelligitur velle derogare inferioris auctoritati. Si autem Superior interdicat inferiori dare licentiam pro aliqua re, probabiliter dicunt aa. citati, licentiam inferioris esse validam (licet illicitam), semper ac Superior non declaret esse etiam nullam (2).

21. Dubitatur 4. cui moniales teneantur obedire vi voti? Respondetur: 1. summo Pontifici, 2. Episcopo, si non sint exemptae; si autem sunt exemptae, Praelato Ordinis. Sed circa clausuram etiam exemptae tenentur obedire Ordinario loci, ex Bulla Greg. XV. *Inscrutabilis*, Clementis X. et Clementis XII. vide quod de hoc dicetur *Tract.* 20. *de priv. n.* 80. Quoad obedientiam generaliter Ordinario debitam, notandum quod moniales non tenentur obedire circa electionem officialium monasterii, ut declaravit S. C. Insuper notandum quod tempore visitationis tenentur moniales denunciare Religiosas regulas violantes, excipe si illae iam resipuerint, aut si delictum sit occultum, aut cognitum sub secreto naturali, aut posset occultari sine communi damno, aut si ab aliis iam sit manifestatum, aut si praevideatur quod revelatio profutura non esset, aut sibi obfutura, et occultatio non futura esset damno communitati (3). 3. Tenentur moniales obedire abbatissae in hoc quod spectat ad observantiam. Dicunt vero aliqui dd. non posse abbatissam praecipere in virtute obedientiae, cum non habeat iurisdictionem spiritualem, sed solum praesidere gubernio oeconomico monasterii. Sed valde rationabiliter p. de Alex. cum Pasqual. et multis aliis contrarium tuetur, cum ex voto obedientiae teneantur moniales obedire omnibus legitimis Superioribus, et abbatissae a Pontificibus uti tales in regularum approbatione recognoscuntur (4).

22. Hic iuvat animadvertere, iuxta Trident. *Sess.* 25. *c.* 7. *de reg. et mon.* non posse eligi in abbatissam quae sit minor 40. annis, et 8. annos non vixerit post professionem in religione, et debere esse ex choristis. Item advertendum quod si moniales fuerint discordes, debet Praelatus assignare tempus, quo elapso, ipse deputabit abbatissam, iuxta Decretum S. C. In monasteriis non exemptis Praelatus erit Episcopus; in exemptis erit Superior regularis, qui accipiet vota una cum Episcopo qui solus assistet. Facta electione, non poterit abbatissa officium exercere, nisi prius confirmationem acceperit a Praelato. Alia levioris momenti observari poterunt in opere (5).

Punctum III. *Cuinam ingredi religionem vetitum est.*

23. *An ingredi possint filii, relinquendo parentes in necessitate. Et an professi teneantur egredi ut succurrant parentibus.*
24. *An possint ingredi invitis parentibus. An si relinquantur filii in necessitate; quid si fratres aut sorores.*
25. *Qui avertit aliquem a statu religioso*
26. *Qui vocationem negligit.*
27. *An ingredi possint debitores.*
28. *An Episcopi*
29. *An parochi.*

23. 1. Nequeunt religionem ingredi qui relicturi essent parentes in ne-

(1) lib. 4. n. 50. v. Et idem. (2) ib. v. Quaerit. hic. (3) n. 51. (4) n. 52.

(5) n. 59.

cessitate, semper ac possent illis succurrere, in saeculo manendo; praeterquam si in saeculo, ut ait s. Thomas (1), *vident non posse vivere sine peccato mortali*, *vel non de facili;* et idem dicunt Sanch. Castr. Lez. Peyr. Salm., etc. (2). Pro *periculo* autem intelligitur, ut dicunt Salm., proximum. Et pro *necessitate* non intelligitur solum extrema, sed etiam gravis, ut dicunt communiter dd. cum s. Thoma, qui dicit contra, loco citato, quod non sit obligatus filius in saeculo remanere, *si* (parentes) *sine eius obsequio possunt aliqualiter sustentari, non honorifice* (3). Notandum tamen quod si filius culpabiliter relinqueret parentes in gravi necessitate, eius professio non esset invalida. Ideoque ex sententia probabiliori s. Antonin. Caiet. Sanch. Bon. Salm. Bord. Busemb., etc. si filius iam professus sit, non tenetur egredi e religione, ut succurrat parentibus in gravi necessitate constitutis. Ratio est, quia professus iam elegit statum, sicut filius qui uxorem duxit. Et hoc docet idem Doctor angelicus (4) dicens; *Ille vero, qui iam est in religione Professus, reputatur mortuus mundo*, *unde non debet occasione sustentationis parentum exire claustro.* Dictum est *in necessitate gravi*, quia in extrema utique teneretur filius egredi (5).

24. Extra casum necessitatis, dicebat Lutherus peccare filios ingrediendo religionem sine parentum consensu. Sed oppositum docuerunt omnes ss. Patres: s. Hieronymus, s. Ambrosius, s. Augustinus, s. Ioannes Chrysostomus, Concilium toletanum X. *c. ult.* s. Thomas, et omnes catholici; dum certum est, ut ait Angelicus (6), filios circa status electionem liberos esse. Et licet deceat (ut dicunt dd.) ut filii, nisi prius patris benedictionem susceperint, non discedant, hoc tamen intelligitur, cum nullum subest periculum, quod pater eos a sancto proposito avertat, sed quia hoc periculum plerumque semper adest, ideoque s. Thomas (7) absolute hortatur filios ne consanguineorum consilio utantur, cum res agitur de vocatione religiosa: *Sed ab hoc consilio* (ait Sanctus) *primo quidem amovendi sunt carnis propinqui. Propinqui autem carnis in hoc proposito amici non sunt, sed potius inimici.* Et s. Cyrillus relatus ab ipso s. Thoma (8), explicando effatum Evangelii: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (Lucae 9. 62.), ait: *Aspicit retro, qui dilationem quaerit cum propinquis conferendi* (9). Parentes pariter non possunt ingredi religionem, et relinquere filios in gravi necessitate, aut sufficienti educatione destitutos, *non proviso qualiter educari possint* ait s. Thomas 2. 2. q. 189. a. 6. Sed hoc non intelligitur ut dicunt Suar. Castrop. Pelliz., etc. (regulariter loquendo), de filiis emancipatis (10). Quoad fratres et sorores, tunc tantum non possunt religionem ingredi, cum illi in necessitate extrema relinquerentur; si autem essent in sola gravi, qui votum emisit religionis, non potest propter hoc illud differre, saltem diutius, sine dispensatione (11).

25. Sed antequam ulterius procedamus, iuvat hic animadvertere quod parentes, qui sine iusta et certa causa avertunt filios a statu religioso quocumque modo, sive malis artibus, aut precibus simplicibus, aut promissionibus, nequeunt excusari a peccato mortali; ita communiter s. Antonin. Navar. Tournely Abelly Salm. Conc. Spor. Mazzot., etc. Et (ut dicunt) non solum parentes, sed quicumque alius qui abducit proximum a vocatione religiosa, peccat graviter, ob grave damnum quod illi affert. Parentes autem dupliciter peccant, contra charitatem, et contra pietatem; dum ipsi tenentur pietatis officio ad procurandum filiorum spiritualem profectum

(1) Quodlib. 10. art. 9. (2) l. 4. n. 66. (3) n. 66. v. Sed. (4) 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. (5) n. 67. (6) 2. 2. q. 104. a. 5.

(7) Opusc. 17. c. 9. circ. fin. (8) 2. 2. q. 89. art. 10. ad 2. (9) vide l. 4. n. 68.

quam maxime possunt, ut recte advertit Bonac. (1).

26. Sed praeterea hic quaeritur, an peccet graviter qui vocatus ad religionem, vocationem negligit? Respondit Less. (2), quod ex se loquendo, non peccaret; consilia enim divina ad culpam non ligant; tamen subiungit, quod non posset excusari a peccato qui existimaret se damnatum iri, si in saeculo remaneret, en verba Lessii: *Si conscientia dictet tibi (quod saepe accidit) te desertum iri a Deo, nisi divinae vocationi obtemperes, et te periturum, si manseris in saeculo, etc., tunc peccatum est non sequi divinam vocationem.* Caeterum ego sic ratiocinor: Si peccat graviter (ut superius dictum est) quicumque alium a vocatione abducit propter damnum quod illi infert, quomodo a culpa erit immunis, qui novit se certe vocari a Deo ad religionem, et in mundo vult remanere cum suae salutis aeternae periculo? Ait doctus Habert quod qui statum vitae, ad quem non est vocatus a Deo, eligit, licet (absolute loquendo) possit in eo salvari, attamen cum difficultate salvabitur; nam (ut loquitur) erit ut membrum a suo loco motum, quod cum difficultate suo muneri deservire potest. Non secus qui in saeculo manere vult, neglecta divina vocatione, difficulter salvabitur, cum Deus in saeculo negabit ei ea uberiora auxilia, quae praeparaverat exhibere in religione, et sine his auxiliis posset salvari (absolute loquendo), sed nunquam salvabitur. S. Greg. scribens ad Mauritium imperatorem qui interdixerat militibus ingressum in religionem, dixit hanc legem esse iniustam, quia multis paradisum claudebat; *Nam plerique sunt* (sunt verba sancti) *qui nisi omnia reliquerint, salvari nullatenus possunt.* Itaque huic periculo salutis aeternae se exponere, numquam mihi suadere potero vacare culpa. Utrum vero haec culpa sit gravis aut levis, sapientum iudicio relinquo (3). Sed redeamus unde progressi sumus.

27. II. Nequeunt religionem ingredi debitores, qui ingrediendo non sunt amplius solvendo, sed si in saeculo manerent, sine gravi difficultate, et brevi solvendo fuissent; ita Azor. Navarr. Sanch. Salm., etc. Et licet sit satis probabile quod docet s. Thomas (4) (quem sequuntur s. Anton. Caiet. Silvest. Palud. Arm., etc.) qui dicit quod debitor *non tenetur in saeculo manere, ut procuret unde debitum solvat*, dicendo sufficere si cedat eis bona quae possidet; *quia* (rationem afferens) *persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae.* Nihilominus ego puto probabiliorem primam sententiam, quoties tamen (ut dictum est) brevi soluturus erit, nempe intra biennium, iuxta Sanch. et Nav.; et sine notabili difficultate solvere poterit, quia (sicut conveniunt dd. primae sententiae); si debitori manendo in saeculo brevi tempore immineret probabile periculum labendi in mortale, et vocationem amittendi, tunc potest statim ingredi. Intelligitur etiam modo debita sint certa, dum pro satisfaciendo debitis incertis non adest haec obligatio, ut communiter docent Castrop. Suar. Lugo Sanch. Salm., etc. (5). Advertendum tamen quod Sixtus V. in Bulla an. 1587. et Clemens VIII. vetarunt ingredi religionem nimis aere alieno gravatos, qui bona sua dilapidarunt, vel, qui deponere debent rationes, antequam debita solverint, aut rationes reddiderint (6).

28. III. Nequeunt fieri religiosi Episcopi, nam ipsi nequeunt relinquere suas ecclesias sine iusta causa; et hoc tum ob votum quod emittunt in acceptatione earum ut docet s. Thomas (7), se obligando perpetuo eis inservire; tum ob spirituale coniugium quod Episcopus contrahit cum

(1) l. 4. n. 77. (2) de stat. vitae eligend. qu. 8. n. 94. (3) Vide haec. et alia l. 4. n. 78. (4) 2. 2. qu. 189. a. 6. ad. 3.

(5) l. 4. n. 71. (6) ib. v. Advertendum. (7) 2. 2. q. 189. a. 7. et q. 185. a. 4.

sua ecclesia, quod coniugium a solo Deo solvi potest, ut exprimitur in *c. Inter corporalia, de translat. Episc.* ubi Innoc. III. sic dixit: *Non enim humana, sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur*. Ex quo merito deducunt Sotus Sanch. Caiet. Vasquez et Salm. (contra Suar. et Barb.) permutationem episcopatuum prohiberi iure divino; unde nc Papa quidem potest dispensare sine iusta causa. Dico *sine iusta causa;* nam, ut habetur in *c. Nisi, de renunt.*, bene potest Papa, *propter aliquam utilem et honestam causam*, permittere renunciationem, vel permutationem. Iustae causae sunt, ut dicunt dd. 1. bonum Ecclesiae universalis, ac etiam particularis (loquendo de permutationibus), v. gr. si alicui ecclesiae non esset alius idoneus qui promoveri possit. 2. Defectus proprius, si Episcopus esset infirmus, aut si aer illi esset nocumento, aut si est Senex, aut ignarus, aut irregularis. 3. Defectus subditorum, si eorum profectui reditus sit inefficax, aut si officio suo, ut convenit, fungi nequit. IV. Evitatio scandali aliorum, sed non intelligitur scandalum eorum qui iustitiam proterere vellent (1).

29. Nihilominus hoc quod dictum est de Episcopis, non procedit de parochis; nam hi, etiam contradicente Episcopo, possunt religionem ingredi, ut declaravit Urbanus II. *c. Duo sunt* 19. *q.* 2. sic dicens: *Si quis clericorum in ecclesia sua sub Episcopo populum* (nempe *proprium* ut explicat Glossa) *retinet, et saeculariter vivit, si afflatus Spiritu Sancto in aliquo monasterio, vel regulari canonica salvare se voluerit, etiam Episcopo contradicente, eat liber nostra auctoritate.* Et, ut ait s. Thomas (2), Parochus ingrediendo religionem licentia ne Pontificis quidem indiget. Hoc confirmatum est a Benedicto XIV. in sua Bulla *Ex quo dilectus*, ann. 1747.: attamen ibi dicit Pontifex, quod Parochus antequam ingrediatur, debet Episcopum certiorem facere; insuper decrevit ibidem parochiam non vacare, nisi post professionem, adeo ut fructus ad eum spectent durante tempore novitiatus. Et idem dicendum de aliis beneficiatis, ut dicunt Suar. Sanch., sed hi non peccant (ut subiungit idem Benedictus ibidem), si suos Episcopos certiorare omittunt, timentes ne ab ipsis de suo proposito revocentur. Caeterum declarat Pontifex, quod sicut potest Praelatus regularis subditum suum, qui ad strictiorem Ordinem sit digressus, ita Episcopus potest parochum aut clericum suum repetere a religione, *si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret iacturam*, etc. Sed si Ecclesia graviter *laederetur, esset revocandus*. Priora verba sunt Innoc. IV., posteriora Panormitani, quibus utitur Benedictus in sua Bulla, et postea concludit: *Et sic satis provisum est Episcopo* (3).

CAPUT II. DE STATU CLERICALI

30. Circa clericorum statum quatuor possunt considerari principaliora: Privilegia, munia, officia, et beneficia, quibus eos Ecclesia providet, quo ipsi sustentari possint. De privilegiis agetur *Tr.* 20. *cap.* 2. ubi de privilegiis ex proposito erit sermo. De muneribus, et officiis in examine Ordinandorum in *appendice* 3. Hic solum agemus de beneficiis ecclesiasticis, quae clericis conferuntur.

PUNCTUM I. *Cuinam conferri possint et debeant beneficia.*

31. *Quotuplex sit beneficium.*
32. *Quot modis acquiritur. De iure patronatus.*
33. *An etiam beneficia simplicia conferenda sint dignioribus.*
34. *An patroni debeant digniores praesentare.*
35. *An ad praelaturas, etc.*
36. *An sit valida minus digni electio.*
37. *An elector teneatur ad restitutionem.*

(1) l. 4. n. 76. et 104. (2) 2. 2. q. 189. a. 7. (3) l. 4. n. 74. et 75.

31. Beneficium ecclesiasticum definitur: ***Est ius perpetuum auctoritate Ecclesiae constitutum exercendi officium spirituale in aliqua ecclesia, et percipiendi propter ipsum fructus ex bonis ecclesiae.*** Distinguere oportet beneficia simplicia a duplicibus. Simplicia sunt illa quae tantum instituta sunt ad Horarum canonicarum recitationem, aut ob altaris servitium, et sunt canonicatus, et capellaniae auctoritate Pontificis, aut Episcopi erectae, et etiam praestimonia, quae clericis praestantur, ut vacent studio, et huiusmodi. Duplicia sunt illa quae aliquam iurisdictionem habent, ut episcopatus, et parochiales, et etiam decanatus, praepositurae, archidiaconatus, et huius generis, quae aliqua iurisdictione gaudent in clerum; aut aliqua praeeminentia fulgent, sed sine iurisdictione, v. g. loco distincto in choro residere, aut in processione, ut sunt dignitas primiceriatus, cantoratus, aut sacristae maioris, et haec proprio vocabulo appellantur *personatus*; aut denique habent annexum aliquod officium ecclesiasticum, ut thesaurarii, oeconomi, custodis, sacristae minoris: et hi habent aliquam administrationem, sed sine iurisdictione, et sine ulla praeeminentia (1).

32. Tribus modis acquiritur beneficium; 1. Collatione libera Pontificis aut Episcopi. 2. Electione aut confirmatione Superioris approbantis idoneitatem electi. 3. Praesentatione et institutione, sive electione Superioris, quae subsequitur, cum beneficium est iurispatronatus. Ius autem patronatus alterum est laicale alterum est ecclesiasticum. Et in hoc scire oportet, quod si patronus laicus non praesentat inter quatuor menses, ecclesiasticus intra sex, collatio devolvitur ad Praelatum, ad quem institutio spectabat, ut habetur ex *c. Quoniam de iure patr. et c. un.* §. *Verum eod. tit. in* 6. (2). Et notandum quod tempus praefatum currit etiam si orta fuerit lis circa praesentationem; modo lis non vertatur inter patronum et Episcopum, ut dicunt Azor. Salm., etc. ex cit. *c. Quoniam.* Potest tamen Episcopus prorogare praefatum terminum per alios sex menses, sed non amplius, ut notant Barb. Salm. ex *c.* 2. *de Concess. praeb.* (3). Si autem a patrono laico plures praesentati sint, Episcopus potest eligere quem malit, quia utraque praesentatio est valida; si autem a patrono ecclesiastico, debet eligere prius praesentatum, ex *c. Cum authentice, de iurepatr.* Sed si plures a diversis patronis fuerint praesentati, tunc si patronatus est ecclesiasticus, Episcopus debet praeferre digniorem, ut habetur expresse ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 18. ubi dicitur: ***Episcopus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet.*** Nomine *patroni* hic intelligitur patronus ecclesiasticus, de quo in hoc loco fit sermo, et intelligitur sive sit unus, sive plures qui haberent ius patronatus. Et sic declararunt mentem Concilii Sixtus V. et S. C., ut referunt Salmant. (4) cum Garcia Barbosa, etc. Si vero patronatus est laicalis, sufficiens erit si praesentatus sit idoneus, ut declarat Concilium ibidem: ***Quod si ius patronatus laicorum fuerit, debeat praesentatus examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.*** Qua de re tunc Episcopus debet eligere eum qui plures voces habet, ut dicunt communiter Less. Busemb. cum Laym. et Salmant. cum Sanch. (5). Et hoc procedit proculdubio etiam pro beneficiis curatis, de quibus perspicue loquitur Concilium in praefato loco, quicquid dicant Salmant.

33. Sed ad propositum punctum

(1) lib. 4. n. 83. et 84. (2) n. 88. (3) n. 89. (4) tract. 28. c. un n. 291. (5) Less. l. 2. c. 34. n. 33. et Salm. ib. n. 292.

deveniamus, nempe cuinam possint et debeant conferri beneficia? Pro resolutione multa dubia discutienda sunt. 1. An omnia beneficia sint conferenda dignioribus? Quoad cardinalatus, et episcopatus, certum est quod eligendi sunt digniores, ut constat ex Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform.* et ex prop. 47. ex proscriptis ab Innoc. XI. Et idem currit pro beneficiis curatis, ut habetur ex eodem Concilio *cit. cap.* 1. *et cap.* 18. Maior autem dignitas accipienda ex maiori Ecclesiae aut fidelium utilitate; sed ceteris paribus praeferri debet qui pietate, aut prudentia praestat doctiori: nobilior, aut potentior: oriundus, senior, pauperior et sacerdos non sacerdoti (1). Quomodo autem habendus sit concursus pro ecclesiarum parochialium collatione; ac de appellationibus ab irrationabili ordinarii iudicio admittendis, vel reiiciendis, vide in Bullar. Benedicti XIV tom. 1. Bulla *Cum illud* 68. sub die 14, decemb. 1741. Dubium vertitur circa beneficia simplicia, an peccet Episcopus eligendo minus dignum? Prima sententia Soti Nav. Sanch. etc. quam probabilem putant Salm. Carden. etc. negat eum peccare (nempe graviter, quia communiter non excusant saltem a veniali), dum dicunt quod beneficia principaliter sunt instituta in communitatis utilitatem, unde modicum est damnum cum praefertur, non tamen indignus, sed dignus digniori. Excipiuntur tantum canonicatus, quibus sit etiam annexum officium poenitentiarii aut instructoris. Hanc sententiam non puto improbabilem, sed existimo certe probabiliorem contrariam, quae etiam est communior cum s. Thoma (2), Less. Lugo Castrop. Holzm. Croix Ronc. Viva Salm. etc. Ratio, quia beneficia, ut communiter dicunt dd., non tantum instituta sunt propter Ecclesiae utilitatem, sed etiam (licet minus principaliter) ob meritorum remunerationem. Ex quo Episcopus duplici ex capite peccat graviter conferendo ea minus dignis, 1. quia laedit iustitiam distributivam, attento iure quod habent digniores, cum Episcopus non sit dominus, ut loquitur s. Thomas, sed simplex distributor beneficiorum: 2. ob damnum quod Ecclesiae suae infert, dum ubi non praeferuntur digniores, pauci curant digniores se reddere, et hoc non est detrimentum parvi momenti in bonum commune (3). Limitant tamen Nav. Sot. Less. Lugo etc. 1. si posthaberetur dignior semel atque iterum ad beneficium simplex, et etiam ad aliquem canonicatum, qui caret iurisdictione, aut functione magni momenti. 2. Si beneficium esset tenue. 3. Si eligeret aliquem de familia fundatoris, ut ait Tourn. cum Sylvio. 4. Si electus brevi renuntiaturus esset beneficium; Holzm. cum Pichler (4).

34. Quaeritur 2. an patroni etiam teneantur praesentare digniorem? Quoad beneficia curata, certum est patronos ecclesiasticos, et patronos episcopatuum (qui sunt reges) ad hoc teneri, ut declaravit Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. *et* 18. *de ref.* At idem proculdubio tenendum cum Lugo Sanchez Croix Viva Ronc. Salm. etc. quoad omnia beneficia curata, dum in cit. *cap.* 1. Concilium dicit quod quicumque patronus tenetur praesentare ad curas animarum digniores. Et hoc confirmatur ex eadem prop. 47. Innoc. XI. quae loquebatur de quocumque beneficio curato. Si autem beneficium fuerit simplex, ut diximus, probabilius est Episcopos teneri ad eligendum digniorem: ita dicimus de patronis qui eos praesentare debent. Excipit Lugo tantum eos qui conferunt capellanias contra Azor. Mol. Vasq. qui hoc permittunt solum fundatoribus (5). Quaeritur 3. an etiam renuntiationes debeant fieri dignioribus? Hic adsunt multae sententiae diversae, quae in

(1) lib. 4. n. 91. et 92. (2) 2. 2. qu. 63. a. 2. ad 1. (3) l. 4. n. 93. (4) n. 96.

(5) n. 97.

opere observari possunt (1); sed maxime aequa mihi videtur illa Card. de Lugo, qui dicit hic rationem culpae dimetiendam esse a damno, quod ex tali renuntiatione Ecclesiae obveniret. Unde postea concludit quod raro licitae sunt renuntiationes beneficiorum curatorum, et praecipue episcopatuum quia istae ut plurimum fiunt sub onere pensionis, ideoque non fiunt cum diligenti meritorum inquisitione (2).

35. Quaeritur 4. an peccent graviter Religiosi qui eligunt minus dignos ad praelaturas? Negant aliqui pauci; sed communissime et rectissime affirmant Lugo, Viva, Croix Ronc. Salm. etc. quia Praelati aequo ac Episcopi debent prospicere bono communitatis; et minus digni faciliter evadunt indigni, quia minori diligentia incumbunt ad sartam tectam servandam observantiam (3).

36. Quaeritur 5. an electio minus digni sit valida, cum beneficium est curatum? Negant Sanch. Castropal. Salm. etc.; sed probabilius affirmant Lugo Fill. Vasq. Holzman Anacl. Croix etc. Et probatur ex Bulla s. Pii V. ubi licet concedatur appellatio digniori, ibi tamen declaratur quod appellatio non impedit quominus executioni mandetur electio minus digni; valida igitur habetur. Nec obstat id quod dicitur in Trid. (*Sess.* 24. *c.* 18. *de ref.*): *Provisiones omnes praeter supradictas formas factas subreptitiae censeantur.* Nam per *formas* non intelligitur electio, ut adversarii autumant, sed proprie intelligitur ritus praescriptus qui tenendus est in collatione curarum, nimirum, ut intercedant edictum, concursus et examen (4).

37. Quaeritur 6. an eligens ad beneficium minus dignum teneatur ad restitutionem? Etiam de beneficio simplici, quod sine concursu providetur, affirmant Silv. Caiet. Bann. Salm. et alii: quorum alii dicunt restitutionem faciendam esse digniori; alii dicunt faciendam etiam Ecclesiae. Sed communius Canus, Nav. Tol. Less. Sanchez Lugo Castrop. Croix, eum excusant a restitutione facienda tam digniori, qui nullum ius rigorosum habet super beneficiis, quae principaliter fuerunt instituta ob bonum publicum; et minus principaliter in praemium meritorum, quam Ecclesiae quae non intendit obligare electores, nisi ad non eligendos indignos, (in quo casu utique tenerentur restituere Ecclesiae damnum). Et hanc sententiam puto probabiliorem, iuxta id quod dictum fuit *Tract.* 1. *n.* 20. et *Tr.* 10 *n.* 73. ubi dictum fuit possessorem bonae fidei non teneri ad restitutionem, quoties non est certus sui debiti (5). Ideoque ad nihil pariter tenetur qui Episcopum sine fraude avocat a conferendo beneficium digniori; ut diximus *Tract.* 10. *n.* 63. (6). Sed maius dubium vertitur an, cum beneficium providetur per concursum, eligens minus dignum teneatur compensare digniori damnum? Communissima est sententia affirmativa cum Sanch. Tourn. Less. Lugo Castrop. Holzm. Croix etc., quia dignior ob concursum acquirit verum ius in beneficium, ratione pacti quod tunc intercedit inter electorem et concurrentes, quod pactum (ut dicunt) sufficienter explicatur in Edicto. Hoc non obstante etiam excusant electorem non iam a peccato, sed a restitutione, Sot. Nav. Ledesm. Henriq. et alii, dicentes quod pactum quod supponitur non est rigorosum, ita ut obliget sub iustitia commutativa, sed potius declaratio obligationis quae Episcopo inest iuxta iustitiam distributivam (praeferendi nempe digniorem), quae non obligat ad restitutionem. Hanc secundam sententiam mihi animus non est uti probabilem probare, sed nec ut improbabilem audeo damnare, et si revera non constaret de huiusmodi pacto, non esset certa obligatio restituendi. Cae-

(1) lib. 4. n. 98. (2) n. 99. (3) n. 100. et 101. (4) n. 103. (5) n. 106. et 107.

(6) n. 108.

terum iidem dd. contrarii, uti Sanch. Lugo Ronc. et Garcia excusant ab omni restitutione, si excessus dignitatis esset modicus (1).

38. Quaeritur 7. an peccet dignus concurrendo cum aliis, quos se digniores putat? Negant Less. Sot. Azor. Caiet. Vasq. Salm. etc., et quidem probabiliter, nam talis videtur esse Ecclesiae mens, ut omnes digni concurrant, alioquin si dignioribus dumtaxat esset licitum concurrere, pauci concurrerent et forte iidem digniores, scrupulo perculsi, abstinerent a concursu, quod quidem in Ecclesiae detrimentum redundaret. Contra affirmant Sanch. Castr. Navarr. Lugo etc. semper ac dignus pro comperto haberet alium esse se digniorem, quia si unquam electus esset, iam esset causa talis iniustae electionis. Speculative loquendo haec secunda sententia videtur probabilior: sed in praxi videtur locum non posse habere, quia in nullo casu dignus potest esse certus quod Episcopus non habeat aliquam rationem, sibi latentem, excludendi illum quem ipse putat digniorem (2). Sed hic illud dubium se offert, an hic dignus, si certo cognoscat alium esse digniorem, peccet si acceptet beneficium, et teneatur ad restitutionem damni? Affirmant Nav. et Castrop.; sed Sot. Sanch. Turr. Salmant., etc. probabilius dicunt nec peccare, nec teneri ad restitutionem. Non peccat, quia acceptando beneficium, non iam cooperatur iniustae electioni, ut supponunt adversarii, dum Episcopus, cum iam illud ei contulerit, iam suum peccatum consummavit: quare per accidens habetur, quod postea acceptet vel non. Nec tenetur ad restitutionem, quia, collato beneficio in minus dignum, collatio est valida (ut ostensum est *n.* 36.); unde beneficium non amplius sistit inter bona communia, ideo dignior nullum amplius ius habet. Et huius sententiae est etiam s. Thomas (3) qui loquendo de episcopatibus, dicit quod elector tenetur praeferre meliorem; sed loquendo postea de electo sic ait: *Non autem requiritur ut reputet se aliis meliorem, sed sufficit quod nihil in se inveniat per quod illicitum ei reddatur assumere praelationis officium.* Tanto magis quod nemo, ut paulo ante diximus, potest certus esse iniustam fuisse eius electionem (4).

39. Quaeritur 8. an peccent examinatores, non deferendo ad Episcopum quis sit inter examinatos dignior? Negant Lugo Castrop. Croix etc. dicendo illos satisfacere, si tantum deferant Episcopo quos idoneos probant, dum Episcopi munus erit declarare quis eorum sit dignior. Sed probabilius et communius affirmant Azor. Nav. Ronc. Diana Salm. etc. quia licet iudicium ad solum Episcopum spectet, attamen hac propterea de causa Concilium statuit concursum, et examinatores, ut ipsi digniorem proponant, ut ita possit Episcopus melius iudicare, et eligere (5). examinatores autem debent iurare fungendi fideliter officiis suis, ut praecipit Trident. *Sess.* 24. *c.* 18. *de reform.*; secus concursus est nullus ex Decr. s. Congr. Conc. 2 *decemb.* 1628.

40. Quaeritur 9. an possint unquam conferri plura beneficia uni personae? Sed hic prius distinguenda sunt beneficia compatibilia ab incompatibilibus. *Compatibilia* sunt omnia simplicia quae residentia non indigent. *Incompatibilia* autem alia sunt primi, alia secundi generis. *Primi generis* sunt omnia beneficia duplicia quae hic *n.* 31. adnotata reperiuntur; nempe primo omnia beneficia curata, et ea quae sunt uniformia sub eodem tecto, ea nimirum quae eodem loco, et tempore in iisdem functionibus conveniunt: item omnes dignitates, personatus, et officia ecclesiastica quae ibidem adnotavimus. Incompatibilia vero *secundi generis* sunt ca-

(1) lib. 4. n. 109. (2) n. 110.
(3) 2. 2. q. 185. a. 3.

(4) Vide haec, et alia l. 4. cit. n. 111 v. dub. 2. (5) n. 111

nonicatus, et caetera beneficia residentiam exigentia. Sed hic antequam ad punctum attingamus, advertere oportet quod si quis duo beneficia incompatibilia recipit, accepto secundo, *ipso iure* vacat primum, et si ipse praesumat sibi retinere utrumque, *ipso facto* privatur utroque, uti constat ex Trident. *Sess.* 7. *c.* 4. *et Sess.* 24. *c.* 17. *de ref.* Hoc est certum de beneficiis incompatibilibus primi generis: dubitatur an idem valeat pro aliis secundi generis? Affirmant Contin. Tourn. Spor. et Salm. (1) cum Azor. Gonzal. Fagn. etc.; et probant ex eodem Trident. locis citatis, et ex quadam declarat. S. C. et idem dicunt Salmant. cum aliis etiam de beneficiis simplicibus, licet residentiam non requirant(2). Nihilominus Laym. Busemb. et alii apud Salm. hoc negant cum Navar. qui dicit non constare de hac declaratione; et ad Tridentinum respondent: Concilium in posteriore loco, ubi tantum disserit de vacatione, loquitur de beneficiis curatis, non vero de aliis (3). Sed, ut dicunt iidem Salm. et Abelly, Papa potest dispensare, et dumtaxat in casu evidentis necessitatis, aut utilitatis. secus (ut tenent Bell. Panormit. Tol. Salm). qui plura huius generis beneficia reciperet, etiam ex Pontificis dispensatione, tutus non esset in conscientia (4).

41. Caeterum beneficiorum etiam simplicium pluralitas certe Canonibus adversatur, modo primum beneficium congruae sustentationi sufficiat, ut declaravit Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *de ref.*, ubi sic habetur: ***Statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.*** Sed maius restat dubium, an pluralitas etiam simplicium sit vetita non tantum iure canonico, sed etiam divino. Alii absolute id negant, ut Innoc. Lugo Filliuc. Valent. etc.; alii absolute id affirmant, ut Panormit. et Continuator Tourn. cum aliis, et praecipue cum Bellarm. qui tenet Papam sine causa urgentissima dispensare non posse: et hoc tum quia non potest unus duabus ecclesiis deservire, tum quia haec praesumitur fuisse voluntas fundatorum, ne quis nisi de una ecclesia curam habeat. Sed sententia communis et tenenda cum s. Thom.(5), quem sequuntur Azor. Less. Laym. Abel. Holzm. Salm. etc. dicit pluralitatem beneficiorum utique esse illicitam, etiam iure naturali, ita ut ne Papae quidem dispensatione possint licite retineri, cum unum satis est ad sustentationem. Et non tantum ob primam rationem allatam, quam ob secundam; tum etiam quia perturbaretur ecclesiasticus ordo propter tot rerum confusiones a Ioanne 22. *in extrav. Execrabilis de praeb.* adnotatas, nimirum quod, admissa hac pluralitate, aliqui superfluis redundarent, et alii forsan digniores mendicare cogerentur: item quod, cum ecclesiae non haberent rectorem peculiarem, facile illae debito obsequio defraudarentur: item quod qui plura habet beneficia, nequit invigilare ad defendenda iura uniuscuiusque ecclesiae: item quia redituum copia cupiditas et luxus foventur. Nihilominus dicimus cum eadem sententia, quod hoc non est ita illicitum, ut Papa ex iustis causis nequeat dispensare(6). Hae autem causae sunt, 1. *necessitas*, nempe, ut docet s. Thomas (7), *si sit necessitas in pluribus ecclesiis eius obsequio.* 2. *Utilitas*, si beneficiatus melius potest ipse solus, licet absens, sua auctoritate, doctrina, et prudentia, quam alius praesens prodesse, ut ait idem Doctor angelicus loco citato: *Ipse possit plus deservire ecclesiae, et tantummodo absens, quam alius praesens.* 3. *Meritorum*

(1) Tract. 28. de benefic. n. 664.
(2) V. op. nostrum l. 4. n. 118. v. quaer.
(3) n. 116. v. notandum (4) ib. v. praeterea.

(5) Quodlib. 9. a. 15. (6). l. 4. n. 117
(7) Quodlib. 9. art. 15

praerogativa, eorum nempe qui prosunt ecclesiae sua doctrina, instructione, aut scriptione, cum dicatur in *cap. De multa*, §. *fin. de praebend. Nullus plures dignitates aut personatus habere praesumat; circa sublimes tamen, et literatas personas, quae maioribus beneficiis sunt honorandae etc.*

Punctum II.

De qualitate et obligatione beneficiatorum, et quot modis beneficia amittuntur.

42. *Qualitates beneficiatorum. De intentione intra annum suscipiendi Ordines, etc.*
43. *Qui recipit parochiam cum animo dubio, aut conditionato.*
44. *Qui recipit beneficium cum animo illud relinquendi.*
45. *Munia beneficiati. Quoad fructus, etc. An de illis vivere possit.*
46. *Quibus debet erogare superflua.*
47. *An loci pauperibus.*
48. *An parentibus.*
49. *An pensionarii teneantur erogare superflua.*
50. *De residentia canonicorum.*
51. *Poenae non residentium.*
52. *Causae excusantes, et I. Infirmitatis.*
53. *II. Necessitatis.*
54. *An excommunicatus, etc.*
55. *An irregularis, etc.*
56. *III. Utilitatis. De eo qui assistit, etc. De poenitentiario, et theologo.*
57. *De examinatoribus, visitatoribus, etc.*
58. *Quot modis amittuntur beneficia; praecipue renuntiatione, et per iura, et praecise si intercedit simonia.*
59. *De pensionibus.*
60. *Quae artes, et officia sunt clericis interdicta.*
61. *De bonorum ecclesiasticorum alienatione.*
62. *De solemnitatibus requisitis.*

42. Primo loco de qualitatibus loquendo, beneficiatus debet esse clericus, saltem tonsuratus. Item non debet esse illegitimus (cum quo tamen potest Episcopus dispensare ad Ordines minores, et ad beneficium simplex). Item quod non sit irregularis non facinorosus nec excommunicatus. Item habeat scientiam competentem, et aetatem legitimam, nempe ad beneficium simplex 14. annorum (et sufficit inceptorum iuxta communem cum decl. S. C. apud Fagn. *tom.* 3. *in* 1. *part.* 3. *Decretal. de Praebend. cap. Super inordinata, n.* 15.); ad illud autem quod requirit Ordinem subdiaconatus, annum 21. inceptum; pro eo quod requirit diaconatum, annum 22; quod requirit sacerdotium habeat annos 24; pro beneficio curato habeat annos 25. inceptos, ut habetur ex *c. Licet de Elect. in* 6. Pro episcopatu denique requiritur aetas 30. annorum completorum, ex *c. Cum in cunctis, n.* 16 *et seqq. eodem tit.* Adnotandum hic insuper quod in ecclesiis cathedralibus pro dignitatibus quae sacerdotium non requirunt, exposcitur aetas 22. annorum inceptorum: sed hoc non requiritur pro collegiatis, iuxta Declarat. S. C. apud Fagnan. in cit. *cap. de elect. n.* 34. *et seqq.* Hi beneficiati tenentur intra annum suscipere Ordinem sacrum; et si una tantum hora desideraretur, beneficiatus illud retinere non posset, modo in bona fide illud non praescripsisset per triennium, ut dicunt Less. et Busemb. (1). Qui ergo beneficium cui annexus est sacer Ordo suscipit, intentionem tenetur habere se promovere faciendi intra annum. Et si beneficium est curatum, qui animum non habet sacerdotio initiandi, non tantum graviter peccat, ut certum est, sed etiam *ipso iure* beneficio privatus existit, adeo ut teneatur restituere omnes fructus perceptos, excepto si intra annum ab hac voluntate discederet, ut recte dicunt Less. Nav. Sanch. et Salm. (contra Sotum et Tol.) et ut clare habetur ex cap. *Commissa de elect. in* 6. cum ibi dicatur: *Nisi, voluntate mutata, promotus fuerit etc.* Potest tamen Episcopus ad septennium dispensare, ut beneficiatus studiis vacet, substituendo interim beneficio vicarium(2). Sed hoc debet intelligi (ut ait Laym.)

(1) lib. 4. n. 112. (2) n. 113.

non posse huiusmodi dispensationem concedi sine gravi necessitate, aut magna utilitate Ecclesiae, ut apparet ex *cap. cum ex eo de elect. in* 6.

43. Hic dubitatur 1. an graviter peccet, aut teneatur ad restitutionem fructuum, qui animo ancipiti, aut conditionato sacerdotio initiandi, recipit beneficium curatum? Tres adsunt sententiae. Alii absolute negant; alii affirmant, si animus est dubius, negant vero si sit conditionatus; ita Less. Sanch. Salm. etc., quia animus conditionatus (ut dicunt) est verus animus. Sed nos affirmamus cum Sot. Azor. et Gonc., sive animus sit dubius, sive conditionatus; quia semper ac deest animus sacerdotio initiandi, semper adest fraus, ratione cuius textus citatus *cap. Commissa*, obligat ad fructuum restitutionem, cum ibi dicatur: *Teneris ad restitutionem fructuum, cum eos receperis fraudulenter*. Caeterum hoc non impedit quominus beneficiatus, accepto beneficio animo absoluto, deinde mutata intentione, possit illud abdicare (1).

44. Dubitatur 2. an qui recipit beneficium simplex, graviter peccet, si illud acceptet animo illud postea deponendi? Certum est (ut supra innuimus) graviter peccare, si beneficio annexus est sacer ordo, et ipsi deesset animus initiandi; ita communiter Castrop. Sanch. Salm. Busemb., etc. Sed dubium restat an, cum beneficio non est annexus ordo, peccet qui illud recipit cum intentione illud renuntiandi, et deinde uxorem ducendi? Affirmant Tolet. Less. et Salm. putantes hoc gravem ordinationis naturalis et divinae continere perturbationem. Alii contra, ut Castropal et Garcia, eum excusant ab omni culpa. Sed alii communius, ut Sanch. Nav. Laym. Vasq. et Busemb., dicunt peccare tantum venialiter, non agnoscentes in hoc tam gravem perturbationem, ut pertingat ad mortale, saltem ob s. Antonin. documentum ex s. Thoma excerptum, nempe nihil tamquam grave damnandum, nisi evidens ratio id suadeat (2). Verba s. Antonini allata sunt *Tr.* 3. *n.* 66.

45. Loquendo secundo loco de beneficiatorum muneribus, haec sunt plura. Tenentur illi deferre habitum, et tonsuram, recitare Horas canonicas, et restituere fructus, si illas omittunt. Sed de his in examine Ordinandorum in 3. *appendice ex num.* 49. *ad* 84. Restant tantum hic discutiendae et obligatio bene administrandi fructus beneficiorum, et obligatio residendi. Et quoad administrationem fructuum, notandum 1. certum esse (quicquid dicant aliqui aa. qui videntur potius rigore oblectari, quam ratione) beneficiatum tuto posse ex illis vivere, licet bonis propriis provisus esset; ita communiter Fagnan. Habert Petrocor. Anacl. Holzm et alii cum s. Thoma (3); cum aequum sit ut qui altari servit, ex altari vivat. *Quis militat* (ait apostolus) *suis stipendiis unquam?* (1. *Cor.* 9 7.). Sed excipiendus cum Angelico casus in quo adesset aliquis pauper in gravi necessitate, aut captivus apud barbaros, quia tunc beneficiatus, cum iam habeat superfluum statui suo, tenetur ei subvenire (4). Caeterum excepto hoc casu, si clericus viveret propriis reditibus, bene potest sibi abdicare ex bonis beneficii, et pro libitu suo insumere quantum ad suos usus impendit, ut dicunt Less. Anacl. et alii (5).

46. Notandum 2. quod si fructus beneficii supersunt clerici sustentationi, etiam certum est quod ille tenetur eos pauperibus erogare, aut alii pio usui applicare, ut communiter admittunt dd., dum a Tridentino nihil aliud praecipitur, nisi ne illos dilapident, sed ut in pia opera applicent. Sed in hoc etiam excipiendus est cum Lugo et Lessio, casus,

(1) lib. 4. n. 114. (2) n. 113. quaer. hic 1. (3) 2. 2. qu. 185. a. 7. ad 3.

(4) Vide l. 3. n. 491. quaer. 5.
(5) ibid. quaer. 1

si adessent pauperes in gravi necessitate constituti: quorum pauperum, ait p. Viva, teneri Episcopos et parochos notitiam exquirere (1). At cum desint huiusmodi pauperes, ait Holzm. cum s. Thoma (2) et aliis, posse beneficiatum reservare fructus perceptos pro Ecclesiae aut pauperum necessitatibus futuris (3).

47. Notandum 3. non teneri praeferre loci pauperes, ut dicunt dd. communiter, dum Canones disponunt pro pauperibus in generali. Limitant Salm. et Holzm. si in loco adessent pauperes in extrema, aut gravi necessitate; sed haec limitatio communius negatur a Molina Azor. et Bon. cum Nav., dummodo (intelligendum) fructus distribuantur aliis pauperibus aeque indigentibus; et dummodo non constet aliam fuisse fundatorum voluntatem; et addit Molina, dummodo aliud non postulet bonum commune dioecesis, v. g. si prospiciendum esset alicuius collegii educandorom paupertati (4).

48. Notandum 4. sub nomine pauperum comprehendi etiam coniunctos, si vere ipsi egentes ita sint, ut iuxta status sui conditionem vivere nequeant, quod expressum habetur in Trident. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de ref.* Et hoc valet etiamsi adsint pauperes egentiores, ut dicunt communiter Tolet. Molina et Viva (contra Laym.), quia propinquorum sustentatio ad proprium statum pertinet beneficiatorum; quapropter dicitur universaliter cum Azor. Castr. et Croix, quod clericus libere potest ex fructibus beneficii alere se et suos (5).

49. Quaestio est an pensionarius teneatur pariter erogare pauperibus fructus pensionis statui suo superfluos? Alii, ut Sanch. Mol. Salmant., distinguunt pro pensionis qualitate, si est laicalis, aut ecclesiastica (prout explicabitur *n.* 59.): negant si est laicalis; affirmant vero si est ecclesiastica, dicendo tunc pensionem transire cum eadem natura et onere fructuum beneficii. Nihilominus est satis probabilis sententia de Lugo Vasq. Covar. Azor., etc. quae universe negat; et Azor. refert ita fuisse decisum a Rota romana; ratio est quia cum iam detracta sit pensio a fructibus beneficii, iam isti reperiuntur pie applicari; qua de re nulla remanet obligatio illos applicandi denuo in opera pia. Et idem dicit Mastrius cum Bonac. de commendis equitum s. Ioannis s. Iacobi, etc., quibus Greg. XIII. concedit testandi facultatem; sed in hoc contradicunt Azor. Navar., etc. (6). An autem beneficiati teneantur ad restitutionem, si fructus beneficii in usus vanos impendant, vide quod dictum est *Tr.* 10. *n.* 7. ubi etiam, *n.* 6. fuit sermo de diversis clericorum peculiis, et de eorum facultate in disponendo de illis. Hic tantum superest advertendum, materiam gravem in hoc debere esse maiorem quam in furto, ut communiter loquuntur dd. Coninch. et Castrop. qui requirunt tertiam aut saltem quartam partem fructuum beneficii; sed Lugo Croix, etc. hoc reprobant, et dicunt esse sufficienter gravem vigesimam partem, nempe quina in centena, si ipsa pars pertingit ad summam notabilem (7).

50. Quoad residentiam vero iam locuti sumus de Episcoporum et parochorum residentia *Tr.* 7. ex *n.* 14. et ex *n.* 62. Restat hic de residentia clericorum, qui portionem habent in cathedralibus, aut collegiatis: hi ex Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.* possunt abesse tres menses; et hoc tempore licet lucrentur fructus praebendarum, non vero distributionum, quae (hic obiter advertendum) non possunt a consociis remitti: *quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant;* ut loquitur Concilium (8). Caeterum quoad fructus praebendarum tribus illis mensibus, ille eos non amittit, licet inutiliter,

(1) vide l. 3. n. 491. quaer. 1. (2) 2. 2. q. 185. a 7. ad 4. (3) l. 3. n. 491. quaer. 4. (4) ib. quaer. 3. (5) ib. quaer. 2.

(6) ib. quaer. 6. (7) l. 4. n. 183. (8) l. 3. n. 675. dubit. 2.

et sine iusta causa canonicus abesset, ut satis probabiliter dicunt Sanch. Pelliz. et alii, dum Concilium sine ulla limitatione canonicis permittit tanto tempore abesse. Advertatur tamen quod ex Decr. S. C. Conc. apud Iordan. Pax (1), canonici nequeunt in mensibus conciliaribus abesse dioecesi, nisi de licentia Episcopi. Et hic notandum amplius Episcopum non posse coniungere tres menses anni praeteriti cum tribus aliis anni sequentis, ut declaravit Benedictus XIV. in sua Bulla *Ad universae* (2); sed hoc bene posse canonicos, dummodo (ait p. Concina) absit scandalum, et cultus divinus non minuatur.

51. Praecipit Tridentinum ibidem canonicos, qui ultra tres menses non resident, primo anno privari dimidia parte fructuum; quod si in absentia perseveraverint, privantur omnibus fructibus illius anni: *Crescente vero contumacia* (ait Tridentinum), *contra eos iuxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur*, nempe ad ipsorum beneficiorum privationem. Tenet Bon. (3) canonicos absentes pro illo absentiae tempore non privari ipso facto dictis fructibus, dicens quod decretum Concilii est poenale, ideoque exposcit sententiam. Nos non dubitamus quin sit poenale quoad restitutionem dimidiae partis fructuum totius anni; sed quoad fructus correspondentes ad absentiae tempus elapso trimestri conciliari, dicimus cum Salm. (4) eos non posse exigi, aut retineri, dum in concilio dicitur: *Privetur dimidia parte fructuum*, *quos ratione etiam praebendae*, *et* (nota) *residentiae fecit suos*. Si igitur canonicus ratione residentiae facit suos fructus, consequens erit quod non residens non facit suos. Et hoc clarius explicavit Benedictus XIV. in Brevi (quod in Bullario est appositum) cardinali Delfino directum sub die 19. Ianuar. 1748. ubi dixit canonicos non canentes in choro nullo pacto ex praebendis et distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse. Igitur si non canens non acquirit fructus, tanto minus qui non assistit choro (5).

52. Causae excusantes totaliter canonicos a chori assistentia sunt tres, *Infirmitas*, *rationabilis corporis necessitas*, *et evidens Ecclesiae utilitas*, ut dicitur in *c. un. de clericis non resid. in* 6. Ita ut his stantibus causis, canonici non privantur nec fructibus, nec distributionibus. Excusat igitur 1. *infirmitas*, intelligitur gravis, aut ea quae probabiliter potest gravis fieri. Hinc excusantur senes, si non possunt sine gravi incommodo adire, aut interesse choro. Caeci tamen tenentur interesse, si sine gravi incommodo possent adire ecclesiam; et ita pariter surdi, qui tamen supplere tenentur submisse recitando partem, quam non audiunt (6).

53. Excusat 2. *necessitas corporis*; qua de re intelligitur excusare timor cuiuslibet damni gravis. Ideoque excusantur, qui medicinas sumunt, aut ad balnea, aut ad saluoriorem aerem proficiscuntur (7). Hic notatur 1. quod si quis fuerit iniuste excommunicatus, aut suspensus, aut si ei iniuste denegetur absolutio, et propterea choro non interest, hic nec fructus, nec distributiones amittit. Notatur 2. quod si ecclesia fuerit polluta aut interdicta, canonici, licet non assistant, lucrantur utrumque, modo ipsi causam non dederint interdicto, aut ecclesiae violationi (8).

54. Hic dubitatur 1. an excommunicatus, etsi choro assistat, sit *ipso facto* privatus distributionibus, et fructibus? Affirmat p. Concina cum aliis, sed non improbabiliter negant Sanch. Bonac. Castr. Salm., etc. quia licet

(1) Iord. Pax Elucubr. l. 20. t. 40. n. 79. (2) l. 4. n. 122. v. insuper. (3) t. 1. d. 5. de onere benef. ad resid. punct. 4. n. 16. cum Macigno (4) de legib. c. 2. n. 62. (5) l. 3. n. 675. dubit. 3. et l. 4. n. 130. (6) l. 4. n. 129. dubit. 1. et 2 et n. 163. quaer. 3. (7) n. 130. v. 2. excusat. (8) n. 130. v. quando.

ille peccet assistendo, et mereatur illis privari, attamen nullibi reperitur imposita talis privatio ipso facto (1).

55. Dubitatur 2. an irregularis sit privatus? Sed hoc dubium dependet ab illo alio, nempe an sola collatio beneficii facta irregulari sit ex se invalida? Si irregularitas fuerit incursa post collationem, certum est apud omnes eum non privari, ideoque canonicus irregularis qui interest, non privatur nec fructibus, nec distributionibus. Quaestio igitur est, an sit nulla provisio, cum irregularitas ante illam incursa fuerit? Negant Castrop. Ronc. Elbel, Salm., etc.; sed probabilius affirmant Bonac. Tourn. Concina, Holzm. et alii communissime. Et probatur 1. ex *cap.* 1. *de cler. pugn. in duello*, ubi dicitur: quod potest dispensari cum clerico irregulari, ut beneficium recipiat; itaque sine dispensatione est incapax. Probatur 2. ex Trident. *Sess.* 22. *c.* 4. *de ref.* ubi sic dicitur: *Non fiat provisio nisi iis qui aetatem, et ceteras habilitates habent*; *alias irrita sit.* Nec dicatur hic loqui de habilitate de iure naturali, non autem positivo; nam respondetur quod aetas utique est de iure positivo, ideoque *To ceteras habilitates* debet intelligi de habilitatibus tum de iure naturae, cum de positivo. Quare probabilius, imo verius irregularis non potest beneficii fructus lucrari (2).

56. Excusat 3. *ecclesiae utilitas*; intelligitur modo sit gravis Episcopi aut capituli iudicio; intelligitur non tantum utilitas ecclesiae propriae, sed etiam ecclesiae universalis, aut dioecesis, ut communiter dicunt Concina, et Salmant. cum Pelliz. Castropal. Bonac., etc. contra Holzm. qui non admittit bonum ecclesiae universalis; sed immerito quia istius bonum est praestantius, et in bonum particularis etiam confert. Propterea non carebit nec fructibus, nec distributionibus 1. canonicus qui Romae, aut apud principem degit ut iura sui beneficii (non autem ius proprium ad beneficium) patrocinetur, aut missus a capitulo negotiorum Ecclesiae causa, aut missus ab Episcopo eius nomine ad limina apostolorum visitanda; aut si Episcopus eum ducit secum (cum possit etiam duos secum ducere) ad praefatam visitationem: aut si fuerit in vicarium capitularem electus; si autem ab Episcopo sibi vicarius fuerit creatus, lucrabitur fructus, non vero distributiones (3). 2. Canonicus poenitentiarius, si ipse confessiones excipit dum officium recitatur: *Trid. sess.* 24. *c.* 8. aut in confessionali expectat eos qui confiteri velint, ut dicunt Castr. Bonac. Concin. Ronc. Salm., etc. cum declaratione S. C. Et idem dicit probabiliter p. Concin. de canonico in locum poenitentiarii suffecto aut de alio qui tempore concursus ad illum coadiuvandum missus fuerit ab Episcopo. Idem dicunt de canonico curato dum suo ministerio fungitur, Castr. et Conc. qui hoc admittunt (contra Bonacinam), licet ecclesia, cuius curam habet, esset diversa, sed ipsius dioecesis. 3. Canonicus theologus qui tempore officii docet, aut concionatur, aut concioni faciendae vacat (4).

57. Lucrantur vero fructus, sed non distributiones (nisi alia esset consuetudo, ut dicunt Pichler, et Concina) 1. Canonici examinatores examinantes dum recitatur officium. 2. Visitatores dioecesis. 3. Duo illi canonici quos sibi Episcopus adsciscere potest. 4. Canonici qui docent in scholis (aut student de licentia Episcopi per quinquennium theologiae), ut habetur in *cap. in fin. Docentes, de magistris*; quod etiam extendunt communiter dd. cum declar. S. C. etiam ad grammaticam, Castr. Ronc. et Salmant. qui rationabiliter extendunt etiam ad logicam, et philosophiam. Et etiam currit pro parochis qui docent, non autem qui student,

(1) lib. 4. n. 130. v. cum autem.
(2) n. 130. v. quaeritur autem.
(3) ib. v. 3. excusat.
(4) n. 131 v. sic pariter.

ut dicunt iidem aa. (1).

58. Denique notatur quod quadrifariam beneficia amittuntur: 1. morte beneficiati. 2. Sententia iudicis. 3. Renuntiatione. 4. Legis dispositione. Sed circa hos postremos modos oportet plura notare. Et 1. quoad renuntiationem, aut resignationem beneficii, oportet distinguere plura renuntiationum genera, quae reperiuntur. Alia dicitur *expressa*; alia *tacita*, v. g. ob religionis professionem, aut huiusmodi. Alia est *pura*, sine ullo pacto, aut conditione; alia *conditionata*, nempe in alicuius favorem facta. Et haec potest esse aut *simplex*, aut *qualificata*, nempe cum pensione, aut cum pacto iterum beneficium recipiendi, quae dicitur *ius regressus*. Ad hoc ut haec renuntiatio conditionata vim habeat, multa desiderantur: 1. ut beneficium iam a resignante sit acquisitum. 2. Ut libere, non minis fiat. 3. Ut fiat in manus Pontificis, 4. Ut a papa acceptetur, vel ab alio, qui potest illam admittere; et si renuntiatio est pura, ut sit valida, omnino acceptata esse debet saltem a collatore, ut habetur ex *cap. Admonet*, *de renunt.* (2). 5. Ut acceptetur a resignatario. 6. Ut patroni consentiant. 7. Ut fiat cum clausula, *non aliter*, etc. 8. Ut, si renuntians sit infirmus, saltem post renuntiationem peractam, superstes sit per 20. dies. 9. Ut renuntiatio publicetur in Curia Romana (3). Quod dicitur de renuntiatione, idem etiam currit pro beneficiorum permutatione. 2. Quoad ultimum, quod est legis dispositio, vi huius ipso facto amittuntur beneficia ob matrimonium, ob religiosam professionem, ob alterius beneficii incompatibilis acceptationem, ut dictum fuit *num.* 40. Item amittuntur beneficia ob simoniae facinus, et praesertim ob simoniam patratam ab examinatoribus synodalibus in beneficiis curatis; qui si aliquid accipiunt examinis contemplatione, tam ipsi, quam illi qui dederunt, inhabiles fiunt ad recipienda in posterum beneficia; et *ipso facto* privati existunt omnibus beneficiis quae iam habebant; et hoc ante omnem sententiam, ut habetur ex Trident. *sess.* 24. *c.* 18. dum dicit Concilium, ab ea simonia *absolvi nequeant*, *nisi dimissis beneficiis*. Incurritur etiam privatio beneficiorum, etiam antea obtentorum, ob collationem simoniacam alicuius beneficii. Sed hic distinguendae sunt multae species simoniae: mentalis, conventionalis, realis, et confidentialis. *Mentalis* est, cum aliquis dat temporale cum intentione aliquem obligandi ad praestandum spirituale, aut e converso, sed nullo interveniente pacto. *Conventionalis* est, cum intercedit pactum; sed ex neutra parte executioni mandatum; neutri harum imposita est aliqua poena. *Realis* autem est cum iam pactum est adimpletum; et huic ex Bulla S. Pii V. *Cum primum* 1566. praeter papalem excommunicationem *ipso facto* imposita est poena nullitatis collationis beneficii (ita ut ex *Extr*. Pii IV. *In sublimi*, sub die 5. maii 1662. simoniacus, si nollet beneficium omittere, absolvi nequeat); et adest praeterea poena privationis beneficiorum antea adeptorum; et inhabilitas ad alia in posterum adipiscenda. Sed iuxta sententiam probabiliorem, et communiorem Nav. Suar. Sanch. Laym. Anacl. Ronc. Croix, etc. praefatae poenae non incurruntur, nisi simonia ab utraque parte perfecta sit; et hic est stylus Curiae, ut testatur Nav. et alii (4). Et licet simonia sit completa, praedictae duae ultimae poenae privationis, et inhabilitatis non incurruntur, nisi post sententiam condemnatoriam, ut dicunt communissime Bonac. Castrop. Sanch. Laym. Filliuc. Salm., etc. (5), nam in nulla legum invenitur haec poena *ipso facto*. Nec obstat Bulla s. Pii, quia (ut dicunt

(1) lib. 4. n. 131. v. sentiunt. et 132.
(2) vide haec et alia l. 4. n. 133. et seqq.
(3) n. 134. 135 (4) l. 3. n. 106. v. quaer. 1.
(5) n. 112. v. quaer. 3

praefati dd.) illa intelligitur suam habere vim in foro externo, cum dicatur ibi *quicunque convictus fuerit*; saltem in eo sensu est tantum recepta. Simonia *confidentialis* denique est cum aliquis renuntiat alteri beneficium cum pacto, ut hic postea retrocedat, aut renuntiet sibi, aut alteri, aut cum onere fructuum portionem sibi praestandi. Huic simoniae confidentiali impositae sunt eaedem poenae, et insuper ex alia Bulla eiusdem s. Pii *Intolerabilis*, §. 3. sufficit ut simonia completa sit ab una ex partibus (1). At quod spectat ad privationem beneficiorum, quae iam erant obtenta, et inhabilitatem ad ea in posterum obtinenda, impositas expresse in citata Bulla *Cum primum*, saltem opus est sententia declaratoria delicti, ut dicunt probabiliter Caiet. Less. Sanch. Castrop Spor. Mol. Salm., etc., contra Vasqu. Bonac., etc. (2). Observa etiam quod dictum est *Tract*. 4. *n*. 51. *et* 52.

59. Lubet hic aliqua adnotare circa pensionem de qua in praecedentibus numeris mentio facta est. Pensio est *ius exigendi aliquam partem ex beneficio alterius*. Ipsa triplex est: temporalis, spiritualis, et media. *Temporalis*, sive *localis* est illa quae datur saecularibus, aut clericis ob aliquod temporale munus, v. gr. procuratoris, advocati, cantoris, etc. *Spiritualis*, sive *Ecclesiastica*, est illa quae datur ob aliquem spiritualem titulum, ut praedicatoris, coadiutoris parochi, etc. *Media* autem est illa quae non datur ob aliquod munus spirituale, sed est fundata in aliquo titulo spirituali, ut est illa quae datur ad sustentationem parochi senis, clerici pauperis, etc. (3). Notandum 1. quod pensio super beneficium quomodolibet sit, debet a Papa designari. An autem Episcopus possit assignare pensionem in certis casibus necessariis, v. g. ad lites componendas, aut ad compensandam aequalitatem in beneficiorum permutatione, aut ad succurrendum (ut dictum est) paupertati alicuius clerici; alii hoc admittunt cum *Busemb. ex c.* 21. *de praeb. cap.* 3. *de Coll. et cap. Aquaeductus*, *de rer. permut*. . . . Sed Lessius, et Salm. negant dicentes hoc esse Pontifici reservatum, iuxta stylum Curiae romanae, qui facit legem (4). Notandum 2. pensionem debere esse moderatam, adeo ut tertiam partem beneficii redituum non excedat (5). Notandum 3. quod, cum beneficium est iurispatronatus, requiritur (ut dictum est num. praecedent.) consensus patroni ad renuntiationem, cum est conditionata, secus vero ad pensionem; ita Lessius, Busemb. et alii (6). Notandum 4. quod pensionarius, si recipit pensionem uti clericus (non autem uti laicus), tenetur ex Bulla s. Pii V. ad recitandum officium B. Virginis, et omittendo illud fructus non facit suos. Illi tamen qui officium maius recitant excusantur a tali onere; et equites Ordinum Militar. satisfaciunt aliis precibus a religione impositis, ut commune est apud omnes dd. (7).

60. Notandum insuper (loquendo de clericis in generali) 1. vetitas esse clericis artes viles, ut hospitis, lanii, gesticulatoris. Vetitum est etiam profiteri chirurgiam in morbis, ubi incisione aut adustione opus est, modo alius idoneus non desit (8). Hoc tamen solum vetitum est clericis *in Sacris*, ut habetur ex *cap. Sententiam, ne clerici*, etc., non autem beneficiatis, ut recte dicunt Bon. Mol. Tournely, Pontas, etc. (9). 2. Ordinatis *in Sacris*, et beneficiatis vetita sunt munia iudicis in criminalibus, et etiam in civilibus in foro saeculari; *cap. Sed nec* 4. *Nec cler. vel mon.* et advocati in foro saeculari; *c. Multa* 1. *eod. tit. et cap. Cler. de post.* ubi

(1) lib. 3. n. 106. quaer. 1. (2) n. 112. quaer. 3. (3) l. 4. n. 137. (4) vide haec, et alia l. 3. n. 74. et seq. (5) l. 4. n. 138. ad 2. (6) l. 3. n. 73. et l. 4. n. 138. ad 3. (7) l. 3. n. 74. v. sed notand. et l. 4. n. 138. ad 4. (8) n. 189. et l. 7. n. 384. ad 5. (9) n. 385.

interdicitur ministris altaris, beneficiatis, et monachis, *in placitis saecularibus disputare*, *excepta defensione orphanorum*, *aut viduarum*, ut dicitur in dicto *cap. Multa*. Et excipit etiam, si defenderent aliquam causam propriam, aut consanguineorum intra quartum gradum, qui defensorem non invenirent. Clerici tamen in *Minoribus* licite possunt in quocumque foro causas civiles, et etiam reos in criminalibus patrocinari (1). Et monachis etiam permissum est ex licentia Praelati monasterii causas tueri; *cap. Ex parte*, *de postul.* 3. Vetitum est clericis cum mulieribus cohabitare, modo non sint mater, soror, aut amita, aut talis ut nulla ingeri possit periculi, aut scandali suspicio: et insuper arma deferre (nisi esset in itinere) ut dicit Busemb. (2); venationes clamorosas exercere: observa quod dictum est *Tract.* 10. *n.* 72. et negotiari, vide in *Tract. cit. n.* 192. *et seq.*

61. Denique notandum vetitum esse clericis et Religiosis ecclesiastica bona cuiuscumque loci pii sine assensu pontificio alienare, ut ex *Extrav. Ambitiosae*, *de reb. eccl. non alien.* Sub nomine *alienationis* veniunt permutare, pignori dare, transactiones facere, cum pars remittitur. Sub nomine *Bonorum ecclesiasticorum* veniunt stabilia, debitorum nomina, annui redditus, iura, et servitutes in bona aliena, greges, et armenta, arbores fructiferae, et summae magnae datae ad emptiones faciendas stabilium; item veniunt bona mobilia pretiosa, quae possint conservari, ut bibliothecae, gemmae, vasa aurea, aut argentea. Sub nomine *loci pii* intelligitur quilibet locus auctoritate Episcopi erectus, ut sunt seminaria, hospitalia, et confraternitates. Si tamen adesset aliquis fundus donatus Ecclesiae cum facultate, ut arbitrio administratoris alienari possit, bene potest alienari ab eo sine Pontificis assensu, ut probabiliter dicunt Armil. Bonac. Cov. Croix, etc., nam tunc facultas habetur a domino rei. Sed ita pariter, si dominus prohibuisset alienationem, fundus, etiam accedente Pontificis assensu, alienari non potest, nisi talis causa supervenisset, ut praesumere faceret consensum donantis (3).

62. Solemnitates autem pro bonorum ecclesiasticorum alienatione sunt sequentes: 1. Communis consultatio. 2. Episcopi, aut capituli, aut cleri, aut Praelati regularis consensus, et etiam domini, si bona beneficii alienentur. 3. Subscriptio ipsorum consentientium. 4. Assensus Papae, aut S. C. iuxta decretum Urbani VIII. sub die 8. septembris 1624; sed cum pretium esset tenue ex *c. Terrulas*, 12. *q.* 2. conceditur Episcopo, ut per ipsum liceret alienari. Dubitatur autem quodnam pretium dicatur tenue: alii dicunt esse summam inferiorem centum ducatis; sed Delbene cum communi, (ut dicit La-Croix) et ut deducitur ex Glossa ad illum textum citatum, dicit esse summam non excedentem 25. scuta aurea, quae valent 40. scutis Romanis. Subiungit tamen Fagnanus in *cap. Nulli*, *de reb. eccl. non alienand. tom.* 3, *n.* 26. in hoc nihil haberi certi, sed summam remitti arbitrio iudicis. Et multi dicunt quod in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis, potest Episcopus licentiam dare pro qualibet alienatione (4); sed hoc debet intelligi, cum tempus non suppetit S. C. adire. An autem alienationes factae sine solemnitatibus, sed ex iusta causa sint non solum illicitae, sed etiam invalidae? multi negant; sed alii probabilius cum Fagnano affirmant, praesertim si deest Pontificis assensus. Dicit La-Croix cum multis aliis quod, cum adest praescriptio 40. aut 30. saltem annorum, tum praesumitur intercessisse assensus pontificius (5). Advertendum quod locatio fundorum ecclesiasticorum, qui quolibet anno

(1) lib. 4. n. 190. et 219. (2). n. 191. (3) l. 4. post n. 187. de alienat. bon. eccl.

(4) n. 187. nota 6. (5) ib. v. si autem.

fructificant, non potest ultra triennium fieri: beneficiatus tamen, ut dicunt communiter, potest locare bona beneficii, durante sua vita (1).

CAPUT III. DE STATU, ET OFFICIIS NONNULLORUM SAECULARIUM

PUNCTUM I. *De iudicibus et scribis.*

63. et 64. *De iudicibus. Quando iudex potest condemnare, aut inquirere, aut poenam diminuere. Et an possit ex scientia privata iudicare.*
65. *Et an possit iudicare cum opinione minus probabili.*
66 *An possit cum commissario stipendium partiri; et an possit dona acceptare.*
67. *An possit sibi retinere pretium iniustae sententiae.*
68. *De scribis.*

63. In hoc puncto multa quae ad forum spectant, omissa facimus; dumtaxat hic adnotabimus ea quae conscientiam respiciunt, et quaedam forensia principaliora.

64. Et 1. circa iudices, notandum 1. non posse iudicem nonnullum damnare reum, si non est qui accusat; excepto delicto laesae Maiestatis, aut haeresis, aut si reus esset confessus in iudicio coram duobus testibus, aut si delictum esset notorium, aut si publica fama constaret, et indicia satis nota sunt maiori parti regionis, aut viciniae. Ut autem possit procedi ad inquirendum sine publica infamia, et aliquando etiam ad sententiam, sufficit adhuc semiplena probatio, ut est unicus testis fide dignus (2). Notandum 2. iudicem inferiorem non posse poenam diminuere sine aliqua urgenti causa, ut potest supremus, quoties intervenit aliqua iusta causa (3). Notandum 3. quod si iudex sciat privata notitia aliquem esse reum, qui iuridice constat esse innocens, non potest illum damnare iuxta communem sententiam cum s. Thoma (4), quia cum iudex sit persona publica, debet ille procedere secundum allegata et probata, nimirum iuxta publicam scientiam quae habetur de causa. Et ita contra dicunt Sanch. Salm. et alii cum ipso Angelico, quod si quis probatus est reus, sed iudex scit eum esse innocentem, tenetur iudex eum condemnare. Nihilominus hoc ultimum valde probabiliter negant Silvest. Lessius, Nav. Tol. Bonac. Holzm. Anacl., etc. damnare enim innocentem videtur intrinsece malum; sicut esset, si iudex obligaret mulierem cohabitare cum aliquo, quem privatim sciret non esse eius virum. Ita res se habet circa poenas corporales; sed in poenis pecuniariis, et in causis civilibus iudex sine dubio iudicare debet iuxta id quod probatum est: Less. Lug. Bonac. Laym., etc. dum respublica pro communi utilitate, quae habetur dum iudicium fertur iuxta publicam scientiam, potest utique transferre bonorum dominia (5).

65. Notanda 4. est 2 propositio damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem minus probabilem*. Merito fuit illa proscripta, quia iudex unicuique suum ius distribuere tenetur, et utique maius sibi ius habet illa pars, quae probabiliores affert rationes. Cum autem causa habet aequalem probabilitatem ex utraque parte, si illa est civilis, res dividi debet, modo causa quae agitur non sit pupilli, viduae, loci pii, aut matrimonii, quia tunc isti debent praeferri. Si autem causa esset criminalis, semper reo favendum est, cum in sui defensionem adsint rationes probabiles (6). Fit autem dubium an in civilibus erit reo favendum rem possidenti? Certum est 1. possessori favendum esse, si rationes sunt aequales; ita communiter Sotus, Silvest. Molin. et Sanch. cum multis aliis, ex regula 65. *de Reg. iur. in* 6. ubi sic dicitur: *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.* Certum est 2. in dubio tam

(1) lib. 4. n. 187. nota 7. (2) n. 199. et 200. (3) n. 205. (4) 2. 2. q. 67. a. 2.

(5) l. 4. n. 208. (6) n. 210. quaer. 1.

proprietatis, quam possessionis, iudicium ferendum esse pro habente sibi rationes probabiliores, ut apparet ex prop. damnata superius relata. Et cum rationes sunt aeque probabiles, iudex tunc debet rem dividere, ut dictum est, et tunc nihil potest ab aliqua partium accipere, ut sententiam illi proferat, iuxta aliam propos. 26. ab Alexandro VII. proscriptam (1). Sed dubitatur, si pro actore sint rationes probabiliores, pro quo iudicandum? In hoc casu ait Tamburin. iudicandum esse pro actore; sed communissime contrarium dicunt Cardon. Holzm. Elbel, Bonac. Filguer. Croix; et quidam modernus doctus asserit hanc sententiam esse communem; quia (ut pluries dictum est, et praecipue in *Tract.* 1, *num.* 20.) legitima possessio dat ius certum ad rem retinendam, usquedum non constat illam non esse possessoris; et tunc iudex favendo possessori non solum iudicat iuxta probabiliorem, sed iuxta probabilissimam sententiam fundatam in alia regula iuris, (*Reg.* 2. *iuris*) quae sic dicit: *Cum sunt partium iura obscura* (sicuti iam est, cum non adest certitudo ex parte actoris) *potius favendum est reo*, *quam actori* (2).

66. Notandum 5. non posse iudicem cum commissario partiri stipendium quod ad commissarium spectat, quia iudicis munus est commissarium eligere (3). Notandum 6. non posse iudicem recipere dona ex partibus; et hoc certum est si dona sint pretiosa, quae a lege dicuntur *sportulae*. Sed dubitatur 1. an iudex possit recipere esculenta, et poculenta, *xenia* appellata? Multi admittunt cum Azor. Caiet. Silv. Ang. Menoc. apud Salm. (4), ex *L. Solet*, §. *Non vero*, *ff. de off. praet.* et *cap. Statutum*, §. *Insuper*, *de rescript. in* 6. ubi permittuntur accipi esculenta sponte oblata. modo haec, (ut subiungit Glossa nec directe, nec indirecte quaerantur. Sed negant Salm. *n.* 80. Sot. Nav., etc.; nam quoad *L. Solet*, illa correcta fuit in Authentica §. *Scriptum*, *et* §. *Iusiurandum*; et quoad textum canonicum, dicunt quod ille tantum procedit pro iudicibus delegatis apostolicis, non vero pro aliis. Sed haec distinctio mihi non suadet; dum nescimus percipere cur isti, et non alii iudices possunt id facere. Et ratio quam Glossa adducit in textu pro prima sententia, non est contemnenda: sicut, ait (Glossa), non est simonia, si Praelatus regularis gratis recipit aliquid ab eo qui religionem ingredi cupit, uti habetur in *cap. Delict.* 30. *de simon.* in fine, ubi dicitur: *Illud tamen gratanter recipi poterit*, *quod fuerit sine taxatione* (nempe Superioris) *gratis oblatum*. Quia non supponitur Praelatus pro re gratuiter oblata velle admissionem ad religionem venumdare; sic pariter non supponitur iudex ob tenue donum sententiam iniustam velle proferre. Hanc opinionem in opere reprobavimus (5); sed hic re diligentius perpensa, eam reprobare nescimus; saltem in hoc (ut ait de Lugo) (6) non debet reprobari consuetudo, ubi reperitur legitime praescripta. Non dubitatur quin Episcopi in visitatione dioecesis victus moderatas expensas recipere possint, uti habetur in *c. Romana*, §. *Procuratores*, *de censib. in* 6.

67. Dubitatur 2. an iudex, prolata sententia iniusta, teneatur antequam damnatorium in se detur iudicium ad restituendum id, quod accepit pro ferenda tali sententia? Alii probabiliter affirmant, ut Sot. Medina, etc.; alii tamen, ut Less. cum s. Antonin. Nav. et Lugo cum Mol. Vasq. Reb., etc. (7), (et Salm. vocant hanc opinionem aeque probabilem) etiam probabiliter negant, quia iuxta legem naturalem, posita opera mala promissa,

(1) lib. 4. n. 216. v. sed hic.
(2) n. 210. quaer. 2. (3) n. 217. v certum.
(4) Salm. tr. 29. c. 1. n. 74. (5) l [illegible].

(6) Disp. 37. n. 137. v. quarta.
(7) Less. l. 2 c. 14. n. 55. Lugo disp. 37. n. 134.

iuste recipitur pretium, ut dictum fuit *Tract.* 10. *num.* 123. Opponunt Adversarii *L.* 26. *ff. de verb. oblig.* et *L. Pacta*, 6. *de pactis*, ubi sic dicitur: *Pacta contra leges, vel bonos mores nullam vim habent.* Item opponunt *c. Statutum*, §. *Si quid, de rescr. in* 6. ubi imponitur restitutio pretii accepti, ac ne illud possit remitti. Sed respondet Lessius, quod licet ipsae leges irrita faciant pacta turpia, ita ut nullam inducant obligationem antequam ponatur opus turpe promissum, posito tamen opere, licet auferant actionem talibus pactis agendi in iudicio, sed non auferunt (saltem expresse) naturalem obligationem, nec pretium acquisitum irritant. Et etiamsi adesset lex praecipiens restitutionem ante iudicium damnatorium, saltem requireretur sententia declaratoria iuxta id quod dictum est *Tract.* 2. *n.* 25. (1).

68. II. Quoad scribas, intelligendo eos qui testes examinant, et acta iudiciaria describunt, et partibus copias authenticas exhibent; hi peccant si augent aut minuunt depositiones, aut omittunt examinare aliquem testem iam productum; si occultant aliquam scripturam praesentatam, aut copiam renuunt exhibere; si, cum aliqua scriptura praesentata est, aliam fictam loco eius supponunt. Item peccant, si exigunt stipendium ultra taxam. Dicunt in hoc tamen de Lugo, Turrian. Salm. et Coreglia, cum Mol. et Dian. hodie non peccare scribas, si aliquid exigunt ultra taxas antiquas, quia hodie aucta sunt rerum pretia, unde non sufficit ad vitam sustentandam illud stipendium, quod dudum sufficiens erat (2); et si taxa antiqua hodie est iniusta, ait Coreglia, cum Sanch. et Macado, ne obligare quidem iuramentum taxae observandae. Caeterum communiter omnes dicunt ultra iustum pretium non posse scribam aliud recipere a partibus, etiam titulo donationis, quia tales largitiones nunquam sunt spontaneae, Navarr. Rodriq. Salm., etc. Attamen si aliquem laborem extraordinarium adhiberet, tunc potest aliquid amplius accipere. An autem commissarius plures procurationes missus executum, possit a singulis debitoribus totum stipendium diurnum exigere? Affirmant Lugo, et Less. (3) exemplo tabellarii qui aliquo missus ad efferendas litteras, potest simile stipendium ab aliis, qui ei litteras dant eodem ferendas, exigere, ut dictum est *Tract.* 10. *n.* 209. Sed hoc negant Sanch. Tamb. Dian. Salm., etc. dicentes quod salarium diurnum non datur commissario pro numero executionum, sed pro sua opera cuiusque diei, excepto, si pro executionum numero labor esset extraordinarius (4). Sed tamen hic oportet distinguere, quia Sanch. et Salmant. loquuntur, cum commissario taxatum est pretium pro occupatione sua cuiusque diei; et tunc certe (ut concedit Lugo) non potest ille plus eo exigere. Sed cum commissiones essent disparatae, et assignatum esset salarium speciale pro qualibet procuratione, recte dicit Lug. posse commissarium exigere plura salaria, pro qualitate executionum; et hoc est quod sentit etiam Lessius.

(1) lib. 4. n. 216. (2) n. 230 231.
(3) Lugo de Ius. d. 37. n. 138. Less. l. 2. c. 24. n. 28. (4) l. 4. n. 217.

Punctum II.

De advocatis, et procuratoribus.

69. *An monachi, et clerici possint agere advocatos. Et quando advocatus tenetur defendere.*
70. *Quas causas potest defendere, et quanto salario, etc.*
71. *Si causa est iusta, etc. Si conveniatur de salario in litis prosecutione, aut pactio fiat de quota litis.*
72. *De procuratoribus, si habent advocatum gratis. Si ipsi se offerant, etc.*

69. In primis quoad advocatos, notandum, 1. monachis, et clericis in Sacris vetitum esse alias defendere lites, quam proprias, et propinquorum, aut miserabilium (vide quod dictum est *n.* 60.). Notandum 2. quod

in causis criminalibus potest advocatus defendere reos etiam nocentes, quia reus semper potest licite efficere, ut suam poenam vitet, donec damnatus non est, aut saltem convictus; sed in causis criminalibus dubiis non potest advocatus defendere actores (1). Notandum 3. quod advocatus tenetur defendere eum qui est in extrema necessitate etiam cum incommodo suo gravi (non autem gravissimo), cum aliud remedium non apparet; Sanch. Castropal. Salmant. et alii communiter cum s. Thoma (2). In necessitatibus vero gravibus etiam tenetur defendere pauperes, sed non cum gravi incommodo; intelligitur semper ac habet superfluum suo statui. In necessitatibus communibus, sufficit ut eis det aliquid ex superfluis (3).

70. Notandum 4. quod advocatus potest certe defendere causas aeque probabiles, sive actorum, sive reorum; et cum agitur de reis potest etiam minus probabiles. Dubium est an possit defendere causas actorum, quas ipse videt esse minus probabiles? Nonnulli id negant: sed probabilius cum communiori affirmant Lug. Azor., Sanch. Busemb., etc. quia illa causa quae tunc sibi videtur minus probabilis, potest iudici videri, imo postea fieri probabilior. Tenetur tamen tunc suum clientem certiorem facere de minori probabilitate suae causae (4). Notandum 5. quod si conventum est de pretio salarii, et cliens litem omissam faciat, bene potest advocatus de integro salario contendere, ut recte dicunt Salmant. cum Sayro, iuxta id quod diximus *Tract.* 7. *n.* 7. *ad* 4. Hoc tamen intelligitur, modo non eveniret aliqua iusta causa litem intermittendi (5). Notandum 6. quod si advocatus pactione conveniat cum cliente de annuali salario pro omnibus eius causis, potest illud exigere, licet nullae lites occurrerent; nam si postea plures exurgerent lites, ille non potest maius stipendium quaerere, modo aliquis extraordinarius labor non requireretur. Si autem advocatus aegrotaret diutius, dum lites aguntur, debet ille saltem pro illo tempore salarium remittere (6).

71. Peccat advocatus 1. si defendit aut prosequitur causam certe iniustam quoad proprietatem, licet esset iusta quoad possessionem, quia sicut reus non potest tunc retinere rem, ita nec ille potest eum tueri. Si vero causa est iniusta, advocatus tenetur restituere damna tam parti adversae, quam suo clienti, si huic iniustitia erat ignota. Ideoque antequam sibi onus causae defendendae suscipiat, tenetur sedulo meritum causae perpendere, et clientem certiorem facere de statu et qualitate illius (7). Peccat 2. si paciscitur de pretio, dum lis actitatur, ut habetur ex *cap. Infames*, 3. *q.* 7. Ille debet conventionem facere de salario, vel prius, vel postea, quia in decursu litis conveniendo, de facili cogi potest cliens, ut acquiescat solvendo pretium valde excedens. Si autem salarium esset certe iustum, Salm. cum Navar. nesciunt eum damnare (8). Tanto magis peccat advocatus, si paciscitur *de quota litis*, v. g. de tertia parte, aut quarta, si causa obtinetur, ex *L. Sumptus*, *ff. de pactis*, *et L. Litem*, *c. de Proc.* Nam tunc adest periculum totis viribus conandi litem superare, aut *per fas*, aut *per nefas*. Sed si pretium esset certe iustum, neque ad restituendum eum damnant Lug. Nav. Laym. Filliuc. et Sanch. cum Henriq.; dicunt enim ex pacto tunc non teneri clientem solvere pretium, de quo conventum est, quia tale pactum reprobatum est per leges; sed non propterea tenebitur advocatus restituere quod accepit (9). Peccat 3. si plures suscipit causas, quam potest commode illis incumbere, nisi de illis certum fa-

(1) l. 4. n. 222. (2) 2. 2. q. 71. a. 1.
(3) l. 4. n. 221. (4) n. 222.
(5) n. 225. v. notand. 2.
(6) ibid. v. notand. 3. (7) n. 223.
(8) n. 224. (9) n. 224. v. nec licet

ciat clientem. Peccat 4. si aperit parti adversae arcana partis quam tuetur; modo (aliqui limitant) si secus fieret, pars adversa subitura esset iniuste grave damnum; sed hanc limitationem alii non admittunt cum s. Thoma (1). Peccat 5. si dolis, aut dilationibus ad rem non facientibus utatur. Dicit in hoc tamen Sanch. (2) cum Silvest. Armil. Covar. Tap., etc. quod si eius causa est manifeste iusta, modo nullam falsitatem producat, bene potest uti dolis (vel ut melius dicat, dilationibus emendicatis), ut iniustis dolis adversarii occurrat; citat etiam s. Thomam (3) qui ita dicit: *Advocato licet prudenter occultare ea, quibus impediri possit processus eius*. Sed si causa non esset manifeste iusta, nescirem quomodo possem permittere dilationes ad rem non facientes, quibus nonnulli indifferenter utuntur, (eas vocant *gubernationem causae*) nisi in solo casu, quo timeretur probabiliter de iniustitia sententiae, quia adesset aliquis iudex ob humanos respectus parti adversae valde affectus.

72. 2. Quoad procuratores notandum 1. quod si procurator habet advocatum aut scribam, qui operam suam gratis exhibet tantum illius causa, bene potest pretium quod ad illos spectaret sibi exigere, secus vero si illi salarium remittunt clientis causa. Notandum 2. quod si procurator substituit alium procuratorem, bene potest dividere cum illo salarium, modo illum admoneat de eo quod agendum est, et causae periculum in se suscipiat, casu quo ob alterius negligentiam causa caderet. Notandum 3. id quod aliqui dicunt, nempe non posse procuratorem salarium accipere, si ipse se sponte offert adesse causae, saltem cum cliens est sibi coniunctus, aut amicus. Sed ego nescirem clientem liberare ab omni onere satisfactionis, nisi constaret quod procurator omnes suos labores remittere voluisset, et quod ipse eam donationem acceptaverit; secus procurator semper habet ius ad mercedem quam meretur (4).

PUNCTUM III.

De accusatore, testibus et reo.

73 *De accusatoribus. Quando debet fieri accusatio, aut denuntiatio. An custodes, etc.*
74. *Clerici quando possunt accusare. Et an debeat praecedere correctio. Praesertim si in communitate vivitur.*
75. *De monitoriis.*
76. *De denuntiationibus Haereticorum.*
77. *De blasphemiis haereticalibus.*
78. *De superstitionibus.*
79. *De testibus. Quando tenentur, etc.*
80. *Qui omittit dicere veritatem.*
81. *Qui occultat veritatem.*
82. *De reis. Reus quando teneatur confiteri.*
83. *An cum poena est magna.*
84. *Si falsum delictum sibi imponit.*
85. *Si falsum delictum imponit accusatori.*
86. *An reus possit resistere; et an teneatur fugere, etc.*
87. *An possit carcerem effringere; et an custodem pecunia corrumpere. An alii possint auxilium ei in hoc praebere, etc.*

73. Et 1. circa accusatorem multa d. scribunt, quae in opere nostro observari possunt: at quia illa potius ad forum quam ad conscientiam pertinent, hic omissa facimus; adnotemus tantum aliqua magis praecipua. Notandum 1. aliam esse *accusationem*, aliam *denuntiationem iuridicam*, aliam *denuntiationem evangelicam*, sive paternam. *Accusatio* est illa quae fit Superiori tamquam iudici, ut reus puniatur, cum obligatione probandi delictum, et poenam incurrendi, nisi probetur. *Denuntiatio* iuridica fit superiori tamquam iudici, sine tamen obligatione probandi delictum. *Denuntiatio* vero *evangelica*, sive paterna, est quae fit superiori uti patri. Notandum 2. quod cum agitur de evitando damno communi,

(1) 2. 2. q. 71. a. 3. ad 2.
(2) Sanch. cons. l. 6. c. 7. d. 8. n. 1.
(3) cit. art. 3. ad 3.
(4) l. 4. n. 233.

quilibet tenetur accusare delinquentem, ut cum delictum esset perduellionis, haeresis, aut latrocinii in publica via, et huiusmodi: et in istis casibus, ut dicit Sanch., potest aliquando iudex iuste offensum ad offensorem patefaciendum obligare, ut damno publico caveatur. Dicunt tamen Sotus Caiet. Sanch. Lugo Salm., etc. ordinarie sufficere denuntiationem facere, quia de hoc satis contenti sunt Superiores (1). Talis obligatio etiam intercedit cum agitur de evitando innocentis damno, semper ac gravi incommodo non esset denuntianti. Illi tamen qui stipendio locati sunt a republica, aut a dominis, ut denuntient, aut accusent delinquentes, tenentur ad hoc etiam cum gravi incommodo, alias debent satisfacere damnum quod ex tali denuntiationis omissione oritur. Dubitatur an agrorum, aut gabellarum custodes, nisi denuntient, teneantur solvere poenae valorem, quae, si denuntiassent, exacta fuisset? Multi, ut Sotus Molina Laym. etc. affirmant; sed multi alii communius negant, ut Azor. Less. Lugo Sanchez Navar. Salmant. etc., quia (ut dicunt) ipsi peccant quidem contra iustitiam legalem, non autem contra commutativam respectu poenae; dum fiscus, aut domini non acquirunt ius ad poenam, nisi post sententiam; tanto magis quod finis legis nihil aliud est, nisi ut domini remaneant indemnes; unde sufficit, ut custodes restituant tantum gabellarum valorem, qui solvendus erat, aut damnum illatum (2).

74. Notandum 3. quod cum agitur de reparando damno proprio, aut propinquorum usque ad quartum gradum, aut Ecclesiae, licite possunt clerici accusare delinquentes, etiam in causis sanguinis; modo expresse protestentur se nolle poenam corporalem, sed solam damnorum restaurationem (3).

Notandum 4. quod quando delictum vergit in damnum commune, licet sit occultum, debet denuntiari, praetermissa correctione, praesertim si delictum sit haeresis, ut habetur ex propos. 5. damnata ab Alexand. VII. Sed si delictum redundaret in damnum solius delinquentis, debet tunc praemitti correctio iuxta Evangelium; sed si illa non prodesset, licet in Evangelio dicatur, quod debeat repeti coram uno aut duobus testibus, nihilominus si in aliqua religiosa communitate versatur, dicit s. Thomas (4) cum s. Augustino tunc expedire denuntiare delictum Praelato priusquam aliis: quia (ait s. Doctor) *Praelatus magis potest prodesse, quam alii* (5). Imo Angelicus alibi (6) animadvertit, quod cum Religiosus videt correctionem futuram fore utiliorem per Praelatum, quam per se, tunc potest statim ipse denuntiare delinquentem Praelato: nam in secreta correctione magis principalis finis est fratris emendatio, quam illius famae conservatio; et idem dicunt s. Bonav. s. Antonin. Sanch. Sot. Castrop. Laym. etc. (7). Et rationabiliter subiungunt Laym. Sanchez et Suar. quod cum delictum (sive sit grave, sive leve, non adhuc est emendatum, et timetur relapsus, semper melius erit a principio illud denuntiare Superiori, qui prudens iudicatur (ut plerumque aestimari debet; nisi constet de contrario), qui semper melius aliis reparare potest; tanto magis quod omnia delicta particularium in communitatibus religiosis (ut p. Suarez) fere semper redundant in commune damnum, aut propter scandalum, aut propter infamiam, quam religio potest sufferre. Qua de re merito a Pontificibus approbata fuit regula Societatis Iesu, ut quisque Religiosus deferre possit ad Superiorem delictum, quin aliquam correctionem praemittat (8).

75. Notandum 5. quod cum per

(1) lib. 4. n. 236. (2) n. 237. (3) n. 238. v. 4. inimicus. ad 6. (4) 2. 2. q. 33. a. 8. ad 4. (5) vid. l. 4. n. 242.

(6) quodlib. 11. a. 13. (7) l. 4. n. 243. (8) n. 245. quaer. 3. et 4

edictum, aut monitorium publicum praecipitur denuntiare aliquod delictum, non adest obligatio denuntiandi illud, nisi quando delinquens est diffamatus, aut saltem si habeatur indicium, aut cum est in damnum communitatis, aut tertii; sed cum hac differentia, quod cum delictum est tantum in damnum tertii, debet praemitti correctio, et non adest obligatio denuntiandi cum damno proprio; sed cum delictum est in damnum commune, totum contra; tunc enim non tenetur praemittere correctionem, et quilibet denuntiare tenetur, etiam cum proprio damno (1). Hoc valet pro monitoriis in generali, sed loquendo de monitoriis particularibus, pro quibus Episcopus excommunicationem fert (ut concessit s. Pius V. in Bulla *Sanctissimus*), in iniuste retinentem, aut non revelantem intra certum tempus eum qui retinet, alterius bona (intellige notabilis valoris) ablata, aut inventa, in hoc debet adverti cum *Instructione confess. tyron.* et cum Barbosa (2), qui citat alios aa. fere communiter uniformes, non teneri denuntiare: 1. Ipsum furem. 2. Eum qui furem quidem scit, sed sine gravi proprio incommodo denuntiare non potest. 3. Eum qui cogi non potest ad testimonium ferendum, ut filius, uxor, parens, et *Instructor* praefatus cum Bonac. dicit idem de coniunctis usque ad 4. gradum, et omnium eorum, qui sunt de familia eiusdem qui rem detinet: sed non excusat servos, quoties ab illorum servitio sine gravi incommodo discedere possunt. Infames tamen, licet fidem non faciant, tenentur denuntiare. 4. Eum, qui solus scit factum, et non potest alium habere testem, ut probet illud. 5. Eum qui nescit certa scientia, aut qui a personis dubiae fidei scivit, aut non meminit a quo audivit, aut si scivit ab eo qui iam denuntiavit. 6. Eum qui iuste compensavit pro suo credito. 7. Eum qui tempore monitorii existebat extra dioecesim; non autem qui a dioecesi proficiscitur antequam terminus monitorii spiret. 8. Eum qui delictum cognovit secreto naturali commisso, aut promisso. Dicunt tamen nonnulli canonistae apud Riccium (3), ut Felin. Abb. Rip. etc. laicos teneri denuntiare furem, licet sciverint secreto; sed theologi communiter, ut Sotus, Azor. Salm. Navarr. Filliuc. Arag., etc. cum s. Thoma (4) docent oppositum. Potest emanari monitorium etiam pro scripturis authenticis occultatis, licet non sint partis, sed tertii; modo hic tertius non sit in causa, ut dicit idem *Instructor*, ex *cap.* 1. *de probat.*

76. Notandum 6. circa obligationem denuntiandi haereticos, si isti tantum sunt de haeresi suspecti, ut sunt confessarii sollicitantes *ad turpia*, sortilegia patrantes, Sacramentis abutentes, duas uxores ducentes, Sacramenta ministrantes sacerdotio non initiati (alii addunt sacerdotes sigillum frangentes sacramentale, sed hoc communius negant Lugo Molin. Bonac. Salmantic. etc.): item blasphemias haereticales effutientes, omnes isti denuntiari debent, sed non adest obligatio denuntiandi cum gravi damno proprio. Et probabiliter, ut dicunt Lezana, Bord. Dian. Homob., etc. etiam excusantur a denuntiando omnes coniuncti usque ad 4. gradum, quia in hoc semper adest grave damnum aut incommodum. Secus autem si sunt haeretici formales, ut tenendum est cum Suar. Salm. Fel. Potest., etc. contra alios, quia haeresis est lues quae semper in damnum commune redundat. Ideoque isti denuntiandi sunt etiam cum damno proprio: et non tantum a fratribus, sed etiam ab uxoribus, filiis et a parentibus, iuxta sententiam communissimam Azor. Bonac. Ronc.

(1) lib. 4. n. 248. (2) instruct. p. 2. n. 265. Barb. de pot. Episc. alleg. 96. ex n. 44. ad 67. (3) lib. 4. in praxi, de monit. n. 12. et 13. (4) 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.

Salm. Dian. Viva (1).

77. Notandum 7. praesertim circa blasphemias, aut propositiones haereticales, quod quando illae prolatae sunt serio et advertenter, adest obligatio denuntiandi intra mensem, ut dicit praefatus *Instructor*, contra Salmant. qui volunt intra sex dies; sed Salm. loquuntur de legibus particularibus Hispaniarum. Dictum est *serio et advertenter*, quianon adest obligatio denuntiandi propositiones, aut blasphemias prolatas ex ignorantia, aut lapsu linguae, aut eo iracundiae impetu, ut proferentem extra rationis usum abripuerit, aut prolatas sine pertinacia, quae semper necessaria est ut ad denuntiandum obligationem inducat, ut dicunt iidem Salm. cum aliis (2). Olim ex Concil. Lateran. erat obligatio denuntiandi omnes blasphemias etiam simplices; sed ut dicunt Sanch. Tamb. et Mazzotta, hodie haec obligatio abiit in desuetudinem, saltem ut volunt Salmant. cum Bonac. Trull. etc. cessat haec obligatio, si delinquens emendatur per correctionem (3).

78. Notandum 8. quod, generaliter loquendo, debent etiam denuntiari superstitiones, cum sunt qualificatae, nempe cum sunt factae cum pacto aut invocatione expressa daemonis, aut eum adorando, aut certos psalmos aut preces recitando quibus videtur in auxilium invocari ille; aut hostiis consecratis, chrismate, aut oleo sancto abutendo, aut si illas ex professo docuerint vel docti fuerint; aut si effectum consecutae sint. Dictum est *generaliter loquendo*, quia in regno nostro, quoad sortilegia a saecularibus patrata, ex insinuatione nostri regnantis regis Caroli, nulla adest obligatio eos denuntiandi ad tribunal ecclesiasticum, nisi cum intercederet Eucharistiae, aut olei sancti abusus (4). Notandum tandem quod in eos qui culpabiliter omittunt denuntiare, adest excommunicatio; sed ferendae sententiae; nec est reservata, uti advertunt Bonac. Lugo Fel. Potestas etc. (5).

79. 2. Quoad testes, omissa faciemus hic ea quae ad forum pertinent. Notabimus dumtaxat 1. testem non teneri veritatem fateri, ut dicit s. Thomas (6), nisi cum ea opus est secundum charitatem ad reparandum aliquod grave reipublicae aut proximi malum, aut ut pareatur iudicis mandato, qui legitime eum interrogat, nempe cum semiplena habetur probatio publicitatis delicti, aut indiciorum evidentium, etc. alias non tenetur testis ad deponendum quod scit (7). Sic pariter non tenetur, quando inde proveniret sibi, aut suis aliquod damnum, aut cum sub naturali secreto factum cognovisset, ut dicit s. Thomas *l. c. art.* 2. modo revelatio non expediret ad vitandum commune damnum, aut ut liberaret proximum ab aliquo futuro damno (8).

80. Notandum 2. quod si quis advertenter falsum testatur, et eius depositio est damni alterius causa, nemo dubitat quin totum damnum restituere teneatur (9). Sed dubitatur 1. an peccet, et teneatur ad restitutionem testis, qui veritatem fateri renuit, in casu quo tenetur eam aperire ex iustitia, aut ex charitate? Oportet distinguere: si iste effugit ne citetur, peccat contra charitatem, non autem contra iustitiam; qua de re nihil tunc tenetur restituere, ut fatentur omnes. Si autem citatus iam elabitur, nonnulli eum obligant ad damnum; sed communiter, et probabilius negant Lugo Less. Mol. Silvest. et Bonac., quia citatio dumtaxat ad obedientiam eum constringit non autem ad iustitiae actum (10).

81. Dubitatur 2. an ad restitutionem teneatur testis, qui a iudice legitime interrogatus veritatem celat, quin falsum testetur, v. gr. dicendo

(1) lib. 4. n. 249. et 250. (2) n. 252. et l. 3. n. 123. (3) l. 4. n. 252. et 254. notand. 2. (4) n. 253. (5) n. 254. v. notand. 3. (6) 2. 2. q. 70. a. 1. (7) l. 4. n. 261. ad 267. (8) vide haec, et alia n. 268. (9) n. 270. (10) ib. dubit. 1. et 2.

se nihil scire? Multi affirmant, ex eo quia, posito iudicis praecepto, ex iustitia tenetur testis veritatem fateri. Sed probabiliter negant Molina Less. Bonac. Lugo Raynaud. et alii propter eamdem superius allatam rationem, quia iudicis praeceptum testes ad testificandum non obligat ex iustitia, sed solum ex obedientia. Hinc infert Ciera (1) cum de Ianuariis hunc ne casum quidem reservatum incurrere, quia reservatio (ut ait) afficit falsum cum positivo mendacio, non autem negative testantem. Dicit tamen Bonac. quod si testis iurat se quod scit fassurum, tunc tenetur ex iustitia veritatem aperire propter iusiurandum promissorium quod praestitit. Sed huic probabiliter respondet Lessius, quod testis iurando veritatem dicturum, non intendit se ligare iustitiae, sed tantum religionis vinculo, quae religio non obligat ad restitutionem (2).

82. 3. Quoad reos, Notandum 1. quod non tenetur reus suum delictum confiteri, si iudex non est legitimus, aut nisi legitime interroget, id est (ut dictum est) nulla praecedente saltem semiplena probatione, aut infamia, aut indiciis manifestis delicti, ut inquit s. Thomas (3): *Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem deponere. Quorum primum in aliquo casu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solum, quam ab eo potest requirere iudex, puta cum praecessit probatio semiplena.* Et etiam in dubio an iudex legitime interroget reum, non tenetur respondere, quia ille, cum etiam possidet ius ad propriam vitam et famam, in dubio prosequitur possidere ius ad illius conservationem, usquedum non constat de legitima interrogatione; ita communissime Sotus Less. Laym. Caiet. Sanchez Lugo Navar. Busemb. Salmant. contra Palud. et Silvest (4).

83. Sed quaeritur 1. an reus legitime interrogatus, ante sententiam teneatur suum delictum fateri cum timore magnae poenae? Affirmant Sot. Less. Sanch. Salmant. etc. cum s. Thoma (5), quia iudex, cum interroget legitime, habet ius veritatem sciendi. Sed negant multi alii, Suar. Lugo, Sa Peyrin. Villal. Elb. Busemb. qui putant non adesse hanc legem tam duram et imbecillitati humanae quasi impossibilem, ut quis teneatur delictum confitendo quasi ex se velle damnari gravi poena (nimirum mortis, triremium, carceris perpetui, aut perpetuae infamiae etc.); nisi esset, ut damno communi consuleretur, v. gr. haeresis, rebellionis etc. Et si probabile est talem non adesse legem, probabile pariter est iudicem ius non habere ad exigendum in eo casu a reo veritatis testationem. Prima sententia est probabilior, hanc tamen secundam improbabilem vocare non possumus; caeterum communiter dicunt Sanch. Salm. cum aliis, confessarium in eo casu non debere reum obligare ad delictum suum confitendum, cum videt quod difficulter poterit eum ad hoc inducere, et scit eum esse in bona fide (6). Dictum est autem *ante sententiam*, quia post eam iam iudicium completum est, unde reus non tenetur amplius confiteri, ut dicunt Laym. Sanch. Salm. etc. Imo subiungunt quod ne ante sententiam quidem tenetur reus suum patefacere delictum, nisi iterum interrogetur. Sed huic probabilius contradicunt Sot. Navar. Sayr. et alii communiter (ut fatetur ipse Sanchez), quia ante sententiam perseverat iudicis praeceptum (7).

84. Quaeritur 2. an graviter peccet innocens, qui sibi delictum capitale imponit, ne gravi tormento torqueatur? Negant Less. Sot. Tol. Silvest. Busemb., etc. quia non te-

(1) De casib. reser. d. 7. n. 62.
(2) l. 4. n. 270. dubit. 3. Alia spectantia ad forum vide n. 272. (3) S. Th. 2. 2. qu. 69. art. 2. (4) l. 4. n. 272. et 273.
(5) 2. 2. q. 69. a. 1. ad 2. (6) l. 4. n. 274. (7) ibid. in fine.

netur quis vitam tanto incommodo servare, iuxta id quod dictum est, *Tr.* 8. *n.* 2. *in fin.* Excipit tantum Busemb. cum Tanner. casum, quo ex tali confessione damnum commune emanaret, aut familiae infamia. Affirmant contra, et quidem probabilius Molin. Lugo Nav. et Covar. et licet Lugo primam sententiam habeat ut probabilem propter patronorum auctoritatem nihilominus hanc absolute tuetur. Ratio est, quia licet mediis adeo duris non teneatur homo suam vitam tueri, attamen non potest positive cooperari morti suae iniustae, dum ipse non est suae vitae dominus. Hinc recte infert Molina, quod reus etiam post confessionem tenetur dicta revocare, semper ac illo modo possit mortem impedire. Sed hic pariter dicit quod si reus sit in bona fide, non debet confessarius eum obligare, ut se retractet, cum periculo quod ille, ut vitet tormenta, peccet formaliter, denuo delictum quod non patravit, sibi imponendo (1). Sed si reus denuntiavit alium innocentem, nemo est qui dubitet quin teneatur se revocare, licet quodcumque tormenti genus subiturus fuisset (2).

85. Notandum 3. nunquam reo licere, licet esset innocens, accusatorem aut testem falso crimini dare, ut causam tueatur, ut certum est ex prop. 44. ex proscriptis ab Innoc. XI Contra certum est licere delictum occultum, sed verum, accusatoris aut testis prodere, quia hoc absolute conducit, ut sua innocentia cognoscatur, et ut ipse grave damnum vitet; ita communiter Sanch. Milant. Roncagl. Salm. et Viva (3). Vide dicta *Tr.* 11. *n.* 7. et idem dicunt Sanch. Ronc. Salm. et Coreglia, cum rei delictum esset omnino occultum, quia testis deponendo de delicto penitus occulto, idem est ac si testaretur de falso. Et hoc, ut subiungunt Lugo Milant. et Viva, etiam procedit si testis non testificaretur ultronee, sed a iudice arcessitus (4). Notandum 4. quod *si* delictum est ex exceptis, tenetur reus, etiam non interrogatus, complices revelare; secus si delictum non est ex illis, tunc nec tenetur nec potest, si illorum delictum est omnino occultum. Dicunt tamen Laym. Less. et Busemb. si tormentorum vi eos prodat, non peccare (5).

86. Notandum 5. quod reus iniuste damnatus, non potest satellitibus obsistere *vim vi repellendo*, v. g. occidendo, aut vulnerando, ut constat ex prop. 18. Alexand. VII. Sed potest quidem positive obsistere, ut ex satellitum manibus liberetur, modo non adsit scandalum, aut gravis perturbatio, ut docet s. Thomas (6). Secus, si adhuc non est condemnatus, sed carceribus detinetur: aut si iuste est morte damnatus (ut dicit ipse s. Doct *l. c. ad* 2.), quia sententia solum damnat ne obsistat, non autem ne fugam arripiat, non potest iam tunc resistere, potest vero licite fugere e carceribus; et idem dicunt Sot. Tol. Caiet. Ronc. Salm. etc. communiter de poena ad triremes, aut ad flagella, aut carcerem perpetuum; modo carcer non sit illi in poenam iam designatus, ut communiter dicunt dd. Sed Lugo Sanch. Less. Nav. et Salmant. (contra Vasq. etc.) excusant damnatos qui e triremibus fugiunt. Quaeritur autem an reus resistere possit, si sententia fuisset iusta secundum externas probationes, sed iniusta secundum veritatem? Alii negant; sed Lugo et Roncaglia non improbabiliter id admittunt, quia praesumptio cedere debet veritati innocentiae, quae dat ius ad defensionem, modo id fieri possit sine scandalo et perturbatione, ut supra dictum est (7). Dicunt autem aliqui quod morte damnatus tenetur fugere, si potest; sed hoc recte negant Sot. Silv. Sa Salm. etc. quia iuste potest manere in carcere, praesertim si id agat, ut sui

(1) lib. 4. n. 275. (2) n. 276. ad 3. (3) n. 277. resp. 2. (4) ib. v. sed quid.

(5) n. 278. (6) 2. 2. q. 69. a. 4. in fin. (7) l. 4. n. 281. v. sed.

peccati piacularem luat poenam (1).

87. Cum igitur e carcere possit damnatus fugere, potest eum etiam infringere; dum cui permittitur finis, conceduntur etiam media: ut dicunt Sot. Caie. Lugo Tol. Less. Salm. et Ron. Nec ideo ad damni refectionem tenetur, quia tale fractionis damnum per accidens evenit, ut subiungunt Salm. cum Valent. Bann. et Sayr. Dicunt insuper Salm. Ronc. Tamb. etc. quod potest reus etiam pecuniis corrumpere custodem; sed huic acquiescere non valeo, dum nunquam licet proximum ad actionem intrinsece malam inducere, qualis esset si carceris custos eum aperiret, suo in officio delinquendo (2). Cum autem liceat reo fugere, licebit quoque aliis ei suppeditare funes, limas, aut alia instrumenta, ut fugiat, sicut docent Silvest. Vasq. Less. Lugo Sanchez Ronc. Busemb. Salmant. etc. contra Sotum; modo fuga, ut recte limitant Salmant. et Ronc. non obfutura fuisset reipublicae, v. gr. si latro esset viarum grassator. Nemini contra fas est carceres infringere, ut liberet damnatos: Roncagl. et Busemb. cum communi (3). Quomodo se gerere debeat confessarius cum damnatis morte, observa quod dicetur *Tract. ult. punct.* 8.

(1) l. 4. n. 281. (2) n. 282. (3) n 283.

TRACTATUS XIV.

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET PRAESERTIM DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

1. *De attentione et intentione.*
2. *Quae intentio requiritur in ministro.*
3. *De administratione sub conditione.*
4. *An denegandum sit Sacramentum peccatori.*
5. *Quando Communio.*
6. *Si sponsi sunt in peccato.*

1. De Sacramentis in genere sermo erit fusius in *appendice* 3. *de examine Ordinandorum*. Hic tantum adnotabimus nonnulla principaliora, quae ibi breviter tacta sunt in quantum ad Ordinandi notitiam sufficiunt, sed respectu confessarii animadversione maiore indigent. Notandum 1. quod Croix in ministro, praeter intentionem, in conficiendo Sacramento etiam requirit attentionem, ut valide conficiat. Sed haec opinio est singularis et valida ratione minime fulcitur, quia si hoc esset, sequeretur quod a ministro voluntarie distracto, licet adesset intentio virtualis, Sacramentum non conficeretur; sed in confesso est apud omnes ad Sacramenti validitatem nihil aliud requiri, nisi materiam, formam, et intentionem ministri: ideoque docent Suar. Lugo, etc. cum ipso Croix, quod, licet minister distraheretur, quoties adest intentio ipsius, certe conficitur Sacramentum (4). An autem graviter peccet minister se voluntarie distrahens in Sacramentorum confectione, communis est sententia in ceteris Sacramentis venialiter peccare, modo errandi periculum absit: sed in Eucharistiae consecratione dicunt Conc. et Tambur. (adversus Croix et Mazz.) graviter peccare (5).

2. Notandum 2. certum esse non sufficere intentionem habitualem ministri, et tanto minus interpretativam, sed requiri actualem, aut saltem virtualem (Quaenam autem sit actualis, et quaenam virtualis aut habitualis, aut interpretativa, vide *app.* 3. *n.* 9.

(4) l. 6. n. 14. et l. 4. n. 177. v. 3 ratio 2 et Croix l. 6. p. 1. n. 85. (5) n. 14. v. utrum.

de exam. Ordin.). Sufficit tamen intentio *coacta*, nempe timore extorta, qui timor non tollit voluntarium. Non obstat autem ministri error circa personam, v. g. putans absolvere unum, et absolvit alium (1). Haec certa sunt: quod dubitatur est, an sit validum Sacramentum collatum cum materia et forma, sed sine intentione faciendi quod facit Ecclesia? Lutherus universe affirmabat, etsi actio ex ioco fiebat, sed hoc a Trid. *Sess.* 7. *Can.* 11. proscriptum fuit. Alii vero, ut Gonet. Iuvenin. Contens. Serry Milante, etc. affirmant, cum actio serio ponitur. Sed vera sententia docet necesse esse intentionem ritum sacramentalem exercendi, quem Ecclesia a Christo Domino edocta facere intendit; ita Bellarm. Suar. Vasq. Tourn. Petroc. Conc. Antoine Salmant. Lugo Ben. et alii innumeri cum Bened. XIV. (2). Cardinalis Bellarminus dicit contrariam opinionem nihil ab illa novatorum distare; Card. de Lugo pariter dicit illam ab omnibus reiici, et non multum differre a Lutheri errore; et p. Vasq. vocat iam damnatam. Contra nostra sententia primo probatur ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 6. *de poenit.* ubi dicitur nullam esse absolutionem sacramentalem, si *sacerdoti animus serio agendi, et vere* (nota) *absolvendi desit.* Igitur praeter actionem, etiam serio positam, necesse est intentio absolvendi. Praeterea probatur ex propositione 28. ex damnatis ab Alexand. VIII. quae dicebat: *Valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia.* Nec valet dicere propositionem loqui de ritu externo iocoso, quia talis propositio non erat haereticorum quae iam damnata fuerat a Tridentino, sed erat catholicorum, inter quos nemo unquam dixit sufficere ritum iocosum.

(1) l. 6. n. 19. v. sufficit. (2) De Synod. l. 7. c. 4. n. 9. (3) 3. p. q. 64. a. 8. (4) Opusc. 5. De Eccl. Sacram. circa init.

Ratio autem principalis nostrae sententiae est illa, quam adducit s. Thomas (3), nempe quod actio cuiuslibet Sacramenti ad plura referri potest, v. g. ablutio in Baptismo potest referri ad extergendas aut corporis maculas, aut illas animae, ideoque necessaria est ministri intentio, quae actionis illius finem determinet, faciendi quod facit Ecclesia; alioquin, si quis puerum lavaret solo fine ne sordidum illum videret, et diceret: *Ego te baptizo, sive lavo in nomine Patris, etc.* iam hic verus esset Baptismus in adversariorum sententia; quod non video quomodo dici possit. Hinc Angelicus alibi (4) *Si minister Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum*; saltem sapienter dicit Benedict. XIV. loco cit.: Sacramentum iuxta contrariam opinionem collatum, illicite esset collatum, et saltem certe sub conditione repetendum (5).

3. Notandum 3. licere in casu necessitatis sub conditione Sacramenta conferre; et non solum Baptismum, ut expressum est in *cap.* 2. *de Bapt.*, sed cetera alia, ut dicunt communiter Castr. Suar. Coninch. Habert. Ronc. Salm., etc., contra Iuven.; et non tantum in casu necessitatis, sed quoties adest gravis utilitas, aut iusta causa, ut etiam communiter aa. citati fatentur contra Antoine. Contra sine iusta causa esset culpa gravis; licet Tourn. et Salm. non damnent de mortali confessarium absolventem sub conditione, si poenitens est dispositus, pro maiori cautione sua, licet dispositum illum iudicaret (6). Necesse non est autem ut conditio exprimatur, sufficit si mente ponatur, ut communiter Castrop. Tourn., et Salm. (7).

4. Notandum 4. non esse denegandum Sacramentum occulto peccatori publice illud petenti, ut docet s. Thomas (8), et ut exprimitur in *cap. Si Sacerdos de off. iud. ord.* Excipi-

(5) l. 6. n. 20. ad 23. (6) n. 27. et 28. (7) n. 29. (8) 3. p. q. 80. art. 6.

tur Ordo, quem etiam pro occultis potest Episcopus denegare, ut *append.* 3. *de exam. Ordinand. num.* 15.: contra debet denegari peccatori publico, etiam publice petenti (1). In dubio autem peccati et poenitentiae: si peccatum est certum et poenitentia dubia, etiam denegandum est; secus autem si delictum est dubium (2). Si peccatum non est simpliciter publicum, sed est notum maiori parti praesentium, et tantum unus vel alter probus nescit, probabiliter etiam potest denegari Sacramentum, ut dicunt Croix et Diana; sed probabilius non debet denegari, ut tenent Suar. et Bonac. vide dicta *Tractatu* 11. *n.* 11. (3). Sed si peccator petat Sacramentum in loco ubi delictum est occultum, licet alibi èsset publicum, dicimus cum Cabass. Soto Vasq., etc. adversus alios non posse denegari, quia in eo casu eadem evenirent inconvenientia, ac si denegaretur Sacramentum peccatori, cuius delictum nullibi est publicum (4).

5. Notandum 5. quod, ut praescribit Rit. rom. (*de Sacr. Euch.*), debet denegari Communio publicis peccatoribus, quoties non constat etiam publice de eorum poenitentia, et non prius quam scandalo aliis praestito consuluerint. Cui tamen dicunt Possevinus Sancius Busemb. et Croix, sufficere confessionem coram multis factam, ita ut brevi sit manifestanda aliis, modo non adsit occasio proxima auferenda; nam si talis occasio adest, publice iam nota, non debet dari publico peccatori Communio, nisi remota occasione (5). An autem sacerdos possit timore mortis praebere peccatori publico Communionem; admittunt Bonac. Croix, etc.; sed nos cum Ledesma Conc. et aliis negamus, quia debet evitari potius Sacramenti iniuria, quam proprium damnum. Nec obstat dicere quod, cum iam possit minister (ut supra dictum est) Communionem praebere peccatori occulto, ad vitandam eius infamiam, tanto magis ad vitandam mortem propriam. Respondetur quod in tantum potest praeberi peccatori occulto Communio ut vitetur illius infamia, in quantum eius infamia redundaret in damnum commune aliorum proborum, qui perspicientes peccatorem illum publice propter peccatum occultum esse diffamatum, possent facilius terreri a Communione, timore ne ab aliquo imprudenti sacerdote expellerentur. Sed haec ratio evitandi publicum damnum non procedit in casu nostro (6). Vide etiam *Tract.* 15. *num.* 15.

6. Notandum 6 quod parochus non potest licite assistere matrimonio sponsorum qui sunt publici peccatores, ut recte dicit Bened. XIV. (7) contra Laym. Lug. Croix, qui dicunt quod parochus tenetur ex sui officii munere assistere, et quod assistentia talis sit pure materialis. Nos vero dicimus sponsos in tali statu non habere ius ad parochi assistentiam exquirendam, ideoque cum ille licite suam assistentiam possit denegare, tenetur denegare, ne illorum sacrilegii particeps fiat. Et eadem ratio currit de testibus; sed amplius parocho obstat quod ille tenetur ex iustitia impedire peccata suarum ovium (8). Et hic advertendum quod, iuxta Decretum Clementis XI. confirmatum a Benedicto XIV., parochus non debet ad publicationes procedere nisi prius examinet sponsos, et sufficienter eos in rebus Fidei instructos reperiat (9). An vero licite possit sponsa nuptias contrahere et consequenter Sacramentum ministrare (ex vera sententia quod sponsi sint matrimonii ministri, ut probabimus *Tr.* 18. *n.* 28.) sponso publico peccatori, admittunt Sanch. Lugo, et Croix, dicentes sponsos in hoc se habere ut privati contrahentes; in matrimonio enim directe initur contractus, indirecte Sacramentum fit; sed

(1) lib. 6. n. 50. (2) n. 48. (3) n. 45. (4) n. 46. (5) n. 47. et 48. (6) n. 49.

(7) de Syn. l. 8. c. 14. n. 5. (8) l. 6. n. 54. (9) De Syn. l. 8. c. 14. n. 5.

haec ratio non suadet, cum huiusmodi contractui annexa est etiam Sacramenti administratio. Unde puto tantum dici posse quod praefata administratio, ut a ministris ad id non consecratis, non esset grave peccatum pro ipsis, ut probabiliter tenent Gonet Suar. Tourn. Habert. Iuven. Natal. Alex. Conc. Salm., etc. licet opinio opposita, quod sit grave, Pontii Lug. Navar. Vasquez Contin. Tour. Croix, etc. mihi videtur probabilior (1) ut dicetur *append.* 3. *n.* 12. Notandum est autem matrimonia cum haereticis esse ab ecclesia vetita (2). Caetera ad Sacramentorum in genere notitiam spectantia notabuntur in praelata *append.* 3. *c.* 1. *n.* 1. *ad* 10.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI

PUNCTUM I. *De materia, forma et ministro Baptismi.*

7. *Quotuplex est Baptismus.*
8. *De materia remota.*
9. *De proxima et an possit abscindi mater.*
10. 11. *et* 12. *An possit baptizari proles in utero, etc. et in quo membro, etc.*
13. *An requiratur trina ablutio.*
14. *De forma.*
15. *De ministro.*
16. *De ordine ministrorum.*
17. *De exteris qui baptizantur.*
18. *De Baptismi dilatione: et de Baptismo domi, etc.*

7. Baptismus communiter dividitur in *fluminis, flaminis et sanguinis.* Dicitur *fluminis*, nempe aquae, et de hoc est hic sermo, et hic proprie est Sacramentum; *flaminis*, nempe Spiritus Sancti, qui vocatur *flamen*, cum alludatur ad adventum Spiritus Sancti super apostolos die Pentecostes in flaminis seu venti specie: et proprie intelligitur animae conversio ad Deum, a divino Spiritu afflata desiderio expresso aut tacito veri Baptismi; et hoc desiderium etiam ad salutem satis est, cum non possit Baptismus in re haberi: *sanguinis* denique, intelligitur mors pro Fide tolerata; aut etiam pro alia virtute christiana, ut docet s. Thomas (3), et revera Ecclesia in Martyrolog. die 28. febr. ut martyres veneratur aliquos sanctos in servitio peste infectorum defunctos. Et hoc martyrium aequiparatur Baptismo, quia etiam remittit culpam et poenam; quoties tamen cum peccatorum contritione sociatur, aut amore puro erga Deum praedominante; nam ad martyrium non sufficeret sola attritio, sine amore praedominante, ut tenendum est cum s. Thoma s. Bonav. Scoto Laym. Petrocor., etc. contra Wigandt Viva et alios (4). Notandum hic obiter non licere se offerre martyrio sine speciali Spiritus Sancti instinctu, excepto si aliter in aliquo casu se non offerre gravi esset scandalo, ut dicunt communiter dd. Unde dicit Laym. peccare qui inter haereticos versans vellet in quadragesima abstinere a carnibus cum periculo se prodendi esse catholicum et occidi (5).

8. Sed descendamus nunc ad loquendum 1. de materia Baptismi. Materia *remota* licita est aqua consecrata; secus graviter peccaret si aliam aquam extra necessitatem adhibere vellet, ut dicunt communiter dd. ex Clem. un. de Bapt. Caeterum in Baptismo privato probabile est licere uti aqua non consecrata; Croix Gobat. Pasqual. et Quintan. (6). Materia remota valida est quaelibet aqua naturalis, licet sit mineralis, aut marina, aut ex glacie soluta, aut cum alia materia, sed minoris quantitatis, permixta, quae retineat tamen usum communem aquae. Contra non est materia valida vinum, lac, succus ex fructibus, aut herbis extractus, nec aqua dum est congelata (7). Est autem materia dubia ius, lixivium, aut cerevisia (8); item aqua distillata, intellige arte alchymica ex floribus aut

(1) lib. 6. n. 32. (2) n. 56. et 1044. (3) 2. 2. q. 124. a. 5. (4) l. 6. n. 95. ad 100. (5) n. 101. (6) n. 102. (7) n. 102. et 103. (8). n. 103. v. 3. materia.

herbis, etc. educta, quia aqua naturalis simpliciter distillata, rosis aut aliis floribus in aqua infusis, est vera aqua (1); item saliva, aqua congelata, et humor ex arboribus manans (2). Est etiam materia dubia una, vel altera gutta aquae (3). Materia dubia non licet uti, nisi in casu necessitatis, et apposita conditione; sed advertendum quod in necessitate tenetur minister uti materia dubia, licet opinio pro Sacramenti valore esset minus, imo tenuiter probabilis, ut communiter docent Suar. Cai. Antoine Holzm. Viva et alii (4). Vide *Tract.* XVI. *n.* 36. *ad* 38. quid dicetur de absolutione impertienda peccatoribus moribundis sensibus destitutis.

9. Materia *proxima* Baptismi est eadem ablutio, quae trifariam fieri potest, per immersionem, aspersionem, et infusionem, qui modus hodie est in praxi. Si puer in flumen proiiciatur cum prolatione formae, probabiliter est validus Baptismus: sed hoc nunquam licet, quia non licet aliquem occidere, ut illum baptizet, et licet deinde ille sine Baptismo moriturus esset: et sic nec licet, ut docet s. Thomas (5), ut baptizetur proles, occidere matrem; aut eam incidere cum proximo, aut probabili periculo mortis illius, licet esset moribunda, et consentiret. Dumtaxat licitum est incidere matrem postquam certe animam efflavit. Et hic Croix advertit hoc circa praxim, nempe, ut statim post matris mortem aperiatur os eius, ut si proles vivit, non suffocetur (6). Ait Cangiamila (7) cum Possev. Gob., etc. peccare graviter parentes qui negligunt efficere ut fiat incisio, et etiam chirurgos qui illam negligunt, aut differunt. Et addit parocho totis viribus efficiendum esse quin mater sepeliatur antequam fiat incisio; secus dicit quod ipse nescit illum ab irregularitate excusare, cum ex officio teneatur impedire mortem infantis. Sed huic opinioni nescio acquiescere, cum enim in tali casu non sit certa infantis vita, ne certa quidem est mors eius. Praeterea inquit (*cap.* 10.) quod si alter reperiatur, etsi non chirurgus, qui vires habeat faciendi incisionem, tenetur illam operari. Quin etiam dicit Cangiam. (*lib.* 4. *c.* 4. *n.* 5.) cum infans non adhuc integre prodiit ex utero, Baptismum dandum esse non a parocho, sed ab obstetrice. Praeterea idem (*loc. cit.*) cum Gob. et Quintanad. notat signa proximae mortis, nempe 1. Si infans nascitur absque eo quod vagiat, et ploret, 2. Si parum respirat, et livet, praesertim facies. 3. Si nascitur multo labore et auxilio obstetricis. 4. Si nascitur nondum menses septem conceptus (et idem dicitur de omni foetu abortivo). 5. Si cranium habet nimis tenerum et compages nimis apertas, aut alias partes disiunctas. Et idem dicendum de infantibus illegitimis, quibus timetur ne occidantur a parentibus, aut saltem exponantur in locis, ubi deest rota. Sed si mater esset morti damnata a iustitia, vide in opere (8).

10. Quaeritur 1. an liceat in necessitate baptizare prolem in matris utero, medio aliquo instrumento, quo possit aqua attingere puerum? Negant hoc Gotti Conc. Iuvenin., etc., citantes s. Thomam (9), qui dicit: *Non debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur:* Ratio istorum est quia nemo potest renasci per Baptismum iuxta Evangelium: *Nisi quis renatus fuerit, etc. Ioan.* 3. 5. nisi prius fuerit natus. Sed valde probabiliter affirmant Suar. Pignatel. Tourn. Elbel. Holzm. Coninch. Croix et alii, quibus valde adhaeret Bened. XIV. (10), quia huiusmodi infans, cum iam sit viator, est capax Baptismi, et qui vivit in utero matris, etiam

(1) l. 6. n. 104. (2) ibid. dub. 2. 3. 4. (3) n. 107. v. quaer. 6. (4) n. 103. ad 3. in fin. (5) 3. p. q. 68. a. 11. ad 3. (6) l. 6. n. 105. et 106. (7) Cangiam. Embryologia l. 2. c. 12. n. 1. (8) l. 6. n. 106. v. Omnino. (9) 3. p. q. 68. a. 11. (10) De Syn. l. 7. c. 5. n. 2.

potest dici natus, ut de Verbo incarnato dictum fuit: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, *Matth*. 1. 20. Nam, ut dicit s. Thom. (1), duplex est carnalis nativitas, prima in utero, secunda extra uterum. Et hoc clarius apparet ex cap. 4. *de Bapt*. ubi dicitur: *In carnali generatione qua proles ex viro et foemina nascitur*, etc. Notandum quod non dicitur dumtaxat *ex foemina*, sed *ex viro et foemina nascitur*. Igitur recte dicitur sola generatione nasci, et ita intelligi potest quod proles nascatur etiam a patre: nec a nostra sententia Angelicus aliud sentit, dum loco prius citato (2) dicit quod in tantum non potest baptizari in utero, in quantum supponit Sanctus quod *antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua*; igitur si potest ablui, potest baptizari. Sed quod possit aqua attingi infans in utero, dicit Benedictus hodie ex medicorum et obstetricum iudicio constare. Et praeterea citat Silvestrum et Vasq. qui dicunt (et hoc putat probabile etiam Laym. cum Ang. Armil. et Praepos., etc.) posse baptizari infantem etiam adhuc involutum secundina, quae putatur tanquam infantis pars, cum illius umbilico annexa sit. Unde concluditur in casibus praedictis, cum imminet mortis periculum, semper prolem sub conditione esse baptizandam (3). Advertendum autem hic cum s. Thoma (4) in necessitate, si infans non adhuc ex utero egressus sit, et baptizetur in capite, non esse amplius rebaptizandum, quidquid dicat Sambovius, dum idem dicit Ritual. rom.; sed si in alia parte est baptizatus, tunc repetendus est Baptismus sub conditione (5).

11. Quaeritur 2. an possit dari baptismus infundendo aquam super solis capillis infantis? Negant Bonac. Concina, etc.; sed communius id admittunt Lugo Tol. Valent. Conc. Ledesm. Graff. etc. quia licet capilli non sint animati, non sunt tamen pura excrementa, sed verae corporis partes; ut est etiam cutis exterior, quae nec est animata, et tamen super ipsa infunditur aqua Baptismi. Quare in casu necessitatis bene potest, et debet dari Baptismus super capillis, sub conditione: et tanto magis debet dari super pedibus, aut digitis, et aliis partibus minimis corporis. Baptismus vero super vestibus est certe nullus (6).

12. Quaeritur 3. an sit certe validus Baptismus collatus non iam in capite, sed in pectore, in scapulis aut aliis corporis partibus principalioribus? communior sententia affirmat; sed dubitant Anacl. Conc. et Platel. et dubitat etiam s. Thomas (7). Unde merito dicunt Tourn. Viva Salm. Troll. Ledesma licite posse rebaptizari sub conditione: *Si non es baptizatus*, etc. (8).

13. Quaeritur 4. an in Baptismo certe requiratur trina ablutio? Quoad validitatem, certum est unam sufficere, ut ex cap. *de Trina d.* 4. *de consecr*. ubi s. Gregorius dicit: *Ter vel semel immergere*. Caeterum praecipit Rituale ut ablutio sit trina; et hoc praeceptum dicimus cum s. Thoma (9), et aliis (contra Holzm.) esse grave, cum materia sit gravis; in illa enim exprimitur mysterium ss. Trinitatis. Et hic advertendum cum Laym. Reg. Busemb. non esse terminandam formam ante tertiam ablutionem (10).

14. II. Circa formam Baptismi in Ecclesia latina: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: in graeca autem est: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, etc.*; damnata fuit ab Alexandro VIII. Propos. 27. quod dudum sufficiebant sola verba in *nomine Patris etc.* Advertendum quod mutatio cum est substantialis (nempe cum corrumpitur

(1) 4. Sent. dist. 6. q. 1. art. 1. (2) 3. p. q. 68. a. 11. (3) l. 6. n. 107. (4) cit. a. 11. ad 4. (5) l. 6. n. 107. v. hic autem (6) n. 107. quaer. 3. (7) 3. p. q. 68. a. 11. ad 4. (8) l. 6. n. 107. qu. 4. (9) 3. p. q. 66. a. 8. (10) l. 6. n. 107 quaer. 5.

sensus formae), tunc redditur invalidus Baptismus; non autem cum est accidentalis, nempe cum servatur sensus. Quapropter est mutatio accidentalis, et per consequens est validus Baptismus, 1. si mutatur idioma, aut pronuntiatur forma cum verbis diversi idiomatis, nam in Sacramentis non requiritur, ut minister aut suscipiens intelligat verba, sed sufficit ut illa sint per se significativa. Et in conferendo Baptismo melius est (ut dicunt multi dd.) ut in necessitate mulieres et rudes adhibeant linguam maternam, ne errent 2. Si pro *Ego te baptizo*, diceret *ego te lavo*, *te purgo*, etc., talis mutatio non excederet veniale, ut dicunt Laym. Bonac. et Busemb. Sed si diceret: *In nomine Genitoris et Geniti*, etc. aut pro *Filii* diceret *Iesu Christi*, tunc saltem esset dubius Baptismus (1). 3. Si diceret: *Battizo* pro *Baptizo*, aut *Fili* pro *Filii*, aut *Patria*, *et Filia*, *et Spiritus Sancta*, pro *Patris*, etc.; nam talis Baptismus validus fuit declaratus a Zaccharia Papa, *c. Retulerunt*, *de Consecr. d.* 4. 4. Si verba transponuntur, dicendo: *Te ego baptizo, in nomine Filii, et Patris, etc.* (2). 5. Si dicitur: *In nomine Patris omnipotentis, et Filii unigeniti, etc.*; aut si quis ex importuna devotione adderet, *et in nomine Mariae Virginis*. Contra esset invalidus si diceretur *Ego te baptizo in nominibus Patris* aut *in nomine SS. Trinitatis*: aut *in nomine trium divinarum Personarum*. Si autem diceretur: *In nomine Patris, in nomine Filii, etc.* Baptismum esse dubium tenent Bonac. Tournel. Busemb. Salm. (3). 6. Si omitteretur verbum *ego* aut *amen*; sed si omitteretur *te*, iuxta communem sententiam esset invalidus. Si autem omitteretur particula *et*, dicendo *In nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*, alii dicunt esse validum, alii invalidum, propterea sub conditione esset repetendum; sed si particula *et* poneretur ante *Spiritus Sancti*, non dubito cum Croix, quin esset validus Baptismus, quia iuxta usum communem pro nominum distinctione sufficit, ut *et* praeponatur ultimo nomini. (4) Dubius est etiam Baptismus, si omittatur particula *in*, quam volunt esse essentialem Sot. Nav. Conc. etc.; nam aliquando, praefata particula sublata, sensus remanet aequivocus, si dicatur forma ex auctoritate SS. Trinitatis, aut invocando tres divinas Personas. Sed huic se opponunt Bonac. Coninch. Salmant., etc. dicentes non esse de essentia, quia etiam adiecta particula *in*, adhuc sensus remanet aequivocus (5). Est certo invalidus Baptismus tantum collatus *in nomine Christi*, ut docent omnes cum s. Thoma (6) ex *c. Si revera* 30. *de Consecr. dist.* 4. Nec obstat textus (Act. 8. 12.) *In nomine Iesu Christi baptizantur viri ac mulieres*, quia hoc intelligebatur in quantum ille Baptismus erat institutus a Iesu Christo, non autem a Baptista: contra ex iisdem Actibus probatur quod exprimebantur nomina Personarum, dum illis qui dicebant ne audivisse quidem utrum Spiritus Sanctus adesset, responsum fuit: *In quo ergo baptizati estis? Act.* 19. 3. nec obstat textus *c. A quodam, de consecratione dist.* 4. ubi Nicolaus Papa dixit: *Si in nomine sanctae Trinitatis, vel Christi baptizati sunt, rebaptizari non debent.* Nam, ut explicat Glossa, verbum Trinitatis, Papa dicendo *in nomine SS. Trinitatis*, non intendebat expressionem illius Personarum explicitam excludere (7).

15. III. Circa ministrum, notandum 1. quod validus est Baptismus a quocumque viatore, etiam haeretico, aut infideli collatus (8). Sed extra necessitatem non potest Baptismus licite conferri nisi a solis sacerdotibus. Imo minister ordinarius Baptismi est proprius pastor, nempe Episcopus, aut parochus, qui caete-

(1) lib. 6. n. 108. et 109. (2) n. 110. (3) n. 111. (4) n. 112. (5) ibid. dubit. 2.

(6) 3. p. q. 66. a. 6. (7) l. 6. n. 112. dubit. 3. (8) n. 113.

roquin possunt aliis sacerdotibus, et in horum defectu, etiam diaconis administrationem committere; sed diaconi sine commissione in necessitate non possunt solemniter baptizare; et hoc faciendo (iuxta sententiam probabiliorem Layman Bon. Tournely Habert, etc.) incurrunt irregularitatem; quandoquidem diaconi non ordinantur ad baptizandum, nisi ex sacerdotis commissione. Non dubitatur autem quin clerici non diaconi solemniter baptizando incurrant irregularitatem, ex *c. Si quis* 1. *de cler. non ordin.*, etc. Contra probabilius dicunt Lugo Castropal. Bonac. Laym. etc. (contra Sotum Suarez Conc., etc.) laicos solemniter baptizando non fieri irregulares; nam licet textus *sic generaliter loquatur*, dicendo, *Si quis, etc.*, ea verba tamen debent referri ad titulum qui tantum de clericis tractat (1). Caeterum certum est extra necessitatem baptizantem, sine proprii pastoris commissione, graviter peccare. Sufficit nihilominus in hoc licentia praesumpta, ut dicunt Salmanticens. cum Mirand. et Henriq. (2).

16. Notandum 2. circa ministrorum ordinem in baptizando (ex Ritual. roman.) sacerdotem esse praeferendum diacono; diaconum subdiacono; clericum laico; virum denique mulieri, ratione honestatis tamen aliquando debet viro praeferri mulier (ideoque parochi debent bene examinare obstetrices, ut dictum est *Tract.* 7. *n.* 45. *ad* 4.), aut quia mulier esset melius viro instructa; et cum vir esset pater baptizandi, tunc omnino debet mulier baptizare, dum parentibus hoc est prohibitum extra necessitatem extremam (3). Certum est autem graviter peccare laicos qui baptizant coram sacerdote, *c.* 21. *de Consecr. dist.* 4., excepto si sacerdos esset excommunicatus, ut recte dicunt Suar. Castropal. Navar. Silvest. et Salmanticens. (contra Sot. et Sayr.) quia excommunicato concessum est baptizare in solo casu necessitatis, quae non adest quoties potest alius haberi (4). Sed si baptizaret coram clerico etiamsi diacono, probabiliter non peccaret, nisi venialiter (5). Proculdubio autem graviter peccant parentes qui extra necessitatem extremam permittunt filios a praedicantibus baptizari, licet hoc efficerent timore edicti principis (6).

17. Notandum 3. nec Episcopos, nec parochos posse baptizare extra dioecesim, aut parochiam existentes, sine proprii pastoris commissione. Quare certe graviter peccant parentes, qui filios sine illorum licentia ad alios afferunt baptizandos (7). Peregrini et vagi qui non habent proprium domicilium possunt in quacumque ecclesia baptizari, ita Barbosa Salmant. et Croix ex cap. *Nec numerus qu.* 3. Sed hic quaeritur, an exteri debeant baptizari, et alia Sacramenta suscipere a parocho proprio domicilii, si parum distat; aut possint ea suscipere a parocho loci, ubi incolunt et quasi-domicilium contraxerunt? Notandum hic contrahi domicilium ab eo qui in aliquo oppido habitat, non per modum transitus, sed per maiorem anni partem, aut animo ibi manendi maiorem, aut notabilem anni partem alicuius negotii, aut officii causa, v. g. medici, mercatoris, hospitis, famuli, etc.; ita Laym. Navar. et Lambert. (8) cum communi ut asserit. Nunc veniamus ad quaesitum. Respondetur duas adesse probabiles sententias. Prima est Ledesm. Ang. Rodr. et Henriq., etc. tenens Sacramenta suscipienda esse a parocho proprii domicilii, quia alias (ut dicunt) exterus haberet duas parochias habitationis. Sed haec ratio nihil convincit; unde probabilior et communior est secunda sententia Barb. Sanch. Silvest. Castrop. Pontii Croix Bonac. Salmant., etc. cum

(1) lib. 6. n. 116. (2) n. 115. v. notand. 2. (3) n. 117. (4) ib. dubit. 1. et 2 (5) ib. dubit. 3. et 4. (6) ib. dubit. 5. (7) n. 114 (8) Notif. 32. n. 9.

pluribus decisionibus Rotae, quae dicit posse suscipi Sacramenta a parocho domicilii, cum pro quasi-domicilio iam quilibet sit subditus loci ubi habitat, ut habetur ex *capit. fin. de Paroch.* (1).

18. Notandum 4. graviter peccare eos qui differunt diu Baptismum infantibus. Putant Laym. et Castropal. gravem esse dilationem ad mensem sine causa, et cum causa ad duos menses. Sed communior et probabilior sententia putat esse gravem plerumque dilationem ultra 10. aut 11. dies (2). Notandum 5. esse vetitum sub gravi domi baptizare infantes solemniter, exceptis filiis regum, vel principum, ut dicitur in Clementina unica, de Baptismo. Et huiusmodi infantibus recte dicunt Sot. Castropal. Tol. Covar. Croix, etc. Baptismum debere solemniter conferri: caeremoniae enim non sunt omittendae nisi in sola necessitate. Nomine *principum* nonnulli dd. intelligunt omnes barones; sed probabilius Suar. Tournel. Roncag. Tambur. Elb., etc. intelligunt illos tantum, qui dominio absoluto gaudent; idem tenet Glossa in cit. Clementina (ad verbum *aliquos*), adducens *cap. Fundamenta*, 17. §. *Proinde, de elect.* ubi dicitur: *Rex, princeps, marchio, dux,* igitur principes distinguuntur a baronibus; ubi tamen introductum iam est domi baptizare filios baronum, saltem magnatum, bene ait Croix non facile damnandum; vide *n.* 30. Notandum 6. nullum esse Baptismum, si alter applicat materiam, alter vero formam; dd. communiter cum s. Thoma (3); et licet adhibeatur forma Graecorum *Baptizetur servus Christi*, etc., quia semper subauditur verbum *per me* (4). Notandum 7. quod si eodem tempore plures ministri Baptismum conferrent infanti, proculdubio graviter peccarent: sed quoad valorem Sacramenti, oporteret distinguere cum s. Thoma (5): Si quilibet baptizare intendit ut concausa, nempe dependenter ab alio, Baptismus esset nullus; secus autem si quilibet intenderet baptizare ex se, ut pariter accidit in consecratione Eucharistiae, cum neopresbyteri celebrant cum Episcopo (6).

Punctum II.
De iis qui baptizari possunt.

19. *Poena rebaptizantium.*
20. *De foetibus abortivis, et de filiis infidelium.*
21. *Si parentes repugnant.*
22. *An liceat vendere filios infidelibus*
23. *De Baptismo sub conditione.*
24. *De infantibus expositis.*
25. *De Baptizatis a laicis.*
26. *Ab haereticis.*
27. *Si Baptismus est dubius.*
28. *Dispositiones ad Baptismum.*
29. *De caeremoniis, et I. de aqua consecrata.*
30. *II. De ecclesia.*

19. Notandum 1. valide baptizari infantes et perpetuo amentes, illos tamen qui aliquando habuerunt usum rationis non posse, si prius Baptismum non requisiverunt (7). Notandum 2. quod, cum repetitur Baptismus sine iusta causa, tam rebaptizans, quam rebaptizatus, si est rationis compos, incurrunt irregularitatem, *cap.* 2. *de Apostat.* An autem idem sit de rebaptizantibus sub conditione sine iusta causa: duae adsunt sententiae probabiles; negant Suar. Castrop. Laym. Bonac. Anac. Pont. Tourn. Holzm. Salm. et Croix, quia qui sub conditione rebaptizat, revera non rebaptizat. Affirmant autem Sot. Filliuc. Conc. Ren. Barbos. Sayr. et Lambert. cum Catechismo romano; quia, ut dicunt isti, talis conditio apponitur in legis fraudem, ideoque habetur pro non apposita (8).

20. Notandum 3. foetus abortivos, semper ac non constet esse anima destitutos (ut iudicari debent illi qui non habent aliquam organorum dispositionem), semper baptizandos esse

(1) lib. 6. n. 115. (2) n. 118. v. notand. 2. (3) 3. p. q. 67. a. 6. (4) l. 6. n. 119. (5) 3. p. q. 67. a. 6. ad 3. (6) l. 6. n. 120. (7) n. 121. (8) n. 122.

sub conditione tamen; potissimum cum inter peritos modernos hodie cum plausu recepta sit opinio, quod foetus animetur, aut in ipsa conceptione, aut saltem post paucos dies (1). Notandum 4. ut praecipit Ritual. rom., in solo casu necessitatis posse baptizari plures sub una forma, dicendo: *Ego vos baptizo etc.* (2). Notandum 5. quod circa filios infidelium, Baptismus collatus est validus, licet eis ministretur invitis parentibus, ut docet Benedictus XIV. in sua *instruct. ad Vicesgerentem*, quae incipit *Postremo mense*, et alii communiter cum auctoritate s. Augustini, quidquid dicant Durand. et Catarin. (3). Sed notandum item circa hoc, quod si parentes deficiunt a Fide ad infidelitatem, licite possunt eis auferri filii, et sufficit quod unus solus eorum prius fidelis fuerit, ut communiter dicunt Suar. Laym. Ronc. Antonin. Salmant. et Croix; caeterum sicut est licitum baptizare filios haereticorum his invitis, et etiamsi illi apud genitores remansuri fuissent, iuxta sententiam probabiliorem Laym. Croix Aver. Gob. etc.; ita contra non licebit baptizare filios infidelium invitis parentibus, praeterquam in casibus sequentibus: 1. Si filius est iam rationis capax et Baptismum efflagitat, ut docet s. Thomas (4). Et advertendum quod Ecclesia bene possit et debeat separare baptizatum a suis parentibus, ut dicunt Castropal. Laym. Salm.; et Benedict. XIV. facto declaravit loco cit. num. 29. ex *cap. de Iudaeis dist.* 45. et in casu quo dubitatur an filius qui petit Baptismum sit vel ne rationis compos, post septennium debet baptizari, sed ante septennium expectandum est, ut ibidem dicit Bened. XIV et interim a parentibus debet segregari, et loco tuto custodiri (5). 2. Debet baptizari filius infidelium quoties in periculo est mortis. 3. Si filius est extra curam parentum, nec timetur ne ad ipsos regrediatur. Et idem currit pro filiis perpetuo amentibus; aut a parentibus derelictis aut expositis. 4. Si parentes in Christianorum captivitatem redacti sunt, aut filii eorum sunt capti in bello. 5. Si unus parentum consentit, ut infans baptizetur, licet alter positive repugnet (6).

21. Sed hic quaeritur 1. An repugnante utroque parente infideli, liceat baptizari infans? Respondetur non licere, si filius relinquendus erit in illorum potestate, ut decrevit S. C., ex eo quia adest certum periculum illius perversionis. Sed contra casu quo infans abstrahatur a parentibus, est satis probabilis sententia Scoti Fras. Tourn. Est. Pichler Manstr. Holzm. et aliorum contra Gonet Conc. Salm. etc. quod possit licite baptizari, dum parentes non possunt super filiis habere ius in eorum salutis aeternae detrimentum; et sicut potest auferri filius a parentibus, ut liberetur a morte corporali, tanto fortius ut liberetur a morte animae. Advertendum tamen quoad Hebraeos, Iulium II. iustis rationibus prohibuisse, quominus iis invitis sui filii baptizentur, antequam ad usum rationis hi pervenerint (7).

22. Quaeritur 2. An liceat vendere parentibus infidelibus filios suos non iam baptizatos. Negat Hurt., sed communiter affirmant Suar. Laym. Castrop. Vasq. Bonac. Conin. Filliuc. etc. quia hoc expedit ad conservandam pacem communiter; aliter infideles difficulter restituerent christianos captivos, et Ecclesiae magis incumbit, ut fideles Fidem servent sartam tectam, quam ut infideles eam amplectantur (8).

23. Notandum 6. quod iuxta regulam generalem ut conferatur Baptismus sub conditione iam baptizato, requiritur rationale et prudens dubium de valore prioris Baptismi, dubium sive negativum sit, sive po-

(1) l. 6. n. 124. (2) ib. ad 6. (3) n 126. v. quaer. (4) 3. p. q. 68. a. 10.

(5) l. 6. n. 128. (6) n. 129. ad 131 (7) n. 132. (8) n. 133.

sitivum (1), sicut explicatum est *Tr.* 1. *n.* 12. Advertendum tamen quod, cum saltem unus testis ocularis de Baptismo collato testatur, non potest repeti, nisi cum adsunt testes contrarii qui positive oppositum deponunt; ita communiter Suar. Laym. Castrop. Bonac. Holzm. Salm. etc. cum Lambertini. Advertendum item non esse baptizandos (ne sub conditione quidem) adultos a parentibus christianis natos, et inter fideles educatos, licet nullus adsit qui de illorum Baptismo testetur, ut exprimitur in *cap. Veniens* 3. *de Presbyt. non bapt.* ubi dicitur: *Et certe de illo qui natus est de christianis parentibus, et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur quod fuerit baptizatus, ut praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.* Recte tamen dicunt Laym. et Busemb. Baptismum sub conditione esse conferendum adultis, etiam inter fideles nutritis, cum eae adsint coniecturae, ut praesumere faciant verisimiliter eos non fuisse baptizatos. Imo S. C., ut refert Zacchar. (2), pluries decrevit esse baptizandos sub conditione eos pro quibus nullum Baptismi recepti signum haberi potest nec parentum matrimonii (3).

24. Notandum 7. circa infantes (si sint expositi, et scriptum sive habent, sive non, Baptismi recepti) debent baptizari sub conditione, quoties non constat de Baptismo eorum, quia prudenter semper potest dubitari, ita Nat. ab Alexandro Petroc. Conc. Ronc. Holzm. Tourn. Henno et alii cum Lambert. qui ad huius confirmationem producit Conc. mediolanen. et declarationes S. C. et etiam Rit. rom. ubi dicitur: *Infantes expositi, si de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur* (4).

(1) l. 6. n. 134. (2) apud Croix, l. 6 p. 1. n. 310. (3) n. 134. v. Hic tamen. (4) num. 135. (5) Apud Zacch. Adnot. ad Croix. lib. 6. p. 1. n. 323.

25. Notandum 8. quod infantes ab obstetricibus baptizati, aut a laicis, tunc solum rebaptizandi sunt, cum probabilis de errore habetur suspicio, ut communiter Suar. Laym. Bonac. Conc. Holzm. Salmant. Croix etc. quicquid alii dicant: et ita declaravit S. C. (5); secus vero cum parochus, explorato laico, reperit illum sufficienter instructum, ut dicitur in Catechis. rom., in eo casu tamen in ecclesia suppleri debent caeremoniae, ut praecipitur in Rit. rom. In casu autem quo repetendus erit Baptismus in adultis, non erit praemittenda confessio, sed tantum contritio (6).

26. Notandum 9. baptizatos ab haereticis non esse rebaptizandos, nisi cum certum est, aut saltem prudenter dubitari potest in aliqua parte non servari requisita ab Ecclesia catholica ad valorem Sacramenti, ut declaravit S. C. (7). Quod praecipue accidit in baptizatis a Praedicantibus Lutheranis, et Calvinistis, ut advertunt Tourn. Gob. Dicast. etc.; quoniam aliqui ex illis utuntur aquis distillatis, alii solent in baptizando hunc morem servare ut unus proferat formam, et alius applicet materiam; nonnulli infundunt aquam super vestes tantum; aliique communius deficiunt in intentione (8).

27. Notandum 10. peccare ministrum si, cum rationabile dubium, de baptismi collatione habetur, non rebaptizat (intellige sub conditione). Contra, cum testis unicus oculatus habetur de Baptismi collatione, non potest repeti (9). Sat est conditionem mente apponere, modo non adsit scandalum in ea occultanda; sed semper tutius est eam exprimere: *Si non es baptizatus*, etc. Et cum baptizatur sub conditione, non requiritur patrinus (10).

28. Quoad dispositionem ad Baptismum recipiendum requiritur 1.

(6) n. 136. (7) Apud Zacch. ad Croix l. 6. p. 1. n. 323. (8) n. 137. (9) ibid. (10) ib. in fin. Resp. 2.

intentio saltem habitualis in adultis (quia in amentibus et pueris, ut dictum est, supplet Ecclesia). Quare valide confertur Baptismus illi, qui eum recipit, non ex mera vi, sed ex metu gravi, sicut etiam amentibus, et dormientibus qui prius dum apud se erant, illum petierunt. 2. Requiritur ut rebus Fidei calleant, iuxta id quod dictum est *Tr.* 4. *num.* 3. Requiritur 3. dolor de peccatis; et sufficit attritio sine charitate praedominante, ut communissime Gonet. Can. Sot. Suar. Valent. Salm. et alii cum s. Thoma(1), qui dicit: *Ad hoc quod homo se praeparet ad gratiam in Baptismo percipiendam, praeexigitur Fides, sed non charitas quia sufficit attritio praecedens, etsi non sit contritio* (2).

29. Caeremoniae tandem, quae debent adhiberi in Baptismo sunt 1. aqua consecrata, cum Baptismus est solemnis, ut *n.* 8. Peccaret autem graviter qui sine necessitate baptizaret omissis unctionibus Chrismatis, et olei Catechumenorum, aut ungeret baptizandum oleis veteribus, ut communiter dd. ex *cap. Si quis de alio, dist.* 4. et Rit. rom. ubi item praecipitur, ut si oleum benedictum iamiam defecturum esset, et aliud haberi non posset, infundatur in benedictum aliud simplex olivarum, sed in minore quantitate. Propterea si, ut haberetur oleum novum, expectandum esset per notabile tempus, v. g. per 10. aut 11. dies, tunc potest conferri Baptismus, et postea suppleri unctiones; et hoc etiam licet praecisa necessitas non adesset: *Cum propter aetatis imbecillitatem* (dicit Catech. rom. part. 2. *n.* 34. loquendo de infantibus) *infinita pene vitae pericula illis impendeant.* Sed si abest necessitas, aut alia gravis causa, et intra dictum tempus de facili possit haberi novum oleum, differendus est Baptismus (3).

30. 2. Baptismus conferendus est in ecclesia; quare grave est conferri domi. Excipe 1. si infans fuerit filius regis, aut principis, ut *n.* 18.; 2. si infans non potest ad ecclesiam deferri sine parentum infamia, aut alterius gravis damni periculo; et eo casu Croix Gob. et Iord. dicunt Baptismum posse tunc domi conferri etiam solemniter; 3. si imminet periculum mortis infanti, v. g. si mater cum magna difficultate enixa est; aut si infans oritur quin ploret, aut 7. vel 8. mense (4). In hoc tertio tamen casu, si infans vivit, caeremoniae debent in ecclesia suppleri, ut dicit s. Thomas (5), ex *c.* 1. *de Sacramentis non iter.* Et hoc sub gravi, ut tenent Pignatel. Croix et Aver. contra Passer. (6). An autem, puta si Baptismus invalide collatus sit, debeant repeti caeremoniae; alii communius negant, ut Suar. Bonac. Busemb. etc.; sed alii affirmant, ut s. Antoninus, Castr. et Salm. Utraque sententia est probabilis, ideoque secunda uti tutior consulenda (7). Rituale admonet parochos ut curent, quantum possibile est, ne imponantur infantibus nomina risum moventia, aut idolorum, aut idololatrarum, sed Sanctorum. Notandum hic denique librum baptizatorum plenam facere fidem in omni tribunali; ideo Rituale praecipit praeterea parochis ut adnotent diem, et horam nativitatis; parentes infantis, et patrinos; insuper ut notent, si Baptismus fuerit sub conditione, aut sine caeremoniis collatus; et item si infans fuerit expositus, et ubi fuerit inventus(8). 3. Requiruntur patrini, sed de his in puncto sequenti.

Punctum III.

De patrinis et eorum munere.

31. *Munus patrinorum.*
32. *Qualitas.*
33. *Quando et a quibus contrahitur cognatio, etc.*
34. *An parentes, etc.*
35. *An patrini debeant designari.*

(1) In 4. d. 6. q. 1. a. 3. ad 5. (2) l. 6 n. 130. (3) n. 141. (4) n. 142.

(5) 3. p. q. 71. a. 3. ad 3. (6) l. 6 n. 144. (7) ib. v. si Baptismus. (8) n. 145.

36. *Cuius sexus.*
37. *Quibus sit vetitum esse patrinos.*
38. *Quando in hoc peccat parochus.*

31. Patrini sunt illi qui de sacro fonte suscipiunt baptizatum, et in suam curam eum accipiunt; unde debent eum instruere de rebus Fidei, et morum, si alii negligunt. Caeterum dicit s. Thom. (1), quod potissimum praesumere possunt patrini, infantes sufficienter instrui a suis parentibus (2).

32. Ad hoc, ut quis possit esse patrinus, dicunt Salm. cum Laym. Sanch. Nav. etc. nullam requiri certam aetatem; sed probabiliter tenet Croix, requiri saltem aetatem 7. annorum; omnino autem requiritur 1. rationis usus, 2. ut sit baptizatus, 3. ut patrinus talem habeat intentionem, 4. ut ipse per se, aut medio procuratore suscipiat infantem qui baptizatur, aut e manibus baptizantis, et in hoc non sufficit tactus moralis, sed requiritur physicus, iuxta communissimam sententiam Sanch. Castropal. Bonac. Salm. etc. cum declaratione S. C. (3): 5. ut patrinus sit designatus a parentibus, vel saltem a parocho: sed parochus (saltem licite) non potest mutare patrinum designatum a parentibus (4).

33. Quaeritur 1. an in Baptismo privato contrahatur tam a baptizante, quam a patrino spiritualis cognatio? Quoad baptizantem, non dubitatur quin contrahatur. Sed quoad patrinum, negant communius, et probabilius Sot. Sanch. Castropal. Bonac. Tourn. Salm. etc. (contra Suarez Laym. etc.): quia iuxta Trident. *Sess.* 24. *c.* 2. *de Ref.* impedimentum dumtaxat contrahitur ab illis qui de sacro fonte puerum suscipiunt; et hic fons tantum pro solemni, non autem privato Baptismo institutus est (5). Quaeritur 2. an cognationem contrahat, qui pro patrino adhibetur in Baptismo sub conditione collato? Respondetur quod si de priori Baptismo tantum habeatur dubium negativum, tunc certum est contrahi: nam cum nulla habetur ratio pro illius valore, praesumptio stat pro valore posterioris. Secus autem si de priori dubium habeatur positivum, nempe probabilis ratio de illius validitate; ita Sanch. Dian et Ren. (6). Quaeritur 3. an contrahat, qui ex errore suscipit unum puerum pro alio quem intendebat? Negant Sanch. Tourn., etc. ex *cap.* 2. *de Cognatione spirit.* ubi dicitur mulier, quae ex ignorantia filium mariti suscipit in Baptismo, non privari iure petendi debitum. Sed probabilius affirmant Pontius Castr. et alii: modo patrinus non habeat expressam intentionem non levandi alium infantem, quam eum quem intendit. Et respondet ad textum oppositum quod ibi lex aufert impedimentum petendi debitum, quia aequum non erat privare sine sua culpa coniugem suo iure: sed haec ratio non currit in nostro casu (7). Quaeritur 4. cum aliquis levat puerum alterius nomine, quis eorum contrahit cognationem? Aliqui dicunt solum procuratorem contrahere: ita Sotus Conc. et Tolet. Alii dicut neutrum; ita Filliuc. Sa etc.; sed communissima sententia et verior Sanchez Castropal. Fagnani Navar. Tourn. Croix, et aliorum cum Pontio, qui affert Decisionem S. C., est solum principalem contrahere; quia iuxta Trident. ille cognationem contrahit, qui a parentibus ad puerum suscipiendum designatus fuit. Nec refert quod principalis absit, quia iuxta regulam legis: *Qui per alium facit, per se facere videtur* (8).

34. Quaeritur 5. an parentes baptizantes, aut filios de Baptismo suscipientes, contrahant impedimentum petendi debitum? Certum est 1. non contrahere, si baptizant in necessitate, ut docent communiter dd. cum s. Thoma (9). Certum est 2. peccare

(1) 3. p. q. 67. a. 8. (2) l. 6. n. 147. (3) n. 148. (4) n. 146. (5) n. 149. (6) n. 151. (7) n. 152. (8) n. 153.

(9) Suppl. q. 56. a. 1. et ex c. Ad limina 30. q. 1.

graviter parentes, qui sine necessitate baptizant filios (1). Certum est 3. non contrahere parentes, qui baptizant ex ignorantia filium, ex *cap. Si vir* 2. *de cognat. spir.* Quaestio igitur restat an parentes filium sine necessitate baptizantes contrahant impedimentum, etc.? Affirmant Sanch. Petroc. Conc. cum s. Thoma (2), quia eadem lex quae decernit contrahi cognationem inter baptizantem, et parentes baptizati, inducit etiam impedimentum inter parentes qui prolem baptizant. Sed satis probabiliter negant Suar. Ronc. Viva Salm. Coninc. cum Glossa in praefato *c.* 2. *v. Debitum*, quia in nulla lege id invenitur expressum, et nulla poena incurritur nisi sit expressa in iure, ut concordant omnes; imo in eodem textu dicitur quod huiusmodi coniuges *non sunt separandi*, et additur: *Nec alter alteri debitum debet subtrahere.* Nec valet dicere textum loqui de redditione, non autem de petitione; dum si alter non posset petere, alter non teneretur reddere; dum ille amisit ius petendi (3).

35. Quaeritur 6. an patrini, ut contrahant cognationem, debeant esse designati, et a quo? Circa hoc Trident. *Sess.* 24. *c.* 2. statuit: *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent.* Hic dubitatur 1. cum multi tangunt puerum, sed nullus est designatus, an omnes contrahant? Alii dicunt tunc nullum eorum contrahere; ita Croix Gob. Dian., etc. Sed ego adhaereo sententiae contrariae quae est communissima Nav. Laym. Castrop. Bonac. Salm. Viva, etc. cum declaratione S. C. qua dictum fuit omnes contrahere, quia licet Concilium requirat ut parochus baptizet adhibitis patrinis designatis a parentibus pueri, attamen non irritat ius antiquum *cap. fin. de Cogn. spir. in* 6. quo omnes qui tangunt, cognationem contrahunt: ibi sic dicitur: *Si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur*; et hoc currit, ut dicunt Castr. Corn. Salmantic., etc. adversus Croix, etiamsi praesentes sint patrini designati. Sed si quis ex patrinis designatis puerum tangeret, caeteri non designati certe non contrahunt, ut habetur ex Concilio. Sed si parentes designarent plures quam duos patrinos, et omnes tangerent (in quo graviter peccaret parochus, eos admittendo contra Concilii praeceptum), tunc recte dicunt Suar. Sanch. et Croix, quod si successive tangerent, illos duos priores contrahere; sed si omnes una simul, Suar. tenet neminem contrahere; sed probabilius dicunt Sanch. Ronc. Castropal. Salm. Croix, etc. omnes designatos contrahere: quia Concilium non irritat ius antiquum, nisi cum tangunt alii non designati, praeter duos designatos; sed secus si tangunt alii designati ultra duos. Et hoc tanto magis currit, ut declaravit S. C. si de multis designatis nescitur quis eorum prius tetigerit (4).

36. Notandum 1. Concilium praescribere, ut duorum patrinorum alter sit mas, et alter foemina; unde non vacaret culpa designare duos mares, aut duas foeminas; et ego puto lethale cum Bonac. et aliis (contra Sanch. et Croix), si uterque patrinus esset diversi sexus quam infans; quia ita multiplicarentur cognationes contra finem Concilii, et in hoc materia est gravis. Si autem designaretur unus tantum patrinus, nihil refert an sit diversi sexus, ut dicunt probabilius Suar. Filliuc. Gobat. et Aversa (contra Laym.), dum Concilium dicit, sive vir sive mulier (5).

37. Notandum 2. non licere esse patrinos 1. monachis, et monialibus, et Regularibus cuiuscumque ordinis, ut declarat Rit. rom. (tit. de *Patr. in Bapt.*) cum dicatur ibi: *Admitti non debent monachi et sanctimoniales, neque alii cuiusvis ordinis re-*

(1) Ex c. de his, 7. q. 1. (2) Suppl. q. 56. a. 1. (3) l. 6. n. 150.

(4) n. 154. (5) n. 155.

gulares a saeculo segregati. Intelligitur hoc de suscipiendo non autem de baptizando. 2. Vetitum est haereticis, apostatis et infamibus. Quare peccant, qui advocant haereticos pro patrinis suorum filiorum. Contra licite possunt Catholici in baptismo suscipere pueros haereticorum, modo hac re non probetur eorum ritus; Laym. Croix Gob. (1). 3. Prohibitum est coniugi esse patrinum alterius coniugis: et parentibus respectu filiorum praeterquam in necessitate. 4. Prohibitum est esse patrinos plures duobus, cum dicat Trid. *Sess.* 24 *c.* 2. *de Ref.*: *Sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una*. Non est vetitum quin duo coniuges unam prolem alterius suscipiant, ut communiter dd. cum s. Thoma (2), qui dicit: *Nihil prohibet quin vir et uxor aliquem de sacro fonte levarent* (3).

38. Notandum 3. peccare parochum 1. si respuit patrinos a parentibus designatos, aut admittit ab illis non electos; 2. si admittit plures quam duos. 3. si baptizat sine patrino (4). In Baptismo privato tamen non adest obligatio adhibendi patrinos, iuxta communem sententiam; caeterum probabile est etiam in privato licite posse adhiberi patrinos (5).

CAPUT III.

De confirmatione.

39. Fide tenemus Confirmationem verum esse Sacramentum, ut habetur ex Decreto Eugenii IV. in instructione ad Armenos, et in Trident. *Sess.* 7. *c.* 1. Et hoc probatur ex traditione Patrum. Dicimus nunc hoc quod refert scire circa materiam, formam, ministrum, necessitatem, et caeremonias huius Sacramenti. Et 1. de *materia*. Materia *remota* Confirmationis est chrisma ex balsamo et oleo confectum per Episcopi benedictionem, ad differentiam olei Baptismi, et infirmorum, ut distinxit Innoc. III. in *cap. Cum venisset de Sacr. Unct.* An autem unum oleum istorum sit materia valida pro alio Sacramento, negant Suar. Laym. et Henriq. Sed probabilius affirmant Bell. Castr. Bonac. et Barb. (6). Non dubitatur autem quin de Sacramenti necessitate oleum necessarium sit. Balsamum certum est requiri de necessitate praecepti: sed an sit necessarium pro Sacramenti valore, probabiliter negant Sot. Navar. Iuven. Cont. Tourn. ex *c. Pastoralis de Sacramentis non iter.*, ubi Innoc. III. interrogatus an valeret chrismatio cum solo oleo collata, respondit: *Nihil esse iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerit praetermissum*. Probabilius tamen et communius affirmant Bellarm. Gonet. Petrocor. Conc. et alii cum s. Thom. (7), et cum *Catechism. rom. part.* 2. *n.* 7. Et probatur 1. cit. *cap. unic. de Sacr. Unct.*, ubi Pontifex appellat hoc Sacramentum *Chrismationem*, non certe alia ratione quam propter chrisma, quod ex oleo et balsamo conficitur. Probatur praeterea ex Decreto Eugenii IV. in Concilio florentino, ubi dictum fuit materiam Confirmationis esse *chrisma* confectum *ex oleo et balsamo*. Opponit *Habert* hoc Decretum non fuisse Concilii, dum e-

(1) lib. 6. n. 156. (2) In 4. d. 42. q. 1. a. 3. q. 2. ad 4. (3) l. 6. n. 157.

(4) n. 154. v. sed notand. (5) n. 158 (6) n. 162. (7) 3. p. q. 72. a. 2.

manatum fuit, soluto Concilio, propter Graecorum discessum. Sed respondet Petroc. 1. Ipsos Graecos consensisse, ut Concilium continuaretur, ut ad Ecclesiam etiam Armeni unirentur; 2. tale Decretum fuisse receptum ab omnibus Ecclesiis catholicis. Sed nos melius respondemus, dicendo, Papa dogmata docente et uti Ecclesiae doctore loquente, omnes eius definitiones ex se esse infallibiles, ut fusius in opere L. 1. ex n. 110. et seqq. Respondetur autem ad textum oppositum quod in tantum Papa dixit *nihil iterandum*, quia ut dicit Glossa; *Non dicitur iteratum, quod prius actum non fuit*. Caeterum prima opinio probabilis est, ut videre est in Decr. S. C. Conc. apud p. Ferraris (1) cum sit certum Confirmationem sine balsamo saltem esse dubiam, adeoque sub conditione saltem repetendam. Sufficit autem balsamum cuiuscumque regionis (2).

40. Chrisma debet esse ab Episcopo benedictum necessitate praecepti; sed dubitatur an etiam ex necessitate Sacramenti? Affirmant Conc. Petroc. Salm. cum s. Thoma (3) ex citato Decreto Eugenii, ubi dicitur quod materia Confirmationis *est chrisma ab Episcopo benedictum*. Sed speculative loquendo, est probabilis sententia negativa Caiet. Barbos. Got. Iuven. Tourn., etc. quia, sicut Papa confirmandi facultatem simplici sacerdoti committere potest (ut dicemus *n.* 44.), ita potest etiam facultatem chrismatis benedicendi impertiri; Decretum autem Eugenii nihil praeter praecepti necessitatem probat. Dictum est *speculative loquendo*, quia in praxi, cum de Sacramenti valore agatur, prima tenenda est (4). Praeceptum autem grave est ex *can. Litteris de Consecr. distinct.* 3. non esse utendum chrismate anno elapso benedicto. Sed in hoc Ecclesiae praecepto potest Papa dispensare, ut de facto Papa Benedictus XIV. in *Const.* 10. *Cum ad infrascriptam*, die 9. ianuarii 1740. dispensavit (5). Quare non dubitatur, quin Confirmatio veteri chrismate collata sit valida (6).

41. Materia *proxima* Confirmationis requirit 1. Unctionem in fronte, 2. in forma crucis, 3. manu ministri: et haec tria sunt omnia de Sacramenti essentia, ut communiter docent dd. (7). Sed cum in Pontificali dicatur ut Episcopus antequam ungat, dicere debeat orationem, *extensis manibus versus confirmandos*, volunt multi auctores moderni, Merbes. Tourn. Gonet. Iuvenin. Conc. Got., etc. talem extensionem esse de Sacramenti valore, ex eo quod legitur Actorum c. 8. 17. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Sed communius hoc negant Suar. Laym. Petroc. Frassen. Antoine Holzm. Viva Croix et alii cum p. Berti, qui fuse hanc nostram tuetur sententiam (8). Et dicimus sufficere extensionem manuum quam adhibet Episcopus in ungendo chrismando. Et hoc probatur ex Decreto Eugenii, ubi dicitur: *Loco illius manus impositionis dari in Ecclesia Confirmationem;* et clarius in *cap. unic.* §. *Per frontis, de Sacr. Unct.*, ubi pontifex dixit: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur quae alio nomine Confirmatio dicitur.* Igitur Papa pro certo habet in eadem chrismatione haberi iam manuum impositionem. Pontificale enim non dicit, *super confirmandos*, ut dicturus fuisset, si per hoc intellexisset loqui de impositione: prout dicit loquendo de ordinatione, *tam Pontifex*, quam sacerdotes tenent manus dextras extensas super illos; sed dicendo *versus confirmandos*, nihil aliud denotat quam consuetam caeromoniam, quam praecipit Ecclesia suis ministris in dicendis orationibus; nam manus ex-

(1) Ferrar. Bibliot. v. Confirmatio a. 1. n. 10. (2) l. 6. n. 162. (3) 3. part. quaest. 72. a. 3. (4) l. 6. n. 163.
(5) Bullar. edit. Mechl. t. 1. p. 54.
(6) l. 6. n. 163. ad 3. (7) n. 164.
(8) Berti de Theol. disc. l. 32. cap. 4. resp. ad 1.

tendere idem est ac eas aperire, et sursum elevare. Unde dignoscitur sententia opposita valido carere fundamento; ideoque dico dumtaxat tanquam tutam esse consulendam. Episcopus qui vellet eam in praxim producere, potest (ut advertit Habert) in diversas classes confirmandos distribuere, et inde super singulas classes praefatam orationem praemittere (1).

42 Episcopus ungere debet pollice manus dextrae; quare peccaret, si ungeret illo sinistrae; et ex communiori graviter; sed Escob. Trullench. Nugnez Dic. Aver. Diana et Tamb. ut probabile habent hoc non excedere veniale, et revera non constat hanc caeremoniam esse gravem. Quare probabiliter dicunt praefati aa. quod licite confirmaret Episcopus sinistra, si dextra confirmare non posset (2). Opinio autem nonnullorum posse dari Confirmationem (sicut potest Extrema-Unctio) medio aliquo instrumento, merito communi sententia repudiata est. Quia tunc deesset manus impositio quae caeteroquin non est necessaria in Extrema-Unctione. Quoad quantitatem autem chrismatis sufficit illa, quae satis est ad ungendam frontem in forma crucis; ita Suarez Castr. Bonac. et Salm. (3).

43. 2. Circa *formam*, quae sit, quatuor adsunt sententiae. 1. Illi qui volunt solam manuum extensionem Episcopi quae unctionem praecedit, esse unicam Confirmationis materiam, dicunt solam orationem ab Episcopo tunc recitatam esse formam. 2. Alii autem, qui volunt tam primam manuum impositionem quam ipsam unctionem esse materias partiales dicunt formam constare tam ex praefata oratione, quam ex verbis quae dicit Episcopus in ipsa unctione: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris*, etc. 3. Alii volunt materias esse partiales (ut dictum est), formam vero esse unam, nempe illam quae dicitur in unctione. 4. Alii denique, qui cum vera sententia tenent materiam totalem esse unctionem, quae manuum impositionem (ut diximus) secum involvit, dicunt recte totalem formam esse verba, *Signo te*, etc. quae illam concomitantur; ita communiter dd. cum s. Thoma (4), et cum Catech. rom. *de Confirmatione part.* 2. *n.* 19. ubi dicitur quod *Catholicae Ecclesiae auctoritas..... non patitur nos ea de re quidquam dubitare*. Et ita revera declaravit Eugenius IV. qui in praefato Decreto dixit: *Forma autem est*: *signo te signo Crucis*, etc. (5). Explicat autem Angelicus (6) quod per *to Signo te*, significatur confirmatus notari in Christi militiam. Per *to confirmo* denotari illum virtutem ad praeliandum recipere. Per *to* denique *in nomine Patris*, denotari a quo hanc accipiat virtutem: itaque sunt de essentia verba *Signo te*, *confirmo te*, *et in nomine Patris*, etc. (7). Alia vero est forma Graecorum, *Signaculum doni Spiritus sancti*: quae etiam est valida, ut declaravit Urbanus VIII. (8).

44. 3. Circa ministrum Confirmationis, certum est solum Episcopum esse huius Sacramenti ministrum ordinarium, ut declaravit Trident. *Sess.* 7. *Can.* 3.: *Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit;* sed ex Pontificis concessione, certum quoque est posse esse Confirmationis ministrum simplicem sacerdotem, ut declaravit Benedictus XIV. in sua Constit. *Eo quamvis* 4. Maii 1745. Et antea Eugenius IV. et s. Greg. Magnus hac fuerunt potestate usi (9). An autem etiam Episcopi simplici sacerdoti, ut Confirmationem ministret, delegare possint, dicit idem Benedictus in celebri opere de Synod. (10) magnam hanc

(1) lib. 6. n. 164. (2) n. 165. (3) n. 166. v. dicunt. (4) in 4. d. 7. q. 1. a. 3. solut. q. 2. (5) l. 6. n. 167. (6) 3. p. q. 72. a. 4. (7) l. 6. n. 168. (8) n. 169. (9) n. 170. (10) l. 7. c. 8. n. 3.

esse quaestionem, pro qua validae militant rationes ad utriusque partis probationem; sed recte inde concludit; hodie talem facultatem summo Pontifici soli, tam consuetudine, quam Nicolai I. reservatione expresse facta (*Epist.* 70.) esse reservatam. Et licet confirmare sit actus episcopalis Ordinis, cuius valor a Pontificis arbitrio non dependet, nihilominus huius actus exercitium delegare non ad Ordinem spectat, sed ad iurisdictionem, quae bene potest a Papa limitari, sicut revera limitatur Episcopis facultas dispensandi in quinque votis Sedi apostolicae reservatis.

45. Notandum hic 1. Episcopum confirmantem in alterius Dioecesi subditos non suos graviter peccare, et suspensionem a Pontificalibus incurrere etiamsi ille confirmaret subditos suos, ut declaravit S. C. et Trident. *Sess.* 6. *c.* 5. Sed si in sua dioecesi confirmaret subditos alterius, per se esset illicitum; sed in hoc praesumitur (iuxta usum communiter receptum) consensus interpretativus aliorum Episcoporum modo non constaret de contraria voluntate alicuius; ita Castrop. Laym. Salm. Sa Croix etc.: tanto magis hoc currit si Episcopus confirmare deberet Ordinandum, qui cum dimissoriis ipsius Ordinarii ad se venit; quia tunc praesumitur eius consensus etiam de praesenti, ut communiter praefati auctores cum aliis (1).

46. Notandum 2. graviter peccare Episcopum (iuxta communem sententiam), qui negligit Confirmationem suis subditis diu conferre, v. g. ad octo aut decem annos, ut dicunt La-Croix et Dicast.; quapropter tenetur Episcopus Dioecesim circumire, saltem per oppida Dioecesis principaliora; modo non sit moraliter ad hoc impossibilitatus; et suis expensis, nisi adsit iusta consuetudo in contrarium; Castropal. et Salm. Dicit Bonac. Episcopum teneri confirmare etiam moribundos qui eum de hoc efflagitant; sed probabiliter ab hac obligatione eum excusant Lugo Escob. Croix Salm. etc. tam propter grave incommodum quod adesset, quam propter usum qui contrarius inolevit (2).

47. 4. Circa necessitatem huius Sacramenti, alii dicunt quod quilibet, ut confirmetur, sub gravi curare tenetur, quia secus sibi magni damni causa esset se privando robore ad tentationibus resistendum, quod hoc Sacramentum confert; ita s. Bonav. Merbes. Tourn. Conc. Habert. etc. Sed hoc grave onus negant multo communius Sot. Navar. Suar. Laym. Fras. Wig. Castrop. Bonac. Anacl. Salm. Croix etc. quia de hoc gravi praecepto sive naturali, sive positivo non constat. Idem sentit Scotus (3) qui loquendo de Extrema-Unctione et Confirmatione dicit: *Neutrum est simpliciter necessarium, nec est praeceptum de isto vel illo recipiendo.* Idem sentit s. Thomas (4), qui dicit Confirmationem esse necessariam, non iam ad salutem, sed ad salutis perfectionem; alibi postea (5) expresse affirmat sine hoc Sacramento ex vita discedere periculum esse, *non quia damnaretur* (nisi forte propter contemptum), *sed quia detrimentum salutis pateretur.* Et idem denique sentire videtur Catech. rom. *p.* 2 *de Confirm. n.* 17. dicendo ibi quod Ecclesia optat ut omnes baptizati hoc muniantur Sacramento: desiderium Ecclesiae utique non est praeceptum. Sed prima sententia omnino est tenenda, ut pote decisa a Benedicto XIV. in Bulla *Etsi pastoralis de Ritibus et Dogmatibus Graecorum,* 1742. ubi (§. 3. *n.* 4) haec habentur: *Monendi sunt* (qui non sunt confirmati) *ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.*

48. Dicunt autem Bonac. Toletus

(1) lib. 6. n. 171. et 172. (2) n. 175.
(3) in 4. d. 17. q. 1
(4) in 4. d. 7. q. 1. a. 1. q. 2.
(5) 3. p. q. 72. a. 8. ad 4.

Renzi etc. graviter peccare qui prima Tonsura, non confirmati, initiantur, quia Trident. *Sess.* 23. *c.* 4 sic dicit: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Et Renzi affert quandam declarationem S. C. *die* 27. *Sept.* 1621. apud Nicolaum, ubi dictum fuit tonsuratum, non suscepta Confirmatione, ut male promotum non posse ad alios Ordines ascendere, nec beneficia recipere sine Pontificis dispensatione. Sed communissime negant Sot. Castr. Azor. Escob. Valent. Salmant. et Cabass. cum Nav. Suar. Coninch, Victor. etc. qui dicunt idem de aliis Ordinibus, et ad Concilium respondent praecepta simpliciter modo imperativo emanata non importare gravem obligationem, nisi aliae adsint circumstantiae, ut dicunt Caiet. Nav. Sa Sayr. etc. et iuxta dicta *Tr.* 2. *n.* 15. (1). Caeterum sufficit quod quis sit probabiliter confirmatus, ut a tali obligatione eximatur, prout Benedictus XIV. (2) affert declarasse Synodum Maronitarum de mandato Gregorii XIII. congregatam.

49. Dicunt multi auctores, ut Bonac. Escobar. Holzm. Salmant. etc. omni culpa vacare conferre Confirmationem infantibus ante septennium, dum iam hic erat mos antiquus, et ita etiam hodie a Graecis practicatur; et ut ait Vivaldus in Hispania confirmari solent biennes et triennes (3). At hoc nunc dici nequit, dum Benedictus XIV. in Constit. 129. *Eo quamvis* § 6. edita die 4 Maii an 1745. declarat nunc temporis non licere aliquem Confirmationis Sacramento munire, nisi usum rationis attigerit, his verbis: *Nihilominus abrogato prorsus a romana Ecclesia..... huiusmodi more, consultissimis ss. Pontificum Decretis cautum est ut renatis fonte Baptismatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea solum aetate in qua fideles..... intelligerent tantum inter se differre Baptismum, et Confirmationem, quantum distat generatio ab incremento.* Nihilominus idem Benedictus multis post annis, cum esset Pontifex, in suo opere de Synodo (4) dicit quod etsi Catechismus asserat non expedire ut conferatur ante septennium; non tamen vetat quin in aliquo casu conferatur pueris non natis septem annos. Et subiungit auctor quod hoc perpendentes Sylvius Suar. Silv. Ronc. Iuvenin. Gotti et alii affirmant licite posse etiam iuxta praesentem disciplinam Confirmationem conferre pueris ante septennium ex aliqua causa, ut puta si Episcopo per multum temporis manendum esset extra dioecesim, aut si puer esset in periculo mortis, aut alia de causa. Et de perpetuo amentibus sermonem habens, ait absolute posse illos Confirmationis Sacramento muniri (5).

50. 5. Denique circa caeremonias 1. requiruntur *vestes* sacrae nempe (ut praescribit Pontificale) amictus super rochetto, aut supra cotta , si Episcopus est regularis: item stola et pluviale album. Et peccaret graviter Episcopus si confirmaret sine ulla dictarum vestium, sed secus si omitteret aliquam, ut dicunt Sporer Renz. Tambur. et Diana; item requiritur baculus, et mitra; sed baculus sufficit ut in aliquo loco exponatur, aut ab aliquo clerico teneatur, sicut videtur designatus in figura apposita in Pontificali; et quoad mitram, ut declaravit S. C., sufficit ut Episcopus utatur stola: quare necesse non est ut adhibeat mitram (6). 2. Requiritur *cereus*, et ut Episcopus alapam post formae prolationem det confirmato; sed harum rerum omissio non excederet veniale (7). 3. Requiritur ut ministretur in ecclesia; sed hoc non sub gravi, ut communiter dd. (contra Nugnez). Imo Suarez Bonac. Barb. Sa Henriq. etc. (8)

(1) Vide l. 6. n. 183. (2) de Synod. l. 7. c. 9. n. 5. (3) l. 6. n. 178. (4) Bened. XIV. de Synod. l. 7. c. 10. n. 5.

(5) l. 6. n. 180. (6) n. 184. (7) ibid. v. notand. a. (8) Barbos. de Pot. Episc.

excusant ab omni culpa Episcopum qui in aliquo decenti loco confirmaret. Hoc non obstante, ego nescirem eum excusare a veniali, nisi aliqua interveniret causa, tum ob consuetudinem quae viget hoc Sacramentum in ecclesia ministrandi, ut concedunt etiam Bonac. et Barb. cum propter id quod legitur in Pontificali: *Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocunque die, hora, et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi*. Nota quod licet dicatur *ad arbitrium*, requiritur *ex causa*. Semper tamen potest licite Episcopus in domestico sacello confirmare, ut recte dicit Castrop. (1). 4. Requiritur ieiunium tam confirmantis, quam confirmandi, ex *can. Ieiuni, de consecr. dist.* 5. et etiam ex Pontificali, ubi dicitur: *Confirmandi deberent esse ieiuni*. Sed communiter dicunt dd. hoc tanquam consilium, non ut praeceptum esse; unde invaluit usus ut hoc Sacramentum etiam post prandium conferatur; ita Laym. Castrop. Conc. Salmant. Cabass. Croix etc. et ita pariter iuxta consuetudinem licitum est hodie hoc administrare quolibet die, sive festivo, sive feriali; Suar. Granad. Busemb. Salm. etc. (2).

51. Requiritur 5. patrinus a parentibus pueri, aut in eorum defectu ab Episcopo designandus; et hoc proculdubio sub gravi, quoties haberi potest; sed si unquam haberi non posset, dicunt Holzm. Gobat. et Ilsung. licite posse conferri Confirmationem sine patrino. Hinc patrinus 1. debet esse unicus, ut communiter sentiunt Castropal. Bonac. Rebell. Salm. et Busemb. (contra Toletum qui admittit duos) dum ita decretum est in *cap. fin. de Cogn. spir.* Verum est ibi hoc statutum fuisse tam pro Confirmatione, quam pro Baptismo, sed Tridentinum quoad Baptismum permisit duos, non autem quoad Confirmationem, hinc firmum restat quoad hoc ius antiquum. 2. Hinc Patrinus debet esse prius confirmatus, ut praescribitur in *c. In Baptismate*, 102. *d.* 4. cum ibi dicatur: *In Baptismate, vel Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus*. Et in Pontificali dicitur: *Nullus qui non est confirmatus potest esse in Confirmatione patrinus* (3). Et hoc etiam sub gravi praecepto, cum gravis sit materia, ut recte dicit Conc. cum communi (4). Si autem susciperet in Confirmatione patrinus non confirmatus, dicunt Sot. Navar. Sa, et alii etiam eum cognationem contrahere, asserentes verba cit. *non potest* textus relati non denotare actus invaliditatem, sed solum prohibitionem; et haec opinio recte probabilis nuncupatur a Salm. et Croix. Sed probabilius negat Glossa in praefatum textum Suar. Tol. Sanch. Bonac. Renz. et alii multi; et Renzi adducit etiam declarationem S. C. Conc.; nam, ut probat Sanch. verbum *non potest*, in eo casu reddit omnino actum irritum (5). 3. Patrinus in Confirmatione debet esse alius a Patrino Baptismi iuxta communem sententiam; excipit La-Croix cum Silv. et Syn. *colon.* nisi adsit causa in contrarium. 4. In confirmatione iuxta Pontificale debet esse eiusdem sexus confirmandi. 5. Patrinus non debet esse Religiosus, ut dicunt Sanch. Bonac. Salm. et alii communiter, *can. Monachi* 104. *de consecrat. dist.* 4. ubi dicitur: *Monachi sibi compatres commatresve non faciant*. Excipiunt Castrop. Barb. Gobat. Spor., etc. si confirmandus esset etiam Religiosus; excipiunt etiam Suar. Dicast., etc. si patrinus esset de ordine Mendicantium; sed merito contradicit p. Concina, dum, ut relatum est *n.* 37, iam hoc vetitum est in Ritual. cuilibet Regulari esse patrinum, verum est quod ibi loquitur de Baptismo, sed eadem ratio currit pro Confirmatione; et ut diximus *supra tract.* 2. *n.* 78. in aequivocis lex utique exten-

2. p. All. 30. n. 13. et Salm. tract. 3. c. 4. n. 32. (1) l. 6. n. 184. v. notand. 3

(2) ibid. notand. 4. (3) n. 185. (4) n. 186. (5) ibid. dubit. 2.

ditur de casu ad casum, in quo ita lex eadem currit, ut si lex non extenderetur, legislator aut pro iniusto, aut imprudenti culparetur. Quoad modum suscipiendi in Confirmatione, iuxta Pontificale deberet confirmandus mittere pedem super pedem dexterum patrini; sed recte dicit p. Concina quod hodie ex consuetudine recepta et approbata a S. C. Rituum 20. septemb. 1749. sufficit ut patrinus imponat manum dexteram super humerum dexterum confirmandi (1).

52, Requiritur 6. ex Pontificali ut post unctionem frons confirmati vitta aliqua linea cingatur; sed hodie haec caeremonia in nostris regionibus obsolevit, dum, facta unctione, statim confirmati frons abstergitur et dimittitur ipse. 7 Parochus confirmatorum, et patrinorum in libro adnotare debet nomina, ut cognatio contracta sciri possit, tum ob Ordinum susceptionem. Dicunt Barb. et alii quod in Confirmatione possit mutari nomen. Episcopus, terminata functione, benedicit confirmatis, ideoque eos, dum confirmat, admonet ne ante benedictionem discedant: sed probabiliter ait Tambur. hanc admonitionem non obligare; et revera (ut dicit Croix) haec est praxis ut confirmati, suscepto Sacramento, discedant, nec Episcopi eos obligant ad expectandum (2).

53. Effectus autem huius Sacramenti sunt tres: 1. Character; 2. gratia, nempe robur spirituale quod recipitur ad debellandos inimicos; 3. cognatio spiritualis quae contrahitur inter confirmatum et patrinum qui eum suscipit, ac inter eum et parentes confirmati (3).

TRACTATUS XV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

CAPUT I.

DE ESSENTIA EUCHARISTIAE

1. *In quo consistat essentia Eucharistiae, et in quo ratio specifica: et unde desumatur unitas.*
2. *An sit necessaria necessitate medii.*
3. *An consecratio in unica specie sit illicita et invalida. Non licet consecrare in una specie tantum.*
4. *Casus excepti.*
5. *Effectus Eucharistiae.*
6 *An quandiu durant species, etc.*
7 *Qui communicat cum veniali.*

De caeteris agetur in appendice III. de examine Ordinand. §. II. de Sacrif. Missae, ex n. 95. et seqq.

1. Definitur Eucharistia: ***Est Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem animae refectionem divinitus institutum.*** A Scholasticis circa Eucharistiae Sacramentum multae agitantur quaestiones. De istis fusius in opere disseruimus; hic tantum eas annuimus. Quaeritur 1. in quo consistat Eucharistiae essentia? Alii dicunt in *recto* consistere in panis et vini speciebus, et Iesu Christi personam tantum in *obliquo* ad Sacramentum spectare, tanquam quid extrinsece connotatum. Alii dicunt in *recto* sive essentialiter consistere tam in speciebus quam in Christi corpore. Utraque sententia est probabilis, observa rationes (4). Quaeritur 2. an tota *ratio specifica* huius Sacramenti in alterutra specie salvari possit? Alii affirmant; sed probabilius est illam non salvari nisi in utraque, dum in alterutra (per se loquendo) non potest significari completa refectio cibi et potus (5). Quaeritur 3. unde desumatur unitas numerica Sacramenti Eucharistiae? Alii dicunt ex unitate corporis Christi; sed alii probabiliter

(1) lib. 6. n. 187. (2) n. 188.
(3) n. 169. v. Tres autem.

(4) l. 6. n. 189. 190 (5) n. 191

tenent desumi ex morali coniunctione, quam species consecratae habent inter se, cum per modum unius proponuntur aut sumuntur (1); sed cum proponuntur in diversis altaribus, aut recipiuntur a diversis personis, sunt diversa Sacramenta (2).

2. Quaeritur 4. an Eucharistia sit necessaria necessitate medii, an praecepti ad salutem? Non dubitatur quin necessaria sit necessitate praecepti cum ecclesiastici, tum divini, ut habetur apud s. Lucam (c. 22. 19.): *Hoc facite in meam commemorationem*. Contra etiam pro comperto est apud omnes, Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii quoad realem perceptionem. Dubium itaque restat in hoc, an necessaria sit necessitate medii, saltem in *voto*, nimirum desiderio? Negant s. Bonav. Suar. Caiet., etc. asserentes hoc Sacramentum non esse institutum ad primam gratiam producendam. Sed probabilius affirmant s. Thomas (3). Sotus, Conc. Salmant., etc.: tum ex textu s. Ioannis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis .... non habebitis vitam in vobis*, *c.* 6. 54. tum quia Eucharistia est finis omnium Sacramentorum; unde ait Angelicus neminem gratiam habere ante susceptionem huius Sacramenti, nisi ex voto proprio, sicut adulti habent dum baptizantur, vel Poenitentiae Sacramentum suscipiunt: vel voto Ecclesiae, sicut parvuli habent (4). Non est dubitandum quin Eucharistiae perceptio sive in re, sive saltem in voto necessaria sit ad vitae spiritualis conservationem; ita communiter docent Sot. Gonzal. et Salmant., cum eodem s. Thoma (5); quia sicut corporis vita sine materiali cibo conservari nequit, ita nec vita animae sine spirituali. Hinc dicunt Lugo, p. Sotus, Vall. Fill. Salm., etc. licet praeceptum imponat tantum ut saltem semel in anno communicent, attamen aliquando hominem posse obligari ad saepius in anno communicandum, cum nosceret hoc sibi fore necessarium, ut in divina gratia conservetur (6).

3. Materia Eucharistiae est tam panis, quam vinum, et nunquam fas est quacumque ex causa alterutram speciem consecrare, ut habetur ex *can. Conferimus*, *dist.* 2. *de Cons.:* et ex Tridentino *Sess.* 22. *c.* 1. ubi dicitur Iesus Christus praecepisse apostolis ne aliter se ipsum offerrent, quam sub utraque specie; ex quo infertur proculdubio, hoc praeceptum non solum esse ecclesiasticum, sed etiam divinum, ut docet communis sententia (7). Et dicimus in huiusmodi praecepto non posse Papam dispensare (8), dum valde probabile est non fieri Sacramentum nisi in Sacrificio, in quo conficiendo (ex vera sententia) necessaria est utriusque speciei consecratio, quia alias non exprimeretur sanguinis effusio , et consequenter non satis exprimeretur Crucis Sacrificium, in cuius memoriam Salvator noster altaris Sacramentum reliquit, ut loquitur Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. (9). Nec est improbabilis sententia Card. de Lugo, (contra opinionem aliorum dd., caeteroquin communiorem) qui dicit quod si sacerdos intenderet unam tantum speciem consecrare, invalide ageret; quia Sacramenti ratio secerni non potest a ratione Sacrificii, cum sacerdos non recipiat potestatem hoc Sacramentum conficiendi, nisi sacrificando, ut satis constat ex forma Ordinationis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, etc.* Itaque, sicut diximus, consecratio utriusque speciei non solum ad Sacrificii essentiam pertinet, sed etiam Sacramenti; hinc qui Sacrificium non offert, nec Sacramentum conficit (10).

4. Caeterum potest dari casus, ut certe sit valida et etiam licita per

(1) lib. 6. n. 191. quaer. 2. (2) ib. v. quoad. (3) 3. p. q. 79. a. 1. ad 1. (4) l. 6. n. 192. (5) 3. p. q. 80. a. 11. ad 2.

(6) l. 6. n. 193. et 295. (7) n. 196. (8) ib. dubit. 2. (9) n. 306. (10) n. 196 dubit. 3.

accidens consecratio alterius speciei, quin consecretur altera, v. g. si sacerdos tempore consecrationis adverteret consecrasse aquam pro vino, aut si aliud vinum haberi non possit, aut non possit haberi sine gravi periculo vitae aut gravis scandali: item si, consecrata Hostia, immineret incendium, aut inimicorum invasio: ita Suar. Azor. Bonac. Salm. Busemb. et alii communiter (1).

5. Effectus Eucharistiae sunt 1. augmentum gratiae (et hic effectus est principalis) ut habetur ex Trid. *Sess.* 13. *cap.* 2. et aliquando per accidens etiam est primae gratiae acquisitio, nempe cum quis inscius peccati mortalis, aut putans se habere contritionem, accedit ad Communionem cum sola attritione: ita s. Thomas (2), Scotus, Suar. Tolet. Ronc. Salm. et alii communiter (3). Ratio est quia proprium est uniuscuiusque Sacramenti gratiam conferre omnibus obicem non ponentibus; et habens attritionem iam obicem gratiae non ponit, dum, quantum in se est, removet affectum tam actualem, quam habitualem ad peccatum (4). II Remissio venialium, ut docent omnes cum s. Thoma (5), iuxta Tridentinum loco cit. ubi Eucharistia appellatur *antidotum quo liberamur a culpis venialibus, et a peccatis mortalibus praeservamur.* Putant autem Salm. cum aliis Communionem ex se delere venialia ex opere operato per gratiae infusionem (ut dicunt) qua anima reficitur. Sed melius ait Tournely, Sacramentum non immediate ex se, sed mediante actu charitatis quem in anima excitat, delere venialia; hoc sentit etiam Angelicus loco cit., dum dicit: *Quantum ad actum qui excitatur in hoc Sacramento, per quem peccata venialia solvuntur* (6). 3. Praeservatio a peccatis mortalibus ob auxilium quod praebet Sacramentum ad compescendam concupiscentiam, ad resistendum tentationibus, ad incedendum per Domini semitas. 4. Remissio poenae temporalis debitae pro peccatis commissis, non iam directe, sed indirecte, mediantibus charitatis actibus quos in anima excitat hoc Sacramentum; ita s. Thomas (7), Salm. Conc., etc. 5. Dulcedo spiritualis, nempe facilitas in exequendis iis quae Deo placent. 6. Unio cum Iesu Christo: Ioan. 6. 57. *qui manducat meam carnem.... in me manet, et ego in illo.* 7. Acquisitio gloriae. Ibid. ỳ. 59. *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (8).

6. Notandum hic valde probabile esse, quandiu species sacramentales in stomacho durant, semper amplius augeri gratiam, ut tenent Gonet. Becan. Lugo, Tourn. Iuvenin. Holzm. Regin. Mastrius; et Salm. dicunt hoc Sacramentum cum institutum sit per modum cibi, ut loquitur Conc. florentinum, ideoque sicut cibus corpus nutrit usquedum in stomacho persistit, ita Eucharistia nutrit animam quamdiu in corpore persistit (9). Notandum praeterea ex Decreto S. C. approbato ab Innoc. XI. damnatum fuisse abusum dandi plures simul particulas communicantibus, aut particulas maiores usualibus (10).

7. Quaeritur hic an peccet venialiter qui communicat cum veniali actuali? In hoc diversae sententiae adsunt, sed prae caeteris mihi arridet sententia quam tenent Vasq. Fill. Hurtad. Ledesm. Sa, et Leandr., et probabilis appellata a Dicast. et Tambur. (11), quae sic distinguit: Si culpa directe est circa Communionem v. g. si quis ex vana gloria, aut cum voluntaria distractione communicat, tunc nemo dubitat quin venialiter peccet, quia talis culpa est positiva irreverentia in Sacramentum; licet,

(1) l. 6. n. 197. (2) 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. et q. 79. a. 3. (3) l. 6. n. 269. (4) n. 6. (5) 3. p. q. 79. a. 4. (6) l. 6. n. 269. v. Effectus 3. (7) 3. p. q. 79. a. 5.

(8) l. 6. n. 269. v. Effectus 3. ad 5. (9) ib. in fin. et n. 228. (10) l. 6. n. 228. in fin. (11) Tamb. in Met. commun. cap. 1. §. 4. num. 9.

ut ait s. Thomas (1), talis culpa impediret quominus animae spiritualis refectio reciperetur, non autem gratiae aut charitatis augmentum. Si autem peccatum veniale non est circa Communionem, v. g. si quis communicaret cum affectu actuali ad aliquod veniale, tunc non peccat, quia tunc (ut dicunt communiter dd.) non impedit effectum principalem Sacramenti, nec auxilium quo praeservetur a mortali: cum ex una parte veniale non opponatur gratiae, et ex altera cum tali culpa communicare est potius perfectae reverentiae carentia, quam positiva irreverentia (2).

Caetera ad materiam et formam Eucharistiae pertinentia, notantur in *appendice* 3. *de examine Ordinand.* §. 2. *de Sacrif. Missae, ex num.* 97. *ad* 101.

CAPUT II.

DE ADMINISTRATIONE EUCHARISTIAE

8. *Quomodo tenentur parochi servare Eucharistiam, et ad eam dispensandam. An regularis, et quilibet sacerdos possit Communionem ministrare.*
9. *Et an diaconi.*
10 *An Viaticum possit in necessitate administrari a clericis, et etiam a laicis, et an a se ipsis, etc.*
11. *An sacerdos ex devotione possit communicare ex se ipso.*
12. *Quomodo debeat, et possit dari Viaticum.*
13 *An possit dari digitis posterioribus Viaticum; et an Communio.*
14. *An in utraque specie; et an pars Hostiae maioris. An pueris et amentibus.*
15. *An peccatoribus publicis; et an condemnatis.*
16 *An in Missa defunctorum.*
17. *In qua hora potest dari Communio.*
18. *Si remanent fragmenta.*

8. Videamus cuinam licet Eucharistiam ministrare, et quid requiratur ut licite ministretur. Quoad primum punctum, sicut soli sacerdotes possunt hoc Sacramentum consecrare, ut est de Fide (iuxta Trident. *Sess.* 22. *c.* 1.), ita solis sacerdotibus illius dispensatio concessa est. Et in rigore loquendo, Communionem dispensare solius pastoris est, qui ideo tenetur curare ut Eucharistia perpetuo in suis ecclesiis et cum debito decore conservetur, nempe in tabernaculo decenti, et cum lumine semper die et nocte accenso, et quidem sub culpa gravi; attamen si lumen deficeret per unam tantum horam, putant Diana et Quintanadvennas, non esse grave. Tenentur autem iidem eam ministrare non solum moribundis, sed etiam sanis, quoties rationabiliter et opportune requisiti sunt, ut dicunt communiter Sot. Suar. Vasq. Castrop. Filliuc. Azor. Dicast. Busemb. Salmant., etc. (3) Caeterum cum Communio non fit nec ob paschale praeceptum, nec ob Viaticum, Religiosi vi suorum privilegiorum possunt in suis ecclesiis Eucharistiam ministrare, et hodie (ut recte testantur Castropal. et Roncagl.) ex communi consuetudine quae adest, praesumitur cuilibet sacerdoti celebranti talis facultas concessa (4).

9. Diaconi tamen non possunt dispensare Eucharistiam sine speciali commissione Episcopi, aut parochi, alias incurrunt irregularitatem, ut habetur ex *cap.* 1. *de Cler. non ordinato* (5). Antiquitus solebat universaliter committi diaconis Eucharistiae administratio, sed hodie non est permissum, nisi in necessitatis casu, ex *can.* 39. carthaginensis 4, ubi dictum fuit: *Si necessitas cogat,* etc., quae autem debeat esse talis necessitas, Habert et Tournely requirunt extremam; sed communiter Suar. Laym. Castr. Lugo, Conc. Salm., etc. dicunt sufficere quamcumque necessitatem notabilem, aut causam iustam, ut loquitur p. Concina, v. g. si parochus sit occupatus in aliquo magno festo, aut numerus communicantium sit magnus, etc. Diaconus autem, Eucharistiam ministrans, de-

(1) 3. p. q. 79. a. 8. (2) l. 6. n. 270. quaer. 1. (3) n. 230. et 248. (4) n. 235.

(5) num. 234

bet esse indutus cotta et stola transversa (1).

10. Quando autem urgeret ministrare Viaticum infirmo, et deesset parochus, potest illud praebere quilibet sacerdos et etiam diaconus, licet repugnaret parochus, si irrationabiliter repugnaret; ita Tol. Sa, Dicast. Ronc. Salm. Laym. Sot., etc. communiter (2). Imo in ea necessitate volunt Suar. Val. Caiet. Fill. Escob. (et probabile dicunt Lug. et Coninch. contra Gonet, Bonac. Salmant. et alios, quorum sententia caeteroquin est communior) etiam a simplici clerico posse ministrari, ac etiam laicum posse suis manibus communicare; quia tunc ex una parte iam urget praeceptum divinum communicandi; et ex alia parte nullum reperitur praeceptum expressum id prohibens; et antiquitus si ob necessitatem, quae aderat, fideles in domos suas Sacramentum afferebant, et ibi communicabant, cur ergo nunc, maiore urgente necessitate, prout est mortis, id permitti non potest (3)? Verum tamen est praefatos auctores id permittere, cum sine scandalo fieri potest; sed ego dico hoc scandalum, aut potius admirationem, de facili posse tolli, circumstantes admonendo quod in tali necessitate id permittitur a theologis. Et ita pariter praefati auctores (contra alios) permittunt laicis in sacerdotum aut diaconorum defectum, ministrare Viaticum moribundis. Nec obstat textus *c. Pervenit*, 29. *de Consecratione dist.* 2., ubi sacerdotibus interdicitur committere laicis Eucharistiae administrationem, quia ibi sermo fit de sacerdote qui id agebat praeter necessitatem. Nec debet quidem obstare (ut dicunt) consuetudo contraria, quia cum hic casus rarissime accidat, non potest in probationem huius rei consuetudo contraria adduci; et huic opinioni valde adhaeret Laym. Dicit Habert hoc permitti laicis saltem cum licentia Episcopi (4). An autem tempore pestis teneatur parochus Communionem administrare, vide dicta *Tract.* 7. *n.* 28.

11. Probabile est quod extra mortis periculum, si non adest scandalum, et deest alius sacerdos, bene possent sacerdotes ex seipsis communicare, etiam ob solam devotionem, ut fatentur Sylvius Lug. Bonac. Croix et Salm.; nam in hoc nulla intervenit irreverentia, nec de aliquo contrario praecepto constat. Imo Vasquez Dicast. et Leand. id concedunt etiam diaconis, cum hoc eis aliquando fuerit concessum a Concil. nicaeno *Can.* 14. (5). Quoad autem Regulares, quomodo et quando possint Eucharistiam ministrare, vide quod dicetur *Tract.* 20. *de Privileg. n.* 123. Et ubi in Paschate communicare possint famuli monasteriorum regularium, peregrini et vagi vide *Tract.* 12. *n.* 42.

12. Videamus nunc secundo loco quid requiratur ad licitam Eucharistiae administrationem. Illa debet administrari debita reverentia, et iuxta ritum Ecclesiae consuetum: unde notandum 1. plerumque non esse deferendam infirmis Eucharistiam, nisi cum cotta, et stola, et luminibus, quare communiter dicunt Suar. Filliuc. et Ronc. Communionem praebere sine cotta et stola, per se esse mortale; sine luminibus tamen esse tantum veniale. In casu autem necessitatis probabiliter dicunt Filliuc. Granad. Aver. Elb. Gob. Croix Renz. Mazzotta etc. licere sine luminibus et sacris vestibus Viaticum ministrare, nam non praesumitur, quando praedictae caeremoniae adhiberi nequeunt, velle ut moribundi tanto defraudentur bono. Et probabiliter dicit Pasqual. posse pariter Episcopum dispensare ut Viaticum deferatur cum pileo in capite, cum longe et per villas progrediendum est (6). Ita etiam probabiliter dicunt Bonac. Salmant. Gobat. et Croix (contra Bu-

(1) lib. 6. n. 237. (2) n. 234.
(3) n. 237. quaer. 2. (4) n. 237. quaer. 3.
(5) n. 238. (6) n. 241. v. Ministrare.

semb.) licere in casu magnae urgentiae sacerdoti currere, ut adveniat tempore opportuno ad dandum Viaticum (1). Ita etiam licet illud deferre equitando, si locus distat aut tempus est pluvium, aut instat necessitas illuc adveniendi, ut dicunt Quintanad. Elbel et Gob. (2), et legitur hoc fuisse concessum a s. Carolo Borromæo (3). Item probabile est tempore pestis Viaticum cochleari licite posse ministrari, ut dicunt Bonac. Busemb. Marc. Mancin. Gobat. Leand. etc.; et ita etiam admittunt Escob. Praepos. et Diana dare Hostiam cum aqua in cochleari infirmo qui ob oris ariditatem deglutire non posset (4). Hic notandum obiter quod S. C. Conc. declaravit vetitum fuisse per s. Pium V. deferre Eucharistiam ad infirmos adorandam tantummodo. Benedictus XIV. (5) in sua Epistola ad Cardinalem Guadagni Urbis Vicarium generalem, quae incipit *Cum, ut recte nosti*, praeter s. Pii V. prohibitionem affert etiam Rituale romanum a Paulo V. vulgatum, ubi haec leguntur: *Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cuiusvis rei praetextu, ad ostendendum* (divinum Sacramentum) *non deferatur* (6).

13. Probabiliter etiam licet in casu extremae, aut gravissimae necessitatis Communionem praebere posterioribus digitis, si sacerdotis pollex aut index infirmus esset, ut dicunt communiter Tourn. Conc. Ronc. Salm. Bus. Diana et Renzi contra Bonac. Imo tenent Gobat. Arriaga Croix Leand. et Mazzotta hoc licere etiam extra necessitatem, si chiragra sacerdos laborat, dum dicunt quod tota sacerdotis manus sit consecrata; sed probabilius id negant Bonac. Possev. Diana et Renzi, quia licet tota manus sit consecrata, tamen iuxta ritum Ecclesiae pollex et index sacerdotis sunt praecipue ad hoc munus exercendum destinati. Communis autem est sententia cum Suar. Mol. Castropal. Bonac. Laym. etc. abstinendum esse a celebrando sacerdoti pollicem, aut indicem infirmum habenti, ita ut Hostiam frangere nequeat, ut deducitur *ex cap.* 11. *de Corp. vitiat.* ubi dicitur non posse ordinari sacerdos ille qui non habet pollicem aptum ad Hostiam frangendam, et pro regula generali habetur, quod quicquid impedit ab Ordinis susceptione, impedit etiam ab illius exercitio (7).

14. Notandum 2. quod iuxta praesentem disciplinam nunquam licitum est, sine Pontificis dispensatione, etiam ad praebendum Viaticum, Eucharistiam administrare sub utraque specie, aut in sola vini specie; ita communiter Suar. Lug. Tambur. Dicast. Dian. Croix, etc.; nam praeceptum Viatici non obligat, cum sumi nequit iuxta Ecclesiae ritum (8). Ita etiam sine causa (licet hoc veniale non excedat) non permittitur partem Hostiae maioris ad communicandum praebere. Sufficit autem pro causa, si communicandus sit infirmus, aut nobilis, aut famulus, aut alius cui expectare incommodo esset, licet ob solam devotionem communicaret, ut communiter s. Antonin. Silv. Bonac. Tourn. Conc. Salm. Elbel etc. (9). Nec pariter licet Communionem pueris praebere ante annos discretionis, et perpetuo amentibus. Vide quod dictum est *Tr.* 12. *n.* 43. et 44.

15. Notandum 3. denegandam esse Communionem publicis peccatoribus, nisi constet de eorum publica poenitentia, ut dictum est *Tr.* 14. *n.* 5. Hic tamen iuvat adnotare quae delibavimus ex epistola Benedicti XIV. ad Episcopos Galliae, quae incipit, *Ex omnibus*, edita 16. Octobris 1756 ubi praebet normam quando denegandum sit Viaticum refractariis

(1) lib. 6. n. 242. (2) n. 243. (3) Act. Mediol. p. 4. n. 51. (4) l. 6. n. 244. v. 6. Non licet.

(5) Bullar. t. 4. p. 328. § 12. (6) l. 6. n. 243. v. Eucharistia. (7) n. 244. (8) n. 245. v. Peccat. 1. (9) ibid.

Constitutioni *Unigenitus*. Ibi enim deciditur ut Communio deneganda sit peccatoribus publicis, et notoriis; at ut tales habeantur, requiritur (si crimen in sola externa actione consistit, cuiusmodi est notorietas usurarii, aut concubinarii) ut vel per sententiam iudicis rei declarati sint; vel in iudicio crimen sint confessi; vel aliquod facinus evidenter commisisse noscantur, et in eo facto moraliter perseverent; et quod vulgo cognitum est, non adhuc cessavit. Ratio enim horum est, quia haec moralem faciunt certitudinem de illorum notorietate criminis. Quod si crimen ab interna animi dispositione pendet (prout esset haeresis, etc.) aliter procedendum, nam tunc tales non habendi sunt, si crimen innititur coniecturis, praesumptionibus, incertisque vocibus; statuit ut si hi in extremo fuerint vitae constituti, non erit eis denegandum Viaticum, quoties in Paschate non fuerit eis denegata Communio; ubi vero ita validae adversus aegrotos praesumptiones, et indicia gravia, et urgentia militant, vult ut aegrotus semotim cum lenitate admoneatur atque obsecretur ut resipiscat; demonstreturque ei quod, quamvis detur ei Viaticum, hoc fiat solummodo ut obtemperetur Ecclesiae, quae ad avertenda scandala publica, et ad ipsius aegroti praecavendam infamiam, eum a sacra mensa non repellit, licet peccatorem coram Deo eum reputet, non tamen in proprio tribunali, ut publicum atque notorium peccatorem agnoscit. An autem graviter peccet qui in mortali existens Eucharistiam dispensat, nos affirmavimus cum Suarez Laym. Ronc. Gonet Viva etc. adversus alios; et adduximus Catechismum rom. atque Rituale (1). Notandum insuper peccare qui negat Communionem capite damnatis, si ad eam per confessionem dispositi sunt, ut recte dicit p. Concina, quicquid dicat Contensonius, quamvis, ut testatur Iuvenin., in Galliis, et Hispaniis mos invaluit, ut eis Eucharistia denegetur; sed apud nos contrarium observatur: ideoque dicimus non esse denegandam, etsi reo una restaret vitae hora (2).

16. Notandum 4. quod in Missa de *Requiem* proculdubio potest ministrari Communio; nam in Missae defunctorum rubrica dicitur: *Si sint communicandi, eos communicet antequam se purificet*. Et concordat Trident. *sess.* 22. *cap.* 6. ubi haec leguntur: *Optaret* (s. Synodus) *ut singulis in Missis fideles communicarent*. Et licet Gavant. et Croix adducant quoddam Decretum S. C. editum die 22. Ian. 1701. in contrarium, nihilominus doctus Merati scribit se legisse in Directorio Ecclesiae Genuensis, quod eadem Congregatio vetuit ipsum Decretum publicari, et 12. Martii 1711. positive illud suspendit (3). Et novissime 2. Septembris 1741. decrevit expresse posse ministrari Eucharistiam per modum Sacrificii, nempe cum Particulis intra eamdem Missam consecratis, in Missa defunctorum quae celebratur in paramentis nigris; secus vero per modum Sacramenti, nempe cum Particulis praeconsecratis extrahendo Pyxidem e custodia, adversus id quod prius docuerat Benedictus XIV. (4) cum p. Merati, quod in Missis defunctorum poterat ministrari Eucharistia, etiam ex Particulis praeconsecratis, in Missa tantum, non autem ante, vel post illam; vide Decretum in catalogo, qui inest in hoc *Tr. n.* 88. *Decr.* 10. Advertendum hic quod si Missa defunctorum celebratur in paramentis violaceis, (prout certo fieri potest ex Decreto S. R. C. 21. Iunii 1670. apud Merati *In Indice tom.* 1. *n.* 444.) non prohibetur fieri Communio ex Particulis praeconsecratis, nec ante, nec post Missam, et tanto minus in Missa, cum in praefato Decreto tantum vetitum est ministrari

(1) l. 6. n. 35. (2) n. 246. 247. (3) n. 249. (4) De Sacrif. Miss. l. 3. c. 18. n. 10. 11. et 12.

Eucharistiam *in Missis defunctorum* (en verba Decreti) *quae in paramentis nigris celebrantur.*

17. Notandum 5. quod Communio potest, ex se loquendo, in qualibet diei hora ministrari, dum nulla adest de hoc prohibitio: ita communiter Azor. Silv. Cast. Bonac. Sa, Coninch. Ronc. et alii cum Suar. qui affert s. Ambr. auctoritatem, qui testatur quod suis temporibus Communio sub diei finem dabatur. Non permittitur tamen dari Communio, cum noctescere coeperit, aut in extrema diei parte, nisi aliqua adesset peculiaris causa, ut dicunt Suar. Castr. Coninch. Sa Tambur., etc. Sed nunquam permittitur, excepto Viatico, intempesta nocte, ut loquuntur Bonac. et Salm., nempe elapsis multis noctis horis, Eucharistiam dispensare. In Missa Natalis Domini, quae media nocte celebratur, nec licet Communionem praebere, ex pluribus Decretis S. C., et ita pariter nec in feria sexta Parasceve. Attamen in sabbato sancto nulla adest de hoc prohibitio; invenio tantummodo quod quidam Auctor (*Macrus in Vocabul. Eccl.*) dicit in Missa sabbati sancti ideo omitti antiphonam *postcommunio*, quia olim non ministrabatur Eucharistia: sed p. Merati, cum Grancolas Moretto, et aliis probat oppositum ex quodam ordine romano, nempe quod olim in Missa sabbati sancti omnes adulti, et pueri communicabant, cum in dicto ordine legatur: *Omnes communicent*; et addit Gavantus et Durandus quod in tantum hodie omittuntur communio et postcommunio, in quantum in eorum loco Vesperae suffectae sunt. Unde concluditur nullo inniti fundamento ratio cur prohibita putari debeat tali die Eucharistiae ministratio; et quoad consuetudinem, certum est quod in pluribus ecclesiis, praesertim nostri regni, et praecipue in cathedrali Neapolis, solet, post celebratam Missam solemnem ministrari populo Eucharistia (1).

18. Notandum 6. quod si sacerdos, sumpta ablutione, advertat aliquas reliquias consecratas relictas esse, dicit Rubrica (tit. 6. n. 2.)...*eas sumat, sive parvae sint, sive magnae, quia ad idem Sacrificium spectant;* et etiamsi sacerdos pervenerit in sacristiam, cum adhuc sacris vestibus indutus est, potest praefatas reliquias sumere, ut dicunt Gobat. Granad. Diana, quibus consentit Bened. XIV. (2), qui subiungit quod si sacerdos exutus sit, tunc aut reponendae sunt in tabernaculo, si extat, aut servandae sunt pro alia Missa, si eodem mane celebranda erit: alias sumere debet. Et ita communiter dicunt Suar. Lugo Cai. Nav. Vasq. Silv. Bonac. Croix, etc. (adversus Tamburinum) servandas esse, si possunt sine irreverentiae periculo, reliquias quae ex alia Missa remansissent, dum illae non ad idem Sacrificium spectant: nam Rubrica non permittit alias sumi particulas, quam illas solas, quae ad *idem Sacrificium spectant* (3). Si autem remansisset particula integra, dicit *Rubrica n.* 3. deferendam eam esse in tabernaculum, aut saltem servandam ut ipsa a sequenti celebrante sumatur (intellige cum primus iam sumpsit ablutionem); et si alia Missa non habeatur in eodem calice conservetur; et si denique non suppetat modus, quo cum decentia servari possit, potest idem sacerdos eam sumere. Praeterea, particulae quae extra corporale reperiuntur, in dubio an sint, vel ne consecratae, dicunt Bonac. Henriq. et Gobat. sumendas esse post ablutionem; et melius (dico) esset cum eadem ablutione. Insuper, si accideret unquam quod in deferendo Viatico remaneret in patena, vel pyxide aliqua particula, dicunt Castr. Tambur. et Burghaber, posse eam sumere sacerdotem, si sacris indutus est vestibus; aut (ut dicunt iidem auctores, cum Lugo et Marchan-

(1) lib. 6. n. 252. (2) De Sacrificio Missae l. 3. c. 17. n. 5. et 6.

(3) lib. 6. n. 251.

tio) potest statim eidem infirmo sumenda praeberi, et hanc asserit Lugo esse praxim, nempe, ut post Communionem infundatur aqua in pyxide et ablutio detur infirmo (1). Quando autem possit, et debeat dari Viaticum, observetur quod dicetur *n.* 19. *et n.* 46.

CAPUT III.

DE PERCEPTIONE EUCHARISTIAE

PUNCTUM I.

De obligatione sumendi Eucharistiam

19. Duobus temporibus praeceptum Communionis obligat, in Paschate, et in morte. De communione paschali iam actum est, cum de praeceptis Ecclesiae locuti fuimus *Tractatu* 12. *ex num.* 39.; quoad viaticum autem, dicimus hic quod quilibet fidelis tenetur illo muniri, semper ac infirmus in probabili mortis periculo est constitutus; prout est qui graviter decumbit cum mortalibus signis; qui aliquem periculosum conflictum, aut navigationem aggressurus est; mulieres quae solitae fuerunt eniti cum periculo: aut quae prima vice parturiunt, et tenella aetate, aut corporis constructione imbecilla constitutae sunt; ita communiter dd. cum s. Thoma (2).

20. Hic advertendum quod quando infirmus iugi vomitu laboraret, non potest communicare, si saltem per sex horas ab illo liber non sit, ut ait Busemb.; et in dubio melius dicit Croix, adversus alios, non esse praebendam communionem; nam potius Sacramenti reverentiae, quam infirmi utilitati prospiciendum est. Quoad praxim autem, si vomitus provenit ex cibo, cum infirmus illum sumit, debet experiri dando ei non consecratam particulam, et si eam retinet, tunc potest dari consecrata. Et idem faciendum (ut dicunt Salm.) in casu delirii, ut observetur utrum infirmus possit cum decentia suscipere Sacramentum (3).

21. Si autem infirmus vexetur a iugi tussi, qua cogatur saepe flemmas e pectore exspuere, hic bene potest communicare; quia hoc non inducit periculum proiiciendi particulam; nam alius est vehiculus (nempe guttur) quo traiicitur cibus, alius est canalis (nempe aspera arteria) unde eiiciuntur flemmae, et suspiria. Secus autem, si tussis ne permitteret quidem particulam traiicere (4). De Communione danda pueris, et amentibus in mortis articulo, etiam actum est eodem *Tract.* 12. *n.* 43. et 44. Igitur quoad communicandi obligationem, satis est quod dictum fuit. Restat nunc discutiendum quaenam sint dispositiones necessariae ad licite communicandum. Illae duae sunt, una animae, altera corporis. Agemus prius de animae dispositione, et postea corporis.

PUNCTUM II. *De animae dispositione.*

22. Volenti communicare, et de peccato mortali conscio, non sufficit contritio, sed necesse est ut confiteatur: potest tamen communicare, modo adsit celebrandi, aut commu-

(1) lib. 6. n. 251. v. Hic autem.
(2) n. 291. (3) n. 292. v. 2. Si in
(4) ibid. v In dubio.

nicandi necessitas, et confessarii copia desit; sed si ille est sacerdos, ei restat obligatio quamprimum post celebrationem confitendi, ut constat ex Trid. *Sess.* 13. *cap.* 7. ubi haec leguntur; *Communicare volenti revocandum est in memoriam eius* (apostoli nimirum) *praeceptum:* Probet seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus, sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Ex quibus verbis communis sententia et vera (1). Suarez Castrop Lugo Conc. Salm. Tourn.; etc. (contra Navarrum, et alios pauciores) docet tale praeceptum praemittendi confessionem non esse ecclesiasticum solummodo, sed etiam divinum, dum apostolus testatur in sua epistola se hoc accepisse a Domino: *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* 1. *Cor.* 11. 23. Deinde subiungit Concilium: *Quod a Christianis omnibus, ab his etiam sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec s. Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessarii. Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

23. Igitur dictum est 1. quod conscius peccati mortalis non potest communicare, nisi prius confiteatur. Dicitur *mortalis*, quia peccata venialia, quotquot sint, sicut gratia divina non privant, ita nec prohibent quominus ad sacram mensam quis accedat. An autem impediant a consecutione fructus illius, vide quod dictum est *n.* 7. Hic quaeritur an qui recordatur alicuius culpae gravis, postquam cum universali peccatorum dolore confessus est, teneatur confiteri illam, et ad absolutionis beneficium recipiendum ante Communionem? Multi dd. id affirmant (et haec sententia caeteroquin est communior); ita Suar. Bonac. Coninch. Tourn. Conc. Salm. etc., excipiunt tantum, si quis nequiret sine scandali, aut infamiae periculo confessionem praemittere. Sed valde probabiliter negant Garcia, Praep. Ferrantinus Honorius Fabri Corneius et Regin.; et novissime hanc sententiam ex proposito tuetur Continuator Tournély cum Pontas Gibert et 'Arr., et asserit primam sententiam nullo inniti valido fundamento; ego tantum asserere non audeo, sed dico hanc secundam sententiam revera valde esse rationi consonam, prout mihi affirmarunt doctus Episcopus Torni, et alius doctus theologus examinator synodalis civitatis Neapolis, et alii theologi quos, antequam hoc scriberem, consului. Ratio nostra est, quia qui confessionem praemisit, iam praecepto ante Communionem confitendi satisfecit, et iam confitendo probatus est, ut praecipit apostolus; siquidem per confessionem peccatum oblitum iam indirecte remissum est. Remanebit tamen poenitens obligatus ad postea subiacendum illud peccatum clavibus, ut confessio reddatur integra etiam materialiter, sed interim non obligat praeceptum ad confitendum ante communionem. Dicunt adversarii quod praeceptum a Concilio indicatum de confitendo requirit confessionem non tantum formaliter, sed etiam materialiter integram. Sed respondemus hoc gratis asseri, dum praeceptum aliam non requirit confessionem quam illam, quam poenitens tenetur facere, scilicet formaliter integram; nam per illam iam obtinetur finis et effectus a praecepto intentus, nempe ut anima probata remaneat et certa magis de divina gratia, quae facilius acquiritur per sacramentalem absolutionem; quae cum sola attritione delet peccata. Nec obstat quam opponunt fidelium praxis, quia haec non erit statuenda pro obligationis norma, sed potius habenda est tanquam pius et laudabilis usus, qui caeteroquin o-

(1) Lib. 6. n. 256.

mnibus suadendus est, quoties causa aliqua in oppositum aliud non suadeat (1). An autem cum dubius quis est commisisse aliquod mortale, de quo non sit confessus, teneatur illud confiteri ante communionem, vide dicenda seq. *n.* 34.

24. Dictum est 2. necessariam esse confessionem, modo non adsit necessitas celebrandi, aut communicandi. Videamus nunc quid nomine necessitatis intelligatur. Non hic intelligitur magna devotio: et nec sacerdotis paupertas, nisi esset paupertas valde gravis, ut ait Croix, sed intelligitur necessitas urgens, ut esset 1. Si moribundo afferendum esset Viaticum, sicut admittunt omnes (2); 2. si omitti non posset communio sine infamia, aut scandalo, v. g. si quis in communicantium scamno iam reperiretur, unde discedere non posset quin ab aliis notaretur, prout etiam communiter dicunt dd. (3). Idem etiam esset si allato Viatico ad infirmum, tempus non suppeteret ut confessio compleretur sine periculo mortis aut infamiae; quia tunc, ut recte dicunt Ronc. Sporer Busemb. Tambur., etc., sacerdos, audito aliquo peccato, debet moribundum absolvere, imponendo ei ut deinceps integram confessionem faciat, et tunc debet ei communionem praebere (4); 3. si parocho celebrandum esset ut populus sacro intersit, et non esset alius qui celebraret, aut ille non posset celebrationem omittere sine infamiae nota. Sed hoc aliis sacerdotibus non licet, ut bene advertunt Lugo Castrop. Aversa Salmant, et Ronc. contra Dianam, licet populus in die festivo Missa carere deberet (5). Et etiam dicimus cum Suar. Laym. Lugo Bonacin. Tourn. Conc., etc. (contra Sot. et Silvestr.), sacerdotem in die festo potius omittere debere Missam ex obligatione, quam sine confessione celebrare; quia tale praeceptum, cum sit divinum, praeferendum est ecclesiastico de audienda Missa (6). An autem possit quis communicare cum sola contritione, cum deest confessarii copia ut praecepto paschali satisfaciat, affirmant caeteroquin communissime Sot. Palud. Coninch. Henriq. Castrop. Lugo, etc., ex eo quia praeceptum paschale etiam divinum est. Sed negant Suar. Tourn. Salm, etc., dicentes quod tunc praeceptum communionis paschalis non obligat. Hae sententiae sunt ambae probabiles (7).

25. Si contingeret quod sacerdos in celebrando peccati mortalis recordaretur, quicquid dicant alii, distinguendum est cum communi sententia Suar. Vasq. Lugo Castrop. Bonac etc.; quod si recordetur illius post consecrationem, tunc non est Missa interrumpenda ut confiteatur, sicuti docet etiam s. Thomas (8), et uti expressum est in Rubrica (de *Defect. tit.* 8. *n.* 4.): intelligitur quod semper contritionis actus eliciendus est; et licet Lugo Tamb. et alii dicant, quod si sacerdos magnam haberet difficultatem in huiusmodi temporis angustiis ad se conterendum, posset citra culpam Missam prosequi, modo conaretur ad contritionem eliciendam; attamen iure merito contradicit p. Concina, dum in tali casu urget praeceptum divinum, et contra nemo est qui nesciat Deum non iubere impossibilia, ut dicit Trident. *Sess.* 6. *c.* 11., sed praestare sua auxilia ad operandum, aut saltem ad petendum id quod facere debemus: hinc si sacerdos delinquit in se conterendo, sua negligentia delinquit, aut quia peccato adhaeret. Si vero recordetur ante consecrationem, et praesertim ante canonem, tunc confiteri debet, si confessarius adest et si absque infamiae nota hoc efficere potest; et nihil refert si Missa interrumpatur, nam talis pars est extrinseca Sacrificio (9); et si confessarius

(1) lib. 6. n. 257. (2) n. 260. (3) n. 257. et 263. (4) n. 260. ad 2. (5) n. 261. (6) ibid. v. 4. si urgeat. (7) ibid.

(8) 3. p q. 83. a 6. ad 2.
(9) l 6. n. 262. v. Hic dubit. 1.

haberi nequit, et infamiae periculum abest, probabilius est obligari ad Missam omittendam, ut dicunt Lugo Sylvius Tourn. Silvest. et alii, quibus etiam adhaeret s. Thomas (1), dicendo hanc opinionem esse tutiorem (contra Castrop. Suar. Navar. s. Bonav. Victor.); et haec sententia videtur esse iuxta Rubricam (3. *p. tit.* 8. *n.* 4. *et* 5.) ubi haec leguntur: *Si ante consecrationem recordetur sacerdos se esse in peccato mortali, aut se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, si non timetur scandalum, debet Missam incoeptam deserere.* Diximus: *probabilius*, quia non est certum quod Rubrica per Verbum *debet* imponat grave praeceptum. Caeterum bene advertunt Vasq. Laym. et Tourn., quod in tali casu difficulter evenire potest quod sacerdos deserat Missam sine infamiae nota (2).

26. Dictum est 3. *si confessarii copia deest*. Intelligitur 1. si nullus confessarius praesto adsit, et contra sacerdos celebraturus alium absentem sine gravi incommodo adire nequit, ut dicunt Castrop. Vasq. Salm. et alii; *absens* autem intelligitur, si confessarius in notabili distantia abesset, v. g. (ut dicunt) duas aut tres horas itineris, aut etiam minus (ut dicit Canus), si brevi celebraturus esset (3). Intelligitur 2. si praesto esset confessarius idiomatis expers, aut iurisdictione privatus, aut talis cui sacerdos sine gravi damno confiteri non possit (4).

27. Sed hic quaeritur 2. an habens reservatum, et non adsit confessarius hac facultate praeditus, teneatur confiteri simplici confessario ut communicet? Respondetur: Si iste non habet aliud peccatum praeter reservatum, communis est sententia quod confiteri non teneatur, sed sufficit, urgente necessitate, ut cum contritione communicet; sed si solam haberet attritionem, tenetur confiteri de alia materia, ut saltem indirecte sit a reservato absolutus. Si autem haberet reservata et non reservata, dicimus cum sententia communissima, et probabiliori Suar. Castrop. Vivae Lug. Conc. Salm. et aliorum (contra Vasq. Tourn., etc.) istum teneri ad confessionem: quia stante praecepto de confitendo ante Communionem, si nequit materialiter integre, saltem debet formaliter confiteri (5).

28. Quaeritur 2. dato quod iste simplici confessario confiteatur, an debeat explicare tam reservata, quam non reservata? Affirmant probabiliter Sot. Filliuc. Bonac. Suar. Viva Conc. Salm., etc.: nam confessarius necesse habet, ut totam poenitentis cognoscat confessionem, ad hoc ut de eius dispositione ad absolutionem obtinendam ferat iudicium, v. g. si habitum aliquem contraxerit, si in proxima versetur occasione, etc., sed non minus et forte magis probabiliter negant Castrop. Gerson. s. Antonin. p. Sot. Alens. Salas. Ledesm.: et Lugo etiam probabile hoc dicit; tum quia non videtur adesse obligatio peccata exponendi non habenti super illis iurisdictionem, ac proinde iudicem esse impotentem; tum quia alias poenitens haberet onus bis eadem peccata confitendi. Et licet quis in casu quo esset habituatus, ut dictum est, et moralem suae dispositionis certitudinem non haberet, teneretur totam conscientiam suam confessario patefacere, ut ille iudicaret an sit, vel ne absolutionis capax; nihilominus hoc esset per accidens, sed non propter obligationem faciendi confessionem materialiter integram, dum ex se sufficit tunc formalis integritas (6).

29. Si quis autem excommunicatione reservata innodatus existeret, et urgeret communicandi necessitas, ac non esset a quo possit ab ea absolvi, communis est sententia quod iste posset communicare antequam ab

(1) 3. p. q. 83. a. 6. ad 2. (2) l. 6. n. 262. dubit. 2. (3) n. 264. ad 1. (4) ib. a. 2.

(5) n. 265. (6) ibid. v. quaer. 2.

illa absolveretur; quia Communionis praeceptum quod interdicit excommunicatos a Sacramentis, non obligat, cum alioquin non potest evitari scandalum, aut infamia. Sed fit dubium an tunc possit ille confiteri facultate super excommunicatione illa destituto? Negant probabiliter Sylv. Canus Sot. Vasq., etc., dicentes quod ille bene potest communicare, semper ac est contritus; sed nequit Sacramentum Poenitentiae suscipere, cum ab hoc per excommunicationem illi interdictum sit. Sed probabilius affirmant Suar. Sanch. Lugo Coninch. Salmant., etc., quia in eo necessitatis casu, sicut excommunicatio non privat Eucharistiae Sacramento, ita nec privat Poenitentiae Sacramento, quod a volente communicare semper ac potest, ex praecepto divino sumi debet praemissa confessione. Et bene probant praefati aa. valide posse aliquem absolvi a peccato, quin absolvatur ab excommunicatione, cum Ecclesia non potest, imponendo censuram, Sacramentorum valorem irritare, quae ex divina dependent institutione; et in tantum excommunicatus confitendo invalide absolveretur, quia esset indispositus, cum ab Ecclesia ei interdicta sit Sacramentorum susceptio; sed cum necessitas eum a tali prohibitione eximit, tunc valide et licite recipit absolutionem sacramentalem (1).

30. Dictum est postremo loco, quod si sacerdos cum peccati mortalis conscientia, non praemissa confessione, ob instantem necessitatem, et quia non habet cui confiteatur, celebrat, praecipit Concilium ut post celebrationem *quamprimum confiteatur*. Hoc non est consilium, ut dicebat propositio 38. damnata ab Alexandro VII, sed est verum praeceptum, et quidem grave. Hoc supposito praecepto quaeritur 1. quomodo intelligendum illud *quamprimum*? Nonnulli intelligebant, cum sacerdos suo tempore confitebitur; sed haec inanis explicatio etiam damnata fuit prop. 39. ab eodem Pontifice. Alii intelligebant, cum sacerdos vult iterum celebrare; sed haec explicatio est etiam improbabilis, dum Concilium praecepit confessionem praecise post celebrationem, nimirum etiamsi sacerdos vellet pro eo tempore a celebrando se abstinere. Alii vero nimis rigidi dicunt intelligi statim ac ei erit facultas confitendi, etiam eodem die; ita Wigandt et Concina. Sed cum communi recte dicunt Milante Coninch. Lugo Escob. et alii cum La-Croix (qui adducit quamdam declarationem S. C.) sufficere, si sacerdos intra triduum confiteatur, similitudine accepta ab obligatione, quam habent, qui in mortis articulo absoluti sunt ab excommunicatione reservata, Superiorem adeundi, *quam cito commode possint*, ut in *c. Eos qui*, *de sent. excom.* (sub poena reincidendi in eamdem censuram) cui obligationi etiam intelligitur satisfieri intra tres dies; Lugo Garcia et Milante. Et idem currit pro obligatione deferendi libros haereticorum ad Episcopos; Sanch. Ugolin. et Sayr. Advertunt tamen dd. supra citati, quod in aliquo casu potest sacerdos teneri ad confitendum eodem die, et forte eadem hora, v. g. si confessarius cito longe profecturus esset; aut si sacerdos in eadem esset celebrandi necessitate die sequenti, in quo etiam confessarius defuturus esset (2).

31. Quaeritur 2. an hoc praeceptum obliget sacerdotem qui celebrat reminiscens suum peccatum post consecrationem? Negant Vasq. Pelliz. Lugo et Diana, quia Rubrica (*tit.* 18. *num.* 3. *et* 4.) loquens de eo qui recordatur ante celebrationem, dicit: *Tenetur confiteri quamprimum*; sed loquens de eo qui recordatur post consecrationem, nihil aliud dicit quam *conteratur cum proposito confitendi*. Haec sententia non videtur improbabilis; sed est communior et forte probabilior contraria Suar. Molfes. Me

(1) lib. 6. n. 265. v. quaer. 3.

(2) n. 266. v. posito.

gal. Bonac. Reginald., etc., quia iam tunc verificatur casus a Concilio suppositus, quod iam celebrat in peccato, et sine confessione; tanto magis quod in illo *confitendi* Rubricae, facile subintelligitur verbum *quamprimum*, paulo ante iam a Rubrica expressum (1).

32. Quaeritur 3. an hoc praeceptum obliget etiam sacerdotes sacrilege celebrantes, sive illos qui tenentur et possunt confiteri, et celebrant sine confessione. Aliqui etiam affirmant; sed sententia vera, et communissima negat cum Suar. Vasq. Lug. Filliuc. Sayr. Moya, etc., quia praeceptum Concilii tantum respicit eos qui bona fide celebrarunt, ne confessionem differant sub colorato praetextu necessitatis celebrandi, non autem sacrilegos, quibus tale praeceptum non est profuturum: qui enim spernit praeceptum divinum de non celebrando in peccato, facilius spernit etiam ecclesiasticum de confitendo quamprimum (2).

33. Quaeritur 4. an hoc praeceptum confitendi *quamprimum* obliget etiam laicos, qui communicant ob necessitatem ante confessionem? Affirmant Azor. Navarr. Conc. et Tourn. dicendo quod pro laicis eadem militat ratio, ac pro sacerdotibus ex illa regula generali: *Ubi currit eadem ratio, ibi currit eadem legis dispositio.* Sed est communissima et probabilior sententia opposita Wigandt Coninch. Suar. Vasq. Laym. Bonac. Filliuc. et Lugo, qui asserit primam communiter reiici. Ratio est, quia revera non currit pro laicis ratio quae extat pro sacerdotibus; dum hi plerumque maiorem habent necessitatem celebrandi ad evitandum scandalum, quam non habent saeculares ut communicent (3).

34. Quaeritur 5. an dubitans sit vel ne in gratia, possit communicare? Huic dubio respondimus in opere (4), quod (ex se loquendo) qui dubitat an sit in peccato, non potest communicare. Nihilominus, melius re perpensa mihi videtur respondendum cum maiori distinctione. Unde sic dicamus: Si quis dubitat an graviter peccaverit nec ne, tunc licite, non praemissa confessione, potest ad Communionem accedere, sive dubium sit negativum, sive positivum (sufficiendo sibi, ut tutius fructum Sacramenti percipiat, ut praemittat contritionem); quia praeceptum apostoli *Probet autem seipsum homo*, ratione cuius intelligitur praecepta esse confessio, ut declaravit Tridentinum, ligat tantum eos qui sunt conscii, nempe certe sciunt se mortale commisisse, de quo non sunt adhuc confessi, ut idem Tridentinum declaravit *Sess.* 13. *c.* 7. *de Euchar.* dicens *Ut nullus sibi conscius peccati mortalis, ad Eucharistiam accedere debeat.* Itaque praeceptum prohibitionis non incipit possidere, nisi postquam homo sit sui peccati conscius. Contra si quis est certus de peccato commisso, tunc non potest communicare, nisi certus sit se per confessionem probatum fuisse, quia tunc certe possidet in eo praeceptum prohibitionis; unde ille cum dubio negativo aut positivo, an recuperaverit nec ne amissam gratiam (v. g. cum dubitat an confessio fuerit nulla ex defectu dispositionis, aut iurisdictionis, aut si dubitat de contritione in casu necessitatis communicandi), non potest Communionem recipere: quia tunc agit contra praeceptum quod requirit probationem non solum probabilem, sed etiam certam, sicut fuit certum peccatum. Sed obiicere possent id quod dictum est *Tr.* 1. *n.* 17., nempe sufficere satisfactionem probabilem ad adimplenda praecepta. Sed bene respondet Ronc. (5) praefatam sententiam locum habere, cum agitur de repetendo opere cui probabiliter satisfactum est; nam non praesumitur legislator velle obligare ad satisfaciendum suis legibus cum tanto rigore, ut repetenda sint opera, quibus probabiliter satisfa-

(1) lib. 6. n. 267. (2) n. 266. quaer. 5. (3) n. 268. (4) n. 432. et 475.

(5) Ronc. de Euchar. p. 3. q. 6. resp. 6.

ctum est; non autem cum agitur quod quis debeat, et possit sine suo magno gravamine abstinere ab aliquo opere faciendo, antequam certus fiat adimplevisse conditionem appositam a lege, quae possidet; quia in hoc non praesumitur aliqua conniventia legislatoris, et ita evenit in casu praesenti.

Punctum III. *De dispositione corporis*

35 *De ieiunio naturali. In dubio ieiunii. Si horologia sint discordantia. Frangit ieiunium quod ab extra suscipitur.*
36. *De reliquiis ciborum.*
37. *De reliquiis aquae, sacchari, etc.*
38. *De tabaco per nares sumpto.*
39. *An fumus tabaci, etc.*
40. *De tabaci foliis, et aromatibus dentibus contritis.*
41. *De aqua, aut similibus per narices voluntarie haustis, aut casu.*
42. et 43. *An capilli, lapilli, charta, etc. frangant ieiunium.*
44. *Qui, non facta digestione, etc.*
45. *Exspuere statim a Communione.*
46. *In quibus casibus non requiratur ieiunium, et I. in Viatico. An possit replicari Viaticum.*
47. *Et quoties.*
48. *An qui ex devotione paucis ante diebus communicavit, etc.*
49. *An qui eodem mane.*
50. *An possint omitti verba: accipe Viaticum.*
51. *An possit celebrare non ieiunus ad dandum Viaticum.*
52 *II. Non requiritur ieiunium, si timetur de iniuria Sacramenti.*
53. *III. Si timetur scandalum; si celebrans recordetur se non esse ieiunum.*
54. *IV. Si perficiendum sit Sacrificium. Quid agendum, si advertatur error vini; et quid in dubio, etc.*
55. *V. An ad evitandam mortem possit celebrare non ieiunus.*
56. *An pollutio impediat Communionem.*
57. *An copula coniugalis.*
58. *Qui externe est sordidus, aut leprosus, vel menstruata, aut accedit immodeste. Sacerdos qui laicorum more communicat.*

35. Per se loquendo, ut licite suscipiatur Communio (iuxta Ecclesiae praeceptum in *cap. Ex parte de celebr. Miss.*) requiritur ieiunium naturale, nempe, ut quis nihil sumpserit cibi, aut potus ex puncto mediae noctis. Dubium tamen an deglutiverit aliquid a media nocte, non impedit a Communione, ut diximus *Tr.* 1. *n.* 19. quia (ut ibi probavimus) hoc praeceptum non est positivum, ut ieiunus accedat ad Communionem, sed est negativum, ne communicet post ieiunii fractionem; quare quoties non est certum de ieiunii fractione, non possidet iam prohibitio, sed libertas communicari volentis. Et hac ratione dicunt communissime Sanch. Lug. Merati Holzm. Croix Salm. Quarti Escob. Villalob. Trullench. Fagund. licere inter multa horologia dissonantia sequi ultimum quod signat mediam noctem; modo non constet de errore; et modo (bene subiungit Croix) hoc ultimum non sit tale, ut plerumque erret, quia tunc praesumptio est quod semper erret (1). Sed hic adverte quod tempus mediae noctis non terminatur, ut volunt Salmanticens., in ultimo horologii ictu, sed in primo, ut recte dicunt Lug. Sanch. Tourn. etc., et de hoc ego certus sum factus a quodam horologiorum artifice peritissimo (2). Ob eamdem rationem non admittitur parvitas materiae, ut fatentur omnes tanquam certum, quicquid dicant Gibert et Pasqual., quia praeceptum de non accedendo ad Communionem post cibi, vel potus sumptionem, est negativum (3). Ad frangendum autem hoc ieiunium, iuxta regulas communiter a dd. assignatas, tria requiruntur: 1. Ut quod deglutitur ab extra sumatur; 2. ut sumatur per modum comestionis aut potationis; 3. ut habeat rationem cibi, vel potus. Itaque iuxta 1. regulam ad frangendum ieiunium, sumendum est aliquid ab extrinseco, ita Suarez Croix Elbel Sporer etc., ex s. Thoma (4) qui dicit, quod quicquid provenit ab intrinseco non

(1) l. 6. n. 282. (2) ib. v. num autem.

(3) n. 278. (4) in 4. d. 8. q. 1. a. 4. solut. q. 2. ad 3.

potest dici quod comedatur, ideoque non laedit ieiunium (1). Hoc posito bene potest communicare qui sanguinem ex capite, vel gingivis manantem deglutit, licet ex proposito id faceret; ita communiter Suar. Laym. Bonac. Cabas. Habert Antoine Salmanticens. quicquid dicat Tourn.; quia, ut dictum est cum s. Thoma, quicquid ab extrinseco non sumitur, non dicitur comedi (2).

36. Sed hic fit dubium an frangat ieiunium qui voluntarie deglutit reliquias cibi in ore relictas? Suar. Quar. Henriq. Castr. Elbel. Coninch. et alii penitus negant, dicendo tales reliquias reputari ut partes comestionis diei praecedentis, et videtur Rubrica nimis adhaerere huic sententiae (*de defect. n.* 3.) dum dicit: *Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae*. Alii tamen communius ut Vasq. Laym. Bonac. Tourn. Ronc. Cabass. affirmant, cum huiusmodi reliquiae transglutiuntur ex proposito, quia tunc id habet rationem novae comestionis; et huius sententiae est etiam s. Thomas (3) qui dicit: *Reliquiae cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt Communionem*; igitur (iuxta Angelicum) si voluntarie transglutiuntur, impediunt a Communione. Haec sententia videtur probabilior, licet primam non puto improbabilem: sed quia non nimis scrupulose in hoc incedendum est, ut bene advertit Suar., libenter amplector sententiam Card. de Lug. quam etiam sequitur Benedict. XIV. in suo celebri opere de *Sacrif. Miss.* (4), quod reliquiae a dentibus avulsae, quae super lingua sentiuntur, debent exspui; sed caeteroquin non adest obligatio diligentiam adhibendi eas a dentibus scalpendi; dum haec obligatio nimis esset scrupulis obnoxia; et hoc videtur proprie requirere Rubrica superius relata, dum dicit quod eae reliquiae transglutiuntur per modum salivae (5).

37. Et idem dicendum de reliquiis aquae, qua abluitur os, quae etiam impediunt Communionem, si voluntarie absorbentur, non autem si praeter voluntatem; ita communiter Suar. Castrop. Tourn. Holzm. Salmant., etc. cum s. Thoma loco cit. ubi dicit: *Et eadem ratio est de reliquiis aquae, vel vini, quibus abluitur os, dummodo non traiiciantur in magna quantitate, sed permixtae saliva, quod vitari non potest*. Et idem docet Rubrica, dicens: *Idem dicendum* nempe non frangere ieiunium) *si, lavando os, deglutiatur stilla aquae praeter intentionem;* igitur si aqua traiicitur praeter intentionem, non frangitur ieiunium (6). Non dubitatur autem quin frangat ieiunium, qui in ore ante mediam noctem aliquid ex saccharo, vel melle confectum mittit, et post illam deglutit. Item procedit de eo qui traiiceret sanguinem ex digito imbibitum, aut lacrymas ex oculis manatas; ita communiter dd. Et idem dicunt de eo, qui casu in flumen decidens, aut ab aliis vi sibi illata aquam, aut aliud potabile deglutiret (7).

38. 2. Regula est, ad frangendum ieiunium requiri ut accipiatur aliquid per modum comestionis, aut potationis: quare communiter dicunt Suar. Lug. Conc. Holz. Ronc. Escob. Croix Elbel, (quicquid dicant aliqui pauci) non laedere ieiunium tabacum per nares sumptum, licet aliquid illius descenderet in stomachum, ratione supra allata: quia huiusmodi traiectio non est per modum comestionis, sed attractionis; saltem, ait Benedictus XIV. *de Synod.* (8); hoc est permissum propter usum universalem inter fideles receptum. Et hic obiter notandum id quod idem Pontifex refert, nempe quod Innoc. X. et Innoc.

(1) lib. 6. n. 278. et 279. (2) n. 279. v. secus vero. (3) 3. p. q. 80. a. 8. ad 4. (4) l. 3. c. 12. (5) l. 6. n. 279.

(6) ib. dubit. 2. (7) ib. v. idem. (8) lib. 11. c. 13.

XII. excommunicationem inflixerunt in eos qui in ecclesia Vaticana tabacum sumerent: et eamdem imposuit Urbanus VIII. pro ecclesiis hispanicis; sed Benedictus XIII. omnes istas prohibitiones abstulit (1).

39. Pariter tabaci fumus ore haustus non frangit ieiunium, ut etiam communiter docent Suar. Villalob. Trullench. Salm. Aversa Holzm. Viva Croix Spor., etc. cum eodem Benedicto XIV. (2), qui similiter testatur hanc esse hodiernam consuetudinem confirmatam cum communi dd. consensu. Limitant tamen Salmant. et dicunt frangere ieiunium, qui ex proposito transmitteret fumum in stomachum, dicendo quod haec esset vera comestio, dum talis fumus etiam aliquo modo nutriret, sed haec limitatio communius, et probabilius negatur ab Escob. Praepos. Marc. Viva Spor. Renzi Tamb. Diana, etc. Et ratio est, quia fumus non sumitur nec per modum cibi, ut dicetur in tertia regula, nec revera est cibus in se comestibilis, aut manducabilis quem voluerit ecclesia prohibere, iuxta communem dd. sensum (3).

40. Nec pariter frangit ieiunium tabacum, aut aromata dentibus attrita, semper ac foras expuitur succus. Ita etiam communiter Lugo Holzm. Bonac. Spor. Coninch. Praepos. Trullench. Salm. Viva Renzi, etc., adversus Henno qui sustinet quod mandendo illas res, semper aliqua portio in stomachum transmittitur, quam ob rem evenit quod (ut dicit) pituita eiiciatur. Sed respondit Cardinalis de Lugo, quod ad pituitam eiiciendam non requiritur ut succus in stomachum descendat, sed sufficit ut tabacum ad os applicetur, nam ita immittitur in stomachum virtus pituitam eiiciendi nervis mediis, qui ad stomachum respondent. Et hoc etiam, ut dicunt Tannerus Lugo Escob. Tamb. Viva, etc., etiamsi deglutiatur, sed praeter intentionem, aliquid succi, salivae inseparabiliter admixti, quia tunc non traiicitur per modum cibi, sed salivae. Imo Lorichius excusat, etiamsi casu granum integrum deglutiretur; sed hoc recte non admittunt Bonac. et Tamb.; secus vero esset si deglutiretur aliqua minima particula insensibiliter immixta salivae, quia tunc revera per modum salivae traiiceretur. Caeterum omnes conveniunt huiusmodi masticationem indecentem esse ante Communionem, unde non est immunis a veniali, nisi adsit aliqua causa excusans (4).

41. Volunt Suar. Fagund. et Tambur. etc., ne frangere quidem ieiunium aquam per narices in stomachum transmissam, ut de tabaco dictum est. Sed ego hoc non admitto, si quis ex proposito id faceret; et quod de aqua puto, idem mihi videtur de tabaco, et de quocumque digeribili: quia licet haec actio de se non sit potativa, nec manducativa, sed dumtaxat attractiva, nihilominus quando illa ex proposito intenditur et ordinatur a persona ad transmittendum in stomachum potum aut cibum, tunc per aequivalentiam illa actio induit moraliter rationem potationis, aut manducationis; nam iam intercedit tam materia potabilis aut manducabilis, quam actio apta ad consequendum eumdem finem quem habet potatio aut manducatio (5). Secus vero, si casu in stomachum aliquid transmitteretur. Et idem communiter dicunt Nav. Suar. Lug. Hab. Conc. Ronc. Salmant., etc. de eo quod per modum respirationis deglutiretur, v. g. parum pulveris a vento sparsi, aut musca, aut gutta pluviae, et huiusmodi, si hoc casu traiicitur, non frangit ieiunium; sed illud frangit si data opera id fiat, quia tunc vera manducatio evadit (6).

42. 3. Regula: ad frangendum ieiunium requiritur ut habeat rationem cibi vel potus. Hinc quaeritur, an deglutire capillos, ungues, lapides,

(1) l. 6. n. 280. (2) De sacrif. Miss. l. 3. app. 9. §. his suffulti. (3) l. 6. n. 280. dubit. 2. (4) n. 280 dubit. 3. (5) ibid. v. idem. (6) ibid.

ligna, chartam, et similia impediat a Communione? Alii universe negant, ut Ledesm. Busemb. Diana Renzi, etc., ex regulae mox allatae applicatione, nempe quia huiusmodi non habent rationem cibi, saltem quia usu communi cibi non reputantur. Alii contra universe affirmant, ut Layman Castrop. Wigandt Ronc. et Salmant. dicendo quod reverentia erga Communionem exigit ut ante illam nihil in stomachum transmittatur. Sed sententia communior, et quae mihi magis arridet, est illa Concinae Lugo Tourn. Escob. Holzm. Vivae, Spor. et aliorum, quae distinguendo dicit ieiunium non frangere ea quae digestibilia non sunt, ut sunt capilli, metallum, crystallus, ungues et serica aut lanea fila, quia haec non nutriunt, nec cibi rationem habent. Citant adversarii pro se s. Thomam; sed nos ostendimus in opere morali s. Thomam in hoc nostrae sententiae non adversari, saltem non esse aperte adversum (1).

43. Contra frangunt ieiunium omnia quae digeri possunt, nempe illa quae, in stomacho cum alterari possint, in hominis substantiam convertuntur, ut sunt charta, paleae, fila linea, pulveres medicinales, cera, quia haec ordinarie aliquid mellis retinet; et idem dicunt Lugo Wigandt Escob. Viva et Mazzotta de terra, seu argilla quam solent comedere mulieres, dum in illa semper (ut dicunt) invenitur aliquid in stomacho alterabile, adeoque nutritivum (2).

44. Notandum 1. celebrare statim a coena insomnum et indigestum non impedire a Communione ratione praecepti ieiunii, ut docent communiter Suar. Iuv. Bonac. Sot. Nav. etc., caeterum bene advertunt Tour. Conc. cum s. Thoma (3), quod aliquando convenit a Communione abstinere ob mentis torporem, ratione cuius (ut loquitur Angelicus) *Homo fit ineptus ad sumptionem huius Sacramenti*. Sed hoc non intelligendum cum quis, quantum potest, nititur ut a tali torpore liberetur, et ut devote ad Sacramentum accedat, praesertim si vigilia aut indigestio provenerit ex iusta, aut naturali causa, ut dicemus n. 56. in simili casu (4).

45. Notandum 2. expuere statim a Communione culpa vacat, semper ac nulla suspicio subest quod aliquod fragmentum sit relictum in ore; ita Sanch. Azor. Bonac. Wigandt. Holz. Croix, ex s. Thoma. Idem dicit Holz. de comestione aut potatione statim post Communionem, nam licet olim ex *c. Tribus, de Consecr. dist.* 3. ieiunium protrahendum esset usque ad sextam, attamen ut testatur s. Thomas (5) hoc praeceptum iam diu abrogatum est. Caeterum hoc facere sine causa, dum etiam Species sacrae perdurant in stomacho (ut per horae quadrantem saltem pro sacerdotibus), non excusatur a veniali; ita communiter Suar. Aver. Quarti et Dicast. ex s. Thoma, qui loco citato haec subiungit: *Debet esse aliqua mora inter sumptionem huius Sacramenti, et reliquos cibos*. Dictum est *sine causa*, quia quaelibet iusta causa excusat, v. g. si daretur signum mensae pro Religioso, etc. (6).

46. Videamus nunc in quibus casibus possit suscipi Eucharistia a non ieiuno: 1. Cum Communio datur per Viaticum in periculo mortis. Dictum est *in periculo*, quia ad recipiendum Viaticum non est necesse, nec laudabile expectare tempus, quando nulla amplius spes vitae subest; sed sufficit ut adsit periculum probabile mortis. Et tunc non dubitatur a doctoribus quin possit pluries accipi Viaticum, etiam durante eadem infirmitate, dum hoc Sacramentum non solum sumi debet ob praecepti satisfactionem, sed etiam ad robur adversus tentationes, quae in morte sunt validiores et periculosiores. Et hoc non tantum si novum superve-

(1) lib. 6. n. 281. (2) ib. v. secus.
(3) 3. p. q. 80. a. 8. ad 5. (4) l. 6. n. 289. v. hic ultimo. (5) 3. p. q. 80. a. 8. ad 6. (6) l. 6. n. 283

niat periculum, sed etiam si idem perdurat; ita communiter Sot. Suar. Tolet. Laym. Silvest., etc. cum Benedicto XIV. qui Episcopos hortatur ut parochis insinuent, quod ipsi Viaticum in eodem morbo ministrare debent usque ad duas aut tres vices (1).

47. Quod dubitatur est 1. quantum intercedere debeat temporis inter unam et aliam Communionem; communius Silvest. Concina Tourn. Busemb. Salmant., etc. dicunt octo dies; alii sex, ut Armil. Filliuc. Diana Possev., etc.: et non improbabiliter Laym. Escob. Ronc. et Hurtadus fidenter dicunt Viaticum posse etiam sequenti die replicari, cum infirmus solitus erat saepe communicare; et cum imminet morale mortis periculum; imo Castrop. Armil. Tamb. et Dicast. admittunt universe posse replicari quolibet die (2).

48. Quaeritur 2. an qui paucis ante diebus ex devotione communicaverit, superveniente mortis periculo, teneatur sumere Viaticum? Alii cum sententia communiori id negant, etiamsi ante octo dies communicaverit; ita Layman Suar. Concina Roncag. Bonac., etc., quia, ut dicunt, iam ille per eam Communionem se ad mortem praeparavit, quare iam satisfecit fini praecepti. Haec sententia est satis probabilis, saltem ut dicunt Suar. et Lugo, si periculum mortis naturaliter accidat, quia tunc tempore Communionis sumptae iam coepit moraliter imminere periculum. Sed probabilius affirmant Vasq. Castrop. Conc. Tourn. Habert. Diana Salm., etc., quia hoc praeceptum quod divinum est, praecise obligat cum actu urget mortis periculum; et sicut non potest debito satisfieri antequam illud contrahatur, ita nec adimpleri praeceptum, antequam obligare coeperit. Nec valet dicere quod per illam Communionem iam praecepti fini satisfactum sit, quia si hoc sufficeret, sufficeret etiam ad adimplendum praeceptum paschale, ut quis communicaret die praecedente Dominicam Palmarum, sed hoc nequit dici (3).

49. Quaeritur 3. an qui mane communicavit ex devotione, debeat aut possit Viaticum sumere, superveniente mortis periculo? Tres adsunt sententiae. Prima dicit teneri ut satisfiat praecepto. Secunda dicit non teneri sed posse; ita Roncagl. Gob. Anacl., etc. Tertia dicit non teneri nec posse, cum praxis Ecclesiae ea sit ut nemo bis eodem die communicet. Benedictus XIV. *de Syn. l.* 7. *c.* 11. *n.* 2. dicit parochum posse quam maluerit harum amplecti sententiam, unde omnes tres ut probabiles habet. Caeterum inter has probabilior mihi videtur sententia Cardinalis de Lugo qui distinguit, et dicit quod in morbo violento, v. gr., si quis fuerit vulnere percussus, vel ex alto ceciderit potest communicare: secus vero in morbo naturali, quia ille qui mane communicavit, et iam coepit corripi morbo (qui diei progressu postea dignoscitur mortalis), moraliter communicavit in mortis periculo, quod iam mane aderat licet lateret. Et idem dicendum cum Suar. de apoplexia, dum hic morbus iudicatur quod iam prius in suis causis existebat (4). Advertendum cum Viva et Salmant. quod si infirmus sine difficultate potest recipere Viaticum ieiunus die sequenti tenetur expectare; modo interim absit periculum mortis; aut si non posset observari ieiunium etiam postridie, quin omitteretur medicina opportuna: aut si Sacramentum deberet afferri intempesta nocte. Caeterum recte dicunt Sot. Nav. Filliuc. Salm. et alii communiter quod in hoc non est scrupulose procedendum, dum Concilium constantiense *Sess.* 13. absolute eximit moribundos a lege ieiunii (5).

50. Quaeritur 4. an sacerdos ministrans Viaticum possit aliquando ex iusta causa omittere verba illa: *Accipe, frater, Viaticum, etc.?* Ne-

(1) De Synodo l. 7. c. 12. (2) l. 6. n. 285. v. Sed dubit. 1. (3) ib. dubit 2.

(4) n. 285. dubit. 3. (5) ib. v. hic autem.

gant Clericatus Tamb. Quarti, etc., quia Rituale rom. hoc expresse praecipit: et Paulus V., loquendo de rubricis in Rit. praescriptis, dicit: *Inviolate observent*. Hoc non obstante probabiliter permittunt p. de Alex. (de Monialibus) Tonellius et Pasqual. in casu quo infirmus magna animi tristitia Viaticum sit suscepturus; nam ad satisfaciendum praecepto non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit ut ponatur opus praeceptum, ut diximus *Tr.* 2. *n.* 29.; aut sufficit intentio interpretativa. In quantum ad Rituale, respondent quod illud praeceptum non respicit omnia ibi descripta, sed illa tantum *quae Ecclesia et probatus usus antiquitatis statuit*, ut loquitur Bulla. Saltem non potest dici quod praeceptum proferendi illa verba inducat gravem obligationem, sed tantum levem, a qua bene excusare potest quaelibet iusta causa, qualis esset illa supra adducta (1).

51. Quaeritur 5. an sacerdos non ieiunus ad Viaticum ministrandum possit celebrare? Affirmant probabiliter Concina Maior. Fernand., etc.; et hanc sententiam uti probabilem admittunt Lugo Filliuc. Escob. Viva, etc., quia in eo casu, ut dicunt, debet praeferri praeceptum divinum, quod obligat infirmos ad Viaticum, ecclesiastico quod obligat sacerdotem ad non celebrandum non ieiunum. Sed communissime et probabilius id negant Sot. Silv. s. Antonin. Suar. Lugo Nav. Busemb. Salm. Tourn., etc., quia praeceptum non celebrandi post cibi sumptionem etiam est divinum in substantia, ratione reverentiae Sacramento debitae. Nec valet dicere quod idem praeceptum quod permittit infirmo communicare non ieiuno, permittit etiam sacerdoti non ieiuno celebrare, ut infirmus communicet: quia respondetur quod in tantum infirmus non ieiunus potest communicare, quia in ipso concurrunt in eo casu tam praeceptum ecclesiasticum ieiunii, quam divinum sumendi Viaticum, ideoque hoc, cum sit divinum, praeferendum est; sed sacerdos, qui unico tenetur praecepto non celebrandi non ieiunus, non potest hoc violare ut infirmus suo satisfaciat (2).

52. Hactenus de Viatico; nunc ad alios casus descendamus in quibus possit Eucharistia sumi a non ieiuno. 2. Potest sumi a non ieiuno cum subest periculum ne Eucharistia pereat, aut male tractetur. Et tunc si desit sacerdos, potest eam sumere etiam laicus; et potest licite sacerdos etiam eam praebere laicis non ieiunis, ut dicunt Suarez Vasq. Lugo, et Busemb. (3).

53. 3. Cum periculum scandali esset, si omitteretur celebratio, aut Communio. Unde fit quod si sacerdos in celebrando recordaretur non esse ieiunus, si id post consecrationem accidat, tunc certum est quod potest celebrationem prosequi, quia non potest sacrificium imperfectum relinqui, ut dicemus numero sequenti: sed cum recordatur ante consecrationem, debet ille a Missa desistere, semper ac potest sine scandalo, aut infamiae nota, ut dicunt omnes cum s. Thoma (4). Nihilominus p. Concina cum nonnullis aliis dicit hic, quod raro potest hoc scandalum accidere, dum illi facili negotio occurri potest, declarando se inconsiderate aliquid sumpsisse. Sed contra s. Bonav. Sot. Angel. Reginald., etc. dicunt sacerdotem nunquam posse Missam inchoatam deserere, cum celebrat in publico, quia quasi nunquam tunc potest sine scandalo desistere ab ea; et idem sentit Continuat. Tourn. (cui ego adhaereo), dicens quod semper potest timeri scandalum, modo celebrans non esset vir nota, aut saltem praesumpta probitate (5).

54. 4. Cum perficiendum est sacrificium. Quod multifariam evenire

(1) l. 6. n. 285. v. dubit. 4. (2) n. 286. v. quaeritur, utrum. (3) n. 287.

(4) 3. p. q. 83. a. 6. ad 2.
(5) l. 6. n. 287. v. 3. si grave, et seq.

potest. 1. Si sacerdos animadvertat pro vino sumpsisse aquam, etc.; tunc potest aut novam hostiam simul cum vino consecrare, ut multi autumant fieri debere, aut potest consecrare solum vinum, ut admittunt alii; utramque sententiam Rubrica (*de Defect. tit.* 4. *n.* 5.) dicit esse probabilem, si celebretur in loco publico, tunc enim bene potest consecrari tantum vinum ad vitandum scandalum. Advertunt Tamb. Lugo et Conc. quod si sacerdos animadverteret errorem, dum in ore adhuc retinet aquam, debet eam tunc deglutire, ne se periculo exponat proiiciendi aliquod fragmentum Hostiae una simul cum illa. Insuper advertunt Coninch. Laym. Salm. et Busemb. quod si sacerdos id advertit, cum iam est ad sacristiam regressus, tunc omittere debet novam consecrationem facere. Quod si ante Missae absolutionem, sed post sumptionem, aut post consecrationem de vini materia dubitaret, dicunt Tamb. Spor. Mazzotta quod praesumenda est materia apta, dicentes possessionem stare pro vini substantia. Sed dicunt melius Pasq. Gob. Av. et Croix quod semper ac adest prudens dubium, et potest aliud vinum haberi, debet illud expectari et consecrari dum non potest dici esse in possessione vinum illud de quo iam dubitatur, an sit vinum, sed potius possidet praeceptum faciendi Sacrificium integrum. Cum tamen adsit tale dubium, dicunt quod secundum vinum sub conditione consecrandum est, si prima materia consecrata non fuit: alioquin etiam incurritur periculum faciendi sacrificium mutilatum(1). 2. Debet sacrificium perfici a sacerdote non ieiuno, si contingeret quod celebrans post consecrationem deficiat, nam tunc tenetur alius sacerdos (si adest) etiam non ieiunus Sacrificium perficere (2). 3. Si post consecrationem alterius speciei recordetur sacerdos non esse ieiunus, quia tunc tenetur perficere Sacrum. Dictum est *post*, nam ante tenetur illud deserere, quoties sine scandalo aut infamia potest, ut paulo ante diximus (3). 4. Si, ablutione sumpta, advertat sacerdos aliquas reliquias eiusdem Sacrificii relictas fuisse, ut diximus *n.* 18. (4), dicunt Bonac. Filliuc. et alii, quod, cum post sanguinis sumptionem Hostiae particula calici adhaesisset, aut palato, decentius est cum ablutione eam sumere quam digito ad calicis labium eam attrahere, et sic eam sumere; sed Rubrica utrumque permittit. Certum est sumere hostiam simul cum ablutione tam a sacerdote quam a laicis, non laedere legem ieiunii, quia licet vinum traiiceretur antequam deglutiatur Hostia, talis sumptio censetur moraliter una, ut docet Benedictus XIV. (5) et communiter Lugo Suar. Vasq. Laym. Castrop. Conc. Bonac. Holzm. Croix Salm., etc. (6).

55. 5. Licitum est non ieiuno celebrare ad mortis periculum vitandum; ita Silvest. Viva Diana Salm., etc., modo id non exigatur in Ecclesiae contemptum. Admittunt etiam Silvestr. et Diana posse celebrari mortis metu sine vestibus sacris, extra altare, etc. dicentes praeceptum Ecclesiae non obligare cum tanto onere. Sed merito has opiniones non admittunt Suar. Tamb. Tourn. Merati Roncag. Conc. Caiet. Sanchez Castrop., etc.; etiamsi celebrandum esset ad dandum Viaticum, ut subiungunt Lugo Dicast. et Benedictus XIV. (7), quia (ut recte advertit La-Croix) in praxi contrariae sententiae difficulter possunt esse licitae, dum difficulter, ita celebrando, potest vitari contemptus, ut iidem Laym. et Escob. fatentur, aut saltem scandalum et gravis irreverentia: itaque subintrat praeceptum naturale, saltem reverentiae debitae Sacrificio, a quo praecepto non excusat metus mortis (8)

(1) l. 6. n. 288. et etiam 206. v. quoad vinum. (2) n. 288. ad 2. (3) n. 287. v. si sacerdos et 288. ad 3. (4) ibid. ad 4.

(5) De Sacrific. Missae l. 3. c. 17. (6) l. 6. n. 288. ad 5. (7) de Sacr. Miss. l. 3. c. 7. n. 1. in fine. (8) l. 6. n. 289.

56. **Pro complemento huius materiae nempe dispositionis ad communionem, quaeritur 1. an pollutio habita eadem Communionis die impediat ab illa? Distinguendum:** Si pollutio fuit voluntaria, absolute loquendo, per se non impedit (modo praecesserit, intellige, debita confessio), ut omnes concedunt; communiter tamen dd. docent teneri poenitentem sub veniali abstinere ea die a communicando, propter reverentiam Sacramento debitam; ita Lugo Salm. Conc. Viva etc. ex d. Thoma (1), qui tamen excipit: *Nisi magna necessitas urgeret*; quod intelligitur, ut recte aiunt Bonac. Led. Gran. Salm. Viva, et alii passim, nisi scandalum vel alia iusta causa Communionem exigat, *prout prudenti confessario videbitur*, uti loquitur Rubrica Missalis (*de Defect. n.* 9.). Si vero pollutio fuerit involuntaria, etiam communiter docent s. Bon. Gerson Nav. Laym. Soto Suar. Vasq. Salm. et alii plures cum Rubrica *loco cit.* nullam esse obligationem abstinendi a Communione; modo nulla fuerit relicta et adhuc perseveret perturbatio mentis orta ex delectatione ante habita, vel ex turpi imaginatione pollutionem concomitante; cum huiusmodi enim perturbatione accedere, communiter non excusatur a veniali, nisi adsit aliqua iusta causa necessitatis, aut devotionis, ut recte limitant Castrop. Sanch. Gers. Laym. Holzm. Salm. et alii cum d. Thoma *loco cit.* ubi ait: *Si necessitas immineat, vel devotio exposcat, talis non impeditur.* Vel nisi homo conetur, quantum potest, perturbationem illam repellere, et media adhibere, ut devote accedat, prout rationabiliter docent omnes aa. mox supra relati cum p. Suarez, qui pro hac re affert s. Iustinum dicentem: *Non est aequum propter hanc involuntariam passionem abstinere a Mysteriis* (2).

(1) in 4. d. 9. q. 1. a. 4. q. 2. ad 2.
(2) l. 6. n. 272. (3) 3. p. q. 80. a 7 ad 2
(4) in 4. dist. 32. q. 1. a. 1. ad 1.

57. **Quaeritur 2. an copula coniugalis a communione impediat?** Quidquid aliqui dicant, communiter dd. tradunt non excusari a veniali propter indecentiam, qui ad Eucharistiam accedit eadem die qua copulam habuit causa voluptatis; ita s. Thomas (3), ex d. Gregorio in *c. Vir.* 7. *caus.* 3. *q.* 4. qui ait: *Cum vero non amor ob procreandas soboles, sed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum.* Recte vero dicunt Sanch. Antoine Salmant. cum aliis, quod a praedicta culpa excusat quaevis causa honesta, puta solemnitas sive indulgentia eadem die occurrens, evitatio scandali aut notae, specialis devotio, etc. Si autem copula fuerit absque culpa, v. gr. ad prolem gignendam, tunc quamvis sit congruum ad aliam diem communionem differre, nulla tamen est obligatio ab illa abstinere; quia procreatio sobolis, cum sit actus omnino honestus, satis reparat indecentiam, ut communiter dicunt s. Thomas *loco cit.* Lugo Sanch. Conc. Petrocor. Salm., etc. ex d. Gregorio supra relato. Nec obstat textus in *c. Sciatis, caus.* 33. *q.* 4. ubi d. Hieronymus docet abstinendum; nam respondet Angelicus (4) ibi sermonem fieri tantum de altaris ministris coniugatis, quales sunt Graeci (5). Item communiter docetur de coniuge reddente debitum, nempe quod iste tantum causa consilii abstinere potest a Communione, sed non tenetur; ita s. Thom. s. Bon. s. Antonin. Albert. M. Dion. Carthus. Sotus Palud. Suar. etc. Et sic pariter docuit s. Franciscus Salesius (6) sic dicens: *Deo displicebat in veteri Lege, ut creditores quod sibi debebatur, diebus festivis exigerent, sed numquam prohibuit quominus debitores debitum suum redderent. Indecens est debiti matrimonialis solutionem die Communionis adurgere; sed inconveniens non est, imo meritorium est reddere. Hinc est quod*

(5) l. 6. n. 273.
(6) introduct. ad vitam devot p. 2 c. 20

ut reddat hoc debitum, non debet quis Communione privari, si eam exposcit. Certum est quod in primitiva Ecclesia fideles quolibet die communicabant, licet essent matrimonio ligati, et benedictione filiorum generationis donati essent. Idemque videtur clare docuisse adhuc d. Augustinus (super psalm. 149. *n.* 14. *in fine.*) dicendo: *Si non exigis, redde; pro satisfactione perfecta Deus tibi computabit, si reddis quod debetur uxori.* Et revera si redditio debiti coniugalis est actus virtutis, cur a Communione impediet (1)? Hinc si confessarius rogatur ab uxore, quid agere debeat, si in die Communionis vir debitum ab ipsa petat? Sapienter docent Suarez Laym. et Sanchez, respondendum quod si mulier frequenter Communionem suscipit, reddat et communicet; si autem raro, ipsa virum precetur ut pro illa die abstineat; at si rogatio non proficit, adhuc communicet, nisi ea redditione magnam patiatur perturbationem, et ipsa non conetur repellere (2). Debitum autem reddere in die Communionis post ipsius acceptionem excusatur ab omni culpa. Petere vero post Communionem, alii dicunt esse veniale, et quidem probabiliter, nisi iusta subsit causa, sed communius Sanch. Nav. Vict. et Tam. sentiunt id esse tantum consilii (3).

58. Ad corporis dispositionem etiam spectat ad Communionem non accedere cum aliqua externa immunditia notabili, et quae facile auferri potest, quia si est occulta, aut perpetua et involuntaria, ut esset lepra, aut scabies, haec non impedit, ut dicunt dd. communiter. Notandum tamen quod sacerdos lepra foedatus, aut alio morbo laborans qui horrorem affert, prohibitus est celebrare, ut dicitur in *c. Tua nos. de Cler. aegrot., pro scandalo, et abominatione populi* ut loquitur textus, quare hic secreto bene potest celebrare (4). An mulieres tempore menstrui valeant communicare? Ait Suar. has sub veniali teneri ad differendam Communionem si commode possunt; sed communiter, et probabilius hoc tantum esse consilii putant Palud. Alens. Castr. Salm. et Laym. ex s. Gregorio (apud Laym.), qui de huiusmodi muliere loquens sic dicit: *Si ex veneratione magna percipere non praesumit, laudanda est; sed si percipiat non iudicanda.* Mulieribus quae immodeste ad Communionem accedunt, v. g. denudato pectore, bene dicit p. Concina quod Communio deneganda est. Insuper convenit ut qui communicat, arma deponat (5). Item notandum quod sacerdos qui more laicorum communicat, aut ex infirmitate aut ex alia causa, debet habere ad collum stolam; et hoc praeceptum fuit a Concilio bracarensi sub poena excommunicationis, ut in *can. Ecclesiastica* 9. *dist.* 23; sed dicunt Azor. Turr. et Tamb. tale decretum abiisse in desuetudinem. Nihilominus communius, et rectius Suar. Gavant. Bonac. et Barb. non eum damnant de peccato mortali, sed de veniali; tanto magis quod talis ritus expresse praescribitur a Rubrica: *Sacerdotes vero cum stola communicent* (6).

(1) lib. 6. n. 274. (2) ib. v. quid autem. (3) n. 274. v. dic autem. (4) n. 275. (5) ib. v. an vero. (6) n. 276.

CAPUT IV. DE SACRIFICIO MISSAE.

Videnda quae dicentur in examine ordinandorum in appen. 3.

59. *Licitum est recipere stipendium etiam divitibus.*

60. *Qui pro una Missa recipit duplex stipendium.*

61. *Quodnam iudicatur iustum stipendium.*

62. *Potest exigi maius taxa, sed potest prohiberi minus; an qui accepit minus, possit diminuere Missas.*

63. *Qui omittit celebrare Missam, quam promisit pro parvo stipendio.*

64. *Qui paciscitur de stipendio.*

65. *Qui retinet sibi partem; aut celebrat per alium, collato ei minori stipendio; et cui restituenda est pars retenta.*

66. *Si eleemosyna pinguis data est intuitu personae.*

59. De Eucharistia ut Sacrificio fusius in *examine Ordinand. append.* 3. ex *n.* 95. *et seq.*; dumtaxat hic adnotabimus nonnulla magis peculiaria circa stipendium et circa Missae applicationem. Et primo circa stipendium dicimus quod recipere stipendium pro celebranda Missa sit licitum, nemo est qui dubitat, dum s. Thomas dicit (1): *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis, sed quasi stipendium suae sustentationis.* Et quia etiam divites mercede digni sunt, cum aliquod opus ponunt pretio dignum, ideoque etiam sacerdotes divites licite exigunt stipendium, ut communiter (contra Caiet. et Silv.) docent Sotus Gerson Suar. Tommassin. Lugo Tourn. Conc. et alii (2). Quod autem non sit simonia principaliter Missam celebrare ob stipendium, locuti fuimus *Tr.* 4. *n.* 45. et negavimus ratione ex s. Thoma superius allata, quia tale stipendium non recipitur ut merces rei spiritualis, sed ut sustentatio personae, quae operam suam corporalem in Missae celebratione impendit.

60. Adnotandae 1. duae propositiones ab Alexandro 7. proscriptae, prima n. 8. dicebat: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani* VIII. Et ratio est huius proscriptionis, quia applicatio fructus specialissimi est nimis incerta; nam licet multi dd. id admittant, multi tamen negant, ut Laym. Lugo Suar. Vasq. Tamb., etc. Secunda propositio quae est 10. dicebat: *Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Et ratio huius proscriptionis est, quia licet probabilis sit sententia Gonet Habert Petroc. Pignatel. Tourn. Cani Salm. etc. et pro ipsis est etiam s. Thomas (3), quod Missa sit valoris infiniti tam intensive quam extensive, quia Sacrificium altaris est idem ac illud Crucis, qui fuit valoris infiniti; et in tantum effectus est finitus, quia finita est hominis capacitas pro quo offertur, unde quisque pro sua capacitate percipit fructum; hoc non obstante, etiam probabilis est sententia opposita s. Bon. Scoti Palud. Ronc. Soti etc., qui dicunt Sacrificium esse valoris finiti tam intensive, quam extensive, ita ut cum applicatur pluribus, minus prodest unicuique, quam cum applicatur pro uno solo (4).

(1) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 2. (2) l. 6. n. 316. et 317. (3) 3. p. q. 79. a. 5.

(4) lib. 6. n. 312. v. hic autem.

61. Notandum 2. quod taxa iusti stipendii Missae non debet computari quantum est victus diei, ut dicunt Cai. et Sot., dum sacerdos in celebranda Missa non insumit nisi minimam diei partem; sed est illa quae determinatur aut a Synodo dioecesana, aut a consuetudine, aut ab Episcopo loci, ut dicunt communiter Suar. Busemb. Conc. Tamburin. etc., et sic declaravit sacra Congregatio (1). Et huic taxae tenentur stare etiam Regulares, ut etiam dicunt communiter Vasq. Molin. Conc. et Viva cum alia declaratione S. C. (2). Quapropter recte dicit Roncag. quod si testator reliquit Missas celebrandas non taxata eleemosyna, celebrandae sunt ad taxam communem, aut taxandae sunt iuxta loci consuetudinem, prout etiam declaravit S. C., habita ratione haereditatis pinguis aut tenuis (3).

62. Notandum 3. quod quamvis sacerdotes non possint exigere stipendium maius taxa, nihilominus non prohibet consuetudo, nec prohibere potest Episcopus quominus recipiatur maius solito, si spontanee eis offertur, ut recte dicunt Less. Lugo Suar. Bonac. cum Decreto S. C. (4). Contra bene potest Episcopus prohibere ne acceptetur stipendium minus iusto pretio, saltem infimo, quod nostris regionibus est valor Caroleni sive Iulii, ut declaravit S. C. Conc. et docent Suar. Bonac. Ronc. et Lambertini *Notif.* 56. *n.* 11., contra Sot. et Navar., qui pro se citant s. Thomam (5). Et in casu quo Episcopus prohibet, tenentur subditi obedire, esto Soti opinio esset probabilis; nam in dubio an Superior excedat nec ne suam potestatem, tenentur subditi obedire (6); vide dicta *Tract.* 13. *n.* 17. *ad* notand. 5. In casu tamen quo sacerdos acceptasset illud tenue stipendium inferius iusto (quicquid dicant nonnulli auctores), non potest ipse diminuere numerum Missarum, nec applicare unam Missam pro duobus, qui medietatem stipendii pro qualibet Missa obtulissent, ut decrevit Innoc. XII. in sua Bulla *Nuper* confirmante Decretum S. C. editum iussu Urbani VIII. (vide *n.* 88. *Decret.* 2. in calce huius Tractatus). Hoc tamen intelligitur, cum sacerdos acceptat celebrare certum numerum Missarum pro tali stipendio; secus autem cum non advertit eleemosynae tenuitatem, ut animadvertunt Laym. Barbosa Ronc. Tourn. etc. Sacerdos autem qui promittit haeredi statim se celebraturum Missam pro testatore, habita ei fide de stipendio, tenetur celebrare ante solutionem; Salm. Tap. Villalob. etc. (7).

63. Sed restat dubium an qui promittit unam Missam pro tenui stipendio, peccet graviter si eam omittat? Negant Castrop. Sporer Salm., etc., habita ratione stipendii quod non est materia gravis; sed probabilius affirmant Croix Holzm. Ronc. etc., quia in hoc non tantum attenditur stipendii valor, quantum damni gravitas quod proximo infertur, eum privando iniuste (propter pactum conventum) fructu Sacrificii. Secus autem dicunt alii aa. cum Suar. Sanch., etc., si Sacrum fuerit gratis promissum, ex sententia probabili, ut diximus *Tr.* 10. *num.* 127. quod simplices promissiones non inducunt gravem obligationem (8).

64. Notandum 4. bene licere sacerdoti pacisci de stipendio Missae, cum illud est iuxta taxam, aut consuetudinem; ita communiter Less. Laym. Castrop. Sot. Ronc. Salm. contra p. Concinam; quia licet stipendium non debeatur ex iustitia, ut pretium Sacrificii, debetur tamen ex iustitia ut sacerdotis sustentatio, ideoque bene potest deduci in pactum. Nec obstat *c. fin. de pactis*, ubi videntur prohiberi omnes pactiones circa spiritualia, quia hoc intelligitur

(1) lib. 6. n. 319. (2) n. 320. (3) ib. dubit. 5. (4) ib. dubit. 2. (5) 2. 2. q. 100. a. 3. (6) l. 6. n. 320. dubit. 3.

(7) n. 320. v. casu autem.
(8) n. 317. quaer. 3. et 4.

(ut bene respondet Ronc.) de solis pactis illicitis, cum dicatur ibi: *Nam pactum turpe, vel rei turpis nullam obligationem inducit.* Et revera haec pacta reprobantur a Tridentino (*Sess. 22. Decr. de observ. in celebr. Miss.*) circa eleemosynas Missarum, dum ibi praecipitur Episcopis ut prohibeant *importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones*: dicitur *illiberales*, nempe illae quae sponte non sunt oblatae, sed importune extortae (1).

65. Notandum 5. quod si quis recipit eleemosynam pro Missa, non potest eam dare aliis celebrandam, retenta sibi stipendii parte. Hoc posito cum Decreto S. C. Concilii approbato ab Urbano VIII. et confirmato ab Innoc. XII. (vide *num.* 88. *Decr.* 3.); deinde damnata fuit ab Alexand. VII. haec prop. 9. quae dicebat: *Post Decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Et hoc dicebant hi auctores falso supponentes Decretum Urbani non fuisse acceptatum. Novissime autem Benedictus XIV. 30. Iunii 1741. in sua Bulla *Quanta cura*, imposuit suspensionem ipso facto reservatam Pontifici in clericos, et excommunicationem papalem in laicos qui hoc agerent. Dicebant autem nonnulli dd. quod sacerdos qui hoc facit, licet peccet, non tenetur ad restitutionem partis retentae; ita Suarez Navarr. Vasq. Bonac. etc.; et Viva dicit eam opinionem non carere probabilitate, dum qui recipit stipendium, iam acquisivit dominium, et contra iam satisfecit celebrationi per alium; sed haec opinio post praefatam propositionem damnatam, videtur non posse sustineri, ideoque post praefatam damnationem communiter dicunt Vidal Coreglia Croix Sporer Holzm. Concin. Tourn. et Mazzotta quod sacerdos tenetur ad restitutionem; quia licet acquirat eleemosynae dominium, attamen illud acquirit iuxta voluntatem eorum, qui dant eleemosynam; et qui eleemosynam praebet non solum petit Missam, sed etiam vult ut illa tali eleemosyna celebretur, nam maius stipendium facit ut ipse uberiorem fructum ex Sacrificio percipiat; itaque haec intentio intrat in contractus substantiam, ideo si sacerdos partem stipendii retinet, iniuste contra dantis voluntatem retinet (2). Praeterea advertendum quod dicunt Croix Pasqual. Conc. et Viva, quodsi quis dat eleemosynam pinguem sacerdoti, quia eum singulari pietate virum habet, sacerdos non potest alii Missam celebrandam dare, qui simili pietate non habetur, licet integrum stipendium ei praebeat. Dicunt tamen Croix et Concina quod hoc non est damnandum sub gravi, nisi cum iudicaretur hoc graviter latum iri ab offerente (3). Cuinam autem facienda sit restitutio partis stipendii retentae; Croix Pasqual. putant posse fieri tam ipsi offerenti, quam celebranti. Sed probabilius dicunt Sporer Holzm. et Tourn. quod fieri debet ipsi celebranti, quia cum transfertur ad ipsum onus celebrandi, transfertur etiam ius ad integrum stipendium iuxta voluntatem offerentis (4).

66. Igitur cum recipitur eleemosyna pro Missa, debet illa integre exhiberi celebranti; sed excipitur primo si illud stipendium maius daretur alicui, non solum ratione Sacrificii, sed etiam intuitu personae, coniunctionis, gratitudinis, aut paupertatis, et huiusmodi. Et non est necesse ut offerens eleemosynam hoc exprimat, sed sufficit ut ex circumstantiis hoc moraliter constet, ut communiter dicunt Passer. Mendo Ronc. Dicast. Viva et alii (5).

67. Excipiuntur 2. capellani beneficiati, qui possunt aliis celebrationem Missarum beneficii committere, tradito eis consueto stipendio;

(1) l. 6. n. 320 dubit. 4. (2) n. 322. (3) n. 321. v. hic autem. (4) n. 322. v. cui autem. (5) n. 321. v. ab hac.

ita communiter dd., et patet ex approbatione eiusdem Innoc. XII. in cit. Bull. *Nuper ibid. v. Excipitur* 3. Et hoc idem licet capellano amovibili; ut dicunt Lugo Ronc. Holzman etc.; et ita declaravit S. C. Conc. (vide *n.* 88. *Decret.* 4.). Idem dicunt Viva Croix Gob., etc. de sacerdote cui commissa est celebratio Missae perpetuae. Idem quoque dicunt Ronc. Passer. Tamb. Ric. et alii de sacerdote qui celebrare debet pro aliquo pingui legato, quod ei relictum est cum onere celebrandi Missas pro tota vita eius. Ratio est quia omnia Decreta huic adversantia loquuntur tantum de Missis manualibus (1).

68. Advertendum tamen quod praefata exceptio valet pro capellanis, non autem pro administratoribus ecclesiarum, nam isti nihil sibi possunt retinere ex stipendio Missarum, et nec pro expensis in Missarum celebratione faciendis, nisi alios ecclesiae non haberent reditus (2). Vide Decretum S. C. confirmatum ab Innoc. XII. *n.* 88. *Decret.* 5. Et hic obiter advertendum quod idem Innoc. XII. in praefata Bulla *Nuper*, ann. 1697. praecepit omnibus ecclesiarum administratoribus, ut expositam haberent tabellam Missarum tam perpetuarum, quam ad tempus (3).

69. Nonnulli dd. excipiunt etiam casum, in quo sacerdos, cui committitur celebratio, sponte omnino remitteret stipendii partem; ita Tourn. Ronc. Viva etc. Sed haec opinio non est amplius sustinenda post praefatam Bullam Benedicti XIV. ubi §. 3. idem declaravit: *Non posse* (sunt verba Pontificis) *alteri sacerdoti Missam huiusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti Missam celebranti, et consentienti se maioris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset* (4). Et ita nec est probabilis opinio Tamb., qui dicit quod executor testamenti, si Missas relictas a testatore celebrandas curaret alibi, ubi taxa est minor, posset sibi retinere superfluum, quia tunc excessus ille est fructus suae industriae. Sed hoc communiter reprobatur a Viva Diana Ren. Ronc. Conc., quia executor nullum habet titulum quo superfluum sibi possit retinere, dum ille nunquam acquisivit dominium stipendii (5).

70. Quaeritur 1. an sacerdos colligens eleemosynas pro Missis, possit aliquid retinere ob laborem suum? Negat p. Concina, ex eo quia Benedictus damnavit eum *qui eleemosynas, seu stipendia maioris pretii . . . colligens, Missas, retenta sibi parte . . . celebrari fecerit.* Nihilominus non improbabiliter affirmat p. Viva, semper ac merces illa correspondeat labori, et Missae non sint traditae ut celebrentur ab ipsomet, dum haec merces est iusta, et iuxta offerentium voluntatem. Nec obstat id quod dicitur in eadem Bulla, quia hoc intelligitur prohibitum, cum quis consulto ad eleemosynas colligendas circumferretur, ut sic turpem faceret quaestum ex Missarum maioris pretii collectione, ut celebrari faceret minori pretio; secus vero cum designatus ad id fuisset ratione officii (6).

71. Quaeritur 2. an sacerdos qui hodie accipit pinguem eleemosynam ut celebret, possit efficere ut alius celebret pro seipso, promittens die crastino se celebraturum pro illo, qui die crastino celebraturus esset pro eleemosyna ordinaria; at die crastino ille pro Missa quam istius nomine celebrare deberet, offerret stipendium ordinarium ipsi ut celebret ipsemet? Affirmant Croix, et Mazzotta, quia hic, ut dicunt, non retinet partem pretii, sed permutat Missas, et dies. Sed ego in hoc adhaereo p. Concinae qui id non admittit, dum videtur talis permutatio involvere turpem quaestum; nihilominus recte non adhaeret, prout nec ego adhaereo ei, qui hoc de gravi damnaret, praesertim si paupertas excusat (7).

(1) l. 6. n. 321. v. idem. (2) n. 322. dubit. 5. (3) vid. instr. conf. nov. part. 2. n. 406. (4) l. 6. n. 321. v. excipiunt 2.

(5) n. 322 dubit. 2. (6) ib. dubit. 3. (7) ib. dubit. 4.

72. Notandum 6. loquendo de beneficiatis, pro quo teneantur applicare Missas. Circa parochos olim diversae circumferebantur sententiae; sed hodie per Bullam Benedicti XIV. *Cum semper*, 19. augusti 1744. statutum est parochum teneri applicare Missam pro populo in omnibus dominicis, et festis diebus (comprehenduntur etiam dies festi, in quibus Papa dispensavit opera servilia), et licet congruam non haberent sustentationem. Declaravit contra quod si parochia reditus uberes haberet, non tenetur, (ut alii volebant) applicare saepius Missam (1); vide dicta *tr.* 7. *n.* 29.

73. Loquendo de aliis beneficiatis non curatis, isti, quoties in beneficii fundatione non exprimitur, quod ipsi teneantur applicare pro fundatore, tenentur pro eo celebrare, ut declaravit S. C. Conc. (2). Et idem dicitur de capellanis confraternitatum, et Monialium qui celebrant ad hoc ut confratres, aut Moniales Sacro intersint: isti etiam pro illis tenentur celebrare; vide *n.* 88. *Decret.* 7. Nihilominus Lezana, Homob. Filib. Diana, Stephan. Salm. et alii communissime concedunt capellano posse quater, aut septies in anno celebrare pro anima sua, aut alicuius sibi stricte coniuncti, aut amici carissimi, aut benefactoris; quia in hoc praesumitur consensus fundatoris; modo nullum accipiat stipendium, ut bene advertunt Bonac. Gobat. Holzm. Pasqual. Elbel, Diana, Salmantic. et alii communiter; quia hoc esset contra mentem fundatoris. Praeterea dicunt Suar. Azor. Bonac. Silvest. Salm. Busemb., etc. posse capellanum reverentiae causa abstinere a celebrando semel in hebdomada, ut deducitur ex *cap. Significatum, de praebendis*, ubi dicitur quod capellani tenentur quotidie celebrare, *salva honestate, et debita devotione*. Hoc tamen dicunt Lugo, et Salm. cum aliis communiter, non intelligi, cum obligatio dirigitur ad celebrationem in aliqua ecclesia, v. g. si fundator dicat: *Volo ut in tali ecclesia quotidie celebretur Missa*; sed intelligi tantum cum obligatio dirigitur ad ipsum sacerdotem; et intelligi etiam, ut dicunt Gobat. Tambur. et Ronc. cum non constat de contraria fundatoris mente; quia si in fundatione exprimeretur ut quotidie celebretur Missa a capellano, aut ab aliis, tunc recte dicit Ronc. quod nullo die potest omitti Missa, et affert declarationem sac. Congregat. (3). Si vero capellanus infirmaretur, cum infirmitas est brevis, communiter dicunt Lug. Lezan. Riccius, Diana, Busemb. et Salm. quod non tenetur celebrare per alium, modo fundator non expresserit, ut nunquam alicubi Missa deesset, ut supra dictum est. Quaenam autem infirmitas dicatur brevis; alii nimis rigorose dixerunt esse illam quae per decem dies non durat. Alii communius extendunt ad 15. ut Bonac. Anacl. Diana, et Elbel; pro hoc etiam adest Declar. S. C. Conc. apud Pitton. Alii extendunt ad mensem, ut Laym. Hurtado, et Salm.; et in hoc etiam convenit Concil. 7. Mediolanense (*Tit. de Miss.*), ubi dictum fuit: *Si capellanus saltem per annum celebravit in aliquo loco, si etiam per mensem aegrotet, adhuc integram eleemosynam iudicio Episcopi accipere potest.* Et denique Lugo, Nav. Filliuc. Dicast. Nald. Leand. extendunt usque ad duos menses, et adhaeret p. Concina, et probabilem vocant Castrop. Dicast. et Busemb. (4). Notandum hic obiter Missam conventualem, quae quotidie celebratur a clero, debere applicari pro benefactoribus in genere uniuscuiusque ecclesiae, ut praecepit Benedictus XIV. (5).

74. Dicunt autem Laym. Navar. Tambur. Pasqual. et Gobat. qui affert Decisionem Rotae rom., posse praescribi tam circa numerum Mis-

(1) l. 6. n. 324. v. quaer. 2. et 325.
(2) n. 324. v. quaer. 1. (3) n. 332.
(4) n. 333. (5) n. 326.

sarum quam circa circumstantias appositas in fundatione, et dicunt sufficere spatium 20. aut 30. aut ad summum 40. annorum. Sed iuxta veriorem sententiam talis praescriptio non admittitur, dum in Tridentino *sess.* 25. *c.* 5. *de Reform.* interdicitur posse derogari omnibus oneribus iniunctis, tam in fundatione, quam in quacumque alia pia dispositione, sive collatione beneficiorum; et Pius IV. in Bulla qua confirmavit Concilium, declaravit irritum quicquid inposterum contra illud factum fuerit, et ut dicit Croix cum aliis communissime, clausulam Decreti irritantem ligare etiam ignorantes, et in causis beneficialibus inficere titulum, et possessionem. Saltem dicimus in praxi primam sententiam cum difficultate posse esse probabilem, dum difficulter in beneficiatis potest praesumi bona fides, cum praesumatur potius quod ipsi sciant leges beneficii (1).

75. Peccat igitur capellanus, qui non celebrat omnes Missas praescriptas a fundatore, aut si non celebrat in ecclesia, aut altari, aut hora destinata, ut communiter Lugo, Azor. Navarr. Tourn. Salmant., etc.; et peccat lethaliter (ut dicunt) si in hoc saepe, et sine causa, aut sine dispensatione, delinquit. Dictum est primo *saepe*, quia non peccabit graviter, si hoc raro fiet, v. g. semel, aut bis in mense, et tanto minus si permutabit tantum altare. Dictum est 2. *sine causa*, quia potest adesse causa quae omnino excuset, ut si ecclesia restauretur, aut si altare sit execratum. Dictum est 3. *sine dispensatione*, quia Episcopus bene potest dispensare, ut alibi celebretur causa studii, infirmitatis, negotii, aut magnae molestiae ipsam ecclesiam adeundi, aut causa utilitatis ipsius ecclesiae, aut simili rationabili causa, ut dicunt communiter Castrop. Conc. Barbos. Ronc. Passer. Henriq. Busemb. Croix, Salm. Tamb. Mazzotta, etc. Ratio est quia tali dispensatione omittitur fundatoris voluntas tantum in accidentalibus, et compensatur cum maiori bono, cuius causa dispensatio intercedit; tanto magis quod Tridentinum *sess.* 25. *c.* 4. concedit Episcopis in certis casibus particularibus ultimas voluntates commutare posse: vide *infra tract.* 20. *n.* 60. Nihilominus recte advertunt Croix et Pasqual. non posse Episcopum dispensare, si testator in designanda ecclesia, et hora, rationem specialem habuisset ad populi commoditatem (2). Caeterum animadvertendum plura adesse Decreta S. C. Conc. apud Ferrar. (3), ubi dicitur semper pro huiusmodi dispensatione recurrendum Sedi apostolicae. Si autem sacerdos celebraturus esset in altari privilegiato, et alibi celebraret, dicit Roncagl. teneri ad restitutionem, si eleemosyna esset pinguis, non autem si esset ordinaria; et nec si alibi lucraretur indulgentiam plenariam applicabilem pro defunctis, ut dicunt ipse Roncaglia, Anacl. Sporer, Elbel, etc. Advertunt hic tamen Azor Bonac. Navar. Diana, Salmant., etc. quod non satisfacit qui in alio altari non privilegiato celebrat, applicando indulgentias calculorum, aut imaginum benedictarum, quia hae indulgentiae non sunt tam certae, quam sunt illae altarium (4). Peccat etiam capellanus, si per seipsum non celebrat, cum ita in fundatione est expressum: alias semper potest per alium celebrare, ut recte dicunt Salm. Dicast. Diana cum Campanile, et de hoc adest decisio Rotae, et declarationes S. C. (5).

76. Notandum 7. quod reductio sive moderatio, aut commutatio onerum Missarum in fundatione impositarum, hodie est interdicta Episcopis, ex decreto S. C. Concil. iussu Urbani VIII. edito, et confirmato ab Innoc. XII. vide *n.* 88. *Decr.* 8. Et facultas data a Tridentino *sess.* 25. *c.* 4. *de re-*

(1) lib. 6. n. 329. (2) ibid.
(3) Ferr. bibl. t. 2. v. Capellania, n 14
(4) lib. 6. n. 329. v. notand. 2.
(5) num. 330.

form. ut explicatur in praefato Decreto (quicquid dicant Salmanticens.) fuit tantum concessa ad moderandas Missas in fundatione impositas ante Concilium; itaque hodie reductio reservata est uni Sedi apostolicae, quae eam admittere solet ex iustis causis, v. g. ob sacerdotum penuriam, ob stipendii tenuitatem, ob redituum diminutionem, ob Ecclesiae, aut Monasterii fabricam, aut ob alias necessitates (1).

77. Sed hic quaeritur 1. an possit Episcopus diminuere numerum Missarum, cum ob redituum tenuitatem non reperitur qui eas celebrandas assumat. Affirmant Pasqual. Tambur. La-Croix: sed negat p. Concina ex pluribus Decretis S. C. quibus vetatur Episcopis tam reducere, quam moderare onera Missarum. Hoc non obstante dicit Fagn. cum Felin. hoc debere intelligi cum in fundationis limine iam poterat praefatis oneribus satisfieri ex reditibus tunc constitutis; sed in casu quo in principio sufficiebant, sed deinceps reditus sunt ita diminuti ut omnino non sufficiant, tunc dicit videri non esse Episcopis ablatam talem potestatem moderandi, aut permutandi numerum Missarum, concessam ipsis de iure communi in *c. Nos quidem, de Testam.* (2), et idem dicit Pasqual. de oneribus officiorum, precum, aut eleemosynarum anniversariis annexarum, dicens quod prohibitio loquitur de reductione tantum Missarum (3).

78. Quaeritur 2. an deficientibus reditibus, possit ex se ipso capellanus diminuere numerum Missarum, cum reditus in totum et sine sua culpa deficiunt? Certum est quod capellanus non tenetur celebrare, iuxta sententiam communem, et plura decreta S. C. (4). Si autem reditus deficiunt in parte, Escobar etiam pro certo habet posse capellanum diminuere numerum Missarum, cum testator determinavit eleemosynam, v. g. binos iulios in Missam, quia tunc sicut augeri deberet numerus missarum, augescentibus reditibus, ita debet diminui, iis deficientibus. Maius dubium est an capellanus posset diminuere numerum, cum testator Missarum designavit numerum, et postea reditus diminuti sunt usque ad deficientiam etiam stipendii ordinarii? Negant Tamb. Diana, Castrop. Mazzot. etc., tam ex Decreto Urbani superius relato, quam ex alio Decreto apud Croix, ubi dicitur quod etiam in tali casu recurrendum est ad Sedem apostolicam, licet *legatum sit ita tenue* (sunt verba Decreti) *ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire.* Sed hoc non obstante, dicunt Busemb. Franc. de Lugo, Escob. Bordon. Pasqual. et alii apud Ronc. qui id probabile putat, hoc esse iuxta testatoris mentem, qui non praesumitur voluisse obligare capellanum ad celebrandum pro stipendio minori iusto. Sed ad vitandum omne allucinationis periculum, advertit Roncagl. generaliter loquendo, ut recurratur ad Episcopi iudicium (quod necessario requirunt in hoc casu Croix et Tournel.), aut saltem ad alium virum sapientem. Respondent autem Ronc. et Pasqual. ad Decreta opposita, quod haec non esset reductio, et moderatio stabilis reservata Sedi apostolicae, sed tantum cessatio obligationis iuxta redituum deficientiam; nam Decreta loquuntur iuxta mentem Tridentini *sess.* 25. *c.* 4. *de reform.* ubi non loquitur de reditibus diminutis, sed de solis eleemosynis in principio pro Missis celebrandis designatis, quas pro stipendii tenuitate non reperiuntur facile qui celebrent. Quicquid sit de hac opinione, recte advertit Tamb. quod si capellanus de praeterito accepisset stipendium ordinario maius, tenetur in futurum compensare, eumdem numerum Missarum celebrando; qui enim antea stetit commodo, deinde stare debet incommodo. Advertatur hic de-

(1) l. 6. n. 331. (2) ib. dubit. 1.
(3) n. 331. dubit. 3.

(4) n. 324. v. hic autem.

nique prohibitas esse Missas 3o. Gregorianas a S. C. multis inconvenientibus refertas, utpote quia celebrandae erant de defunctis successive etiam in festis duplicibus; prohibitae vero non sunt, si illae 3o. Missae celebrentur ut fert ritus dierum (1).

79. Loquamur secundo loco de Missae applicatione. Applicare Sacrificii fructum solius est sacerdotis; unde si Religiosus applicat Missam contra Superioris voluntatem, illicite quidem, sed valide applicat, ut recte docent Suar. Vasq. Laym. Lugo (qui asserit oppositum esse communiter reprobatum), Tournel. Anacl. Salm., etc. adversus Scotum et Gavantum; quia subditus quoad Ordinis potestatem, qua tunc utitur, non subiacet Praelato (2).

80. Applicatio autem facienda est ante celebrationem, aut saltem ante consecrationem. Sed quaeritur 1. an sufficiat applicatio habitualis, nempe aliquando facta, et non amplius retractata? Negant Vasq. Abelly, et Isamb. qui dicunt quod sicut requiritur intentio actualis aut saltem virtualis pro Sacramenti confectione, ita requiritur pro Sacrificii fructus applicatione. Sed communis et vera sententia cum Suar. Bonac. Lugo, Tournely, Mazzot. Sporer, Busemb., etc. (et idem dicit p. Concina in substantia) docet sufficere applicationem habitualem, cum Sacrificii applicatio aliam non induat rationem quam verbalis donationis, quae semel facta prosequitur esse valida, usquedum non revocatur. Respondetur autem ad rationem oppositam quod in tantum ad Sacramentorum confectionem requiritur actualis aut virtualis intentio, in quantum ministri intentio ponit Sacramentum, sed in applicatione Sacrificii non est quod intentio celebrantis constituat fructum, dum sine illius intentione Sacrificium de se fructum producit: ideoque sufficit applicatio aliquando facta, qua alicui fructus donatus sit (3).

81. Quaeritur 2. an cum sacerdos a decem recipit stipendium pro decem Missis, satisfaciat applicando in confuso pro iis primas decem Missas quas celebravit? Absolute affirmant Silvest. et Conc.; sed melius distinguunt Bonac. Ronc. Aversa, Tambur. Henno et alii, et dicunt ita: Si singulae Missae indeterminate applicantur pro singulis personis, non videtur satisfieri; quia ad satisfaciendum requiritur intentio applicandi fructum personae determinatae, ut prosit illi fructus. Secus autem, si sacerdos applicat quamlibet Missam pro omnibus illis 10., applicando singulis eorum decimam cuiuslibet Sacrificii partem, cum certum sit Sacrificii fructum esse divisibilem; unde tali applicatione iam redditur cuilibet id quod debetur; dum quisque percipiendo in qualibet Missa decimam partem, iam in 10. Missis percipit totum fructum, qui ei debetur (4).

82. Quaeritur 3. an valeat applicatio conditionata? Respondetur: Si conditio est de praeterito, est valida; secus si de futuro, quod non est notum nisi Deo. Dicunt tamen Castrop. et Lugo, quod si quis applicaret pro eo qui prius dabit eleemosynam, talis applicatio esset certe illicita ex prohibitione Clementis VIII. promulgata a Paulo V., sed esset tamen valida. Nihilominus probabilius tenet Croix quod esset etiam invalida, saltem quia saepe accidere posset quod Missa celebraretur pro causa non adhuc existente, v. g. si ille vellet ut Missa celebraretur ad hoc ut ab infirmitate aut calumnia liberaretur, tunc si Missa antecedenter celebraretur, devotus non reciperet fructum optatum, dum causa non adhuc existeret, et contra Missae fructus suspensus relinqui non posset. Si tamen sacerdos praevideret quod deinceps requirendae essent Missae pro defuncto, bene potest anticipare celebrationem, ut recte di-

(1) Benedict. XIV. de Sacr. Miss. l. 3. c. 23. n. 2. (2) l. 6. n. 334.

(3) n. 335. quaer. 1.
(4) n. 335 quaer. 2.

sunt Vasq. Tourn. Avers., etc. (1).

83. Iuvat hic advertere nonnulla alia circa applicationem Missae. Notandum 1. quod in die defunctorum non adest obligatio applicandi Sacrificium pro defunctis in genere, ut declaravit S. C. Vide *num.* 88. *Decr.* 9. Et supposito quod sacerdos pro libitu potest applicare Missam, rationabiliter ait Tournely quod potest iuste eleemosynam accipere (2). Notandum 2. quod in altari privilegiato indulgentias non lucratur, qui non celebrat *de requiem* cum ritus permittit, licet in ecclesia aliqua solemnitas celebraretur. In diebus vero quibus vetitae sunt Missae *de requiem*, lucratur indulgentias dicendo Missam currentem, ut declaratum est pluribus Decretis S. C. (3). Notandum 3. quod tempus privilegii, cum est ad tempus, incipit currere non a die publicationis, sed a die concessionis (4). Notandum 4. quod cum in privilegio adest clausula solita apponi: *Modo in ecclesia celebrentur* 5. *aut* 7. *Missae;* si omittantur Missae illae, privilegium non suffragatur pro illis diebus, ut declaravit S. C. Conc. Decreto approbato ab Innoc. XI. Declaravit contra eadem S. C. quod tempore illo quo sacerdotes non celebrant praefinitas Missas, indulgentiae suspenduntur; si vero desunt ob infirmitatem, vel si Religiosi alibi debeant celebrare iussu Praelati, si raro id fiat, indulgentiae lucrantur per illas Missas quae celebrantur.(5).

84. Circa tempus, locum et altare, vasa, vestes et alia requisita ad Missam, vide dicenda *de Examin. Ordinand. app.* 3. *ex n.* 113. *ad* 125. Dumtaxat hic iuvat examinare paulo fusius punctum quod ibi vix innuitur, an peccet graviter sacerdos qui infra horae quadrantem Missam persolvit. Me non latet, super hac re sacerdotem d. Iosephum Iorio editurum iamiam fore opusculum utilissimum, cui titulus: *La Messa Strapazzata*; dico utilissimum, dum revera horrendum visu et lacrymis quoque dignum est videre caeremoniarum conculcationem, qua multi sacerdotes (utinam, et saltem non esset maior eorum pars) Iesu Christi in altari sanctissimum Sacrificium iniuriosius tractant. In hoc opusculo forsan (ut audivi) affirmabitur grave peccatum esse Missam persolvere quadrantis spatio; et hanc opinionem reprobandam non esse puto, si sermo est de Missis communibus quae habent *Gloria* et *Credo*, aut alias extraordinarias preces. Sed ut me in certo ponam puncto, dico sacerdotem minori spatio quadrantis Missam quamcumque, etiam defunctorum, aut bb. Virginis in sabbato, absolventem, difficulter, ne dicam impossibiliter, posse excusari a peccato gravi. Et sic probo: Rubricae quae respiciunt caeremonias servandas intra Missam, sunt omnes praeceptivae, ut probavimus in opere (6). Et hoc nescio quomodo negari potest, dum in Bulla s. Pii V. praecipitur celebranda Missa *iuxta ritum, modum et normam in Missali praescriptam*; et hoc iniungitur *districte et in virtute sanctae obedientiae:* quae verba proculdubio grave praeceptum important, quod peccatum mortale inducit, cum in materia gravi delinquitur, iuxta illud quod dictum est *tract.* 2. *n.* 15. Hoc posito, dicimus impossibile esse Missam terminare intra spatium quadrante minus, quin graves irreverentiae committantur, et quin populo grave afferatur scandalum. Duobus igitur capitibus peccat sacerdos, qui ita festinanter celebrat, primo ob irreverentiam erga tantum Sacrificium, secundo ob scandalum quod affert populo.

85. Et loquendo prius de irreve

(1) l. 6. n. 337. v. dicunt. (2) n. 338. (3) n. 339. quaeres 1. (4) ib. in fine.

(5) ibid. quaeres 2. (6) n. 400. v. hinc dicimus.

rentia, declarat Tridentinum *sess.* 22. *Decr. de observ. in celebr. Miss.* ubi inter alia haec habet: *Satis apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest... exteriori devotionis specie* (Missae Sacrificium) *peragatur.* Ex quibus verbis satis liquet praeceptum naturale divinum esse, ut Missa celebretur omni diligentia in observandis exterioribus caeremoniis quae devotionem et pietatem indicant. Item declarat maledictionem a Ieremia cap. 48. indictam in eos qui opus Dei, nempe functiones ad Dei cultum ordinatas, negligenter faciunt, praecipue intelligi prolatam esse in eos sacerdotes qui sine debita reverentia et gravitate celebrant; addendo etiam talem negligentiam tantam importare irreverentiam, ut evadat quaedam impietas, *quae* (irreverentia) *ab impietate vix seiuncta esse potest.* Si igitur caeremoniae Missae ad hoc praescribuntur (ut certum est) ut celebretur tantum Sacrificium cum debita reverentia, quomodo excusari potest a culpa gravi qui celebrando intra spatium tam breve, non potest non delinquere notabiliter in hac reverentia, verba mutilando, benedictiones, genuflexiones perturbando, se movendo et vertendo indecenter, et verba cum caeremoniis complicando, aut anticipando, aut postponendo contra Rubricae praescriptum. Dixi *sine debita reverentia et gravitate*: sic dixi quamvis reperiretur aliquis ita lingua et motu expeditus ut posset tempore tam brevi Missam persolvere, quin delinquat in verbis et actionibus; saltem non est possibile ut in tanta brevitate possit celebrare quin delinquat in gravitatem convenientem, quae etiam intrinsece pertinet ad reverentiam debitam tam sacrosanctis mysteriis.

86. Loquendo autem de scandalo quod populo affertur, dicit idem Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 5. *de Sacrif. Missae*, quod ad id institutae sunt caeremoniae, ut his signis fideles Sacrificii maiestatem apprehendant, et mysteriorum sublimitatem quae in ipso continentur: *Ecclesia caeremonias adhibuit* (dicit Concilium), *ut maiestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Sed si hae caeremoniae nimis festinanter peraguntur, uti necesse est eas ita fieri tempore tam brevi, tunc non tantum devotionem illae non ingerunt erga Missam, sed imo sunt causa ut populus sine veneratione assistat; itaque etiam hoc capite peccat graviter Sacerdos qui tanta festinatione celebrat, ratione scandali, quod non est leve, dum pro inducendo populum ad magnam erga Sacrificium venerationem habendam, potius eum movet ut illud despectui habeat, cum ostendit tanta irreverentia se illud tractare. Propterea Concilium Turonense 1583. praecepit, ut Sacerdotes bene calleant caeremoniis Missae, *ne populum* (verba Conc.) *sibi commissum a devotione potius revocent, quam ad sacrorum Mysteriorum venerationem invitent* (1).

87. Quaeritur hic denique an resolutiones S. C. rituum inducant obligationem? Respondet p. Merati (2) et distinguit: Cum praefatae resolutiones sunt vere Decreta rigorose sumpta, ut cum in ipsis exprimitur, *ab omnibus servetur, servari ab omnibus mandavit*, etc., tunc obligant et debent servari tanquam regulae proximae; dum Sixtus V. in Constitut. 74. dedit huic S. C. facultatem declarandi omnia dubia, quae insurgunt circa ritus. Cum autem sunt simplicia responsa ad particulares, tunc dicit ex opinione aliquorum iudicari declarationes tantum directivas,

(1) lib. 6. n. 400. v. hoc quoad.

(2) Ad Gav. par. 3. tit. 11. n. 1. ad 3.

non praeceptivas; et idem dicit Escobar apud La-Croix.

Catalogus aliquorum notabilium Decretorum circa celebrationem.

88. 1. *Eleemosynas manuales, et quotidianas ita demum sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant.* Decr. S. C. Conc. 21. Iun. 1625. ex auctoritate Urbani VIII. Deinde declaravit eadem S. C. quod praefatum Decretum non erat intelligendum absolute, sed quod sacerdotes *possunt nova onera suscipere, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.* Et postea explicando illud *modicum tempus*, die 17. declaravit: *Modicum tempus non reputandum spatium duorum vel trium mensium, sed intelligi infra mensem* (1). Vide circa temporis parvitatem quod dicunt dd. in *Append.* 3. *n.* 107. 2. *Pro pluribus Missis celebrandis stipendia quantumcumque exigua, sive ab uno, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum sacerdotibus et clericis, S. C. sub obtestatione divini iudicii mandat, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint* Decr. S. C. Conc. editum iussu Urbani VIII. et confirmatum ab Innoc. XII. in Bulla *Nuper* (2). 3. *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.* Decr. S. C. Concilii ab Urbano VIII. IV. In Decreto S. C. approbato ab Innoc. XII. in Bulla *Nuper*, pro beneficiatis dictum fuit: *Non habere locum* (Decretum Urbani), *sed satis esse ut rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis, vel provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit* (3). Cum autem requisitum fuerit a S. C. Conc. an esset licitum capellano amovibili dare Missas celebrandas pro ordinario stipendio, reliquo sibi retento, responsum fuit: *Id licere, modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti et perpetuo capellano assignati*; *secus vero, si huiusmodi capellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna.* Ita decisum fuit 15. Martii 1745. et decretum fuit a meipso observatum. 5. *Permittendum non esse ut loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam minimam portionem retineant ratione expensarum in Missarum celebratione, nisi alios non habeant reditus; et tunc nullatenus debere excedere valorem expensarum quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae.* Decr. S. C. Conc. Confirmatum ab Innoc. XII. (4). 6. *Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia iis qui celebrant in sua ecclesia ex obligatione beneficii sive capellaniae. Quoad Missas vero adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua ecclesia celebrari, nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes.* Decr. S. C. Conc. die 6. Iulii 1726. (5) 7. *Quando in fundatione beneficii, seu capellae expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii: eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, et unica Missa satisfacere obligationi beneficii seu capellae, et item danti novum stipendium.* Decr. S. C. Conc. sub die 13. Iul. 1630. (6). Cum autem a S. C. expostula-

(1) Lambert notif. 56. (2) vide apud Croix l. 6. p. 2. n. 64. (3) ib. n. 63.

(4) ib. n. 95. (5) Lambert. Not. 56. n. 13. (6) ib. n. 8.

tum fuisset 18. Martii 1668. an deberent applicari pro testatore Missae cum in testamento nihil de applicatione declaratum fuerit, respondit S. C. applicandas esse pro testatore (1). Et idem declaratum fuit 6. Februarii 1627. de capellanis, qui celebrant ut confratres aut Moniales intersint Sacro; cum dicatur non posse stipendium recipere. 8. *Districte prohibet ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant ulla onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad apostolicam Sedem recurratur, etc. Alioquin reductiones, moderationes, et commutationes huiusmodi, si quas contra huius formam fieri contigerit, omnino nullas et inanes decernit.* 9. *In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Sacrificia possunt a sacerdotibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum* Decr. S. C. sub die 4. August. 1663. (2). 10. *In Missis defunctorum, quae in paramentis nigris celebrantur, non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem e custodia; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est quando fidelibus praebetur Communio cum particulis intra eamdem Missam consecratis.* Decr. S. C. Rit. in Aquensi sub die 2. Septembris 1741. Et antea adfuit hoc Decretum; *Missae defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo.* 21. Ian. 1676. in Oritana. 11. *Non est licitum Missas celebrare in die sabbati sancti in quibuscumque ecclesiis, et oratoriis, non obstante quacumque contraria consuetudine, prout, Papa approbante, suo Decreto generali statuit eadem* S. C. Decr. S. C. Rit. sub die 11. Mart. 1690. (3). Aliud simile Decr. reperitur ap. Pitton. (4) quod prohibet celebrare in feria V. Coenae Domini; et, quod magis refert, haec Decreta fuerunt expresse confirmata a Clemente XI. ut legitur apud Lambertini postea Bened. XIV. et Pitton. (5) Decreto edito ab eodem Pontifice die 15. Martii 1712. quo dictum fuit: *Dichiaro per ultimo, che colla suddetta proibizione per lo Venerdì Santo, non intende la Santità Sua di permettere che ne' giorni di Giovedì e Sabbato Santo si celebrino Messe private, ma solo la Conventuale, secondo il Rito della Santa Chiesa, e replicati Decreti della S. C. de' Riti.* Et hoc Decretum ut refert Merati, confirmatum fuit ab Innoc. XII. et ab eodem Clemente XI. (6). 12. *Habens indultum a Sede apostolica erigendi oratorium privatum in propria domo, si quis voluerit ibi aedificare altare ligneum, non indiget facultate apostolica, dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non prae se ferat.* Decr. S. C. rit. sub die 3. Decemb. 1661. (7). Merati autem explicando illud verbum *colligatum* dicit large esse intelligendum, cum sufficiat altare si adhaereat parieti, adeo ut nullum mediet spatium, quia hoc sufficit ut verificetur quod altare portatile non videatur esse; saltem dicit usu sic fuisse interpretatum. 13. Leguntur haec alia sequentia Decreta S. C. Rit. apud La-Croix (8). *Missa conventualis canenda est quotidie in collegiatis, quarum clerus est numerosus, et reditus non tenues.* 14. *Missae ad satisfaciendum elee-*

(1) ib. n. 9. (2) Ap. Merat. in indice t. 1. n. 411. (3) ap. Monac. tit. 15. Form. 3. in fin. (4) Pitt. de rit. n. 1703.

(5) Pitt. l. cit. (6) Merat. in indice t. 1. n. 620. (7) ib. n. 393. (8) La-Croix l. 6. p. 2. t. 7. in Dec. S. C. n. 56.

mosynis alicui ecclesiae traditis non sunt celebrandae per exteros, ubi commode potest iis satisfieri per sacerdotes eiusdem ecclesiae. 15. *Inferiores Episcopo non debent sumere de altari paramenta pro Missa* 7. Iulii 1712. Sed hoc intelligendum, ut advertit Gav., quod non ponantur paramenta in medio altaris more Episcoporum, nam si ponantur in angulo, hoc permittit Rubrica (p. 2. tit. 12. n. 3.) ubi dicit: *Si vero* (sacerdos) *dimissurus sit paramenta apud altare, in quo celebravit, finito Evangelio, ibidem illis se exuit.* Saltem, dicit La-Croix, id permissum est ubi commodum non adest alibi deponere vestes. 16. *Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obstante Constitutione synodali, dummodo habeat solitum reliquiarum repositorium*, die 19. Ian. 1614. 17. *Solus Episcopus potest habere fenestras in ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit* 19 Ian. 1614. 18. *Non permittitur ad altare maius celebratio Missae, dum dicuntur in choro Matutinum, et Horae.* 15. Sept. 1664. 19. *Potest fieri Commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa de festo duplici, quod non sit* 1. *vel* 2. *classis.* 2. Decemb. 1688. 20. *Non potest prohiberi celebratio Missae in oratorio ruri aedificato per laicum, antequam celebretur Missa parochialis.* Decr. S. C. sub die 31. Mart. 1629. (1). 21. *De rigore iuris non posse prohiberi* (scil. a parocho) *ut Missae non celebrentur ante Missam a parocho non celebratam.* Decr. S. C. 27. Iun. 1641. (2). Sed in alio Decreto dictum fuit: *Saepius S. C. censuit Constitutiones synodales disponentes ut diebus festis Missae celebrari non debeant in aliis ecclesiis, nisi celebrata Missa in ecclesia parochiali, esse observandas; ita tamen ut Missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur.* 25 Maii 1652. (3). 22. *S. C. censuit non licere Regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit.* Sub die 17. Aug. 1630. (4). Idque confirmatum a Bened. XIV. alio Decreto, ubi fuit decisum: *Non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica, et Episcopi facultas intervenerit* (5). Super hoc dico, quod si aliquis privatus optaret expositionem Venerabilis ad publicam devotionem promovendam, licite potest illa fieri; non vero si eam cuperet tantum ob suam privatam devotionem (6). Hic insuper notandum quod etiam respectu ecclesiarum secularium adest Decretum S. C. Episc. et Regul. prohibens extrahi pyxidem a tabernaculo, cum illa ob causam privatam exponitur: *Si quandoque privata ex causa sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur, sed pyxide velata in aperto eiusdem tabernaculi ostiolo cum assistentia alicuius sacerdotis stola et superpelliceo induti; et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Quod idem in ecclesiis Secularium servari mandamus.* Die 9. Decemb. 1620. (7). Benedictus autem XIV. in Bulla *Cum, ut recte nosti, etc.* (in *Bullar. t.* 4. *pag.* 417. §. 13.) mentionem faciens de praefatis Decretis, ait pro causa privata numquam extrahi posse pyxidem, nec etiam ad populum benedicendum, his verbis: *Si autem Sacramentum non debet a tabernaculo educi, facile in-*

(1) Ap. Merat. in indice t. 1. n. 242.
(2) ap. Card. Lambert. Notif. 40. n. 12.
(3) ibid. (4) ib. 30. n. 11.

(5) ita in Bullar. t. 2.
(6) l. 6. n. 424. v. refert.
(7) ap. Card. Lambert. Notif. 30. n. 27.

telligitur in designatis casibus (scilicet pro causis privatis) *non esse illud afferendum ad ecclesiae ianuam, nec cum eodem benedictionem impertiendam.* Hic autem praeterea obiter advertendum id quod in praedicta Bulla (§. 12.) idem Pontifex subdit circa administrationem Sacramentorum, nempe: *Neque enim fas cuique esse debet, privata auctoritate novum ritum inducere.* Et ad hoc profert ibi Canonem XIII. Tridentini in *Sess. 7. de Sacram. in gen.* ubi vetitum fuit immutari consuetos ritus circa Sacramentorum administrationem; eumdemque Canonem declarat procedere etiam quoad cultum SS. Eucharistiae. Loquens autem de ritibus alicubi iam introductis, sic inquit: *Et quoties aliquem ritum eiusmodi induci contigit, nisi nihil continentem pietati oppositum, apostolica Sedes eumdem interdicere non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis nullatenus praevisis, vel neglectis ab eo qui ritum invexit.* 23. Notandum quod iuxta Decretum Innocentii XI. 1. Sept. 1730. vetatur *apponi statuas, reliquias Sanctorum, ac imagines animarum purgatorii in altari ubi fit expositio SS. Sacramenti* (1). 24. Regulariter Missa respondet officio, sed excipe, ut dicitur in Decreto S. C. rituum: *Sacerdotes etiam regulares diebus, quibus propria officia recitant sub ritu duplici, celebrantes in alienis ecclesiis, quando peragitur festum cum solemnitate et concursu populi, debent celebrare Missas, conformando se ritui, et colori earumdem ecclesiarum. In aliis vero diebus possunt; sed quando prohibentur Missae votivae, vel defunctorum, debent se uniformare saltem quoad colorem* 2. Iun. 1701. apud *Merati in Ind. Decr. n.* 558.

25. Notandum quod ss. Eucharistiae Sacramentum nequit in aliis ecclesiis servari, quam in parochialibus, sine dispensatione s. Sedis, cum non possint eam largiri Ordinarii, ut docent Barbosa Pignatel. et alii apud Card. Petra (2), qui de hoc plures refert Decisiones S. C. tam respectu hospitalium, quam conservatoriorum, ac etiam ecclesiarum quae sunt intra fines parochiae, aut in ruribus, ad quas accedunt parochi ad Missas celebrandas; licentiam enim (ait Petra) servandi Eucharistiam in huiusmodi ecclesiis, sive capellis S. C. tum solum concedit, cum in ipsis est populi concursus, et praesertim si illae a parochia distant. Deinceps Benedictus XIV. in Constitut. *Quamvis iusto*, edita sub die 30. April. 1749. (vide Bullar. *tom.* 3.) expresse declaravit largitionem praefatae licentiae privative spectare ad Sedem apostolicam, his verbis: *Quoniam vero huiusmodi gratiae concedendae* (hoc est servandi ven. Sacramentum) *ius ad nos et apostolicam Sedem privative pertinet, quod innuit Decretum superius relatum, et canonica docet disciplina, iuxta quam sacrosancta Eucharistia in ecclesiis, quae parochiales non sunt, retineri non potest absque praesidio apostolici Indulti, vel immemorabilis consuetudinis, quae huiusmodi Indulti praesumptionem inducit.* Dixit tamen S. C. satis esse possessionem 40. annorum cum titulo putativo, quia hoc temporis spatium sufficit ad licentiam apostolicam praesumendam; sed addit quod, si constat s. Eucharistiam retineri ex sola Ordinarii licentia, tunc nec etiam centenaria, aut immemorabilis possessio prodesset. Hae decisiones ab eodem Petra afferuntur. 26. Notandum ultimo cum Merato (3), Corset.

(1) Ap. Merat. part. 4. tit. 12. §. 3. n. 6. v. Altare insuper. p. 6070.

(2) Barbosa in Trid. sess. 13. c. 6. de Euchar. Pignatell. Cons. 86. v. 16 Petra t. 3. in Const. 1. Urb. VII. pag. 166. ex n. 30.

(3) Merat. part. 2. tit. 10. n. 33. in fin v. Clausa pyxide p. 351.

Tonell. et Bisso, quod sacerdos, postquam Moniales sunt communicatae, non debet pyxide eas benedicere, sed tantum manu, posita pyxide super palla, stans adhuc ante fenestrellam, eo modo quo alii fideles post Communionem benedicuntur; nam tantum infirmi benedicuntur cum Sacramento, qui pro Viatico communicantur, ut praescribitur in Rituali romano. Item advertendum ex Decreto dato 15. Sept. 1736. apud *Meratum in Indice n.* 696. praescribi: *In communione Monialium habentium fenestrellam in parte Evangelii, sacerdos debet descendere et reverti per gradus anteriores, et non laterales altaris.*

TRACTATUS XVI.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO

CAPUT I. DE MATERIA ET FORMA.

1 *De materia remota et proxima.*
2. *An Religiosi debeant confiteri semel in mense.*
3. *An peccata confessa sint materia apta.*
4. *An distinguenda sint peccata iam confessa a non confessis.*
5. *An necessarium verbum te. An verba a peccatis tuis. An caetera verba. An per verbum absolvo possint absolvi censurae. Requiritur praesentia poenitentis.*
6. *De absolutione sub conditione.*

1. Poenitentia accipitur uti virtus, et uti Sacramentum; uti virtus definitur: *Virtus tendens in destructionem peccati, quantum est offensa Dei medio dolore, et satisfactione.* Uti Sacramentum: *Est Sacramentum consistens in actibus poenitentis, et in absolutione sacerdotis.* Poenitentia uti virtus semper fuit necessaria *necessitate medii* ad salutem, sed tanquam Sacramentum in nova Lege adhuc est necessaria necessitate medii lapsis in mortale post Baptismum, saltem in voto, sive desiderio, si non potest realiter suscipi. Materia remota huius Sacramenti iuxta s. Thomam (1), et communem sententiam, sunt peccata post Baptismum commissa; sed peccata mortalia sunt materia necessaria; venialia, et mortalia alias confessa sunt materia *sufficiens*; nam haec sufficiunt ut recipiatur absolutio, sed nemo tenetur ea confiteri. Materia *proxima* iuxta eumdem s. Th. (2), sunt actus poenitentis, a Trid. nuncupati *quasi materia*, quia non sunt materia physica; prout est illa caeterorum Sacramentorum; ii actus sunt (ut declaravit Concilium) contritio, confessio et satisfactio. Satisfactio tamen non est pars essentialis, ut sunt duae primae, sed tantum integralis; nam sine illa in aliquo casu bene potest esse validum Sacramentum. Hoc est contra Scotum, qui vult totam essentiam consistere in sola absolutione.

2. Loquendo de materia remota, dictum est venialia, et mortalia alias confessa esse tantum materiam sufficientem. Sed in hoc quaeritur 1. an Religiosi et Moniales teneantur ad confitendum saltem semel in mense, quamvis mortalibus non sint gravati? Dubium oritur ex *Clement. Ne in agro, §. Sane, de statu Monach.* ubi (cum sermo fiat de Monach. benedictinis) sic dicitur: *Sane singulis mensibus tam in monasteriis quam extra (sublata occasione quacumque) ad confessionem saltem semel accedant omnes et singuli monachi. Et in prima dominica mensis cuiuslibet in monasteriis semper communicent.* His positis, alii dd. Azor. Vasq. Hurtadus, etc. (3) dicunt hoc esse praeceptum obligans sub culpa gravi; unde dicunt teneri Religiosos quolibet mense confiteri, licet gravibus peccatis obnoxii non sint. Sed communius Sotus Can. Caietan. Navar. Molfes. et Megal. (4) tenent praefatam Clementinam praeceptum grave non inducere. Imo p. Suar. (5) dicit praefatum Decretum non importare praeceptum, sed tantum consilium; et deducit ex Tridentino *sess.* 25. *c.* 10. ubi cum sermo fiat de monialibus, sic dicitur: *Attendant diligenter Episcopi, et caeteri Superiores sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant et Eucharistiam suscipiant.* Ex quibus verbis concludit p. Suar., quod nisi constet quod constitutiones religionis obligent sub gravi, nulla ri-

(1) 3. p. q. 84. a. 1. ad 1. et 2.
(2) ib. a. 2. (3) Apud Dianam p. 8. tract. 1. resp. 16. (4) ib. p. 3. tr. 3. resp. 1. (5) in 3. p. sess. 2.

gorosa obligatio de hoc habetur. Et idem sentiunt Castropal. Can. Praepos. Vivald. Leand., etc. apud Salmant. (1). Et hoc quod dicunt aa. citati de confessione, dicunt etiam de Communione.

3. Quaeritur 2. an peccata alias confessa sint materia apta ad recipiendam absolutionem? Dubium oritur ex eo quod peccatum remissum non est amplius capax remissionis; unde videtur non esse materia apta confessionis. Sed est communis sententia, et usus fidelium, qui id admittit cum s. Thoma (2), Suar. Castrop. Salm. etc., et est certum ex Extravaganti 1. *de Privil.* §. *Verum, in fine*, ubi dicitur: *Ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Nec obstat dicere quod peccatum remissum non est amplius peccatum, quia peccatum licet remissum semper est peccatum commissum; unde bene potest esse materia Sacramenti non semel, sed iterum atque iterum et amplius, ut ipsa aqua bene potest esse materia multorum baptismorum (3).

4. Quaeritur 3. an in confessione sint necessario distinguenda peccata confessa a non confessis. Respondetur negative cum Bonac. Lug. Conc. et Sanch., modo hoc non sit necessarium ob occasionem proximam, quae removenda foret, aut ob casum reservatum, aut ob aliam circumstantiam (4).

5. Forma Sacramenti poenitentiae sunt verba sacerdotis: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* Autumant nonnulli auctores primaevis temporibus formam fuisse deprecatoriam, prout est nunc (ut testatur Martene et Tourn.) forma Graecorum; sed quoad Latinos, hoc negant Baronius Gonet et alii (5). Sed hic quaeritur 1. an sit de essentia verbum *te?* Negant Lugo et Wigandt sentientes satis exprimi verbum *te* per alia in forma contenta, id est *a peccatis tuis.* Sed communissime affirmant Bonac. Castropal. Conc. et Holzman. Et quia haec sententia est etiam probabilis, haec in praxi tenenda est, cum proscripta sit ab Innoc. XI. propos. I quae dicebat licitum esse in conficiendo Sacramento uti opinione probabili. Quaeritur 2. an sint necessaria verba *a peccatis tuis*? Negant Milante Conc. Lugo Holzm. etc., nam (dicunt) ex circumstantiis sufficienter determinantur alia verba ad peccata poenitentis. Et in Catechism. rom. (*p.* 2. *n.* 14.) alia verba non exprimuntur de formae essentia, quam: *Ego te absolvo.* Sed multi alii dd. ut Paludan. Maior. Croix Mazz. etc., volunt esse necessaria, quia si valeret ea ratio adversariorum, dicunt etiam verbum *te* posse reticeri. Et quia haec sententia est etiam probabilis, haec sequenda est, ut confitentur iidem adversarii Holzman Ronc. etc. Et omnes conveniunt esse grave, si omittantur (6). Est sententia communis contra Durandum (doctorem caeterequin doctum, sed extravagantem in suis opinionibus) verba *in nomine Patris, etc.* non esse de essentia; et communissime dicunt Bonac. Castrop. Salm. Croix etc. quod ea omittere non excedat veniale (7). Caetera verba: *Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.*; commune est quod possint omitti citra peccatum. Et idem dicunt dd. de verbis: *Dominus noster Iesus Christus, etc.* dum Trident. *sess.* 14. *c.* 3. dicit tantum quod, excepta forma, aliae preces *laudabiliter adiunguntur*. Sed p. Concina contendit omittere praefata verba esse veniale, et non sine ratione, dum Rit. rom. (*de Form. absol.*) dicit: *In confessionibus frequentioribus omitti potest*, misereatur etc., *et satis erit dicere*: Dominus noster Iesus Christus *usque ad illud*, passio etc. *Urgenti*

(1) Castr. tr. 23. d. unde Poen. p. 20. §. 2n. 6. Can. relect. de Poen. c. 5. At vero Salm. tr. 6. c. 7. n. 33.

(2) In 4. d. 17. q. 3. a. 3. q. 5. ad 4.

(3) l. 6. n. 427. dubit. 2.

(4) n. 425. ad 2. (5) n. 430.

(6) n. 430. dubit. 2. (7) ib. dubit. 3.

vero aliqua gravi necessitate in articulo mortis, breviter dicere poterit: Ego te absolvo ab omnibus censuris, et a peccatis tuis. In nomine Patris, etc. (1). Commune est sacerdotem per illa verba *Te absolvo* posse absolvere tam a peccatis, quam a censuris. Nihilominus dicunt recte Concina Sotus Salmant. etc. facere hoc sine causa esse veniale, quia est contra Ecclesiae morem; nisi esset (ut probabiliter dicunt Holzm. Viva etc.), quia nulla esset suspicio quod poenitens aliquam incurrisset censuram (2). Certum est autem formam proferendam esse praesente poenitente: et fuit damnata a Clemente VIII. an. 1602. die 20. Iunii, propositio quae dicebat: *Licere per litteras, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eo absente absolutionem obtineri.* Et declarando Pontifex absolutionem illicitam, ut bene advertunt Salm., declaravit etiam esse invalidam; quia Papa in casibus necessitatis non potuisset eam prohibere. Et Paulus V. anno 1604. die 14. iulii id prohibuit, licet praecessisset confessio in praesentia facta (3). Talis praesentia sufficit ut sit moralis, nempe in ea distantia in qua solent homines voce usuali, licet alta, alloqui. Hanc distantiam Sporer et alii extendunt ad 20. passus; dicunt tamen quod si poenitens a confessionali discessit, confessarius eum arcessere debet, ut absolvat, cum id commode fieri potest. Caeterum ait ipse Sporer, cum Bonac. et Gobat, quod sine scrupulo potest confessarius absolutionem impertiri poenitenti, cum certo scit parum distare. Tenet rationabiliter Tamb. quod si absolutio daretur ei qui ex tecto praecipitat, debet dari sub conditione, cum dubium sit an in tanta distantia adsit praesentia moralis. Advertunt tamen communiter dd., non referre quod poenitens absolutionem non audiat. Imo prudenter admonet Croix ut absolutio submissa voce proferatur, ut si forte aliquis dimittitur non absolutus, alii id non animadvertant (4).

6. Quaeritur hic ultimo quandonam sit valida et licita absolutio, quae datur sub conditione? Si conditio est de futuro, communiter dicunt invalidam esse. Admittit tamen p. Viva, posse ita conferri absolutionem: *Absolvo te si Deus cognoscit quod restitues id quod debes;* sed recte id negant Coninch. Dicast. Conc. Tournel. etc. quia cum Deus in hominum manus Sacramentorum administrationem commiserit, non possunt apponi conditiones quae hominibus innotescere nequeunt (5). Si contra conditio est de praeterito, aut de praesenti, omnes conveniunt eam esse validam, et etiam licitam, cum iusta adest causa, iuxta sententiam communem (contra pauciores), ut dictum est *Tract.* 14. *n.* 3. Causae autem iustae sunt 1. si confessarius prudenter dubitat de absolutione collata; Suar. Lugo Ronc. Bonac. Salmant. Croix etc.; 2. si dubitatur de poenitentis dipositione, et contra adesset necessitas eum absolvendi, ut dicetur *Tract. ult. punct.* 4. *et* 7., loquendo de pueris, et moribundis. Caeterum plerumque confessarius debet esse certus de poenitentis dispositione, ut eum licite absolvere possit; quare recidivi, non solum in peccata mortalia, sed etiam in venialia, non possunt absolvi, nisi certa dent signa suae dispositionis, ut dicetur *punct.* 2 praefati *Tractatus ultimi*; 3. ut dicit Bonac. recte absolvi possunt sub conditione illae personae piae quae confitentur de solis imperfectionibus, circa quas dubitatur an ob advertentiae defectum pertingant ad venialia; et hoc non videtur improbabile, cum iusta causa videatur eas ita absolvendi, ne huiusmodi animae huius Sacramenti fructu careant per multum tempus. Dico *per multum tempus*, quia hoc non admitterem,

(1) lib. 6. n. 430. v. verba autem.
(2) ib. dubit. 4. (3) n. 428. (4) n. 429.

(5) n. 431. et etiam n. 26.

nisi semel in mense. Dicit praeterea Sporer quod confessarius potest absolutionem impertiri, si dubitat de iurisdictione; sed hoc puto non esse admittendum, nisi cum poenitens existeret in mortali, et alias multum temporis absolutione privari deberet. Hoc caeteroquin debet intelligi in solo dubio facti; quia si iurisdictio est positive dubia de iure, idest si probabilis est ob dd. auctoritatem, bene potest absolute conferri: nam tunc supplet Ecclesia, semper ac gravis adest causa, ut diximus *Tr.* 1. *n.* 27. Praeterea dicunt Spor. et Mazz. quod potest absolvi sub conditione poenitens qui est in necessitate communicandi, et est dubie dispositus. Sed in hoc distinguendum est, ut diximus *Tr.* 15. *n.* 34., et videndum an dubium sit de peccati actione, aut de confessione peccati iam commissi; quia si poenitens est certus quod grave peccatum patravit, et eius dipositio est dubia, ille communicare nequit, licet absolutus fuisset sub conditione; et si non potest communicare, nec etiam potest absolvi; nam tunc deest causa necessitatis communicandi, ut sub conditione absolveretur (1). Vide *n.* 34. *Tr.* 15.

CAPUT II.

DE CONTRITIONE ET PROPOSITO

7. Sicut superius vidimus, et sicut declaravit Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. tres sunt partes necessariae Poenitentiae, contritio nempe confessio, et satisfactio. Sigillatim erit sermo de singulis eorum in punctis distinctis. Et primo de contritione.

PUNCTUM I. *De contritione.*

8. *In quo consistat contritio.*
9. *Ex quo motivo producitur.*
10 *Quandonam tenemur ad contritionem.*
11. *An in articulo mortis, etc.*
12. *An sufficiat dolor generalis.*
13. *An actus Fidei, Spei, etc.*
14. 15. *et* 16. *An sufficiat attritio sine amore praedominante.*
17. *An sufficiat attritio ex timore poenarum temporalium.*
18. *An detur Sacramentum validum, et informe.*
19. *An dolor debeat praecedere confessionem.*
20. *Quantum temporis perduret dolor.*
21. *An dolor debeat elici in ordine ad confessionem.*
22. *Qui mox se reconciliat, an novum dolorem elicere debeat.*
23. *De dolore peccatorum venialium.*

8. Quoad contritionem, Trident. *sess.* 14. *c.* 4. distinguit, et dicit aliam esse contritionem *perfectam*, quae oritur ex motivo charitatis; aliam *imperfectam*, quae attritio nuncupatur, quae concipitur aut ex turpitudinis peccati consideratione, aut gehennarum timore, excludens peccati voluntatem, et veniae spem includens. Loquamur nunc de contritione *perfecta*, quomodo illa esse debeat, et quando sit necessaria; deinde loquemur de attritione. Contritio definitur a Concilio: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero:* hinc quaeritur hic 1. an contritio consistat in dolore, an vero in detestatione peccatorum. Alii, ut Gonet, volunt consistere in dolore qui praesupponit detestationem; alii in detestatione, quam subsequitur dolor; et haec 2. sententia est verior, et quasi communis cum Suar. Nav. Caiet. Holzm. Sporer et aliis cum s. Thoma (2) qui dicit: *Exigitur ad remissionem ut homo peccatum detestetur.* Ratio est, quia non iam dolor est causa detestationis; sed detestatio est causa doloris. Caeterum, ut recte dicunt Frassen, Vega, Coninch. Holzm. Sporer et Croix, non est dubitandum quin in uno explicite contineatur aliud; dum qui peccatum detestatur, necessario de illo dolet; et qui de illo dolet, necessario illud detestatur (3).

9. Quaeritur 2. ex quo motivo producitur contritio perfecta? Alii dicunt ex offensione irrogata cuicum-

(1) lib. 6. n. 432.

(2) 3. p. q. 87. a. 1. (3) l. 6. n. 435.

que attributo divino, misericordiae, iustitiae, etc.; et recte hanc sententiam dicunt Lugo et Suar. esse satis probabilem, dum qui diligit divinam misericordiam, aut iustitiam, respectu ad Deum, iam diligit Deum ipsum, cum misericordia et iustitia divina sint ipse Deus; et ita contra, quem poenitet offensae illatae in divinam misericordiam respectu ad Deum, iam poenitet sui peccati, non iam ob motivum dilectionis erga seipsum, sed erga Deum. Sententia tamen communior vult contritionem procedere debere ex offensa facta in divinam bonitatem, cum contritio, ut docet Trid., oriatur ex charitate et charitas, iuxta sententiam communiorem, habet pro obiecto Dei bonitatem, in quantum illa comprehendit omnes divinas perfectiones ut diximus *Tr.* 4. *n.* 9. (1).

10. Quaeritur 3. Quando obliget praeceptum contritionis? Certum est obligare, 1. in periculo mortis. 2. Quando homo tenetur ad eliciendum actum amoris, quem, ut diximus (*Tr.* 4. *n.* 13.), quilibet tenetur elicere semel in mense. 3. Licet sit probabile quod extra periculum mortis non adsit praeceptum speciale contritionis, unde dixit s. Thomas (2) impoenitentiam finalem non esse peccatum grave speciale; nihilominus praescindendo ab obligatione annualis confessionis, dicimus peccare graviter contra charitatem erga seipsum, qui diutius perseverat in peccato, ut dicit s. Thomas, dum qui caret gratia, non potest diutius in grave aliud peccatum non labi: *Sine gratia iustificante*, ait s. Doctor (3), *quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest.* Quantum autem sit hoc longum tempus, Conc. et Ronc. putant esse hebdomadam circiter; alii tamen communius, ut Castrop. Laym. Lugo Salmant. Henno Elbel etc., dicunt esse spatium anni. Prima opinio mihi videtur nimis rigida, sed nec acquiescere possum secundae, saltem ob obligationem quae adest (ut diximus) eliciendi actum charitatis semel in mense; verum tamen est quod rudes difficulter eam obligationem advertant (4). Volunt autem nonnulli esse obligationem contritionis peccatoribus quolibet die festo, ut adimpleatur finis sanctificandi festa; sed hoc communiter negatur, quia (ut dictum est cum s. Thoma *Tr.* 2. *n.* 28.) finis praecepti non cadit sub praecepto.

11. Quaeritur 4. an in mortis articulo, qui cum sola attritione confitetur, teneatur etiam ad eliciendam contritionem? Affirmat prima sententia cum Suar. Bonac. Conc. etc., sed secunda sententia multo communior cum Lugo Laym. Conc. Castropal. Ronc. Holzm. Salm. Becan. Sporer. etc. negat et Suarez appellat eam valde probabilem, quia dato quod certa sit sententia (ut ostendemus n. 14.) sufficere ad confessionem solam attritionem, qui cum illa confessus est iam est moraliter certus de divina gratia. Haec secunda sententia est valde probabilis; sed non potest negari quin prima omnino moribundis suadenda sit; tanto magis quod in extremo vitae tenemur ad actum amoris, cui satisfieri non potest, nisi peccatum detestemur cum memoriae occurrit, ut communiter dd. (5).

12. Quaeritur 5. an ad obtinendam iustificationem sufficiat dolor generalis de peccatis commissis? In hoc quicquid dicant aliqui, qui perperam volunt actum doloris particularis pro quolibet peccato in particulari, aut saltem (dicunt alii) actualem memoriam cuiuslibet peccati, certa est sententia quod sufficiat dolor omnium peccatorum quibus Deum offendit: ita Scotus Suarez Iuvenin. Conc. Laym. Caiet. Holzm. Sporer Croix et alii multi; imo Caietanus ridiculam appellat sententiam oppositam; et nostram expresse docet s.

(1) l. 6. n. 436. (2) 2. 2. q. 14. a. 2. (3) 1. 2. q. 109. a. 8. (4) l. 6. n. 437. dubit. 1. (5) ibid. dubit. 2.

Thomas (1), qui dicit: *Ad iustificationem non requiritur quod aliquis de singulis peccatis cogitet, sed sufficit quod cogitet de hoc, quod per culpam suam est aversus a Deo. Recogitatio autem singulorum peccatorum debet vel praecedere, vel saltem sequi iustificationem*, nempe (ut explicant Suar. et alii illud *sequi*) in ordine ad confessionem, quae doloris actum sequitur. Idem docet Catechism. rom. (*De Sacram. Poenit. part.* 2. *n.* 30.) ubi dicit quod Deus parcit peccatori, *simul atque ille se collegerit et universa peccata sua detestatus, quae deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat*, (nempe ut confiteatur) *ad Dominum se converterit.* Et ratio est clara: primo quia ex scripturis constat quod peccator remissionem obtinet statim ac ad Deum se convertit: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Ezech.* 33. 12. Itaque si in detestatione primi peccati homini non omnia remissa fuissent, ille recipeset remissionem illius tantum, quin remitterentur alia; sed hoc est impossibile, quia in peccatis mortalibus non potest unum peccatum sine alio remitti. Secundo quia (et haec est ratio intrinseca) quem poenitet suorum peccatorum ob motivum generale, quatenus sunt offensa Dei, necessario dolet de quolibet peccato quod habet in anima, ut docet idem s. Thomas (2), qui dicit quod sicut qui diligit communitatem, diligit quemlibet illius; ita quem poenitet omnium peccatorum suorum, poenitet etiam singulorum (3). Hactenus de contritione; nunc de attritione quae est necessaria ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Sed prius videamus circa actus fidei etc.

13. Quaeritur 6. an ad obtinendam gratiam in confessione requirantur actus expliciti Fidei, et Spei? Alii affirmant: sed alii communius negant, caeterum recte dicunt Lugo et Escob. quod poenitens semper ac habet actum doloris, etiam explicite (non iam reflexe, sed exercite) actus fidei et spei habet, quia tunc sine dubio exercite credit, et sperat sibi per Sacramentum Poenitentiae in virtute meritorum Christi peccata remitti (4).

14. Quaeritur 7. an ad recipiendum Sacramentum Poenitentiae sufficiat attritio, et an ad illam requiratur *amor inchoatus?* Conveniunt theologi in affirmando utrumque; sed quaestio magna est an hic amor inchoatus debeat esse charitas praedominans, qua diligitur Deus super omnia? Ita volunt Merbes. Molin. Habert. Iuven. Conc. Antoine, et alii pauci, qui dicunt talem amorem ideo dici *inchoatum*, sive initiatum, quantum est in gradu remisso; nam, ut dicunt, cum dolor oritur ex amore intenso, tunc est contritio perfecta, quae remittit peccata etiam extra confessionem. Sed sententia satis communis, quam nos sequimur, tenet sufficere attritionem sine charitate praedominante, quae oritur ex timore inferni, aut gloriae amissione, aut ex horrore erga peccati turpitudinem, lumine fidei cognitam: ita tenent Gonet Canus Petrocor. Tournel. Cabass. Wig. Abelly Nav. Suar. Tol. Lug. Laym. Salm. et alii multi cum Benedicto XIV.(5), qui asserit quod post Trident. cum plausu hanc sententiam omnes scholae sibi adoptarunt; unde recte dicunt Suar. Less. Castr. Filliuc. Carden. Rainaud. Lug. Prado Tanner. Viva et Croix, hanc sententiam hodie post Concilium esse moraliter certam, et oppositam non esse amplius probabilem. Et quod scholae (saltem communius) tanquam moraliter certam habeant, constat ex Decreto Alex. VII. 1667. die 5. Maii, ubi sub excommunicatione prohibuit: *Ne quis audeat alicuius theologicae*

(1) de veritate, q. 28. a. 5. ad 4.
(2) in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. q. 3. ad 2.
(3) l. 6. n. 438. (4) n. 439.
(5) De Synod. l. 7. c. 13. ex n. 6

censurae**, **alteriusque iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communis videtur; sive asserentem dilectionis necessitatem. Attestando igitur Pontifex sententiam negantem esse communiorem inter scholasticos, consequenter testatur in scholis haberi communiter certam, dum quisque scit quod circa Sacramentorum valorem alias sententias, quam moraliter certas, non posse dd. amplecti. Nec praefato Decreto vetuit Pontifex sententiam oppositam posse nuncupari improbabilem; nam improbabilitas non est nota censurae, aut contumeliae per Decretum vetita. Tanto magis quod (sicut infra dicemus) nos non negamus requiri in attritione initium amoris; sed dicimus tantum non requiri charitatem praedominantem. Sed ad probationes descendamus.

15. Probatur nostra sententia 1. ex Trident. *Sess.* 14. *c.* 4. ubi loquendo de attritione ex metu gehennae concepta, etc. sic dicit: ***Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit.*** Opponunt adversarii quod Concilium non dixit: *sufficit*, sed *disponit*; ergo, dicunt, attritio sine charitate disponit, sed non sufficit; tanto magis quod, referente Card. Pallavicino, Concilium, post gravem theologorum dissensionem, abstulit verbum *sufficit*, quod iam exaratum erat, et in eius locum suffecit verbum *disponit*. Sed recte respondet Gonet, quod Concilium ideo suffecit *disponit*, in quantum importabat necessario idem ac *sufficit*, quia attritio ex inferni metu concepta, cum etiam sit donum Dei, ut declaravit Concilium, etiam extra Sacramentum remote semper disponit ad gratiam; in Sacramento igitur disponit proxime ad illam. Hoc clare patet ex iisdem verbis: ***Et quamvis***, etc.: si Concilium loqui intellexisset de sola dispositione remota, quin eam gratia subsequeretur, inconcludenter et perperam dixisset: ***Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae attritio gratiam producere non possit, tamen in Sacramento disponit ad eam impetrandam;*** sed dicere debuisset: Et quamvis attritio extra Sacramentum non disponat ad gratiam, disponit tamen ad eam impetrandam in Sacramento. Cum igitur dixit: *Quamvis sine Sacramento non possit attritio perducere peccatorem ad iustificationem, tamen eum in Sacramento disponit ad impetrandam gratiam*, necessario intellexit de dispositione proxima. Hoc confirmatur clarius ex verbis quae subiunguntur: *Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre.* Haeretici cum Luthero numquam Catholicos calumniati sunt, qui dicebant dari gratiam contritis, sed tantum eos qui dicebant dari attritis, ex eo quia isti bonorum motuum expertes non sunt, et sufficientem habent dispositionem ad obtinendam gratiam in Sacramento: *Tristitia* (dicebat Lutherus) *ob foeditatem peccatorum, amissionem beatitudinis*, etc. *fecit magis peccatores, et tales indigne absolvuntur*, ideoque damnabat eos, *qui vocant attritionem hanc proxime disponentem ad contritionem.* Hi sunt igitur illi quos Concilium dicit falso ab haereticis calumniari.

16. Probatur 2. ratione, quia Sacramenta actualiter operantur quod significant; unde verificari debet (ex se loquendo) quod, cum sacerdos dat absolutionem, eo momento peccata remittuntur; propterea Poenitentia nuncupatur Sacramentum mortuorum quia confert vitam gratiae illi qui ea privatus est. Si ergo in dolore necessario exigeretur charitas praedominans, Sacramentum nunquam causaret gratiam, quia omnes accederent

iam iustificati, nam quilibet dolor qui ex charitate praedominante procedit, est vera contritio, ut docet s. Thomas (1); et hoc accidit (ut explicat Sanctus) quoties homini displicet potius gratiae, quam alterius boni amissio; et cum illa sit vera contritio, quamvis exiguus sit dolor, delet peccata: *Quantumcumque parvus sit dolor* (verba Angelici), *dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet*. Et hic certe Sanctus loquitur de dolore extra Sacramentum, sicut alibi id exprimit (2): *Per solam contritionem dimittitur peccatum... Sed si, antequam absolvatur, habeat hoc Sacramentum in voto, iam virtus clavium operatur in ipso.* Quid clarius? Sed quod quaelibet contritio quae oritur ex charitate praedominante deleat peccata, legitur in eodem Trident. *sess.* 14. *c.* 4. in illis verbis: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, etc.* Hic certe non loquitur de charitate perfecta ratione intensionis, sed de charitate perfecta ratione motivi charitatis praedominantis; nam Concilium hic distinguit eam a contritione imperfecta, quae originem non habet ex charitate subiungendo immediate ibi: *Illam vero contritionem imperfectam quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur.* Et ratio est clara, quia quaelibet contritio est actus formalis charitatis, et charitas non potest cum peccato coniungi, ut probatur ex sexcentis Scripturae locis: *Ego diligentes me diligo.* Prov. 8. 17. *Qui autem diligit me, diligetur a patre meo.* Ioan. 14. 21. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Epist. 1. Ioan. 4. 7. Et id communiter docent ss. Patres, et theologi cum s. Thoma (3) qui dicit: *Charitas non potest esse cum peccato mortali*, et pro charitate utique s. Doctor non intelligit hic intensam, sed praedominantem, dum alibi (4) declarat charitatem consistere in amando Deum super omnia, dicens: *Actus peccati mortalis contrariatur charitati, ... quae consistit in hoc, quod Deus diligatur super omnia.* Certius hoc fit ex propos. 32. Baii damnata a Gregorio XIII. quae dicebat: *Charitas illa, quae est plenitudo legis, non semper est coniuncta cum remissione peccatorum.* En sic quaero: quisnam est amor, qui est plenitudo legis, nempe qui satis est ad adimplendum praeceptum charitatis? Certe est ille quo diligitur Deus super omnia, ut fatentur omnes cum s. Thoma (5), qui explicans illud praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, dicit: *Cum mandatur quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi quod Deum super omnia debemus diligere.* Itaque cum certum sit charitatem praedominantem, quamvis remissam, non posse cum peccato coniungi certum est etiam quamlibet contritionem, quae formaliter est actus charitatis, delere peccata. Igitur hoc posito, si velint ut amor inchoatus, requisitus in attritione, sit amor praedominans, hoc non recte praetenditur, quia (ut ostendimus) si hoc esset, quilibet peccator accedere deberet iam iustificatus ad recipiendam absolutionem sacramentalem, adeoque nunquam accideret quod Sacramentum causaret actualem iustificationem, quae est proprius illius effectus. Si autem in attritione, pro dispositione ad gratiam obtinendam, desideratur amor inchoatus qui sit principium amoris, sicut loquitur Trid. *sess.* 6. *c.* 6., *de iustif.* dum agit de dispositione eorum, qui ad obtinendam iustificationem *Deum ... tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt*: hoc non negatur, et dicimus hoc initium iam in qualibet attritione reperiri, tum metu poenarum a Deo infligendarum

(1) Suppl. q 5. a. 3. (2) quodlib. 4. a. 10. (3) 2. 2 q 45 a. 4. (4) 2. 2. q. 24. a. 12. (5) 2. 2. q. 44. a. 8. ad 2.

ex eo quod dicit *Ecclesiastic.* 25. 16. *Timor Dei initium dilectionis eius*; tum spe remissionis et beatitudinis, ex eo quod dicit s. Thomas (1): *Ex hoc quod per aliquem speramus bona, incipimus ipsum diligere*. Sed non iam si optatur verus charitatis praedominantis actus; hic certe non est necessarius ut in Sacramento obtineatur gratia. Adeo id verum est ut, referente eodem Pallavicino (2), ad illa verba *diligere incipiunt*, nonnulli Patres Concilii contendebant addendum esse, *per actum charitatis*; sed obstitit Concilium, et non adiecta fuerunt.

Quidam auctor modernus libri, cui titulus *Esposizione sulla dottrina cristiana*, loquens de Sacramento Poenitentiae, inducit super hoc puncto aliam inauditam opinionem, et dicit: Quod si peccator, qui habet charitatem praedominantem remissam, decessurus sit ante susceptionem Sacramenti, hunc non sinet Deus damnari, quia (ut ait) horrendum videtur, quod Deus in aeternum perdat, qui eum super omnia diligit. Unde censet, eo casu Deum per quandam providentiam extraordinariam illum salvare. Si auctor iste diceret, quod Deus huiusmodi peccatori decessuro ante mortem dispositionem augeret, praefata opinio videretur minus incongrua. Sed quis unquam credere poterit, quod peccator ille, eamdem dispositionem habens, nunc in odio, nunc in dilectione sit Deo? Quomodo eadem in substantia dilectio erga Deum nunc reddet eum dignum divino amore, nunc odio dignum relinquet? Demum peto, ubi fundat auctor hanc extraordinariam Dei providentiam? super qua Scriptura, quo Ecclesiae Canone, qua Patrum doctrina? Gratis igitur id asserit. Potius ex eo concludendum videtur, quod si durum et horrendum est putare, quod Deus damnet eum, a quo super omnia diligitur, horrendum etiam dici debet, quod Deus hominem super omnia eum diligentem odio habeat. Vide in opere (3), ubi allatae doctrinae, hic strictius comprehensae, fusius expositae inveniuntur una cum aliis. Sed veniamus ad dubia.

17. Quaeritur 8. an sufficiat attritio metu temporalium poenarum concepta, in quantum illae sunt a Deo inflictae? Alii negant, dicendo dolorem debere oriri ex timore poenarum aeternarum, quia cum aeterna sit poena peccati mortalis, poenitens debet dolorem peccatorum concipere ex timore aeterni mali; ita Canus Conc. Pasqual. etc. Sed alii communius, ut Lugo Suarez Anaclet. Viva Elbel Gobat. Croix etc., probabilius affirmant ex verbis Tridentini *sess.* 14. *c.* 4. ubi dicitur: *Attritio ex gehennae et poenarum metu concipitur*. Concilium itaque distinguit alias poenas ab illis inferni, ubi certe omnes aliae poenae includuntur. Sed quia prima sententia non potest dici improbabilis, in praxi non possumus amplecti secundam (4).

18. Quaeritur 9. an possit dari Sacramentum validum et informe? Casus accidere posset, si quis habens duo peccata, unum sacrilegii, alterum furti, et cum recordaretur solius sacrilegii, tantum illius se poeniteret ob supernaturalem turpitudinem illius vitii: hic quaeritur an iste valide reciperet Sacramentum, adeo ut detestando postea furtum, reciperet gratiam, et postea tantum teneretur confiteri furtum? Multi id negant, et praecipue Scotistae; sed ipsi discrepant inter se; alii enim dicunt huiusmodi Sacramentum non solum esse validum, sed etiam formatum, nempe gratiae infusione; quia poenitens se dolendo de offensa in Deum ob sacrilegium, et cupiendo reconciliari Deo, hic dolor et hoc desiderium efficiunt, ut ille virtualiter etiam detestetur furtum. Sed huic rationi responsio clara se offert; istum

(1) 1. 2. q. 40. a. 7.
(2) Pallav. Hist. Trident. l. 8. c. 13
(3) l. 6. ex n. 440. (4) n. 443

enim in tantum poenitet offensae in Deum ob sacrilegium, et cupit se reconciliari cum Deo, in quantum movetur ob turpitudinem sacrilegii; sed haec non comprehendit turpitudinem furti; adeo ut posset dari casus quo poenitens si recordaretur solius furti, turpitudo furti forsan non moveret eum ad poenitendum; quare motivum turpitudinis sacrilegii non comprehendit virtualiter detestationem furti. Alii autem dicunt Sacramentum non solum esse informe, nempe sine gratia, sed etiam invalidum, dicentes non posse esse materiam aptam poenitentiae illam, quae non potest causare gratiam. Sed huic etiam subest responsio, quod, cum concurrant partes essentiales, quae sunt dolor, confessio et absolutio, non potest invalidum dici Sacramentum; unde libenter adhaeremus sententiae affirmativae, et communissimae Thomistarum cum Suarez Lugo et s. Thoma (1), et dicimus talem confessionem semper esse validam, sed gratiae expertem (2).

19. Quaeritur 10. an dolor praecedere debeat confessionem? Affirmant Laym. Castrop. Coninch. et alii; tum quia dolor debet esse sensibilis, et nequit talis fieri nisi confessione; tum quia confessio, ut sit materia apta, debet esse dolorosa, alias esset simplex peccatorum narratio. Alii autem communius negant, ut Lugo Suarez Bonac. Holzm., etc., et ipsis valde favet Rituale dicens: *Audita confesfessione* (confessarius) *ad dolorem adducet.* Et recte respondent ad primam rationem, dicendo dolorem non tantum per confessionem fieri sensibilem, sed etiam aliis signis et verbis. Sed ad secundam rationem nullam convincentem afferunt responsionem; unde propter illam dico esse probabilem primam sententiam, propterea que in praxi sequendam. Conveniunt autem communiter Conc. Viv. Salm. Holzm., etc., sufficere si poenitens post actum doloris dicat: *Iterum me accuso de omnibus peccatis confessis* (3)

20. Quaeritur 11. quamdiu moraliter perseveret dolor? Alii dicunt diutius, et sufficere quod non sit retractatus; sed hoc reiicitur; alii per diem, imo Croix dicit quod in praxi semper renovandus est, cum poenitens notabiliter ad alia distractus est. Ego vero cum Ronc. non dubito asserere, quoties confessio derivat ex peccatorum dolore, semper virtualiter perseverare dolorem saltem per unum, aut alterum diem, dum illa confessio est doloris effectus. Secus autem, si quis ex mera devotione, aut ad votum, aut poenitentiam implendam, confiteretur (4).

21. Quaeritur 12. an actus doloris debeat elici in ordine ad confessionem? Affirmant Bon. Busemb. et Conc. dum (ut dicunt) tam minister, quam suscipiens debent ordinare materiam ad Sacramentum, v. g. ablutionem ad Baptismum, tactum ad Ordinationem, et ita dolorem ad poenitentiam; unde volunt isti quod si quis actum doloris, quin ad confessionem cogitet, elicit, debet illum renovare, dum confitetur. Alii tamen probabilius, ut Lugo, Sporer, Moia, Gobat., etc., negant, tum quia ex Trident. sufficit attritio habita, tum quia dolor saltem ordinatur ad absolutionem, cum per confessionem manifestatur. Sed quia prima sententia etiam est probabilis, ideo in praxi sequenda (5).

22. Quaeritur 13. cum quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, an teneatur iterum dolorem elicere? Negant communius Lugo, Anacl. Ronc. Viva, Spor. etc., dicendo quod prior contritio, cum fuerit generalis, iam extenditur ad oblita, et eo casu sine dubio moraliter perseverat; et licet illa sint plura Sacramenta, bene tamen una et eadem materia plura Sacramenta constituere potest, sicut aqua potest esse materia plurimorum baptismorum.

(1) in 4. dist. 17. quaest. 3. a. 4. q. 1.
(2) l. 6. n. 444. (3) n. 445.

(4) n. 446. (5) n. 447.

Sed affirmant Vasq. Bonac. et Filliuc., dicendo per absolutionem impertitam iam prius iudicium completum esse, ac completum fuisse Sacramentum; unde pro posteriori Sacramento requiritur nova materia; et licet dolor perseveret, non tamen perseverat in ordine ad posteriorem absolutionem, iuxta quod dictum est praecedenti numero; ille enim dolor elicitus est tantum in ordine ad primam. Et quia haec secunda sententia est etiam probabilis, ideoque recte dicunt Croix, et Concina hanc in praxi tenendam. Intelligitur tamen hoc ante Sacramenti susceptionem, quia postquam illud susceptum est, probabiles iam sunt omnes sententiae oppositae trium quaesitorum antecedentium; unde post factum recte eas amplecti possumus (1).

23. Quaeritur 14. quomodo eliciendus est dolor de venialibus? Extra confessionem docet s. Thomas (2): *Sufficit aliquis motus charitatis ad eorum remissionem;* sed ad Poenitentiae Sacramenti susceptionem certum est apud omnes formalem dolorem requiri. Sed hic dubitatur 1. an mortaliter peccet qui venialia sine dolore confitetur? Negant Gonet, Iuven. et Natalis Alexand.; dicunt hi quod quoties abest animus profanandi Sacramentum, illud frustrare in materia levi non excedere levem irreverentiam; sed communiter et recte affirmant alii dd. et de Lugo priorem sententiam appellat omnino falsam, dicens iniuriae gravitatem non consistere in materia, sed in Sacramenti frustratione, in non apponendo materiam aptam, et essentialem, ut est dolor; unde sive frustretur ob gravem materiam, sive ob levem, irreverentia semper est gravis (3). Dubitatur 2. an in confessione venialium sufficiat poenitere unius tantum, quin aliorum poeniteat? Nonnulli id negant; sed etiam communiter et recte affirmant Suar. Lug. Conc. Antoine, etc. Et ratio luculenta est, quia venialia non sunt materia necessaria, sed sufficiens. Dicunt autem Castrop. Spor. Lugo, Tamb., etc. sufficere poenitere multitudinis venialium, quin alicuius in particulari poeniteat; sed contradicunt Arriaga, et Dicast. dicentes saltem necessarium esse dolorem erga aliquod illorum, ut diximus. Sed hae sententiae facile conciliantur, quia impossibile est quod ille, quem multitudinis poenitet, non doleat de ultimis quae multitudinem constituunt, et sicut quoad speciem sufficit (ut dictum est) dolere de una peccatorum venialium specie, et non de alia, ita quoad numerum sufficit posteriorum, non autem priorum poenitere; adeo ut tunc poenitens in recto doleat de multitudine, et in obliquo de ultimis peccatis (4).

Punctum II. *De proposito.*

24. *Propositum I. debet esse firmum. An qui credit se lapsurum, etc.*
25. *II. Debet esse universale.*
26. *III. Debet esse efficax. An relapsus sit signum semper confessionum invaliditatis? Et an propositum debeat esse explicitum.*

24. Tres sunt conditiones veri propositi ad confessionem requisiti: Ut sit firmum, universale, et efficax. Et Primo debet esse *firmum*, ita ut poenitens habeat firmum animum in quocumque casu non peccandi. Hic fit dubium, an valeat propositum alicuius qui non habet animum peccandi, sed credit certo quod inposterum relapsurus sit? Sanch. Laym. Nav. Sporer, etc. dicunt valere, quia propositum voluntatis bene stare potest cum iudicio intellectus, quod praevidet certum relapsum ex eo, quia de sua fragilitate experimentum habet. Contra p. Conc. reprobat ut infirmum etiam propositum illius, qui timet probabiliter se relapsurum. Haec secunda opinio est nimis rigida, et parum rationabilis, quia timor relabendi potest simul stare cum proposito quam firmissimo. Sed nec mihi

(1) lib. 6. n. 448. (2) 3. p. q. 87. a. 2.

(3) l. 6. n. 449. (4) n. 449. dubit. 2

placet prima, saltem practice loquendo; nam sicut recte dicit Croix, et non distat ab eo Busembaum, in praxi qui certo credit se esse relapsurum, demonstrat suum propositum non esse satis firmum; dum non est possibile quod qui scit Deum auxilium in eum speranti, et ab eo petenti praestaturum esse, et non permissurum aliquem ultra vires tentari, proponat firmiter cuicumque malo potius se subiecturum quam Deum offendere, et postea credat se certo in eadem peccata recasurum; unde si iste hoc credit, signum est quod eius propositum non sit firmum (1).

25. II. Propositum debet esse *universale* (intellige de mortalibus), ut docent omnes cum s. Thoma (2); nec audiendi sunt nonnulli aa. qui autumant, sicut valet dolor particularis, ita valere etiam propositum particulare; nam respondetur quod dolor particularis admittitur, quia dolor respicit sola peccata commissa; sed non potest admitti propositum particulare, dum quilibet debet esse paratus ad evitanda omnia peccata mortalia, quae committere potest; ideoque Trident. loquendo de dolore ait: *Dolor est detestatio de peccato commisso;* sed loquendo de proposito, dicit, *cum proposito non peccandi de caetero.* Dictum est *de peccatis mortalibus*, quia quoad venialia, certum est cum s. Thoma (3) sufficere, si proponat se abstinere ab aliquo, quin proponat abstinere a caeteris (4). Caeterum (ut dicunt Suar. Croix, etc.) potest homo proponere evitare omnia peccata venialia deliberata, et in quantum ad indeliberata sufficit proponere evitare ea quantum fert humana fragilitas, ut dicit idem Angelicus loc. cit.

26. III. Debet esse *efficax*, nempe ut homo proponat non solum non committere peccata, sed etiam omnia media ad illa evitanda conducentia eligere, et praecipue omnes occasiones proximas removere. Sed hic advertendum (quicquid dicat p. Concina) relapsus non semper esse signa infirmi propositi, adeo ut semper repetendae sint confessiones praeteritae, ut invalidae; quia relapsus non est signum certum quod defuit voluntas, sed saepe est signum mutatae voluntatis, dum saepe solent homines firmiter proponere, et postea iterum cadere; ideoque ait Rit. rom. *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe confiteantur et, si expediat, communicent.* Non dicit, ut facile recidentibus absolutio danda non sit, propter dubium quod subest de eorum proposito, sed ut consulendum sit potius eis ut saepe confiteantur, et communicent: intelligitur, semper ac dignoscitur adesse debita dispositio, ut dicemus *tr. ult. punct.* 2. Et quoad repetendas confessiones praeteritas, recte dicit p. Segneri, talem obligationem non adesse, nisi habeatur moralis certitudo de invaliditate confessionum praeteritarum, ut esset, cum observatur quod aliquis post confessiones semper reincidit in eadem peccata statim post biduum, aut triduum, sine ulla resistentia, et quin aliquod medium adhibuerit, et quin occasionem removerit. Hic occurreret loqui de illis qui sunt in occasione proxima, et de habituatis, et recidivis, sed de his peculiaribus *Punct.* 1. *et* 2. *tr. ult.* loquemur. Restat tantum hic ut videamus, an pro confessione sufficiat propositum virtuale in dolore inclusum? Hic tres adsunt sententiae. Sententia 1. negat cum Scoto, Cano, Caiet. Tolet. Conc., etc. qui id inferunt ex Trid. *sess.* 14. *c.* 4. ubi videtur requiri propositum formale, cum dicatur quod pars essentialis Poenitentiae sit *dolor cum proposito non peccandi de caetero.* Sententia 2. quam tenent Laym. Nav. Card., quam moraliter certam appellat Lugo, etc. affirmat, quoties dolor sit ex motivo universali; et etiam haec fundatur in Concil. ubi dicitur quod attritio, si

(1) l. 6. n. 451. (2) p. 3. q. 87. a. 1 ad 1.

(3) ibid. (4) l. 6. n. 451. v. 2. requir.

excludat voluntatem peccandi, iam disponit ad gratiam. Et huic sententiae adhaesit in Concil. rom. Bened. XIII. in quo approbavit instructionem ad populum, in qua (*pag.* 440.) dicitur quod qui saltem non habet attritionem cum firmo proposito, saltem implicito, amplius non peccandi, remissionem non obtinet. Sententia 3. cum Suar. Bellarmino, Bon. et Holzm. qui eam vocat communem, distinguit, et dicit, quod si poenitens nihil cogitat de futuro, ut contingere solet infirmis proximis morti, tunc sufficit propositum implicitum. Secus autem dicendum de eo qui cogitat de futuro, quia (ut dicit idem Concilium) contritio continet tam cessationem a peccando, quam incoeptionem novae vitae, iuxta illud Ezechielis: *Proiicite a vobis praevaricationes... et facite vobis cor novum. Ezech.* 18. 31. Caeterum, quia prima sententia est satis probabilis, ante factum illa sequenda est, sed post factum, si quis bona fide confessus est cum proposito implicito, non tenetur repetere confessiones, ut dicunt Bellarm. Suar. Vasq. Bonac. et alii communiter; dum qui probabiliter recepit Sacramentum validum, non est obligatus ad illud repetendum; nam tunc cessat periculum iniuriae Sacramenti, illud frustrandi (1).

CAPUT III. DE CONFESSIONE

PUNCTUM I.
De conditionibus confessionis.

27. *Confessio I. debet esse vocalis II. debet esse secreta.*
28. *III. Debet esse vera. Qui mentitur in confessione, etc.*
29 *IV. Debet esse integra. De circumstantiis aggravantibus.*
30. 31. *et* 32. *De peccatis dubiis.*
33. *De peccatis dubie confessis.*
34. *Qui confessus est peccatum dubium, cum novit esse certum, etc.*
35 *Quando excuset impotentia physica mutos, surdos, ignorantes linguam, et moribundos.*
36. *De moribundo qui dedit signa per testes.*
37. *De iis qui nullum dant signum.*
38. *De iis qui in actuali peccato corripiuntur.*
39. *Quando excuset impotentia moralis.*
40. *Qui debet complicem aperire, etc.*
41. *Non potest confessarius inquirere nomen complicis.*

27. Quatuor sunt confessionis conditiones: Nempe, ut sit vocalis, secreta, vera, et integra. Et primo debet esse *vocalis*, nempe voce, dum hic est usus communis Ecclesiae, non iam facta per signa aut scripto; habetur ex *Extrav. Inter cunctos* de privil. ubi dicitur: *Nisi articulus necessitatis occurrat, sanctificanda est oris confessio:* modo nulla adsit gravis causa, v. g. nimiae et extraordinariae verecundiae, aut linguae impedimenti, et huiusmodi, quia in tali casu sufficit, postquam confessarius confessionem legerit, quod dicat poenitens: *Me accuso de omnibus istis peccatis*; ita communiter Castr. Cano, Conc. Tamb. Salm., etc. (2). Qui autem non posset voce confiteri, tenetur saltem per signa aut scripto, cum sine periculo, et sine magno incommodo id efficere potest, prout dicemus loquendo de Muto *seq. n.* 35. ad 1. (3). 2. Debet esse *secreta*, quia nemo tenetur publice, nec per interpretem confiteri, nisi esset in mortis periculo constitutus, aut existens in mortali dubitaret de contritione sua, ut dicemus *cit. n.* 35.

28. III. Debet esse *vera*, unde graviter peccat sacrilegii qui mentitur in materia gravi, negando aut tacendo sine iusta causa aliquod peccatum grave patratum, aut non adhuc confessum; et aliquando poenitens tenetur aperire peccata confessa ad manifestandum habitum contractum (contra id quod dicebat prop. 58. ex proscriptis ab Innoc. XI.), ut confessarius possit se dirigere ad impertiendam, aut differendam absolutionem. Ita etiam peccat qui ex malitia se accusat de aliquo peccato gravi, quod

(1) lib. 6 n. 450. (2) n. 429 et 493.

(3) num. 479.

non commisit; imo iste duo committit peccata, unum contra virtutem religionis, propter iniuriam quae in Sacramentum infertur, alterum contra virtutem veracitatis, cum tale mendacium sit graviter ipsimet nocivum. Dictum est *in materia gravi*, quia negare in confessione aliquod veniale commissum, aut mortale iam confessum, aut dicere aliud mendacium leve, communis est sententia cum Suar. Lugo, Bon. Ronc. Anacl. Holzm., etc. (contra Caiet. et Armilla) non esse grave. Nec obstat id quod dicit s. Thomas (1), peccare mortaliter qui negat veritatem quam confiteri debet; quia ibi loquitur Sanctus de confessione, quae fieri debet in foro externo, non autem de sacramentali, ubi certum est non teneri nos ad confitendas nec culpas veniales, nec graves iam confessas, nisi cum hoc expediret ad recipiendam absolutionem (2).

29. IV. Confessio debet esse *integra*. Et hic distinguenda est integritas materialis a formali. Per se loquendo confessio debet esse materialiter integra, nam poenitens tenetur ad explicandas tam species peccatorum, quam eorum numerum. Iam *tr*. 3. *punct*. 3. locuti fuimus de distinctione specifica, et numerica peccatorum, et ex quibus radicibus desumenda sit. Sed hic quaeritur an teneamur confiteri non solum circumstantias speciem mutantes, sed etiam notabiliter aggravantes? Tres adsunt sententiae probabiles. Prima affirmat cum Soto, Suar. Gonet, Sanchez, Concina, etc., dicentes eamdem rationem, quae obligat ad explicandas circumstantias mutantes speciem, obligare etiam ad aggravantes, dum utraeque mutant notabiliter confessarii iudicium. Secunda sententia, quam tenent Layman Sporer Busemb. etc., etiam affirmat, sed tantum de illis circumstantiis quae respiciunt integritatem substantialem peccati, ut est quantitas furti, et gradus coniunctionis in incestu: secus (ut dicunt) confessarius debitum iudicium substantiae peccati formare non potest. Tertia sententia communior et probabilior, quam tenent s. Antoninus, s. Bonaventura, s. Bernard. Sotus, Cabass. Lugo, Castrop. Bonac. Ronc. Holzm. Salm. et alii, absolute id negat; et hanc sententiam tenet s. Thomas (3), qui dicit: *Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendae, nisi circumstantiae quae ad aliud genus peccati trahunt, et hoc probabilius est:* et in responso ad 2. subiungit*: Unde sufficit quod* (sacerdos) *cognoscat quantitatem quae ex specie peccati consurgit.* Ratio est 1. quia Tridentinum *sess*. 14. *cap*. 5. non imponit ut confiteantur nisi solas circumstantias, quae mutant speciem, dicens, quod sine earum notitia non potest confessarius recte iudicare; ergo e converso, iuxta Concil. cum explicantur illae, confessarius iam recte iudicium ferre potest. 2. Quia obligatio confitendi circumstantias aggravantes esset poenitentibus nimiae angustiae, cum possint ipsi dubitare an circumstantiae omissae essent leves, aut notabiliter aggravantes, et an sint sufficienter expressae. 3. Quia (et haec est ratio potissima aliarum) talis lex confitendi circumstantias aggravantes, uti dicunt Cabassut. Lugo, Roncagl. et Salmantic. cum Lambert. (4), est dubia, et nemo tenetur ad leges dubias, uti ostensum est in *tr*. 1. *n*. 33. cum s. Thoma (5), qui dicit: *Nullus ligatur per praeceptum, nisi mediante scientia illius praecepti*. Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles, quia hoc procedit cum agitur de valore Sacramenti, secus de integritate: et in quantum ad valorem, certum est sufficere integritatem formalem. Nihilominus recte advertunt Lug. Castrop.

(1) 2. 2. q. 69. a. 1. (2) l. 6. n. 495. ad 497. (3) in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5.

(4) notif. 80. n. 19.
(5) de veritate qu. 17. a 5

Salmant., etc. quod in quantum ad furtum, licet poenitens per se non teneatur ad explicandam quantitatem, plerumque tamen tenetur confessarius ad eam investigandam, ut se dirigat ad absolutionem impertiendam, et circa quantitatem et modum restitutionis (1).

30. Praeterea quaeritur an adsit obligatio confitendi mortalia dubia? Sed hic quaesita distinguenda sunt; hinc quaeritur 1. an confitenda sint peccata positive dubia, nempe cum probabile est ea commissa fuisse, et probabile non fuisse? In eo casu affirmant Merbes. Habert, et Con., quia ut hi auctores dicunt, *in dubiis via tutior est eligenda*. Sed communiter id negant Silvester, Sylvius, Gerson. Sanchez, Suarez. Bonac. Anacl. Ronc. Salmant. Holzm. et alii plurimi, propter generalem rationem, quod licite sequi possumus opiniones vere probabiles, ut ostensum est *tr.* 1. *ex n.* 33. Et ad regulam oppositam respondetur cum s. Antonino, ut ibidem *n.* 36. Recte tamen advertunt Sanch. Viva, Holzm., etc., quod in mortis articulo in tali dubio quilibet aut debet contritionem elicere, aut accipere absolutionem confitendo saltem aliam materiam certam (2).

31. Quaeritur 2. an confitenda sint peccata negative dubia, nempe quorum nulla apparet ratio affirmandi, vel negandi? Affirmant cum communiori Busemb. Dian. Tambur., etc., dicendo Trident. *sess.* 14. *c.* 5. praecipere poenitentibus confessionem omnium mortalium, *quorum conscientiam habent:* ergo (dicunt) utique confitenda sunt peccata dubia, quae dubia sunt in conscientia. Sed negant probabilius Merbes. Habert, Coninch. March. Holzm. Croix, Mazzotta, etc., et hanc sententiam probabilem vocant Layman, et Viva cum s. Antonino, Ledesm. Palud. etc. Ratio 1. est quia Concilium non iam imponit, ut supponunt adversarii, confessionem peccatorum, ut sunt in conscientia, sed peccatorum, *quorum* (poenitentes) *conscientiam habent*, dicere intendens eorum quorum poenitentes certam habent scientiam, cum *conscientia* (sicut explicat s. Bernard.) significat cordis scientiam; unde perperam dicitur quis habere conscientiam illius peccati, cuius nullam habet rationem illud commisisse. Tanto magis, quod Trident. loco cit. subiungit: *Nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut... quisque... ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit;* qui negative dubitat, non potest dici quod recordetur commisisse peccatum. Ratio 2. est quia (sicut superius diximus) non debet onus certum pro lege dubia imponi; contra nulla adest lex certa confitendi peccata dubia (3). Et hoc currit, etiamsi quis vellet communicare, ut diximus *tr.* 15. *n.* 34. quicquid dictum sit in opere (4).

32. Caeterum regulariter loquendo, consultius est poenitentibus suadere ut peccata dubia confiteantur, ad maiorem suae conscientiae quietem, modo non sint scrupulosi, ut diximus *tract.* 1. *n.* 10. *et* 11. Insuper sapienter dicunt Salm. Scholastici, Habert, Bonac. Suar. Croix et alii, quod personae probatae pietatis, quae diutius nunquam, aut valde rarius mortali alicui assentitae sunt, istae cum dubitant de consensu, praecipue si recordantur in principio restitisse, aut dubitant si fuerint in perfecta vigilia, possunt certo sibi statuere mortaliter non peccasse, cum (sicut dicunt Salm. et Habert) moraliter impossibile est, quod voluntas in bono proposito ita obfirmata, mutetur, quin clare hoc percipiat. Dicit p. Alvarez, quod peccatum mortale est monstrum ita horribile, ut in animam, quae ab eo per multum temporis abhorruit, se introducendo, non potest se in eam introducere, quin anima dilucide illud cognoscat; sicut

(1) vide l. 6. n. 468. (2) n. 473.

(3) n. 474. dubit. 2. (4) n. 475.

contra, loquendo de iis qui ex habitu mortalibus consentiunt, in dubio praesumuntur illi consensisse, quia si restitissent, utique de conatu in tentatione repellenda adhibito recordarentur: unde recte concludit Croix, quod in tali materia difficulter datur dubium negativum, dum praesumptio bonae aut malae vitae recte fundat credulitatem dissensus, aut consensus praestiti (1).

33. Quaeritur 3. an poenitens teneatur confiteri peccatum certe commissum, sed in dubio, an de illo nec ne confessus sit? Si dubium est negativum, certum est apud omnes eum teneri. Contra si dubium est positivum, adeo ut probabiliter credat de eo confessum esse, adest sententia non teneri ad illud confitendum; et hanc tuentur Suar. Navar. Silvest. Bonac. Lugo, Salm. Croix, etc. Verum sicut mihi probabilis minime visa fuit opinio relata *tract.* 1. *n.* 17. *in fin.* eorum auctorum, qui dicebant non esse obligationem implendi vota, quae probabiliter impleta sunt, ita nec valeo hanc approbare sententiam quoad peccatum probabiliter confessum, cum obligatio confessionis sit certa, et satisfactio dubia. Non autem reprobo id quod iidem citati auctores tradunt, nempe quod ille qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certe iam de illo confessum fuisse. Et subiungit p. Concina, quod illi qui diutius vitam rectam duxerunt, licet antea in vitiis habituati fuerint, si postea ipsi dubitant aliquod peccatum aut circumstantiam omisisse in confessione generali, aut particulari, debita diligentia praecedente, confessarius debet imponere ut amplius de illis non confiteantur, et ut nunquam ad illa animum addicant. Et loquendo de scrupulosis (ut dicunt communiter dd.), hi non tenentur aliquod peccatum confiteri, nisi certi ita sint, ut iuramento possint affirmare illud peccatum fuisse mortale, et quod nunquam confessi sunt (2); vide dicta *tract.* 1. *n.* 10. *et* 11.

34. Quaeritur 4. an qui confessus est peccatum uti dubium, teneatur iterum confiteri, cum advertit illud certum? Negant Holzm. Spor. Tamb. Elbel, etc., quia illud peccatum (ut dicunt) est iam directe absolutum. Sed vera, et communissima sententia Sanch. Card. Ronc. Busemb. Viva, Diana, etc., affirmat; quia licet peccatum fuerit directe absolutum, non tamen fuit, sicut erat in conscientia, explicatum cum commissum fuit, et sicut est in praesenti iuxta suam cognitam gravitatem, et iuxta confessionem a Trident. *sess.* 14. *c.* 5. praeceptam. Opponunt: Ergo si quis confitetur commisisse decem peccata circiter, et postea recordatur certo fuisse undecim, hic teneretur ad repetendam confessionem. Sed respondetur quod in illo *circiter* iam includitur numerus undecimus: contra in dubia accusatione non includitur certa: nec dubia potest unquam pro certa sumi. Caeterum probabiliter dicunt Coninch. Suar. Sanch. Salmant., etc., quod si quis confitetur peccatum, quod ille nec confessarius ut grave cognoscit, non tenebitur postea illud repetere, cum cognoscet certo illud esse grave in suo genere, quia in tali casu poenitens exponit peccatum ut est in conscientia (3).

35. Hactenus de integritate materiali; sed aliquando in confessione sufficit integritas formalis, nempe quod poenitens confiteatur iuxta quod nunc moraliter potest, remanente caeteroquin sibi obligatione faciendi postea confessionem materialiter integram; cum impedimentum fuerit remotum, et urgeat praeceptum iterum confitendi. Itaque excusat ab integritate materiali impotentia tam phy-

(1) lib. 6. n. 476. v. item.

(2) n. 477. (3) n. 478.

sica quam moralis. Et primo ob impotentiam physicam excusantur 1. muti, quibus tam in morte, quam in praecepto paschali sufficit signis, modo quo possunt, explicare unum peccatum dumtaxat (1). An autem muti scribere scientes teneantur confiteri sua peccata scribendo; negant Castrop. Caiet. Nav. Valent. et alii, dicendo quod talis modus est periculo manifestationis obnoxius. Sed communiter, et probabiliter affirmant Lugo, Bonac. Anaclet. Croix, Salm., etc. cum s. Thoma (2), dum qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. Intelligitur modo haec media non sint notabiliter difficilia; quapropter non tenetur mutus ad scribendam confessionem, cum extraordinario incommodo aut periculo esset illi, ut peccata sua ab aliis cognoscantur (3). 2. Surdi, qui confessarii interrogationibus respondere nequeunt, nec uti deberent, peccata sua explicare sciunt: intelligitur hoc de omnino surdis, quia surdastri debent adduci in aliquem remotum locum, ut eorum confessiones audiantur. 3. Illi qui linguam patriam ignorant. Isti tempore praecepti, aut alterius necessitatis, possunt absolvi manifestando tantum signis peccatorum suorum dolorem; nec tenentur per interpretem confiteri, ut dicunt Suar. Vasquez, Lugo, etc. An autem teneantur confiteri sic in morte. Alii affirmant; sed alii, ut Sot. Caiet. Castr. Salm. Viva, etc. probabiliter negant, nisi esset quod dubitarent de contritione sua; quia tunc tenentur ad confitendum cum sola attritione quam haberent, ut per Sacramentum gratiam perciperent; sed tunc sufficiet ipsis, ut confessario per interpretem aliquod veniale manifestent (4). 4. Moribundi; sed hic multa secernenda sunt. Si moribundus sui compos est, sed nequit loqui, quoties ipse poenitentiae dat signa, aut ostendit velle absolutionem, bene potest absolvi, et quoties repetit signa; quia tunc iam adest confessio in illa expostulatione quam facit de absolutione, aut in illo signo quod dat doloris sui, quo iam confitetur se esse peccatorem; unde tunc directe absolutionem recipit super peccatis omnibus sub generica peccati ratione, licet ipse teneatur, cum poterit, ad ea in particulari explicanda, ut confessionem materialiter integram faciat(5).

36. Sed hic quaeritur 1. an possit absolvi moribundus sensibus destitutus, cum adstantes testificantur illum confessionem petivisse, aut poenitentiae signa dedisse? Negant Cano, Ledesm. Alvar., etc. Sed est communis sententia opposita, quae tenenda est, quia tunc per testes satis sensibiliter confessario fit nota infirmi confessio; ita docent Bellarm. Sotus, Suar. Lugo, Conc. Salm., etc. cum s. Thoma (6), qui dicit: *Si infirmus qui petit Unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, ungat eum sacerdos; quia in tali casu debet etiam baptizari, et a peccatis absolvi.* Et hoc currit, ut dicit s. Antoninus, relatus in Sacerdotali romano apud Lugo, etiamsi infirmus diutius fuerit habituatus in peccatis, et confessus non sit. Hoc probatur ex Concil. Arausicano in *can. Qui recedunt* 26. *q.* 6. et ex Concil. 3. et 4. Carthaginensibus, et a s. Leone Papa in *can.* 15. *Qui* 26. *qu.* 6. et denique ex Ritual. rom. (*de Sacrament. Poenitent.* §. *Ordin. min.*) ubi dicitur: *Etiamsi confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Et haec sententia habet locum, ut probabiliter dicunt Lugo, Dicast. et Croix, licet unus tantum testis adsit, et etiamsi sit mediatus, qui testetur signa a moribundo data. Nec obstat decretum Clementis VIII. quo proscripta fuit confessio facta in absentia confessarii, dum (ut testantur Bell. Suar. et Petrus Lombardo) idem Pontifex declaravit non intellexisse compre-

(1) l. 6. n. 479. (2) in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ad 2. (3) l. 6. n. 479. v. quaer. (4) n. 479. v. 2. surdus. (5) n. 480. (6) opusc. 6. de Sacra Unct.

hendere moribundos, imo expresse dixit hos in nostro casu debere omnino absolvi (1). An autem talis absolutio debeat absolute dari, sententia communior affirmat, dicendo quod in tali necessitate Sacramenta debent absolute conferri, quoties de materiae valore probabilitas habetur: sub conditione autem quoties prudens tantum dubium habetur: sed Suar. s. Anton. Bon. Wigandt, et Croix tenent dandam esse in nostro casu sub conditione; et haec opinio mihi videtur tuta, praecipue cum dubitatur (prout facile dubitari potest in rudibus) an poenitens nec ne rite actum doloris elicuerit (2).

37. Quaeritur 2. an possit absolvi sub conditione moribundus sensibus destitutus, qui nulla dat, nec dedit, poenitentiae signa. Multi negant, ut Lugo, Busemb. Petroc. Abel. Laym. Roncagl., etc., quia tunc, ut dicunt, deest materia sensibilis Sacramenti; sed communius et probabilius affirmant Merbesius, Molin. Carden. Pontius, Salmeron. Iuvenin. Conc. et Croix, et clare id docet etiam s. Augustinus (3), qui dicit: *Quae autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentes finiendae vitae periculum praeoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet Mater Ecclesia* (4). Opponitur: Sed in tali casu ubinam est materia sensibilis Sacramenti? Respondent Gonet et Iuvenin; sed eorum responsiones parum satisfaciunt, ut videre est in opere. Melius respondent Molfes. Aver. Salm. Viva, et alii, quod in tali casu iam prudens dubium habetur, quod moribundus antequam sensibus destitueretur, aut in aliqua intervalli luce, suae damnationis periculum agnoscens, velit, ac etiam petat absolutionem signis sensibilibus, v. g. suspiriis, oculorum aut oris motibus, aut saltem respiratione anxia quam ostendit, licet huiusmodi signa non possint perspicue percipi, sed ipsa aut eorum dubium iam sufficiunt ad dandam absolutionem sub conditione; in casu enim necessitatis urgentis bene licet uti materia etiam dubia: quod utique principium certum est apud theologos, ut testatur Iuven. Imo possumus uti tunc opinionibus etiam tenuiter probabilibus, sicut communiter docent Sot. Navar. Carden. Sanch. Viva, Gobat. Croix, etc., quia necessitas efficit ut in quocumque dubio licite ministretur Sacramentum sub conditione, dum per conditionem iam reparatur Sacramenti iniuria, et eodem tempore prospicitur proximi saluti. Et hic praeterea advertendum est cum Suar. Vasq. Viva, Mazzot. et aliis communiter, quod sacerdotes (cum possunt) tenentur sub gravi absolvere infirmos, ut deducitur ex *can. Si presbyter*, 26. *q.* 6. ubi Iulius Papa dicit: *Si presbyter poenitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum.* Contra etiam advertit Ronc., loquendo generaliter de moribundis, quod non debet intra breve temporis spatium saepius replicari absolutio, nisi novum et certum doloris signum habeatur, quam bis aut ter intra aliquam proportionatam distantiam, quia revera tunc cessat necessitas. Non negatur tamen quod si sensuum destitutio diutius perseverat, cum actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio, v. gr. ter aut quater in die (5).

38. Quaeritur 3. an possit dari absolutio conditionata peccatori, qui sensibus destituitur in actu peccati, v. g. in adulterio, vel duello? Negant Habert, Gonet, Iuvenin. et Conc.; sed affirmant Pontius, Carden. Holzman, Stoz. Gormaz et alii. Dicunt hi quod semper ac constet huiusmodi peccatorem fuisse catholicum, debere absolvi sub conditione in mortis momento; et recte dicunt Merbes. et Du-Pasquier, quod possumus hac uti opinione, potissimum ob s. Augustini

(1) l. 6. n. 481. (2) ibid. v. utrum.
(3) l. 1. de Adult. c. 28 (4) l. 6. n. 482.
(5) n. 482. v. sed dices.

auctoritatem (1) dicentis: *Qui... retinent adulterina consortia, si desperati et intra se poenitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinae carnis illecebris usque ad Baptismum statuerint retineri? Quae autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit.* Et dicendo Sanctus, *Quis enim novit, utrum*, etc. supponit certo tales peccatores nullum certum suae conversionis signum praestitisse. Hanc sententiam puto sufficienter probabilem ratione eadem superiori quaesito adducta, quia de quolibet Catholico prudens potest esse praesumptio, quod si unquam ille aliquo usus rationis intervallo donetur, optet modo meliori quo potest, damnationem suam aufugere. Dictum est *Catholico*, dum (ut bene notat Holzm.) haereticus moribundus, licet det signa poenitentiae, non potest absolvi, nisi expresse absolutionem petat; nam alias non potest prudenter praesumi ea signa dare in ordinem ad confessionem, a qua haeretici vehementer abhorrent (2).

39. Secundo loco ob impotentiam *moralem* excusatur poenitens ab integritate materiali, et ei sufficiet formalis in pluribus casibus: 1. Si est scrupulosus et iugiter praeteritarum confessionum timore vexatur, ut docent communiter Laym. Illsung. Elbel, et Holzm. 2. Si infirmus, confesso uno vel altero peccato, deficeret, aut in periculo deficiendi esset. 3. Si dum affertur Viaticum, confessarius adverteret confessiones praeteritas fuisse nullas, et infirmus non posset tunc integre confiteri, nisi cum periculo sine absolutione decedendi, aut scandali, ut superiori *tract.* 15. *n.* 24. dictum est. Et idem dicit probabiliter Ronc. cum urgens esset necessitas celebrandi, aut communicandi, et tempus finiendae confessionis non suppeteret. Idem currit pro sacerdote habente reservatum, et in celebrandi necessitate constituto, si non adesset confessarius facultate praeditus, ut in antecedenti *tract. n.* 27. diximus. 4. Si sacerdos esset in mortis periculo antequam absolutionem impertiatur. 5. Cum grave adest periculum infectionis, quia tunc confessarius potest absolvere poenitentem infectum; audito uno tantum peccato; Conc. Wigandt, Bonac. Elbel, et alii. Sed si confessarius vellet audire totam confessionem, tenetur infirmus integre confiteri (3). 6. Si imminet naufragium, aut praelium: quia sufficit cuique tantum veniale confiteri, aut se peccatorem esse in generali; et potest tunc sacerdos absolvere omnes in generali; dicendo *Ego vos absolvo*, etc.; praecisus poenitentium concursus, alia non interveniente causa, non est ratio sufficiens ad dimidiandam confessionem, ut ex prop. 59. damn. ab Innoc. XI. (4). 7. Si ex confessione alicuius peccati prudenter poenitens posset timere grave damnum spirituale, aut temporale, proprium aut alienum, v. g. revelationis, scandali sui, aut confessarii, mortis, aut infamiae. Sed intelligitur cum urget necessitas confitendi ob mortis periculum, aut satisfaciendi Communioni paschali; aut (dicunt Lugo, Henriq., etc.) si poenitens esset in mortali, et ceteroquin ei expectandum esset per biduum, aut triduum, ut confiteretur; imo etiamsi per unum diem, sicut dicunt Suar. et Escob. (licet in alia re) ut dicetur in *append.* 3. *de Examine Ordinand. n.* 20. 8. Denique si non posset peccatum confiteri quin sigillum sacramentale revelet (5).

40. Tenent autem nonnulli dd. ut Navarr. Innoc. Hostiensis, etc. quod poenitens debeat peccatum suum reticere, si non potest illud confiteri quin complicem manifestet confessario; nam (ut dicunt) praeceptum

(1) lib. 1. de Adult. Coniug. c. 28.
(2) l. 6. n. 483. (3) n. 484. et 485.
(4) n. 486. (5) n. 487. et 488.

naturale proximi famam servandi praeferendum est praecepto positivo integritatis confessionis. Sed hoc negatur cum communi sententia s. Bonaventurae, s. Antonin. Gonet, Conc. Suar., etc. cum s. Thoma (1) qui dicit: ***Si speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, necesse est, ut exprimat.*** Et idem dicit s. Bern. (*de Forma bon. vitae*). Ratio est, quia ex una parte integritas confessionis, quoties potest, servanda est: contra (ut dicit s. Thomas) manifestare alterius peccatum vacat culpa, cum iusta intercedit causa: ultra quam quod complex peccando amisit ius ad famam, in quantum ad confessionem, quam illius peccati facere debet. Hoc tamen intelligendum, cum confitendum est mortale; nam ut confiteatur veniale, aut mortale iam confessum, non licet alterius grave peccatum patefacere, ut dicunt Lug. Ronc. Viva et Tamb. contra Renzi (2). Et etiam in primo casu quo mortale non adhuc est confessum, tenetur poenitens alium inquirere confessarium, cui complex est ignotus; modo (excipiunt dd.) ad hoc faciendum ei incommodum spirituale, aut temporale patiendum non sit, ut esset 1. Si iam suum declarasset peccatum confessario, cui notus esset complex, ac propterea obligaretur bis ad confitendam culpam suam. 2. Si esset in celebrandi, aut communicandi necessitate. 3. Si ad perquirendum alium confessarium longe ei proficiscendum esset, aut ne indulgentias amitteret; aut si ei gravi esset incommodo conscientiam suam alii quam confessario ordinario manifestare; aut si omittenda esset consueta Communio; et tanto magis si caeteroquin ei ultra biduum (ut dicunt Lugo Viva et Renzi) in mortali perseverandum esset. Henriq. putat diuturnam esse bidui dilationem. Imo Antoine absolute dicit excusare ab obligatione perquirendi alium confessarium unius diei dilationem. Praeterea saepe excusantur matres et uxores in referendis apud confessarium filiorum et virorum peccatis, dum hoc ei confert ad sedandum dolorem, aut ad consilium melius capiendum de modo quo se gerere debeant. Insuper auctores excusant poenitentem, si iudicaret illum confessarium doctiorem, aut saltem suae conscientiae magis conscium, adeo ut melius posset illum dirigere, et animae suae paci consulere; tanto magis, quod multi dd. graves, ut dictum est *Tr.* 11 *n.* 11. tenent non esse culpam gravem etiam sine causa uni vel alteri viro prudenti proximi delictum manifestare (3); sed haec esset causa cur etiam a veniali excusaretur.

41. Advertendum hic denique, quod licet poenitens posset in casibus praefatis licite complicem detegere confessario, nihilominus non licet confessario a poenitente complicis nomen exquirere, licet hoc bono fine efficeret, ut eum corrigat, aut damnum impediat; dum Benedict. XIV. in Bulla *Ubi primum* edita 3. iunii 1746. hoc appellat detestabile: et detestabilius, si confessarius absolutionem negaret ei qui complicem manifestare recusaret. Hinc Pontifex declarat, hoc esse peccatum mortale, et imponit huiusmodi confessario suspensionem (sed ferendae sententiae) ab audiendis confessionibus; et excommunicationem papalem ipso facto in praesumentes docere oppositum; et insuper aliis (non autem poenitentibus), qui scirent aliquem confessarium propter hoc absolutionem denegasse imponit denuntiationis obligationem, modo ille ex simplicitate hoc non effecerit. Recte tamen dicit p. Concina, non intelligi per hoc vetitum fuisse confessario circumstantias ad confessionis integritatem necessarias exquirere, prout sunt illae quae mutant speciem, aut expediat eas scire ad poenitentis directionem; quare bene potest con-

(1) Opusc. 12. q. 7. (2) l. 6. n. 489.

(3) n. 490.

fessarius interrogare de coniunctionis gradu, si complex sit in peccato turpi, an sit ligatus voto castitatis, an sit famula, si in eadem domo commoretur (1). Praeterea dicit p. Mazzotta, quod si a complice gravia timerentur damna, quae solus confessarius avertere posset, tunc complex manifestandus est. Addit auctor Commentarii in Antoine, non potest absolvi poenitens, qui nollet complicem patefacere, cum hoc est necessarium ad publicum damnum reparandum. Ego tamen dico, quod in tali casu nunquam licet confessario stante praefata Pontificis prohibitione, interrogare de complicis nomine; tantum poterit ille tunc obligare poenitentem in generali, ut revelet complicem alicui qui malum impedire potest; sed si poenitens sponte sua confessarium rogaret, ut ipse sibi susciperet has partes et ex se revelaret complicem, tunc confessarius non peccat, et utique potest uti ea notitia, ut remedium afferat; licet plerumque non expediat ut confessarii hoc onus corrigendi ex confessionis notitia sibi assumant, quia hoc difficulter accidit sine scandali periculo, aut sacri ministerii dedecore.

PUNCTUM II.

Quandonam confessio sit invalida, et quomodo revalidanda est.

42. *Quandonam confessio sit nulla ex parte confessarii.*
43. *Quandonam ex parte poenitentis. De complice in peccato turpi.*
44. *Quomodo convalidanda confessio apud eumdem confessarium; et an sufficiat recordari poenitentiae impositae.*
45. *De rudibus qui non explicarunt nec species, nec numerum.*
46. *Quando repetenda est confessio.*

42. Confessio potest esse invalida, aut ex parte confessarii, aut ex parte poenitentis: ex parte confessarii, 1. Si ille caret iurisdictione; 2. si deficit in danda, aut in proferenda absolutione; 3. si nullum poenitentis peccatum intellexit: dico *nullum*, quia si aliquod intellexit, valida est absolutio, si poenitens bona fide eam recipit; tantum huic restat obligatio confitendi peccata, quae confessarius non audivit. Secus autem si eam recipit in mala fide, cum iam advertit, confessarium aut non audire, aut dormire, aut esse ignarum, aut peccati gravitatem non concipere, aut facilem esse in absolvendis, etiam indispositis, quia tunc cum poenitens peccet in eadem confessione, quam facit, illa certe nulla est. Si autem tu cum confiteris, peracta confessione, cognosceres confessarium aliquod peccatum non audivisse, sed nescis quodnam sit, tunc dicunt communissime Sanch. Tamb. Salm. Lug. Dicast., etc., quod si confessio est brevis, teneris eam repetere, secus autem si fuit longa, quia eo casu praesumitur Deus non obligare ad integritatem confessionis cum tanto incommodo (2). Dicunt autem Suarez Sot. Castrop. Lugo Salm. etc. confessionem bona fide factam confessario nescienti distinguere nec species, nec numerum peccatorum, esse validam, nec repetendam. Ego dico hoc intelligendum in casu quo non constat de omissione; quia si constat quod defuit integritas haec, semper supplenda est, ut dicunt ipsi Salm. et Lugo; quandoquidem licet prior confessio fuerit valida, saltem est invalida secunda, in qua defectus animadvertitur (3).

43. Ex parte autem poenitentis est invalida confessio, 1. si ille est excommunicatus, nam excommunicatio privat cuiuscumque Sacramenti perceptione; 2. si ex malitia aut culpabili negligentia omittit aliquod grave peccatum confiteri: 3. si debitum dolorem aut propositum non habet; praecipue si restituere non vult, ut debet, bona, honorem, aut famam ablatam: aut si occasionem proximam voluntariam nolit auferre; 4.

(1) lib. 6. n. 491. et 492. (2) n. 498. et 499. (3) n. 500. v. eodem.

si confitetur aliquod peccatum turpe apud eumdem complicem; nam, ut declaravit Benedictus XIV. in sua Bulla *Sacramentum Poenitentiae* data 1. iun. 1741., confessarius omni privatus fuit iurisdictione erga complicem sui peccati turpis, praeterquam in casu mortis, et quando nullus alius sacerdos etiam simplex adesset; alioquin ille absolvendo incurrit papalem excommunicationem, ut fuse dicetur loquendo *de Iurisdictione confessarii n.* 95. (1).

44. Hinc quaeritur, quomodo repetenda est confessio invalida, cum apud eumdem confessarium fiet? Oportet hic prius advertere, quod cum absolutio dilata est, non opus est ut confessarius distincte reminiscatur peccatorum, quae iam confessa fuerunt, nec ut confessionem repetere faciat, sed sufficit ut in confuso recordetur status poenitentis; ut communiter Silv. Suar. Nav. Conc. Laym. Croix etc. (2). Fit attamen dubium an hoc sufficiat, cum confessio fuerit nulla? Distinguunt Suar. et Coninch. et dicunt quod tunc tantum sufficit, cum confessio invalida fuit solo confessarii defectu circa suum officium, v. g. si absolutionem non dedit aut sibi defuit animus absolvendi; secus autem cum fuit nulla defectu alicuius partis essentialis, ut si defuit dispositio in poenitente, aut iurisdictio in confessario; quia tunc cum confessio fuerit sacrilega, aut facta apud non iudicem, non est sacramentalis. Haec sententia est probabilis, nihilominus opposita est communis cum Navar. s. Antonin. Silvest. Vasq. Medina Lug. Laym. Sa Bonac. Valent. Tamburin. Aver. Croix Salm. etc., et est valde probabilis. Hi dd. dicunt, quacumque ex parte veniat defectus, necesse non esse confessionem repetere, sed sufficere quod poenitens in genere iterum se accuset de peccatis iam patefactis, et quod confessarius poenitentis status recordetur; aut ad summum illius conscientiae in confuso reassumat notitiam. Ratio est 1. quia talis confessio non fuit iam simplex narratio, sed cum facta fuerit in ordine ad recipiendam absolutionem bene potest illa vere dici sacramentalis; dum iam obligat ad sigillum sacramentale. 2. Quia quamvis talis confessio non fuisset sacramentalis, saltem eius ratificatio, iterum poenitente se accusante de peccatis confessis, coniuncta cum cognitione quam confessarius de illis prius habuit, reputatur utique sufficiens ad efficiendam illam validam, et integram. Imo hoc admittit Card. de Lugo, etiamsi poenitens antecedenter peccata sua ob simplicem narrationem confessario declarasset; sed huic acquiescere nequeo, quia tunc dico quod neutra confessio potest dici sacramentalis: non quidem prior, quia illa non fuit facta in ordine ad absolutionem: non secunda, quia non adest confessio cuiuslibet peccati in particulari, sicut requirit Trident.; tantum hoc posset admitti, si confessarius, dum poenitens se accusat de peccatis narratis, distinctam eorum haberet notitiam (3). Addunt multi graves dd. ut Tol. Vasq. Laym. Sa Busemb., quod cum adfuerit confessio facta in ordine ad absolutionem, non solum sufficit memoria in confuso illius, sed etiam solius poenitentiae impositae; quia ex sola poenitentiae notitia potest confessarius debitum formare iudicium poenitentis status. Addunt Castropal. s. Antonin. Silv. etc. apud Croix, sufficere etiam solius poenitentiae adimpletae reminisci, licet nec confessarius, nec poenitens recordentur quaenam fuerit; sed haec opinio mihi videtur nimis extensa, quia sacerdos, ut diximus, debet iudicium formare saltem in confuso de statu poenitentis, tam ad dandam absolutionem quam ad poenitentiam iniungendam, quae in tali casu utique debet imponi ad faciendum Sacramentum integrum (4).

(1) L. 6. n. 501. (2) n. 502. v. quaer. (3) n. 502. dubi. 1. (4) ib. dubit. 2. et 3.

45. Dicit Tambur. et adhaeret p. Segneri (in sua *Instructione ad confessarios*) rudes et pueros qui semper in confuso confessi sunt sine specierum et numeri peccatorum distinctione, sed in bona fide, hos non teneri ad repetendas confessiones. Sed haec opinio nescio quomodo possit admitti, dum isti, ut dicunt Lugo, Navar. Bonac. Salm., etc., semper tenentur ad explicandas species, et numerum omissum, cum id animadvertunt; quia licet eorum confessiones validae fuerint, tamen semper remanet obligatio ad reintegrandam confessionem materialiter(1). Admittunt tamen Salm. cum Dicast. Fagund. Henriq. opinionem Tamb. in casu quo rudis dudum semper conformem vitam duxisset, adeo ut ex confessione unius anni possit iudicari de praeteritis. Sed hoc dico posse admitti quando confessarius a principio confessionis comprehendisset hanc vitae uniformitatem etiam pro annis praeteritis; secus autem quando in fine confessionis cognosceret defectum praeteritarum, et illius novissimae confessionis notitia distincta peccatorum in eius mente non restaret: nam licet confessario sufficiat ad dandam absolutionem notitia confusa status poenitentis, nihilominus semper opus est ut iudicium peccatorum in particulari semel formaverit(2).

46. Caeterum recte dicunt Filliuc. Gobat. Holzm. Elbel, Croix, Mazz. cum p. Segneri in dubio non teneri poenitentes ad repetendas confessiones, quoties praesumptio et per consequens possessio stat pro illarum valore, nisi de nullitate constet. Nec obstat dicere quod, cum adest praeceptum, et dubitatur de eius satisfactione, possessio est pro obligatione; nam respondetur hoc habere locum cum dubitatur de actu satisfactionis: sed non cum est certum opus fuisse adimpletum, quia tunc in dubio possessio stat pro valore actus, iuxta principium communiter receptum a dd.; ita Laym. Croix, Spor. et Mazzotta cum Navar. qui dicit: *Praesumptio pro actus valore praeponderat aliis* (3). Et circa obligationem repetendae confessionis, optimam regulam exhibet Habert, et sic dicit: Si observetur quod poenitens post confessionem occasiones vitavit, et pro aliquo tempore tentationibus obstitit, bene possunt iudicari validae confessiones; secus autem, si observatur quod paulo post, oblata sibi prima occasione, facile, ut prius, lapsus est; dum illi, quem vere poenitet, et qui firmiter vitam in melius mutare statuit, impossibile est quod ita faciliter recidat, quin saltem per aliquod tempus perseveret, aut quin prius saltem multam praestiterit resistentiam; unde fit quod si quis post confessionem statim sine ullo conatu labitur, signum moraliter certum exhibet, eius confessiones praeteritas nullas fuisse, quia deerat dolor et propositum (4).

(1) l. 6. n. 504. et ib. v. dicit 2.
(2) ib. v. dicunt 3. (3) n. 505.
(4) n. 505. v. et quoad.

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE, SIVE DE POENITENTIA

Quoniam si peccatori remittitur culpa, non semper tota poena remittitur, sed plerumque ei remanet satisfacienda; ideoque tertia pars Sacramenti Poenitentiae est satisfactio sacramentalis, quae dicitur pars non essentialis, (quia sine hac etiam potest esse validum Sacramentum) sed integralis, nam inservit ut Sacramentum fiat integrum.

Punctum I.
De impositione poenitentiae.

47. Circa hoc multa adnotanda sunt.

Notandum 1. confessarium in danda absolutione teneri imponere poenitentiam, ut declarat Trident. *sess.* 14. *c.* 8.: unde peccat, si eam non imponit, et quidem graviter, cum confessio est de mortalibus; si est de venialibus, aut de mortalibus iam confessis, probabile est (ut dicunt Lugo, Dicast. Salm. Mazzotta, etc.) non peccare graviter (1). Et licet poenitens statim post absolutionem alterius peccati confiteatur, confessarius pariter debet imponere novam poenitentiam, saltem levem. Dicunt Bon. Croix et Mazzot. sufficere tunc ei imponere denuo priorem poenitentiam; sed recte hoc negant Castrop. Ronc., etc., quia licet possit imponi opus debitum ex alio praecepto, sicut infra dicetur nihilominus non posset imponi opus debitum eodem titulo poenitentiae (2). Poenitentia plerumque imponenda est ante absolutionem, ut videat quomodo eam poenitens acceptet; sed potest aliquando imponi immediate post absolutionem; tunc enim moraliter cum illa unitur: ita communissime Busemb. Salm. Viva, Diana, Sporer, etc. (3).

48. Notandum 2. poenitentiam semper debere imponi sub aliqua obligatione. Sed fit dubium an confessarius possit imponere poenitentiam gravem sub levi obligatione? Negant Bonac. Coninch., etc., dicentes materiam gravem sub levi obligatione imponere solius legislatoris esse, non autem simplicis ministri, qualis est confessarius. Sed communius et probabilius affirmant Suar. Filliuc. Henriq. Fag. Busemb. Segneri, Tamb. Dicast., etc., quia in Poenitentiae Sacramento sacerdos non simplicis ministri Iesu Christi fungitur officio, sicut in caeteris Sacramentis, sed est verus iudex a Salvatore constitutus cum facultate solvendi a peccatis, et ligandi per poenitentiam, adeo ut obligatio huius totaliter dependeat ex confessarii praecepto (4).

(1) l. 6. n. 506. (2) n. 513. dubit. 2. (3) n. 514. v. 8. etsi. (4) n. 518.

49. Notandum 3. circa quantitatem poenitentiae, illam debere esse proportionatam culpis; sed in hoc attendenda sunt verba Tridentini, *sess.* 14. *c.* 8. ubi sic dicitur: *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Itaque quantitas poenitentiae a Concilio remittitur confessarii arbitrio, *quantum spiritus et prudentia suggesserit.* Hinc fit quod poenitentia multis de causis potest minui. 1. Si poenitens accessit valde contritus; aut si ille prius multas poenales patravit actiones (5). 2. Tempore iubilaei aut indulgentiarum plenariarum; sed semper tunc debet imponi aliqua poenitentia, ut declaravit Benedictus XIV, tum quia nemo potest securus esse plenariam indulgentiam lucrari, tum quia semper integrandum est Sacramentum (6). Et cum poenitens indiget poenitentia medicinali, haec omnino imponenda est, ut bene advertit Mazzot. 3. Si poenitens sit infirmus corpore, cum advertat Rituale rom., infirmis tunc non esse imponendam gravem poenitentiam, sed tantum pro tempore cum convaluerint. Quod si infirmus sit constitutus in mortis periculo aut sensibus destitutus, tunc potest absolvi sine ulla poenitentia; licet semper expediat aliquam levem ei imponere, ut osculari Crucifixum, aut invocare nomina Iesu et Mariae, saltem in corde, etc. Non expedit infirmo pro poenitentia imponere ut patienter infirmitatis incommoda sufferat, hoc enim potest esse illi multorum scrupulorum occasio. Contra recte advertunt Salm. quod si infirmus possit satisfacere per eleemosynas, istas utique esse a confessario

(5) n. 507. (6) n. 519.

iniungendas, dum quilibet tenetur eam facere, quam potest, poenitentiam (1).

50. Potest 4. minui poenitentia, si poenitens est infirmus spiritu; adeo ut prudenter timeatur ne ille non adimpleat poenitentiam proportionatam; ita docent communiter Suar. Scot. Navar. Laym. Abelly, Castr. Habert, Gonet, Gerson. Caiet. Natalis ab Alex. Antoine, Anacl.; ita etiam *s. Carolus Borrom. in Instruction. ad confessarios*, qui monet confessarios, ut minuant poenitentiam iuxta dispositiones poenitentium, eos admonendo: *Hoc factum esse* (sunt sua verba) *ne eam, quae pro culparum ratione iniungenda erat, deserant* (nota) *cum periculo salutis suae.* Idem docet s. Thomas, cuius verba mox infra referemus. Verum est quod in Trid. dicatur, quod poenitentia debeat delictorum qualitati correspondere; sed mox subiungit, quod debeant esse *pro poenitentium facultate salutares et convenientes. Salutares*, nempe utiles poenitentis saluti: *et convenientes*, nempe proportionatae, non solum peccatis sed etiam poenitentis viribus. Hinc non solum non essent salutares, nec convenientes illae poenitentiae, quibus poenitentis vires ob spiritus imbecillitatem pares non sunt; sed potius essent ei perniciei, quam saluti. In hoc Sacramento potius attenditur emendatio, quam satisfactio; propterea ait Rit. romanum. (*de Sacramento Poenitentiae*) quod confessarius in danda poenitentia debet rationem habere poenitentis dispositionis. Et s. Thomas (2) dicit: *Sicut medicus non dat medicinam ita efficacem ... ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, iniungit, ne infirmus desperet, et a poenitentia totaliter recedat.* Et alibi (3) dicit, quod sicut parvus extinguitur ignis, si multa ligna superimponantur; ita accidere potest, quod parvus poenitentis affectus contritionis extinguatur pondere poenitentiae: et subiungit: *Melius est quod sacerdos poenitenti indicet quanta poenitentia esset sibi iniungenda, et iniungat nihilominus quod poenitens tolerabiliter ferat.* Et alibi (4) addit: *Tutius est imponere minorem debito, quam maiorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam propter nimiam severitatem, quia talis defectus in purgatorio supplebitur.* Id prius tradidit Chrysostomus in *cap. Alligant*, 12. *caus.* 26. *q.* 7. dicens: *Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse habet, ut aut fascem abiiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini, cui grave pondus poenitentiae imponis, necesse est ut aut poenitentiam tuam reiiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet.* Idem etiam dicunt Gerson. Caiet. et praecipue s. Antonin. (5) qui dicit, quod debet imponi illa poenitentia quam iudicatur poenitens executurus, et quam ille tunc libenter acceptat. Et si poenitens protestatur sibi non esse vires sufficientes ad poenitentiam convenientem, concludit tandem s. Anton.: *Tunc quantumcumque deliquerit, non debet sine absolutione dimitti.* Sufficiens tunc erit, ait Sanctus, ut ei imponatur in generali quicquid boni egerit sub iisdem verbis Ritualis: *Quicquid boni feceris etc.*, quae opera cum Sacramento Poenitentiae coniuncta, ut docet Angelicus (6), ob Sacramenti virtutem, maiorem acquirent valorem ad satisfaciendum pro peccatis commissis. Item probabiliter addunt multi dd. Lugo, Petroc. Croix, et Salm. cum eodem s. Antonin. (7) esse iustam causam ad minuendam poenitentiam iudicare poenitentem ita me-

(1) l. 6. n. 507. (2) Suppl. quaest. 18. art. 4. (3) Quodlib. 3. a. 28. (4) Opusc. 65. §. 4. (5) 3. part. tit. 16. c. 20. et in opere morali l. 6. n. 510. per totum. (6) Quodlib. 3. a. 28. (7) vide ibidem.

lius erga poenitentiam affici studio. O quam pulchrum est consilium *sancti Thomae a Villanova* (1), *facilem unam iniunxeris, acriorem consulueris!* Expedit ut poenitenti comprehendere facias poenitentiam quam mereretur; cui potest conducere etiam indicare poenitentias antiquas Canonum poenitentialium (hae inveniuntur in opere (2) adnotatae). Iuvabit pariter, ut dicit s. Thomas de Villanova, suadere poenitenti graviorem poenitentiam, sed postea imponere ei oportet eam tantum, quam prudenter iudicabit confessarius ab eo adimpletam iri. Insinuat s. Franciscus de Sales (3), et idem dicit Rit. parisien. (4) expedire, ideoque a poenitente expetere, an valeat ipse eam poenitentiam exequi; secus commutetur. Idem admonuit s. Carolus Borromaeus, dicendo: *Talem imponat poenitentiam qualem a poenitente praestari posse iudicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anve dubitet poenitentiam sibi impositam peragere; alioquin eam mutabit, aut minuet.* Confert etiam plerumque inter opera iniuncta aliquam gravem poenitentiam imponere, sed non sub gravi (ut *n. praecedenti* dictum est); aut aliquod opus aliunde praeceptum, aut debitum, ut infra dicemus.

51. Ex quo deducitur quam imprudenter se gerunt confessarii, qui poenitentiam viribus poenitentium imparem iniungunt. Quot istorum multoties non dubitant faciliter recidivos indispositos absolvere, et etiam eos qui in proxima peccandi occasione versantur, et insipienter postea putant iis mederi imponendo gravissimas poenitentias, licet videant quod illi eas adimplere non possint: imponunt v. g. ut octavo quoque die per annum confiteantur: ut quindecim decades Rosarii quolibet die recitet ille, qui ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare: imponunt ieiunia, disciplinas, orationem mentalem illi, qui nec nomen unquam audivit. Et quid hinc eveniet? Eveniet quod licet inviti acceptent quod imponitur, ut absolutionem aucupentur, nihilominus postea nihil horum executioni demandant; et credendo in novum peccatum esse delapsos, imo putando (praecipue rudes) nullius fuisse momenti confessionem factam, quia poenitentiae impositae non satisfecerunt, propterea ad pristinum perditum vivendi modum redeunt: et ob poenitentiae impositae pondus perterriti a confessione horrent, et ita in peccatis tabescere pergunt. Et hic est fructus qui in perniciem tot miserorum colligitur ex huiusmodi satisfactionibus, quas convenientes vocant, sed melius dicendae essent inconvenientissimae. Caeterum extra casum gravissimae infirmitatis, aut compunctionis extraordinariae, non bene ageret confessarius, si pro culpis gravibus adiungeret levem satisfactionem, levem inducentem obligationem: etenim licet (cum expedit) possit adiungi opus quod, habita peccatorum ratione, sit leve, attamen semper debet imponi gravis satisfactio, quae obliget sub gravi (5).

52. Notandum 4. circa qualitatem poenitentiae, non imponendas poenitentias perpetuas, aut valde onerosas, ut ingredi religionem, et tanto minus matrimonio ligari, quod omnimodam requirit libertatem; item non imponantur vota perpetua; imo licet poenitens vellet vovere, v. g. de non relabendo, ei non permittatur nisi ad tempus; ut videat quomodo illud observet. Loquendo autem de poenitentia conditionata, v. g. aut de ieiunando, aut de eleemosynam elargiendo quoties cadet, potest utique illa imponi, et cum imponitur, tenetur poenitens eam acceptare et exequi, ut recte dicunt Suar. Laym. Bonac. Salm. et Aversa (contra Dianam, etc.); sed non expedit eam ad

(1) Serm. Fer. 6. post Dom. Laetare. (2) l. 6. n. 530. (3) Instruct. ad confess. c. 8. (4) l. 6. n. 509. (5) n. 510. in fine. v. ex his et 518.

longum tempus imponere, quia postea faciliter negligitur et peccata multiplicantur; potest igitur imponi tantum ad breve tempus, ut ad mensem, aut ad aliam confessionem (1). Item advertendum, non esse imponendas poenitentias publicas pro peccatis occultis; tenetur autem confessarius has imponere, si alia via occurri non possit scandalo dato, vel honori alicuius palam detracto; sed non est adstringendus poenitens ad publicam poenitentiam, si ipse renuit, et alio modo possit scandalum reparare, nimirum Sacramenta frequentando, ecclesias visitando, ad aliquam congregationem se aggregando, etc. (2).

53. Notandum 5. opera satisfactoria debere esse poenalia, nam (ut advertit Trident. *sess.* 14. *cap.* 8.) satisfactio non solum debet esse medicinalis in novae vitae custodiam, sed etiam ultrix in peccatorum commissorum satisfactionem. Haec poenalia opera reducuntur ad ieiunium, eleemosynam, et orationem. Sub ieiunii nomine veniunt omnia sensuum mortificationum genera. Sub orationis nomine etiam veniunt confessiones, Communiones, ecclesiarum visitationes, et etiam actus interni charitatis, contritionis, aut meditationis, qui actus utique possunt imponi in poenitentiam, iuxta communem dd. (3). Advertunt tamen tam orationem, quam eleemosynam, et quodcumque opus bonum valere pro opere poenali, ut communiter docent theologi; nam respectu nostri filiorum Adam post statum naturae lapsae quaecumque actio virtuosa habet rationem poenae, quia propter iustitiam originalem amissam, omnes proni sumus in malum, et proprias commoditates; ita Valent. Castrop. Laym. Pitig. Salm. cum multis aliis (4). Idem novissime scripsit doctus auctor *Instruct pro novis Confessariis* (5), qui ait: *Hic advertendum nos haud dicere, nec inutilem reputare poenitentiam illam, quaecumque illa sit, quae iniungitur in Sacramento, cum certum sit, quod etiam signum crucis cum Sacramento coniunctum est efficax ad satisfaciendum; tanto magis, quia in statu praesentis naturae lapsae omne opus bonum est quodammodo affligens, et poenale*. Hoc etiam confirmatur ex s. Francisco de Sales (6), qui sic ait: *Alius patitur in ieiunando, alius infirmis inserviendo, audiendo confessiones, concionando, orando, et similibus actibus. Haec poena* (orandi) *praestat alteri poenae* (ieiunandi); *etenim oratio, praeterquam quod domat corpus, affert fructus desiderabiliores*. Praesertim confirmatur e s. Thoma, qui dicit: *Quaelibet oratio habet rationem satisfactionis, quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis*, ut dicit Gregorius (*super Ezech. homil.* 17.): *Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur fortitudo carnis* (7). Potest etiam imponi in poenitentiam aliquod opus ad quod poenitens tenetur, ut interesse Sacro die festivo, ieiunare in vigiliis, sicut etiam communiter dicunt Sot. Suar. Laym. Sanch. Valent., etc., quia cum tale opus sit satisfactorium, tunc per Sacramentum elevatur ad meritum satisfactionis sacramentalis. Hoc potest fieri, cum dignoscitur poenitens valde debilis spiritu; caeterum regulariter loquendo debet imponi aliquod opus liberum; ideoque quoties confessarius non se manifestat, intelligitur impositum opus distinctum. Attamen si confessarius imponit adesse Sacro per mensem, non tenetur die festivo duobus adesse; ita communiter Castrop. Bo-

(1) l. 6. n. 511. (2) n. 512. (3) n. 514. dubit. 1. (4) Valent. t. 4. disp. 7. quaest. 14. punct. 3. Castrop. dist. un. p. 21. §. 3 n. 1. Laym. tr. 6. de Sacram. Poenit. c. 15. n 9. Pitig. 2. p. dist. 15. quaest. 1. a. 3. concl. 1. Salmant. tract. 6. de Poenit. c. 10. n. 26. (5) Instr. pro nov. conf. p. 1. c. 16. n. 373. (6) Introd. ad vitam. devotam, c 23. (7) S. Thom. Sup. q. 15. art. 3. ad 1

nacin. Coninch. Laym. Sanch. Croix, Salmant., etc. Potest etiam imponi opus aliis applicandum, ut animabus purgatorii, ut probabilius dicunt Lugo, Tournel. Busemb., etc. (1). Potest etiam imponi abstineri ab aliquo opere bono, v. gr. a Communione, et ieiunio, sicut probabiliter tenent Suar. Mol. Lugo, Sporer, et Salm., quia talis cessatio utique potest esse actus virtutis, saltem ut experiatur obedientia erga seipsum confessarium. Sed hoc non est practicandum, nisi cum animabus devotis, et nec cum ipsis quidem, cum possit aliis ingeri suspicio talem cessationem esse poenitentiam a confessario impositam (2). Non potest autem poenitens satisfacere per alios, sicut dicebat propos. 15. damn. ab Alexandro VII. Potest vero confessarius hoc concedere poenitenti, ut dicunt Sot. Suar. etc., cum s. Thoma; nam tunc non opus iam, sed huius procuratio esset satisfactio sacramentalis, sicut notant Laym Vasq. Bon., etc. cum Mazzotta (3).

54. Circa praxim regula huius requirit, ut imponantur opera carnem coercentia pro peccatis sensualibus, eleemosynae pro peccatis avaritiae, oratio pro blasphemiis, etc. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit poenitenti. Quamvis autem maxime utile sit imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, et eleemosynas; nihilominus praxis habet has reddi damnosas iis, qui aut nihil, aut parum habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hae solent esse, nimirum aggregari ad aliquam congregationem: quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum s. Philippo Nerio: *Domine, ne auferas hodie manus tuas a me, ne tui proditor efficiar*; visitare quotidie sanctissimum Sacramentum, et imaginem quoque Mariae sanctissimae, ab eis perseverantiae gratiam postulando. Rosarii saltem tertiam partem, et ter Salutationem angelicam mane, meridie et vesperi, dicendo: *Mater mea, adiuva me hodie, ne in Deum peccem* (Hanc tamen poenitentiam, ter recitandi Salutationem angelicam cum praedicta supplicatione, ego plerumque solitus fui iniungere, aut saltem consulere iis, qui eam non solebant frequentare): cum cubitum iverint, dicere in lecto: *Si nunc mihi morandum fuisset in inferni igne*; aut dicere: *Veniet dies quo mihi in hoc lecto moriendum erit*: qui legere sciunt, et potissimum Ecclesiastici, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem. Monet autem s. Franciscus Salesius (4), non esse gravandum poenitentem multis rebus, ne confundatur et terrefiat.

Punctum II. *De acceptatione et satisfactione poenitentiae.*

55. Quoad poenitentiae acceptationem, communiter docent dd. teneri sub gravi poenitentem eam acceptare cum illa est rationabilis, quia in hoc confessarius est verus eius iudex, cui ille parere debet. Unde Suar. et Bonac. post Trid. vocant temerariam opinionem Navar. et Caiet., etc. qui dicebant poenitentem posse poenitentiam recusare, ut eam in purgatorio satisfaciat (5). Dicit Busemb. cum Soto, et Reginal. quod si poenitens nollet aliam acceptare poenitentiam quam levem, licet mereatur gravem, posset utique confessarius eum absolvere. Sed ego nec huic acquiesco, iuxta quod diximus *n.* 51. *in fine*, et iuxta id quod docet Lugo; quia sicut peccaret confessarius, qui

(1) l. 6. n. 514. dubit. 2. (2) ib. v 7. potest. (3) de Poenit. qu. 5. in fin.

(4) instruct. Conf. c. 8.
(5) l. 6. n. 516.

sine iusta causa (ut infirmitatis) vellet levem poenitentiam pro culpis gravibus imponere, ita etiam peccat poenitens, qui graves culpas afferendo, non vult acceptare nisi levem poenitentiam. Caeterum probabiliter dicunt Suar. Layman, Concina, Busemb. Elbel, Holzm. et Sporer, quod si poenitens putaret illam poenitentiam nimis gravem respectu sui peccati, aut saltem suarum virium, et confessarius nollet eam moderari, bene potest ille, recusata absolutione, alium quaerere confessarium (1).

56. Quoad autem poenitentiae satisfactionem, notandum 1. iam peccare graviter qui poenitentiam gravem sibi impositam pro peccatis gravibus non adimplet; sed contra peccat tantum venialiter, qui levem omittit poenitentiam pro culpis levibus impositam, aut pro peccatis iam alias confessis iuxta communem. Nec obstat dicere quod Sacramentum restaret incompletum; quia cum sit essentialiter hoc completum, obligatio illud integrandi non est nisi levis, cum materia non est nisi levis; sed Rosarium B. V. licet quinque decadum, non potest esse tale. Dubium maius fit, si imponatur pro poenitentia materia gravis pro culpis levibus aut iam confessis? Volunt tunc Bonac. Conc. et Roncag. debere sub gravi eam adimpleri; sed probabiliter hoc negant Sotus, Navar. Laym. Lugo, Sporer, Croix, etc. Ratio est quia in tali casu, sicut confessarius non potest imponere sub gravi obligatione gravem poenitentiam, ita nec poenitens tenetur sub gravi eam satisfacere. Non nego tamen cum Roncagl. quod si casu illa peccata, licet venialia, valde disponerent ad mortale, bene potest confessarius imponere poenitentiam gravem, ut liberet poenitentem a periculo mortalis; et tunc poenitens tenetur, si cupit absolvi, ad eam acceptandam, et satisfaciendam sub gravi obligatione (2).

An autem circumstantiae poenitentiae, v. gr. flexis genibus, nudis pedibus, etc. importent obligationem gravem, aut levem, hoc dependet ex gravi molestia, quam secum affert circumstantia, ut communiter dicunt dd. (3).

57. Notandum 2. quod licet non adsit obligatio adimplendi poenitentiam ante Communionem, ut requirebat propositio 22. damnata ab Alexandro VIII, nihilominus peccat qui diutius eam differt, v. g. per annum, et etiam per sex menses, ut recte dicit Mazzotta; sed neutiquam qui per mensem eam differt, modo poenitentia non sit medicinalis, ut advertunt idem Mazzotta et Croix; et modo in posterum posset eam adimplere. Caeterum non peccat graviter qui ieiunium feriae sextae in sabbatum transferret, aut qui Communionem singulorum mensium ad 6. aut 8. dies alios transferret, ut probabiliter dicunt (contra Salmant. et Lugo) Suarez, Castrop. Spor. Holz. Mazzot. cum Ronc. (qui tamen recte excipit, si poenitentia esset medicinalis). Imo Croix cum Gob. Steph., etc. putat non esse mortale, si ex 10. Communionibus unam omitteret (4). Caeterum qui omittit die statuto poenitentiam adimplere, non ideo deobligatus ab illa restat; nam quando a confessario assignatur dies, semper ille intelligitur accessorie destinatus, nempe ad sollicitandam, non autem ad finiendam obligationem (5). Dicunt tamen Bonac. Coninch. Gobat., etc. apud Mazzotta (6), quod si confessarius imponit Communionem singulis B. Virginis festis, aut ieiunium quolibet sabbato in eius honorem, elapso illo die, terminatur obligatio, quia tunc videtur confessarius velle obligare ieiunium tantum ad diem illum. Non dubitatur autem quin possit poenitentiae satisfieri eodem tempore quo alteri satisfit praecepto, prout Rosarium recitare dum in festo auditur Sacrum,

(1) l. 6. n. 516. (2) n. 517. (3) ib. v. an autem. (4) n. 521. (5) n. 525.

(6) de Poenit. qu. 5. v. dico 4.

etc. sicut dictum fuit *tr.* 2. *n.* 30. Sed cum confessarius imponit duas audire Missas eodem die, intelligitur successive, non autem eodem tempore, ut recte dicit Mazzotta (1) cum Croix.

58. Quaeritur 1. an poenitentiae debeat satisfieri cum intentione ei satisfaciendi? Alii affirmant, ut Vasq. cum Mazzotta (2), dicendo quod in caeteris praeceptis sufficit ponere opus praeceptum, sed in hoc requiritur amplius intentio integrum efficiendi Sacramentum. Sed probabiliter negant Sanch. et Lug. (3) cum Suar. et cum communi, ut asserit. Utitur Lugo alia ratione; sed illa quae apud me maiorem vim facit, est quod poenitens in acceptando poenitentiam utique animum eam adimplendi habet, unde quoties ille ponit opus iniunctum, saltem ponit id ex intentione habituali habita, et non retractata poenitentiae satisfaciendi; et in hoc cur non sufficit intentio habitualis, cum habitualis sufficit ad suscipiendum quodlibet Sacramentum? Propterea quisque in quolibet satisfactorio opere, quod ponit, semper intendit voluntate generali satisfacere prius operi debito, quam aliis subrogationis.

59. Quaeritur 2. ad quid teneatur poenitens, qui oblitus est poenitentiae? Alii, ut Busemb. s. Anton., etc., volunt teneri ad repetendam confessionem, ut Sacramentum faciat integrum; sed communiter, et valde et forte magis probabiliter negant Suar. Vasq. Laym. Castrop. et alii, et hoc etiamsi culpabiliter oblitus fuisset, ut dicunt Sot. Navar. Lugo, Salm. Croix, et Holzm., quia in tali casu poenitentia reddita est impossibilis, et ex altera est valde dubia lex, an repetenda sint peccata iam semel directe remissa, ut integretur Sacramentum. Attamen si poenitens putaret confessarium reminisci posse poenitentiae impositae, teneretur certe eumdem adire, ut eum de illa interroget (4).

60. Quaeritur 3. an poenitens in mortali existens possit poenitentiae satisfacere? Alii negant, sed communissime affirmant Suar. Nav. Lugo, Conc. Ronc. Salm., etc., quia ex regula generali s. Thomae pluries repetita, finis praecepti non cadit sub praecepto. Opponunt hic quemdam textum eiusdem Angelici: sed s. Doctor ibi aliud non dicit quam illud opus in peccato factum merito carere, sed non dicit non satisfacere (5). Communis autem est sententia apud omnes, quod poenitens, satisfaciendo poenitentiae in peccato mortali, non peccet mortaliter. Caeterum iudico esse probabile cum Suar. Laym. Bonacin. etc. (contra alios) istum saltem peccare venialiter, dum satisfaciendo in mortali impedimentum ponit effectui partiali Sacramenti (6).

61. Quaeritur 4. quisnam possit poenitentiam mutare? Certum est, et commune apud dd. (quicquid dicat Diana cum paucioribus) poenitentem non posse ex se poenitentiam mutare, etiam in opus evidenter melius; nam sicut non potest poenitentia nisi a confessario imponi; ita nec potest nisi ab eo solo mutari (7). Dubium fit an possit mutari ab alio confessario, quin repetantur peccata? Negant probabiliter Castr. Lugo, Laym. Concina, Holzm. Spor., etc., dicendo poenitentem debere tunc iterum confessionem repetere apud illum confessarium, saltem in confuso, ut ei det notitiam status suae conscientiae. Sed multi alii etiam probabiliter affirmant, ut Tolet. Navar. Bonac. Sa, et probabile dicunt idem Lugo, Laym. Salm. Holzm. Sporer, etc. Ratio est quia in hac posteriori confessione non agitur de peccatorum in priori confessione adductorum iudicio faciendo, cum illud iam absolutum sit; sed tantum de imbecillitate poenitentis priori poenitentiae satisfaciendi. Opponitur: sed poenitentia debet esse medicinalis, et quo-

(1) loc. cit. (2) ibid. (3) de Poenit. d. 24. n. 43. (4) l. 6. n. 520. (5) n. 522. (6) n. 523. (7) n. 528. resp. 3.

modo medicinam praescribet qui infirmi vulnus ignorat? Respondetur quod confessarius ex eadem poenitentia imposita potest peccatorum, pro quibus illa imposita erat, materiam argumentari, et ita potest se dirigere in commutando aut diminuendo eam (1). Et probabiliter dicunt Nav. Spor. et Tamb. confessarium non requisitum a poenitente posse ex se mutare ei poenitentiam, cum praevidet quod ille verisimiliter perget eam negligere (2). Nonnulli dd. ut Castrop. Sanch. Bonac., etc. permittunt etiam confessario inferiori posse poenitentiam a Superiore ob casus reservatos impositam permutare. Sed hoc recte negant Gonet, Suar. Lug. Holzm. Spor. Conc. Coninch. Valenz. Renzi, etc., quia inferior non habet facultatem mutandi sententiam Superioris in iudicio prius formato; tantum hoc posset admitti cum Suar. Bonac. Renzi, Med., etc., cum poenitens difficulter posset ad Superiorem redire, et contra gravis adesset causa ut mutetur poenitentia, quia tunc merito praesumitur Superioris conniventia (3). Dubitatur autem an poenitentia possit mutari extra confessionem? Respondetur: quod si confessarius est alius, certum est non posse fieri; si autem est idem, alii aa. admittunt posse id fieri etiam post 8. dies; sed merito hoc negat sententia communior Bonac. Suar. Nav. Salm., etc. qui vix id permittunt confessario immediate post absolutionem, antequam a confessario discedat poenitens (4). Attamen facta commutatione semper potest poenitens eligere primam poenitentiam, uti docent Suar. Less. Bonac. et alii cum p. Mazzotta (5).

Punctum III.

De satisfactione per indulgentias.

62. *De indulgentiis.*
63. *An quis possit lucrari plenariam ex parte.*
64. *De iubilaeo, et de pluribus declaratis circa iubilaeum a Benedicto XIV.*
65. *An opera debeant omnia in una hebdomada adimpleri; et hic de oratione, et eleemosyna, et etiam de commutatione.*
66. *An ex invalida confessione auferatur reservatio, et censura.*
67. *An peccet absolutus postea non adimplendo opera.*
68. *Qui reservati obliviscitur.*
69 *Qui peccat in confidentiam iubilaei.*
70. *An antequam damno satisfiat, etc.*
71. *In iubilaeo a quibus casibus, et censuris potest absolvi.*
72. *Nonnulla circa annum sanctum adnotantur.*

62. Loquendo de indulgentiis in generali, indulgentia definitur: *Gratia qua remittitur poena temporalis, opere praescripto praestito; idque per absolutionem in subditos, per suffragium in defunctos.* Declaravit autem Trident. *sess.* 25. *Decr. de Indulg.* Ecclesiam a Deo habere facultatem indulgentias concedendi, et eam ab antiquis temporibus illis usam fuisse; unde Concilium excommunicatione damnat eum, qui inutiles esse indulgentias diceret, aut qui eam potestatem in Ecclesia esse negaret. Ad lucrandas indulgentias tria requiruntur: 1. Ut adsit causa rationabilis, et proportionata. 2. Ut opera praescripta adimpleantur. 3. Ut persona sit in gratia, saltem cum ultimum opus praescriptum ponit: alioquin non lucrabitur indulgentiam, neque pro se, neque pro defunctis, quicquid dicant alii (6). Deinde notandum 1. indulgentiam non spirare morte concedentis, nisi adsit clausula, *Ad beneplacitum nostrum.* Notandum 2. indulgentias intelligi debere, ut Indulti verba sonant; quia error, licet communis esset, in hoc non supplet. Contra, cum sint gratiae, large interpretandae sunt; unde fit, quod si tempus non determinatur, perpetuae intelligendae sunt. Notandum 3. indulgentiam esse alteram *plenariam*,

(1) l. 6. n. 529. dubit. 1. (2) ib. in fin. (3) ib. dubit. 2. (4) ib dubit. 3.

(5) de Poen. qu. 5. c. 2
(6) lib. 6. n. 533

sive *totalem*, quae ab omni poena liberat: alteram *partialem*, ut sunt *septenae et quadragenae*, quibus intelligitur tolli illa poena, quae tolleretur per ieiunium illorum annorum, aut dierum, qui in Indulto exprimuntur (1).

63. Dicit autem Busemb. non lucrari indulgentiam plenariam eum, qui ab omni culpa, etiam veniali, non est immunis. Sed multi alii aa., ut Laym. Wigandt, Sporer, Viva, Pellizar. et Renzi, tenent, quod quamvis peccatum sit veniale, si non est remissum quoad culpam, neque remitti potest quoad poenam, ut certum est cum s. Thom. (2); nihilominus veniale non remissum non impedit, quominus remittatur poena debita aliis peccatis iam remissis; quia sicut non repugnat, ut remittatur culpa unius venialis, quin remittatur culpa aliorum; ita etiam de poena dici potest; et non sine ratione talis esse praesumitur Pontificis intentio (3). In sequenti numero, loquendo de iubilaeo, dicemus alia quae etiam ad hanc indulgentiarum materiam pertinent.

64. Procedendo igitur ad loquendum de iubilaeo, antequam ad dubia, quae super hac re occurrunt, descendamus, multa hic adnotare oportet, quae declaravit Benedictus XIV. in sua Constitutione, *Inter praeteritos*, edita die 3. decemb. 1749. (4), in qua (ut ipse alibi declarat) voluit de medio tollere multas quaestiones, quas super hac re dd. agitabant. Ea, quae declarata fuerunt, sunt sequentia: 1. Clausula *Vere poenitentibus, et confessis*, in iubilaeo intelligenda est de vera confessione, contra opinantes non opus esse confiteri eum, qui a culpis gravibus erat immunis; ita in iubilaeo; sed pro aliis indulgentiis ait Pontifex hoc pendere ab Indulti verbis, an requirant confessionem uti conditionem, an uti dispositionem (nota quod Clemens XIII. declaravit, semper requiri confessionem ad lucrandas indulgentias). 2. Omnes visitationes ecclesiarum praescriptae debent uno die compleri, incipiendo a media ad mediam noctem, aut a vesperis ad vesperas alterius diei. 3. Indulgentiae concessae, *Ad beneplacitum nostrum*, morte Pontificis spirant. 4. Indulgentiae pro vivis non possunt applicari pro defunctis. 5. In iubilaeo non potest absolvi haeresis externa. 6. Clausula, *Commutatio votorum fiat dispensando*, intelligitur, ut commutatio non sit multo inferior opere promisso. 7. Facultas commutandi opera pia non intelligitur in confessionem, aut Communionem (praeterquam cum pueris), nec in orationem necessariam in visitatione; nec caetera opera praescripta possunt commutari in ea quae alia causa iam debentur. 8. In quolibet iubilaeo vetitum est confessario absolvere proprium complicem in peccato turpi. 9. Iubilaei facultate non gaudent, qui parati non sunt ad illud lucrandum, et ad operibus praescriptis satisfaciendum. 10. Vota tantum intra confessionem commutari possunt. 11. In iubilaeo a confessario semper debet aliqua iniungi poenitentia in confessione. 12. Non possunt commutari vota in damnum tertii, et praecipue votum perseverantiae quod in aliquibus congregationibus emittitur, nam illud contractus naturam assumit. 13. Qui in mortale post confessionem labitur, iterum confiteri debet, si indulgentias iubilaei lucrari cupit, ut saltem ultimum opus iniunctum in statu gratiae ponatur; sed non adest obligatio replicandi visitationes. 14. Ad lucrandas indulgentias sufficit oratio vocalis; et qui mentaliter orat, adiungat aliquam vocalem. 15. Facultate iubilaei semel tantum quis gaudere potest; sed indulgentias, qui opera praescripta repetit, utique pluries lucrari potest; hoc tamen non intelligitur de indulgen-

(1) lib. 6. n. 534. et 535. (2) Suppl. q. 27. a. 1. (3) n. 534. v. certum.

(4) in Bull. tom. 3. p. 140. et edit. Mechl. t. 8. p. 6.

tiis concessis visitantibus praescriptis diebus aliquam ecclesiam. 16. In concessione facultatis absolvendi a censuris *Bullae Caenae* non includitur facultas absolvendi ab haeresi externa. 17. Qui iam est absolutus a censuris, aut dispensatus a voto, non reincidit in eas, si iubilaeum non lucratur. 18. Facultas data Monialibus eligendi confessarium intelligitur de approbato ad Moniales (1). Notandum hic denique quod Regulares possunt confiteri apud quemcumque sacerdotem ab Ordinario approbatum etiam secularem, ut declaratum fuit a Gregor. XIII. apud Peyrinum (2), et etiam ab Alexandro VII. in Constitutione Unigenitus.

65. Quaeritur 1. an ad lucrandum iubilaeum omnino in alterutra hebdomada omnia opera praescripta perfici debeant? Negant Castrop. Bonac., etc.; consentit Laym. si aliqua adfuerit causa. Sed affirmant Sanch. Lugo, Spor. Renzi, Viva, etc., et his ego etiam adhaereo, tum quia talis est usus fidelium, tum quia videtur is esse Indulti sensus, cum ibi conceditur iubilaeum ei qui perficit opera diebus *alterius* (non autem dicitur *utriusque*) *ex duabus hebdomadis*. Probabilissimum tamen est confessionem, et Communionem posse fieri tam in prima, quam in Dominica immediate sequenti (3). Dicunt Sanch. Ugol. Busemb., etc. quod qui iubilaeum in patria lucrari neglexisset, bene posset illud postea lucrari alibi ubi etiam illud duraret. Dicunt insuper Bonac. et Diana posse lucrari etiam in patria, cum ille ex invincibili ignorantia ignoraverit iubilaeum publicatum fuisse (4). Loquendo hic de opere iniuncto ad lucrandum iubilaeum, quoad orationem vocalem in visitatione alii requirunt 7. *Pater*, et *Ave*; alii dicunt sufficere quinque. Circa autem eleemosynam, quanta esse debeat, duo consideranda sunt: primo verba indulti, si dicant *uniuscuiusque facultate*, aut *prout devotio suggeret*: secundo causa, quia si eleemosyna imponitur in subsidium alicuius piae operae, tunc debet esse uniuscuiusque viribus correspondens: si autem duntaxat ad exercendam misericordiam, tunc sufficit quamcumque parvam summam praestare. Etiam pauperes debent eleemosynam largiri; sed pro Religiosis, filiisfamilias, et pro uxoribus, sufficit ut cum intelligentia eorum a Superioribus pro ipsis praestetur. Denique quoad ieiunia, si quis applicare vellet ieiunia ad quae ex voto, vel alia lege tenetur, haec utique non sufficiunt (5). Advertendum quod cum datur facultas opera praescripta commutandi, hoc potest efficere quilibet confessarius (etiam extra confessionem), ut declaratur in Bulla indulgentiarum Gregorii XIII. cum ibi dicatur, quod nomine confessarii venit quilibet approbatus; ita Busemb. cum Henriq. et Praepos. (6).

66. Quaeritur 2. an ob confessionem invalidam in iubilaeo auferatur reservatio peccatorum, et an a censuris absolvatur? Cum confessio est nulla culpabiliter, nempe sacrilega, omnino negandum est cum Lugo, et Viva, etc., quicquid dicant alii; tum ex regula illa quod *fraus nulli patrocinari debet*; tum magis quia Pontifex in cit. Bulla declaravit non posse facultatibus gaudere, nisi eum, *qui ad consequendum iubilaeum praeparatus sit*. Si vero confessio sit nulla ex defectu doloris, sed culpa haud cognita, tunc volunt Lugo, Coninch. Viva, etc. reservationem auferri, quia tunc poenitenti verus est animus iubilaeum lucrandi. Sed hoc non obstante, negant Bonac. Rodriq. Reginald., etc., et huic sententiae ego adhaereo, dum Benedict. XIV. in Constitut. supra cit. n. 64. *Inter praeteritos* §. 62. declaravit quod facultates conceduntur *velut praeparatio*

(1) Fusius l. 6. n. 536. (2) Peyr. de privileg. reg. 4. t. 3. c. 4. n. 8. (3) l. 6. n. 537. (4) n. 535. v. 4. qui.

(5) n. 538. quaer. 11. et 12.
(6) n. 534. v. 15. quando.

ad consecutionem iubilaei: igitur non praesumitur Pontificis voluntas esse, ut facultatibus gaudeant ii quos facultates non praeparant ad consequendum iubilaeum (1).

67. Quaeritur 3. an peccet graviter qui, postquam a reservatis absolutus fuit, reliqua opera praescripta negligit? Affirmant Suar. Vasq. Fill. etc.; sed communius negant Sanch. Lug. Bonac. Castrop. Spor. Salm., etc., quia in tali casu non apparet talem adesse obligationem, nec ex iubilaei natura, nec ex Pontificis, aut confessarii praecepto. Caeterum, ut declaravit idem Pontifex, iste in reservationem, aut censuras minime reincideret (2).

68. Quaeritur 4. an qui confitetur in iubilaeo, et reservati obliviscitur, possit a quocumque confessario absolvi? Certum est quod possit, si confessarius iubilaei expresse eum a reservatis oblitis absolvere intellexit; secus autem, si hoc non intellexit; ita Bonac. Vasq. Sayr., etc.; sed probabilius affirmant Nav. Sanch. Suar. Viva, Croix, etc., dum praesumitur confessarius omnia beneficia, quae potest, poenitenti suo conferre velle. Et idem probabiliter dicunt Less. Castrop. Sanch. Spor. Viva, etc. contra alios, de votorum commutatione; quia vi iubilaei poenitens quoddam acquisivit ius ad talem commutationem. Omnes autem conveniunt, quod si quis coepit confessionem intra iubilaeum, potest deinde absolvi ab eodem confessario; et etiam a reservatis post iubilaeum commissis, ut probabiliter dicunt Sanch. Viv. Bos. et alii (3); idem probabiliter dicunt Suar. Sanch. et Emanuel. (contra Conc.) de eo, qui confitetur animo consequendi iubilaeum, et deinde non consequitur; dum per absolutionem iam absolute aufertur reservatio quin ab eventu futuro pendeat (4). Si vero poenitens confitetur Superiori extra iubilaeum, et recordatur reservati, vide dicenda *n.* 140.

69. Quaeritur 5. an possit absolvi a reservatis peccans in iubilaei confidentiam? Alii negant, et probabiliter, quia non praesumitur Pontifex velle fovere iniquitatem. Sed alii communius et probabilius id affirmant, quia non limitanda est facultas sine limitatione concessa. Nec dicere valet ita fovere iniquitatem ea remedia, quae Superiores peccantibus praeparant (5).

70. Quaeritur 6. an virtute iubilaei possit absolvi a censuris, qui aliquem damnificavit, antequam satisfecerit, si adest clausula: *Non absolvatur, nisi satisfacta parte?* Affirmant aliqui dd. dicendo praefatam clausulam potius importare suasionem, quam conditionem; sed negant Suar. Vasq. Spor. Viva, etc., et hodie omnino hoc tenendum est, ut declaravit Benedictus in praefata Bulla. Si tamen debitor omnino satisfaciendo non esset, potest utique absolvi; modo satisfaciendi, cum poterit, iuramentum praestet, ut in eadem Bulla cautum est. Quod si, cum possit, non satisfaceret, aliqui volunt reincidere in censuras; sed probabilius est oppositum cum Sa, Bos. Spor. Viva, etc.; nam ex *cap. Ad reprimendam de Offic. Ord.* reincidentia non incurritur, nisi in lege exprimatur. Caeterum, debitor penitus ab omni satisfaciendi debito liberabitur si pars laesa remittet iniuriam; sed hic bene advertit Croix cum Filliuc. et Bonac. contra Vivam et Dianam, 1. non sufficere monachi offensi remissionem, si iniuria in totum monasterium redundat; 2. debitorem liberari, si offensus iustam satisfactionem respuit; 3. si debitor non possit tunc sine gravissimo damno suo satisfacere (6); sed hoc intelligendum iuxta dicta *tr.* 10. *n.* 65 et 117.

71. Quaeritur 7. a quibus casibus et censuris possint confessarii absolvere tempore iubilaei? Communis est

(1) l. 6. n. 537. quaer. 2. et v. si autem.
(2) ib. quaer. 3. (3) n. 537. quaer. 4. in fin.
(4) ib. quaer. 5. (5) ib. quaer. 6.
(6) ib. quaer. 7.

sententia, cum Suar. Laym. Vasq. Spor. Viva, etc., facultatem in iubilaeo concessam absolvendi a papalibus, intelligi etiam de episcopalibus; et licet haeretici non possint absolvi, possunt tamen absolvi eorum fautores, et ii qui legunt vel imprimunt libros de haeresi tractantes, et etiam blasphemi haereticales: ita Lug. Sanch. Bos. Suar. Viva, Croix, etc., quia talia peccata non sunt proprie haeresis formalis (1). Possunt etiam absolvi publici clericorum percussores, et alii nominatim excommunicati, vel suspensi: sed circa censuras nominatim inflictas ab homine, declaravit Papa ab istis posse absolvi tantum ad effectum indulgentias consequendi (2). Et quoad irregularitates, dixit quod praescindendo a quaestione, an irregularitates ex delicto habeant rationem censurae sive poenae, super illis dispensari possit tantum, quae ob censurae violationem incursae sunt (3).

72. Loquendo de iubilaeo anni sancti, praecipue notandum est 1. quod eo tempore omnes indulgentiae pro vivis suspenduntur; non autem pro defunctis, et pro constitutis in mortis articulo, ut apparet ex Decreto Urbani VIII. apud Busemb. nec indulgentiae concessae particularibus ab aliis quam a Papa. Notandum 2. quod in anno sancto suspenditur etiam facultas absolvendi a casibus papalibus, et dispensandi a votis, etc., concessa in ordine ad lucrandum indulgentiam plenariam. Sed non suspenditur facultas data Episcopis a Trident. in *cap.* 6. *Liceat, sess.* 24.; nec facultas dispensandi super impedimentis matrimonii, aut petendi debitum, etc., quae facultates Episcopis competunt de iure communi; ita Busemb. cum Zerol. et Quint. (4). Addit Busemb. cum Sanch. et aliis, nec suspendi facultates Regularibus concessas vi suorum privilegiorum absolvendi a reservatis, etc.; sed Benedictus XIV. in cit. Constit. declaravit oppositum, dicens suspendi omnes facultates tam ad effectum indulgentiarum, quam ob alias causas (5). Idem declaravit ibidem quod per verbum *incolae* intelliguntur morantes in urbe Romae, animo ibi per maiorem anni partem morandi.

CAPUT V.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

73. Minister Sacram. Poenitentiae nullus alius quam sacerdos esse potest, nam solis sacerdotibus data fuit peccata remittendi potestas: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, etc. Ioan.* 20. 22. 23. Et quod dicit s. Th. post sententiarum magistrum, nempe quod in necessitate debeat poenitens cui potest, etiam non sacerdoti, confiteri, quia tunc supplet Deus, intelligitur, ut explicant alii dd., non de praecepto, sed ut tali actu humilitatis excitetur ad contritionem, aut ut solamen, aut consilium recipiat. Dicunt dumtaxat multi cum s. Antonin. Panorm. Ledesm. Sanch., etc., quod in mortis articulo, si desit sacerdos, possunt clerici absolvere a censuris, ne infirmus sepultura, et suffragiis careat: sed probabilius id negant Lug. Laym. Castrop. Salmant., etc., quia hoc nunquam in Ecclesia fuit in usu: tanto magis quod iuxta Rit. si excommunicatus cum poenitentiae signis decesserit, potest absolvi eius cadaver ab habente facultatem. Ad hoc autem, ut sacerdos valide hoc Sacramentum ministrare possit, praeter Ordinis potestatem requiritur, ut habeat ab Ecclesia iurisdictionis potestatem, et iuxta Trid. etiam Episcopi approbationem. Hoc tamen non currit pro Regularibus; dum hi confiteri possunt cuicumque sacerdoti, etiam non approbato, modo a Praelato suo eis concedatur. Monialibus exceptis, quae, licet exemptae, sicut statuit Greg. XV., non possunt confi-

(1) l. 6. n. 537. quaer. 8. (2) ibid. v. sed hic dubit. 1. (3) ib. dubit. 2.

(4) n. 535. resp. 2. (5) n. 536. ad 6.

teri, nisi sacerdotibus approbatis pro ipsis ab Ordinario loci (1).

Punctum I.

De approbatione confessarii

74. Approbatio non est iam iurisdictionis collatio, sed est iudicium a Trident. requisitum de sacerdotis habilitate ad iurisdictionem recipiendam. Super hoc notanda sunt 1. quod licet peccaret Episcopus, qui iniuste approbationem alicui negaret, nihilominus sine hac nemo potest confessiones audire, uti constat ex propositione 13. damnata ab Alexand. VII. quae dicebat: *Satisfacit praecepto annuae confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.* Et in quantum ad Regularium privilegia quae opponuntur, respondent Salm. privilegia loqui, cum ipsis negata est iniuste iurisdictio, non autem approbatio (2). 2. Ad approbationem non requiri necessario examen, sed sufficere prudens Episcopi iudicium de habilitate sacerdotis; ita Laym. Coninch. et Busemb. Dicunt item Salmant. quod licet Praelatus interne aliquem reprobaret, tamen approbaret eum externe, hoc sufficeret ad ei conferendam iurisdictionem (3). Notandum 3. quod Episcopus potest hanc dare approbationem etiam per alios, nam hic est actus non Ordinis, sed iurisdictionis (4).

75. Notandum 4. approbationem posse limitari quoad personas et tempus et locum. Si autem data esset absolute, non dubitatur quin peccaret Episcopus, si iusta non existente causa eam revocaret. Dubium restat an talis revocatio iniusta non solum esset illicita, sed etiam invalida? Alii negant; sed affirmant Suar. Lugo Castrop. Conc. Salm., etc., dicendo quod sine iusta causa non potest privari confessarius iure suo iam acquisito. Caeterum recte advertit Lugo, quod in dubio revocatio praesumi debet iusta; et hoc posito, sententia praefata difficulter potest deduci in praxim, dum Episcopo in revocanda approbatione multae possunt esse causae, quae confessario ignotae sunt (5). Notandum 5. Episcopum successorem ex iusta causa ad examen revocare posse omnes confessarios approbatos a praedecessore, etiam parochos, modo vehemens eorum imperitiae adsit suspicio, ut decrevit S. C. 15. Ian. 1667. (6): et etiam mendicantes, ut recte dicunt (contra aliquos) Suar. et Lugo; et super hoc refert Cabass. Alexand. VII. 30. Ian. 1656. in causa Episcopi Andegav. quae cum diversis Ordinibus regularibus agebatur, damnasse ut erroneam hanc propositionem: *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Et praeterea refert decisum fuisse in Concilio status Galliae Episcopum non teneri reddere rationem revocationis approbationum (7). Notetur hic insuper S. Pium V. in Constitut. Romani Pontificis, dixisse quod regulares approbati ab Episcopo praedecessore, *ab Episcopo successore examinari de novo poterunt, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari.* Hinc inferunt multi aa. ut Silv. Mirand. Fagund. Cespida Nicolius, et alii apud Ferraris, Vicarium Capitularem non posse auferre facultatem Regularibus ab Episcopo approbatis, nec ad examen revocare,

(1) l. 6. n. 539. et seq. (2) n. 546. (3) n. 545. (4) n. 550. v. 3. episc.

(5) n. 551. (6) apud Lambert. notif. 9. n. 16. (7) l. 6. n. 552

modo approbatio ab Episcopo data non esset cum clausula, *Ad beneplacitum nostrum*; tunc enim morte Episcopi expirat. Nunc restant hic discutienda 4. dubia.

76. Dubitatur 1. an confessiones venialium factae sacerdoti simplici sint illicitae ac invalidae? Quod sint illicitae hodie in dubium revocari nequit post Decr. Innoc. XI. apud Bonac. (1) 12. febr. 1679. in quo non solum praeceptum fuit Episcopis: *Ne permittant, ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo;* Sed praeterea hoc vetitum fuit ipsis sacerdotibus, cum ibi dicatur: *Si quicumque sacerdotes secus egerint, sciant Deo se rationem reddituros*. Dubium ergo restat, an huiusmodi confessiones sint etiam invalidae? Communissima est sententia quae negat; sed cum valde probabile sit talem facultatem non habere sacerdotes simplices directe a Iesu Christo (ut dicunt alii), sed ab Ecclesia, ut tenent Suar. Lugo Bonac. Conc. Ronc., etc., puto valde probabile esse cum p. Conc. Platel., etc., tales confessiones post Decr. Innoc. XI. hodie esse etiam nullas; nam non praesumitur Ecclesia velle iurisdictionem conferre eis, quibus expresse illa talis iurisdictionis prohibet usum (2).

77. Dubitatur 2. an parochus possit adsciscere parochos alterius dioecesis ad audiendas confessiones in sua ecclesia? Affirmant Castr. Suar. Vasq. Lug. Wigandt, Conc. Bonac., etc., dicendo quod parochus in collatione parochiae approbatur pro tota Ecclesia, ex eo quod dicit Trident. (*sess*. 23. *cap*. 15.): *Nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat*. Ex quo inferunt omnem parochum approbationem universalem pro tota Ecclesia accipere. Sed probabilius hoc negant Laym. Barb. Piasec. Garc. Croix, etc. cum Lamb. (3), nam per verba allata non intellexit Concil. dare parochis approbationem universalem, sed tantum declaravit quemlibet parochum collata sibi cura, sine alia approbatione approbatum remanere a Concilii dispositione; non autem ab Ecclesia, et pro tota Ecclesia, sed a suo Episcopo et iuxta eius voluntatem, ut confessiones suarum ovium audiat. Et super hoc adsunt plures declarationes S. C. (4). Advertendum hic obiter parochum, qui a cura se abdicavit, non posse confessiones audire sine speciali Episcopi approbatione (5).

78. Dubitatur 3. an parochus possit sibi adsciscere alium parochum alterius parochiae, sed eiusdem dioecesis? Affirmant communius, praeter citatos dd. Castropal. Croix, et Mazz.; sed probabiliter hoc etiam negant Barbosa cum Piasec. Homob. et cum altera declaratione S. C. Et ratio est, cum probabilius sit, ut dictum est, parochum non approbari ab Ecclesia universali, sed ut dictum est, a suo Episcopo, et pro eius voluntate, quoties nescit Episcopum voluntatem habuisse, se pro tota dioecesi approbandi, ille non potest confessiones audire, nisi tantum in sua parochia: dum facile esse potest, quod Episcopus eum idoneum iudicaverit pro uno, et non pro alio loco; nempe pro oppido, et non pro civitate. Recte tamen dicunt Bonac. Cler. et Lambert. (6) sententiam oppositam bene practicari posse ubi sic fert usus; imo Wigandt absolute id admittit, quia dicit talem esse consuetudinem multarum dioecesium.

79. Dubitatur 4. a quonam Episcopo obtinenda sit approbatio? Sub nomine Episcopi venit quilibet alius Praelatus iurisdictione episcopali gaudens, ut gaudent nonnulli Abbates, et capitula Sedibus vacantibus. Venit etiam Episcopus confirmatus, licet non consecratus, sed non qui tan-

(1) Bonac. t. 1. d. 5. q. 7. p. 2.
(2) l. 6. n. 543. v. quaer. (3) Notif. 86. n. 7. (4) l. 6. n. 544. hic dubit. 1.
(5) n. 542. v. 2. etiam.
(6) notif. 86. n. 13

tum est electus, aut si Episcopatu se abdicavit, Lug. Salm. et Croix (1). Sed quod magis refert, est ut sciatur quinam intelligatur pro Episcopo proprio, a quo approbatio impertienda est? Alii intelligunt ordinarium poenitentis, alii ordinarium sacerdotis; sed hodie (quicquid dicat Mazzotta) procul dubio intelligendus est ordinarius loci ubi confessiones audiuntur, ex Bulla, *Cum sicut*, Innocent. XII. 19. aprilis 1700. relata per extensum a Salmant. (2) (et confirmata a Benedicto XIV. in Bulla *Apostolica indulta*, dat. 5. aug. 1744.) ubi declaratum fuit, *quosvis confessarios non posse audire confessiones saecularium in vim Bullae* Cruciatae *sine approbatione Ordinarii loci; secus* (dixit) *invalidae sunt confessiones, et confessarii suspensi*; et concludit his verbis: *Reprobata tanquam falsa et temeraria quacumque contraria opinione*. Hoc non obstante p. Mazzotta sustinere contendit improbabilem non esse priorem opinionem, nempe intelligi etiam ordinarium poenitentis, dicendo Bullam Innocentii probabiliter intelligi tantum pro iis confessariis, qui absolvunt contra voluntatem suorum Ordinariorum. Sed nescio quomodo haec interpretatio locum habere possit, dum expresse Bulla dicit, nullas esse confessiones, quae fiunt *sine approbatione Ordinarii loci, in quo ipsi poenitentes degunt*. Et si hoc currit pro iis qui privilegio gaudent *Cruciatae*, tanto magis valebit pro eo qui nullo fruitur privilegio; et ita mecum sentiunt Ronc. et Salm. qui scripserunt post Bullam Innoc. se revocando ab eo quod prius docuerant in *Tract. de Poenitent.* (3). Dicunt tamen Salm. hoc currere pro iis, qui privilegio *Cruciatae* donati sunt, non autem iubilaei, aut huiusmodi; sed Benedictus XIV. in alia Bulla *Benedictus Deus* data 25. dec. 1750. § 4. declaravit etiam in iubilaeo Seculares alium non posse eligere sibi confessarium quam a loci Ordinario approbatum, et Moniales non alium quam approbatum pro Monialibus (4). Advertendum contra valde probabile esse cum Croix et Salm. (qui hanc sententiam, ut communem habent) parochum posse ubique locorum confessiones suorum subditorum audire. Et circa hoc adest declarat. S. C. (5).

80. Quoad Regulares autem ante Innoc. XII. declaraverat Innoc. X. suo Brevi (6), Regulares etiam exemptos, qui confessiones secularium audire cupiunt, approbandos esse ab Ordinario loci: *Regulares in una dioecesi approbatos non posse in alia confessiones audire, sine approbatione Episcopi illius*, sunt verba Brevis, quod postea confirmatum fuit ab Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici Ministerii*, et deinde in quadam alia Bulla a Benedicto XIII. (7).

(1) l. 6. n. 547. (2) tract. 18. de privil. c. 4. n. 80. (3) l. 6. n. 548. v. tertia sent. (4) ibid. (5) n. 548. v. quaer.

(6) Ap Salm. tr. 6. de Poenit. c. 11. n. 93. (7) l. 6. n. 549

Punct. II. *De iurisdictione confessarii*

81. Iam dictum est alteram esse

potestatem Ordinis, quam circa peccatorum absolutionem recipit quilibet sacerdos a Iesu Christo, cum sacerdotio initiatur: alteram potestatem iurisdictionis, quae ei ab Ecclesia confertur, ut exerceat Ordinis potestatem erga subditos suos, super quos Ecclesia auctoritatem ei concedit. Haec autem potestas iurisdictionis altera est ordinaria, altera delegata. *Ordinaria* est illa quam habent omnes pastores, ut sunt Papa, Episcopi, Archiepiscopi (cum visitant subditos Suffraganeorum suorum), parochi, et Praelati Religionum. De vicariis generalibus Episcoporum dubitarunt nonnulli aa., an ipsi habeant iurisdictionem ordinariam in foro sacramentali, adeo ut possint confessiones excipere, et aliis facultatem dare, dicendo eorum potestatem esse tantum circa causas fori externi. Sed affirmat sententia communissima, et verior, cum Fagnan. Hostien. Nav. Azor. Silv. Sanch. Bos. Salm. et aliis, quia vicarii habent talem iurisdictionem non iam ab Episcopo, sed a Canone, sive a lege, dum ipsi cum Episcopis unum constituunt tribunal, ut apparet ex *cap.* 2. *de Consuet. in* 6. et *cap. Romana, de Appellat. in* 6. (1). *Delegata* autem est illa quae conceditur ab iis qui habent ordinariam ut a Papa qui pro tota Ecclesia concedere potest, ab Episcopis pro sua dioecesi, a Praelatis pro suis ordinibus, et a parochis pro suis parochiis. Papa delegare potest facultatem contra consensum Episcoporum et aliorum Praelatorum, et Episcopi et Praelati contra consensum parochorum, et inferiorum Praelatorum, sed non e converso (2).

82. Notandum 1. iurisdictionem externam terminari morte concedentis, non autem internam, ut dicit Busemb. cum aliis; sed melius distinguunt Sanch. et Salm. dicendo hoc currere cum delegatio est generalis (sive sit a Papa, aut ab Episcopo); secus autem cum est particularis pro particulari casu aut persona (3). Notandum 2. quod delegatus non potest subdelegare, nisi id sibi expresse concessum est. Excipitur 1. si quis esset delegatus a principe: sed hoc intelligitur, ut explicant Laym. et Castr. (4), cum talis delegatio facta est alicui pro officio, non autem cum electa est persona intuitu peritiae suae, aut cum ei commissa est alicuius causae expeditio. 2. Si quis est delegatus ad causarum universitatem, licet non a principe; sed in hoc pariter distinguere oportet cum Laym. (5), duobus modis posse alicui delegari iurisdictionem ad causarum universitatem. Primo cum ei committitur aliquod officium cui annexa est iurisdictio, et hoc etiam, licet officium non sit proprium, sed vicarii, verbi gratia, viceparochi, aut vicerectoris, in locum parochi absentis, aut non adhuc sacerdotis. Talis vicarius utique potest iurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed pro una aut altera causa, ut communiter dicunt dd., quia huic non solum commissum est parochi exercitium, sed etiam officium, cui officio non solum competit solus usus, sed etiam iurisdictionis delegatio; ita Laym. Castr. Sanch. Coninch. Silv. et alii cum s. Thoma (6) qui dicit: *Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem.* Secundo cum alicui delegata est, non officium, sed iurisdictio tanquam privilegium perpetuum officio suo, aut iurisdictioni annexum, quia tunc talis iurisdictio iudicatur tanquam ordinaria, prout est facultas *cap.* 6. *Liceat* concessa Episcopis a Trident. *Sess.* 24. Dicunt autem Rod. Beia et Viva, cum Navar. Peirin. Naldo, Bord., etc. quod si Episcopus dat facultatem alicui confessario absolvendi ab omnibus reservatis, posset hic subdelegare talem facultatem alteri in aliquo par-

(1) l. 6. n. 557. et 558. (2) ibid. v. delegata. (3) n. 559. (4) Laym. de poenit. c. 10. n. 14. et Castr. eod. tit. d. un. p. 13. n. 15. (5) loc. cit. n. 12. v. duobus (6) quodlib. 12. a. 31.

ticulari casu; sed melius Laym. et Castrop. cum Coninch. hoc admittunt, si talis facultas concessa est ratione officii; v. g. parochi, aut viceparochi, ut superius dictum est, non autem cum alicui ratione suae peritiae, aut probitatis concessa est; nam facultas subdelegandi competit tantum illi cui committitur officium, non autem cui committitur solus usus exercitii iurisdictionis (1).

83. Notandum 3. ad Poenitentiae Sacramentum administrandum non sufficere internum Episcopi consensum, nec praesumptum de futuro, sive sit ratihabitio, nempe quod si sciret, utique assentiretur; quia talis voluntas interpretativa non sufficit ad conferendam pro tempore praesenti iurisdictionem. Sed sufficit contra consensus praesumptus de praesenti, signis externis patefactus, ut esset si quis, Episcopo praesente, et non contradicente, confessiones audiret (2).

84. Notandum 4. peccare sacerdotem qui absolveret ex dubia iurisdictione. Sed excipiunt casus in quibus urgeret aliqua necessitas, ut esset (sicut dicunt Elbel, Bus. Holzm. etc.): 1. si adesset periculum mortis. 2. Si poenitens deberet satisfacere praecepto annuae confessionis, et non adesset confessarius qui haberet iurisdictionem certam. 3. Si poenitens celebrare deberet; aut communicare, et secus incurreret infamiae notam, aut, addunt Salm., si sacerdos deberet ex obligatione eo die celebrare. Sed in hoc advertere oportet, quod dictum est *Tract. praecedenti num.* 34., quia si quis certus esset de peccato mortali, et non esset certus de contritione, in tali casu recipiendo absolutionem dubiam, non posset communicare; tunc enim possideret praeceptum de se probando, quod importat absolutionem certam, non vero dubiam. Caeterum in casibus allatis dicunt aa. citati posse confessarium conditionatam dare absolutionem, *si possum*. Advertunt Suar. Conc. Reg. et Busemb. expedire tunc quod poenitens se accuset de aliquo peccato veniali, ut directe ab illo absolvatur, et indirecte ab aliis (3).

85. Notandum 5. Possunt sibi eligere confessarium ratione suorum privilegiorum, 1. Reges, et principes (nempe qui supremo gaudent dominio). 2. Pontificis domestici (4). 3. Episcopi, etiamsi tutelares sint, ut dicit Busemb. Sed in hoc animadverti debet olim ex *cap. fin. de Poenit.* tam Episcopos quam Superiores regulares, ac etiam Praelatos minores exemptos (intelliguntur Praelati rom. Curiae et Superiores regulares locales) potuisse sibi in confessarium eligere quemlibet sacerdotem; nihilominus S. C. declaravit, ut refert Fagnan., quod Episcopi confiteri nequeunt, nisi approbatis ab Ordinariis domicilii ipsorum sacerdotum, sicut explicat Card. de Lugo, et hoc confirmatum fuit a Gregorio XIII. 1. decemb. 1532. ut refert Fagnan. et Pitton. (5). Concessum est tamen Episcopis secum conducere confessarium iam approbatum, et ei confiteri etiam in aliena dioecesi. Et idem currit pro Cardinalibus, qui praeterea Romae degentes possunt sibi et familiae suae confessarium eligere, et eum quocumque eunt, conducere. Quoad parochos autem damnata fuit ab Alexandr. VII. prop. 16 quae dicebat, eos cuicumque sacerdoti confiteri posse (6). Loquendo communiter de aliis, dixerunt nonnulli aa. posse aliquem confiteri simplici sacerdoti, si approbatus esset indoctus, aut incurreret periculum gravis damni, si confiteretur approbato, aut si ille nollet eius audire confessionem; sed omnes istae opiniones communiter refelluntur (7). Notandum etiam hic capellanos castrorum non posse milites in stationibus commorantes absolvere sine Pontificis facultate, aut sine Ordinarii licentia, ut

(1) l. 6. n. 566. (2) n. 570. (3) n. 571. (4) n. 565. (5) ib. dubit. hic 1.

(6) ib. dubit. 2. (7) n. 568.

pluries declaravit S. C. (1).

86. Notandum 6. hodie certum esse (quicquid olim erat in usu) cuilibet saeculari licere confiteri cuicumque confessario approbato, etiam contradicente parocho, et etiam pro adimplendo praecepto annuae confessionis. Nec obstat quod dixit Ioannes Launoius, confessionem praeceptam iuxta Concil. Later. in *cap. Omnis, de Poen. et remis.* faciendam esse proprio parocho, cum ibi dicatur, *confiteatur proprio sacerdoti*, dum pro sacerdote *proprio*, ut declaravit Clemens VIII. et Clemens X. in Bulla *Suprema* (2), intelligitur de quocumque confessario approbato; et Ioan. XXII. in Extrav. *Vas electionis*, damnavit Ioan. Polliacum, qui docuerat nullas fuisse confessiones proprio parocho non factas (3).

87. Notandum 7. certum etiam et commune esse hodie apud dd., ut docent Castrop. Vasq. Suarez, Conc. Lugo, Bonac. Salm, etc., peregrinos ratione conniventiae Episcoporum, sive melius ex consuetudine universali, posse confiteri cuicumque confessario approbato pro loco ubi illi reperiuntur; et talis consuetudo currit, etiamsi peregrinus proficiscatur e patria fine alibi confitendi, ut dicunt Pontius Fill. Renzi Tambur. Mazz., etc. (4): vetitum fuit a Clemente X. dumtaxat in alienam dioecesim proficisci in fraudem reservationis; de quo in seq. *cap.* 7. *num.* 135. *et* 136.

88. Notandum 8. Religiosos sine licentia Praelatorum suorum non posse aliis sacerdotibus extra ordinem suum confiteri, ex privilegio quo gaudent ordines dato ab Innoc. IV, et aliis Pontificibus; et novissime concessum etiam fuit a Bened. XIV. per Brev. *Quod communi*, 30. mart. 1742. Capuccinis, quibus vi suarum regularum vetitum erat confiteri aliis; sed hi non possunt confiteri nisi approbatis ab Ordinariis loci, vel Regularibus approbatis a Superioribus regularibus. Sed loquendo de Religiosis peregrinantibus, advertendum quod hi, si socium sui ordinis habent, modo ille sit idoneus, huic confiteri debent. Si autem deesset socius, aut alius sacerdos idoneus sui ordinis, confiteri possunt cuilibet idoneo sacerdoti regulari aut seculari. Hoc totum commune est apud dd. Laym. Ronc. Salm. Tamb. Croix etc., et certum est ex verbis Innoc. VIII. mox referendis. Dubium restat an confiteri debeant sacerdoti approbato? ita volunt Wigandt Conc. Antoine, cum aliis paucioribus; sed communissima et verior est sententia opposita, quae id negat cum Suarez Escob. Castrop. Ronc. Bordon. Salm. Mazzot. Rodr. Tamb. etc. (exceptis Cappuccinis qui, ut paulo ante dictum est, ex Bulla Bened. XIV., debent confiteri approbatis). Et id probatur perspicue ex concessionibus Sixti IV. et clarius Innoc. VIII. qui sic dicit: *Nos igitur fratribus huiusmodi quos itinerari, et per eorum superiores mitti contigerit, ut si aliquem presbyterum idoneum ex professoribus dicti ordinis habere non possint, quemcumque presbyterum idoneum religiosum vel secularem eligere valeant, qui confessiones eorum audire licite possit.* Et recte dicunt Salm. cum s. Antonin. Soto et Silv. quod per to *quemcumque alium presbyterum* intelligitur quicumque sacerdos simplex idoneus; nam haec praesumitur etiam esse voluntas Praelatorum in danda suis subditis licentia foras proficiscendi, iuxta communem consuetudinem (5). Advertit tamen Bus. hoc intelligi pro non reservatis (6).

89. Circa autem confessiones Monialium plura hic notanda sunt: I. Confessarii Monialium indigent speciali electione, aut saltem approbatione Episcopi loci, licet Moniales

(1) Apud Zacch. ad Croix l. 6. p. 2. n. 1518. (2) apud Lambert. notif. 18 n. 7. (3) l. 6. n. 564. v. ex conces. et n. 574.

(4) n. 569. v. communiter. (5) n. 575 (6) n. 574. in fin.

sint exemptae, et subiectae Regularibus, ex Bulla Gregor. XV. *Inscrutabilis*, et ex Bulla Innoc. XIII. *Apostolici*, confirmatis a Bened. XIII. in Bulla Pastoralis; et hoc etiam pro confessione venialium, ut declaravit S. C. II. Elapso triennio huiusmodi confessarii suspensi remanent, nisi accedat licentia S. C. ut etiam declaravit S. C., et hoc etiam currit pro confessariis conservatoriorum. Si autem confessarius destinatus esset pro supplemento, probabiliter dicit p. de Alex. Tianen. cum aliis, quod potest confirmari pro alio triennio: quia ista prohibitio, prout odiosa, stricte sumenda est de electione ordinaria. Notat insuper praefatus auctor, quod alicubi ob confessariorum idoneorum deficientiam permittunt Episcopi illos ultra triennium pergere ad earum confessiones audiendas: advertit item Bord. quod licite possint aliquando Moniales respuere confessarium designatum, si iusta accedit causa, v. g. si confessarius nimio rigore vir esset, aut suorum propinquorum inimicus, etc. III. Ob diversa Decreta S. C. apud p. de Alex. nequeunt esse Monialium confessarii 1. Vicarii generales, 2. Parochi, cum cura notabiliter pateretur detrimentum. 3. Regulares. 4. Canonici Poenitentiarii. Probabiliter tamen dicit praefatus auctor de Alex. permissum esse Episcopo hos eligere, si ita expedire iudicaret. IV. Episcopi et Regularium Praelati tenentur bis aut ter in anno exhibere Monialibus sibi subiectis confessarium extraordinarium, ut praecipue statuit Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici ministerii*, extensa a Benedicto XIII. ad totum christianum orbem, et ut novissime confirmavit Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis*, 5. Augusti 1748. Dicit Bus. cum Quintanad. Moniales, si eis non exhibetur extraordinarius, posse sibi eligere confessarium et citat quamdam declarationem S. C. apud Barbos.; sed haec opinio merito reiicitur a p. de Alex. tanto magis quod hodie praefatus Benedictus declaravit in allata Bulla, quod Moniales, tam claustrales quam conservatoriorum, si extraordinarium non obtinent, possunt ad Poenitentiarium maiorem recurrere, qui eis illum assignare debebit. Insuper praecipitur in dicta Bulla *Pastoralis*, quod quaelibet Monialis, licet confiteri nolit, teneatur saltem se praesentare ad extraordinarium. Praeterea ibi praecipitur, ut in mortis articulo cuilibet moniali concedatur confessarius particularis, si eum illa expostulat; et si Monasterium est exemptum, et Praelatus regularis illum non concedit, eum assignet Episcopus; et cum Episcopus nec eum designaret, recurratur ad Poenitentiarium maiorem. Insuper ibi disponitur quod si qua Monialis recusabit ordinario confessario confiteri, Episcopus pro certis vicibus ei deputet alium (et in hoc Papa hortatur Episcopos, ne difficiles sint aliquando concedere dictos extraordinarios illis qui efflagitant). Et si monasterium est exemptum, deputetur a Praelato regulari; et cum ille recusaret, concedatur ab Episcopo, et ipso negligente, concedatur a Poenitentiario maiori. Denique praecipitur ut Praelati regulares bis aut ter in anno assignent Monialibus sibi subiectis confessarium extraordinarium ex approbatis ab Episcopo pro Monialibus, qui (nota) saltem semel sit secularis aut alterius ordinis; secus eum eligat Episcopus; et Papa praecipit ut eo tempore omnino sit prohibitum ordinario confessiones alicuius audire, ne Abbatissae quidem, aut novitiarum (1).

90. Restant nunc discutienda multa dubia. Quaeritur 1. an in errore communi suppleat Ecclesia iurisdictionem quae deest confessario? Si error communis est adiunctus cum titulo colorato, sive putativo, certum est apud omnes Ecclesiam supplere; ita Sot. Navar. Caiet. Sanch. Cardenas Concin. Antoine, etc., et probatur ex

(1), lib. 6. n. 576. et seq.

lege *Barbarius, ff. de Offic. Praetor.* et ex *cap. Infamis* 3. *q.* 7. Ratio est, quia alias multae animae perirent, ideoque rationabiliter praesumitur Ecclesia supplere: advertit tamen Sanch. hoc non currere cum titulus est fictus, sed cum vere est collatus a Superiore, licet sit tantum putativus, quia forte Superiori prohibitum est illum conferre, sicut dicitur in *Novella* 44. *cap.* 1. *Auth. de Tabell.* Sed magis dubium est, an Ecclesia suppleat iurisdictionem, cum solus intervenit error communis, sine titulo colorato? Negant Busemb. Concina Ronc. Sporer Holzm., etc., dum dicunt quod secus sacerdotes impii hinc occasionem sumerent se simulandi confessarios esse, et errores disseminandi. Sed haec ratio non convincit, quia quamvis Ecclesia his negaret iurisdictionem, nec damnum impediret; quare probabiliter affirmant Lugo Less. Ronc. Castrop. Sanch., etc., et dicunt probabile esse iidem Ronc. Spor. et Holzm. cum Carden. Viva Hen. Elbel, dum eadem ratio boni communis, quae pro titulo colorato affertur, currit etiam pro errore communi (1).

91. Quaeritur 2. an liceat confessario absolvere cum iurisdictione probabili? Hic tres adsunt sententiae. Prima est pauciorum, nempe Eliz. Conc. et Antoine, qui absolute negant: dicunt hi quod ex propositione 1. proscripta ab Innoc. XI. non licet uti opinione probabili in Sacramentis conferendis. Secunda est communis et communiter affirmat cum Less. Filliuc. Cardena Lugo Sanch. Bonac. Castr. Salm. Viva Croix, etc.; et moraliter certam appellant Sanch. Cardenas Dicast. Tamb. Gormaz, etc. Alii assignant rationem erroris communis, sed haec non convincit; ratio vera est consuetudo universalis, quae est in Ecclesia in absolvendo cum iurisdictione probabili, ut testantur aa. citati; et consuetudo utique dat iurisdictionem, sicut docent etiam communiter Suar. Barbos. Carden. Quaranta et Pelliz. Et probatur aperte ex *cap. Contingat, de foro compet.*, ubi sic habetur: *Nisi forte hi, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indulgentia, vel consuetudine* (nota) *speciali iurisdictionem huiusmodi valeant sibi vindicare.* Neque hic obstat dicta prop. damnata quam opponunt, nam (ut bene respondent Viva et Wig. cum Gonet.) propositio loquitur de opinionibus circa ea, in quibus nil potest Ecclesia, ut circa materiam et formam Sacramentorum; sed circa iurisdictionem supplere quidem potest Ecclesia, et praesumitur eam certe supplere ob bonum animarum: quare confessarius in tali eventu non absolvit cum sententia probabili, sed cum certa. Tertia denique sententia, quam nos sequimur cum Suar. Marchan. Gobat. Wigandt Holzm. Barb. Sporer Elbel, et aliis, dicit tunc tantum licere aliquem absolvere cum opinione probabili, cum concurrit aliqua causa graviter rationabilis; aliter non praesumi debet Ecclesiam favere velle nimiae confessariorum libertati. Causa autem rationabilis esset 1. Si poenitens praecipue istius confessarii auxilio indigeret. 2. Si complex peccati sit cognitus confessario qui habet iurisdictionem certam. 3. Si alias adesset periculum faciendi confessionem sacrilegam. 4. Si poenitens timeret incurrere aversionem aut suspicionem nocivam, si confiteretur confessario certam habenti iurisdictionem: aut si alias diutius a confessione abstinere deberet. 5. Si urgeret praeceptum annuae confessionis, aut lucrandi indulgentias peculiares (2). Addo, si iam poenitens aperuisset confessario aliquod suum grave peccatum, et dubitaretur an illud sit nec ne reservatum, ut dicetur *n.* 142.

92. Quaeritur 3. an in articulo mortis possint omnes simplices sacerdotes absolvere, etiam haeretici, schismatici, aut excommunicati vitandi? Iam compertum est in morte omnes

(1) l. 6. n. 572. (2) n. 573.

sacerdotes etiam degradatos posse absolvere a quocumque peccato, et censura reservata. Et hoc non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis, ut sententia communissima et verior asserit: ita Navar. Silv. Suar. Sanch. Lugo Castr. Salm., etc. contra Sotum et Canum; nam in hac materia idem est de articulo ac de periculo, ut patet ex *cap. Si quis suadente*, 29. *caus.* 17. *q.* 4. ubi dicitur: *Nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo*. Et ratio est, quia quilibet fidelis tam tenetur ad confitendum in articulo, quam in periculo mortis. Tale periculum autem iudicatur esse in praelio, in longa navigatione, in partu difficili, et in omni periculoso morbo; ita Sanch. et Salm. qui dicunt idem de quocumque qui esset in periculo probabili incidendi in amentiam, aut esset captivus apud Turcas, et timeret futurum esse, ut eo nullus adventaret sacerdos, ut confiteri posset (1). Sed veniamus ad quaesitum, an sacerdotes ab Ecclesia abscissi, ut sunt haeretici, schismatici et excommunicati vitandi, possint moribundos absolvere? Affirmant Sanch. Suar. Navar. Lugo Salm. et alii et probant ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. ubi dicitur: *In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt.* Sed negant Fagnan. Petrocor. Concina, etc. cum declaratione S. C. Et pro hac sententia est s. Thomas (2) qui, loquendo de abscissis ab Ecclesiae communione, dicit, hos tantum posse baptizare in mortis articulo, sed in nullo casu posse aliud ministrare Sacramentum. Nec obstat Concil. quia, ut aiunt, ibi nova lex non conditur, sed tantum declaratur ius antiquum, cum dicatur: *In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, etc. Atque probat Fagnan. sicut etiam declaravit S. C. et idem Nav. fatetur, olim communem fuisse sententiam cum Magistro sententiarum s. Thoma Scoto s. Antonin. Ricar. Turrecr. excommunicatos in nullo casu posse absolvere (3). Attamen p. Lucius Ferraris in sua *Biblioth. verb. Moribundus n.* 32. advertit, quod p. Franciscus Campioni in *Instruct. ad Confess. c.* 41. *n.* 12. refert ex Card. Albitio *part.* 1. *de Inconst. in Fide c.* 13. *et* 19., quod praedicta declaratio sacrae Congregationis Conc. adducta a Fagnano non reperitur in Concilii regestis; signum quod vel non emanarit, vel expuncta fuerit, uti contraria communi sententiae, occasione cuiusdam Episcopi, cui respondenti affirmative obiecta fuit doctrina Fagnani; at dubio delato ad Innocentium XI., hic iussit supprimi quaestionem, nec amplius dubitari moribundum in defectu alterius sacerdotis valide et licite absolvi ab excommunicato vitando, degradato, aut haeretico.

93. Quaeritur 4. an sacerdos simplex possit absolvere moribundum coram approbato? Prima sententia communissima negat cum Mol. Sanch. Azor. Bonac. Cardena Lugo Laym. Salmant., etc., et probatur ex Trident. loco cit. ubi dicitur: *Verumtamen pie admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum*, et sequuntur alia verba superius relata. Ex praefato textu infertur 1. Concil. novam non condidisse legem, sed declarasse antiquam, et antiqua lex erat quod sacerdotes simplices tunc tantum absolvere possent moribundos, cum deerant approbati, iuxta textus ab aa. cit. allatos. 2. Quod in tantum Ecclesia dat facultatem sacerdotibus simplicibus, in quantum adest necessitas extrema, *ne aliquis pereat*; sed cessat haec ratio, cum adest approbatus. Contra secunda sententia affirmat cum Nav. Barb. Sayr. Sa etc., et probabilem appellant Lugo Viv. Sporer, etc.,

(1) l. 6. n. 561. (2) 3. p. q. 82 a. 7. ad 2.

(3) lib. 6. n. 560.

dicendo verba Concilii esse generalia; *Atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Ad Canones antiquos respondent, eos non loqui de absolutione sacramentali, sed de sola reconciliatione peccatorum publicorum. Hoc non obstante, iudico non esse recedendum a sententia opposita; 1. quia in Rit. rom. (*de Poenit. sub init.*) hoc declaratur expresse, dum dicitur: *Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest absolvere.* Et quod Rituale declaret antiquum Ecclesiae usum, constat ex eo quod Paulus V. in sua Bulla dicit, ubi praecipit inviolabiliter observari Rituale, cum in eo contineantur ea *quae catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit.* 2. Quia praefata verba Concil. *atque ideo*, etc. ut dicunt Fagnan. Petrocor. et Auctor. *de Offic. confess.* apud Croix, non iam ad quoslibet referuntur sacerdotes, sed ad eos dumtaxat de quibus loquitur Concilium in praefato *cap.* 7., nempe de iis *qui ordinariam, aut subdelegatam habent iurisdictionem;* tanto magis quod in fine dicti capitis addit: *Extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores pro beneficio absolutionis accedant.* En sermo est de simplicibus confessariis (de quibus tantum dici potest quod nihil possunt in reservatis), non iam de simplici sacerdote; et ita declaravit S. C. Conc. ut refert Fagnan. Quod autem sacerdotes etiam simplices possint absolvere in morte, deficientibus approbatis, dicimus hoc non haberi a Trident., sed ab aliis Canonibus, et communi Ecclesiae consuetudine (1).

94. Probabiliter tamen conveniunt dd. primae sententiae in dicendo, quod sacerdos simplex potest absolvere etiam praesente approbato in sequentibus casibus: 1. Si approbatus non potest, nec vult absolvere. 2. Si is sit nominatim excommunicatus, aut suspensus. 3. Si sit approbatus tantum in aliena dioecesi. 4. Si moribundus ita horreret confiteri approbato, ut esset in periculo sacrilege confitendi, ut dicunt Croix, et Mazzot. ex S. Thoma. Et putat Sporer, idem esse, si infirmus confiteri non posset approbato sine magna difficultate vel incommodo, aut si ipse putaret simplicem confessarium fore sibi utiliorem. 5. Si confessio iam inchoata esset apud simplicem, quia tunc ille iam acquisivit iurisdictionem; secus autem, si infirmus iam absolutus fuisset (modo non esset circumstantia peccati iam confessi); et secus etiam, si infirmus aliqua excommunicatione reservata esset ligatus, quia tunc, licet confessionem incoepisset apud simplicem, praesente Superiore, debet a Superiore prius ab excommunicatione absolvi, et postea confessionem apud simplicem persolvere. 6. Si approbatus fuisset complex in peccato turpi poenitentis, sicut declaravit Benedictus XIV (2). Sed super hoc puncto complicis opus est maiore distinctione.

95. Praefatus Pontifex in duabus Bullis (quarum altera incipit *Sacramentum*, et altera *Apostolici*) dixit confessarium erga complicem *in peccato turpi contra sextum praeceptum* privari omni iurisdictione, et excommunicationem papalem incurrere, si excipere audeat illius confessionem. Excipit solam extremam necessitatem mortis, in qua permittit absolvere complicem; modo alius desit sacerdos, etiam simplex, qui infirmum absolvere valeat; aut modo ille sacerdos non possit infirmi confessionem excipere sine gravi scandalo, et infamia approbati. Addit tamen Pontifex quod ille (si potest) tenetur removere tale periculum scandali aut infamiae, sub poena eiusdem excommunicationis, licet, si illud non removeret, valida esset absolutio (3). Circa huiusmodi v. probabiliter in fine, et fusius n. 553.

(1) l. 6. n. 562. (2) n. 563. (3) n. 563.

Bullas advertendum 1. quod nomine *peccati turpis* contra sextum praeceptum, non solum intelligendum est peccatum fornicationis, etc. consummatum, sed etiam tactus, et colloquium obscoenum, quoties mortale attingit. Ita dicunt Salmant. (1). Contra vero non comprehenduntur culpae veniales, sive tales sint ob parvitatem materiae, sive ob defectum deliberationis; ita Salmant. *ibid. n.* 277. Idemque recte dicunt *n.* 278. de mortalibus internis, vel non plene externe significatis, quoniam etiam actio debet esse externe gravis. Nec comprehenduntur mortalia dubia facti vel iuris; Salmant. *ibid. n.* 280. (vide id quod dicetur hic infra *n.* 142). Nec cum dubium vertitur, an poenitens ipse quoque graviter peccaverit, quia Bulla intelligitur de complici formali in peccato mortali turpi; Salmant. *cit. num.* 280. et *num.* 241. Advertendum 2. absolutionem impertitam a confessario complici, si poenitens non adhuc ab alio de peccato turpi absolutus est, esse invalidam etiam quoad alia peccata; secus autem si ab alio iam absolutus fuisset. Haec duo videntur certa. Sed concurrunt duo dubia, an incurrat excommunicationem confessarius qui iam non absolvit, sed tantum audit complicem suum in confessione, et fingit eum absolvere? Ego dudum fui pro affirmativa sententia, ex quodam sacrae Poenitentiariae responso; sed postea lecta Bulla, *Inter praeteritos*, eiusdem Pontificis, inveni declaratum oppositum, cum dicatur ibi: *Non minus sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit poenitentis, eumque* (nota) *absolvit*; *vel in articulo mortis absolvit, cum alius sacerdos non desit, excommunicationis maioris poena a nobis imposita fuit.* Alterum dubium est, an Episcopus virtute cap. 6. *Liceat*, Sess. 24. Trident. possit absolvere confessarium qui absolvit complicem suum in peccato turpi. Vide dicenda *Tr* 20. *de Privil. n.* 37. (2).

96. Quaeritur 5. an praesente Superiore, possit in articulo mortis quilibet confessarius approbatus absolvere infirmum a peccatis, et censuris reservatis? Respondetur distinguendo; Quoad peccata utique potest, quia in morte cessat omnis reservatio, ut declaravit Concilium, adeo ut recte dicunt Suar. Salmant. Palud. Navar. Granad. Praepos., etc., moribundo a reservatis absoluto, nullam restare obligationem, si convaluerit, se praesentandi superiori (sed hoc non currit si poenitens est absolutus in aliqua necessitate, non quidem mortis) (3). Praeterea dicunt Suarez, Lugo, Sanchez, Salmant., etc., quod si moribundus habet reservata, et adest confessarius approbatus, non potest sacerdos simplex absolvere, licet confessarius ille careat facultate super reservatis; dum in mortis articulo (ut supra dictum est) cessat omnis reservatio. Quoad autem censuras reservatas, confessarius simplex non potest coram Superiore absolvere, quia, cum certum sit moribundum, si convaluerit, teneri Superiorem adire, non iam ut denuo absolvatur, sed ut suam obedientiam ostendat, et ut poenitentiam maiorem recipiat, si Superior ei illam imponit, secus si non se praesentet, in eamdem incidit censuram, ut docent communiter Suar. Sanch. Salm., etc. ex *cap. Eos qui de Sent. Excom. in* 6. Hinc fit quod si Superior adest, ab eo a censuris infirmus absolvendus est (4).

97. Quaeritur 6. an praesente Episcopo possit quilibet confessarius absolvere moribundum a papalibus? Alii dd. distinguunt, ut Mol. Suar. Sanch., et dicunt non posse, si casus est occultus; quia tunc Episcopus super illo ordinaria procedit iurisdictione ex *cap.* 6. *Liceat*; et idem dicunt de percussione publica clerici iuxta caput *Ea noscitur de sent. ex-*

(1) Append. de Bulla Cruc. cap. 6. p. 169. ex n. 262 (2) l. 6. n. 554. 555. et 556. (3) n. 561. (4) n. 563. dubit. 1 et n. 567.

com., ubi dicitur ob talem excommunicationem, si nequeat adiri Pontifex, adeundum esse Episcopum. Contra affirmant posse simplicem confessarium absolvere etiam praesente Episcopo, si casus est publicus (intellige praeter clerici percussionem), quia tunc eadem ac Episcopus est praeditus facultate confessarius simplex. Sed hanc secundam partem communissime negant Navar. Castrop. Coninch. Avil. Sayr. Corn. Hurtad. Salmant., etc. dicentes praefatum textum in *cap. Ea noscitur*, non solum valere pro publica clerici percussione, sed etiam pro qualibet censura papali, dum pro istis eadem currit ratio; et sicut in quaesito antecedenti probavimus, non possunt censurae absolvi, praesente Superiore. Sed hoc non obstante, non puto improbabilem primam sententiam, cum certum non sit textum praefatum ad omnes extendi censuras (1).

98. Quaeritur 7. an confessarius possit absolvere moribundum a censuris papalibus, cum ille posset facultatem ab Episcopo per litteras impetrare? Negant Lugo Bonac. Suar. Croix, etc.; sed communius et probabilius affirmant Azor. Castrop. Sanch. Valenza, Conc. Carden. Spor. Salm. Viva, etc., tum quia in petenda facultate per litteras potest subesse periculum manifestationis; tum quia in *cap. Quamvis, de sent. Excom.* impeditus dicitur quicumque aliquo est praepeditus impedimento, quominus Pontificem adire possit (2).

CAPUT VI. DE OFFICIO ET ALIIS MUNERIBUS CONFESSARII

99. Cupienti hoc Sacramentum Poenitentiae administrare, primum omnium acquirenda est necessaria scientia, qua huius magni ministerii officio recte fungi possit. Sed hic advertendum est quod scripsit S. Gregor. quod sit *Ars artium regimen animarum.* Et S. Franciscus Salesius dicebat, confessarii officium esse maximi momenti et omnium difficillimum. Et ita est: maximi utique momenti est, quia est finis omnium scientiarum, qui salus aeterna est: difficillimum, quia 1. requirit notitiam quasi omnium aliarum scientiarum, et omnium officiorum, et artium. 2. Scientia moralis tot materias disparatas complectitur. 3. Illa magna ex parte legibus positivis constat, quarum quaelibet iuxta proprium sensum et intelligentiam accipienda est, praeterea ob circumstantias, quae casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandae sunt. Quidam qui eruditos, et theologos magnae notae se iactant, moralistas, quos casuistas (nomen ignominiae apud ipsos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt sufficere, ut confessiones rite excipi possint, principia generalia moralis cal-

(1) L.6. n. 563. dubit. 2. (2) ib. dubit. 3.

lere, illis enim posse resolvi, aiunt, omnes casus particulares. Quis negare potest, omnes casus particulares esse his principiis resolvendos? Sed totum opus, et totus labor est in aptando casibus particularibus, tantis diversis circumstantiis irretitis, principia huiusmodi, utque discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat. Nequit id fieri sine magna discussione rationum, quae pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud quod moralistae effecerunt, cum elaborarunt in explicando a quibus principiis multi casus particulares resolvi debeant· praeterea hac nostra tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivae, tot Bullae, tot Decreta, quae nequeunt sciri, nisi casuistae legantur, qui ea collegerunt, et prout materiarum varietas postulat, ibi opportune illa inveniuntur; ideoque, quo recentiores ii moralistae sunt, eo antiquis utiliores. Iusta ratione motus *Auctor Instructionum pro novis confessariis* (1) affirmat, multos theologos quanto profundiores sunt in scientiis speculativis, tanto rudiores in scientiis moralibus, quae, ut scribit Gerson (2), omnium difficillimae sunt, et nemo doctus, quantumvis sit in his versatissimus, est, cui in dies nova non accidant. Ex quo infert, numquam confessario deserendum esse theologiae moralis studium. Doctissimus Sperelli (3) pariter dicit longe errare eos confessarios, qui totos in scholasticae studio se applicant, aestimantes tempus in morali frustra expendi; *et postea nesciunt distinguere lepram a lepra: qui error* (subiungit) *confessarios simul et poenitentes in aeternam perturbationem trahet.* Peccat igitur absque dubio graviter qui non sufficienter instructus audet confessiones audire: Episcopus qui illum approbat: poenitens quoque qui noscens ignorantiam eius, apud ipsum confitetur.

100. Non negamus autem minorem scientiam exigi in audiendis confessionibus simplicium, et rusticorum, quam curialistarum, negotiantium, ecclesiasticorum, et similium. Minor item scientia requiritur, ut audiantur confessiones in oppido, quam in civitate; et praecipue si alicubi sit tanta confessariorum inopia, ut poenitentes deberent aut per longum tempus a confessione se abstinere, aut alio proficisci (4). Sed hoc non sufficit ad excusandos aliquos confessarios, qui, cursim lecta aliqua brevi summa morali, temere ad excipiendas confessiones se intromittunt. Oportet saltem ut confessarius sciat 1. ad quae sua iurisdictio se extendat. Advertat hic quisque, sacerdotes seculares, et regulares alterius ordinis non posse audire confessiones Religiosorum sine licentia suorum Praelatorum; exceptis casibus, si iter agant, si alibi morentur, et socium non habeant, aut alium sacerdotem idoneum eiusdem religionis. Et tunc Religiosi possunt absolvi a quocumque simplici sacerdote (exceptis Capuccinis, vide *praec. n.* 88.), dum Superiores tunc, dando licentiam his subditis, intendunt eam dare iuxta consuetudinem, scilicet confitendi cuivis sacerdoti idoneo (5). Item quivis confessarius scire debet casus, et censuras reservatas, saltem eas in quas frequentius incurri solet, prout sunt excommunicationes papales quae sunt in Bulla Coenae, haeresis externata, lectio aut retentio, aut venditio librorum haereticorum, qui ex professo de religione tractant, aut continent haeresim formalem; item quinque casus papales Clementis VIII. qui sunt percussio enormis, aut mediocris clerici vel monachi, simonia realis, aut confidentialis, violatio clausurae Monialium ad malum finem, violatio immunitatis ecclesiasticae, et duellum: item excommunicationes a Summo Pontifice Benedicto XIV. emanatae in absolventes complices in materia turpi (6), et in eos qui docent posse

(1) P art. 1. v. 18. (2) Tract. de Orat. (3) de Episc. p. 3. c. 4.

(4) L. 6. n. 628. (5) n. 575. (6) n. 553.

a confessario exquiri nomen complicis, etiam per absolutionis sacramentalis negationem, si revelare recuset (1); et aliae excommunicationes obviae, quae observari possunt in Tractatu de Censuris. Sciat II. distinguere peccatum veniale a mortali, saltem in suo genere, quo communiter occurri solet; et de aliis saltem dubitare sciat. III. Sciat interrogationes quas facere debet; circumstantias peccatorum saltem speciem mutantes: quid constituat occasionem proximam, quid inducat restitutionis obligationem, item qualis esse debeat dolor, et propositum, et denique remedia ad emendationem efficaciora. Et ut brevibus me expediam, affirmo in statu damnationis esse eum confessarium qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit. Deus ipse his verbis eum exprobrat: *Quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (2). Nec excusabit eum Episcopi approbatio, cum cognoscit manifeste se inhabilem: approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed supponit. Dico *manifeste*, dum qui tantum dubitaret, bene potest, imo debet quiescere in sui Superioris iudicio confisus, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat. At nullus confessarius intermittere debet theologiae moralis studium, quia ex tot rebus tam diversis, et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt, qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare.

101. Praeterea advertendum plura alia esse confessarii munera, nempe I. Ut poenitentis conscientiam investiget. II. Ut de peccatorum gravitate, et numero, debitum formet iudicium. III. Ut poenitentem instruat de iis quae scienda sunt circa Fidem, et mores. IV. Ut eum admoneat de suis obligationibus. V. Ut absolvat dispositum. VI. Denique tenetur confessarius emendare errores, quos in audiendis confessionibus commisit.

102. I. Igitur tenetur confessarius diligenter poenitentis conscientiam cognoscere. Confessarius est iudex; iudicis officium importat ut, sicut iudex prius rationes cognoscere debet, inde causae momenta discutere, et denique sententiam proferre; ita confessarius prius conscius fieri debet poenitentis conscientiae, postea eius dispositiones inspicere, et tandem absolutionem impertiri aut denegare. Et quoad primum munus, quod est peccata poenitentis cognoscere, quamvis debitum conscientiam examinandi sit praecipuum poenitentis, nihilominus (quicquid alii dd. (3) dixerint) non est dubitandum quin, si confessarius cognoverit poenitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, tenetur ipse eum interrogare, prius de peccatis in quae verisimiliter incidere potuerat, et postea de eorum numero, et specie, ut probatur ex *cap. Omnis utriusque*, *etc. de Poenit.*, *et Rit. rom.* (4).

103. Et hic multa advertenda sunt: 1. Perperam eos agere qui rudes dimittunt, ut melius se examinent: hoc P. Segneri (5) vocat errorem intolerabilem, et iure optimo, quia huiusmodi omnes quantum laborent, difficulter se examinabunt ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse confessarius eos examinare: et contra, cum dimissi sunt, periculum erit ne exterriti difficultate se examinandi a confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant (6). Qua de re confessarius debet ipse ex huiusmodi poenitentibus peccata exquirere, eos interrogando iuxta ordinem praeceptorum, praecipue si sunt famuli, aurigae, muliones, milites, satellites, caupones, et alii id genus, qui aeternae salutis vitam negligentem vivere solent, et rerum divinarum sunt

(1) l. 6. n. 491. (2) Osee. c. 4. 6.
(3) Ap. Lochner. Instr. pag. 33.
(4) l. 6. n. 607. (5) Conf. instr. c. 2.
(6) l. 6. n. 607. v. sed haec.

ignari, quia stant procul a concionibus, et ecclesiis. Et hic peior error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, licet repetendae essent confessiones multorum annorum, propter maius periculum quod tunc subest, nempe quod si non redeat, peribit. Mihi videor aliquem confessariorum audire sic respondere: *Si non redit, peius sibi erit malum*. Pulchrum quidem charitatis spiritum! Sed sic non loquuntur qui verum habent zelum animas lucrandi: dicamus melius, qui hoc munere dumtaxat Deo funguntur. Advertat nihilominus confessarius se non teneri tam minute hos interrogare: interroget tantum de peccatis in quae faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate (1). Imo cum poenitens, licet rudis, videatur sufficienter instructus, et diligens in confitendo peccata cum circumstantiis suis, iuxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio rudis), tunc confessarius nihil aliud tenetur interrogare (2). II. Notandum cum Lug. Salm. et Dicast. melius esse, si confessarius singulatim examinet peccata statim ac exponit poenitens, quam ut differat examen usque ad finem; quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum quae audivit; aut obligandus esset poenitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa (3). III. Errare eos confessarios, qui volunt certum iudicium facere de peccati qualitate, an sit grave, vel leve, exquirendo a rudibus istis, utrum pro mortali habebant, an pro veniali; hi enim multoties respondent ut casus sibi verba suggeret, et hoc experientia testamur (ut ego millies observavi). Quod si confessarius paulo post iterum interroget; respondent modo toto a primo diverso. IV. Advertendum circa numerum peccatorum, quorum habitu aliqui tenentur, cum non possit haberi numerus certus, curet confessarius statum poenitentis cognoscere, nempe vivendi rationem, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est; et deinde interroget de numero, interrogando poenitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense, proponens ei plures numeros, ex gr. ter, aut quater, octies, vel decies, ut videat cui numero potius ille adhaereat; et si poenitens numero maiori adhaeret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero maiori, sed in hoc ut bene advertit Busemb., confessarius non sit nimis sollicitus et anxius ad formandum certum iudicium de numero peccatorum; notet frequentiam in genere, et in confuso iudicium faciat, apprehendendo peccata quotquot sint apud Deum. Aliqui dd. dicunt, circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum, et desideriorum pravorum, sufficere plerumque interrogare de tempore, per quod duravit malus habitus; sed hoc mihi omnino non satisfacit, quia potest esse quod aliquis sit magis intentus ad externa negotia, aut moretur ubi pauciores sibi occurrent pravarum cogitationum occasiones, alius erit magis alio animi passione allectus; ideoque opus est interrogationes generales adhibere, de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, etc., ut formet iudicium maioris, vel minoris frequentiae actuum internorum. Caeterum post duas, vel tres interrogationes, non debet angi confessarius, si ei iudicium quod facit, videtur esse nimis confusum; nam ex conscientiis implicatis, et confusis moraliter impossibile est maiorem claritatem sperare. V. Regulariter loquendo non expedit ut confessarius reprehendat poenitentem in confessionis cursu, ne ille exterrefactus omittat aliquod peccatum. Nihilominus expedit aliquan-

(1) l. 6. n. 607. v. sed haec ad 3.

(2) ib. ad 2. (3) n. 607. v. sed. haec ad 4.

de intra confessionem ei proponere malitiam alicuius gravioris peccati, modo statim ei praebeatur animus dicendo: *Sed nunc vis vere vitam mutare? eia ergo, fac ut haec confessio sit bona: noli timere; dic omnia peccata, quoniam ab omnibus te absolvam*. VI. Oportet animadvertere, quod licet confessiones generales sint utilissimae, nihilominus confessarius non sit nimis rigorosus ad procurandum ut confessiones praeteritae repetantur (1); nam praesumptio stat pro validitate, quoties error non sit manifestus, ut ait Segneri. Nec lapsus sunt certa indicia confessiones fuisse nullas, praecipue si per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet, sibi aliquam vim intulerit. Aliud tamen iudicium fieri debet, si poenitens plerumque statim ceciderit, post duos nempe vel tres dies a confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit; tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.

104. II. Cum confessarius peccata audiverit tenetur iudicium facere de gravitate, et numero eorum, quia licet, ut valide absolvat, sufficiat ut peccatum cognoscat, saltem sub confusa ratione peccati; attamen ut licite absolvat, debet prudens formare iudicium uniuscuiusque culpae, saltem in iis quae communiter occurrunt; nam alias magis obscuras et minus usuales sufficit ut audiat et absolvat, ut sunt coram Deo; Lug. Holzmann, Salm. Spor., etc. (2). Advertendum hic saepius errare confessarios qui iudicium certum formare cupiunt de peccati quantitate, utrum sit grave, aut leve, interrogando poenitentes rudes, quomodo illud tenebant in conscientia, an tamquam mortale vel veniale. Hi plerumque respondent ad sortem, et dicunt quod prius in os venit, et hoc experientia cognoscitur (sicut mihi mille millies accidit); quod si mox confessarius iterum eos interrogat, dicunt totum oppositum Praeterea hic advertendum, quoad poenitentis obligationem. quod si ille advertit confessarium non apprehendere gravitatem peccati sui, tenetur illum monitum facere, alias eius confessio erit sacrilega. Et ita pariter si peracta confessione, advertit confessarium non percepisse suum peccatum, debet illud repetere.

105. III. Confessarius tenetur instruere poenitentem cum observat, aut prudenter iudicat illum necessaria fidei, et salutis ignorare. Sufficiet caeteroquin quod tunc, antequam absolutionem ei impertiatur, eum instruat circa mysteria principalia, prout dictum est *Tr*. 4. *n*. 3, quia quoad caetera necessaria de praecepto, sufficit quod poenitens promittat, quod se instruere faciat ab aliis, saltem quoad substantiam; et confessarii qui nimia charitate fervent non recusant eos docere per se ipsos. Debet pariter confessarius instruere poenitentem circa obligationem compensandi famam, honorem aut bona, occasionem vitandi, scandalum illatum reparandi, correctionem faciendi, aut eleemosynam largiendi, quando ad id tenetur. Item animadvertendum quod si poenitens accedit indispositus, tenetur confessarius (ut docent Laym. Suar. Busemb. Sporer etc.) pro viribus efficere, ut eum disponat ad absolutionem (3). Circa quod nescio quomodo excusari possint coram Deo illi confessarii desides, qui ubi cognoscunt poenitentem non esse satis dispositum, eum a se dimittunt, dicendo ei inurbano modo: ***Discede hinc te absolvere non possum, redi in posterum.*** Ego dico cum aa. citatis, confessarium quoties poenitentis confessionem suscipit, sub rigorosa charitatis obligatione, quantum facere potest, teneri ut ad absolutionem eum disponat, ei proponendo illius peccatorum turpitudinem, gratiae divinae efficaciam, damnationis periculum, et his similes veritates. Nec

(1) l. 6. n. 605. (2) n. 627

(3) n. 608. v. hic adverto.

sua referre debet quod in hoc tempus insumatur, et quod reliqui poenitentes abibunt, ne tantum expectent. Ille tunc non tenetur aliorum bono prospicere, sed tantum poenitentis sui: pro hoc dumtaxat illo tempore Deo rationem redditurus est, non pro aliis. Satius est (dicebat s. Franciscus Xaverius) paucas confessiones audire, et rite factas, quam multas, et temere properatas, et sine fructu. Quot istorum ad me venerunt indispositi, et ego, divino auxilio opitulante, disponere curavi: et dispositos tuto et mea maxima consolatione absolutos dimisi! Saltem hoc inserviet ut bene instituatur ad reddendum dispositum poenitentem pro tempore, quo rediturus erit.

106. 4. Confessarius tenetur admonere poenitentem. Sed ut admonitiones convenientes faciat, non debet confessarius tantum cognoscere speciem, et numerum peccatorum, sed etiam eorum originem et causas, ut remediis opportunis occurrat. Nonnulli confessarii interrogant tantum de specie et numero peccatorum, et nihil amplius: si vident poenitentem dispositum, eum absolvunt; sin minus, quin aliquid eis dicant, statim eum dimittunt, dicendo: *Abi, non possum te absolvere.* Non ita boni confessarii agunt: hi prius indagare incipiunt originem, et mali gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis, cum quibus, quibus rerum circumstantiis; sic enim melius poterunt poenitentes corripere, eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria adiungere.

107. His interrogationibus adhibitis, et cognita morbi origine ac gravitate, confessarius ad debitas animadversiones faciendas procedat. Et quamvis ipse tamquam pater debeat in charitate poenitentes auscultare, tamen ut medicus tenetur (quantum opus est) eos monere et corrigere, eos praesertim qui multis mortalibus gravati ad Poenitentiae Sacramentum raro accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si poenitens aliqua illustri fulgeat qualitate, nimirum si fuerit magistratus, princeps, sacerdos, parochus, aut Praelatus, si de aliqua sui muneris omissione sine nimio animi sensu se accusaret. Ait Benedictus XIV. in Bulla *Apostolica Constitutio*, data 26. Iun. 1749. § 22. confessarii admonitiones concionibus ipsis esse efficaciores; et iure merito, quia concionatorem latent circumstantiae particulares quae confessario aperte innotescunt; ideoque multo melius poterit debitas adhibere animadversiones et remedia, quae morbis expediunt, applicare; et ita etiam confessarius tenetur poenitentem admonere de aliqua ignorantia culpabili, si qua laborat, sive haec sit iuris naturalis, sive positivi. Quod si poenitens teneretur ignorantia culpabili, tunc si ea esset circa media scitu necessaria ad salutem, aut illa bono communi officiat, omnino debet confessarius ab hac ignorantia eum removere, et veritatem docere, licet nullus speretur fructus.

108. Sed quaeritur: si ignorantia esset circa alia, et esset invincibilis, adeo ut poenitens esset in perfecta bona fide, an confessarius eum teneatur admonere de veritate, etiamsi ex admonitione nullus speraretur fructus? Nonnulli dd. affirmant, ut Adr. Wigandt Conc. et alii pauci cum Eliz. et Gonzalez (licet hi excipiant ignorantiam circa praecepta humana); hanc opinionem novissime etiam tutatus est pluribus p. Liberius de Iesu Carmelita Excalceatorum, in suis controversiis dogmaticis; sed ex hoc non multum sibi decoris adeptus est, dum rationes quibus utitur sunt nimis tenuis furfuris. Rationes quas adducit sunt eaedem, quae in oppositionem adducuntur. Contra negat sententia communis et vera, cum Cano Suar. Nav. p. Sot. Card. Laym. Sanch. Lug. Vasq. Castropal. Bonac. Ponz. Coninch. Anacl. Escob. Ronc. Spor.

Elb. Viva Holzm. Salm. et aliis innumeris (1), et in hoc invenio convenire duos alios aa. doctrinae valde rigidioris, nempe Habert et Antoine; loquendo Habert de matrimonio irrito ex aliquo occulto impedimento, dicit: *Si adversum malum occultum, et invincibiliter ignoratum nullum appareat remedium, et gravia incommoda praevideantur, dissimulandum est* (a confessario) *impedimentum, et coniux in bona fide relinquenda.* Et pariter Antoine sic scribit: *Si probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale poenitentis, vel grave scandalum, etc., differenda est monitio, et petenda dispensatio* (2).

109. Auctores nostrae sententiae probant 1. afferendo textum s. Augustini relatum in *can. Si quis de Poenit. d.* 7. Sed caeteroquin satis congrue hunc textum solvit Conc., quia revera ad rem non facit: potius facit auctoritas s. Bernardi (*Serm.* 41. *in Cant.*) qui dicit: *Mallem aliquando tacuisse, et dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem.* Probant 2. ex *c. Quia circa de Consan.* ubi interrogatus Innoc. III. circa aliquos qui matrimonio copulati erant ex dispensatione subreptitia, respondit ad Episcopum: *Dissimulare poteris, cum ex separatione grave videas scandalum imminere.* Sed haec decretalis ne satis quidem probat, dum dubium est an Pontifex ita respondendo voluisset forsan dispensare super impedimento, ut dicitur, in ra dice matrimonii. Caeterum praefata sententia probatur ratione validissima, nempe ex duobus malis minus permittendum est, ut vitetur maius: quare confessarius in nostro casu tacere debet et permittere poenitentem (in bona fide constitutum) in peccato materiali versari, ut ipse a formali liberetur, veritatem rei non aperiendo: nam Deus tantum peccatum formale punit, et ab hoc solo se offensum iri declarat; ideoque per consequens dicimus confessarium aliter agendo peccare. Sed haec ratio melius expendetur in responsionibus ad ea quae opponuntur.

110. Obiiciunt 1. illud Ezechielis: *Si me dicente ad impium: impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua: impius in impietate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram. Ezech.* 33. 8. Sed quis non videt hic loqui de impio, qui est in mala fide, et quem tenetur utique confessarius omni casu corripere, ut resipiscat? Et sic intelligendi sunt alii textus Scripturae, ac sanctorum Patrum, qui in contrarium afferuntur. Obiiciunt 2. *cap. Qui scandalizaverit,* 3. *de Reg. Iur.* ubi dicitur: *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Sed ut responsio intelligatur, oportet percipere casum de quo loquebatur Beda, auctor huius textus. Beda (referente Glossa) loquebatur de eo, de quo dixit Iesus Pharisaeis: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore,* etc. Matth. 15. 11. Itaque loquendo Beda de scandalo mero Pharisaico, ideo dicit, quod licet Pharisaei scandalizarentur, vel, ut melius dicam, admirarentur doctrinam tamquam laxam, utilius erat hoc scandalum permittere, quam veritatis expositionem omittere. Quid ergo ad nostrum casum? Opponunt 3. quamdam doctrinam s. Thomae(3); sed ibi loquitur clare s. Doctor: dicit enim veritatem non laedi, cum a concionatore, cuius munus est eam patefacere, veritas tacetur; sed cum illa mutilatur, nempe cum pars eius patefit, et pars tacetur, adeo ut ex taciturnitate partis aliquis error in alios diffunditur; v. gr. si concionator diceret, in tertio gradu non licere contrahere matrimonium inter propinquos auditores inducerentur ad credendum, utique licere in quarto. Opponunt 4. et dicunt, confessarii

(1) l. 6. n. 610. (2) ibid.

(3) in 4. d. 38. q. 2. a. 4. q. 1. ad 3

esse etiam munus doctoris, ideoque illum teneri ad docendum veritatem. Respondetur quod confessarius non tantum doctoris, sed etiam medici fungitur officio: unde cum observat medicinam, nempe admonitionem in poenitentis perniciem redundare, debet ab illa abstinere. Et licet sit doctor, quia tamen munus est charitatis, a Redemptore institutum dumtaxat in bonum animarum, debet ille utique veritatem docere, sed circa illa dumtaxat quae poenitenti prosunt, non autem circa ea quae nocitura sunt, ideoque ait s. Thomas (1), loquendo de eo qui docendi officium habet: *Contrarium veritati non doceat, sed veritatem* (nota) *secundum congruentiam temporis et personarum proponat ille, cui incumbit officium docendi.*

111. Opponunt 5. huiusmodi ignorantiam poenitentis in hoc casu non esse invincibilem, sed vincibilem dum ipsi patet via ad veritatem cognoscendam; et si vincibilis est, est etiam culpabilis. Sed respondetur quod ignorantia ut sit culpabilis in aliquo, non sufficit quod cognoscere possit veritatem, sed necesse est ut ei superveniat dubium praecepti, alias ignorantia eius ex necessitate invincibilis est. Certum autem est, ut docet s. Thomas (2), eam esse ignorantiam invincibilem, *quae studio superari non potest.* Quo igitur studio superare quis potest ignorantiam suam, si nulla de illa dubitatio aut saltem de obligatione quam habet illam vincendi, venit ei in mentem? Propterea dicunt dd. s. Antonin. Silv. Gers. Suar. Caiet. Nav. Armil. Castropal. San. Vasq. Sayr. Salm. etc. (3) ad constituendam ignorantiam vincibilem, opus esse ut homo advertat praeceptum, aut saltem obligationem ad illud advertendi; nam sicut ad hoc, ut ad legis observantiam teneamur, necesse est ut lex sit nobis intimata; ita, ut teneamur ad advertendum ad legem, opus est ut nobis indicetur talis obligatio per eius notitiam, aut saltem per dubitationem de illa; quare scite concludit loquendo de hoc puncto p. Segneri (3): *Tunc ignorantia invincibilis est, cum personae principium dubitandi non suboritur, et consequenter nullus ei modus offertur, ut errorem suum vincat.*

112. Opponunt 6. et dicunt sic: Si talis poenitens admonitus esset, iam ille peccaret, cum tunc reus iam fieret ignorantiae vincibilis; ergo est semper indispositus ad absolutionem. Sed hoc argumentum, cui valde innituntur adversarii, mihi videtur parum sapientiae eorum dignum. Quis non videt fallaciam quae involvitur, et responsionem claram quae patet? In poenitente non est necessaria dispositio interpretativa, nempe quod si ille in tali aut tali rerum conflictu reperiretur, non peccaret, quando ad id omnino non reflectit; quia aliter, si confessarii praesumere vellent interpretativas poenitentium indispositiones, paucos possent absolvere, dum possent iudicare quod multi eorum, quibus filii interfecti fuissent, certe odio moverentur in interfectores; si a tyrannis essent tormentis tentati, a Fide deficerent; sufficit ergo in poenitente eam dispositionem actualem invenire, ut absolvat; nempe ut hic et nunc statuat amplius non peccare in quocumque casu generali. Et sic sufficit pro absolutione, quod poenitens *hic et nunc* sit dispositus per voluntatem actualem; nec obstat quod esset indispositus per interpretativam, nempe si a confessario monitus esset. Itaque (concludamus) ex his oppositionibus dignoscitur quam persistere nequeat sententia opposita. Sicut etiam (mihi lubet aliquantulum ad alia divertere) sunt labantes quaedam aliae opiniones quas hodie tutari volunt nonnulli, qui iactare videntur rigidioris esse nominis. Caeteroquin commendare mihi nunquam fuit animus eos auctores, qui, ut a-

(1) 2. 2. q. 43. a. 7. ad 2.
(2) 1. 2. q. 76. a. 2.
(3) l. 1. Confess. Instruct. c. 7.

nimarum bono consulerent, conscientiarum habenas nimis laxare voluerunt; quia licet Dominus velit omnes homines salvos fieri, sed vult ut per legum suarum observantiam salventur. At nec laudare possum alios, qui nimis conscientias coercere quaerunt, assignando multas leges quibus Deus noluit, aut saltem non manifestavit se velle nos teneri. Nescio utrum minus scrupuli sit faciendum animas ad certas nimis rigidas opiniones adstringere cum periculo earum totalis perniciei quam approbare opiniones nimis benignas. Quod peius est, nunc temporis tot libri contumeliis, acerrimis obiurgationibus, et satyricis aculeis suffulti circumferri conspiciuntur vicissim inter auctores tam rigidae quam benignae sententiae; quod quidem scandalo toti Ecclesiae est, et obloquendi inimicis materiam offert. Et pariter pro veritate in propatulo collocanda, eam magis dubiis et tenebris offundit: dum ex huiusmodi dicendi ratione quilibet facile existimat non rationem, sed potius susceptae sententiae adhaesionem, ac concitati animi aestum eos ad sic scribendum compulisse, et qui ex adhaesione et animi aestu loquitur, nec sibi fidem assequitur, nec alios persuadet.

113. Sed unde discessimus revertamur. Ex praefata communi sententia infertur 1. cum Laym. Sanch. Lugo Castrop. Salm. Holzm. Hab. Antoine, et aliis communiter, quod in casu quo poenitens contraxisset matrimonium invalidum ob aliquod occultum impedimentum, et in bona fide versaretur; et contra esset periculum infamiae, scandali, aut incontinentiae, si ei aperiretur nullitas; tunc confessarius debet eum relinquere in bona fide, usquedum ei dispensatio impetrabitur; excepto, si dispensatio statim et faciliter obtineri possit a Papa; aut saltem ab Episcopo iuxta communem, et valde probabilem sententiam (1); quod si non vacat tempus adeundi Papam, et aliter imminet periculum scandali, aut infamiae, potest Episcopus dispensare in impedimentis etiam dirimentibus post matrimonium contractum; vide *Tract.* 20. *de privil. n.* 56. Sed in eo casu, quo si forte uxor se accusat negasse debitum viro, quaeritur an possit confessarius eam obligare ad illud reddendum? Multi affirmant, ut Lugo Sanch. Coninch. Cordub. Henriq. Escob. Led. Croix, etc., quia tunc illa (uti dicunt), cum putet matrimonium esse validum, tenetur sequi dictamen conscientiae. Sed in hoc tutior mihi videtur opinio Soti Hurtad. et Bonac. quod tunc confessarius ei dicat in genere, quod illa nequit absolvi, si obligationi suae satisfacere renuit; et quod iam scitur mulierem teneri suo viro debitum reddere (2). Sed si matrimonium contractum non est, sed iamiam contrahendum est nulliter, quaeritur an confessarius debeat monere poenitentem de nullitate, cum animadvertit monitionem profuturam non fore? Alii absolute negant; alii affirmant; sed probabilius Castrop. et Salm. dicunt regulariter loquendo in eo casu faciendam esse monitionem, praesertim si impedimentum oritur ex consanguinitate, quia tunc nulla subest infamia in suspendendis nuptiis: tanto magis quod huiusmodi impedimentum facile postea potest cognosci ab ipsismet sponsis, et tunc peccatum eorum facile ex materiali potest fieri formale. Quare in tali casu, cum semper subsit aliqua spes fore ut prosit, non est omittenda correctio, ita Layman; sed si omnino desperetur fructus, dicunt iidem citati aa. Laym. Castr. Salm. cum Croix et Aver. quod confessarius tacere debeat usquedum impetrabit dispensationem (3).

114. Sed hic congruit loqui de quodam casu facilis eventus, et difficilis resolutionis. Quomodo se gerere debeat confessarius, si sponsis in ecclesia iam paratis pro celebrandis nuptiis, alter eorum in confessione a-

(1) L. 6. n. 611. (2) n. 611. (3) n. 612.

periret impedimentum occultum, et non possit sine infamia, aut scandalo matrimonium differre? Nonnulli dd. suadent ut poenitens voveat castitatem, saltem ad tempus, ut possit in differendo matrimonio haec causa proponi. Sed merito dicunt Ronc. et Instructor *pro nov. Confes.* quod hoc remedium periculo non caret, quia faciliter potest pro praetextu cognosci. Alii autem tenent permittendum esse tale matrimonium, quin aliquid ei dicatur. Sed valde probabiliter, et communissime docent Suar. Pignat. Cab. Sanch. Bonac. Roncag. Salmant., etc. cum Benedicto XIV. (1) quod in tali casu, et in tali rerum angustia potest dispensare Episcopus; et hanc facultatem, dicunt Sanch. Ronc. Castrop. Coninch. Vasq. Val. Salm. Elbel, etc. Episcopum posse aliis etiam delegare, etiam generaliter, dum annexa est officio episcopali. Imo dicunt, et quidem non sine fundamento, Ronc et Instructor, praefatus cum auctoritate Pignat. quod, cum in hoc casu lex impedimenti reddatur nociva, posset parochus aut alter confessarius prudens declarare talem legem non obligare. Advertunt tamen pro maiori securitate, et etiam pro reverentia erga Ecclesiae leges recurri debere ad sacram Poenitentiariam, ut ab ea obtineatur dispensatio (2).

115. Hinc infertur 2. cum Cano Suar. Pont. Laym. Sanch. Lug. Vasq. Coninch. Ronc. Salm. et aliis etiam communiter, quod ubi omnino desperetur fructus, omittenda est etiam admonitio alicuius restitutionis faciendae, quia evitari debet prius damnum spirituale proximi, quam temporale alterius. Et idem dicunt Suar. Lugo Sanch. Laym. Ronc. Vasq. Castrop. Salm. si ex admonitione timeantur scandala, infamiae, aut rixae; quia semper melius est malum formale avertere, quam materiale (3).

Animadvertunt tamen Ronc. et Viva cum Laym. non ita facile iudicari debere poenitentem cognita veritate parere nolle; et si non statim, saltem cum animi commotio sedata erit. Imo ait Lugo cum aliis, admonitionem non esse omittendam, licet scandalo futura sit, cum spes fulget scandalum brevi fore ut cesset; sed haec doctrina intelligi debet sicut docet Benedictus XIV., nempe quod locum habeat in casu quo, tacente confessario, peccator in malo obfirmaretur, cum scandalo aliorum; aut cum poenitens in proxima versatur occasione peccatorum saltem cogitationis, quibus olim solitus fuit assentiri (4). Animadvertunt contra Lugo Tamb. et Busemb. confessarium posse relinquere poenitentem in bona fide, et differre ad tempus opportunius admonitionem, si pro tunc timet, ne aequo animo eam haud ferat (5).

116. In duobus tamen casibus omittendum non est quin confessarius veritatem poenitenti aperiat. Primus, quando poenitens eum interrogaret: quia tunc procul dubio confessarius veritatem ei aperire debet, dum non esset amplius nunc invincibilis ignorantia (6). Secundus casus est, cum ex eius ignorantia damnum spirituale communitati futurum fuisset, ut docent communiter Lugo Busemb. Avers. Salm. Dicast., etc. (7), quia tunc confessarius admonere tenetur poenitentem, licet admonitio pro tunc ei scandalo sit; nam talis poenitens, cum videat a nemine se absolvi, nisi resipiscat, speratur fore ut saltem intra aliquod temporis emendetur; contra non obstat quod pro illo tunc admonitio sit ei occasio ruinae, quia confessarius est minister non tantum constitutus pro consulendo bono particularium poenitentium, sed etiam pro bono totius reipublicae christianae, ideoque praeferre debet bonum commune bono privato sui poenitentis. Omnino igitur a confessario ad-

(1) De Synod. l. 9. c. 2. n. 2. (2) l. 6. n. 613. (3) n. 614. v. infertur 2. et 3. (4) n. 616. v. excip. 3.

(5) n. 609. 9. v. si etiam. (6) n. 616. v. excip. 2. (7) n. 615.

monendi sunt principes, gubernatores, praelati, parochi, et confessarii, qui officio suo desunt, sive iniuste administrando iustitiam, sive eligendo indignos ministros, sive conferendo officia aut beneficia indignis, sive in vana impendendo fructus suorum beneficiorum cum scandalo aliorum, aut indebite Sacramenta ministrando; nam ignorantia istorum difficulter erit invincibilis, et licet esset invincibilis, semper damnum afferret communitati, saltem ob scandalum, dum alii de facili putant esse licitum quod vident factitari a Superioribus. Et sicut docet Benedictus XIV. in laudata Bulla *Apostolica*, idem practicandum est cum iis qui Sacramenta frequentant, ne alii ab eis pravum sumant exemplum (1). Quid autem faciendum sit a confessario in dubio, utrum correctio profutura, an nocitura sit; dicunt Lugo Dicast. Salm., etc. tunc librandum esse timorem damni et spem utilitatis, et eligendum quod videtur praeponderantius. Caeterum, regulariter loquendo, in dubio semper potius vitanda sunt mala formalia, quam materialia; idem Conc. loquendo de correctione fraterna, dicit quod in dubio utrum illa profutura an obfutura sit, omittenda illa est, quia imprudenter operatur (sic ille scribit) qui dubitando, se coniicit in periculum causae esse proximo alicuius peccati (2).

117. V. Confessarius tenetur absolvere poenitentem cum est dispositus. Circa hanc dispositionem multa advertenda sunt: 1. Perpaucos esse poenitentes, praesertim rudes, qui praeposito actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat huiusmodi poenitentes sequenti modo interrogent: *Eia, postulasne a Deo veniam de omnibus his?* (quod revera non est verus actus doloris): *Te poenitet ex corde omnium peccatorum?* et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Aliud sane est bonorum confessariorum institutum; hi enim inprimis elaborant, ut poenitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant, et prius per attritionis actum eos praeparent, v. gr. *Fili mi, ubi nunc esse deberes in aeternum? in inferno. In illo igne semper cruciandus esses.... Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses... Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo reiectus per totam aeternitatem... Igitur tene poenitet Deum offendisse, propter infernum quem meruisti?* Advertendum hic est non fieri actum attritionis, si quis diceret, se poenitere peccati commissi, quia meruit infernum, sed opus habet ut dicat se poenitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum. Postea curet ut eliciatur actus contritionis hoc modo: *Fili mi, quid egisti? peccasti in Deum summum et infinite bonum: nullam illius rationem habuisti: avertisti faciem tuam ab eo: proiecisti eum post tergum tuum: contempsisti amicitiam et gratiam eius: eia ergo, quia offendisti Deum, bonitatem infinitam nunc ex toto corde te poeniteat. Detestare, et odio habe super omnia mala omnes iniurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti: nonne iam promptus es millies mori, potius quam haec in posterum committere?* Advertendum 2. regulariter loquendo teneri confessarium absolvere dispositos, sed posse etiam absolutionem differre eis, cum cognoscit id expedire, ut docent communiter dd (3). An autem hoc expediat nec ne facere sine poenitentis consensu, vide dicenda *Tract. ult. punct.* 2. cum sermo erit de recidivis. Advertendum 3. confessarium certum fieri debere de poenitentis dispositione, ut possit eum absolvere, dum actus poenitentis (in quibus consistit dispositio) sunt materia Sacramenti Poenitentiae; sed sicut in cae-

(1) lib. 6. n. 615. v. excipe tamen.

(2) n. 616. v. utrum (3) n 462.

teris Sacramentis, quia materia est physica, physica debet esse etiam certitudo; ita in hoc quia materia est moralis (cum sit interna, adeoque parum sensibus perceptibilis), sufficit certitudo moralis; iuxta regulam s. Thom. (1), qui dicit: *Certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum*: unde sufficit confessario pro absolutione impertienda, *ut prudens iudicium probabile de poenitentis dispositione habeat*, ut scribit Instructor Confess. nov. (2), quin obstet aliqua prudens suspicio in contrarium de dispositione. Idem dicunt p. Card. p. Mazzot. et p. Suar. qui ita scribit: *Sufficit ut confessarius prudenter et probabiliter iudicet poenitentem esse dispositum.* Idem docet Catech. rom. (*de Poenit. part.* 2. *n.* 82. *v. nota.*): *Si audita confessione* (sacerdos) *iudicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Itaque iuxta Catechismum absolvere potest poenitentem, quoties non iudicat ei omnino defuisse dolorem; nam caeteroquin praesumendus est adfuisse in poenitente qui iam confessus est (3).

118. Hic occurrit loqui de illa magna quaestione hodie adeo controversa inter dd., an confessarius possit et debeat absolvere eum qui vult sequi aliquam opinionem quam probabilem iudicat, licet confessarius uti talem non habeat? Si poenitens est indoctus, adeo ut nequeat sibi formare conscientiam rectam ex probabilitate illius opinionis, certum est tunc eum non posse absolvi. Sed dubium restat cum poenitens est capax sibi formandi conscientiam rectam, an possit et debeat confessarius eum absolvere? Negant Fagn. Eliz. Antoine et alii rigidioris sententiae fautores, dicentes in Sacramento Poenitentiae confessarium esse iudicem et poenitentem debere stare iudicio iudicis sui. Sed sententia communis docet confessarium in eo casu posse et debere absolvere sub gravi (saltem si confessio facta fuerit de materia gravi, dum dicunt Suar. Sanch. etc. (4) negare absolutionem de materia levi non excedere veniale). Ita Navar. Sot. Azor. Suar. Salm. Med. Castrop. Valent. Sayr. Vasquez Laym. Roncagl., etc., et in hoc consentiunt etiam aa. probabilioristae, ut Wig. Pontas Victoria et Cabass.; sed praecipue notandum est quod docent Nav. et s. Antoninus. Navar. (5) dicit: *Si sint contrariae doctorum opiniones*...; *et* (confessarius) *credit evidenti se textu vel ratione niti, poenitentem dubia, non debet eum absolvere; at si confessarius non adeo forti ratione utitur, vel poenitens utitur pari vel fere pari, et habeat aliquem pro se doctorem clarum, poterit eum absolvere, ut post Adrianum tenuimus c. Si quis d.* 7. *n.* 66. Audiamus etiam s. Antoninum (6): *Caveat confessor, ne sit praeceps ad dandam sententiam de mortali, quando non est certus, et clarus; ubi... sunt variae opiniones... consulet quod tutius est; non tamen contemnet contrariam opinionem tenentem, ne propter hoc* (nota) *deneget absolutionem.* Excipit tamen postea: *Si autem omnino conscientia confessarii dictaret illud esse mortale*, quod est idem quod dicit etiam Navar., et quod nos pariter hic infra advertemus, nempe cum poenitentis opinio confessario omnino falsa videtur. Confirmat postea alibi (7) s. Antoninus quod supra retulimus, dicendo: *Si credit* (confessarius) *quod sit peccatum, debet ei conscientiam facere: sed dato quod ille non vellet cognoscere illud esse peccatum, nihilominus tenetur eum absolvere*: hoc cum grano salis intelligendum est, nempe cum poenitens tenet suam opinionem fundamento valido esse

(1) 2. 2. q. 47. a. 9. ad 2.
(2) instruct. p. 1. c. 15. n. 360.
(3) l. 6. n. 57. et 461. (4) n. 604.
(5) Man. cap. 26. n. 4.
(6) Part. 3. tit. 17. cap. 16. §. 2.
(7) Part. 3. tit. 10. c. 20. in fin.

innixam; et contra confessarius eam pro omnino falsa (ut dictum est) non habet; dum subiungit immediate post Sanctus: *Quia ex ratione et non ex protervia haec opinio est.* Idem dicit s. Raymundus (1): *Unum tamen consulo, quod non sis nimis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam..., alias possent induci homines in desperationem.* Idem quoque dicit doctissimus Sylvius (2) loquendo de superfluo mulierum ornatu: *Si confessarii non possint clare percipere, utrum sibi sit mortale aut veniale, persuadeant ut poenitens abstineat: si tamen nolit, non ei faciant conscientiam de mortali, neque absolutionem negent.* En quomodo loquuntur uniformiter auctores tam antiqui quam moderni.

119. Ratio autem est huius sententiae, quia poenitens, facta confessione, habet ius certum et strictum ad absolutionem; unde confessarius gravem illi irrogat iniuriam, quoties poenitentis opinio ei non videtur omnino falsa. Nec valet dicere quod poenitens non est dispositus, cum sequi renuit confessarii iudicium; nam respondetur quod confessarius non est iudex opinionum, quas poenitens sequi teneatur, sed tantum dispositionis sui poenitentis, ut patet ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. ubi dicitur: Sacerdotes in hoc tantum sunt iudices, in quantum ipsi, auditis peccatis, debent impertiri aut denegare absolutionem poenitentibus pro eorum dispositione, et eis pro modo culpae poenitentiam imponere: *Dominus noster I. C... sacerdotes...* (verba Trident.) *reliquit praesides, et iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur... qui, pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiarent* etc. Itaque in quantum ad opiniones quae ad poenitentis dispositionem pertinent, aut in quantum ad administrationem Sacramenti (v. g. si confessarius iudicaret se iurisdictione carere super tali casu) poenitens confessarii iudicio stare debet. Sed in quantum ad alias opiniones quae respiciunt poenitentium obligationes generales, confessarius non est iudex, nec potest eum obligare ad suas sequendas opiniones, imponendo ei tot novas leges ad quas prius non tenebatur, adeo ut ad recipiendam absolutionem teneatur a suis desciscere opinionibus ipsi probabilibus visis, et forte probabilioribus. Contra poenitens cum peccata sua confessus sit, et cum habeat sufficiens fundamentum, quo licite possit aliquam sententiam sequi, non potest confessarius sine gravi iniustitia absolutionem ei denegare, nisi cum illam opinionem omnino falsam habet (3). Dico *omnino falsam*, nam licet dicant Lugo Laym. Sanch. et Croix cum Suar. et Carden. confessarium teneri absolvere poenitentem, licet illius opinionem pro falsa haberet: et idem dicit Sotus: *Quis sacerdos existimet opinionem esse falsam, non tamen inde existimare debet sibi non licere ipsum absolvere, siquidem propter probabilitatem excusabitur ille a culpa.* Nihilominus hoc intelligendum est, ut scite explicat Sanch., cum illa opinio iam probabilis existimata esset inter dd. auctoritatis probatae, et aliquam (addendum est) verisimilitudinem haberet; non vero quando confessarius ex opinione propria aliquod haberet principium, cui sibi videretur nulla responsio congrua dari posse et contra cognosceret poenitentis opinionem (licet ab aliquibus dd. defensam) falso fundamento inniti: quia tunc dico cum Nav. et s. Antonin. (verba cuius superius relata sunt) non posse, nec debere absolvi poenitentem, nisi a sua opinione descisceret. Certum in controversia praefata, ubi altera sententia (sed paucorum) affirmat peccare confessarium si absolvit poenitentem sequi volentem opinionem, quae non videtur o-

(1) l. 3. de Poenit. §. 21.

(2) 2. 2. q. 154. a. 2. (3) l. 6. n. 6

mnino falsa, adversus suam: altera vero (quae communis, et tantorum aa. modernorum, et antiquorum) dicit peccare, si non absolvit, ubi eius confessionem suscepit; non video quomodo tutus esse possit in conscientia ille confessarius, qui ei denegat absolutionem (1). Quomodo autem se gerere debeat confessarius in opinionum delectu, et an uti debeat rigidioribus, an benignioribus, vide dicenda *Append.* 4. §. 1. ubi loquar de prudentia confessarii.

120. Praeterea quaeritur, quomodo se gerere debeat confessarius cum poenitente, cuius suspicatur, aut scit aliquod peccatum, quod ipse negat, aut reticet? distinguendum est: Si extra confessionem, et ex scientia propria, certum est quod tunc non potest eum absolvere; modo prudens non adsit dubium, quod poenitens de illo iam apud alium confessus sit. Si vero dumtaxat suspicatur, aut scit ex aliorum relatione, et poenitens illud negat, plerumque non potest ei tunc denegari absolutio, dum in hoc foro credendum est poenitenti tam pro, quam contra. Attamen abs re non est quod dicit Elbel, quod si confessarius audiret peccatum a testibus ita fide dignis, ut moraliter fieret certus, non debet ei absolutio impertiri; quia regulae locus est in dubio, non autem in facto moraliter certo (2). Si vero confessarius cognovit peccatum ex confessione complicis, tunc prius non potest utique de eo in particulari interrogare poenitentem, nisi specialem obtinuisset licentiam ab altero complice; sed tantum potest interrogare in generali: et pariter in hoc non debet esse multus in repetendis interrogationibus, ut revelationis periculum vitet. Nihilominus probabiliter dicunt Laym. Silvest. Navar. Spor. et Holzm. quod potest aliquam interrogationem etiam particularem adhibere, si illa communiter fieri solet personis talis conditionis, v. g. sponsis, si inter se nimis confidenter usi sint: servis, si aliquid dominos defraudaverint, etc. Sed difficultas maior extat, an absolvendus sit complex, cum, his adhibitis diligentiis, ille tacet peccatum? Alii affirmant absolvendum esse conditionate; alii absolute; sed melius sentiunt Suar. Dicast. Croix Viva etc., quod cum confessarius moraliter certus est poenitentem sacrilege occultare peccatum, non potest eum absolvere, sed voce submissa debet aliquam recitare orationem ad occultandam absolutionem, quam ei denegat (3). Quoad autem obligationem qua tenetur confessarius esse in gratia, cum audit confessiones, aut saltem cum impertitur absolutionem; et an excusetur in casu extremae necessitatis; vide dicenda in *Append.* 3. *de examine Ordinand. n.* 11.

121. VI. Tenetur confessarius ad corrigendos errores quos in excipiendis confessionibus commisit, aut in danda absolutione. Sed hic plura distinguenda sunt: 1. Cum erravit circa Sacramenti valorem, v. gr. si absolutionem non protulit, aut si eam carens iurisdictione impertitus est: tunc, si ille erravit inculpabiliter, non tenetur cum suo dedecore, aut alio gravi incommodo poenitentem admonere: quia talis admonitio est solius charitatis, quae ad tantum non obligat; ita commun. Lugo Salm. Spor. Viva Elbel et alii. Excipitur si talis confessarius esset parochus, aut si poenitens esset in mortis articulo, aut in gravi periculo non amplius confitendi constitutus. Si vero erravit ex culpa gravi; quaeritur 1. an teneatur ad admonitionem cum suo gravi incommodo? Negant Bonac. Suar. s. Anton. Navar.; et id probabile vocant Salmant. cum Vasquez Hurtad. etc., tum quia (dicunt) non videtur tale praeceptum cum tanto onere obligare, cum hoc Sacramentum a sola charitate administratur; tum quia sicut poenitens non teneretur cum tali gravamine ad confi-

(1) l. 6. n. 604. v. caeterum. (2) n. 631.

(3) n. 631. v. si autem.

tendum; ita nec confessarius tenetur ad efficiendum ut talis confessio valida fiat. Sed recte affirmant Lugo Tamb. Leand. Sporer Viva et Elbel, quia licet confessarius ex charitate confessiones excipiat, semper tamen ac eas suscipit, tenetur postea ex quasi-contractu ad Sacramentum administrandum modo quo debet; et sic 1. rationi satisfit. Respondetur ad 2. aliam esse poenitentis obligationem ab illa confessarii; quia si poenitens nosset suae confessionis invaliditatem, poterit saltem postea per contritionem, aut per aliam confessionem malo suo prospicere, sed confessarius non potest eum in ignorantia relinquere cum tanto illius damno (1).

122. II. Si confessarius sua gravi culpa poenitentem a restitutione deobligavit, tunc tenetur etiam cum suo gravi incommodo (licentia tamen ab eo petita) eum admonere; alias admonitionem omittendo tenetur ipse ad restitutionem: intelligitur, quoties si tempore debito poenitentem admonuisset, iam ille restituisset; ita communiter Lugo Castrop. Bonac. Viva Spor. Salm. Elbel, etc. Et scite hic advertunt Lugo Bonac. et Busemb. quod si confessarius iam admonuisset poenitentem priusquam impotens fieret, tunc licet poenitens non restituisset, ad nihil ipse tenetur; quia cum consilium sit mere auctoritativum, sufficit quod confessarius tempore opportuno illud revocet, iuxta dicta *Tract.* 10. *n.* 44. *et seq*. Dicitur *tempore opportuno*, quia si forte poenitens tempore confessionis erat dispositus ad restitutionem, si admonitus fuisset, et postea facta sibi admonitione nollet restituere, tunc recte dicit de Lugo (quidquid Antoine dicat) confessarium ipsum teneri ad restituendum, quia tunc eius consilium iam fuit proxima causa damni (2). Sin autem confessarius graviter in hoc non peccavit, non tenetur ad admonitionem cum suo gravi incommodo, sed tenetur cum aliquo levi incommodo, ut dicunt Lug. Spor. Elb. etc. quia quilibet tenetur cum levi suo incommodo ad reparandum, cum potest, damnum grave proximi (3). Sed hinc quaeritur an confessarius in tali casu admonitionem omittendo teneatur ad restituendum? Negant Sanch. Caiet. et Navar. dicentes quod cum confessarius non laeserit iustitiam, non tenetur ad admonitionem, nisi ex charitate quae non obligat ad restitutionem. Sed communius et melius affirmant Lug. Spor. Salm. Elb. Viva Arriag. etc., quia eius consilium (licet inculpabiliter datum) prosequitur ad influendum in creditoris damnum: quare cognito errore, tenetur ex iustitia ad removendam damni causam (4); non secus ac si quis sine culpa gravi incendisset domum proximi, si potest sine gravi incommodo, tenetur ex iustitia ad ignem extinguendum, sicut communiter dicunt Less. Laym. Lugo Bonac. Tror. Salm. etc. (5).

123. III. Quando autem confessarius non iam deobligasset poenitentem a restitutione, sed tantum omisisset eum admonere, tunc si inculpabiliter omisit, non tenetur cum gravi suo incommodo ad eum admonendum, ut supra dictum est; sed tenetur etiam cum aliquo incommodo, ut dicunt dd. cum aliquali proportione ad reparandum damnum creditoris. Si vero neglexit sua culpa gravi, tunc tenebitur admonere cum maiori incommodo. Sed hic praeterea quaeritur an confessarius, omissa debita correctione teneatur ad restitutionem? Multi multa sentiunt. Alii affirmant de quolibet confessario, quia quilibet confessarius (ut dicunt) tenetur ex officio poenitentem docere de sua obligatione; ita Mol. Vasq. Navar. Sayr. Filliuc. etc., alii affirmant de solo parocho, ut Less. et Antoine, affirmando quod parochus tenetur impedire quominus subditi sui damnum aliis inferant. Sed universaliter id ne-

(1) l. 6. n. 619. (2) n. 621. v. sed quid. (3) ib. v. hoc. (4) n. 621. v. an autem.

(5) l. 3 n. 994.

gat sententia communissima et verior cum Cabass. Azor. Suar. Castrop. Sanch. Bonac. Lug. Valenz. Coninch. Salm. Croix etc., et ratio est quia confessarius licet teneatur ad monendum poenitentem; sed ex sola charitate, non ex iustitia; et loquendo etiam de parocho, licet ex iustitia teneatur ad monendos subditos, talis obligatio tamen versatur tantum circa eorum bona spiritualia, non autem temporalia. Et hoc currit, etiamsi confessarius aut parochus ex malitia admonitionem negligeret, ne poenitens restitueret; quia tunc deest influxus positivus in alterius damnum, qui semper requiritur pro restitutionis obligatione, sicut dictum est *Tr.* 10. *n.* 36. (1).

124. Restat hic discutienda magna quaestio, quae inter dd. agitatur, nempe an confessarius, non petita licentia poenitentis, possit eum admonere de errore in confessione commisso. Nos paucis expediemur. Affirmant universaliter loquendo Suar. Petrocor. et Spor., et probabile putant Laym. Castrop. Bonac. Salm. etc., dum dicunt hanc admonitionem spectare ad perficiendam confessionem, quae imperfecta relicta est. Sed nos dicimus cum sententia communissima, quod distinguendum est: Si iudicium completum est per absolutionis collationem, tunc non potest confessarius sine poenitentis licentia cum eo de errore colloqui; quia talis admonitio esset exprobratio illius peccati, quae confessionem redderet odiosam; ita Sot. Silv. Sanch. Valent. Graf. Diana Reginald. Megal. Croix etc. cum de Lugo; qui dicit contrariam repugnare theologorum communi sensui. Secus autem, ut recte dicunt Croix Stoz et Arriaga, si confessarius non adhuc absolutionem impertitus fuisset, quia tunc iudicium non est adhuc absolutum; aut si non recte protulerit absolutionem, tunc bene posset poenitentem admonere, siquidem tunc nulla evenit peccati exprobratio (2).

125. VII. Loquamur denique de obligatione quam habent sacerdotes de administrando Poenitentiae Sacramento. Sacerdotes simplices regulariter loquendo non tenentur ad illud ministrandum, nisi in casu extremae necessitatis. Parochi vero tenentur toties quoties rationabiliter expetiti sunt a subditis, qui opportune illud petunt. Vide dicta *Tract.* 7. *n.* 24. Sed hic quaeritur 1. an sacerdos simplex aut simplex confessarius (quia quoad parochum vide dicta *Tract.* 7. *n.* 28.) teneatur cum periculo vitae ad absolvendum moribundum in peccato mortali existentem? Negant Sot. Sa Navar. Coninch., et Lugo probabile putat, dum ille potest per contritionem sibi consulere; excipit tantum Coninch. si moribundus ea laboraret ignorantia, ut nesciret elicere actum contritionis. Sed sententia verior affirmat cum Suar. Tourn. Lorca et Valent.; quia licet possit moribundus per contritionem supplere, tamen cum haec sit difficilis, negari non potest quin, si inabsolutus relinquitur, in magno suae damnationis periculo manserit. Unde fit quod sicut in casu quo proximus sine tua absolutione certe peribit, teneris ad mortem certam subeundam, ut eum absolvas: ita in casu quo ille in probabili damnationis periculo manet, teneris te exponere probabili periculo mortis; nam in aequali periculo quisque tenetur postponere vitam temporalem suam vitae aeternae proximi (3).

126. Quaeritur 2. an sacerdos simplex teneatur se habilem reddere pro excipiendis confessionibus, cum videt indigenas suos esse in gravi necessitate spirituali ob confessariorum penuriam? Apud nullum auctorem de re morali tractantem hoc dubium inveni discussum; tantum ad manus mihi pervenit quidam libellus, cui titulus (*Parroco di Villa p.* 308.)., cuius auctor est R. D. Ioseph Iorio, cuius doctrinam ac pietatem varia opuscula, quae edidit, satis compro-

(1) l. 6 n. 621. (2) n. 622 (3) n. 624.

bant; ibi ex Italico haec transcribo: *Qui solertia pro audiendis confessionibus pollet, et observat in suo oppido confessariorum penuriam, et videt, aut non frequentari, aut male haberi tale Sacramentum, tenetur illud administrare. Et, si aetate non multum processit, tenetur in conscientia ad se habilem reddendum.* Affert idem auctor auctoritatem P. Pavonis, Societ. Iesu, viri admodum docti et pii, qui in suis operibus italicis sic scribit: *Munus meum, qui sacerdos vocor, est me Praelato meo parere, cum mihi imponit ut confessionem excipiam, et legitimo impedimento non praepedior: quia Praelatus potest id mihi praecipere, et ego nullam rationem habeo ut talentum otiosum teneam, etc. Insuper mihi inest debitum me Episcopo offerendi, ut facultatem confessiones audiendi ab eo expostulem, cum animadverto in gravi necessitate esse populum ob confessariorum deficientiam.* Et revera (subiungo hic aliquas reflexiones quas animo rependi super hoc puncto, cui parum sacerdotes animum intendunt) certum est sacerdotes esse a Deo electos non solum ut sacrificent, sed etiam principaliter esse constitutos, ut animarum saluti incumbant; sicut enim divinus Pater misit Filium suum pro mundi salute, ita Christus Dominus constituit sacerdotes in suum locum sufficí, ut pro se legatione fungerentur: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Io.* 20. 21. Quapropter sacerdotes vocantur, nunc lux mundi, nunc sal terrae, nunc Dei coadiutores. Idcirco etiam Trid. *sess.* 23. *c.* 14. praecipit ut promovendi ad praesbyteratum prius *ad docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac* (nota) *ad ministranda Sacramenta.... idonei comprobentur.* Et s. Thomas (1) dicit, quod Dominus ad hunc finem instituit Ordinem sacerdotum in sua Ecclesia, ut ipsi Sacramenta aliis ministrent: *Et ideo posuit Ordinem in ea ut quidam aliis Sacramenta traderent.* Praecipua autem obligatio sacerdotum est circa administrationem Sacramentorum Eucharistiae, et Poenitentiae, dum ideo duplex eis confertur potestas sacrificandi nempe, et absolvendi a peccatis. Et animadvertatur quod Dominus Spiritum sanctum in sacerdotes infudit praecipue, ut absolvant a peccatis, prout legimus apud Ioan. loc. cit. ℣. 22. et 23. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Itaque cum hoc sit sacerdotum praecipuum munus, et unus ex principalibus finibus, cur Deus eligit aliquem ad sacerdotium, dico quod sacerdos tenetur ad se habilem reddendum ad illud, saltem cum necessitatem cognoscit ob aliorum deficientiam, ne ab Apostolo exprobretur quod in vacuum gratiam recepit.

127. Hoc posito quomodo excusabitur a peccato ille sacerdos, qui sua socordia negligit audire confessiones, aut se habilem reddere ad illas audiendas, cum videt gravem necessitatem, qua oppidum suum premitur? Ego nescio quomodo iste possit non exprobrari a Domino, et immunis esse a poena quam minatus est in servum pigrum, qui talentum datum negotiationi abscondit, ut habetur ex Matth. 25. 25. *et seqq.* qui textus ab expositoribus (Corn. a Lapide, Calm. et Tirino, cum Ambrosio) explicatur proprie de iis qui opera sua procurare possunt, et negligunt salutem animarum: *Notent hoc* (ait Cornelius) *qui ingenio, doctrina, aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem ob desidiam, vel metum peccandi; ab his enim rationem poscet Christus Dominus in die iudicii.* Admodum terrore plenae sunt comminationes Domini in negligentes sacerdotes: *Si me dicente ad impium, impie, morte morieris; non fueris locutus... ipse im-*

(1) Suppl. q. 34. a. 1.

pius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Ezech. 33. 8. Nec dicant huiusmodi sacerdotes obligationem suam satis explere, si alio modo animabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando; non sufficit, dico; quia ipsi tenentur succurrere proximis in eo quod ipsis opus est ad salutem. Si frater ciborum opus habet, non sufficit eum de vestibus providere. Saepe accidit in oppidulis quod plures forte non egent instructione, aut monitione, quia forte iam sunt satis instructi et correcti, sed deest ipsis sacerdos qui eorum confessiones excipiat. Nec valet dicere officium audiendi confessiones esse opus charitatis, et charitatem non obligare cum tanto incommodo, quia est labor insumendus pro acquirenda scientia requisita ad Poenitentiae Sacramenti administrationem; quia respondetur, quod licet tale exercitium sit charitatis, nihilominus est munus quod ortum non habet a simplici charitatis motivo, sed ex officio proprio sacerdotali (ut dictum est) cui ex divina institutione hoc munus adnexum est, et cui sacerdos satisfacere tenetur, cum id populi necessitas expostulat. Denique neminem iuvat se excusare allegando insufficientiam et imbecillitatem suam ; quoad insufficientiam, suppositis antea dictis, ille tenetur ad studendum, et ad se idoneum efficiendum; quoad autem imbecillitatem , qua quis putaret cum merito excusari, nempe cum humilitatis sensu; audiat quid dicit s. Franciscus Salesius. Sanctus appellat falsam humilitatem eorum qui recusant saluti animarum vacare, sub colore quod propriam debilitatem cognoscunt. Dicit totum hoc esse artificium amoris proprii , et humilitatis perversae , qua praetenditur propriam socordiam specioso praetextu colorare. Subiungit quod Deus, nobis aliquid ingenii concedendo , intendit ut nos illo utamur; unde vere humilem se ostendit qui illo utitur, et obedit. Superbo nihil audendum est assumere, tamquam sibi fidenti; humilis contra animo magno esse debet, quia non suis viribus innititur, sed spem in Deum collocat, cui placet suam Omnipotentiam exaltare nostra imbecillitate; et ideo concludit, humilem omnia aggredi posse.

CAPUT VII.

DE CASUUM RESERVATIONE

128. Reservatio casuum definitur: *Est negatio iurisdictionis circa ali-*

quod peccatum. Hinc notandum 1. communissimam sententiam esse cum Sanch. Castrop. Holzm. Tamb. Wigandt Coninch. Antoine Fagnan. Croix et aliis (contra Ronc. Salmant. Ciera etc.) ignorantes non excusari a reservatione, licet invincibiliter eam ignorassent; quia reservatio non est poena quae respicit peccatores, ut supponunt adversarii, sed est restrictio iurisdictionis respectu confessariorum; et hoc aperte praecipitur a Trident. *sess.* 14. *c.* 7. ubi dicitur: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam* (nota) *non habet iurisdictionem*. Unde concludit quod *sacerdotes nihil possint in reservatis*. Nec valet dicere cum Salm. et Ronc. quod licet reservatio directe respiciat confessarios, et limitet eorum facultatem, attamen finis reservationis respicit poenitentes, ut a peccatis reservatis exterreantur; unde fit quod, cessante fine adaequato in ignorantibus, cessat etiam reservatio. Quia respondetur quod finis reservationis est non solum ut fideles avertantur a reservatis, sed etiam (ut dicunt Fagnan. et alii) ut prolapsi convenientes recipiant poenitentias, admonitiones, et remedia quae non conveniunt ab aliis applicari, quam a Superioribus, qui semper existimantur prudentiores, et magis idonei, sicut exprimitur in Trid. *loc. cit. Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur*. Ex quo deducitur evidenter quod etiam in ignorantibus non cessat finis adaequatus reservationis (1).

129. Ex hoc deducitur, ut etiam communiter dicunt aa. citati pro nostra sententia, quod etiam in casibus ab Episcopis reservatis, quibus annexa est censura, licet ignorantes a censura excusentur, cum in ipsis desit contumacia necessaria pro incurrenda censura, nihilominus non excusantur a reservatione; nam haec est differentia inter casus papales et episcopales, quod papales (exceptis duobus qui reperiuntur reservati sine censura, nempe accusatio sollicitationis contra sacerdotem innocentem, ut habetur ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV. et receptio donorum a Regularibus, ut dictum fuit *Tr.* 13 *n.* 8. *in fin.*) principaliter sunt reservati ob censuram. Et idcirco ignorantes ab illis excusantur circa reservationem, ut docent communiter Suar. Castrop. Sanch. Layman. Mol. Caiet. Gonet Wigandt Abelly Salm. Croix Ciera Viva etc. (contra p. Concinam, quem unicum reperio adversum): dum ignorantia certe excusat a censura, ut dicemus *Tr.* 19. *n.* 8. et ut expressum est in *cap.* 2. *de Constit. in* 6. (2). Contra in casibus episcopalibus, quia principaliter reservatur peccatum (licet iniungatur censura), ideoque ignorantes sicut non eximuntur a peccato, ita nec a reservatione; dum, ut dictum est, propter reservationem super illo peccato penitus sublata est confessario iurisdictio (3).

130. Notandum 2. casus reservare posse omnes Superiores qui potestate ordinaria gaudent, prout sunt Papa, Episcopi, Praelati religionum, et etiam qui potestate quasi episcopali fulgent, sicut declaravit S. C. Conc. apud Fagnan.; non autem parochi, nam ipsis saltem ex consuetudine haec facultas abrogata est (4). Dictum est Praelatos religionum posse etiam reservare casus, sed ut decrevit Clemens VIII. tantum undecim reservare possunt et non ultra, sine consensu Capituli generalis pro tota religione, aut provincialis pro provincia. Casus autem determinati fuerunt a Clemente, et sunt sequentes: 1. Apostasia. 2. Egressio nocturna, et furtiva a monasterio. 3. Sortilegium. 4. Peccatum mortale contra paupertatem. 5. Furtum mortale de

(1) l. 6. n. 581 (2) n. 580.

(3) n. 581 dubit. 2. (4) n. 578.

bonis monasterii. 6. Peccatum carnale opere consummatum. 7. Periurium in iudicio. 8. Cooperatio in abortu foetus animati, etiam effectu non secuto 9. Occisio vel gravis percussio cuiuscumque personae. 10. Falsificatio manus, vel sigilli Officialium monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel contra. An autem Praelati possint infligere censuram super alio casu, illum non reservando, affirmat Busemb.; sed communius et probabilius negant Lugo Sanchez Diana et Holzm. (1).

131. Notandum 3. reservationem non posse emanari sine iusta causa; quare dicunt nonnulli reservationem iniustam esse invalidam, quia Trident. dedit hanc facultatem Praelatis reservandi casus in aedificationem, non in destructionem: sed sententia communior et verior cum Laym. Suarez Lugo Holzm. Ciera etc. dicit illam fore graviter illicitam, sed validam; quia sicut potest Praelatus non concedere facultatem pro aliquibus casibus, ita potest etiam reservare eam (2). An autem possit Superior absolvere a reservatis, et pro aliis remittere poenitentem ad inferiorem, alii admittunt propter consuetudinem; sed haec consuetudo communissime negatur a Salm. Cano Nav. Laym. Castrop. Salm. Croix etc. Tantummodo hoc permittitur a praefatis aa. in casu rarissimo magnae necessitatis, puta si Superior praepeditus esset aliquo gravissimo negotio et contra poenitens esset in necessitate communicandi, et repugnantiam ostenderet bis peccata sua confiteri (3).

132. Notandum 4. posse etiam reservari venialia, ut communiter admittunt Suar. Lugo Ciera Holzm. Concina, etc. contra Vasq.; quia licet non adsit obligatio confitendi venialia, attamen ipsa remitti nequeunt per Sacramentum, nisi ex Ecclesiae iurisdictione; ideoque sicut illa hanc negare potest, ita etiam limitare (4). Et ita pariter reservari possunt peccata interna, ut etiam communiter dicunt Sot. Silv. Suar. Croix Antoin. etc. Nec obstat dicere Ecclesiam non iudicare de peccatis occultis; dum respondetur quod Ecclesia reservando non est quod iudicet de peccatis internis, sed iudicat de absolutione illorum, quae est actus externus (5). Caeterum prudentia exposcit (et hoc fert usus) ne reserventur nisi mortalia, et graviora (iuxta normam datam a Concilio, quod dicit *atrociora quaedam et graviora crimina*), et externe gravia; unde communiter docent Lugo Sanch. Suar. Bonac. Granad. Ciera etc.: peccatum leve in quantum est externum non cadit sub reservatione, licet interne esset grave; quia Superiores non intendunt reservare, nisi peccata externe gravia, et insuper consummata, et perfecta in specie sua. Hinc recte dicit p. Mazzotta, non reservari incestum, et sodomiam extra vas peractam, neque sodomiam imperfectam, puta inter marem et foeminam, ut dicunt insuper Silvestr. Azor Bonac. Tourn. etc. (6).

133. Notandum 5. quod, cum non adiri potest Superior, potest inferior indirecte absolvere a reservatis, urgente aliqua causa, v. g. ut vitetur scandalum, aut infamiae nota, aut ut satisfiat praecepto paschali, aut si poenitens alias diutius perseverare deberet in mortali, ex eo quia Superior longe abest: ita communiter Suarez Laym. Castrop. Conc. Wigandt Salmant Ciera Viva etc. (7). Dictum est *indirecte*, quia cessante impedimento, tenetur postea poenitens se praesentare Superiori, ut directe absolvatur a reservatis; ratio est quia confessarii simplices, ut declaravit Trident. (*Sess.* 14. *c.* 7.), *extra articulum mortis nihil possunt in reservatis*: unde extra mortis articulum, licet impedimentum esset perpetuum, si

(1) l. 6. n. 583. (2) n. 579. (3) n. 595. (4) n. 582. dubit. 1. (5) ib. dubit. 2. (6) 583 dubit. 3. (7) n. 585.

casus est episcopalis, et impedimentum casu cessaret, semper recurrendum est ad Episcopum pro absolutione directa. Et si casus est papalis et impedimentum est perpetuum, et poenitens ne ad Episcopum quidem recurrere posset (ut debebat, cum non posset adire Papam) etiam obtenta absolutione in casu necessitatis a confessario simplice, debet saltem se praesentare Episcopo (1); vide dicenda *Tr.* 20. *n.* 45. Et advertendum quod tunc, si peccatum est reservatum cum censura, non se praesentando, reincidit in censuram, ut dictum est *n.* 96. *in fine.* Cum autem quis haberet peccata reservata, et cum esset in necessitate communicandi, si nullus adesset qui haberet facultatem, an iste teneatur confiteri simplici confessario; et an si confiteatur, debeat illi narrare tam reservata, quam non reservata, vide dicta *Tr.* 15. *n.* 27. *et* 28. ubi diximus teneri confiteri ea, saltem cum necesse est ut confessarius iudicium certum formare possit de eius dispositione; unde addimus hic, quod si confessarius interrogat, debet omnia manifestare; nam, sicut recte animadvertit Lugo, licet poenitens non teneatur per se ad aliquod peccatum aperiendum, attamen tenetur illud exponere, cum de illo interrogatur a confessario, qui ius habet noscendi totam conscientiam poenitentis, tum ut cognoscat eius dispositionem, tum ut remedia applicet, in quibus duobus ille est verus iudex (2). An autem quilibet confessarius absolvere possit moribundum a papalibus praesente Episcopo, vide *praec. n.* 97.

134. Notandum 6. licet Superior iniuste negaret facultatem, inferiorem non posse absolvere a reservatis, sicut communiter docent Sotus Suar. Laym. Lugo, Ciera Salm. etc, quidquid dicant Henriq. et Diana; nam sicut est valida reservatio iniusta (ut dictum est *n.* 131.), ita etiam valida est iniusta negatio facultatis (3). Caeterum proculdubio graviter peccant Episcopi, qui iniuste negant facultatem; et peccant etiam contra iustitiam, cum ex tali denegatione notabile damnum subditorum animae patiuntur; ita communiter Lug. Suar. Coninc. Quintanad. Fag. Diana et Ciera, ex s. Thoma; praecipue (ait Ciera) si poenitens adduci non possit ut adeat Superiorem. Contra Superior iuste semper denegare potest facultatem, donec poenitens notitiam necessariam ei non affert ad reparandum publicum scandalum, aut damnum; nam alias a nemine tamquam indispositus absolvi potest; Suarez Lugo etc. (4). Advertendum tamen hic circa Regulares, 1. quod (ut habetur ex Bulla 26. Urbani VIII.) declaravit Clemens VIII. quod si Superior regularis negat facultatem confessario deputato, potest hic *pro ista vice* (ut loquitur Bulla) absolvere poenitentem, et ita communiter asserunt dd. Lugo Gabriel Avers. Bus. Salm. cum p. Viva, qui dicit, quod *pro ista vice* intelligitur toties quoties Superior iniuste negat facultatem. Et idem dicunt Pelliz. Dian. Quintanad. si illam denegat alteri Religioso doctiori, et prudentiori, licet non deputato; et idem dicit Pelliz. si denegatur eidem poenitenti. Advertendum 2. quod propter privilegium concessum fratribus minoribus, omnes Regulares semel possunt absolvi a reservatis per eorum confessarios, licet super reservatis careant facultate, Suar. Diana et Rodriq. (5).

135. Notandum 7. circa peregrinos: peregrini in quantum ad casuum reservationem plerumque iudicandi sunt iuxta leges dioecesis in qua reperiuntur. Unde fit quod si peccatum est reservatum tantum in illa dioecesi, non potest peregrinus absolvi a simplici confessario, etsi illud peccatum non est reservatum in sua patria: ita tenent, contra aliquos communius et verius Suar. Lugo Bo-

(1) l. 6. n. 585. dubit. 1. (2) ib. dubit. 2. et 3. (3) n. 586. ad 3. (4) n. 586 ad 6.

(5) ibid. ad 5.

nac. Concin. Wigandt Ciera Diana Salm. etc. cum quadam declaratione S. C. Ratio est quia hodie peregrini, stante communi consuetudine, non absolvuntur iam ex consensu praesumpto suorum Ordinariorum, ut supponunt adversarii, sed ex voluntate Ecclesiae universalis. Contra reservatio non respicit poenitentes, ut dictum est *n.* 128, sed confessarios dumtaxat; unde ipsi non possunt absolvere ab illis peccatis tantum, super quibus limitata est facultas (1). E converso si peccatum est reservatum tantum in patria, non autem in illa dioecesi, bene potest peregrinus absolvi ab unoquoque confessario, ut recte docent s. Antonin. Caietan. Lug. Suar. Bonac. Cabassut. Conc. Ronc. Mazzot. Salmant. etc. quia haec est consuetudo approbata communiter ab Episcopis, et Pontificibus, nempe ab Eugenio IV. (ut testatur Lugo) et praecipue a Clemente X. in sua Bulla *Superna*, edita 21. Iunii 1670. Modo (limitavit Clemens) non esset quod poenitens proficisceretur a patria sua in fraudem reservationis: *Posse autem* (sunt verba Pontificis) *regularem confessarium in dioecesi in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessarius est approbatus, absolvere: nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Bulla loquitur proprie de confessariis regularibus, ut observatur; sed intelligitur etiam pro saecularibus, ut recte dicunt Croix Viva et Roncagl. et ut declaravit etiam S. C. (2).

136. Quomodo autem intelligenda est clausula illa *in fraudem reservationis*, multae et diversae adsunt opiniones. P. Mazzot. cum Tamb. et aliis intelligit, cum casus est deductus in forum contentiosum; sed haec explicatio nihil concludit, dum Pontifex loquitur de foro sacramentali, non autem de externo. Episcopus Milante intelligit quando poenitens peccasset in confidentiam absolutionis, sed non cum alio proficisceretur, ut facilius ibi absolvi posset: sed nec huic explicationi assentiri valeo: Pontifex enim non loquitur de iis qui peccant, sed de iis qui migrant in fraudem reservationis. Alii alias applicationes afferunt: sed communius et probabilius Lugo Roncaglia Viva, cum Porcella et Fagund. et *Instruct. Confess. nov.* cum Passerino explicant, quando poenitens fine unico et principali proficiscitur, ut alibi facilius absolvatur, et ut proprii pastoris iudicium aufugiat; quia tunc proprie dicitur intervenire fraus, quando elusoria redditur lex, et quidem lex reservationis eluditur, cum poenitens principaliter e patria migrat ut in alia dioecesi faciliter absolvatur. Contra non migrat in fraudem, qui aliquo proficiscitur alio fine, v. g. lucrandi indulgentias, aut fine alia negotia agendi, aut citius vel cum minori incommodo confitendi, aut reperiendi confessarium non cognitum, aut prudentiorem a quo melius dirigi possit, et per quem sperat uberiorem conscientiae pacem fore consecuturum (3).

137. Dicit autem Roncaglia, quod poenitens, qui discedit aufugiendi fine proprii pastoris iudicium, in aliena dioecesi non potest ne a confessariis quidem, qui super reservatis habent facultatem, absolvi, quia tunc etiam migraret in fraudem (4). Sed contradicunt Milante, et Viva, cum Suar. Nav. Lug. Bonac. cum communiori dd. qui dicunt quod si casus est reservatus in utraque dioecesi, peregrinus libere absolvi potest ab habente facultatem; et haec opinio non videtur improbabilis, quia revera tunc non videtur poenitens committere fraudem in reservationem, cum eat ad confessarium approbatum etiam pro reservatis (5). Praeterea dicit Mansi, et adhaeret etiam

(1) l. 6. n. 588. (2) n. 589. v. idque. (3) n. 589. v. quomodo. (4) ibid.

(5) num. 587.

Ronc., non posse absolvi qui extra patriam peccatum commisisset reservatum in patria, hoc fine ut postea extra absolvatur. Sed etiam circa hoc oppositum sentio, quia peccator tunc non diceretur discessisse in fraudem reservationis ut absolveretur, sed alio se contulisse, ne reservationem incurreret (1).

138. Contra recte dicunt Castrop. Suar. Coninch. Conc. (quicquid dicant alii) non posse absolvi in patria a reservato poenitentem qui peccavit in monasterio Regularium, licet exempto, quia quamvis haec monasteria sint exempta etiam quoad locum, ut dictum est *tract.* 2. *n.* 39., nihilominus nec per hoc potest eum absolvere confessarius, cui limitata est iurisdictio super tali casu. Et idem currit propter eamdem rationem, si poenitens peccasset extra dioecesim, licet ibi talis casus non esset reservatus. Ita etiam dicimus cum Ronc. et Wigandt, contra alios, non posse absolvi a confessario simplici poenitentem extra dioecesim a censura quae in patria est reservata, quia totam facultatem confessarii simplices ad absolvendum a censuris habent ex *c. Nuper, de Sent. excomm. in* 6. ubi expresse dicitur quod confessarii absolvere nequeunt a censuris reservatis (2). Dicimus etiam cum Avers. et Mazzot. quod si peregrinus peccat in alia dioecesi, ubi ille casus est reservatus, non potest ibidem absolvi a simplici confessario, tum quia ibi ratione delicti iam incurrit reservationem; tum quia confessarius (sicut dictum est *n.* 135.) non potest absolvere exterum, nisi iuxta limites iurisdictionis sibi ab Ordinario suo concessae. Advertendum tamen quod talis peregrinus iam incurrit reservationem, ut dictum est, non vero censuram illi annexam, ut recte dicunt Suar. Silv. Conc. Sal. Avil. Sayr. Mazz., etc. contra aliquos; nam in *cap.* A nobis, *de Sent. excomm. in* 6. dicitur *solos subditos comprehendi sub excommunicatione lata ab Episcopo futuris delictis*. Et ratio, quia censura non incurritur, nisi ab iis qui non tantum subditi sunt, sed etiam contumaces: peregrinus contra, licet fiat subditus ob peccatum, nihilominus non potest dici contumax (3).

139. Quaeritur 1. an poenitens qui bona fide confitetur reservatum confessario simplici, aut si obliviscitur illius, sit valide absolutus? Negat Antoine, dicendo simplicem confessarium, cum nihil possit in reservatis, non posse ne indirecte quidem absolvere ab illis. Sed communior est sententia opposita affirmans (ut fatetur ipse Antoine) cum Suar. Castr. Lugo, Conc. Salmant., etc. et etiam est probabilior, quia confessarius simplex, licet careat iurisdictione circa reservata, non autem caret ea in non reservata; quare iam non reservata directe absolvuntur, et indirecte reservata: nam mortalia non possunt absolvi nisi omnia simul, cum non possit unum remitti, non remisso alio: et cum haec sententia sit communis, et valde probabilis, si forte falsa esset, saltem supplet Ecclesia quoad iurisdictionem, iuxta dicta *n.* 91. (4).

140. Quaeritur 2. an poenitens confessus Superiori, si obliviscitur reservati, possit postea de illo a quovis absolvi? *Prima* sententia affirmat cum Lugo, Sanc. Castr. Ciera, Salm., etc. dicens tunc praesumi Superiorem solvendo velle etiam eum liberare ab omni vinculo reservationis, sicut pariter dictum est *n.* 68. de iubilaeo. *Secunda* sententia contra negat cum Suar. Silv. Angelo, Conc. Antoine, etc., quia ad auferendam reservationem, ut dictum est, requiritur ut peccatum subiiciatur iudicio Superioris, ut ab eo competentem recipiat poenitentiam, et medicinam: adeo ut non debet iudicari ablata reservatio, nisi adsit specialis praesumptio quod Superior voluerit eam au-

(1) L. 6. n. 589. v. quomodo. (2) n. 590.

(3) n. 591. (4) n. 596. v. quaer. 1.

ferre. Ratio equidem est valde valida; qua de re haec sententia mihi videtur probabilior, ad differentiam sententiae relatae *n.* 68. quia ibi ratione iubilaei conceditur poenitenti privilegium posse absolvi a quocumque confessario. Hoc non obstante primam sententiam improbabilem putare nequeo; nisi adesset specialis praesumptio quod Superior distulisset absolutionem, si audisset confessionem etiam reservati (1).

141. Quaer. 3. an auferatur reservatio per confessionem invalidam Superiori factam. Respondetur: si confessio est invalida, sed inculpabiliter, communiter affirmant Caietan. Suar. Lug. Wigandt, Castr. Bonac. Ronc. Coninch. Holzm. Croix, et Salm. (contra Concinam), quia tunc iam ex una parte Superior intendit actualiter, et absolute poenitentem liberare tam a peccato quam a reservatione; et ex alia parte, iam poenitens subiecit peccatum suum Superioris iudicio, et ab ipso iam recepit remedia et poenitentiam, quam semper tenetur adimplere, licet postea percipiat confessionem fuisse invalidam, ut advertit Bon. Nec valet dicere quod Superior, et tanto minus delegatus non auferunt reservationem, nisi per absolutionem; quia quoad Superiorem, bene potest ipse concedere illam extra Sacramentum; et in eo casu bene praesumendum est auferre velle; et in quantum ad delegatum, licet iste non possit sine absolutione eam auferre, nihilominus tunc iudicatur posse eam auferre ex voluntate ipsius Superioris, aut saltem virtute consuetudinis approbatae ex auctoritate communi dd. (2). Maior difficultas fit, quando confessio est sacrilega, tunc dicunt absolute Holz. Viva, Ronc. Conc. et Croix non auferri reservationem, quia non praesumitur Superior velle, ut subditus ex suo scelere beneficium reportet. Sed pariter communius affirmant Suar. Lugo, Castr. Bonac. Vasq. Filliuc. Salm. Caiet. Coninch. etc., et non improbabiliter, quia alius est finis confessionis, qui est remittere peccatum; alius est finis reservationis, qui est ut subiiciatur peccatum iudicio Superioris, et hic iam obtinetur; et licet Superior ex voluntate interpretativa nollet, nihilominus iam vult voluntate actuali illam auferre. Secus autem dicendum (ut recte advertunt Lugo, Suar. et Vasq.), si poenitens culpabiliter taceret peccatum, aut, addit Suar., si ipse confiteretur reservatum sine animo illud vitandi, aut poenitentiae satisfaciendi, modo postea non mutaret voluntatem (3). Et secus etiam currit de confessione sacrilega, aut invalida facta in iubilaeo, ut dictum est *praec.* *n.* 66, quia ibi alia procedit ratio.

142. Quaeritur 4. in dubio an poenitens nec ne incurrerit aliquod reservatum, an possit a simplici confessario absolvi? Respondetur: quando dubium est facti, nempe utrum peccatum fuerit veniale, an mortale, et an mortale fuerit nec ne consummatum, tunc apud omnes (excepto Wigandt) pro certo habetur quod possit; ita Suar. Sanch. Lug. Conc. et alii; quia reservatio utpote odiosa, est stricte interpretanda, unde intelligenda de peccatis certe gravibus, et consummatis, ut dictum est *n.* 132. Si vero dubium est circa ius, nempe quando controvertitur inter dd. an aliquod peccatum sit vel non reservatum confessario; in hoc casu negant Conc. Wigandt, et Antoine, cum Armil., dicentes quod confessarius non potest absolvere cum iurisdictione quae tunc ei dubia facta est. Sed etiam in tali casu aa. citati, et communiter etiam affirmant Filliuc. Hurtadus, Bonac. Sa, Henriq. Anaclet. Elbel, Viva, Spor. Salm. etc., et hoc sive dubium sit positivum, sive negativum, quia in utroque currit eadem ratio; dum in dubio confessarius possidet facultatem absolvendi. Praeterquam quod, cum haec sen-

(1) lib. 6. n. 597. (2) n. 598.

(3) n. 598. v. quaer. 4.

tentia sit communis, et probabilissima, in casu quo forte esset falsa, supplet Ecclesia. Nec obstat dicere quod Clemens VIII. suo Decreto prohibuit confessariis privilegiatis absolvere a casibus Bullae *Coenae*, licet essent *dubie reservati*; et quod pariter in Extrav. Perlectis, vetitum est Episcopis absolvere a percussione gravi clericorum, etiam in dubio an sit gravis vel levis; quia respondetur quod ambae hae prohibitiones magis confirmant nostram sententiam: ergo, dicimus: In aliis casibus reservatis, exceptis his duobus, recte potest dari absolutio, nam *exceptio firmat regulam*. Sed hic notandum quod Clemens (ut referunt Ronc. et Antoine) anno 1602. moderavit praefatum Decretum, auferendo illa verba *etiam dubie reservatis* (1). Limitant autem nostram sententiam Sanch. Bonac., etc., in casu quo illud peccatum reservatum iudicaretur in foro externo; sed haec limitatio merito etiam refellitur a Lug. Escob. Spor. Tamb. et Salm., quia differt forum externum ab interno. In illo attenditur praesumptio, et non praestatur poenitenti fides. Sed in hoc sacramentali omnino creditur poenitenti, donec non constet de opposito (2).

143. Quaeritur 5. an qui confessus est simplici confessario dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat certe reservatum? Negat p. Conc.; sed affirmant communiter Lugo, Dicast. Aversa, Spor. Viva, Sanch. et Salm. cum aliis; quia cum confessus sit peccatum tanquam dubie reservatum, iam directe absolutus est (ut fatetur ipse p. Conc.) ideoque remanet directe reservatio ablata. Alius est casus, ut diximus *praec. n.* 34., quando poenitens confitetur peccatum uti dubium, et deinde recordetur esse certum, quia tunc tenetur ipse iterum confiteri ut certum, ut suppleat integritati, et ut exponat confessario, ut revera fuit in conscientia; sed in casu nostro, remisso peccato, est iam, ut dictum est, ablata reservatio; unde cessat obligatio adeundi Superiorem, ut liberetur ab illa (3).

144. Quaeritur 6. an possit absolvi a reservatis, qui peccavit in confidentiam licentiae? Aliqui dubitarunt; sed communior sententia affirmat cum Sanch. Lug. Fill. Bon. Molfes. Salm. Aver., etc. Ratio est, quia, esto Superior nolit ut subditus ansam capiat occasione licentiae, attamen non intendit postea absolutionem negare poenitenti, quem vere poenitet sui peccati et proponit illud vitare. Idem diximus de iubilaeo *n.* 69. (4).

145. Quaeritur 7. an licentia data pro reservatis extendi possit ad peccata post ipsam commissa? Respondetur non extendi iam, si licentia datur pro solis peccatis speciatim nominatis, aut pro numero determinatis; secus vero si indefinite conceditur; ita communissime Lugo, Ronc. Bonac. Passerin. Praepos. Aver. Dicast. Salm. etc.; excipitur tamen, si poenitens, cui praesertim licentia concessa est, aliud peccatum committeret post notabile tempus, v. g. post mensem, aut si licentia concessa fuisset intuitu alicuius festivitatis particularis (5).

146. Quoad autem facultates Episcoporum absolvendi a casibus papalibus occultis, et impeditis, vide dicenda *tract.* 20. *de privil. n.* 36. *v. Dubitatum fuit, et n.* 38. et quoad facultates Regularium, vide ibidem ex *n.* 95. *et seqq.*

(1) l. 6 n. 600. v. quaer. 1. (2) ibid. v. limitant. (3) ib. v. quaer. 2. (4) n. 601.

(5) n. 601 quaer. 4.

CAPUT VIII.

DE SIGILLO CONFESSIONIS

147. Sigillum sacramentale inducit obligationem tacendi peccata et omnia alia in confessione manifestata in ordine ad absolutionem etiam colloquendo cum ipsomet poenitente: et haec obligatio est ita stricta, ut confessarius in nullo casu et tempore possit ea revelare, licet mortem subiturus esset. Ut clarius super hac materia valde implicata procedam, adnotemus hic primo loco eos qui tenentur ad sigillum: secundo ea quae cadunt sub sigillo: tertio casus in quibus laeditur sigillum: quarto casus in quibus non laeditur.

148. Et primo loco adnotabimus eos, qui tenentur ad sigillum. Generaliter loquendo, tenentur omnes ii, ad quos quocumque modo pervenit notitia confessionis. Sed loquendo in particulari, tenentur 1. Confessarius, qui frangendo sigillum tria peccata committeret: sacrilegii ob iniuriam quam infert Sacramento, iniustitiae qua afficit poenitentem et etiam detractionis, si peccatum non esset publicum. Confessarius, si forte interrogaretur de peccatis auditis, potest recte affirmare etiam iuramento se nihil audivisse; nam de omnibus, quae ipse in confessione excepit, nullam habet scientiam communicabilem; ita communiter s. Anton. Suar. Laym. Wigandt, Antoine, et alii cum s. Thoma (1) qui dicit: *Potest iurare, se nescire, quod scit tantum ut Deus.* Et hoc etiamsi, ut dicunt Lug. Vasq. Suar. Laym. Croix, etc. (contra Conc.) confessarius requisitus esset ad respondendum non ut homo, sed uti Dei minister: aut si requisitus esset ad respondendum sine aequivocatione, ut dicunt Lugo, Holzm. Croix, etc.; nam tunc ille iam respondet sine aequivocatione, nempe intelligitur sine illo aequivoco quod potest licite omitti; nam contra interrogans non habet ius ut ei respondeatur sine illo aequivoco quod non potest omitti sine peccato. Si vero confessarius interrogatur, an vel ne dederit absolutionem poenitenti, respondere debet: *Functus sum officio meo.* Sed sic dicere aliquando etiam suspicionem negatae absolutionis afferre potest; unde omnibus istis interrogationibus temere factis semper satius erit respondere exprobrando sic: *Suntne interrogationes faciendae!* Si autem accideret casus quod confessarius non absolvisset, et clericus interrogaret, utrum poenitens communicaturus sit, Confessarius respondere debet: *Interroga eum, an velit communicare* (2). 2. Tenetur etiam ad sigillum Praelatus qui requisitus fuit de licentia pro casibus reservatis, ut recte dicunt Suar. Lugo, Conc. et Salm. (contra Castropal. et Vasq.); quia secus redderetur odiosa confessio. 3. Interpres. 4. Qui audiret aliquod (etiam casu inculpabiliter) a poenitente prolatum in ordine ad confessionem, ut dicunt commun. Bonac. Laym. Castrop. Salm., etc. contra Sot. Ita

(1) In 4. dist. 21. q. 3. a. 1. ad 3.

(2) lib. 6. n. 645. 646

pariter qui auscultat peccatum voce elata confessum, sed in aliqua necessitate naufragii, conflictus, etc.; secus autem si poenitens tantum ad suam confusionem vellet publice confiteri, Castr. Coninch. Salm., etc. 5. Omnes quibus aliquid sacrilege revelatum est, communiter Laym. Holz. Salm. Conc. Spor., etc. 6. Laicus qui dolo se finxisset confessarium, Suar. Lugo, Ronc. et alii communiter contra Sotum, et Vasq. 7. Qui alterius rudis confessionem scripsit. Nonnulli addunt etiam poenitentem sub eodem sigillo sacramentali teneri ad reticenda ea quae confessarius ei dicit; sed hoc negat communis et vera sententia cum Layman, Wigandt, Suar. Castrop. Bonac. Salm. Holzm. Busemb., etc. quia revera ius sigilli institutum est in poenitentium beneficium. Omnes tamen conveniunt cum Holz. poenitentem vinculo secreti naturalis teneri ad reticenda a confessario sibi dicta, quorum propalatio potest illi damno esse; et ego subiungo tale vinculum esse strictius simplici naturali; dum consilia ab aliis data sunt spontanea, sed illa confessarii data sunt ex officio et obligatione; unde infero quod rarissimus esse posset casus in quo poenitens tale secretum licite revelare posset, cum damno confessarii (1).

149. Quaeritur 1. an doctor, quem confessarius consulit de licentia poenitentis, teneatur ad sigillum sacramentale? Negant Castr. Vasq. Tamb. Diana, etc. dicentes tunc peccati notitiam non haberi ex confessione, sed ex manifestatione facta ex licentia, et consequenter nomine poenitentis; unde sicut non teneretur ad sigillum sacramentale, qui consultus esset ab ipsomet poenitente, ita nec requisitus poenitentis nomine. Sed communius et probabilius affirmant Silv. Navar. Lugo Laym. Bonac. Sporer Croix Petrocor. Ronc. Mazzot. et Viva, et expresse docet s. Thomas (2). Ratio est quia eadem Sacramenti institutio exigit ut remaneat sigilli obligatio unicuique ad quem pervenit notitia peccati causa confessionis, alias confessio semper redderetur odiosa. Opponit Tamb. quod poenitens in danda licentia praesumitur voluisse abstrahere illam notitiam ab obligatione sigilli; sed nos respondemus cum Lugo et Spor. quod imo praesumitur oppositum, nempe quod quilibet poenitens, dando licentiam, eam det maiori quam imponere potest restrictione, cum agatur de re tam odiosa quam est peccata sua propalare (3). Advertendum tamen hic quod, non obstante sigillo, doctor qui consilium dedit, donec iudicium per absolutionem non perfectum est, potest libere loqui de illo casu cum confessario, et cum aliis in consilium convocatis, quia moraliter sic intelligitur fuisse data licentia. Advertendum etiam, quod si evenerit unquam quod duo confessarii semotim peterent consilium ab eodem doctore de poenitentis licentia, dicit Lugo, quod non potest doctor cum secundo loqui de circumstantiis auditis a primo, et ignotis secundo; sed pace tanti doctoris, ego contrarium sentio, quia cum poenitens det licentiam secundo confessario loquendi de casu cum eodem consultore, sicut certe credendum est nihil aliud velle poenitentem quam consilium rectum, ita etiam certe praesumendum est illum consentire, ut consultor dicat quicquid scit, et quicquid dicendum sit, ut bonum praebeat consilium (4).

150. Quaeritur 3. an teneatur ad sigillum ille quem ipse poenitens consulit de confessione quam alii facere intendit? Affirmant Tamb. Conc. Spor. Antoine Croix Diana, etc., dum dicunt quod dum oporteat poenitentibus consilium capere ut bene confiteantur, si consultor non teneretur ad sigillum, confessio redderetur odiosa. Sed probabilius negant Suar. Castrop. Avers. Henriq., etc. Ratio

(1) l. 6. n. 647. (2) in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. q. 3. et a. 2. ad 4. (3) l. 6. n. 648.

(4) n. 648. ad notandum 2.

est quia sigilli sacramentalis obligatio non oritur nisi ex sola confessione sacramentali, ad finem recipiendi absolutionem facta, ut docent omnes cum Vasq. Suar. Gabriel Coninch. Castrop. cum eodem p. Conc. et cum s. Thoma (1) qui dicit: *Sigillum sacramentale confessionis non se extendit, nisi ad ea de quibus est sacramentalis confessio.* Unde fit quod consiliarius in quantum ad notitiam ei praestitam ad consilium ab eo capiendum (non autem absolutionem), tenebitur ille quidem ad sigillum naturale, non autem sacramentale. Ad rationem oppositam respondetur quod timor revelationis redderet consultationem iam odiosam, sed non confessionem. Si unquam consultatio in aliquo casu esset necessaria ad confessionem, non negamus tunc revelationem redditaram fore confessionem odiosam; sed hunc casum nescimus reperire, quod quis ut confiteatur, debeat absolute alios consulere praeter confessarium. Secus autem esset, meo iudicio, contra Henriq., si poenitens consuleret confessarium, ut postea apud ipsum confiteretur de ipsismet, quae tunc illi aperit: quia tunc illa consultatio iudicatur confessio proxime inchoata, dum facta est ad recipiendam ab eo ipso absolutionem (2).

151. Quaeritur 1. an teneatur ad sigillum qui legit chartam, ubi poenitens scripsit suam confessionem? Affirmant Spor. Ronc. et alii pauci; tum quia illa scriptura est proxime ordinata ad confessionem futuram; tum quia manifestatio talis scripturae redderet odiosam confessionem; sed negant communissime, et probabilius Sot. Nav. Suar. Bonac. Wig. Sayr. Laym. Coninch. Lugo Castrop. Holzm. Viva Elbel Salm., etc., quia sigillum non contrahitur in praeparatione ad confessionem, sed dumtaxat in confessione actuali aut proxime inchoata, ut superius diximus. Et cum scriptura ordinarie non sit necessaria ad confitendum, respondetur ad secundam rationem oppositam (pari modo ac responsum est in quaestione antecedenti) quod timor revelationis scripturae redderet odiosam scriptionem, non autem confessionem. Recte tamen excipiunt 1. Lugo Spor. Holzm., etc., si illa scriptura confecta esset a muto qui non posset aliter confiteri. 2. Si esset epistola ad Superiorem scripta pro obtinenda licentia reservatorum. 3. Si illa charta, ut recte dicunt Viva, Wigandt, cum ipso de Lugo, esset consignata sacerdoti pro confessione facienda, quia tunc etiam habetur tanquam confessio inchoata: aut (addunt) si illa charta relicta esset casu in confessionali post factam confessionem. Caeterum extra hos casus, ut dicunt Laym. Castrop. et Spor., qui legeret huiusmodi scripturas (et tanto magis qui eas proderet) non potest excusari a peccato gravi, nisi sciret certo ibi contineri levissima peccata. Addunt amplius Laym. et Spor., quod peccata ibi contenta non possent revelari, nisi in casu maximae necessitatis, ut esset ad salvandam rempublicam, aut vitam innocentis (3).

152. Secundo loco adnotantur quae cadunt sub sigillo, et sunt: 1. Omnia peccata poenitentis ab illo manifestata animo se accusandi (non autem si narrata fuissent per modum simplicis narrationis) etiam venialia licet minima; nam in materia huius sigilli certum est apud omnes non dari parvitatem materiae; et hoc licet poenitens indispositus recessisset sine absolutione (4). 2. Peccata complicis a poenitente manifestata etiam sine necessitate (5): iam dictum est *praec. num.* 41. nunquam licere confessario interrogare poenitentem de nomine complicis. An cum licentia possit admonere complicem; negant Tamb. cum Vasq. dicentes peccata complicis etiam cadere sub sigillo

(1) in 4. d. 21. a. 1. q. 3. v. sed contra.
(2) l. 6. n. 649. (3) n. 650. (4) n. 637.
(5) n. 640. ad 2.

sacramentali, adeo ut confessarius nequeat de illis loqui, non petita licentia tam poenitentis quam complicis. Sed affirmat vera sententia cum s. Anton. Gers. Adri. Navar. Lug. Ronc. Croix, etc. nam sigillum sacramentale ad nihil aliud institutum est, nisi ut poenitentes libenter se confiteantur, quin timeant ne futurum sit ut peccata sua sciantur. Nec valet dicere quod alias confessio redderetur aliis odiosa; nam respondetur quod illud tantum odium confessionis evitandum est, quod retrahit poenitentes a confessione, non autem illud quod movet impios ad optandum ne eorum complices confiteantur. Caeterum confessarius non debet esse importunus in petendis licentiis replicatis petitionibus; nam illis licentiis quae non sunt omnino spontaneae et plene liberae, etiam obtentis, ille nec uti poterit (1).

153. 3. Cadit etiam sub sigillo obiectum peccati, v. g. si filius accusatur se odisse patrem, quia ille rixatus est: rixa patris esset obiectum peccati, quae rixa non potest manifestari a confessario, ut communiter Filliuc. Viva Renzi Spor. et Tamb. Probabiliter tamen hi duo postremi aa. dicunt, quod si quis v. g. confiteatur se gavisum de homicidio in publica platea commisso, homicidium non caderet sub sigillo, quia tunc non censetur voluisse secreto ligare, quod publice notum est. Caeterum est regulariter accepta ab omnibus illa regula, quod non cadunt sub sigillo omnia illa quorum manifestatio non inducit periculum revelationis directe aut indirecte, nec gravamen poenitentis (2). 4. Poenitentia imposita si illa est gravis, imo melius dicendum, si non est de minimis, quae plerumque solent imponi pro venialibus levissimis. 5. Omnes circumstantiae peccatorum etiam explicatae post absolutionem, quoties illae detectae sunt in ordine ad confessionem; v. gr. si quis confiteretur Ordinibus initiatum fuisse cum esset spurius, aut se iactasse pro docto cum esset ignarus; ignorantia tunc et esse spurium cadunt sub sigillo. Et hoc currit etiam in dubio an circumstantiae declaratae sint nec ne in ordine ad confessionem, ut communiter dicunt Suar. Bonac. Salm. Tamb. Croix et Mazzotta (3). Caeterum recte notant Coninch. Tannerus et Diana, quod non adest obligatio sigilli de illis quae a poenitente tantum per accidens narrantur, et minime ad confessionem vel ad peccatorum explicationem conferunt (4). 6. Cadunt sub sigillo revelationes et virtutes, cum deteguntur confessario ad manifestandum aliquem defectum commissum, aut propriam ingratitudinem erga Deum; secus vero si manifestantur tantum ut confessarius statum animae suae cognoscat. Ita scite distinguunt Lugo Croix Ronc. Mazzotta et Viva. 7. Cadunt sub sigillo scrupuli, et scrupulositas, quam poenitens in exponendis peccatis suis, vel in declaranda conscientia sua ostendit, ut recte dicunt Coninch. Lugo et Granat. contra Marchant., quia saltem in obliquo est materia confessionis. Secus autem esset, dicit Lugo, si scrupulositas non appareret ex poenitentis relatione, sed appareret ex modo ipso confitendi; sed huic nec acquiescere valeo, dum rationabiliter dicunt Castrop. Hurtad. Coninch. Spor. Tamb., etc., quod multi aegre ferunt se haberi et vocari scrupulosos, praecipue si sunt praelati et confessarii, aut iudices, etc.: quia esse scrupulosus saltem est defectus naturalis, cum sit signum perplexae et confusae mentis, et tales defectus naturales per confessionem cognitos non licet propalare, ut mox dicemus. Quapropter ego non admitterem, nisi loquamur de secularibus, qui cum dicuntur esse scrupulosi potius laudantur, dum sic habentur timoratae conscientiae (5).

(1) l. 6. n. 641. dubit. 1. (2) ib. dubit. 2. (3) n. 637. ad 2. (4) n. 641. v. 3. Poenitentia. ad 4. (5) n. 644.

154. 8. Cadunt etiam sub sigillo (ut iam innuimus) defectus naturales poenitentis, v. gr. quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus, etc. quoties habetur eorum notitia ex confessione, ut dicunt communiter Suar. Lugo Busemb. Roncagl. Mazzot., etc. Et hoc etiamsi poenitens exponeret tales suos defectus sine necessitate, sed solum ad meliorem suorum peccatorum explicationem, ut recte notant Lugo Salm. Croix, etc.; secus autem, ut subiungunt communiter iidem aa. citati, si illorum manifestatio nihil ad confessionem referret; nam tunc non censetur poenitens velle eos subiicere sigillo; imo etiamsi vellet subiicere, dico quod non posset dum ille impertinenter eos manifestat (1). Quod dicunt Lugo Navar. Ronc. Mazzot. et alii cum Diana (qui eam opinionem vocat communem, sed verum non est, ut videbimus) nec cadere sub sigillo defectus qui innotescunt ex ipsismet actionibus poenitentis, aut ex modo confitendi, v. g. quod sit rudis, balbutiens, aut naturae impatientis, irresolutae, etc., quia tunc (ut loquuntur) non est quod manifestentur, sed committuntur in confessione: Spor. Tamb. Conc. Antoine Renzi, etc. refellunt, dicentes quod quoties ipsi percipiuntur causa peccatorum explicationis, propalatio eorum redderet odiosam confessionem: nec acquiescere valeo illi quod dicunt iidem aa. Spor. Tamb. et Conc. cum Wigandt et Viva, quod non adsit sigillum pro talibus defectibus, si a poenitente referuntur, ita ut ex circumstantiis appareant communiter noti, quia tunc (ut dicunt) non praesumitur poenitens eos narrare, nisi ut notos, dum recte dicit Holzm. eorum manifestationem posse aliquo modo retardare poenitentes a confessione. Nihilominus hoc intelligitur tantum pro iis defectibus quorum manifestationem ex se aegre ferre potest poenitens, ut esset dicere quod sit hebes mente, natura iracundus, rudis, incapax, pauper (si ille est civilibus natalibus); non vero cum sunt defectus qui rubori aut exprobrationi ei non sunt, ut est esse caecus, surdus, mendicans, et huiusmodi; et contra iam communiter innotescunt. Nec etiam puto licere plerumque, contra id quod dicit Lugo, manifestare peccata commissa a poenitente dum confitetur, v. g. convicia illata ab eo in confessarium, et huiusmodi, quia in hoc indirecte manifestaretur aut absolutio denegata, aut aliqua vehemens obiurgatio. Quod autem dicit Ronc. quod si poenitens communiter nosceretur nimis prolixus et molestus in confitendo, confessarius non frangit sigillum, si ab eo aufugeret, ut liberaretur ab illo taedio; hoc potest admitti, sed tantum quando communiter una simul ille poenitens haberetur bonae conscientiae: secus autem dicerem, si adesset suspicio quod eius conscientia sit gravata etiam culpis gravibus.

155. Loquamur hic de illo casu facili eventu, sed qui apud aa. non invenitur discussus. Quaeritur quid faciendum confessario, si quis confitendo confuse de materiis gravibus, et interrogatus a confessario de circumstantiis, et de habitu, cognosceretur esse surdus, dum non respondit, aut respondit abs re; et contra confessarius ob adstantes non posset vocem elevare? Ego sic dico; Si circa principium confessionis animadvertit poenitentem esse surdum, tunc ei imponere debet ut tempore et loco opportuno redeat, cum non adsint qui eum audire possint; et interim potest circumstantibus indicare eius surditatem, cum illa est communiter nota. Sed si in progressu confessionis id animadverteret, tunc non potest confessarius elata voce ei imponere ut redeat, quia aliis suspicionem ingereret illum de materia gravi confessum fuisse; ideoque in tali casu dicerem, quod confessarius cum peccata meliori modo quo possit, intelligere curaverit, absolutionem det poe-

(1) lib. 6. n. 642.

nitenti absolutam, si probabiliter eum iudicat dispositum; conditionatam, si de dispositione dubitat; et poenitentiam in hoc casu debet adiungere levem, cum alii eam audituri sunt (1).

156. Tertio locò adnotamus casus ex quibus non oritur obligatio vel fractio sigilli. I. Cum confessio fuit ficta, aut pravo fine facta, v. g. furandi, seducendi confessarium, aut ei illudendi. II. Si quis diceret aliquod, et se protestaretur id dicere sub sigillo confessionis, in hoc nunquam adest sigillum sacramentale, quia tale sigillum oriri nequit, nisi a solo Sacramento (2). III. Si confessarius dicit in generali confessionem fuisse de materia levi. Dico *de materia levi*, quia esset fractio sigilli dicere eam fuisse de pluribus venialibus, aut nominare aliquam culpam, licet minimam, in particulari, cum in hoc sigillo non detur parvitas materiae: ita communiter Laym. Suar. Lugo, Sal. etc. (3). IV. Si laudat conscientiam poenitentis, sed in hoc advertere debet, ne suspicionem det malae conscientiae aliorum qui eodem tempore forsan sibi confessi essent. V. Si dicit se aliquem confessum fuisse, modo poenitens ei non vetuisset ne se proderet; aut modo ille clam ad confitendum non venisset, ut advertunt Navar. Busemb. Holzm. Sporer etc. VI. Si generaliter loquitur se audivisse tale quoddam peccatum in confessione, ita tamen ut moraliter non possit in poenitentis cognitionem venire; sed in hoc caeteroquin confessariis non modica cautio adhibenda est, praesertim loquendo in oppidis; quia saepe ob circumstantias personae, aut oppidi auditores facile possunt venire in cognitionem, aut saltem in suspicionem poenitentis. VII. Si utitur notitia habita extra confessionem, modo non manifestet aliquam circumstantiam ex sola confessione cognitam. Et in hoc etiam caute procedendum est, quia aliquando, si non est revelatio, saltem potest esse circumstantibus periculum scandali, cum apprehendere possint sic confessiones revelari (4). VIII. Si manifestat aliquid ex licentia poenitentis, quod certe licitum est, ut docent Nav. Laym. Lugo Conc. Wigandt Roncagl. et alii communiter cum s. Thoma (5) contra Sotum Durandum et alios pauciores, qui dicunt non posse poenitentes hanc dare licentiam; sed nos dicimus cum communi, quod tale sigillum, sicut tantum in poenitentium favorem impositum est, ita ipsi possunt removere. Advertendum tamen, quod ut confessarius uti possit tali licentia, debet esse 1. expressa; 2. omnino spontanea; unde non potest uti ea, qui unquam eam obtinuisset minis, aut metu reverentiali, ut esset si eam obtinuisset replicatis petitionibus, postquam poenitens in principio renuisset eam dare. Quapropter semper consultum est ut inducatur poenitens ad loquendum extra confessionem de eo, quod patefacere debet; 3. non sit revocata, quia poenitens semper potest eam revocare: et idem puto currere, quando censetur poenitens in alio casu, si adesset, fore ut eam revocaret, quia tunc uti tali licentia videtur fore ut redderet etiam odiosam confessionem. Advertendum hic cum Henriq. Graffiis et Diana, quod in dubio an confessarius nec ne locutus fuisset de licentia, potius credendum est confessario, quam poenitenti, aut eius haeredibus, v. gr. quando confessarius ex licentia poenitentis detegit restitutionem faciendam. Praeterea advertendum interdum talem licentiam facto concedi a poenitente, nempe cum ille ex se de rebus in confessione manifestatis loqui incipit, ut comm. docent Tann. Bon. Suar. Conc. Antoin. Roncagl. Bus. Salm. et alii cum Lugo, qui praeterea advertit quod tunc perseverat iam iudicium sacramentale, cum illa licentia censeatur moraliter con-

(1) l. 6. n. 644. v. petes hic.
(2) n 636. (3) n. 640. (4) n. 638.

(5) in 4. dist. 21. q. 3. a. 2.

iuncta cum confessione facta (1). Iam dictum est *praec. n.* 174. nunquam licitum esse monere poenitentem, non petita ab eo licentia de errore in confessione commisso. Licitum est tamen intra confessionem monere de omnibus defectibus commissis, et peccatis confessis etiam in praeteritis confessionibus, ut communiter Lugo Salm. Wigandt Conc. Antoin. Roncagl. Sporer, etc. (quicquid dicant Diana et Fagund.) quia saepe pertinet ad confessarii officium meminisse rerum praeteritarum, quoties censentur prodesse poenitenti. Ne quis dicat poenitentem retinere ius sigilli etiam in nova confessione quam facit, imo dicendum est potius confessarium in actu confessionis habere ius dicendi quicquid prodest poenitenti, et sciendi ea omnia, quorum notitia potest inservire ad melius monendum poenitentem (2). Et hoc dicunt etiam communiter praefati aa. licere confessario hoc facere immediate post absolutionem (3).

157. Quarto loco notantur casus, quando laeditur sigillum. Regula generalis est quod laeditur sigillum, quoties utitur confessione, directe vel indirecte revelando peccatum, aut in poenitentis gravamen. Sed descendamus ad casus particulares. I. Frangit sigillum, qui diceret se in tali monasterio audivisse peccatum grave cuiusdam Religiosi, aut diceret quod ibi committuntur peccata gravia, licet personam reticeret, quia tunc quilibet eiusdem monasterii damnum pateretur; ita communiter Suarez Busemb. Diana Conc. Castr. Laym. etc., quidquid dicant Escob. Henriq. etc., idem dicit Diana cum Maldero, si diceret se audivisse peccatum alicuius Religiosi talis ordinis. Sed probabiliter huic contradicit P. Conc.; dum hoc dicere non censetur sigilli revelatio, nec gravamen poenitentis, nam in quolibet ordine communiter adsunt Religiosi pravi; modo illa non esset religio strictae observantiae (4). Dicit etiam Diana quod confessarius alicuius monasterii Monialium scandalum afferret, si concionando nominaret defectus in confessione auditos. Sed hoc etiam intelligendum est cum grano salis, nempe in casu quo nominaret aliquam culpam particularem alicuius Monialis, aut illius monasterii; secus autem si loqueretur in communi de defectibus quae communiter in omnibus monasteriis committi solent aut possunt; alias qui audit confessiones in monasteriis, nunquam posset ibi concionari; quod dicendum non est et communiter oppositum fert usus, et constat ex cap. *Si sacerdos*, afferendo *num. seq.* (5).

158. Quaeritur autem an frangat sigillum qui diceret in tali oppido committi talia peccatorum genera, quae ipse audivit in confessione? Negant Navar. Ren. Fagund. etc.; sed communissime et merito affirmant Suar. Bonac. Tamb. Laym. Lugo Con. Diana Viva Castrop. etc., si locus est parvus; quia tunc revelatio, cum redundaret in infamiam communitatis, redundaret etiam in gravamen poenitentis. Secus autem si oppidum est magnum, et delicta sunt publica, ut dicunt iidem aa. Lugo Conc. Viva, etc. cum Petrocor. et Habert, qui recte hoc permittunt tunc etiam concionatoribus, modo non manifestent vitia, contra quae invehuntur, se audivisse in confessione; et modo non descendant ad circumstantias particulares, et disserant in generali, ut dictum est cap. *Si sacerdos de offic. iud. ord.*, ubi hoc habetur: *Si sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicuius criminis, vel sic confessus fuerit... non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate* (6). Dubium tamen restat quodnam oppidum dicatur parvum, et quodnam magnum. Ego sic dicerem, sicut aliorum etiam coepi consilium, ut dici possit: *Hic regnat* v. g. *blasphemia*, requireretur ut oppi-

(1) l. 6. n. 651. (2) n. 653. (3) n. 652.
(4) n. 654. v. dubit. 2. (5) n. 654. sub init.

(6) ibid v. dubit. 1.

dum constaret saltem tribus millibus personis circiter; sed minus si tantum diceretur: *Hic committuntur multa peccata gravia*, quin nominentur in specie. Ut nominetur autem aliquod peccatum afferens infamiam, (quod tamen esset etiam publicum) meo iudicio requiritur ut oppidum sit valde populo frequens, v. g. 6. aut 7. millibus animarum. Si concionator vero haberet notitiam peccatorum extra confessionem, potest maiore libertate loqui; sed pariter cautione utendum est, ne suspicionem revelationis ingerat illis qui ei confessi sunt (1).

159. Frangit sigillum qui utitur notitia confessionis ad externam gubernationem in poenitentis gravamen. Hoc est contra id quod scribit Sambovius, innixus multis aa. antiquis Adrian. Valent. cum s. Bonavent. et s. Thoma (2). Sed Clemens VIII. Decr. 1594. die 26. maii hoc prohibuit dicens: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*. Et licet hoc decretum fuerit editum tantum pro regularibus Praelatis, recte tamen Croix, et Holzm., quicquid dicat Habert, tenent extendi etiam ad saeculares, cum certe ratio currat etiam de ipsis, nempe quia alias confessio redderetur odiosa. Praeterquam quod clarius hoc factum est ex alio Decreto S. C. publicato ex mandato Innoc. XI. anno 1682. quo sequens propositio damnata fuit: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis; nisi* (en quod damnatum fuit) *aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur*. Deinde statuit: *Mandantes etiam universis Sacramenti Poenitentiae ministris, ut ab ea* (doctrina) *in praxi deducenda prorsus abstineant*. Itaque ex praefato Decreto vetitum est uti notitia confessionis in poenitentis gravamen, licet ex non usu maius damnum ei eveniret. Hinc recte dicunt Croix Viva Holzm. et Mazzot. (contra id quod etiam dicit Sambov. cum s. Anton.) numquam licere ex notitia confessionis removere indignum ex officio, aut ei negare suffragium ad electionem officii, aut beneficii, aut negare ei Sacramenta, aut a servo auferre claves, aut praeterita benevolentiae communicatione privare, aut ei torvum oculum ostendere, claves arcae abscondere, fores claudere (3). Ita nec etiam licitum est (nec clam) negare Communionem poenitenti, aut eum monere, postquam ei denegata fuit absolutio, ut diximus *praec. n.* 124., et ut dicunt communiter Tourn. Conc. Mazzot. Croix Holzm. etc. contra Petrocor. qui pro se citat s. Bonavent. s. Thomam s. Antonin. et alios, qui olim tenebant posse negari; sed hodie oppositum certum est ex Decr. Innoc. XI. superius relato. Dicunt contra Cast. Bon. Habert. Ant. Spor. etc. posse confessarium ex notitia confessionis cautiorem se reddere in custodiendis bonis, et in socordia sua removenda, modo non ingeratur suspicio peccati, nec adsit exprobratio aliqua poenitentis; et huic adhaeret s. Thomas (4) dicens: *Potest* (confessarius) *dicere Praelato, quod diligentius invigilet, ita tamen quod confitentem non prodat*. Sed haec omnia reprobat P. Conc. et non immerito, dum haec in praxim deducendo difficulter quis evitare potest omne periculum revelationis aut gravaminis. Caeterum advertendum 1. regulam ab omnibus acceptam esse, etiam a P. Concina, licere uti notitia confessionis, quoties non subest nec gravamen, nec revelatio; unde bene potest confessarius ex illa mores suos componere, pro poenitente orare, hu-

(1) l. 6. n. 654. v. dubit. 1. (2) Suppl. q. 11. a. 1. ad 3. (3) l. 6. n. 656.

(4) Suppl. q. 11. a. 1. ad 1.

manius cum eo tractare, casui studere, in interrogationibus se dirigere, aut instruere, aut alios monere in generali, ab aliquo damno cavere (1). Et ita etiam dicimus quod, sublato periculo revelationis aut gravaminis, confessarius sciens pollutam esse ecclesiam, potest, imo debet abstinere a celebratione, ut dicunt Lug. Aver. Tamb. contra Coninc. Sporer Silvest. etc. (2). Advertendum 2. quod si quis praetenderet beneficium, et Superior extra confessionem sciret ipsum esse indignum propter aliquem defectum aetatis aut scientiae, etc. non solum potest, sed etiam debet ei denegare suffragium, licet ex confessione cognovisset aliquod eius crimen, ut dicunt Merbes. Natal. de Alex. et Petroc. cum s. Thoma (3). Nec obstat quod poenitens tunc posset suspicari ex confessione ei denegari beneficium, quia licet adsit obligatio vitandi rationabiles suspiciones, non autem suspiciones, et coniecturas leves et irrationabiles, quas facile callidi suspicantur, ut docent Lugo cum Medin. Castr. Scot. et Croix, cum Gob. Tamb. Gorm. et s. Thoma (4) qui dicit: *Si amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam* (nota) *probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo Praelatus deberet subditum removere* (5).

160. Dicit Roncaglia, et merito, quod si confessarius cognoverit ex confessione, aliquem esse malae conscientiae, non potest ideo (sine alia causa sufficienti) se excusare ab eo audiendo, si ille iterum redit ad confitendum, quoties ex excusatione aliis ingeret suspicionem; secus autem dicendum, si confessarius esset solus, et aliquo praetextu abiret, aut se excusaret ne eum audiret. Sed huic ultimo acquiescere nequeo, quia talis fuga aut excusatio redderet confessionem odiosam tam poenitenti, quam aliis in genere; nam si fideles scirent confessarios ex notitia confessionis posse praetextus fingere ut eos aufugiant, hoc eis occasio esset ut confessionem odio haberent. Unde dico quod in tali casu confessarius tunc tantum potest poenitentem non audire, cum iam prius ex alio motivo statuerat aliam non excipere confessionem (6).

161. Quaeritur 1. an confessarius possit se cavere ab aliquo damno sub aliquo praetextu, si cognosceret ex confessione sibi parari insidias in vitam et bona? Si abest revelatio sigilli et poenitentis gravamen, procul dubio potest; sed dubium restat, utrum possit, quando ex confessarii actionibus insidias parantes argumentari possent confessionem factam a complice de insidiis paratis? Permittunt Castrop. Wig. Laym. Petroc., etc. quia tunc, ut dicunt, confessarius non revelat peccatum confessum, sed tantum confessionem peccati factam. Sed merito negant Lugo Sanch. Ronc. Salm. Mazzotta, etc., quia tunc semper intervenit revelatio indirecta, dum, talibus circumstantiis positis, non tantum revelatur confessio, sed indirecte etiam peccatum confessum, aut saltem praebetur rationabilis suspicio.

162. Quaeritur 2. an cum confessarius requisitus est de schedula confessionis, possit eam exhibere poenitenti non absoluto? Diversae adsunt sententiae, sed communior et probabilior cum Laym. Ronc. Croix Spor. Elbel Holzm., etc. (contra Bonac. et Lugo) ita distinguunt: Si schedula loquitur de sola confessione, illa non debet negari; quia si negaretur, ex una parte revelaretur poenitentis indispositio: ex alia, si concederetur, non iam testificaretur absolutio data, sed tantum confessio facta, quae iam revera facta est. Secus autem, si confessarius deberet scribere schedulam,

(1) l. 6. n. 657. v. communiter.
(2) n. 660. (3) in 4. d. 21. q 3. a. 1. ad 4. et vide l. 6. n. 657. v. si vero.
(4) Quodlib 5. a. 13. (5) l. 6. n. 661.
(6) n. 659. v. notand. sub fin.

quod poenitens sit absolutus; quia tunc non obstat sigillum, cum mendacium iuxta omnes sit intrinsece malum, et in nullo casu dicendum est. Attamen si schedulae essent iam impressae, et ibi assereretur etiam absolutio data (quod a praelatis permitti nunquam deberet); tunc mihi videtur probabile cum aliis (quos consului), licite posse eam praeberi etiam non absolutis, saltem cum palam eam petunt, quia tunc confessarius nec dicit nec scribit aliquod mendacium, sed tantum facit illam actionem praebendi schedulam, quam caeteroquin negare non potest, quin poenitentis indispositionem manifestet (1).

163. Quaeritur 3. an confessarius possit vitare poenitentem qui ei minatur mortem, ob absolutionem quae ei denegatur? Respondetur cum Lugo et Ronc. quod bene potest ab eo aufugere, quoties non datur aliis suspicio denegatae absolutionis; nam illae minae iam non sunt confessio, aut peccata narrata in confessione; sed sunt peccata commissa intra confessionem. Quod si non posset aufugere quin suspicionem istam ingerat, tunc pro absolutione recitare potest aliquam orationem. Nec obstat dicere quod ista videretur simulatio administrationis Sacramenti; quia tunc eveniret simulatio, quando diceret illam orationem, ut crederetur absolutio; secus vero cum profert tantum ut li[illegible]retur ab illa vexatione. Posset etiam, ut dicit p. Cardenas, ut liberaretur a vexatione, proferre formam ita: *Ego te non absolvo*, prolato verbo *non* submissa voce: vide dicenda in *Append.* 3. *de exam. Ordinand. n.* 16. (2).

164. Quaeritur tandem 4. an liceat in hac materia sigilli uti opinione probabili? Gobat. Croix Diana, etc. dicunt tantum expedire ut teneantur opiniones quae magis favent sigillo: sed melius dicit p. Viva, non licere uti scientia acquisita per confessionem, nisi quando moraliter certum est, aut saltem probabilissimum (adeo ut oppositum non sit probabile) non adesse aliquam fractionem sigilli, aut aliquod gravamen poenitentis. Et duplici ratione hoc asserit: primo quia sic requirit reverentia debita Sacramento; sed haec ratio sufficienter non convincit, dum dicunt multi graves aa. Pontius Sanch. Salon. Vasq., etc. non deberi maiorem reverentiam quam probabilem tam praeceptis divinis, quam Sacramentis. Secundo propter periculum gravaminis poenitentis, quia etiam gravamen probabile odiosam reddit confessionem. Haec ratio est valde fortis, et effecit ut a prima sententia ad hanc venirem: quandoquidem ex una parte non licet uti opinione probabili in praeiudicium iuris certi quod possidet proximus, ut iam dictum est *Tr.* 1. *n.* 21.; ex alia parte certum est quod poenitens possidet ius ne gravetur ex sua confessione; quare non licet confessario uti aliqua opinione, quae potest afferre probabile gravamen poenitenti (3).

CAPUT IX.

DE SOLLICITATIONE IN CONFESSIONE

(1) l. 6. n. 639. (2) n. 659. (3) n. 633.

165. Ex Bulla Gregorii XV. tenentur confessarii ad monendos poenitentes de obligatione denuntiandi Episcopis illos sacrilegos confessarios qui eos ad turpia sollicitassent. Primum omnium iuvat hic adnotare verba praefatae Bullae, anno 1622. *Omnes sacerdotes, tam saeculares, quam regulares, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta inter se, sive cum aliis quomodolibet in actu sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediate, seu occasione, vel praetextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones sive tractatus habuerint*. Et inde subiungitur: *Mandantes omnibus confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse, ut supra, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu tractantes, etc. inquisitoribus, et locorum Ordinariis.*

Punctum I. *Expenduntur clausulae appositae in Bulla Gregorii*

166. Clausula I. *In actu sacramentalis confessionis*. Ad hoc sufficit ut confessio inchoata sit, licet non perfecta. Et hic nota denuntiandum esse confessarium qui intra confessionem daret chartam poenitenti, in qua ad venerea eam incitaret, ut habetur ex propositione 6. damnata ab Alexandro VII.; idem currit si in confessione diceret poenitenti ut expectet domi: aut si interrogasset ubi habitet, et deinde ad eam accederet et sollicitaret, quoties ex circumstantiis dignosceretur quod interrogatio facta sit fine sollicitationis; ita recte dicunt Bonac. et Bordon. (1).

167. Clausula II. *Sive ante, sive post immediate*. Illud *ante immediate* intelligendum est ita stricte, ut nullum intercedat intervallum inter sollicitationem et confessionem, ut communiter dicunt Bos. Passer. et Delben. apud Ronc. Si autem, dum mulier ante sedem confessionalem confessura manet, confessarius non casu, sed ex proposito manibus aut pedibus eam tangeret, certe denuntiandus esset. Si vero confessarius eam sollicitasset occasione quod poenitens petiisset ab eo confiteri, dicimus cum Bordon. (contra Salm.) non propter hanc clausulam denuntiandum eum esse, sed per clausulam III. *Occasione confessionis*, quoties confessarius uteretur illa petitione ad eam sollicitandam; secus vero cum uteretur ea tantum ad colloquendum, et deinde tentatus sollicitasset (2). Pariter illud *post immediate* intelligitur quando nulla alia intermediat actio, ut communiter Salm. Potestas Hurtad. Peyr., etc. Hinc dicit Potestas, quod cum poenitens iam discessisset a confessionali, et hic postea eam sollicitaret, non est denuntiandus; sed si immediate post confessionem ei diceret: *Expecta paulisper*, et post aliquod intervallum (non autem die sequenti) accederet, et eam sollicitaret, tunc denuntiandus est, licet in principio de alio negotio tractaret, quia tunc ille tractatus prudenter praesumitur fictus. Nihilominus quidam doctor hoc negabat, et non abs re, si illud negotium, de quo in principio loquitur confessarius, esset magni momenti, et praetextus non appareret. Procul dubio denuntiandus est, si diceret poenitenti: *Hodie me expecta domi tuae*, et postea nulla occasione negotii magni momenti eam sollicitaret. Idem currit, si statim a confessione in aliquem

(1) l. 6. n. 676. (2) n. 677

locum secretum conduceret. Idem, si immediate post confessionem illa accedente ad sibi deosculandum manum, ipse malitiose adstringeret manum illius (1).

168. Clausula III. *Occasione, vel praetextu confessionis. Occasio* intelligitur quando confessarius invitat poenitentem, vel poenitens confessarium ad veram confessionem: *Praetextu* vero ad confessionem fictam. Et 1. in quantum ad *occasionem*, si confessarius requisitus a poenitente ad excipiendam eius confessionem, sermonem alio diverteret, et eam sollicitaret, iam ex hac clausula denuntiandus est, licet non adhuc in confessionali sedisset, nec mulier genuflexisset, ut dicunt communiter Castrop. Salm. Ronc. et Potestas (2). Idem hoc currit, licet mulier peteret crastino confiteri, ut recte dicunt Conc. et Mazzotta contra Quarti et Leand. Nec obstat dicere quod talis sollicitatio non est proxima ad confessionem, quia iam verificatur quod sit praetextu confessionis (3). An autem denuntiandus sit confessarius, qui ob peccatum auditum a poenitente postea accedit domum eius ad ibi eam sollicitandam: negant Nav. Trullench. Salm., etc., quia tunc (dicunt) confessarius non utitur occasione confessionis, sed tantum notitia in confessione habita. Sed probabilius affirmant Roncagl. Conc. Mazzotta Potestas Bordon. Lezan., quia revera tunc iam occasione confessionis sollicitat, cum sollicitatio impulsum habeat a confessione; et rationabiliter praesumitur confessionis notitia ad sollicitationem usum fuisse, cum, audita mulieris fragilitate, interrogat v. g. de eius habitatione, si ibi sola moretur, etc., aut (ut dicit p. Conc.) si confessarius cum tali poenitente nunquam antea familiariter usus esset, et postea, cognita eius levitate, accederet sollicitaturus, aut litteris sollicitaret, aut requisitus de confessione, promitteret se eam auditurum, modo illa pravo suo desiderio consentiat (4).

169. II. In quantum ad *praetextum* confessionis, certe denuntiandus est confessarius qui prius exposceret poenitentem, an velit confiteri, et postea eam sollicitaret, ut recte dicunt Conc. Ronc. Bordon. et Mazzotta. Secus vero qui licentiam a Superiore peteret ut in domum mulieris se conferat praetextu confessionis, sed finis esset eundi ad eam tentandam, ut recte dicunt Salmant. Roncag. Bordon. et Tancred., quia tunc confessionis praetextus non est respectu poenitentis, sed Superioris. An debeat denuntiari confessarius qui cum poenitente convenit, ut se infirmam simulet, et praetextu confessionis ad se eum advocet; affirmant Fag. Mazz. Conc., etc.; sed communius et probabilius negant Ronc. Escob. Bordon. Diana Leand. Trullench., etc., quia non est quod tunc fiat sollicitatio praetextu confessionis, sed sub tali praetextu executioni mandatur eorum indigna conventio; adeoque praetextus non inservit ad sollicitandum, sed ad domesticis illudendum, ne de malo suspicentur. Tanto minus mulier teneretur ad denuntiandum, si illa praetextu confitendi confessarium sollicitaret, et ille consentiret. Secus autem esset, si confessarius mulierem sollicitasset, licet extra confessionem, sed illa repugnante ob timorem ne videretur, confessarius ei insinuaret, ut se simulet aegrotam et tali praetextu illum ad se advocet; quia tunc recte verificatur quod praetextus confessionis sit motivum quo ille ad sollicitandum pergat, et consensum mulieris obtineat. Ita etiam puto denuntiandum fore confessarium vocatum a matre ad audiendam confessionem filiae, et ille sub tali praetextu accedit ad colloquendum cum filia pravo fine, et eam sollicitat. Ita etiam censeo denuntiandum esse eum qui vocatur ad absolvendam mulierem sensibus destitutam, et ille sub tali

(1) l. 6. n. 677. (2) n. 678

(3) ib dubit. 1. (4) n. 678. dubit. 2.

praetextu, sive occasione accedit ad eam, et inhoneste eam tangit. Item dicendum cum Escob. et Diana de confessario qui in confessionali, aut in alio loco electo ad audiendas confessiones, pro audienda confessione, ut simulat, sollicitat poenitentem (1).

170. Clausula IV. *Extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.* Notant Escob. et Ronc. quod illud *simulantes ibidem confessiones audire*, intelligitur quando tam mulier simulat confiteri, quam confessarius audire confessionem, inferentes id ex verbo *simulantes* quod comprehendit utrumque. Sed melius dicunt Castr. Trullench. Fagund. et Diana, quod ut denuntiandus sit, sufficit quod confessarius maneat in confessionali, aut in alio loco electo ad audiendas confessiones, et ibi muliere genuflexa ipse eam sollicitet: nam tunc facto ipso confessarius iam simulat confessionem, dum ita sufficienter efficit, ut adstantes credant quod mulier confiteatur. Secus autem esset, si extra confessionalem sedem eam sollicitaret, dum illa sistit, aut sedet (2). Dictum est *extra confessionalem*; sed hic suboritur aliud dubium, an sit denuntiandus qui sollicitat, aut tractat de turpibus in confessionario, confessionem non simulando? negant Castr. Escob. Ronc. Salm., etc. ratione ducta ex verbis in Bulla: *In confessionario, aut in loco quocumque electo, simulantes ibidem confessiones audire.* En igitur (dicunt) quod praeter confessionarii locum requiritur etiam simulatio. Sed probabilius dicimus cum Potest. Diana Conc. et Mazzot. quod si confessarius sollicitat extra confessionarium, tunc, ut denuntiandus sit, requiritur simulatio confessionis; sed si ille sollicitat in confessionario, sufficit ut adsit solus tractatus inhonestus. Et hoc probatur ex Decr. Pauli V. 10. iulii, 1614. quo praecepit procedi in confessarios, *qui tractant cum mulieribus in confessionali, extra occasionem confessionis de rebus inhonestis.* Itaque iuxta hoc Decretum non requiritur iam aliqua simulatio. Opponitur quod hoc Decretum iam moderatum sit a Greg. sua Bulla; sed respondetur quod nullum Decretum censetur revocatum, nisi subsequens sit omnino oppositum, adeo ut non possit aliter explicari; sed hic recte potest explicari Bulla Gregorii, quod simulatio non requiritur respectu confessionarii, sed alterius loci ad confessionem electi, dum verba *simulantes ibidem*, apposita sunt immediate post verbum *electo*. Additur quod iuxta aliud Decretum inquisitionis rom. relatum in Opere praecipitur denuntiatio omnium illorum *qui abusi sunt Sacramento Poenitentiae, confessionem, aut confessionarium adhibentes ad fines inhonestos* (3).

Punctum II. *Qui denuntiari debent.*

171. Hodie ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV. 1741. (quicquid ante illam dixerint nonnulli aa.) omnino denuntiandi sunt confessarii sollicitantes: 1. Licet iurisdictione privati sint. 2. Licet sollicitatio fuerit mutua. 3. Licet poenitens consenserit (et hic advertendum quod iuxta Decretum relatum in Opere (4) poenitens quae consentit, non tenetur delictum suum aperire, imo super illud nec debet interrogari). 4. Licet sollicitatio multo abhinc tempore evenerit (5). Item ex Bulla Gregorii XIII. denuntiandus est laicus qui se simulat confessarium et sollicitat (6). Insuper denuntiandus est confessarius sollicitans, licet de tali delicto aliunde fuerit accusatus, convictus et in eum animadversum sit, ut re-

(1) l. 6. n. 679. (2) n. 680. (3) ibid. v dixi. (4) n. 681. et 700.

(5) n. 687. quaer. 9. (6) n. 688.

cte dicunt Bonac. Diana Salm. etc. contra aliquos (1). Praeterea proculdubio denuntiandus est qui poenitentem sollicitat, ut ipsa seducat aliam ad secum peccandum; et hoc tum ratione Decreti allati *n.* 170. *in fine*, tum ex Bulla Greg. qui imponit denuntiandos omnes, qui *in confessione personas ad inhonesta inter se, sive* (nota) *cum aliis quomodolibet.... sollicitare....tentaverint.* Et idem currit, si confessarius in confessionali tractaret ut poenitens cum alio peccaret, uti constat ex praefata Bulla *Sacramentum*, ubi imponitur denuntiatio, licet *sollicitatio* non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit (2).

172. Contra non adest obligatio denuntiandi 1. confessarios qui sollicitant ad alia peccata non inhonesta, ut communissime, et recte dicunt Castrop. Bonac. Holzm. Ronc. Mazzot. etc. contra paucos; quia talis obligatio nullibi expressa legitur. Nec obstant verba Bullae, *illicitos et inhonestos sermones, sive tractatus* adversarii opinionem suam firmando super verbo *illicitos*, quia respondetur quod utrumque verbum *illicitos et inhonestos* ad idem refertur, sicut apparet ex contextu totius Bullae (3). 2. Defunctos, nam pro ipsis omnino cessat finis tam emendationis, quam animadversionis (4). 3. Poenitentes qui sollicitant in confessione, ut communiter docent dd. contra Caramuel., me quidem admirante, nam in aliis est ita benignus, ne dicam laxus, et hic tam severus, sed praeter rationem, dum pro legibus poenalibus regula communis est quod illae non se extendunt ad casus similes. Neque hic certe eadem currit regula de poenitentibus ac de confessariis, propter multa motiva quae patent, et praecipue propter suspicionem quae intervenire posset revelationis sigilli, si confessarii denuntiassent poenitentes (5).

(1) l. 6. n. 687. (2) n. 691. quaer. 13. (3) n. 684. (4) n. 692. (5) n. 689.

173. Sed quaeritur 1. an mulier quae sollicitavit confessarium teneatur illum denuntiare, si ipse consensum praestitit. Affirmant Ronc. Felix Potestas Salm. Mazz. etc. dicentes quod ex Bullae sensu debet imponi poenitentibus denuntiare non tantum confessarios sollicitantes, sed etiam illos qui in confessionali habent tractatus turpes. Sed negant Bonacina Castropal. Hurtad. del Bene Trul. et Diana vocat hanc opinionem probabilem, et tutam; et adhaeret etiam Roncagl. dicendo cum Bordon. quod per tractatum inhonestum intelligitur ille, cuius auctor est confessarius; sed ratio, quae mihi validior pro hac tuenda sententia videtur, est quod in Bulla Gregorii illis solis poenitentibus debent confessarii imponere onus denuntiationis, *quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos.* Poenitentes sollicitantes dici non possunt sollicitati; unde ex verbis Bullae videtur deduci, quod mulier sollicitans potest, si vult, denuntiare confessarium, sed ad id non tenetur: tum quia in eo casu faciliter se exponit periculo, ne infamia propria manifestetur a confessario denuntiato: tum quia non praesumitur Pontifex voluisse imponere mulieri, quae sollicitavit confessarium, onus tam grave ut ipsamet debeat eum accusare, ideoque Pontifex expressit illa verba, *quos noverint sollicitatos.* Quidam dicere voluit hanc opinionem postea fuisse reprobatam a Benedicto XIV. in Bulla *Sacramentum*, dat. 1. Iun. 1741.; sed perperam hoc venditat, (§. 2.) dum Pontifex nihil aliud dixit, nisi quod debeat denuntiari, *licet sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit.* Sed magni interest inter mutuam sollicitationem, et illam poenitentis, cui confessarius consentit; dum dd. recte distinguunt primum a secundo casu, ut videre est apud *Potestatem* (6), ubi dicunt sollicitationem mutuam evenire, cum confessarius sol-

(6) tom. 2. de Denunc. n. 581.

licitatus a Poenitente ad unam inhonestatis speciem, ipse sollicitat eam ad aliam; ut dicetur numero sequenti; aut cum confessarius sollicitatus in principio dissentit, aut sermonem alio divertit, et postea aliquo intervallo elapso eam sollicit t; et in his casibus mutuae sollicitationis, dicebant plures aa. Castrop. Peyrin. et Acuma, quod non aderat obligatio denuntiationis: sed haec opinio est illa quam damnavit Benedictus. Et merito, nam in talibus casibus iam verificatur quod poenitens vere sollicitata fuerit; sed in nostro casu quando confessarius simpliciter consenti.. non verificatur, nec potest dici mulier fuisse sollicitata. Quando autem confessarii cooperatio dicenda sit vel simplex consensus, aut etiam sollicitatio, hoc pendet a circumstantiis, a discursu, et facto, quae inter ipsum et poenitentem intercedunt (1).

174. Quaeritur 2. an denuntiandus confessarius, qui sollicitatus ad copulam, divertit ad tactus? Affirmant Salm. Leand. et Diana; sed probabiliter negant Castropal. Escob. Hurtad. Trullench. etc. Ratio, quia mulier ad copulam sollicitans virtualiter provocat eum ad tactus, qui in copula continentur, atque ordinarie ad copulam praemittuntur; unde tunc vere accidit, quod confessarius (ut mox supra dictum est) non sollicitat, sed sollicitatus consentit. Secus tamen (ut recte aiunt Castrop. et alii) dicendum, si ille sollicitatus ad fornicationem, diverteret ad sodomiam, vel contra; quia istarum turpitudinum una non continetur in alia (2).

175. Quaeritur 3. an debeat denuntiari confessarius sollicitans iam emendatus? Negant Sot. Molfes. Lug. Castrop. Soi. Escob. Fagun. Trullen. Hurt., etc.; et haec opinio probabilis appellata est a p. Viva, et ab *Instructore*, etc. Ratio est (ut dicunt) quia tunc cessat finis principalis denuntiationis qui est emendatio rei.

(1) l. 6. n. 681. (2) n. 682.

Dicunt autem signa emendationis esse: 1. Si multo abhinc tempore non amplius mulierem tentavit, licet haec pluries ad eum regressa esset. 2. Si per tres annos bene vixit. 3. Si Religiosus factus est. 4. Si habetur pro viro rectae conscientiae, et vix semel atque iterum in id prolapsus sit, aut si senex factus est, aut si post sollicitationem statim se poenituit. Advertit tamen Viva ea signa non sufficere, nam ipsa debent emendationis iudicium moraliter certum constituere. Sed hoc non obstante, ego cum Suar. Azor. Salm. etc. iudico absolute probabiliorem sententiam oppositam, nempe quod etiam emendati denuntiandi sunt, quia Ecclesia in tali delicto non solum requirit rei emendationem, sed etiam animadversionem ad aliorum exemplum (3).

Punctum III.

Quis tenetur ad denuntiandum.

176. Antequam ad punctum descendamus, tria notabilia advertere oportet: primum quod poenitentes sollicitati absolvi nequeunt, antequam fiat denuntiatio: et si forte iusto detinentur impedimento, debent saltem promittere quamprimum id se esse facturos. Notanda sunt verba Bullae *Sacramentum* Benedicti XIV. ubi clarius id exprimitur: *Caveant diligenter confessarii ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius, denuntiationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant* (4). Sed hic dubitatur an poenitens, qui personaliter non potest denuntiare, teneatur id facere per litteras aut per alios? Affirmant Salm. et huic opinioni adhaereo ego etiam cum Viva et Ronc. (quicquid dicant alii), quoties moraliter non adsit periculum infamiae: quia poenitens tenetur tali debito, modo quo potest,

(3) n. 686. (4) n. 693.

satisfacere; unde si personaliter non potest, tenetur saltem per litteras. Nec obstat quod dicetur *Tr.* 20. *n.* 44., nempe quod si poenitens habens casum reservatum est impeditus, ut se praesentet Superiori, non tenetur per epistolam; quia ibi obligatio est adeundi personaliter Superiorem, ut ab eo recipiat monitionem; sed haec obligatio, iuxta verba Pontificis, est ut tantum Praelato indicet delinquentem, ut remediis opportunis damno, quod ille afferre potest, consulat (1). Haec autem denuntiatio per litteras, si Episcopo eam deferre nolit, potest mitti Romam Confessarius autem, si ipse denuntiationem ex auctoritate Episcopi excipere velit, si eam nequit scribere, satis erit ut Praelatum certiorem faciat de confessarii nomine, et de qualitate sollicitationis, quin mentionem faciat de consensu, vel dissensu a poenitente praestito. Dictum est *si eam excipere velit*. Caeterum advertunt Viva Tamb. et Ronc. non expedire in praxi ut confessarius hoc sibi onus suscipiat huiusmodi denuntiationes afferendi, nisi cum in aliquo casu raro observasset nullum aliud remedium suppetere quo damno communi prospici possit (2). Dicunt praeterea *del Bene et Instr.* etc., quod si mulier valde repugnaret Episcopum adire, potest illa alium expectare confessarium, qui velit denuntiationem referre Episcopo si praesens confessarius id facere recusat. Et eo casu quo poenitens induci non posset ad denuntiandum etiam per confessarium, refert p. Maz. Decretum ubi dictum est quod tunc recurrendum est ad Sedem apostolicam pro opportuno remedio, et interim non absolvatur; et testatur idem auctor quod aliquando Sedes apostolica in casu magni roboris aut alicuius vani timoris, pro illa vice a denuntiationis onere liberavit (3).

177. Secundo advertendum est quod poenitens, qui, cum posset, non denuntiat intra mensem (qui computatur a die quo obligatio advertitur), incurrit excommunicationem ipso facto (4). Sed hic dubitatur, an illa denuntiatione executa, possit absolvi ab excommunicatione a quocumque confessario? Negant Salmant. Diana Mazzotta etc.; sed affirmat probabiliter doctissimus Christianus Lupus, cui adhaeret Ronc. dicens quod reservatio huius censurae durat usquedum durat contumacia; et hoc recte confirmatur ex verbis Decreti relati in Opere (5), ubi dicitur quod poenitens non potest absolvi ab excommunicatione, *se prima non avrà soddisfatto al suo obbligo*: infertur igitur quod, cum satisfecerit suo muneri, potest absolvi. Contra vero hic advertendum, quod si quis iniuste accusaret, sive cooperaretur ad accusandum de sollicitatione aliquem sacerdotem innocentem, incurreret reservationem papalem, sed absque censura, prout dictum est *praec. n.* 129. ex Bulla *Sacramentum*, § 3. Benedicti XIV. ubi dicitur: *Quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes confessarios impie calumniando vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis aut minis, aut alio quovis modo, etc.* Advertunt tamen Salm. (6), id intelligi de suasione efficaci, ita ut ipsa sit causa iniustiae damnationis secutae. Adduntque (7) intelligi, nisi suasio ante executionem denuntiationis efficaciter revocetur.

178. Tertio animadvertendum est, quod licet monitio denuntiationis, quae imponenda est, profutura non sit, etiam facienda est, ut scite advertit Pater Ronc., tum quia hic agitur de damno communi, iuxta dicta *n.* 116, tum quia in Bulla Gregor. obligatio non est imposita poenitentibus, sed confessariis, ad admonen-

(1) l. 6. n. 699. (2) ib. v. advertunt. (3) ib. v. dicunt autem. (4) n. 693. (5) n. 693. v. an autem. (6) Salm. Append. tr. 6 de Bulla Cruc. c. 6. n. 231 et 232. (7) ib. cit. n. 232. in fin.

dos sollicitatos, ut denuntient etc.(1).

179. Hinc notandum primo quod denuntiatio facienda est a poenitente, licet ille sollicitationem probare non possit, ut recte dicunt Castrop. Bord. et Bannez, et opinio opposita, quam pauci tenent, videtur utique reprobata per propos. 5. damnatam ab Alex. VII. (2). 2. Recte asserunt Suarez Castrop. Salmant. et alii communiter, denuntiationem non tantum faciendam esse a poenitentibus sollicitatis, sed etiam ab unoquoque qui id sciat, modo id sciat a personis fide dignis, ut exprimitur in Decreto (3), ubi dicitur quod denuntiandi in fine sunt omnes illi, de quibus notitia habetur Poenitentiae Sacramento se abusos fuisse. Et hoc currit, licet sollicitatio sciretur sub secreto naturali, ut recte dicunt Escob. Castr. Trull. Salm. etc., quia nulla adest obligatio servandi secretum etiam promissum cum iuramento, quando alioquin adest damnum commune; excepto casu, si secretum sit manifestatum ad consilium capiendum. 3 Proculdubio facienda est denuntiatio, licet occulta sit sollicitatio, ita communiter Salm. Roncagl. Fill. Trull. Bannez, etc., nec obstat dicere leges poenales esse stricte interpretandas, quia talis regula non currit in casu (ut esset noster) quo si teneretur stricta obligatio, lex inutilis redderetur.

Punctum IV.
De sollicitationibus dubiis.

180. Quaeritur primo an cum sollicitatio est dubia, denuntiatio facienda sit? Distinguere oportet: si factum aut dictum fuit certa sollicitatio, et tantum dubitatur de sollicitante, tunc denuntiatio certe facienda est, ut Superior saltem de persona inquirere possit. Superiori tamen abstinendum est ab inquirendo, si ei facile non est se certum reddere de persona, ad evitandum periculum infamia notandi aliquem innocentem. Quod si persona est certa, et tantum dubitatur utrum dictum, aut factum sit vera sollicitatio, tunc communius et probabilius, dicunt Ronc. Conc. Potestas Bonac. Salm. etc. cum Instructore pro Confess. non adesse obligationem denuntiandi; ita ex *reg.* 49. *Iur. in* 6. *In poenis benignior interpretatio facienda;* tum quia in dubio nemo fama sua privandus est; tum quia denique delicta dubia non sunt dicenda delicta (4). Excipitur tamen primo nisi vehementia indicia essent (v. g. de prava vita, aut mala fama confessarii) quae moralem certitudinem formarent, ut dicunt Ronc. Conc. Boss. Instructor etc. Excipitur 2. cum Bon. Ac. etc. si verba de se sollicitationem prae se ferrent, licet dubitaretur de intentione, dum praesumptio intentionis accipienda est iuxta verborum proprietatem. Secus autem si in oppositum adesset praesumptio fraudis; puta si mulier aut eius coniuncti cum confessario aliquam habuissent contentionem, aut si illa esset aliquantum mente hebes (5). In casu vero quo indicia alicuius essent momenti, licet non sufficientia ad certificandum denuntiationis debitum, conveniret ut saltem certior fieret Superior, ad hoc ut in posterum se dirigere possit.

181. Quaeritur 2. an denuntiandus sit confessarius, qui, dum poenitens confitetur, eius pulchritudinem laudat? Alii affirmant, alii negant; sed melius incedit Escob qui dicit in hoc considerandas esse circumstantias, et praesertim discursus qui in confessione tenebatur. Dicunt alii denuntiandum esse confessarium, qui colloquens cum serva in confessione, laudat dominam, ut illi hoc referat; et idem dicunt si donum grande et insolitum daret poenitenti. Sed nos dicimus etiam attendendas esse circumstantias, v. g. si poenitens est pauper, si est coniuncta, si illa prius alio dono confessarium donavit etc. (6)

(1) l. 6. n. 694. (2) n. 695.
(3) n. 695 in fine. (4) n. 702. (5) ibid.

(6) num. 703.

182. Hic nonnullos casus particulares referemus in quibus dd. censent denuntiandum esse confessarium. Primo, si confessarius diceret poenitenti: *Ego te ducerem in uxorem, si essem saecularis*; ita Salmant. Potest. et Diana contra Bordon., quia revera sunt verba nimis excitativa ad venerem. 2. Si diceret: *Expecta me hodie domi tuae, quia te allocuturus sum*; et postea, quin de alio negotio loquatur, aut de naeniis locutus eam sollicitaret. 3. Si illi diceret: *Haec tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem*; Ronc. Bord. et Pot. 4. Si mulieri petenti confiteri diceret: *Nolo te audire in confessione, ne aliquid mihi contingat quia amore tui captus sum*. 5. Si diceret: *Si quis tibi pecuniam daret, peccares?* et illam affirmantem non reprehenderet, aut si reprehenderet, postea oblata ei pecunia, eam sollicitaret. 6. Si diceret: *Promitte mihi quod, cum domum tuam veniam, facies quod volo;* cum mulier confitetur de turpibus cum alio patratis, et diceret: *Cur etiam non es mecum humana?* aut ei confitenti de turpi desiderio erga illum, responderet: *De hoc loquemur post confessionem*. Si obiurgaret concubinam suam, quod cum alio peccavit, addendo minas et contumelias; aut si obiurgaret eam de peccatis cum aliis, et non de iis secum commissis (1). Ita etiam denuntiandus esset qui diceret poenitenti: *Dic mihi quanti me amas?* aut *Sentis in te eas tentationes erga me, quas ego experior erga te?* aut: *Vellem te semper videre, et esse iuxta te*; aut *Tua causa somnium pravum passus sum*; aut: *Ingrata mihi es, quia non me amas*.

183. Notandum hic denique, quod Benedictus XIV. in Bulla *In generali Cong.* in confessarios sollicitantes, (aut Sacrificio ad sortilegia abutentes) praeter poenas prius latas, addidit perpetuam inhabilitatem ad celebrandum, dicendo quod sollicitantes *in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, et praetextu, praeter poenas a iure inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad Sacrificii celebrationem*. Hic dubitatur primo, an haec inhabilitas incurratur ante sententiam declaratoriam? Ex una parte videtur negandum, dum in simili casu, nempe simoniaci, qui incurrit inhabilitatem ad recipienda beneficia, iam requiritur sententia, ut docent Molin. Nav. Laym. Castr. Salm. etc. Sed hoc non obstante affirmandum est, quia iuxta sententiam communem Laym. Castropal. Anacl. Salm. Vivae Mazzot. etc. sententia requiritur ad illas poenas, quae positivae dicuntur, et indigent actione, non vero ad privativas, quae important, aut inhabilitatem ad aliquod ius acquirendum, aut iure acquisito utendum: et ita reapse loquuntur dd. communiter de inhabilitate, quam habet beneficiatus, qui omisit officium, ad percipiendos fructus beneficii. Quoad autem primum casum simoniaci, dicendum est dd. rationes particulares pro illo habuisse, quae ad nostrum casum non faciunt. Dubitatur 2. an ab huiusmodi inhabilitate excuset ignorantia invincibilis? In hoc videtur dicendum idem ac dictum est de irregularitate ex delicto (2); quare vide dicenda *Tract.* 19. loquendo *de Censuris n.* 84. An autem in hac possit dispensare Episcopus, vide dicenda *Tract.* 20. *de Privilegiis, n.* 53 (3).

(1) l. 6. n. 704. (2) l. 7. n. 351.

(3) n. 705.

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS EXTREMAE-UNCTIONIS ET ORDINIS

CAPUT I. DE EXTREMA-UNCTIONE

1. Extrema-unctio definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Iacobo promulgatum, ad salutem animae vel etiam corporis conferendam infirmis de vita periclitantibus per unctionem olei benedicti, et orationem sacerdotis.* Dicitur 1. *Sacramentum,* quia Extrema Unctio est verum Sacramentum, ut declaravit Trid. *sess.* 14. *can.* 1. *de Extrema-Unct.* Dicitur 2. *promulgatum a B. Iacobo,* uti habetur ex epistola huius apostoli c. 5. 14. et seq. *Infirmatur quis in vobis? inducat praesbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Dicitur 3. *ad salutem animae, vel etiam corporis,* ut notentur effectus huius Sacramenti. Effectus primarius est, ut confortet animam in mortis agone ad resistendum diaboli tentationibus: effectus secundarii sunt tres: 1. Tollere reliquias peccati; 2. extinguere debitum poenarum, quae satisfaciendae adhuc restant; 3. conferre etiam salutem corporis, si saluti animae expedit, ut dicit Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. Quoad autem remissionem peccatorum sententia communior et probabilior affirmat praecipuum effectum huius Sacramenti esse non remissionem peccatorum (uti contendunt Scotistae), sed reliquiarum peccatorum abstersionem; ita Gonet Sot. Suar. etc. cum s. Thoma (1). Dicit autem Angelicus, quod si infirmus invincibiliter ignoraret peccata sua, modo illorum saltem generaliter illum poeniteat per attritionem, per huius Sacramenti virtutem ei remittuntur omnia tam venialia, quam mortalia. Ita etiam dicunt Bellar. Suar. Laym. et deducunt ex Trid. loco cit. ubi sic legitur: *Cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Imo valde probabiliter dicunt Merbes Habert Tournely Suar. et Salmant. contra Gonet Petrocor. etc. quod hoc Sacramentum remittit peccata gravia, non quidem per accidens, sed per se, licet consequenter; quia licet hoc Sacramentum sit vivorum, nihilominus institutum fuit a Deo ad remittenda peccata per se, iuxta verba apostoli: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, et ut deducitur etiam ex *can.* 2. Tridentini in praefata *sessione* 14. Dictum est *consequenter*, quia principaliter Extrema-Unctio instituta est ad abstergendas reliquias peccatorum, nempe internam imbecillitatem, obscuritatem etc. Sed quia, cum in anima reperiatur peccatum, non possunt abstergi illius reliquiae, quin remittatur peccatum: ideoque consequenter hoc Sacramentum abstergendo reliquias, tollit etiam peccatum (2). Communis autem sententia est cum s. Thoma, et s. Bonav. quod possit hoc Sacramentum esse validum, et informe,

(1) Suppl. q. 30. a. 1. (2) L. 6. n. 731

adeo ut, remoto obice peccati, saltem per attritionem, si infirmus illud recipit bona fide existens in peccato, reciperet primam gratiam (1). Ideoque dicunt Laym. et Tamb. cui adhaeret Benedictus XIV. (2). Quod si infirmus non est capax alterius Sacramenti, sacerdos potest Missam interrumpere, ut ei Extremam-Unctionem afferat, ut gratiam recipiat, si est in peccato, et habet attritionem (3). Dicitur 4. *infirmis de vita periclitantibus*, ut denotetur subiectum, cui hoc Sacramentum exhibendum est. Dicitur 5. *per unctionem olei benedicti* ad denotandam materiam. Dicitur 6. et tandem, *et orationem sacerdotis*, ad denotandam formam. Sed de omnibus sigillatim disserere opus est, et I. De materia; II. de forma; III. de ministro; IV. de subiecto cui ferenda est; V. de administratione.

2. I. Quoad *materiam*. Materia remota est oleum benedictum pro infirmis; et singulis annis, veteri combusto, renovandum est ex praescripto Clementis VIII, quod obligat sub gravi, ut probabilius tenent Bonac. Castrop. Croix etc. contra alios. Sed casu quo novum haberi non possit, licet uti veteri, ut dicunt Laym. Aver. Salm. etc. cum quadam declaratione S. C. Et casu quo anni decursu deficeret, licitum est (urgente necessitate) immiscere oleo consecrato non consecratum, sed in minori quantitate, ut dicit Rituale; et haec mixtio potest pluries fieri, ut dicunt Bon. Ronc. Carden. Possev. et Croix et ut declaravit S. C.; modo oleum quod immiscetur sit minoris quantitatis veteri (4). Notandum 1. quod hoc oleum debet esse ex olivis, et benedictum proculdubio de necessitate praecepti; dubium restat, an etiam necessitate Sacramenti? Negant Juvenin. Caiet. Sanch. etc.; sed sententia communissima affirmat cum s. Thoma (5) Scot. Petrocor. Conc. Salm. etc., dum in Trident. *Sess.* 14. cap 1. dicitur: *Intellexit enim Ecclesia materiam* (Extremae-Unctionis) *esse oleum ab Episcopo benedictum*, in quo certe dogmatice locutum est (6). Notandum 2. probabile esse cum Bellarm. Valen. Barbos. Castrop. etc. (contra Suar. Laym. etc.) quod oleum debet esse benedictum de necessitate Sacramenti in ordine ad Extremam Unctionem. Qua de re sententia opposita, quod possit dari hoc Sacramentum cum oleo Confirmationis vel catechumenorum, in praxi non est probabilis, nisi in solo casu necessitatis: et tunc administrandum est sub conditione, et si postea haberi possit oleum infirmorum repetendum est, ut praescripsit s. Carolus Borromaeus (7). Notandum 3. quod benedictio huiusmodi potest a Papa simplici sacerdoti committi, ex Decreto Clementis VIII. (8). Notandum 4. ad validitatem Sacramenti sufficere digiti extremitatem in oleo intingere et ungere. Sed fit dubium utrum sufficiat una gutta? Negant Filliuc. Suar. Peyrin. Trullen. etc., dicentes oleum debere diffundi; sed communius et probabilius affirmant Tannerus Escob. Hurtad. Dicast. Croix etc.; modo illa gutta sufficiat ad inungendas omnes partes; nihilominus quia prima non est improbabilis, saltem extrinsece, illa in praxi sequenda est (9).

3. Materia proxima est unctio facta a sacerdote in quinque sensibus, aut saltem in partibus proximis, si forte infirmus esset aliquo sensu mutilatus. Hic notandum 1. quod non est necessarius tactus immediatus manus, cum in necessitate (ut tempore pestis) potest uti virga oblonga oleo tincta, quae postea comburenda est; ita Silv. Wig. Escob. Busemb. (10). Notandum 2. quod licet unctiones sint multae, omnes tamen unum constituunt Sacramentum. An autem singulis unctionibus conferatur gratia

(1) l. 6. n. 707. v. quaer. 2. (2) de Synod. l. 8. c. 6. n. 5. (3) l. 6. n. 728. (4) n. 708. (5) Suppl. q. 29. a. 5.

(6) l. 6. n. 709. dubit. 1.
(7) ib. dubit. 2. (8) n. 709. dubit. 3.
(9) ib. dubit. 4. (10) n. 710.

partialis, negat s. Thomas (1), dicendo totam gratiam conferri in ultima unctione; sed affirmant multi alii cum Scoto, quia quaelibet unctio habet suam formam gratiam significantem. Utraque sententia est probabilis (2).

4. Sed quaeritur an unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti? Alii probabiliter negant, ut Silv. Becan. Merbes. Nat. de Al. etc. dicentes sufficere unam unctionem in qualibet corporis parte, dum apostolus aliud non dicit, quam *ungentes cum oleo*. Sed communius affirmant Sot. Suar. Castrop. Laym. et Salm. cum Bellarm. s. Bonaventura et s. Thoma, quia hic est usus Ecclesiae communi sensu doctorum sic practicatus. Tantum tempore necessitatis (dicunt hi aa. sicut etiam Rituale) potest conferri hoc Sacramentum, sed sub conditione, sub una unctione in aliquo membro; sed satius esset in capite sub hac contracta forma: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus quicquid per sensus deliquisti*, ut volunt nonnulli; aut ut melius volunt alii: *Per istam etc. indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per sensus, nempe visum, auditum, gustum, odoratum et tactum*; praemittendo verbum *deliquisti*, ut si infirmus deficiat ante verborum absolutionem, possit Sacramentum validum esse. Sed si infirmus supervivit, repetendae sunt unctiones in singulis sensibus, additis orationibus omissis, ut praescribit Rituale; ubi etiam dicitur quod in dubio utrum infirmus sit vivus, apponenda est conditio *si vivis* (3). Certum est autem non esse de necessitate Sacramenti ungere ambas partes uniuscuiusque sensus, nempe utrumque oculum etc.; unde in casu necessitatis, si tempus non suppetat, aut adest periculum infectionis, aut si infirmus non volvi potest in aliud latus, sufficit ungere alterutrum oculum, alterutram auriculam, etc. Unctio renum, dicit Rituale, *in mulieribus semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest*. Unctio autem pedum ex sententia communi cum Laym. Suarez Castrop. Ronc. et Salm. ex s. Thoma (4), non est de necessitate Sacramenti, sicut nec etiam (iuxta communem) ordo inter unctiones partium; licet huius ordinis inversio, ut dicunt, esset graviter illicita (5).

5. II. In quantum ad formam, verba sunt ista: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per visum* (sive per auditum etc.) *deliquisti. Amen.* Verbum *deliquisti* est de essentia, ut recte dicunt Croix Gobat. et Mazzot. (contra Boscum); nam remissio peccatorum est effectus principalis huius Sacramenti. Verbum *sanctam* certum est non esse de essentia, sed peccari si omittitur. Verba autem *per suam piissimam misericordiam*, multi contendunt esse de essentia; sed communius et probabilius negant Laym. Castrop. Bonac. Ronc. Salm. Omnes tamen conveniunt illorum omissionem esse peccatum grave (6). An autem valeat forma, non deprecatoria, qualis est nostra, *indulgeat*, sed indicativa *ungo te, etc. ut.... possis superare potestates*, ut erat forma Ambrosiana: affirmant Iuven. Tourn. et alii; sed negat sententia communis cum Suar. Merbes. Petrocor. et aliis cum s. Bon. et s. Thoma (7), et iam praescribit s. Iacobus: *Et orent super eum ungentes... et oratio Fidei salvabit infirmum*. Ad formam Ambrosianam respondit Benedictus XIV. quod verba *ut possis* iam dignoscere faciunt esse deprecatoriam, et hunc sensum faciunt, *ungo te, orans ut possis* etc. (8). Notandum 1. formam aptandam esse modo sequenti, ut praescribit Rit. Sacerdos, intincto pollice in oleo

(1) suppl. q. 30 a. 1 ad 3 (2) l. 6. n. 707. (3) n. 710. v. quaer. (4) suppl. q. 32. a. 6. (5) l. 6. n. 710. v. certum. et v. nec etiam. (6) n. 711. (7) suppl. q. 29 a. 8. (8) l. 6. n. 711. dubit. 1.

sancto, in formam crucis inungere debet, aptando crucem, et verba in unctione cuiuscumque partis, semper incipiendo a dextra parte: *Per istam sanctam unctionem,* ✠ *et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (dum unguntur oculi) *deliquisti.* Advertendo non terminandam formam antequam altera pars ungatur. Pars linita debet abstergi ab ipso sacerdote, aut a ministro (si est in Sacris) gossipio, quod postea comburendum est, et cineres in sacrarium proiiciendae. Deinde eodem modo unguntur aures, *per auditum:* narices *per odoratum*; os (labiis clausis) *per gustum, et locutionem*: manus (sacerdotibus extra, aliis intra palmas) *per tactus*: pedes (in plantis) *per gressum:* renes, *per lumborum delectationem* (1). Notandum 2. quod iuxta ritum graecum septem debent esse sacerdotes qui ungunt, quisque partem suam, sed iuxta latinum unus est minister; sed in casu necessitatis potest unus sacerdos unam partem ungere, et alius aliam, pronuntiando quisque formam correspondentem illi parti, ut dicunt communiter Suar. Coninck. Castrop. Bonac. Salm. Spor. etc., sed non potest unus ungere, et alius proferre formam; nec unus ungere unum oculum, et alter alterum, sicut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Etsi pastoralis*, an. 1742. §. V. n. 4. Si tamen sacerdos non posset prosequi omnes unctiones, debent reliquae suppleri ab alio quin repetantur iam factae: nisi esset quod posteriores supplerentur post aliquod tempus notabile, v. g. post horae quadrantem, quia tunc debent omnes repeti, ut dicunt Merati Avers. Croix etc. (2).

6. III. In quantum ad ministrum notandum 1. ministrum proprium Extr.-Unct. esse pastorem aut alium sacerdotem ex eius consensu, quo deficiente, validum esset Sacramentum, sed illicitum, adeoque graviter peccaret sacerdos. An autem sufficiat consensus praesumptus parochi; alii negant, sed probabiliter affirmant Sanch. Castr. Valent. Bon. Salm. etc. Regulares autem administrando hoc Sacramentum sine licentia pastoris, incurrunt excommunicationem papalem in *Clem.* I. *de Privil.* §. 1. Advertendum tamen quod s. Pius V. in sua Bulla, *Immarcescibilem*, an. 1567. concessit Patribus Theatinis (et per communicationem aliis Religiosis) posse administrare hoc Sacramentum suis servis, mercenariis, ac quibusvis hospitibus qui forte morantur in domibus dictae Congregationis; item Sixtus IV. prius concesserat Regularibus posse dare Eucharistiam, et Extremam-Unctionem laicis, si parochus iniuste aut malitiose negaret. Communis autem sententia est quod in necessitate, si parochus est absens, aut non vult Extr.-Unct. afferre, nec potest adiri Episcopus, tunc quilibet sacerdos etiam regularis potest hoc Sacramentum conferre (modo non sit excommunicatus, vel suspensus), tunc enim praesumitur licentia dari a Pontifice; ita contra paucos docent Suar. Laym. Bonac. Conc. Tour. Nat. ab Alexand. Salm. Bened. XIV. etc. et idem concessit s. Carol. Borrom. pro sua dioecesi (3). An autem parochus suspensus possit hoc sacramentum conferre? alii affirmant; sed probabilius negant Bonac. Suar. etc. (4). Notandum 2. cum Soto Possev. Bonac. etc. non incurrere irregularitatem (ut aliqui nimis quam par est scrupulosi tenent) sacerdotem, si iubendo volvi infirmum ut ungeretur, ille spiraret: dum, ut recte dicunt Suar. Corneius Salmant. etc., talis irregularitas deberet esse ex delicto, a quo utique liber est qui charitatis officium exercet. Notandum 3. quod parochus tenetur sub gravi afferre Extremam-Unct. petentibus, nisi excuset causa iusta, ut periculum vitae (vide dicta *Tract.* 7. *num.* 27. *et* 28. de IV. praecepto Decalogi); sed in quolibet casu te-

(1) l. 6. n. 711. (2) n. 724. (3) Act. Mediol. p. 4. (4) l. 6. n. 722. et 723.

netur, si forte infirmus probabiliter esset in peccato mortali, et multo abhinc tempore confessus non fuisset, ut communiter dicunt Suar. Castr. Spor. Conc. Salm. etc. (1). Notandum 4. probabile esse cum Gobat Arriag. et Croix, quod licite possit parochus apud se domi retinere oleum sanctum (diligenter custoditum) aliquando, cum crederet noctu accersiri, et quod alioquin non perveniret opportuno tempore (2).

7. IV. Quoad subiectum, cui conferenda est Extrema-Unct., notandum 1. quod, ut animadvertit Rit. et ut docet Bened. XIV. in Epistola, quae incipit *Ex quo primum*, ad Ecclesiasticos ritus Graeci, pro nova editione Euchologii (quod idem sonat ac Rituale, vel Manuale) non est ministrandum hoc Sacramentum *bene valentibus, sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant* (3); ideoque non dandum est capite damnatis, in conflictu aut periculosa navigatione, aut alio mortis proximo periculo versantibus. Tantummodo infirmis graviter decumbentibus quibus mors imminet, aut senibus decrepitis, *qui prae senio* (sunt verba Ritualis) *deficiunt*, *et in diem videntur morituri*, *etiam sine alia infirmitate.* Nec obstat ritus Graecus quem opponit Iuvenin iuxta quem feria V. maioris hebdomadae omnes adstantes inunguntur oleo infirmorum; sed respondet Bened. XIV. quod talis unctio non datur uti Sacramentum, cum sine ulla forma unguntur (ut late disserit in cit. Ep. pro edit. Euchologii ex §. 46.), sed tanquam vera caeremonia sacra (4). Et ita pariter dicendum cum communi Suar. Castr. Bon. etc. (contra Wig.) quod si detur hoc Sacramentum infirmo non gravi morbo decumbenti, non solum illicite, sed etiam invalide conferretur (5). Si autem daretur in morbo gravi, quin aliquod videatur imminere periculum mortis, daretur quidem valide, sed illicite. Nec obstat quod Bened. XIV. cit. §. 46. docet, nempe quod dandum sit graviter decumbentibus, nam hoc intelligendum est ad praescriptum Ritualis nostri, nempe quod morbus gravis ita sit, ut probabile adsit periculum mortis, *ut mortis periculum* (praescribit Rit.) *imminere videatur*. Sed quaeritur 1. in quo morbi gradu danda est vel dari potest Extrema-Unctio? Quando adest periculum proximae mortis, tunc non dubitatur, quin non solum possit, sed etiam danda est iuxta Rit. *Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi qui... tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur.* Et iuxta communem dd. cum Catech. rom. *de Extr.-Unct. p. 2. n. 18.*) peccat graviter parochus, qui differt E.-U. usquequo infirmus destituatur sensibus, nam tum ille privatur effectu consequendi salutem tam animae quam corporis, quam consecuturus fuisset si tempestive inunctus fuisset: *Gravissime peccant* (dicit Catechismus) *qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Idcirco Bened. XIV. in Euchologio Graecorum sive Rituali Graecis assignato (vide in Bullar. loc. cit. §. 46.) praecipit ut hoc Sacramentum praebeatur, dum infirmi *sibi constant, et sui compotes sunt.* Hoc currit in quantum ad obligationem praebendi Extremam-Unctionem. Sed in quantum ut possit licite praeberi, dicunt communiter dd. sufficere ut infirmitas sit periculosa mortis, licet remote; ita Suar. qui dicit: *Ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri, saltem remote.* Idem tenent Laym. Castrop. Bonac. Coninc. Salm. et alii. Idem dicit Bened. XIV. (6), et Honoratus Tourn. qui adducit Concilia Aquisgran. et Mogun. Et hoc perspicue infertur tum ex Florentino, ubi dicitur: *Subiectum huius Sacramenti esse infirmum; cum de eius morte ti-*

(1) l. 6. n. 729. (2) n. 730.
(3) in bull. edit. Mechl. t. 11. p. 332 § 46.
(4) l. 6. n. 712. et 713. (5) n. 713. dubit. 9. (6) de Synod. l. 8. c. 7. n. 2.

metur; tum ex Trid. *Sess.* 14. *c.* 3. ubi haec leguntur: *Hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui in exitu vitae constituti videantur*. Ibi particula *praesertim* recte denotat quod potest dari E.-U. etiam aliis infirmis, qui non sunt constituti in exitu vitae. Sed clarius hoc confirmatur a Bened. XIV. in praefata Bul. (Euchlog. cit. §. 46.) ubi dicitur, ne Sacramentum E.-U. ministretur bene valentibus, *sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant*. Unde recte dicit Castr. quod quoties potest infirmo non ieiuno praeberi Viaticum, potest, et expedit dari E.-U. Recte tamen dicunt Laym. et Castr. quod ut dari possit, non sufficit periculum dubium mortis, sed requiritur saltem probabile, sive prudens timor mortis; ut ceteroquin communiter admittunt Suar. Castrens. Escob. et Holzm. cum Mastrio, et Scoto. Quaeritur 2. an possit dari parturientibus? Respondetur cum Lug. Filliuc. Bonac. Escob. Trullen. et aliis communiter non posse, si mulier patitur in partu tantum dolores communes, licet sit primus partus, aut licet aliis vicibus fuerit in periculo mortis. Secus autem si gravissimis doloribus cruciaretur, adeo ut actu ei immineret periculum mortis (1).

8. Notandum 2. quod dicit Rit. circa repetitionem huius Sacramenti *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, aut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit*. Adeoque cum infirmitas non est diuturna, nempe non est febris tabida, hydropisis, et similes, non potest denuo ungi, nisi convaluerit, et iterum in aliud vitae discrimen inciderit. Quando autem est diuturna, si ille in eodem vitae periculo perduravit, nec potest quidem denuo inungi; secus autem si illud periculum evasit (non post quatuor aut 5. dies, sed post tempus notabile, ut communiter dicunt Coninch. Suar. Wig. Bonac. Viva etc.), et deinde iterum in illud incidit; et hoc scite docet Bened. XIV. (2) posse licite practicari etiam in dubio (intellige positivo) quod mutatus sit status infirmi (3).

9. Notandum 3. quoad dispositionem animae, quod si infirmus sit in peccato mortali, debet esse saltem contritus putative, ut hoc Sacramento muniatur. Sed hoc intellige, si tempus non suppeteret confitendi; secus, ut recte advertit Busemb. debet prius Poenitentiae Sacramento muniri, tamquam magis necessario; unde fit quod iste casus sit moraliter impossibilis. Dumtaxat accidere posset, si infirmus esset sensibus destitutus. Caeterum, ut dicit Rit. et iuxta Ecclesiae usum, si tempus et infirmi qualitas id patitur, non debet Extrema-Unctio conferri nisi prius confessus sit, et communicaverit. Hoc tamen Sacramentum ante Viaticum sumere, aut omni culpa caret, aut ad summum est veniale; Suar. Croix et Ben. XIV. (4).

10. Notandum 4. quod Extrema Unctio non est danda pueris ratione expertibus, ut dicit s. Thomas (5), et etiam Ritual. rom., quia in infantibus non potest verificari forma in qua exprimitur remissio peccati, non quidem originalis (cum hoc remissum sit), sed actualis: *Indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti*, etc. Contra sententia communior et probabilior est cum Laym. Nav. Suar. Val. Sa Escob. Spor. et Ben. XIV. (6) adversus Sot. Wig., etc. praebendam esse E.-U. pueris ratione pollentibus, licet non adhuc Communionis capacibus; dum in Rit. expresse dicatur: *Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui ad usum rationis pervenerint*. Nec obstat s. Thomas loco cit. ubi dicit, *non debet dari pueris*; nam intellige rationis expertibus, dum ratio ibi a Sancto assignata alia non est, nisi quod ipsi sunt incapaces peccati actualis. An autem possint

(1) l. 6. n. 713. dubit. 3. (2) de Synod. l. 8. c. 8. n. 4. (3) l. 6. n. 715.

(4) n. 716. (5) suppl. q. 32. a. 4. (6) de synod. l. 8. c. 8. n. 2.

hoc Sacramento inungi pueri, de quibus dubitatur an necne ad usum rationis pervenerint? Tres adsunt sententiae, sed probabilior mihi videtur illa de Lugo Escob. Dicast. etc. qui dicunt eos pueros ungendos esse sub conditione, cum sufficiat pro causa ne illi huius Sacramenti fructu priventur, si forte pervenerint iam ad illius capacitatem (1). Et idem dicendum de amentibus, de quibus dubitatur an unquam ratione praediti fuerint (2).

11. Notandum 5. non esse praebendam E.-U. perpetuo amentibus; dico *perpetuo*, quia si aliquod lucis intervallum habent, possunt recte inungi, ut docet s. Th.; imo dicit Rit. ***Infirmis autem qui, dum sana mente essent, illud petierint, seu verosimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur.*** Sed si suspicatur quod infirmus phrenesim patiens posset aliquid contra Sacramenti reverentiam committere, non est inungendus *nisi* (ait Rit.) *periculum tollatur omnino.* Hoc periculum tamen probabiliter dicit Tamb. potest removeri infirmum ligando aut efficiendo, ut ab aliis teneatur. Ebrii, qui iamiam morituri sunt, etiam inungendi sunt, ut dicunt Croix Gobat. et Lohner, modo non constet eos in peccato mortali existere, dum Rit. dicit: *Impoenitentibus*, et *qui in manifesto peccato mortali sunt*, et *excommunicatis penitus denegetur*. Dicunt tamen Con. Tamburin. Lohner et Croix, quod vulnerati in aliqua rixa sensibus destituti possunt sub conditione inungi, dum recte praesumi potest, quod in illo extremo statu eos peccatorum suorum poeniteat, si usus rationis in eis reperitur. Muti autem, surdi, et coeci a nativitate procul dubio inungendi sunt etiam in sensibus, quibus privantur; quia licet cum illis non peccassent externe, nihilominus potuerunt peccare cogitatione; ita communiter Possev. Salm. Diana Praepos. etc. cum s. Carolo Borrom. et s. Thoma (3), quicquid dicant Croix et Gobat. (4).

12. Quaeritur hic an infirmus teneatur sub gravi ad suscipiendam Extremam-Unctionem? Prima sententia affirmat cum s. Bonav. Soto Merbesio Ronc. Habert. et Conc., dicens verba apostoli, ***inducat presbyteros***, importare praeceptum grave. Sed sententia communior negat cum Suar. Nav. Estii. Silv. Tamb. Cas r. Salm., etc., quibus adhaeret s. Thomas, qui dicit hoc Sacramentum non esse de ***necessitate salutis.*** Hoc non obstante, puto valde probabilem esse primam sententiam, et dico illam omnino infirmis suadendam non tantum ratione praecepti, cum de illo saltem non constat utrum obliget sub gravi, an sub levi; quantum ratione charitatis, quam moribundus erga seipsum exercere debet; licet enim posset ille aliis muniri mediis, cum tamen in eo statu reperiatur, ex una parte debilis est, ut bonis actibus mentis suae sibi prospicere possit; ex alia parte (ut dicit Trident.) tunc daemonis insidiae sunt vehementiores; unde videtur se exponere magno periculo tentationibus succumbendi, qui hoc Sacramento praemuniri negligit, quod Iesus Christus instituit hoc fine, ut robur conferat ad resistendum diabolo in illo extremo agone. Omnes autem conveniunt quod per accidens potest infirmus sub gravi ad hoc teneri, v. g. si ille non posset aliud suscipere Sacramentum, et existeret in mortali, aut si secus induceret alios ad credendum se esse haereticum, aut hoc Sacramentum contemnere. Et certum est etiam talem contemptum esse gravem, quando est formalis. Formalis tamen intelligitur, ut dicunt communiter Suar. Castrop. Salm., etc. contra Merb., non quando infirmus recusaret hoc Sa-

(1) l. 6. n. 719. (2) n. 732.
(3) supplem. quaest. 32. a. 7.
(4) lib. 6. n. 7..

cramento inungi, ex aliqua repugnantia, aut negligentia, sed quando proprie omitteret, quia parvi illud ducit. Hoc confirmatur ex Bulla Martini V. ubi dicitur: *Hoc Sacramentum neque negligi sine culpa, nec contemni posse sine peccato mortali.* Et vide quod hic recte notatur contemptum importare culpam gravem, negligentiam vero levem (1).

13. V. Denique quoad administrationem huius Sacramenti notandum primo, quod, iuxta Rituale, sacerdos debet instruere mensam tobalea alba desuper cum vase, in qua septem gossipii globi prompti sint ad abstergendas partes unctas: candela ex cera, cuius lumen inservire debet dum inungitur. Ex Ecclesia vero secum deferat saltem clericum unum, qui afferat crucem (sed sine hasta), aquam benedictam cum aspersorio, et Rituali; et ipse sacerdos sine sonitu campanulae deferat decenter vas olei clausum in bursa serica violacei coloris collo, ut nunc mos est, suspensa; et si iter esset longum potest sacerdos super equo sedens sacram unctionem deferre. Advertit Rituale, quod si infirmus peracta confessione sit proximus morti, tunc idem sacerdos qui defert Viaticum, potest etiam deferre oleum sanctum. Sed si potest haberi alius sacerdos, aut diaconus, qui oleum sanctum deferat, per ipsum deferatur, qui superpelliceo indutus sacerdotem Viaticum portantem sequatur. Notandum 2. esse peccatum mortale ministrare E-U. sine superpelliceo et stola. An autem ab hoc excuset necessitas, negant Suar. Castr. et Bonac.; nam (ut dicunt) reverentia Sacramenti praeferenda est utilitati privatae. Sed hoc non obstante, probabiliter affirmant Possev. Croix Escob. Quintan. Diana et Leand. in casu quo infirmus aliter sine Sacramento esset decessurus, dum non praesumitur Dominus ob sacrarum vestium deficientiam velle infirmum privari tanto auxilio (2). Ita etiam grave est, ex se loquendo, omittere orationes praescriptas a Rituali, ut omnes fatentur; intelligitur etiam extra necessitatem, quia si adest periculum mortis imminentis, dicit Rituale ut infirmus *cito ungatur*, *et deinde si supervivat*, *dicantur orationes praetermissae.* Intelligitur item de orationibus quas dicere debet sacerdos; nam Psalmi poenitentiales, et Litaniae cum precibus sequentibus dicendae sunt ab adstantibus dum inungitur infirmus; probabilius (contra alios) dicit Tamb. quod sint tantum de consilio. Rituale enim non praecipit eas recitandas, sed tantum ibi dicitur: *Dum infirmi sacro liniuntur oleo, dicuntur flexis genibus* ab adstantibus, *etc.* (3). Notandum 3. non esse grave deferre oleum, aut administrare illud sine lumine; ita Barbos. Possev. Quintanad. Escob. etc., aut sine ministro; imo de hoc dicunt Bon. Escob. Possev., etc. nullum esse peccatum; sed ego puto non vacare culpa, dum dicit Rituale: *convocatis clericis, saltem uno*: hinc extra necessitatem esset veniale ungere sine ministro, ut dicunt Tolet. Dicast. Graff. etc.; sic etiam veniale esset conferre hoc Sacramentum omissis crucibus inter ungendum (4). Advertendum denique quod tempore interdicti vetitum est praebere hoc Sacramentum, ex *cap. Quod in te, Poenit.*

CAPUT II.

DE SACRAMENTO ORDINIS

14. *An quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum.*
15. *An materiae, et formae Sacramentorum sint in specie a Christo Domino determinatae.*
16. *Quae sit materia Ordinis, an manuum impositio, aut instrumentorum traditio.*

De caeteris ad Ordinem spectantibus sermo erit in examine Ordinandorum.

14. De doctrinis ad hoc Sacramentum spectantibus loquemur in *App.* 3. *de examine Ordinandorum* in ca·

(1) l. 6. n. 733. (2) n. 726.

(3) n. 727. (4) n. 728.

pitibus 2. et 3. Hic tantum breviter discutiemus tres celebres quaestiones quae super hanc materiam agitantur. Prima quaestio est an quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum? Quatuor circumferuntur sententiae. I. affirmat universaliter, ut Bellarm. Gonet. Sanch. Salm., et huius sententiae est s. Thomas (1). Ratio unica huius sententiae est Decr. Eugenii IV. ad Armenos, ubi dicitur quod materia Ordinis est illa, cuius traditione confertur Ordo, et deinde singulis septem Ordinibus assignat materiam propriam. Nec obstat quod minister ordinationis sit solus Episcopus, ut dicitur in Trident. *Sess.* 23. *cap.* 3. et 8.; nam respondent hoc intelligi de ministro ordinario, sed non de extraordinario, quem Papa assignare potest ad conferendos Ordines. 2. Sententia cum Caiet. et Durando, dicit solum sacerdotium esse Sacramentum; sed haec sententia est singularis et improbabilis; dum non est dubitandum quin diaconatus sit Sacramentum, siquidem in illius ordinatione habentur illa tria requisita ad constituendum Sacramentum, nempe 1. signum sensibile, quod est manuum impositio. 2. Institutio divina, nam Conc. docet in Ecclesia adesse hierarchiam a Deo institutam ex Episcopis, sacerdotibus et ministris, et nomine ministrorum saltem debent intelligi diaconi. 3. Promissio gratiae significatae per verba Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur*, quae habentur pro forma. III. Sententia cum Soto Nav. et Vasq. praetendit omnes Ordines maiores esse Sacramentum. IV. Sententia nobis probabilior cum Gratiano Petro Lombardo Morin. Estio Tourn. Cabassut. Habert, et aliis affirmat sacerdotium et diaconatum dumtaxat esse Sacramenta. Probatur 1. haec sententia, quia si essent Sacramenta caeteri Ordines, praeter sacerdotium et diaconatum, non possent illi ab Abbatibus conferri, sicut iam conferuntur, cum unicus minister ordinis Sacramenti non possit esse alius quam Episcopus, ut probat Tourn. (2) dicens quod ad ordinationem ex institutione divina necessario requiritur in ministro character episcopalis; et subiungit hoc probari ex traditione, quia nunquam concessa est, quacumque urgente necessitate, aliis quam Episcopis, facultas ordinandi presbyteros et diaconos. Et respondetur ad quoddam privilegium quod asseritur ab Innoc. VIII. concessum fuisse Cisterciensibus, ut possent conferre tales Ordines, quod illud est valde dubium: et licet fuisset certum, fuit tamen illud idem interpretatum a S. C. Concilii, et etiam a Clemente VIII. intelligi pro facultate non ordinandi, sed concedendi dimissorias. Probatur 2. quia in aliis Ordinibus desideratur materia, nempe impositio manuum quae est unica materia huius Sacramenti, ut dicemus in quaestione 3.; et desideratur etiam forma: cum in collatione caeterorum Ordinum non reperiatur forma aliqua significans gratiae productionem, sed tantum fiat mentio potestatis, sive officii quod ordinatis confertur. Ad Decretum Eugenii respondetur quod materiae caeterorum Ordinum non sunt a Pontifice assignatae uti essentiales, sed tantum uti accidentales, ad explicandam potestatem, quae recipitur (3). Ex hac sententia infert Bened. XIV. (4) non posse damnari certi sacrilegii illos, qui promoventur ad Ordines diaconatu inferiores cum conscientia peccati mortalis.

15. Secunda quaestio est an materiae et formae Sacramentorum (et praesertim Ordinis) sint omnes in specie determinatae a Christo Iesu? Prima sententia negat cum s. Bonavent. Bellar. Valent. Morin. Lugo Salm.; etc. Unica ratio istorum est, quia secus non possent diversae esse materiae et formae Sacramentorum

(1) suppl. q. 37. a. 2. ad 1. et 3.
(2) de ord. q. 4. a. 2. conclus. 2.

(3) l. 6. n. 736. et 737.
(4) de syn. l. 8. c. 9. n. 12.

in Ecclesiis graeca et latina, ut praesertim est in Sacramento Ordinis, dum in graeca sacerdotium et diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem, sed in latina praeter impositionem requiritur traditio instrumentorum, sicut expressum est in Decreto Eugenii IV. ut superius dictum est. Quapropter asserunt quod quoad Baptismum et Eucharistiam, Iesus Christus in specie instituit tam materias, quam formas; sed circa alia Sacramenta, eas instituit tantum in genere, relinquendo Ecclesiae facultatem determinandi eas in specie, adhibendo eas res et verba, quae exprimerent Sacramenti effectum. Haec sententia est probabilis; sed probabilior est opposita, quae dicit materias et formas omnium Sacramentorum fuisse in specie determinatas a Domino: ita Merbes. Habert Iuvenin. Tournely Petrocor. Concina, et alii multi cum s. Thoma (1), qui non potest negari fuisse pro hac sententia, dum dicit: *Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur: sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in Sacramentis novae legis, quibus homines sanctificantur, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.* Huic sententiae adhaeret Bened. XIV. (2), qui dicit nullum haberi fundamentum, unde probetur haec potestas fuisse a Christo Iesu Ecclesiae concessa, imo probatur oppositum ex Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. ubi dicitur Ecclesiam nihil posse circa substantiam, sed tantum circa administrationem Sacramentorum. Quoad autem diversitatem Ecclesiae graecae et latinae, respondetur quod traditio instrumentorum non habetur pro materia essentiali, sed accidentali, licet integrali. Et Decreto Eugenii respondemus cum Merbes. Tourn. et Conc. quod Pontifex non iam determinavit materias essentiales Ordinis, sed tantummodo instruere voluit Armenos circa ritum Ecclesiae romanae, cum quacupiebant uniri. Nec valet dicere quod Eugenius non loquebatur de ritu, sed de materia; quia respondetur quod si hoc verum esset, sequeretur certum esse quemlibet Ordinem etiam minorem, cui sigillatim Papa designavit materiam, esse Sacramentum; sed hanc certitudinem etiam ipsimet adversarii negant (3).

16. Tertia quaestio est, quaenam sit materia sacerdotii, an sola impositio manuum, an etiam instrumentorum traditio, et quaenam sit forma? Tres adsunt sententiae: 1. quae est Fagnan. Sot. et aliorum paucorum, vult materiam esse solam traditionem instrumentorum, quae Episcopus tradit ordinando, et formam esse verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.*, et hac sola materia, et forma dicit tradi potestatem, tam sacrificandi, quam a peccatis absolvendi. Momentum totale desumunt ex Decr. Eugenii IV. ubi dicitur: *Ordo presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem.* Sed haec sententia communiter ab aliis dd. non recepta est II. Sententia est Bellarm. Estii Scot. Layman. Salm. Coninc. Holzm. Vasq. etc., quae vult in ordinatione sacerdotii duplicem esse materiam essentialem, dicendo per traditionem instrumentorum dari potestatem super Corpus Christi reale, nempe sacrificandi, cum forma, *Accipe potestatem*; et per impositionem manuum tradi potestatem super Corpus Christi mysticum, nempe absolvendi a peccatis cum forma, *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis.* III. Sententia quam tenent Martene Becan. Tourn. Iuvenin. Petrocor. Conc. et alii cum s. Bonav. cui adhaeret Bened. XIV. (4) vult utramque potestatem sacerdoti conferri per secundam impositionem manuum, nempe cum Episcopus exten-

(1) 3. p. q. 60. a. 5. (2) de syn. l. 8. c. 10. n. 10. (3) l. 6. n. 12.

(4) de Syn. l. 8. c. 10. n. 6.

dit manus super ordinandum una cum presbyteris assistentibus, sicut declaratur a Trid. *sess.* 14. *c.* 3. *de Extr.-Unct.*, ubi dicitur quod ministri Extr.-Unct. sunt *aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii*. Probatur haec sententia, 1. ex Trid. *sess.* 23. *c.* 2., nempe quod ex Scripturis satis docemur nos ea, quae maxime attendenda sunt in ordinatione sacerdotum, et diaconorum; sed ex Scripturis nihil aliud assignatum habemus pro materia Sacramenti Ordinis, quam manuum impositionem: dicendum igitur est praeter impositionem nihil aliud in ordinatione esse de necessitate essentiali. Probatur 2. ex ritu graeco, quo ordinantur (ut dictum est) sola manuum impositione; cum valor Sacramentorum essentialiter dependeat ex materiis et formis a Iesu Christo institutis. Accedit etiam quod notat Bened. XIV. loc. cit. cum Martene, quod traditio instrumentorum non prius in Ecclesiam invecta est, quam a saeculo VIII. vel IX. Ad hoc aa. adversarii nihil quod respondeant habent, nisi quod relatum est in quaestione secunda, nempe quod a Domino relicta sit Ecclesiae potestas determinandi in specie materias, et formas Sacramentorum; sed ad hoc iam ibi satisfactum est. Quaenam autem sit forma iuxta hanc tertiam sententiam, alii dicunt esse verba, *Accipe potestatem, etc.* Sed forte probabilius dicunt Morin. et Tourn. esse orationem quam recitat Episcopus in praefata impositione; et verba quae recitat in fine in tertia manuum impositione, *Accipe spiritum*, esse dicunt tantum declarativa *Spiritus Sancti* iam accepti. Haec tertia sententia est probabilior, sed quia secunda etiam est probabilis, saltem extrinsece, ideo illa in praxi sequenda (1). Caetera spectantia ad hoc Sacramentum, iam dictum est a principio quod notantur in *examine Ordinandorum*.

TRACTATUS XVIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

CAPUT I. DE SPONSALIBUS

PUNCTUM I.

De natura sponsalium

1. *Definitio sponsalium. An pueri ante septennium, etc. Qui promittit sine animo se obligandi, aut adimplendi. Qui dolo aut errore, etc.*
2. *Si conditio dederit causam contractui.*
3. *De sponsalibus metu initis.*
4. *An promissio debeat esse mutua?*
5. *An externata signis? Quid si promittit pater pro filio praesente: et quid si pro absente.*
6. *An in dubio favendum sit libertati. Qui promittit in futurum, etc. Quid si mittitur annulus, etc. An requiratur dispensatio, etc.*
7. *De impuberibus, etc. De tactibus inter sponsos.*

1. Sponsalia definiuntur: *Promissio voluntaria et deliberata, et mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas habiles.* Dicitur 1. *Promissio*, quia solum propositum non externatum, nec acceptatum, certe non obligat (2). Dicitur 2. *voluntaria et deliberata*, nam ad inducendam obligationem gravem, quam secum inducit promissio sponsalitia, requiritur spontanea, et plena deliberatio. Ex quo deducitur 1. quod nemo potest teneri ad sponsalia, nisi constet de suo perfecto rationis usu; sed si constat utique ille remanet obligatus, licet esset puer, qui adhuc non explevit septennium, iuxta probabiliorem, et communiorem sententiam Sanch. Coninc. Bonac. Salmant. etc. contra Palaum et alios, modo

(1) l 6. n. 749. (2) n. 831.

(intelligi debet) huiusmodi puer comprehendat aliquo modo onera, quae secum affert status coniugalis. Deducitur 2. quod non remanet obligatus qui promittit sine animo contrahendi, aut sine animo se obligandi, licet cognosceret obligationem quae ex sponsalibus oritur, ut probabilius dicunt Sanch. Pal. Laym. Less. Salm. Mazz. etc. contra Pontium Sot. Vivam etc. quia quando obligatio oritur ex propria voluntate, ubi deest voluntas, deest etiam obligatio. Et hoc valet etiamsi promissio sit iurata, ut recte dicunt s. Bonaventura s. Antonin. Sanchez Palaus Salmant. Bon. cum s. Thoma, quia iuramentum sequitur naturam promissionis (1). Secus vero dicendum, si adfuisset defloratio cum ficta promissione, ut dictum fuit *Tr.* 10. *n.* 93., cum de restitutione locuti fuimus (2). Qui promittit sine animo contrahendi, at cum animo se obligandi, iste certe remanet obligatus, licet a principio ei deesset animus promissionem exequendi (3). Deducitur 3. quod non remanet obligatus qui promittit inductus vi, aut dolo alterius, aut errore circa substantiam, aut circa conditionem substantialem, ut esset cum ille expresse promitteret sub illa particulari conditione: quod caeteroquin est commune cum caeteris contractibus: vide dicta *Tr.* 10. *n.* 124.

2. Quaeritur 1. an valeant sponsalia, cum dolus aut error sit circa aliquam conditionem, non iam substantialem, sed accidentalem, sed eam quae causam contractui ita dedit, ut sine illa sponsus non contraxisset? Plures dd. dicunt sponsalia tunc irrita esse; sed nos oppositum ut probabilius tenuimus (4); vide dicta *Tr.* 10. n. 124. ubi diximus etiam quod pars decepta habet ceteroquin actionem ad rescindendum contractum, licet deceptio evenisset ab aliquo tertio, inscia parte, ut docet Sanch. cum Covar. et aliis; imo probabiliter dicunt Less. Laym. Spor. et Viva, quod si res integra est (ut evenit in simplicibus sponsalibus), et error sit invincibilis, in conscientia deceptus non tenetur stare contractui, ne iudicis quidem post sententiam (5). An autem stando primae sententiae, nempe quod talis contractus dolo dante causam contractui sit ex se irritus, eo casu etiam decipiens liber extet a sua obligatione? negamus iuxta probabiliorem cum de Lug. Pal. Less. Laym. etc. contra Sanch. Pontium etc. ex generali ratione quod nemini patrocinari debet fraus sua (6).

3. Quaeritur 2. an sponsalia contracta metu iniusto, gravi et ab extrinseco sint ex se invalida? Alii ut Coninch. Dicast. Viva etc. dicunt non esse irrita, sed irritanda arbitrio partis, quae metum passa est, sicut dictum est de omnibus aliis contractibus *Tr.* 10 *n.* 125. Sed sententia probabilior et communissima cum Sanch. Pontio Laym. Bonac. Azor. Sa Bec. Boss. Salmant. etc. contendit esse omnino irrita, quia sponsalia sequuntur naturam matrimonii, quod certe nullum est, dum metu contrahitur; ideoque sicut nemo tenetur huiusmodi matrimonium contrahere; ita nec potest teneri sponsalibus quae sunt medium ad matrimonium. Unde fit quod ex talibus sponsalibus nullum oritur publicae honestatis impedimentum (7). Dictum est tamen 1. si metus est *iniustus*, quia si esset iustus, sicut est validum matrimonium (prout dicemus postea), ita sunt valida etiam sponsalia (8). Dictum est 2. si metus sit *gravis*: si enim metus est levis, obligant sponsalia iuxta sententiam probabiliorem et communiorem Bonac. Pont. Medin. Salm. Croix Viva Mazzot. etc. (contra Nav. Less. Ronc. etc.), dum iudicatur sponte contrahere ille, qui cum possit metum repellere, cum ille sit levis, non respuit (9). Exci-

(1) l. 6. n. 833. (2) n. 832. (3) n. 833. (4) n. 835. (5) ibid. (6) n. 835. v. an autem. (7) n. 844. (8) ibid. (9) ibid.

pitur tamen, si talis metus, licet levis, dederit causam contractui, ut probabiliter dicunt Laym. Sanchez Bonac. Wigandt Salm. Croix Lugo Azor. adversus Pontium Vivam etc. Tanto magis hoc currit, si qui passus est metum huiusmodi levem, tamquam gravem apprehendisset (1). Dictum est 3. *ab extrinseco*, quia si fuisset ab intrinseco (v. g. si quis promitteret, timens ne cogeretur ad solvendum debitum, aut ne in carceres coniiceretur) tunc iste tenetur ad sponsalia (2).

4. Dicitur 3. quod promissio sponsalium debet esse *mutua*. Hinc si alter sponsorum promittit. alter vero non, neuter eorum remanet obligatus; praeterquam si pars promittens vellet se obligare independenter ab alterius promissione; sed in eo casu non teneretur illa vi sponsalium, sed vi simplicis promissionis (3), quae iuxta opinionem probabilem innixam auctoritate s. Thomae (ut dictum est *Tr.* 10. *n.* 127.), cum obliget tantum ratione fidelitatis, non obligat sub gravi. Sed hic quaeritur 1. an quis possit se obligare sponsalibus sub gravi cum vera promissione sponsalitia, independenter ab obligatione alterius partis? Negant Pont. Vasq. et Conc.; sed communior et probabilior est sententia opposita Sanch. Laym. Bon. Coninc. Sporer Salm. etc. (4). Quaeritur 2. an pars non repromittens, sed solum acceptans alterius promissionem sponsalium intelligatur se obligasse? Affirmant Pont. s. Ant. Silv. etc.; sed probabilius negant Sanch. Bonac. Laym. Conin. Sot. Castrop. Salm., etc., quia recte potest stare promissio unius sine repromissione alterius: nec acceptatio includit repromissionem, cum possit iam aliquis acceptare alterius obligationem, quin seipsum obliget (5). Advertendum tamen est (ut probabiliter dicunt Spor. et Tamb.) plerumque sponsos non intendere se obligare, nisi sub conditione, ut altera pars etiam se obliget (6).

5. Dicitur 4. *signo sensibili expressa*; quia non sufficit ad se obligandum taciturnitas sponsorum. Excipitur casus, si pater aut mater pro filio, aut filia praesente et tacente promitteret, ut habetur ex *cap. un.* § *fin. de Despons. impub.* ubi dicitur: *Porro ex sponsalibus quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii si expresse consenserint, vel tacite, et praesentes fuerint, nec contradixerint, obligantur* (7). Advertendum tamen 1. hoc habere locum quoad forum externum, sed quoad conscientiam filius non tenetur sponsalibus si interne dissentit, ut dicunt Bonac. Ronc. Holzm. et Anacl. Et idem puto dicendum, si filius nec assentit, nec dissentit, sed negative se habet; dum ad contrahendam aliquam obligationem requiritur positivus consensus. Nec obstat verbum textus *obligantur*: quia intelligi debet, (ut recte dicunt Bonac. et Salm.) quoties adest consensus internus (8). Advertendum 2. hoc procedere solum in casu quo promittunt parentes, non autem si promittunt alii, licet sint tutores, aut curatores: quia praefata legis dispositio tantum comprehendit parentes, qui pro filiis promittunt (9). Si tamen huiusmodi parentes promittunt pro filio absente, alii dd. ut Sanch. Pont. Ronc. Escob. Boss. etc. dicunt non sufficere filium certiorem factum promissioni non contradicere, sed amplius requiri, ut ratificet medio aliquo signo expresso, aut tacito. Haec sententia est probabilis; sed probabilior est opposita Bonacinae Palud. Castr. Conc. Sot. Salm. Sporer etc. quae affirmat sufficere taciturnitatem filii absentis; et huius sententiae est etiam s. Thomas (10) qui dicit: *Robur habent* (sponsalia) *in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ae-*

(1) l. 6. n. 844. quaer. 3. (2) n. 1053. (3) n. 836. (4) n. 837. (5) n. 836. quaer. 1. (6) n. 837. in fin. (7) n. 838.

(8) ib. v. id tamen. (9) n. 838. et 839. (10) in 4. dist. 27. q. 2. ad 1.

tatem debitam venientes non reclamant, et intelliguntur consentire quae per alios facta sunt. Et probatur etiam ex cit. *cap. un. de Despons.* in 6. ubi dicitur: *Et est idem, si filii tempore sponsaliorum absentes, et etiam ignorantes eadem sponsalia, post scienter ratificaverunt tacite, vel expresse. Expresse* intelligitur externe consentiente, *tacite* intelligitur non contradicente, ideoque dicitur ibi, *Et idem est*: in tantum dicitur *ratificaverunt*, quia agitur de re nomine alterius acta. Notant tamen Castrop. et Coninc. non sufficere, si filius casu sciat sponsalia a parente celebrata, et non contradicat: sed amplius requiritur ut parens per se, aut per alium eum certiorem faciat (1).

6. Hic quaeritur 1. an in dubio verborum aut signi promissionis sponsalium, sit potius favendum matrimonio, an libertati? Alii dicunt matrimonio, sed probabilius (ut dicit Viva) favendum est libertati (2). Quaeritur 2. an teneretur vi sponsalium qui diceret: *Non ducam aliam nisi te?* Quicquid dicant alii, verior sententia est et valde communior Laym. Castrop. Sanch. Escob. Boss. Holzm. Salm. Anacl., quae docet istum non posse aliam ducere uxorem, sed non teneri ad illam ducendam. Teneretur tamen, ut dicunt Pontius Viva et Perez, si verba essent de praesenti: *Nolo aliam nisi te* (3). Mittere annulum aut alia dona sponsalitia non inducunt sponsalium obligationem, nisi is esset regionis mos, ut docent communiter Sanch. Castrop. Conc. Bossius Busemb. etc. aut nisi praecessisset promissio alterius partis, et altera acceptasset annulum ab illa missum, ut communiter Castr. Busemb. Escob. Sanch. Silvest. Holzm. et alii; aut si missus fuerit a parentibus cum illius consensu, ut recte subiungunt Sanchez Castrop. Boss. Mol. etc. Sponsalia autem celebrata inter eos qui aliquo tenentur impedimento, sub conditione, *si Papa dispensat*, licet non sint valida, obligant tamen ad expectandum usque dum exitus videatur dispensationis, si ipsa de facili obtineri possit (4). Vide dicenda *seq. punct.* 3. *n.* 15. *in fine.*

7. Dicitur 5. et demum, *inter personas habiles*; hoc intelligitur quod non valeant sponsalia, si deest sponsis aetas praescripta, aut si inter eos aliquod subsit impedimentum (5). Hic notandum 1. promissionem matrimonii per verba de praesenti inter impuberes valere pro sponsalibus; secus de puberibus, qui clandestine contraherent, nempe sine parocho, et testibus; quia cum invalidus sit contractus ex se, dum ei obstat lex Tridentini, ille nullam parit obligationem. Intelligitur hoc tamen pro locis ubi Trident. receptum est, nam pro aliis locis sponsalia inita verbis aut signis de praesenti (puta copula affectu maritali exhibita), transeunt in matrimonium (6). Notandum 2. inter sponsos non solum esse mortales actus impudicos, sed etiam pudicos, quoties ad id fiunt ut delectatio sensibilis habeatur, eodem modo, ac sunt mortalia inter solutos, ut dictum est *Tr.* 9. *n.* 2.; nullus enim sponsorum (quicquid dicant alii) acquirit ius ad alterius corpus; unde sicut sponsis vetita est copula, ita etiam tactus, qui ideo permittuntur, in quantum sunt ad illam ordinati; ita recte docent Lessius Bonac. Ronc. Conc. Suar. Viva Croix Mazzot. et alii plures. Vix sponsis permitti possunt (ut dicunt La Croix Viva et alii) oscula illa, vel amplexus, quos mos patriae permittit, modo non sint pressi, neque per notabile tempus protracti. Nec practice probabilis est opinio illorum aa. dicentium licitos esse sponsis tactus pudicos, si ipsi non intendant delectationem veneream, sed solam sensibilem; in hoc enim ordinarie adest periculum incidendi in veneream tam sensibili propinquam, aut saltem in

(1) l. 6. n. 839. dub. 2 (2) n. 840. v. quando. (3) n. 842. (4) n. 843.

(5) n. 840. (6) n. 853. in fin

prava desideria progrediendi ad veneream (1). Et sic etiam sub gravi prohibitum est sponsis se delectari de copula futura; cum illa ipsis in praesenti statu actualiter sit vetita (2). Vide dicta *Tr.* 3. *n.* 51.

Punctum II.

De sponsalium obligatione.

8. *Quomodo, et quando sponsalia sint exequenda.*
9. *Quid si unus promittit duabus mulieribus.*
10. *An filius possit insciis parentibus se obligare.*
11. *Qui a sponsalibus recedit, etc. Et de poena apposita recedenti.*
12. *An debeatur legatum relictum sub conditione, si nubat, etc. aut si non nubat.*

8. Sponsalia obligant certe sub gravi ad contrahendum matrimonium: et si non est praefixum tempus, obligant statim, iuxta sententiam veriorem Pontii Castrop. Ronc. Conc. Coninch. Salmant. etc. contra Sanchez Nav. Holzman etc. qui contendunt non obligare, nisi cum pars instat; sed ratio nostra est, quia omnes obligationes, ubi terminus praefixus non est, debent quamprimum adimpleri, ut exprimitur in *L. eum qui*, § *Quoties*, *ff. de verb. oblig.* ubi dicitur: *Quod sine termino praefixo debetur, statim debetur.* Probabiliter tamen dicunt Castrop. Coninch. Salm. etc., quod in casu quo altera pars commode posset pro matrimonio contrahendo instare, et taceret, tunc prudenter potest iudicari consentire illam dilationi (3). Hoc valet quoad partes, sed quoad iudicem, recte docent Sanchez cum s. Bonaventura s. Antonin. Navar. Concina Castrop. Holzm. Roncagl. Salm. et aliis communiter, quod ille non debet eos cogere ad matrimonium, si ex eo timentur scandala, aut rixae, ut exprimitur in *cap.* 10. *de Sponsalib.* ubi dicitur: *Ecclesiastica censura compellas, nisi rationabilis causa obstiterit.* Et ita declaravit etiam S. C. Et in dubio semper satius erit, ut dicunt Bus. Tamb. et Concina, evitare damna talis matrimonii, quam evitare damnum partis; unde si unquam pars renitens ideo excommunicata fuit, expedit ut iudex eam absolvat, quoties timetur ne futurum sit, ut huiusmodi nuptiae malum exitum habeant (4).

9. Notandum 1. quod si quis sponsalia cum duabus contrahit, et secunda conscia erat sponsalium, quae cum prima inita erant; matrimonium cum prima erit contrahendum. Si vero erat inscia, aliqui dd. dicunt quod in casu quo copula intercessisset cum secunda, sponsus hanc ducere debet; sed communius et probabilius dicunt Nav, Sanch. Led. Bon. Ronc. Elbel, Laym. Soto, Holzm. Anacl. Croix, etc. in omni casu ducendam esse primam, quia promissio facta secundae semper nulla est, et de re illicita, cum iam promissa fuerit priori sponsae, ideoque non tenet, licet iuramento firmata fuisset. An autem cum intercesserit copula cum secunda, debeat prior cedere ex aequitate? Alii affirmant; sed non improbabiliter Holzm. Anacl. Gutt. et Pichler, sentiunt ne teneri quidem ad hoc primam, dum secunda sponsa imbecillitati suae imputare debet incommodum talis damni (5).

10. Notandum 2. sponsalia inita a filiis, insciis parentibus, certe esse valida, ut declaravit Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Ref. matrim.* contra Lutherum, et Bucerum. Celebris illa quaestio est, an peccet graviter filius, qui invitis parentibus, matrimonium contrahit? In hoc quatuor adsunt sententiae. *Prima* dicit peccare graviter, sive contrahit insciis, sive invitis parentibus; et hoc ratione gravium scandalorum et damnorum quae caeteroquin ex huiusmodi matrimoniis oritura sunt; ita Pontius, Sylvius, Nav. Mol. Conc. Petrocor. et Ronc. *Secunda* autem sententia dicit filium

(1) l. 6. n. 854 (2) ib. in fin.
(3) n 845. v. quaer. igitur.
(4) n. 846. (5) n. 868.

teneri sub gravi obligatione parentes certiores facere, et etiam consilium accipere, alioquin eis gravem inferret iniuriam; sed non teneri postea eorum consilio stare, cum non teneantur filii, iuxta id quod docet s. Thomas (1), parentibus parere in iis quae ad matrimonium spectant, cum in id totalis requiratur libertas; ita Vasq. Sanch. Barb. Laym. Bonac. Filliuc. Viv., etc. *Tertia* sententia dicit, quod quoties matrimonium non affert dedecus familiae, et non adsit causa ob quam parentes iuste contradicant, filius non peccat graviter si uxorem ducit, aut nubit insciis parentibus; cum enim ille non teneatur illorum stare consilio, consequens est non posse esse gravem illius obligationem, ut eos consulat; ita Cast. Bossius, Holz. Salm. Pichler, Elbel. Covar. Renzi, Led. Vict. Henr. Spor. Aver. Dicast., etc. *Quarta* sententia quasi cohaerens cum tertia distinguit et dicit: Si parentes iuste vetant filio aliquod matrimonium particulare, puta quia esset illud dedecori, aut scandalo familiae, tunc filius peccaret graviter, si illud contraheret. Et in casu quo esset dedecori familiae, ille non tenetur sponsalibus contractis, etiam iuratis, licet sponsam deflorasset, cum sufficiat tunc si tantum illam dotet, si potest; cum iustitia non possit obligare ad actum qui sine peccato executioni mandari nequit. Secus autem dicunt, si pater sine iusta causa impediret matrimonium; ita Laym. Delb. et Aversa (2). Caeterum omnes conveniunt communiter dd. ad excusandum filium in casibus sequentibus: nimirum 1. si pater iniuste vetaret status coniugalis electionem, et filius esset in periculo incontinentiae. 2. Si filius iniuste a parentibus vexaretur. 3. Si pater longe abesset, et filius posset prudenter praesumere eius consensum. 4. Si pater impediret matrimonium suo statui conveniens, nam cum in tali casu peccaret pater, non teneretur filius ei obedire, ut communiter dicunt Sanch. p. Sotus, Cordub. Boss. Gutt. Rebel. Viva, etc. 5. Si pater vellet filio uxorem indignam, infirmam, aut pravae conditionis dare (3). Quaeritur autem hic, an filius teneatur obedire parenti, qui iubet eum statum matrimonialem inire, aut uxorem a qua ipse abhorret, ducere? Plerumque ab omnibus negatur; sed Laym. Sanch. Bellarm. Sot. Petrocor. Croix, Bossius, et alii communiter excipiunt, si ob tale matrimonium gravis inimicitia dirimenda esset, aut parentes a magna paupertate per illud essent sublevandi; sed hoc intelligitur, quoties filio status matrimonialis esset assumendus; intelligi etiam debet, quoties illi non esset horror valde intolerabilis erga illam mulierem; charitas enim neminem potest obligare ad tantum, ut ei vivendum esset totam vitam suam cum uxore quam notabiliter horreret (4).

11. Notandum 3. partem, quae voluntariae a sponsalibus promissis recedit, amittere arrhas sponsalitias, et teneri amplius acceptas restituere cum refectione omnium damnorum, quae ab hoc suo recessu emanant. Quocirca advertendum esse illicitam et invalidam promissionem poenae quae apponeretur in sponsalibus in recedentem, uti constat ex c. *Gemma de spons.* ubi haec habentur: *Cum itaque libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem sit merito improbanda*, etc. Itaque in tali casu, qui recedit non tenetur ad praefatae poenae solutionem, licet promissionem iuramento obfirmasset (5). Et si poena unquam soluta sit, qui eam exegit, tenetur ad restituendum, uti sentit probabilior opinio Castrop. Soti, Boss. Guttier. Hurtad. Salm., etc. adversus Sanch. Less. Escob. Mol. et alios, quia illi nullus titulus est, quo eam sibi retineat, dum lex omnino irritat talem promissionem, ut ex-

(1) 2. 2. q. 104. a. 5. (2) l. 6. n. 849.
(3) ib. v. conveniunt. (4) n. 850.

(5) n. 853. quaer. 2.

pressum est in *L. fin. c. de Sponsal.* ubi dicitur: promissio poenae *ex utraque parte nullas vires habebit* (1). Hoc tamen currit quando poena apponitur a sponsis, aut a sibi coniunctis, aut amicis, secus autem, si ab extraneo, ut notant communiter San. Castr. Salm., etc. (2). Insuper currit, si pars iuste recedit; sed si iniuste repugnat matrimonium inire, licet sit probabilis sententia Sanch. Bonac. Boss. Conc. Becan., etc. ne teneri quidem ad eam poenam, quia secus matrimonii libertas etiam aliquam pateretur laesionem; attamen probabilior est opposita Pontii, Lay. Castropal. Suar. Vasq. Salm. Anacl. Ronc. Holz. etc., quia praefata poenae promissio non est prohibita neque iure naturali, nec positivo: non quidem naturali, cum aequum sit subiici poenae eum qui iniuste recedit; libertas autem quae in matrimonio requiritur, est libertas rationabilis, non irrationabilis; alias nunquam posset iudex censuris, aut carceribus cogere sponsos ad contrahendum: nec positivo, nam (sicut affert Pontius) in *Novella* 18. expresse approbatur poenae impositio in recedentem iniuste a sponsalibus. Et textus canonicus in *cap. Gemma*, superius relatus, debet intelligi de recessu iusto, non autem de iniusto (3). Advertendum etiam quod Benedictus XIV. in Bulla *Nimiam licentiam*, die 18. maii 1743. damnavit, et irrita declaravit pacta inter coniuges inita de non appellando a sententia pro matrimonii nullitate, adeo ut in nullo foro obligent nec interno nec externo, sub poena excommunicationis Papae reservatae, praeterquam in articulo mortis.

12. Sed quaeritur hic, an legatum relictum puellae sub conditione ut nubat certo iuveni, ei debeatur, cum nubit alteri? Respondetur: per se loquendo non debetur, ut habemus ex *L. Titio*, §. 1. *ff. de Condit. et demonst.* dum illa iam libera restat ad acceptandas aut respuendas tales nuptias. Sed excipitur 1. si secus pater ei Legitimam denegaret. 2. Si illud matrimonium esset indignum, quia tunc talis conditio reputatur ut turpis; ita communiter Laym. Mol. Ronc. Vasq. Salm. Boss, etc. cum Sot. Ronc. Si autem sponsus esset dignus, sed pater puellae vellet ut illa alteri nuberet, Pontius, etc. dicit tunc legatum ei non deberi ex sententia quam ipse tenet, non peccare filiam cum nubit personae dignae, licet invito parente; multi alii tamen, ut Bos. Sanch. Mol. Coninc. Guttier., etc. tenent oppositum, dicentes quod cum non possit puella, parente dissentiente nubere, parenti obtemperando, privari non debet legato (4). Si autem mulieri sit relictum legatum sub conditione, ne nubat, et illa nuberet, si ipsa est virgo, etiam ei debetur legatum: secus autem si est vidua (5).

(1) l. 6. n. 853. quaer. 3. (2) n. 853. (3) ib. quaer. 1. (4) l. 6. n. 853. quaer. 4

(5) l. 3. n. 930. v. dubit. 7.

Punctum III.

De sponsalium dissolutione.

25. *An votum castitatis, aut sacros suscipiendi Ordines dirimat, etc.*
26. *An requiratur iudicis auctoritas etc.*
27. *Quaenam probatio requiratur, etc.*

13. Dissolvuntur sponsalia ob sequentes causas. 1. Ob *matrimonium validum* ab alia parte contractum (1). Hoc certum est quoad partem innocentem; sed dubium fit, an etiam nocens liber a sponsalibus remaneat ex matrimonio a se contracto. Affirmant Sanch. Bonac. Laym. Wigandt, et alii, quibus etiam inclinat Concina; sed oppositam sententiam Pontii, Castropal. Concin. Roncagl. Sylvii, Sal. Ledesm. etc., ego puto absolute probabiliorem, nam talis dissolutio non probatur nec lege positiva, nec naturali; nam ratio naturalis dictat obligationem iam contractam sponsalium durante matrimonio, suspendi dumtaxat, non extingui (2).

14. 2. Ob *mutuum consensum* sponsorum. Sed hic advertendum quod inter puberes ob talem consensum mutuum solvuntur sponsalia, licet fuerint iuramento firmata; intelligitur, modo adsit iusta causa, alias peccarent sponsi, non quidem graviter, sed leviter, ut dicunt Sanch. Ronc. Navar. Holzm. Salm. etc., licet iuramentum principaliter fuerit factum in Dei honorem, quia in omnibus iuramentis in proximi favorem redundantibus, semper subauditur conditio, nisi a parte remittantur (3). Inter impuberes autem non dissolvuntur mutuo consensu, nisi cum ad pubertatem pervenerint: uti habetur ex cap. *De illis, de Sponsal. impub.* Itaque impuber, cum pubertatem attigerit, poterit a sponsalibus recedere, modo statim animum suum declaret: hoc *statim*, intelligitur intra tres dies, qui incipiunt non quidem a tempore pubertatis, sed a die quo pars venit in notitiam privilegii posse recedere. Quod si sponsus dissentit iam ante pubertatem, et in dissensu perseverat, iam sponsalia soluta sunt, statim ac puber ille fuit factus: modo hunc dissensum suum aperuerit; ut vult sententia probabilior Ronc. Castr. Suar. Conc., etc. (contra Sanch. Bonac. etc.); quia tale beneficium non est concessum nisi reclamantibus, quod proculdubio intelligitur externe (4). An autem sponsus, cum ad pubertatem pervenit, possit recedere, licet sponsalia iuramento firmaverit, negant Bonac. Sanch. Ronc. etc.; sed probabilius affirmant Pont. Castr. Concina, Viva, Palud. Salm. etc., quia iuramentum sequitur naturam contractus, sive sponsalium quae inter impuberes sunt revocabilia: nec obstat *cap. Litteris, de Sponsal.*, quia sicut animadvertunt Castr. Pont. et Viva ibi tantum loquitur de *impubescentibus*, ut exprimit textus, nempe de proximis pubertati, qui merito habentur uti puberes et huic sententiae etiam assentitur Sanch. cum aliis (5).

15. 3. Ob *impedimentum superveniens*. Sed hic distinguenda sunt impedimenta: si impedimentum est tantum impediens, probabilior est sententia, et est communissima cum Sanch. Castropal. Palud. Bon. Conin. etc. (contra Sotum) sponsalia non dissolvi; modo impedimentum non sit ob votum religionis, et etiam probabiliter castitatis, ut infra dicetur *n.* 25. Si vero impedimentum est dirimens, certum est sponsalia dissoluta esse, quoad partem innocentem, etiamsi nihil aliud esset, quam fama apud maiorem partem viciniae; secus autem quoad nocentem, iuxta probabiliorem sententiam, et communiorem Sanch. Castrop. Coninch. et Guttier. (contra Dicast.) ex illa generali regula, quod nemo potest ex suo delicto commodum reportare (6). Propterea in eo casu sponsus qui impedimentum contraxit, tenetur dispensationem procurare, quoties de facili potest, et intra tempus breve; secus cum magna impensa, aut magno labore, et tempore opus esset;

(1) l. 6. n. 875. (2) ib. v. quaeritur. (3) n. 855. (4) n. 856. (5) ib. quaer.

(6) num. 857

etenim ille tenetur fidem praestare mediis ordinariis, non autem extraordinariis, ut probabilius Sanch. Bonac. Gutt. Wigandt; et Sporer, contra Castrop. Ronc. et Salm. qui eum obligant, etiamsi impensa esset nimia. Merito tamen excipit Sporer, cum Tamb. si sponsus teneretur ad matrimonium, ut damnum reparet deflorationis, aut infamiae sponsae (1). Et si forte aderat impedimentum tempore quo celebrata fuerunt sponsalia, et haec celebrata fuerunt cum pacto impetrandi dispensationem, tunc licet sponsalia non sint valida ante dispensationis impetrationem, ac proinde non inducant impedimentum publicae honestatis; nihilominus remanent sponsi obligati ad expectandum conditionis eventum; et sponsalia, quae cum alia persona inirentur, essent nulla, ut dicunt Spor. et Ronc. cum Decret. S. C. Et dicimus cum Sanchez, Ronc. Lug. Laym. Bon. Salmant. Castrop. etc., dispensatione obtenta, huiusmodi sponsalia sine novo consensu esse valida, modo consensus praestitus adhuc perseveret (2); vide infra n. 34.

16. Quaeritur hic 1. an notabilis disparitas conditionis inter sponsos, sit impedimentum potens sponsalia dissolvere? Respondetur, quod si tempore contractus ignorabatur disparitas, sponsalia utique sunt nulla. Secus si cognita erat; praeterquam si tale matrimonium non posset iniri sine notabili familiae dedecore, v. g. si nobilis filiam rustici, aut fabri ducturus esset; ita communiter Laym. Sanch. Panorm. Ronc. Spor. etc. (3). Et idem dicitur si sponsus esset longe ditior, quia tunc promissio sponsalitia uti prodiga non obligat, cum nunquam quis teneatur ad exequendum illicitum, licet sit tantum venialiter illicitum, iuxta communiorem et veriorem sententiam Soti, Prad. Bann. Suar. Salm. etc. (4). Hoc tamen intelligitur (loquendo de disparitate divitiarum) modo sponsa aliqua peculiari praerogativa nobilitatis, honestatis, prudentiae, aut pulchritudinis praedita non esset, qua carentiam bonorum fortunae compensasset, et modo non adesset defloratio, aut modo infamia notata non remaneret sponsa, si matrimonium non fieret (5). Dicunt autem dd. quod licet matrimonium non sit familiae opprobrio, nec liceret illud contrahere, cum timerentur damna, aut odia inter parentes. Sed considerando quod obligatio hoc matrimonium non contrahendi in hoc casu non esset nisi charitatis actus, nescio quomodo posset excusari sponsus cum suo damno aut incommodo a tali matrimonio non contrahendo, ut vitet odia inter parentes; nisi esset quod ex tali matrimonio oriturae essent communes perturbationes apud plures familias in oppido parvo, adeo ut posset aliquo modo iudicari esse malum commune toti regioni (6).

17. Quaeritur 2. an dissensus parentum sit impedimentum adeo potens, ut solvi possint sponsalia? Respondetur: si parentes iniuste dissentiunt, non potest filius a matrimonio resilire, cum iure canonico certum sit parentum consensum non esse de necessitate valoris matrimonii, sed tantum honestatis. Secus vero dicendum, si parens iuste contradicat, ut cum tale matrimonium esset familiae dedecori, aut scandalo parentibus; Layman. Nav. Sanch. etc. aut, ut ait Roncagl., si filius iuste timeret haereditate privari paterna, modo hoc periculum non praeviderit, cum sponsalia contraxit (7).

18. 4. Ob *atrox delictum* alterius partis, ut si alter sponsus in haeresim incideret, aut aliquod homicidium, aut grave furtum, aut aliud facinus, quod gravi sibi esset damno, aut infamiae, committeret. Si autem crimen esset fornicationis, distinguere

(1) l. 6. n. 858. et l. 3. n. 650.
(2) l. 6. n. 859. (3) n. 851. et l. 3. n. 643. dubit. 1. et 2. (4) l. 6. n. 851.
v. sed quid, et seq. (5) ib. v. iuxta.
(6) ib. v. ad id. (7) n. 877.

oportet virum a muliere. Quoad sponsam, certum est virum liberum fieri, si illa ab alio carnaliter fuerit cognita, licet invita, iuxta communem et veriorem sententiam Sanch. s. Antonin. Sot. Concin. Navar. Pont., etc. et ut habetur ex *C. Raptor* 33. *Caus.* 27. *q.* 2. ubi permittitur sponso repudiare sponsam vi raptam; aut si ipsa permisit impudice tangi. Contra quoad sponsum, sive ipse fornicasset ante, sive post sponsalia, etiam communius, et probabilius dicunt Sanch. Pont. Castrop. Salm. etc. sponsam non posse recedere. Excipiunt tamen, et merito praefati aa. cum aliis, si celebratis sponsalibus, cognovisset sponsa, ex alia muliere sponsum habuisse prolem, aut in hoc vitium frequenter lapsum fuisse, cum multis congressum habendo (1). Dubitatur autem inter dd. an fornicatio inter sponsos habeat malitiam diversam, quae mutet speciem? Tres adsunt sententiae omnes probabiles. Prima affirmat tam de sponsa, quam de sponso; quia ex utraque parte irrogatur iniuria iuri acquisito ad corpus alterius: ita Castr. Laym. Salm. etc. Secunda affirmat de sola sponsa, non vero de sponso, qui fornicando non videtur gravem afferre iniuriam sponsae: ita Sanch. Bonac. et Fill. Tertia etiam probabilis negat de utroque, quia neuter sponsus acquirit ius ad corpus alterius; ita Pont. Trullen. Covar. Vival. et probabilem vocant Sanch. Laym. Lug., Salm. Elbel, etc. (2). An autem necne teneatur sponsa, virgo reputata, suum defectum patefacere, si talis non est? vide dicenda numero sequenti.

19. Ob *mutationem notabilem*, quae suboriatur, ut esset 1. timor gravis odii inter sponsos (cognita ab altero alterius asperitate) aut inter parentes; ita Bonac. Laym. Busemb. 2. Si detegatur alter sponsus nimio aere alieno gravatus, aut si sponsa dotem non haberet; Sanch. Tol. Pont. Bon. Spor. etc. 3. Si alteruter sponsus in lepram, paralysim, morbum gallicum incidat, aut aliud simile ei accidat quo difformis, aut inhabilis ad familiam sustentandam evadat, Sanch. Conin. Layman, Bon. et alii communiter cum s. Thoma (3) et sufficit ut de hoc prudens habeatur suspicio (4). Et si forte tempore sponsalium alterutra pars haberet aliquem personalem defectum occultum ex descriptis aut suae familiae, qui redderet nuptias nocivas alteri parti ignoranti, illa non potest matrimonium contrahere, nisi illum manifestet. Dictum est *nocivas*, quia si eas redderet tantum minus appetibiles, v. g. si sponsa putabatur dives, pulchra, aut virgo, et postea talis non esset, quoties illa non fingat esse a tali defectu immunem, non tenetur illum manifestare, sed potest dissimulare, quia tunc non fingit, sed vitium suum occultat: nec aliquis tenetur suam patefacere infamiam, cum illa ius alterius non laedit; ita communissime Sanch. Pont. Castropal. Coninc. Roncag. Salm. Escob. Croix, et alii, contra Conciuam (5). Ad iudicandum quaenam causa valeat dissolvere sponsalia, hae duae regulae attendendae sunt. Prima est, quod ob causas sponsalibus supervenientes, sufficit ea, quae si praevisa esset, illa utique contracta non fuisset; unde tunc pars a tali defectu immunis remanet, quae praesumitur contraxisse semper sub conditione quod talis rerum non adsit mutatio, quae praevisa si fuisset, eam a contrahendo removisset. Secunda regula est, quod ob causas sponsalia praecedentes sufficit, ut adsit illa, quae si suboriretur, valet ea impedire. Hinc fit, quod si ignorantia illius causae non dedisset causam contractui, sed fuisset concomitans, nempe quod si fuisset cognita, etiam contracta fuissent sponsalia, tunc non possunt dissolvi; ita Sanch. Ronc. Castrop. Sal. et alii communiter (6). Sed hic quae-

(1) l. 6. n. 860. et seqq. (2) n. 847. (3) sup. q. 43. a 3. ad 3. (4) l. 6. n. 863.

(5) n. 864. (6) n. 865. v. ad videndum.

ritur, an superveniente alterutri sponsorum pingui haereditate, possit ille recedere a sponsalibus? Affirmant Hurtad. Trull. Leand. etc. dicendo, tunc notabiliter mutari sponsorum conditionem. Sed alii communissime, ut Sanch. Boss. Comit. Castrop. Escob. Concina, Ronc. etc. id negant, quia tunc ille iam non deceptus est in conditione alterius partis, in qua nulla accedit mutatio. Quare dicit Croix, quod si sponsus inveniret sponsam melioris conditionis, non potest primam derelinquere; sed in hoc casu, quo conditio esset longe melior, ego non auderem, meliore advertentia salva, damnare sponsum, si vellet ducere secundam; quia magni lucri amissio aequivalet magno damno, ut dictum est *tract.* 6. *n.* 22. et ita invenio dixisse multos theologos in vita s. Ioannis a Capistrano *c.* 9.

20. 6. Ob *discessum alterius partis in regionem longinquam*; unde fit quod si sponsus alio domicilium suum transferret, aut in locum longinquum proficisceretur, licet cum animo redeundi, sponsa liberatur a promissione, et potest nubere cui velit, ut exprimitur in *c. De illis* 5. *De sponsal.* ubi dicitur: *Qui praestito iuramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, et postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, liberum erit mulieribus se ad alia vota transferre.* Sed si sponsus ad vicinas partes se animo redeundi transferret; tunc sponsa aut expectare debet regressum, aut debet requirere sponsum ut redeat; et si ille prosequatur absentiam, aut expectare debet usque ad competens tempus ad prudentis arbitrium, aut (ut melius dicunt alii) adeatur iudex, ut praefigatur terminus (1). Hoc currit cum in sponsalibus terminus non praefixus fuit; quia si iam fuit appositus, observetur quod infra dicetur.

21. 7. Ob *termini praefixi lapsum*, hoc nihilominus intelligitur cum tempus est appositum ad solvendam obligationem; et tunc libera restat pars innocens, licet promisisset sponsalia iuramento, ut dicunt omnes cum s. Thoma (2), et est expressum in *c. Sicut* 22. *de spons.* ubi Papa damnavit sponsum, qui sponsalibus initis cum una, contraxerat cum alia: *Nisi* (addidit tamen) *terminum praefixit, et per eum non stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit.* Igitur, si per ipsum non stetisset, iuste recessisset (3). Et hoc currit etiamsi terminus elapsus fuisset defectu alterius partis, sed inculpabiliter, ut communiter, et probabilius contendunt Laym. Castrop. Nav. Conin. Conc. Salmant. Ronc. (contra Bonac. Pont. Vivam, Sanch., etc.); et hoc deducitur perspicue ex eodem textu citato (4). An autem elapso termino liberetur etiam qui culpa sua distulit nuptias; affirmant Ronc. et Conc., et haec opinio videtur non posse dici improbabilis, nam eam expresse tenet s. Thomas (5), dicens: *Si per eum stetit, debet agere poenitentiam de peccato factae promissionis, et contrahere* (potest) *cum alia, si vult.* Sed attenta ratione, et communiori sententia Pon. Sanch. Lay. Navar. Castrop. Conin. Sal. Palud., etc. mihi videtur valde probabilior opposita, quia nemo debet commodum ex sua culpa reportare. Caeterum, si ex utriusque partis culpa steterit, quin matrimonium contractum fuisset, certum est elapso termino utramque liberari (6).

22. 8. Ob *professionem religiosam aut ob Ordinis sacri susceptionem* certe solvuntur sponsalia, etsi iuramento firmata (7). Quaeritur autem 1. an ob ingressum in religionem remaneat libera tam pars quae ingreditur, quam altera? Affirmant Busemb. Sanch. Bon. Tol., etc.; sed ego puto absolute probabiliorem oppositam, quae est communior, cum Laym. Spor. Pont. Castrop. Croix

(1) l. 6. n. 866. (2) in 4. d. 27. q. 2. a. 3. ad 2. (3) l. 6. n. 867. (4) n. 868.

(5) in 4. d. 27. q. 2. a. 3. ad 2.
(6) l. 6. n. 868. dubit. 3. (7) n. 869.

Conin. Viva Gonet. Salm., et aliis pluribus, liberam remanere tantum partem quae in saeculo remanet, dum altera religionem ingrediens videtur suo iuri cessisse; secus autem pars ingrediens; illa enim ingrediendo non fit inhabilis ad contrahendum matrimonium. Opinio autem illorum quod utraque pars libera restet, non videtur satis probabilis (1).

23. Quaeritur 2. an cum sponsalia sunt iurata, teneatur sponsus, antequam religionem ingrediatur, matrimonium contrahere? Dicunt Sotus Nav. Led., etc. illum teneri nuptias contrahere, sed ante matrimonii consummationem posse, si velit, religionem ingredi. Sed sententia opposita est communior, et verior Pont. Sanch. Petrocor. Castr. Bonac. Holzm. Spor. Salm., etc., quia iuramentum semper intelligitur factum sub conditione nisi eligatur status perfectior. In unico casu tantum tenenda est prima sententia, cum matrimonii celebratio necessaria esset ad legitimandam prolem iam conceptam, aut ad reparandum scandalum, aut infamiam sponsae. Et tunc non permitteretur sponso religionem ingredi relicto matrimonio rato, ut advertit Busemb. (2). Quod confirmatur ex eo quod dictum fuit Tr. 10. n. 97., ubi diximus, quod si sponsus, etiamsi castitatem vovisset (aut religionem, ut dicunt dd. ibi citati) et postea sponsam deflorasset sub promissione (licet ficta) matrimonii, tenetur procurare dispensationem voti, ut matrimonium ad effectum adducat. Si autem sponsus post sponsalia, sed defloratione remota, voveret religionem ingredi, proculdubio tenetur ad votum, et non obligatur sponsalibus, nisi cum e religione egrederetur. Sed si votum esset etiam profitendi, tunc certe utraque pars libera remanet, quia tunc qui vovet, fit omnino inhabilis ad matrimonium, ut pro certo affirmant Salmant. Viva, etc. (3).

24. Quaeritur 3. an peccet sponsus sacris si initietur Ordinibus, sponsa inscia, aut non consentiente? Certum est ordinatum a sponsalibus liberum esse ex *Extrav. Antiquae de Voto.* Dubium in hoc versatur, an peccet graviter; alii affirmant, quia tantum, ut in religionem se recipiat, permissum est iure canonico (uti volunt) a sponsalibus divertere, non vere ut statum amplectatur ecclesiasticum. Hoc non obstante valde probabilis est sententia opposita Pont. Navar. Conin. Bonac. Gutt. Sot. Silvest. Salm. Escob. Henriq., etc. ex ratione superius allata, quia in sponsalium promissione semper subauditur conditio, modo non eligatur status perfectior (4). Si autem sponsus minoribus tantum Ordinibus initiaretur, non potest sponsa propter hoc deflectere, iuxta sententiam communiorem, et veriorem Sanch. Pont. Palud. Wigandt Salm. (quicquid dicant Ronc. et Spor.) dum Ordines minores non impediunt matrimonium, cum etiam dentur clerici coniugati (5).

25. Quaeritur 4. an votum castitatis, aut sacris Ordinibus initiandi sit validum, et dirimat sponsalia etiam quoad voventem? Dico *voventem*, quia altera pars procul dubio liberatur. Dico votum *post sponsalia*, quia si ipsum antecedenter fuerit emissum, sponsalia sunt irrita, cum irrita sit promissio rei illicitae. Dubium igitur in hoc restringitur, quid si votum sponsalia subsequatur? Alii dicunt probabiliter fuisse nullum, quia in tertii praeiudicium emissum; ita Laym. Nav. Castrop. Cabass. Ronc. etc.; sed alii communius, ut Pont. Petrocor. Suar. Gonet Coninch. Sot. Azor. Bon. volunt esse validum: et probabile dicunt ipsi aa. citati Laym. Sanch. Castropal. Cabass. et Salm. cum s. Thoma (6) qui dicit: *Per votum simplex sunt sponsalia dirimenda.* Ratio Angelici est, quia ubi concurrunt duae obligationes, praeferenda est potior; sed ratio communior a-

(1) l. 6. n. 870. v. hinc. (2) ib. dubit. 2. (3) n. 873. (4) n. 871. (5) n. 872.

(6) suppl. q. 53. a. 1. ad 1.

liorum est superius relata, nempe quod sponsalia promissa esse intelliguntur semper sub conditione, nisi status melior eligatur. Quocirca adest etiam quaedam decisio S.C. Conc. apud Pittonnium (1) sub die 5. martii 1701., ubi dicitur votum castitatis, aut suscipiendi Ordines sacros, irritare sponsalia etiam iurata. Addunt Bonac. et Sanch. voventem solutum remanere a sponsalibus, licet postea voti dispensationem impetraverit, et hoc non omnino est improbabile, sed probabilius mihi videtur oppositum cum Rebell. Aver. et Salm. quia prior obligatio non penitus extinguitur, sed suspenditur, donec votum servatur (2).

26. Quaeritur 5. an ad sponsalia dirimenda semper intercedere debeat iudicis auctoritas? Respondetur negative, cum sponsalia fuerunt publica et causa etiam est publica et certa; idem dicendum si sponsalia fuerint occulta, et causa est occulta. Secus vero, si causa non est certa, sed est dubia sive iuris, sive facti, quia tunc omnino intercedenda est iudicis auctoritas; ita communiter Sanchez Castrop. Holzm. Gutt., etc. Cum vero sponsalia sunt publica, et causa est occulta: tunc si causa non potest probari in iudicio, non requiritur iudex, sed cum iam probari potest, requiritur, sed non sub gravi, nisi esset ad evitandum grave scandalum, ut dicunt dd. citati cum Nav. Pont. et aliis communiter. Cum autem defectus posset probari, sed esset occultus, debet pars innocens alteram admonere; et tunc si illa non quiescit ut sponsalia solvantur, tunc poterit licite defectum ad iudicem deferre; Laym. Pont. Sanch. Castrop. Coninch., etc. (3).

27. Quaeritur 6. quaenam probatio requiritur ad solvenda sponsalia? Respondetur: si causa est circa aliquod impedimentum (sive sit dirimens, sive impediens) tunc sufficit quilibet testis iuratus, modo sit oculatus, ut habetur in *cap. Super eo de Test. et attest.*, et hoc valet, licet ille sit criminosus, et non citatus, sed tantum productus a parte; et etiamsi deponeret in secreto, tacito suo nomine, ut dicunt Sanch. Castr. Salm. Coninch. Holzm. Viva Croix Gutt., etc. (4). Si causa vero non fuerit impedimentum, sed alia sufficiens ad efficiendum ut alter sponsorum possit a sponsalibus desciscere, tunc, ut dicunt communius Sanch. Laym. Castrop. Salm. Coninc., etc. requiruntur duo testes (5) In cap. *In omni, de Test.* requiruntur duo testes iurati, ubi agitur de damno tertii. Nihilominus probabiliter tenent Palud. Aver. Salmant. et Trull. sufficere etiam unum testem fide dignum, in casu quo ipse testaretur sponsae fornicationem. Caeterum hoc currit quoad forum; sed in conscientia communis est sententia sufficere unum tantum testem pro omnibus casibus; Sanch. Castrop. Croix Con. Salm., etc.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO

PUNCTUM I. *De materia, forma et ministro matrimonii.*

28. Communis inter dd. est sententia ministros matrimonii esse ipsos contrahentes. Materia est mutua traditio iuris quod alter in alterius acquirit corpus, per verba aut signa consensum exprimentia. Forma

(1) de matrim. n. 2513. (2) l. 6. n. 873. dubit. 1. (3) n. 878. dubit. 1.

(4) n. 878. dubit. 2. (5) ib. v. si vero.

autem est mutua acceptatio iisdem verbis aut signis expressa. Sed huic adversantur Canus Iuvenin. Conc. et Tournely, dicentes ministrum matrimonii esse sacerdotem assistentem. et formam esse verba: *Ego vos in matrimonium coniungo, etc.* Sed nostram sententiam tenent Bellarm., qui eam vocat communem in scholis (ut eam appellat etiam idem Canus), Gonet Frassen. Cabass. Ronc. Abel. Wigandt Van-Espen Pontas Petroc. Benedict. XIV. Fagnanus, qui oppositam vocat periculosam in Fide, Merbes. qui asserit oppositam nunquam fuisse probabilem, et Henriq. Manuel Sotus vocant eam temerariam. Pro nostra sententia etiam stant Scot. et s. Thomas (1). Et quod ipsi sponsi, non autem sacerdos, sint ministri matrimonii, probatur 1. ex Conc. Florentino, ubi dicitur causa efficiens matrimonii esse mutuus consensus sponsorum; ergo ipsi sunt ministri. 2. Probatur ex Trident. *sess.* 24. *c.* 1. *de Reform. matrim.* ubi matrimonia sine parochi praesentia dicuntur olim fuisse rata, nempe indissolubilia; contra probatur aliunde ex *cap. Quanto, de Divort.* quod matrimonia fidelium ideo sunt rata, quia sunt Sacramentum: *Etsi matrimonium* (sunt verba textus) *infidelium verum existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit, quia Sacramentum Fidei* (nempe Baptismus) *quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii Sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret.* Igitur Baptismus, non parochus efficiebat tunc ratum Sacramentum matrimonii, adeo ut esset indissolubile, sicut indissolubilis est Baptismi character. Hoc argumentum valde exaltat Benedictus XIV. (2). 3. Probatur ex eo quod verba, *Ego vos coniungo, etc.*, ut testantur Martene, et Simonetus, apud Bened., olim non dicebantur, sed alia; idque probant ex pluribus antiquis Ritualibus. Si autem verba prolata a sacerdote fuissent forma Sacramenti, uti autumant adversarii, illa semper eadem, vel saltem aequivalentia esse debebant. Adde quod Tridentinum permisit parocho posse uti etiam *aliis verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum.* 4. Probatur ex eodem Concilio *loc. cit.* ubi dicitur ita: *Qui aliter quam praesente parocho... contrahere attentabunt, inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.* Igitur non est nullum matrimonium, si fiat coram parocho, licet ille taceat; sed tantum cum fit illo absente; itaque eius verba, quae adversarii supponunt esse formam, non sunt necessaria et per consequens non est minister matrimonii sacerdos (3). His tamen non obstantibus, oppositam sententiam, nimirum parochum esse ministrum matrimonii, quam tenent Guillielmus Paris. Canus Toletus Maldonatus Estius Iuveninus Tournely et Collet eius Continuator Natalis Alexand. Conc. et alii, territus ab auctoritate tantorum virorum non audeo improbabilem dicere, tanto magis quod Benedictus XIV. in Opere de *Synodo* (4) eam valde probabilem vocat.

29. Caeterum ex prima nostra sententia, quam saltem probabiliorem censemus, infertur 1. quod parochus assistendo matrimonio publicorum peccatorum non peccat uti minister, sed tantum uti cooperator sacrilegii eorum, uti diximus *Tr.* 14. *n.* 6. Infertur 2. quod sponsi, qui in mortali matrimonium contrahunt, duo committunt sacrilegia, unum quia Sacramentum suscipiunt, alterum quia in peccato ministrant, licet hoc secundum probabiliter non sit grave, quia sponsi non sunt ministri consecrati ad hoc Sacramentum, uti volunt Concina Tournely Gonet et alii

(1) Scot. in 4. d. 26. q. 4. n. 14. et s. Th. in 4. d. 26. q. 2. a. 1. ad 1. et d. 28. q. 1. ar. 3.

(2) Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 13 n. 5.

(3) lib. 6. ex n. 897.

(4) Bened. XIV. loc. cit. n. 6.

cum s. Thoma (1): quamquam loco citato oppositum sustinuimus. An autem sponsa possit contrahere licite cum publico peccatore? vide dicta *Tr.* 14. *n.* 6. (2). An autem possit simulare celebrationem nuptiarum, iusta intercedente causa, v. g. si aliquod interesset impedimentum dirimens, et non posset sine gravi damno huiusmodi simulationem omittere? Negat p. Milante; sed affirmant communiter Sanch. Castropal. Conc. Card. Coninch. Viva Croix Henriq. etc.: dicunt enim cum tunc non adsit contractus defectu consensus, nec Sacramentum intercedit; nec propterea Sacramenti simulatio (3). Infertur 3. quod sponsi debent esse in gratia, etiam cum per procuratorem contrahunt, quia cum sint veri contractus, sunt vera Sacramenta; Bellarm. Sanch. Navar. Sot. etc. (4). Infertur 4. quod matrimonia clandestina, nempe celebrata coram parocho repugnante assistere, et dare benedictionem, sunt graviter illicita, sed sunt valida, et vera Sacramenta. Hinc refert p. Ferraris *Biblioth. verb. Matrim. art.* 1. *n.* 31., pluries declarasse S. C. sufficere ad valorem Sacramenti praesentiam parochi nulla verba dicentis. Idcirco animadvertendum, quod matrimonia celebrata coram parocho, tunc tantum sunt nulla, cum parochus adfuisset quidem, sed nihil audivisset, aut percepisset, modo ille ex industria non affectasset non percipere; ita decrevit S. C. Conc. ubi dictum fuit: *Matrimonium non valere si non intellexisset, nisi ipse parochus affectasset non intelligere.* Infertur 5. quod parochus assistendo matrimonio in mortali, non peccat graviter, quia nec conficit, nec ministrat Sacramentum; Sanch. Bonac. Suar. Coninch. Reg. etc. Advertendum tamen quod si ille omittit pronuntiare benedictionem, *Ego coniungo vos*, etc. peccat mortaliter, ut vult sententia probabilior cum Barbosa Rebell. Henriq. etc., quia omittit caeremoniam gravem Ecclesiae. Infertur 6. quod matrimonia celebrata coram parocho, et duobus testibus cum occulto impedimento, obtenta dispensatione, convalidantur, et vera Sacramenta fiunt solo consensu de novo a sponsis praestito (a quo tamen potest dispensare Papa, vide n. 81.); nec requiritur parochi praesentia; ita communiter Nav. Fagnan. Nat. de Alex. Hab. Tournely Sanch. Card. Sot. Lamb. Salm. Van Espen., et alii (contra Comit. et Conc.); et ita declaravit S. C. et ita est praxis s. Poenitentiariae ex oraculo S. Pii V. qui ab ea consultus (ut refert Cardenas), declaravit non opus esse parocho, et testibus, cum matrimonium iam semel palam initum est; et revera s. Poenitentiaria in concedenda dispensatione dicit; *Ut uterque inter se secrete contrahere valeant* (5). Et hoc argumentum, ut ait Benedictus XIV. loco citato valde probat ministrum matrimonii non esse sacerdotem, sed ipsos sponsos; alias recte dicit quod Ecclesia, nisi id haberet pro certo, numquam permitteret sponsos relinqui in periculo, quod remaneant sine gratia Sacramenti. Adest tamen Decretum S. C. sub die 8. iunii anni 1619. apud Ferrar. *Biblioth. t.* 5. *v. Matrimonium art.* 2. *n.* 19. quod si matrimonium esset nullum ex causa publica, scilicet ob defectum aetatis, tunc reconvalidandum est ante parochum et testes.

30. Hic plura notanda sunt. Notandum 1. quoad honestatem finium matrimonii, duos esse fines intrinsecos et essentiales, mutuam corporum traditionem, et vinculum indissolubile: quicumque contraheret hos fines excludendo, nempe aut animo non reddendi debitum, aut contrahendi ad tempus, matrimonium esset nullum (6). An autem peccet venialiter qui matrimonium contraheret principaliter in concupiscentiae re-

(1) vide l. 6. n. 32. v. infertur 2. et n. 54. (2) n. 55. v. si autem. (3) n. 62.

(4) n. 884. (5) n. 1110. (6) n. 882.

me.ium, affirmant Bossius Navar. Con.n. etc. cum s. Thoma (1): sed probabiliter negant Castrop. Pont. Ronc. Caiet. Croix Conc. Holzm. et alii multi qui innituntur eo quod dixit apostolus: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* 1. Cor. 7. 2. Sicut explicant Estius Salm. et Cornelius, cum s. Ioanne Chrys., illud *propter fornicationem* non intelligitur ad evitandam fornicationem alterius coniugis, sed propriam. Et hoc probatur ex eo quod dicit *cap.* 7. 1.-2. idem apostolus: *Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Et vide quod prius suadeat coelibatum; sed postea in remedium incontinentiae hortatur ad ducendam uxorem; igitur loquitur ibi de incontinentia propria, et deinde subiungit: *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri, ibid.* 9. (2). Et ita probabilius etiam dicunt Pont. Castrop. Caiet. Coninc. Salm. etc. culpa vacare matrimonium contrahi principaliter ob aliquem finem accidentaliter extrinsecum, v. gr. ad conservandum familiae decus, ad conciliandam duarum familiarum pacem, etc. (3). Si quis autem contraheret animo se obligandi, sed postea negandi debitum, aut vitandi prolis procreationem, peccaret graviter, sed valide contraheret; modo talis intentio non deducatur in pactum, sicut contractum fuit matrimonium inter B. Virginem, et s. Iosephum (4).

31. Notandum 2. quoad contrahentium consensum, non esse de matrimonii valore verba, sed satis esse signa exprimentia, ut certum est ex *cap. Tuae Fraternitat.* 25. *de Spons.* (5). Et satis sufficiens signum esset, si mulier, expresso iam viri consensu, manum ei extenderet; secus autem si tantum eam non retraheret, posteaquam sponsus illius manum apprehendit. Sicut nec sufficit annuli donatio, nec conductio sponsae in viri domum, nisi esset quia ob loci consuetudinem huiusmodi signa consensum exprimant; ita Sanch. Pont. Salm. et alii communiter (6). Dicimus autem venialiter peccare, qui solis signis vellet exprimere suum consensum, et nollet uti verbis, nisi verecundia excusaret (7).

32. Notandum 3. quod cum per procuratorem celebratur matrimonium, si forte mandans revocaret consensum (licet interne) antequam contrahatur, matrimonium esset nullum. Sed quaeritur an esset validum, cum mandans, dum mandatum dedit, animum contrahendi non habuisset, sed tempore contractus consensum praestitisset? Alii dicunt matrimonium non valere, quia tale mandatum, quod nullum fuit cum datum est, non potest postea consensu interno reconvalidari; ita Castrop. et Coninc. Hanc sententiam non puto improbabilem; sed opposita est communior Sanch. Bon. Ronc. Salm. etc. et est etiam probabilior, quia procurator contrahendo non exprimit voluntatem praeteritam mandantis, sed praesentem ad tempus contractus, quae iam adest (8). Ad hoc autem ut procurator valide contrahat, multa requiruntur: 1. Ut illud sit mandatum speciale. 2. Ut persona, cum qua contrahendum est, sit determinata. 3. Ut procurator contrahat per se (non per alios) coram parocho, et testibus, illis mandatum exprimendo; quod sufficit si oretenus sit datum, ut dicunt Castropal. Sanch. Salmant. Guttier. etc. 4. Ut procurator non excedat conditiones in mandato appositas, v. g. temporis, dotis, etc. secus matrimonium est nullum. Sed si ille contraheret sine Episcopi licentia, aut sine proclamationibus, matrimonium esset validum; ita communiter dd. (9). In huiusmodi nuptiis parochus interrogare debet procura-

(1) suppl. q. 49. a. 5. ad 2. (2) l. 6. n. 882. v. dubit. 1. (3) n. 883. (4) n. 881. ad 5. et n. 882. in fin. (5) n. 887.

(6) n. 889. (7) n. 888. (8) n. 886. (9) num. 885

torem: ***Vis in uxorem Titiam nomine N. N.?*** et postea ad mulierem: ***Vis in virum N. N. medio praesente procuratore?*** Potest etiam matrimonium contrahi per epistolam, et sic fiet: Sponsus scribit ad sponsam quod ipse in virum ei se tradit, et ex tunc eam in sponsam acceptat. Sponsa idem rescribit viro, et haec responsio legitur coram parocho, et testibus. Caeterum satis est etiam ut vir scribat mulieri modo relato, et sponsa, quin sponso rescribat, litteras coram parocho et testibus aperiat, et suum praebeat consensum; ita Sanch. Villal. Dian. Salm. etc. (1).

33. Notandum 4. quod cum consensus est conditionatus, si conditio est de *praeteritis* aut *de praesenti*, et conditio iam verificata est, aut verificatur, tunc iam sufficit talis consensus ad contrahendum. Pariter sufficit si conditio esset *de futuro*, sed de futuro necessario, v. gr. *Si pater tuus morietur*; ita omnes cum sancto Thoma: modo ex hoc non intelligatur suspendi consensus usque ad patris mortem; Ronc. Salmant. Conc. etc. Sed si conditio est de futuro contingenti, iterum distinguendum est: si conditio esset turpis, aut contra substantiam matrimonii, v. gr. contra Sacramentum, contra fidem coniugalem, aut prolem: si dicatur, v. g. *Te volo, si prolis generationem vitabis*; aut, *si adulterium committes*; aut si dicat: *Te duco usquedum uxorem te meliorem inveniam*; tunc matrimonium est nullum. Si autem conditio est turpis alio modo, aut si est impossibilis, tunc habetur pro non adiecta, et matrimonium est validum, *cap. fin. de Condit. app.* ubi dicitur: *Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur* (iuxta exempla superius allata) *matrimonialis contractus caret effectu*; *licet aliae conditiones, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant pro non adiectis haberi*. Et ratio est, quia tunc praesumitur datus consensus, non obstante conditione apposita. Sed si unquam sponsi vere non intenderent consentire sine tali conditione, matrimonium etiam esset invalidum. Caeterum in dubio debet iudicari in favorem illius, ut docent Sanch. Pont. Ronc. Holzm. etc. ex *cap. fin. de Sent. et re iudic.* (2).

34. Contra si conditio de futuro esset honesta, tunc matrimonialis contractus nullus foret, sed tantum sponsalitius. Sed hic quaeritur an, adimpleta conditione, requiratur novus consensus pro matrimonio? Alii affirmant, ut Suar. Pont. Sot. Concina Gonet et alii, quibus favet s. Thomas (3), qui dicit: *Aut* (conditio) *est contingens, ut acceptatio parentum, et tunc ... non facit matrimonium.* Ratio huius sententiae est, quia matrimonium non solum est contractus, sed etiam est Sacramentum, cuius valor non potest pendere ab effectu futuro. Alii tamen negant, ut Laym. Bonac. Cast. Salm. Ronc. Salmant. Coninc. etc. quia matrimonium, licet sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractus, et ad huius rationis normam eius valor dirigitur. Haec secunda sententia videtur probabilior, sed quia prima est etiam fundata in praxi, expedit eam sequi. Et idem dicendum in casu quo sponsi aliquo impedimento praepediantur, et ipsi contraxissent sub conditione, *Si obtinebitur dispensatio*; et hoc ita declaratum fuit a sacra Congreg. (4). Advertendum hic tamen, quod conditio suspendit matrimonium, quod non suspendit demonstratio, aut causa, aut modus appositus. *Demonstratio* est cum dicitur: *Duco te quae es virgo nobilis*, etc.; *causa* cum dicit: *Duco te, quia es virgo*; modus est cum dicit: *Duco te ut mihi in ancillam famuleris*. Et hic modus non suspendit, licet sit de modo impossibili aut turpi; ita Sanch. Salm. et Viva, quia consensus non dependet a modo, uti dependet a conditione.

(1) l. 6. n. 886. (2) n. 890. et 891. (3) suppl. q 47. a. 5. (4) vide p. Zacch. Adnot. ad Croix l. 6. p. 3. n. 83.

Addit P. Viva cum Castrop. licet modus sit contra substantiam matrimonii, v. g. *Te duco ut adulteres, etc.* Sed probabilius contradicunt Sanch. et Salm. quia revera non videtur habere animum contrahendi, qui habet intentionem omnino oppositam contractui (1). Si vero apponitur dies, v. g. *Te duco post* 10. *dies*, probabilius et communius dicunt Viva Coninch. Perez Salmant. etc. (contra Sanch.) quod intelligitur suspensus consensus, usque ad terminum appositum (2).

Punctum II.
De usu licito matrimonii.

35. *Usus coniugii est illicitus I. Si Matrimonium est nullum. II. Si est dubium: an liceat contrahere cum dubio impedimenti.*
36. *An liceat petere, aut reddere urgente dubio.*
37. *Quid si nuptiae fuerint contractae cum dubio, etc.*
*38. *III. Si adsit periculum sanitatis.*
39. *IV. Si ob solam voluptatem, etc. V. Si mente adultera, etc. VI. Si modo indebito.*
40. *Si coniux se retrahat a seminatione.*
41. *VII. Si in loco indebito. VIII. Si tempore indebito, scilicet praegnationis. Si coniux sit impeditus ob votum, aut incestum.*
42. *An tactus, et delectationes morosae coniugibus permittantur.*

35. Usus matrimonii per se loquendo licitus est, sed ob plures causas quandoque fit illicitus, et I. Si matrimonium est certe nullum, quo casu nunquam licet parti id scienti nec petere, nec reddere debitum alteri ignoranti (3). II. Si matrimonium est dubium. Sed hic dubitatur 1. an liceat inire matrimonium cum dubio impedimenti? Communiter docent dd. Sanch. Suar. Castr. Carden. Croix Bos. Holzm. Viva etc. quod post adhibitam diligentiam, licet contrahere matrimonium cum opinione probabili de carentia impedimenti. Nec obstat quod in confectione Sacramentorum non est licitum uti opinione probabili: nam in Sacramento matrimonii, ut diximus *Tract. I. n.* 27. et tradunt aa. communiter, stante opinione probabili, ex inveterata consuetudine censetur Ecclesia dispensare in impedimento, si forte adsit (4). Attamen notandum 1. quod id currit si opinio est probabilis de iure (nempe ex auctoritate dd.) non autem tantum de facto, ut dicunt Card. Viva Croix Aversa etc. contra Bon. et Tamb., quia probabilitas facti non constituit veram probabilitatem, sed tantum coniecturam, qua non licet uti ad contrahendum matrimonium; nisi pro carentia impedimenti talis forte urgeret praesumptio, quae certitudinem quamdam moralem exhiberet (5). Notandum 2. id procedere tantum in impedimentis de iure ecclesiastico, non autem in aliis de iure naturali, in quibus Ecclesia nequit dispensare; unde si dubium sit de morte prioris coniugis, illicitum est novum inire coniugium, nisi de illius morte certe moraliter constet, ut habetur ex *c. Dominus de secund. nupt.* Tantum excipitur aliquis rarissimus casus in quo Pontifex, tanquam divinae legis interpres, ob urgentissimam causam declaret matrimonium, non obstante tali dubio, posse contrahi; prout refert Cardenas Urbanum VIII. in quodam casu declarasse (6). An autem in impedimentis de iure ecclesiastico, quando dubia sunt, possit Episcopus dispensare? Plures graves dd. communissime, et probabiliter id admittunt, Castr. Cabass. Barb. Ronc. Holzm. Bon. Salm. et Elb. iuxta dicenda *Tract.* 20. *de Privil. num.* 57. (7).

36. Dubitatur 2. quandonam, inito iam matrimonio, et urgente dubio de ipsius valore, liceat petere, aut reddere? Manente dubio, coniux dubitans ne potest quidem petere ante diligentiam adhibitam ad dubium vincendum; sed tenetur reddere alteri petenti in bona fide, ut patet ex cit.

(1) l. 6. n. 896. (2) ib. v. utrum. (3) n. 900. (4) n. 901. (5) n. 902. qu. 3. (6) ib. qu. 2. (7) ib. v. caeterum.

cap. Dominus de secund. nupt. (1). Ratio, quia alter adhuc possidet ius petendi: intellige vero post bimestre ab inito coniugio, et modo ipse non sit a petendo impeditus ob incestus, vel adulterii crimen (2). Diximus *ante diligentiam*, quia si dubitans contraxit in bona fide, et post diligentiam non potuit dubium vincere, probabilissimum et communissimum est posse etiam petere, ob possessionem petendi iam acquisitam, Sotus Wigandt, Hab. Castrop. Suarez Lug. Less. Laym. Ronc. Sanch. Salm. etc. (contra Navar. et Conc.). Quapropter tradunt Sanch. Anacl. Carden. Henriq. et alii, quod coniux ille post diligentiam licite potest petere, semper ac certus non sit de impedimento, non obstante quacumque probabilitate in contrarium (3).

37. Dubitatur 3. quid si matrimonium sit contractum cum dubia fide, an tunc coniux dubitans possit post diligentiam adhibitam petere, adhuc dubio perseverante? Alii negant, quia non licet uti re quae incoepta est possideri cum dubia fide; et haec sententia est quidem communior cum Sanch. Castr. Salm. Ronc. etc. Attamen Holzm. et Elbel non improbabiliter id affirmant, quia tametsi dubitans nequeat deponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen ex alio principio, nempe quod in dubio standum est pro valore actus, praesertim matrimonii, in cuius favorem in foro tam externo, quam interno semper in dubio iudicandum. Excipitur tamen casus, quo dubium adsit de morte prioris coniugis, ut vidimus ex *cit. cap. Dominus*. Dico *dubium*, nam si habeatur firma probabilitas de valore matrimonii, tunc communiter docent dd. Sanch. Bon. Boss. Ronc. Salm. Spor. Croix etc., tali dubitanti licitum esse post diligentiam non solum reddere, sed etiam petere, cum textus praefatus in casu dubii, non autem probabilitatis, loquatur; et cum probabiliter dubitatur de vita prioris coniugis, probabiliter dubitatur etiam de ipsius coniugis possessione (4). Quando autem debeat quis vel non dubitare de valore matrimonii: tres dantur regulae: Prima, quod coniux ordinarie loquendo non tenetur credere alteri asserenti ficte consensisse, licet asserat cum iuramento; Bonac. Sanch. Sotus Salm. etc. ex *c. Cum a nobis, de Testib.* Secunda, quod si quis audiat adesse impedimentum a personis non fide dignis, vel ex fama a nullo auctore certo exorta, nec tenetur credere. Tertia, quod si audiat a fide digno, aut per famam ex certo auctore, tenetur veritatem inquirere, et interim abstinere a nuptiis, aut a petendo; sed tenetur reddere, si unus tantum adsit testis, ut Nav. Silv. Salm. etc. (5). Caeterum in dubio semper iudicandum pro matrimonio; Sanch. Pontius et alii communiter (6).

38. 3. Non est licitus usus matrimonii, si adsit grave periculum sanitatis, nec obsit periculum incontinentiae. Probabiliter autem licet, si morbus sit diuturnus, ut lepra, phthisis, morbus gallicus et similia; modo non sit talis, ut proxime tendat ad mortem; et modo adsit aliqua iusta causa; ita Sanch. Caiet. Pont. Laym. Boss. Bus. Bonac. etc. Caeterum tali morbo laborans tenetur illum manifestare alteri nescienti, si petat, et etiamsi velit reddere; nam si nolit, potest licite debitum negare, cum non teneatur morbum suum (v. gr. gallicum) cum sua infamia patefacere, ut Tamb. cum Soto (7). Non licet petere statim a balneo, vel a sectione venae, aut cum febri; Sanchez Bonac. Boss. etc. Licet vero petere ab uxore quae laborat seminis fluxu, seu gonorrhaea, si fluxus sit perpetuus; secus si sit maleficus, et non adsit in alterutro proximum periculum incontinentiae (8). Coitus

(1) l. 6. n. 903. (2) n. 905. in fin. (3) n. 906. et 907. (4) l. 6. n. 906.

(5) n. 908. (6) n. 907. (7) n. 909. (8) n. 910.

post prandium probabiliter non affert grave damnum; quapropter tunc uxor non excusatur a reddendo, dum tenetur reddere etiam cum modico incommodo (1). An autem licitus sit usus tempore lactationis? Negat Pontius, si prudens sit timor de gravi nocumento prolis; sed admittit Sanchez (2). An tempore menstrui? Licet, si menstruus sit extraordinarius et diuturnus; non vero si naturalis; sed tunc probabilius non erit nisi venialiter illicitus, ut communissime s. Antonin. Nav. Conc. Pont. Sanch. Et idem dicitur de usu in purgatione puerperae; modo non fiat eadem die, vel sequenti partus (3).

39. 4. Usus est illicitus (sed non plus quam venialiter) si adhibeatur ob solam voluptatem, nisi voluptas intendatur ad bonum generationis, vel ut reddatur vir aptus ad reddendum ut recte aiunt Croix et Viva (4). 5. si exerceatur mente adultera. Se excitare ad usum respiciendo ad imagines sacras, gravis esset irreverentia. Periculosum autem se delectando de pulchritudine alterius personae, et maxime de coitu alieno inter quasdam cognitas personas (5). 6. Si fiat modo indebito, nempe extra vas naturale, quod sine dubio erit mortale, et gravius si in vase praepostero, etiamsi ibi tantum copula inchoetur, ut verius dicendum cum Sanch. Pont. Castropal. Bonac. Tamb. Sporer. Boss. et communi, contra Nav. et Ang. (6). Vel si fiat in vase naturali, sed indebito modo, sive situ, prout stando, sedendo, vel more pecudum, aut viro succumbente. Hoc tamen est tantum veniale iuxta communem dd. sententiam, s. Antonini Navar. Petrocor. Alb. M. Gers. Caiet. Soti Castrop. Sanch. Tol. Ronc. Salm. Croix etc. ex d. Thoma quia mutatio situs minime impedit generationem, dum matrix foeminae ex se attrahit semen viri. Adduntque aa. citati cum Concina id nullum esse peccatum, si fiat ex aliqua iusta causa (7). An autem sit mortale mutare situm, si propter id casu aliquid seminis effunditur? affirmant Salmant., sed communius negant Sanch. Pont. Castropal. Boss. Perez Hurtad. et Aversa (8).

40. Hic autem dubitatur 1. an peccent graviter coniuges, si incoepta copula se retrahunt a seminatione? Negant communiter Sanch. s. Antonin Laym. Pont. Caiet. Less. Salm. etc. si hoc fiat ex consensu, et sine effundendi seminis periculo, quod tamen, ut ait Sanchez ordinarie adest (9). Si autem uxor iam seminarit, vel proxima sit ad seminandum, graviter quidem peccat vir se retrahens, nisi forte faciat ad vitandam mortem, aut scandalum aliorum; iidem aa. etiam communiter (10). Si tamen contra vir seminavit, alii ut Sanch. Pont. Salm. etc. excusant a mortali uxorem, si se retrahat. Alii vero, ut d. Bonav. Caiet. Abul. Maior. Aversa Hurtad. etc. non excusant, dicentes cum Suarez semen mulieris simpliciter esse necessarium ad generationem; et quoniam horum opinio satis videtur probabilis, haec sequenda est, cum non liceat sequi oppositam cum probabili damno prolis, sive generationis (11). Dubitatur 2. an viro se retrahente, liceat uxori statim post seminationem viri tactibus se excitare, ut seminet? Negant Diana et Rodriquez. Sed communissime affirmant Wigandt Less. Sanchez Bonac. Fill. Salm. Sporer Boss. Elbel et alii plures, nec reprobat p. Concina; idque ob eamdem rationem mox supra allatam, quia semen mulieris est necessarium, vel saltem valde confert ad generationem; nihil enim in natura frustraneum (12).

41. 7. Si usus habeatur in loco indebito, puta publico vel sacro. An autem copula coniugalis etiam oc-

(1) l 6. n. 910. v videtur. (2) n. 911. (3) n. 925. (4) n. 912. (5) n. 913. et 914. (6) n. 915. et 916. (7) n. 917.

(8) ib. v. dicunt. (9) n. 918. (10) ib. v. si vero. (11) ib. v. si autem. (12) num. 919

culta vetita sit in ecclesia? Vide dicta *Tr.* 9. *de sexto Praecepto Decalogi n.* 21. 8. Si habeatur tempore indebito. Plura hic notanda: 1. Petere ante Communionem est veniale (nisi petatur ad incontinentiam vitandam): nullum vero peccatum reddere, aut petere post Communionem; vide dicta *Tr.* 15. *n.* 57. Pariter nequaquam peccant coniuges, ut communiter dd. dicunt, si reddant in diebus festivis; et etiam si petant, communius docent s. Bonav. Sotus Caietan. Pont. Sanchez Azor. Castrop. Bonac. Salmant. Valent. Conin. etc., quia nullo iure id vetatur, et si aliquis ss. Patrum videtur id vetare, eloquitur de consilio, non de praecepto, ut probat Sanchez (1). Saltem, ut ait Benedict. XIV. *de Synodo, l.* 5. *c.* 1. *n.* 8. si olim id erat de praecepto, nunc certe non est nisi de consilio. 2. Tempore praegnationis usus, ut communiter docetur, non est nisi veniale (modo absit abortus periculum, quod ordinarie non adest, et nullum si periculum adsit incontinentiae, vel alia iusta causa (2). 3. Coniux prohibitus a petendo ob votum, aut impedimentum affinitatis post matrimonium ab eo contractum, potest, imo tenetur reddere, si alter sit in periculo incontinentiae, vel si interpretative petat, nempe quando *mulier* (ait d. Thomas) *verecunda est* (particulari modo quam aliae mulieres), *et vir sentit eius voluntatem de debiti redditione*; et ita communiter alii. Praeterea, si ipse impeditus (intellige ratione affinitatis tantum, non autem voti) sit in proximo periculo incontinentiae, et periculum sit in mora, potest etiam petere; ita Viguer. et Quintanad. Et quidem probabiliter si dispensatio brevi obtineri nequeat (3). 4. Certe licet coniugi petere ab altero excommunicato; et iuxta veriorem sententiam id licet etiam excommunicato, si existat in periculo incontinentiae; ita Suar. Bon. Sanch. Boss. etc. communiter (4).

42. Quaeres hic, an tactus, delectationes morosae coniugibus permittantur. Resp. 1. Tactus etiam impudici, si ad copulam ordinantur, sine dubio coniugibus permittuntur; si vero non ordinantur, ut communiter et verius docent Sotus Caiet. Tolet. Vasq. Less. Laym. Sanch. Castrop. Abul. Armil. Bon. Salm. Conc. Sa etc. (contra quosdam) sunt tantum veniales, quia status coniugalis excusat eos a mortali (5). Excipe nisi coniux petens sit ligatus voto castitatis; vel nisi praevideatur pollutio (quamvis involuntaria) in se, vel in altero, ut aiunt Sotus Castr. Caiet. Boss. Salm etc. Tunc tantum autem poterit petens excusari, si tactum impudicum habeat, ut se aptet ad copulam, secluso periculo consensus in pollutionem; ita Sanch. Filliuc. Sporer Escob. Elbel etc. Et si periculum proximum pollutionis sit ex tactu pudico, tactus neque potest adhiberi, etiam secluso periculo consensus, nisi fiat ex gravi causa, puta ad fovendum mutuum amorem, etc. Hoc de petente; sed reddens in huiusmodi tactibus videtur semper excusari, cum alter habeat ius ad illos, nisi adeo sint impudici, ut videantur quasi inchoata pollutio (6); vide dicenda in *puncto seq. n.* 48. Resp. 2. Probabilius peccat graviter coniux seipsum turpiter tangens ob delectationem, tum propter periculum pollutionis, tum quia coniuges nullum habent ius ad seipsos tangendos, nisi tantum ad se aptandos ad copulam, ita Laym. Diana Spor. Salm. etc. contra Sanch. Castrop. Boss. etc. (7). Resp. 3. Quoad delectationes, hortandi sunt coniuges, ut abstineant a delectatione morosa de copula habita vel habenda, si alter absit; sed non damnandi de mortali, ut communius dicunt Sanch. s. Antonin. Bonacin. Suar. Gers. Caiet. Filliuc. Croix etc. cum d. Thoma (8). Excipe nisi de-

(1) l. 6. n. 923. (2) n. 924. (3) n. 930. (4) n. 931. (5) n. 933. (6) n. 934. (7) n. 936. (8) de malo q. 15. a. 2. ad 17.

lectatio habeatur cum aliqua, non solum carnali, sed etiam venerea voluptate (1).

Punctum III.

De usu praecepto matrimonii.

43. *Quando coniux tenetur petere.*
44. *Si neget semel aut bis.*
45. *Si plures nascuntur filii.*
46. *Si alter petat in mortali.*
47. *Si velit vir seminare extra vas.*
48. *Si petat cum veniali.*
49. *Si petat amens, vel ebrius. De impedimento petendi ob incestum. Si immineat damnum sanitatis, aut prolis.*
50. *Si coniux cohibeat seminationem Si uxor surgit, aut mingit. An puella oppressa possit semen expellere. Si senex saepe effundit extra vas.*
51. *De cohabitatione, et de alimentis uxori debitis.*

43. Distinguere hic oportet petitionem a redditione. In quantum ad petitionem spectat, per se loquendo, neuter coniugum tenetur petere, nisi praevideat in se, vel in altero periculum incontinentiae. Sufficit tamen ut uxor tacite petat, ut vir teneatur ad eam accedere, ita omnes cum d. Thoma (2) qui ait: *Quando vir percipit per aliqua signa, quod vellet debitum, tenetur reddere.* Contra vero dicunt Sanch. Sot. etc. ex eod. d. Thoma, uxorem non teneri copulam praestare, nisi vir expresse petat. Excipe 1. cum Sanchez s. Antonin. Nav. etc., si potius erubescentia esset ex parte viri, puta si mulier esset ferae conditionis, vel magnae auctoritatis (3). Excipe 2. si vir esset in periculo incontinentiae, ut diximus; sed quia tunc probabilius, iuxta Sanchez Coninch. Palud. etc., ex sola charitate uxor petere teneretur, facile posset excusari, si in petendo magnam pateretur verecundiam (4).

44. In quantum autem ad redditionem, coniux negans alteri debitum ordinarie graviter peccat. Sed dubitatur 1. an sit mortale, semel vel bis debitum negare? Si alter remisse petat, vel facile cedat precibus negantis, ex communi sententia non est mortale (et ne veniale quidem, si adsit causa), nisi alter sit in periculo incontinentiae, nec contra adsit gravis causa negandi. Si tamen ille serio et instanter petat, Castr. Tamb. Boss. Croix etc. putant gravem esse materiam, nisi petat immoderate, puta quater in eadem nocte. Alii vero levem, ut Pont. Sanchez Sa Bonac. Hurtad. Ledesm. etc. et non videtur omnino improbabile, si alter non sit in periculo incontinentiae. Sic etiam Pontius Sanch. et alii communissime excusant a mortali coniugem qui differt reddere a die ad noctem, vel a nocte ad mane (5).

45. Dubitatur 2. an sit causa iusta negandi debitum, si plures nascantur filii quam ali possint? Alii negant, Laym. Ronc. et Spor., quia procreatio prolis spectat ad praecipuum finem coniugii; affirmant vero Sanchez Pontius Bonac. Boss. etc., quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione. Excipiunt tamen nisi in petente sit periculum incontinentiae; hinc quia periculum hoc vix poterit abesse, primae sententiae magis puto adhaerendum (6).

46. Dubitatur 3. an coniux teneatur, aut possit reddere alteri petenti cum peccato gravi. Hic distinguendum: Si culpa se tenet ex parte actus, puta si vir petat in loco sacro, vel cum periculo abortus, scandali, aut sanitatis alterutrius, tenetur uxor negare sub gravi; tunc enim vir non habet ius ad petendum; ita communiter Sanch. Pont. Conc. Bonac. Salmant. etc. cum d. Thoma (7). Si vero culpa se tenet ex parte petentis, puta si habeat votum, aut petat ob pravum finem, prima sententia cum Pont. La-Croix et aliis paucis tenet non licere ei reddere, nisi sit in potestate petenti se a culpa eximere, puta si peteret ob voluptatem aut alium malum finem; sed communis

(1) l. 6. n. 937. (2) suppl. q. 64. a. 2. (3) l. 6. n. 928. (4) n. 929. (5) n. 940.

(6) n. 941. (7) n. 943. v. certum.

et probabilior sententia cum Suarez Lugo Tourn. Conc. Laym. Bonacina Salm. Castr. etc., docet posse et teneri ad reddendum, quia vovens retinet ius ad petendum (1). Tenetur tamen reddens, ut advertunt Sanch. Boss. Coninch. etc., ex charitate alterum monere ut desistat; at si desistere nolit, expedit ut ipse petitionem anticipet; sed merito ait Salm. uxores ad id raro teneri (2). Si vero petat coniux incestuosus qui iam privatus est iure petendi, alter non tenetur quidem, sed bene potest ei reddere, cum ipsi semper competat ius tam petendi quam reddendi: ita Sanch. Castrop. Bonac. Laym. s. Anton. Salm. etc. (3).

47. Dubitatur 4. an liceat uxori petere vel reddere viro volenti seminare extra vas post copulam inceptam? Alii negant, quia tenetur impedire peccatum viri; alii affirmant, quia ipsa dat operam rei licitae. Sed puto distinguendum inter petitionem, et redditionem: In reddendo, etsi probabile est cum Ronc. et Elbel, quod uxor possit negare debitum, et etiam teneatur, si potest sine suo gravi incommodo iuxta primam sententiam; quia vir, cum sit abusurus re debita, non habet ius ad illam; tamen probabilius est cum Sanch., quod post monitionem teneatur reddere, cum culpa se teneat non ex parte actus, sed personae, ut supra mox diximus. In petendo vero, dicimus cum Ronc. et Elbel, uxorem non posse petere ab huiusmodi viro, quia tenetur ex charitate illius peccatum impedire. Excipe nisi gravem haberet causam petendi, nempe si esset in periculo incontinentiae, vel si alioquin perpetuo abstinere deberet a suo iure petendi; charitas enim cum tanto onere non obligat; unde non videtur teneri ad abstinendum, nisi per paucas vices (4); vide dicta in simili casu *Tr.* 4. *n.* 28 *in fine.*

48. Dubitatur 5. an coniux teneatur reddere petenti cum culpa veniali? Alii affirmant, alii negant; sed pariter ut supra distinguendum puto: Si copula est illicita ex parte petentis, nempe si petat ob voluptatem, vel mane ante Communionem, tenetur alter reddere; si vero ex parte actus, puta si petit situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, etc., tunc alter potest quidem reddere, si aliqua adsit causa v. g. ne incurrat illius indignationem; non tamen tenetur, nisi petens iustam habeat causam petendi tali modo, aut tempore (5).

49. Deinde plura hic sunt notanda. Notandum 1. quod iuxta communissimam sententiam non est obligatio reddendi debitum amentibus, vel ebriis, cum hi sint incapaces iure dominii, excipe nisi sint in periculo prodigendi semen, vel si non sint universe amentes, aut omnino ebrii; ita probabilius Sanch. Castropal. Bonac. Conc. Layman Soto Croix Busemb. Con., etc. contra Navarr. et Sylv. Caeterum communiter admittitur posse istis reddi, si absit periculum scandali, aut abortus, puta cum uxor esset furiosa (6). Notandum 2. quod si vir rem habuit cum consanguinea alterius in primo vel secundo gradu, tenetur reddere, sed amittit ipse ius petendi ex *cap. Si quis* 1. *De eo qui cognov.*, etc. et sic contra (7). Ut autem quis contrahat hoc impedimentum petendi, requiritur ut sciat legem, non tantum divinam sed etiam ecclesiasticam vetantem incestum: et probabiliter, ut sciat etiam huiusmodi poenam, ut dicunt Bon. Wigandt Castrop. Boss. Elbel Sanch. Laym., etc. (8). Notandum 3. quod si coniux timeat damnum tantum leve sanitatis ex redditione, tenetur reddere; et hoc est certum apud omnes. Si vero timet grave damnum, nec tenetur, nec potest, nisi ipse vel petens sit in pro-

(1) l. 6. n. 944. (2) ib. v. bene autem. (3) n. 945. (4) n. 947. (5) n. 946.

(6) n. 948. (7) n. 949. et 1070. (8) n. 1074.

ximo periculo incontinentiae; aut nisi alias magna formidet dissidia, modo morbus quo inficiari veretur, non sit proxime tendens ad mortem; ita Pontius Sanch. Laym. et alii passim. Dixi *potest*, sed non tenetur, quia charitas eo casu excusat si reddat, sed non obligat (1). Solum autem periculum prolis nasciturae, nempe quod ex tali coitu defectuosa nascatur, non excusat ab obligatione reddendi, ut verius docet d. Thomas (2) cum aliis, quia (ut ait) *melius est proli sic esse, quam penitus non esse* (3). Notandum 4. quod non tenetur coniux reddere, si laborat febri: Bon. Sanch. Per. Bus., etc. (4). Neque uxor, si experta sit non posse parere sine mortis periculo, ut communiter docetur (5). An autem possit reddere, si experta sit filios parere mortuos? Affirmat Layman, sed communius negant Bonac. Bossius Rodriq. Victor, etc., nisi adsit periculum incontinentiae, ut addunt Bonac. et Sanchez; quod periculum (ait Sanchez) maxime aderit, si ob hanc causam perpetuo deberent abstinere coniuges ab usu matrimonii (6).

50. Notandum 4. peccare mortaliter coniugem, si cohibeat seminationem, altero seminante: vel si post suam seminationem se retrahat, antequam alter seminet, quia hoc modo impeditur generatio. Tantum poterit permitti copulam interrumpere, cum immineat scandalum aliorum, aut mortis periculum (7); vide dicta *n.* 40. Sic pariter peccat uxor, si statim post copulam surgit aut mingit, animo impediendi generationem, nisi hoc faciat ut supra ad scandalum, aut mortem vitandam. Dixi *statim*, quia non tenetur diu immota manere; ita Sanch. Pont. Salm. Bonac. Boss., etc. contra Tambur. (8). Puella autem oppressa extra matrimonium non potest sine peccato semen viri expellere, postquam illud iam recepit in matricem; tantum ipsa potest impedire ne immittatur, ut rectius Pontius Tamb. Escob. et Leandr. (contra Sanch. et Boss.), quia nunquam potest semen receptum in matricem eiici sine iniuria generationi humanae (9). An autem liceat viro copulari, si ob senectutem, aut aliam infirmitatem saepe extra vas semen effundat? Licet, ut dicunt communissime Sanch. Laym. Bonac. Bossius La-Croix, etc. semper ac adest probabilis spes effundendi intra, quia tunc adhuc possidet ius ad copulam (10).

51. Notandum 6. quod coniuges ratione debiti reddendi tenentur cohabitare, non solum quoad domum, sed etiam quoad torum; nisi separentur ex consensu, absitque tunc periculum incontinentiae, et damnum educationis. Vir autem licite potest suscipere aliquam brevem peregrinationem ex causa devotionis, vel alia honesta, etiam invita uxore: sed non uxor, invito viro. Potest imo vir etiam diu abesse, si id oporteat ad bonum publicum, vel familiae: ita communiter Sanch. Castr. Bos. Laym. etc. Dicit autem Boss. cum Tolet. Sayro, quod vir tenetur tunc secum ducere uxorem, si commode possit (11). Quando vero uxor teneatur sequi virum, et vir eam ducere, vide dicta *de quarto praecepto Decalogi Tr.* 7. *n.* 13. Notandum 7. quod ob dotem non solutam nequit vir negare debitum, aut cohabitationem; sed non tenetur uxorem alere, si dos non solvatur culpa promittentis (et idem currit si uxor renuat cohabitare), nisi nulla extiterit promissio facta dotis; vel nisi uxor non habeat unde ali, et sine sua culpa dos non solvatur, aut nisi omittat cohabitare absque sua culpa (12). Casu vero quo vir deprehenderit uxorem fuisse adulteratam, bene poterit ei alimenta denegare, modo negare possit sine illius infa-

(1) l. 6. n. 950. (2) in 4. d. 32. q. un. a. 1. ad 4. (3) l. 6. n. 951. (4) n. 952. (5) n. 953. (6) ibid. (7) n. 918. et 954.

(8) ib. v. dicunt. (9) ib. dub. aut. hic. (10) ib. dubit. 2. (11) n. 939. (12) ib. dubit. 1. et 2.

mia, puta si crimen iam est notorium; ita communius et probabilius Sanch. Soto Salm. Trull.; etc. Idem dicunt Salm. cum aliis, si uxor admiserit oscula ab alio notoria, et etiam occulta, si fuerint nimis lasciva, vel si ipsa sit nobilis (1).

Punctum IV.

De impedimentis impedientibus.

52. *Quaenam sint impedimenta.*
53. *I. Vetitum. II. Tempus feriarum. An tempore feriarum vetetur consummatio. De benedictione sacerdotis. III. Catechismus. IV. Crimen. V. Sponsalia.*
54. *VI. Votum. An Episcopus possit dispensare a voto castitatis.*
55. *De clandestinitate, et proclamationibus.*
56. *De obligatione denuntiandi impedimenta, et quando denuntiatio impedit.*
57. *An sufficiat fama. Si sponsi interrogati, etc. Si parochus sciat impedimentum.*
58. *Quandonam Episcopus possit et debeat dispensare a Proclamationibus*
59. *An possit vicarius, aut parochus dispensare aut declarare.*

52. Duo sunt impedimentorum matrimonii genera: altera impedientia, nempe quae reddunt illud illicitum, aut impediunt illius usum: altera dirimentia, quae illud reddunt omnino nullum: et est certum, imo de Fide est utraque impedimenta posse ab Ecclesia constitui, prout declaravit Trident. *sess.* 24. *can.* 4. quia licet Ecclesia non possit irrita reddere Sacramenta, cum debita existunt requisita, nihilominus quia Sacramentum matrimonii subsistit in contractu, ideoque bene potest Ecclesia, iustis existentibus causis, invalidare contractum, et cum desit contractus, nec Sacramentum adesse potest (2). In *punct. sequenti* loquemur de impedimentis dirimentibus, in hoc agemus de impedientibus dumtaxat. Praeter peccatum mortale, et excommunicationem, quae reddunt matrimonium illicitum, adsunt sex alia impedimenta, quae his comprehenduntur versibus:

53. I. *Ecclesiae vetitum*, II. *nec non tempus feriarum,*

III. *Atque Catechismus*, IV. *Crimen*, V. *Sponsalia*, VI. *Votum*

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

I. *Vetitum*: nempe Episcopi, aut parochi prohibitio, ob dubium, an forte adsit impedimentum, aut inhabilitas ad contrahendum (3). II. *Tempus feriarum*: feriae sunt ab Adventu ad Epiphaniam, et a die Cinerum ad octavam Paschae. Sed hic advertendum, quod talibus temporibus vetatur benedicere nuptiis, instruere convivia solemniora, non quidem matrimonium contrahere, nec sponsam in domum conducere, si hoc fiat sine solemnitate; nec prohibitum est matrimonium consummare, ut recte dicunt Bellarm. Sanc. Pont., et fuse id confirmat Lambertini, qui postea Benedictus XIV. (4), cum Pignatell. Fill. Croix, etc. ac cum Declarat. S. C. dicens Canones allatos a canonistis esse de consilio non de praecepto (5). Et licet dicant aliqui peccari (sed tantum venialiter, ut communiter dicunt Sanch. Boss. Sot. Sa Escob. etc. (6) contra Concinam, qui contendit esse mortale) omnino omittere benedictionem quae datur a parocho, aut a sacerdote de eius licentia in missa pro hac re peculiariter designata pro primis nuptiis, nam secundae non benedicuntur, ut praecepit Benedict. XIV. in Bulla *Etsi pastoralis*, §. 8. *n.* 4. edita 26. maii 1742.; nihilominus communius et probabilius dicunt Navar. Pont. Laym. Sanch. Bellarm. Castr. Salm. Viva, etc. cum Lambert. loco cit. matrimonium consummare ante benedictionem omni culpa vacare, et probatur ex Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. et ex Rituali, ubi hoc non solum insinuatur, sed etiam praecipitur, et

(1) l. 6. n. 939. dubit. 3. (2) n. 979. (3) n. 982. (4) notif. 89. n. 17.

(5) l. 6. n. 984. (6) n. 988. v. secun.

clarius ex *can. Nostrates*, 30. *qu.* 5. ubi dicitur: *Sicque demum benedictionem, et velamen coeleste suscipiunt; peccatum autem esse, si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus*(1) 3. *Catechismus*: quid catechismi nomine veniat, alii dicunt esse Fidei professionem, quae nomine baptizandi fit; alii aliter explicant. Caeterum hoc impedimentum cessavit per Tridentinum, ut dicunt Sanch. Coninch. Castrop. Salm., etc. cum quadam Declaratione S. C. (2). 4. *Crimen*: sub hoc nomine olim comprehendebantur quaedam delicta, nempe incestus cum propria matre, raptus alienae sponsae, etc.; sed hoc impedimentum etiam desuetudine exolevit (3). 5. *Sponsalia*, nempe sponsalia cum alia persona inita, sed non dissoluta, de quibus iam *puncto antecedenti* sermo factus est.

54. 6. *Votum*: nempe simplex castitatis, aut religionis, aut non nubendi. Hic notandum est quod Episcopus ante nuptias contrahendas non potest dispensare in voto castitatis (cum votum est absolutum; secus si est poenale aut conditionatum, iuxta dicta *Tr.* 5. *n.* 49.); excepto, si non dispensaretur, adesset periculum incontinentiae, aut alterius damni gravis ob moram, nec posset citius adiri Papam, ut dicunt communiter Sanch. Suar. Less. Nav. Sot. Silv. Salm. etc. (4); reservationes etiam ad aedificationem, non ad destructionem institutae sunt. Initis autem nuptiis, bene potest dispensare Episcopus (et ut dicunt Salm. etiam Vicarius generalis, ex concessione generali, quae ei collata est omnium casuum episcopalium) in voto castitatis post matrimonium edito, aut etiam ante illud, ut communius et probabilius dicunt Sotus Sanch. s. Anton. Gonc. Nav. etc. ex s. Thoma (5). Et eadem facultate fruuntur etiam Mendicantes ut communiter dicunt Castrop. Wigandt Sanch. Suar. Tourn. Salmant. etc., vigore suorum privilegiorum (6). Votum tamen castitatis a coniugibus emissum communi consensu solus Pontifex potest dispensare, ut dicunt cum communiori Sanch. Spor. Anacl. etc. apud Ferraris (7). Caeterum Episcopus, exceptis voto castitatis, et sponsalibus cum alia persona initis, potest dispensare in omnibus impedimentis impedientibus, et in omnibus aliis, quae post matrimonium suboriuntur; Castrop. Bon. Salm. Croix, etc. (8).

55. Praeter allata adest impedimentum clandestinitatis, nempe cum matrimonium fit praetermissis tribus proclamationibus praescriptis a Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.* Haec ut fiant modo debito, oportet, 1. ut fiant a proprio parocho, aut ab alio sacerdote de eius licentia. 2. Ut fiant in ecclesia populo ad Divina congregato, ut praescribit Tridentinum; licet probabiliter dicant Sanch. Barbosa et Ronc. posse eas fieri etiam tempore concionis, aut processionis; imo admittunt etiam Wigandt, Sanchez Layman Barbosa Boss. Escob. Fill. etc. (contra Pont. et alios) extra ecclesiam in loco magni concursus, quia sic iam finis Concilii obtinetur (9). 3. Ut fiant in loco originis, ut pluries declaravit S. C. (10). Unde si sponsi sunt diversarum parochiarum, oportet ut in utraque ecclesia fiant proclamationes; nisi esset (ut dicunt Laym. Boss. Salm. etc.) quod parochiae essent inter se valde propinquae. Et in casu quo alter sponsorum per breve tempus actualiter alibi moraretur, non satis est, quod ibi fiant proclamationes, sed oportet ut illae fiant ibi etiam unde profectus est, ut valde probabilius dicunt (contra Pontium) Sanch. Coninch. Barbos. Ronc. etc. cum Declarat. S. C. Praeterea notandum hic, quod si

(1) l. 6. n. 984. dubit. 2. (2) n. 985. (3) ib. v. dicitur 4. (4) n. 987. dub. 3. (5) ib. dubit. 2. (6) ib. v. an autem. (7) Ferr. Bibl. v. Debitum coniug. a. n. 4. (8) l. 6. n. 987. dubit. 3.
(9) n. 991. (10) Ut refert Zacch. Adnot. ad Croix l. 6. p. 3. n. 477.

alter sponsorum est externus, parochus non debet ad proclamationes procedere, nisi prius coram Ordinario fide authentica de eius statu libero constiterit, ut habetur ex instructione S. C. (1). 4. Tres praefatae proclamationes debent fieri tribus diebus festis continuis, ut dicit Trid. *sess.* 24., *cap.* 1., non autem immediatis, ut dicunt Sanch. Ronc. Pont. etc.; licet etiam probabiliter teneant Trull. Salm. Hurtad. Regin. etc. nihil obstare esse immediatos, dum Concilium aliud non praescribit, quam *tribus diebus festivis*, et non addit ne sint immediati. Permittit etiam Salm. cum Aver. et aliis posse fieri proclamationes tribus diebus festivis non continuis, modo non intercedant plures dies festivi; sed hoc recte Sanch. Castrop. Bonac. Escob. etc. non excusant saltem a culpa veniali (2). Hic advertendum quod si, factis proclamationibus, matrimonium non celebratur intra duos menses, praecipit Rituale (*tit. de Sacr. matr.*) ut illae denuo fiant, modo aliud Episcopo non videatur.

56. Itaque proclamationibus iam absolutis, quaeritur an quilibet impedimenti conscius, teneatur ad illud denuntiandum, licet illud non posset probare? Negant Pont. Diana etc.; sed sententia verior, et communissima affirmat cum Sanch. Castrop. Coninc. Escob. Laym. Bon. Barb. etc., et ut probatur ex *cap. Praeterea* 12. *de sponsal.* et ex *cap.* 22. *Super eo de Test. et attest.* ubi dicitur: *Matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent coniungi.* Et ita sufficit ad impediendas nuptias fama impedimenti, licet illud sciret sub secreto naturali, etiam cum iuramento, ut dicunt Sanch. Escob. Boss. Barbos. Salmant. etc. cum s. Thoma (3), qui docet secreti iuramentum non obligare, ubi agitur de impediendo damno communi, aut tertii (4). Hoc tamen intelligitur quoties denuntiatio potest commode fieri, quia contra non tenetur testis denuntiare cum gravi suo damno, aut cum gravi aliorum scandalo (5). Intelligitur item, facta monitione, quia antequam Episcopo aut parocho impedimentum deferat, tenetur sponsos admonere (si admonitio est profutura) ut ab huiusmodi matrimonio desistant (6). Ad hoc autem, ut matrimonium impediatur ob testis denuntiationem, requiritur 1. ut ille non solum denuntiet, sed etiam deponat impedimentum, licet ceteroquin sponte ad deponendum se offerat, ut dicunt Sanch. Boss. Gutt. etc., modo ille non probasset famam impedimenti, quia tunc sufficit ut denuntiet, ut habetur ex *cap. Non in duo*, *de Sponsal.* 2. Requiritur ut deponat, aut denuntiet cum iuramento. 3. Ex certa scientia, non autem auditu, excepto si impedimentum esset consanguinitatis, aut affinitatis, quia tunc sufficit, si illud sciverit a personis certis et fide dignis. 4. Requiritur ut testis non sit vilis conditionis, modo factum non sit adeo occultum, ut probari non possit aliter; nam ubi deficit potentia probandi, admittitur etiam probatio quae ex se non esset sufficiens; ita communiter dd. (7).

57. Praeterea super hac materia multa advertenda sunt. Advertendum 1. quod fama impedimenti sufficit ad impediendas nuptias, ut superius dictum est; sed hoc non currit, cum consanguinei sponsorum, ut dicunt Sanch. Castrop. Guttier. etc. ex *cap. Cum in tua*, *de spons.*, aut ipsi sponsi, ut addit Sanch., iurarent non adesse impedimentum (8). Advertendum 2. quod contrahentes, cum sunt legitime interrogati, tenentur aut fateri impedimentum, aut a nuptiis abstinere, licet impedimentum non sit probatum; nisi tamen occulte obtinuissent dispensationem; tunc enim non tenentur patefacere impedimen-

(1) l. 6. n. 991. dubit. 3. (2) n. 992.
(3) 2. 2. q. 70. a 1. ad 1.
(4) l. 6. n. 995. (5) ibid. in fin.

(6) n. 994. v. certum. (7) n. 997.
(8) n. 999.

tum, cum illud non sit aliunde probatum; ita Silv. Laym. Sanch. Ronc. Boss. et alii communiter (1). Advertendum 3. quod parochus, Episcopus, aut alius iudex, si ipse tantum habuisset notitiam impedimenti, modo id non sciat sub sigillo confessionis, tenetur impedire matrimonium. Nec obstat dicere quod peccatori occulto non potest negari Sacramentum, cum ille publice petit; hoc enim currit cum aliud non evenit malum, quam sacrilega perceptio Sacramenti, secus autem cum interveniunt alia gravia damna, quae plerumque accidunt ex matrimoniis invalidis: ita recte docent Sanch. Castr. Boss. Coninch. Ronc. Escob. etc. contra Pontium (2). Et hic advertendum parochum teneri sub gravi, cum aliquod celebrandum est matrimonium, investigare diligenter utrum aliquod subsit impedimentum (3).

58. Advertendum 4. quod Episcopus, iuxta Trident. *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform. matrim.* potest ex tribus duas proclamationes dispensare; ut unica tantum, et etiam ut nulla fiat, cum iusta intervenit causa, ut cum suspicio probabilis habeatur matrimonium malitiose impediri, ut dicitur in textu Concilii; et etiam ob alias causas, ut dicunt Sanch. Barbos. Pont. Cabass. Bonac. Bos. Salm. etc., nimirum si nuptiae celebrandae essent inter primarios homines, aut inter senes, aut inter personas valde dispares conditione, aetate, divitiis, aut alia qualitate: aut si moraliter certum esset nullum subesse impedimentum: aliter Episcopus, si dispensat, semper se certum saltem aliunde facere debet impedimentum non adesse (4). Et cum dispensatio necessaria esset ad evitandum grave damnum spirituale aut temporale, aut ad auferendum aliquod impedimentum alicuius notabilis boni, etiam privati, tunc (ut dicunt Ronc. Sanch. Barb. Castropal. Bonac. Filliuc. Boss. Conin. etc.) Episcopus tenetur ad dispensandum, ut esset 1. si probabilis timor haberetur, ne matrimonium iniuste impediretur. 2. Si matrimonium necessarium esset ad evitandam infamiam sponsi, aut prolis, v. g. si praecessisset defloratio, et sponsus iamiam moriturus esset, aut discessurus in longinquam regionem, aut timeretur ne mutaret voluntatem. 3. Si parentes cogerent filium ad ducendam indignam. 4. Si timeretur aliquod periculum spirituale aut temporale. 5. Si immineret tempus Adventus, aut Quadragesimae, ut addit Roncaglia, et ita pariter ob quamcumque aliam rationabilem causam, iuxta prudentum iudicium (5). Dicit tamen Boss. (6) quod si forte Episcopus his stantibus causis iniuste negaret dispensationem, ipsi recurrere debent ad iudicem superiorem; non possunt tamen contrahere, nisi cum periculum esset in mora, et ad Superiorem adeundi non suppeteret facultas. Advertendum hic ex Concilio praecipi quod, cum dispensetur in proclamationibus, *ante consummationem denuntiationes in ecclesia fiant,.... nisi Ordinarius iudicaverit, ut remittantur*. Insuper advertendum id quod mandat observari Bened. XIV. in Bulla *Nimiam licentiam* (edita 18. Maii 1743.) ubi vetat, ne Episcopi alii sacerdoti quam parocho licentiam assistendi matrimoniis dent, nec dispensent in denuntiationibus, nisi *urgente legitima*, *gravissima et ineluctabili* causa, cum apertissime intelligant ex Trident. facultatem effraenatam ac immoderatam dispensandi sibi non adesse. Et ne committant facultatem contrahendi coram alio sacerdote, quam parocho, priusquam ex diligentiis adhibitis sibi tuto constiterit nullum interponi impedimentum.

59. Quaeritur hic tandem, an Vicarius generalis, et etiam parochus possint in denuntiationibus dispen-

(1) l. 6. n. 1000. (2) n. 1002.
(3) n. 54. v. certum. (4) n. 1006.

(5) n. 1005. v. docent.
(6) Boss. t. 1. c. 7. n. 34. de matr.

sare? Quoad Vicarium generalem probabilius est, quod possit, dum ipse cum Episcopo unum efficit tribunal; ita communissime Sanch. Castr. Bon. Wig. Elbel Barb. Navar. Ronc. Fill. contra Pontium et Dianam (1). Parochus contra non potest, quia ille nulla potitur iurisdictione. Unde si praesumit assistere ad matrimonium sine denuntiationibus, incurrit suspensionem ab officio tribus annis, sed haec est *ferendae sententiae*, ut habetur ex *cap. Cum inhibitio*, §. *Sane*, *de clandest. desp.* Probabiliter tamen dicunt Sanch. Laym. Croix Ronc. Gob. et Elbel, quod in casibus, in quibus Episcopus tenetur dispensare, et non possit ad eum confugere, et contra periculum dilationem non pateretur, in eo casu parochus non potest quidem dispensare, sed potest (modo ei constet non subesse impedimentum) declarare tunc non obligare praeceptum denuntiationum. Immo addunt Pont. Castrop. Boss. Salmant. Busemb. Sanc. Conc. Sot. Escob. etc. ipsosmet sponsos, si certi sunt nullum adesse impedimentum, posse, omissis denuntiationibus, contrahere (2).

Punctum V.

De impedimentis dirimentibus.

60. Impedimenta dirimentia (praeter defectum consensus) sunt sequentia:

1. *Error*, 2. *Conditio*, 3. *Votum*, 4. *Cognatio*, 5. *Crimen*,
6. *Cultus disparitas*, 7. *Vis*, 8. *Ordo*, 9. *Ligamen*, 10. *Honestas*,
11. *Aetas*, 12. *Affinis*, 13. *Si clandestinus* 14. *et impos*,
15. *Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae.*
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

61. Sermo sit de singulis sigillatim. 1. *Error*: Error circa personam lege naturae irritat matrimonium, licet sit vincibilis, et etiamsi concomitans, qui causam non dedit contractui, adeo ut etiam cognito errore, pariter nuptiae contractae fuissent (3). Error contra circa personae qualitatem, v. gr. si illa indicata fuerit nobilis, virgo, aut dives, et talis non reperiatur, certe non irritat matrimonium; et hoc currit iuxta communem sententiam, et veriorem cum Sanch. Mol. Laym. Nav. Conc. Hab. Ronc. Less. Gon. Salm. etc. cum s. Thoma (4), contra Pontium, et alios paucos, etiamsi error dederit causam contractui; nam intercessit iam consensus circa substantiam matrimonii, quae consistit in verificatione personae; alioquin si verificandae essent omnes qualitates a sponsis apprehensae, innumerabilia matrimonia restarent dubia, et litibus obnoxia (5). Qualitas tamen si redundaret in substantiam, communiter dicunt dd. tunc errorem circa qualitatem irritare matrimonium. Tres dantur regulae quibus dignosci possit quando error circa qualitatem redundet in substantiam. *Prima*, cum quis actu intendit, aut prius, voluntate numquam mutata, intellexit non contrahere, nisi sub illius qualitatis conditione; ita

(1) l. 6. n. 1007. (2) ib. dubit. 2. (3) n. 1010. (4) suppl. q. 51. a. 2. in corp. ad 1. et ad 3. (5) l. 6 n. 1011. et 1012

Sanch. Pont. Castr. Salm. et alii communiter (1). *Secunda*, cum qualitas est propria et individualis alicuius certae personae, v. gr. si quis intendit contrahere cum primogenita regis Galliae; ita Castr. Petrocor. Habert Laym. Holzm. et Spor. Secus autem si intenderet contrahere cum una filiarum regis, quia tunc qualitas non est individualis, sed communis aliis filiabus, et tanto minus si intenderet contrahere cum filia regis, nisi esset quod principaliter intenderet non contrahere, nisi cum persona regali (2), ut dicemus mox infra in tertia regula. *Tertia*, cum contrahens principaliter intendit qualitatem, et minus principaliter personam, ut si diceret: *Volo ducere nobilem, qualem puto esse N. N.* Secus autem esset, si diceret: *Volo ducere N. N. quam puto esse nobilem*; ita Sotus Silv. Abul. Holzm. Cabass. et alii cum s. Thoma (3).

62. II. *Conditio*: Per conditionem intelligitur servilis; unde si ex ignorantia cum serva contrahitur, matrimonium nullum est (4), et hoc etiamsi ignorantia esset crassa, ut probabilius dicunt Sanchez Conin. Salm. etc. contra Sotum (5). Secus autem si iam sciret illam esse servam, tunc enim valide contraheret, fieret tamen irregularis ex *Can. Si quis, dist.* 34. (6). Sicut etiam esset validum matrimonium, si ipse esset servus, uti probabilius tenent cum s. Thoma (7) Sanch. Salm. Bonac. etc. (8). Idem currit, prout probabilius dicunt Sanch. Salm. Bon. etc. contra Castropalaum (9), si serva ob matrimonium fieret libera ut evenit cum Dominus ipsemet chirographum dotale dat servae, aut eam in uxorem dat alteri ignoranti esse servam. III. *Votum*: intelligitur solemne castitatis vel ob Ordinis sacri susceptionem: vel ob religiosam professionem spontaneam: dicitur *spontaneam*, nam illa emissa metu, nulla est (10). An autem Papa possit dispensare in voto in professione emisso, probabilissimum est posse, cum s. Thoma (11), s. Antonin. Suar. Castr. Less. Sanch. Caiet. Pont. etc. (12). Et idem dicitur de voto sacri Ordinis (13). IV. *Cognatio*: Triplex est cognatio: *legalis*, quae oritur ex adoptione perfecta, nempe facta principis supremi rescripto; et haec dirimit matrimonium inter adoptantem et adoptatum; et inter uxorem et descendentes adoptati, et inter uxorem adoptantis, ac inter eius consanguineos in primo gradu; ita ex *c. Per adoptionem* 3. *q.* 3. et ex *c. Diligere* 30. *q.* 3. (14). *Spiritualis* est illa quae oritur ex Baptismo, aut ex Confirmatione; et haec dirimit matrimonium inter baptizantem et baptizatum, inter patrinum et baptizatum, et parentes baptizati, ut ex *c.* 1. *de Cogn. spir. in* 6. et ex Trid. *sess.* 24. *c.* 2. (15). Vide dicta *Tract.* 14. *n.* 33. *et* 53. Tertia denique est *carnalis*, quae provenit ex consanguinitate personarum quae ex eodem stipite descendunt: et haec in linea transversali lege ecclesiastica matrimonium dirimit usque ad quartum gradum; sed in linea recta semper (16). An autem in linea recta hoc sit lege naturae, an Ecclesiae, quaestio est: caeterum probabile est in primo dumtaxat gradu lege naturae prohibitum esse matrimonium in linea recta, adeo ut in reliquis gradibus possit Papa dispensare, ita Less. Lug. Sanch. Salm. Ronc. etc. Vide dicta *Tract.* 9. *n.* 18. Ad distinguendos gradus consanguinitatis, hae traduntur regulae: I. In linea *recta* tot sunt gradus, quot sunt personae, dempto stipite, qui nunquam in numero computatur. II. In linea *transversali aequali* quot gradibus sponsus distat a communi stipite sponsae, tot distant

(1) l. 6. n. 1013. et 1014. (2) n. 1015. (3) n. 1016. (4) n. 1017. (5) n. 1019. (6) n. 1018. (7) suppl. q. 52. a. 1. ad 1. (8) l. 6. n. 1018. v. si vero. (9) n. 1022.

(10) n. 1024. (11) in 4. d. 38. q. 1. a. 4. ad 1. (12) l. 3. n. 256. (13) ib. et l. 6. n. 807. 808. et 1059. (14) n. 1027. (15) n. 1028. (16) n. 1029.

inter se. III. In linea *transversali inaequali* quot gradibus consanguineus remotior distat a stipite, tot distant inter se (1). An autem debeat in dispensatione exprimi gradus proximior, vide *seq. n.* 86.

63. V. *Crimen*: Crimina matrimonium dirimentia sunt homicidium, adulterium et raptus. De raptu dicetur infra *n.* 76. Loquendo igitur hic de homicidio, et adulterio, hoc impedimentum tribus in casibus incurritur, nimirum, 1. Utroque patrante (to *patrante* respicit solum homicidium, non vero adulterium). 2. Uno patrante. 3. Nemine patrante. Et 1. *utroque patrante* intelligitur cum ambo sponsi conspirarunt (sed sine adulterio) in coniugis mortem, quocum alter eorum matrimonio ligatus erat, fine matrimonii ineundi cum eo (2); saltem cum alter sponsorum talem habuit finem et complici communicavit, ut probabilius tenent Pont. Vasq. Peyr. Diana Salm. etc. contra Sanch. et Castrop. qui affirmant impedimentum incurri, etiamsi finis praedictus matrimonii parti alteri participatus non fuerit. Caeterum ego puto sufficere, seu saltem requiri ut indiciis sufficientibus manifestatus sit, v. gr. donis, litteris amatoriis, aut aliis signis amoris et familiaritatis quae inter partes intercesserunt (3). II. *Uno patrante*, cum una pars tantum, altera inscia, coniugem suum dedit morti; sed amplius adulterium commisit cum parte cui nubere cupit, ut ex *can. Si quis vivente* 5. *Caus.* 31. *q.* 1. et *cap. Propositum* 1. *de eo qui duxit* etc. Sed ad incurrendum hoc impedimentum requiritur 1. ut adulterium praecedat homicidium; 2. ut adulterium sit perfecte consummatum cum seminatione intra vas non tantum ex parte viri, sed etiam mulieris, iuxta sententiam s. Bonav. Innoc. Hostiens. Viguer. et P. Concina, qui tradit eam ut communem; et merito probabilem vocant Sanchez Castrop. Ronc. Salm. etc. Ratio, quia hoc impedimentum habet rationem poenae, et quaevis poena non incurritur, nisi crimen sit perfecte consummatum in suo genere; ut autem adulterium sit perfecte consummatum, requiritur ut adulteri fiant una caro per utriusque seminationem mixtionemque seminum; ait enim d. Thomas, (cuius verba proferemus infra *n.* 68. *in fin.*) quod tantum per mixtionem seminum vir et foemina efficiuntur una caro (4). Requiritur 3. ut uterque adulter sint conscii prioris matrimonii; quare probabiliter (ut dicunt Sanch. Rebell. Aversa Bus. et Salm.) excusat ignorantia etiam culpabilis, si non sit affectata (5). Requiritur 4. ut occisio sit patrata eo fine, ut ducere possit adulteram, et talis finis sit ei manifestatus (saltem signis supra narratis); ita Sanch. Pont. Vasq. Salm. Perez etc. (6). III. *Neutro patrante*, intelligitur cum non intercessit homicidium, sed tantum adulterium cum matrimonii promissione; ut habetur ex *cap. fin. de Eo qui duxit*, etc. Ad incurrendum hoc impedimentum requiritur primo ut adulterium et promissio intercesserint vivente coniuge. Secundo ut promissio non sit revocata ante adulterium. Tertio ut promissio sit acceptata. Haec certa apud omnes habentur (7). Alia sunt dubia, quocirca dicimus 1. probabile esse cum Sanch. Castrop. Gott. (contra Pont. etc.) ad acceptationem non sufficere solam adulterae taciturnitatem (8). Dicimus 2. probabilius et communius esse cum Laym. Bon. Salm. Holz. Croix Spor. etc. (contra Sanch. Castr. etc.) non sufficere promissionem fictam, dum textus citatus requirit promissionem, qualis non est promissio ficta (9). Dicimus 3. non sufficere conditionatam promissionem; cum enim agatur de poena, pro promissione a textu allata,

(1) lib. 6. n. 1029. v. prima.
(2) n. 1033. v. ex 1. capite. (3) n. 1034.
(4) n. 1036. v. hinc autem.
(5) ib. v. requir. 5. (6) ib. v. requir. 6.
(7) n. 1037. (8) n. 1038. (9) n. 1039

debet intelligi absoluta, et probabilius etiam dicunt Laym. Conin. Perez Holzm. contra Sanch. Tourn. etc. Dicimus 4. contra probabilius, et communius esse cum Sanch. Bonac. Castr. Sot. Coninch. Silv. etc. adversus Bellarm. Laym. Holzm. Elbel, etc. non requiri mutuam promissionem: nam in *c.* 1. *et* 6. *de Eo qui duxit*, etc. nulla mentio fit repromissionis, sed tantum fidei datae (1). Praeterea notandum est ad tria illa crimina addendum esse quartum, ex quo etiam oritur impedimentum, et est adulterium cum *matrimonio attentato*, nempe cum vir vivente uxore aliam cognoscit, ac intentat cum illa contrahere: hoc matrimonium est nullum, sive copula praecesserit, sive sequatur attentatum, ut habetur ex *c.* 2. 4. 5. et 9. *de Eo qui duxit*, etc. (2). Qui autem, vivente uxore, daret fidem ducendi aliam, sed sine adulterio, et sine matrimonio attentato, non incurreret hoc impedimentum, sed non excusaretur a culpa gravi, ut communiter dicunt Sanch. Laym. Bon. Castr. Elbel etc. et deducitur ex *c. fin. de Eo qui duxit* (3).

64. 6. *Disparitas cultus*: intelligitur disparitas religionis. Haec dirimit matrimonium inter baptizatum, et non baptizatam; sed inter baptizatos, nempe inter catholicum, et haereticam disparitas non dirimit, sed tantum impedit matrimonium, et reddit illicitum, nisi Papa dispenset, ut ex *c.* 1. *de Divort.* et ex Bulla Bened. XIV. *Matrimonia*, data 4. Nov. 1741. (4). 7. *Vis*: intelligitur non solum vis proprie dicta, sed etiam metus, qui dirimit matrimonium tam lege Ecclesiastica: ex *c. Significavit*, *c. Veniens* et *c. Consultationi, de Eo qui duxit, etc.* quam lege naturali (5). Et dirimit, licet iuramento sit firmatum, modo iuramentum non sit praestitum ad liberum praebendum consensum, quia tunc certo obligat, ut ait p. Viva (6). Sed ad hoc ut metus irritet matrimonium, 1. debet esse gravis, quia levis satis non est, ut tenendum est cum sententia communissima Pont. Castr. Sanch. Sot. Tamb. Boss. Vivae (contra Lugo et Nav.) cum s. Thoma (7), qui dicit: *Coactio metus, quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia.* Ratio est, quia neque lege naturae, nec positiva habetur quod metus levis tollat matrimonium (8). Pro metu *gravi* intelligitur periculum mortis, exilii, carceris, infamiae, aut amissionis gravis bonorum, aut excommunicationis, aut alius damni gravis, quod contrahens timeret sibi, aut sibi coniunctis usque ad quartum gradum: ita communiter dd. (9). Solus metus reverentialis erga parentes, avos, dominos, praelatos, et tutores (addunt Ronc. Sanch. Boss. etc. etiam erga patruos, et fratres natu maiores) dicimus cum sententia communi Lessii Sot. Sanch. Suar. Mol. Layman Conc. Pont. etc. cum quadam decisione Rotae rom. contra aliquos canonistas, quod non satis sit ad irritandum matrimonium, nisi cum additur timor gravis mali, ut diuturni odii, aut indignationis, aut verberum, etc.; nam, ut recte ait Pont., metus mere reverentialis non est proprie metus, sed simplex reverentia quae secum nullius mali affert timorem, sed solam quamdam erubescentiam, quae potius ab intrinseco quam ab extrinseco ortum habet, sicut mox infra explicabitur (10). 2. Metus iste debet esse ab extrinseco incussus, nempe ab alio: et non sufficit ut sit ab intrinseco, ut si quis contraheret, ut ab aliquo liberetur damno, a nemine incusso, sed a seipso apprehenso; ita communiter Sanch. Pont. Sotus Ronc. Salm. (11). 3. Debet esse iniuste incussus; unde si forte sponsus, facta matrimonii promissione ex

(1) l. 6. n. 1041. (2) n. 1042.
(3) n. 1043. (4) n. 56. et 1044.
(5) n. 1045. et 1054. (6) n. 1045.
(7) suppl. q. 47. a. 3. (8) l. 6. n. 1055.
(9) n. 1047. et 1048. (10) n. 1056.
(11) n. 1049.

timore carceris, quem ei iuste minitatus est iudex, contrahat, aut timore ne sponsa eum accuset, tunc matrimonium est validum. 4. Debet incuti metus ad finem contrahendi matrimonii; quare si stuprator ducit corruptam incussus timore minarum illius coniunctorum, matrimonium est nullum; secus vero si parentes minantur ei mortem ob violationem puellae, et ille, ut a periculo liberetur, matrimonium contrahit; ita communiter Sanch. Bonac. Ronc. et alii (1). Dubitatur autem an irrito facto matrimonio metus causa, libera restet etiam pars quae metum incussit? Affirmant probabiliter Sanch. Sot. Castr. Busemb. Hurtad. etc.; sed probabilior videtur opposita Pontii Nav. Coninch. Salm. etc. uti deducitur ex *c.* 1. *de eo qui duxit*, quia nemini commodum de suo facinore comparandum est. Imo dicimus cum Castrop. eum, qui metum incussit, omnino teneri mulierem ducere, cum non posset alio medio illius honori consulere (2).

65. 8. *Ordo*: intelligitur sacer, quo dirimitur matrimonium, non quidem lege divina, uti volunt nonnulli, sed ecclesiastica sicut probabilius docent Sanch. Pont. Suar. Bellarm. etc. cum s. Bonav. et s. Thoma (3) qui dicit: *Sed quod* (Ordo) *impediat matrimonium ex constitutione Ecclesiae habet*; quia votum simplex castitatis ex se non irritat certe matrimonium; si igitur irritat, est quia est solemne, sed talis solemnitas dumtaxat provenit ex lege Ecclesiae: ideoque bene potest Papa in eo dispensare (4). 9. *Ligamen*: intelligitur de eo qui alio matrimonio ligatus est, propter quod cum nemine alio contrahere potest, nisi certe constet de prioris coniugis morte: qui si comparet, tenetur, qui aliud contraxit matrimonium, ad priora redire vota (5). 10. *Honestas*: nempe publica honestas, qua nullum redditur matrimonium illius qui, sponsalibus celebratis cum una, matrimonium contrahit cum consanguinea illius in primo gradu, sicut novissime statuit Tridentinum, quia iure antiquo tale impedimentum extendebatur usque ad quartum (6). Hic notandum 1. tale impedimentum non oriri ex sponsalibus cum persona incerta initis (v. g. cum una ex filiabus Petri), uti constat ex *c. uno de sponsal. in* 6., neque ex sponsalibus conditionatis, si adhuc conditioni non fuerit eventus, ut dicunt communiter Sanchez Castrop. Bonac. Salmant. et certum est ex declaratione Bonifac. VIII. apud Tourn. Notandum 2. ex matrimonio rato oriri impedimentum publicae honestatis usque ad quartum gradum, licet matrimonium fuerit nullum, modo nullitas non provenerit ex defectu consensus, quia in hoc ius antiquum correctum non est a Concilio; ita communiter Sanchez Pont. Castrop. Salmant. Sed hic quaeritur an adsit impedimentum, cum nullitas oritur ex defectu consensus? Affirmant Sanch. Pont. et alii, quoties defectus est occultus (et idem dicunt de sponsalibus nullis ob quemcumque defectum occultum, cum valida sunt in foro externo); sed probabilius negant Castr. Bon. Conc. Salm. Coninch. etc. quia in textu citato universaliter dicitur quod ex matrimonio nullo defectu consensus non oritur impedimentum: et ita refert Barbosa declarasse S. C. Quoad autem sponsalia, indistincte dixit Trident. *sess.* 24. *c.* 3. *de Reform. matrim.* *Ubi Sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit* (impedimentum) (7). Notandum 3. sponsalia licet mutuo consensu soluta, aut alia ex iusta causa, parere impedimentum, uti recte dicunt Sanch. Tourn. Conc. Sot. Laym. Bonac. Salmant. etc. (contra Pont. Castrop.). Ratio est quia ex sponsalibus validis, iuxta Trid. iam oritur

(1) lib. 6. n. 1049. ad 1053. ubi alii casus discutiuntur. (2) n. 1057. (3) in 4. dist. 37. q. 1. a. 1.

(4) l. 6. n. 1058. et 1059. (5) n. 1060. (6) n. 1061. (7) n. 1062.

impedimentum; unde hoc non potest deinde tolli sponsorum voluntate, aut alia causa superveniente: et haec sententia (uti recte ait La-Croix) est omnino tenenda ex approbatione S. C. approbata ab Alex. VII. die 6. Iulii 1668. ubi prohibitum fuit, ne hoc deinceps amplius in dubium revocaretur (1). Notandum 4. ex matrimonio nullo, ex eo quod fuit clandestinum, etiam oriri impedimentum publicae honestatis, ut recte dicunt Pont. Castrop. Pign. Ronc. Tourn. Conc. Laym. etc. (contra Sanch. Nav. et Coninch.), et ita declaravit S. C. (2). Insuper hic advertendum matrimonium ratum cum una sorore, sed invalidum ob publicam honestatem, non inducere impedimentum in praeiudicium alterius sororis, cum qua contracta sunt sponsalia, uti ex *cit. c. unic. de spons. in* 6. (3).

66. 11. *Ætas*: intelligitur, si sponsus sit minor natus quam 14. annos completos, et sponsa 12., matrimonium est nullum, uti habetur ex *c.* 7. 10. et 14. *de Despons. impub.*, modo malitia non suppleat aetatem, ut excipitur ex *c. de illis* 9. *eod. tit.*; sed hoc intelligitur pro illis impuberibus qui pubertatem iam attingunt; et praeterea intelligitur de illis qui non solum potentes sunt ad generationem, sed etiam sunt capaces ad intelligendas consequentias coniugalis vinculi, ad quod contrahendum perfecto opus est rationis usu, ut dicunt Sanchez Sotus et alii cum s. Thoma (4). Quaeritur hic, an matrimonium sit nullum, si pueri etiam completa aetate coire nequeant? Alii affirmant, sed communiter negatur cum Navar. Castr. Sanch. Silvest. etc.; nam nulla lege cavetur quod matrimonium inter puberes pueros sit nullum, si adhuc potentia generandi careant; dum impotentia tunc potius iudicanda est temporalis, quam perpetua. Itaque tunc, ut communius dicunt Castr. Pont. Sanch. Silvest. Escob. etc. quoad marem expectanda est aetas usque ad annum 18., quoad mulierem saltem usque ad 14. (5). Notandum hic matrimonium senum aetatis decrepitae etiam esse validum, modo coire possint arte medica; ita communiter Sanch. Salm. et alii cum s. Thoma (6).

67. 12. *Affinis*: Affinitas illa quae oritur ex copula habita ab uno sponsorum cum consanguineis alterius. Haec dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, si ex copula licita nata est: usque ad secundum, si ex illicita; ita ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. Notandum hic quod affinitas non parit affinitatem, unde duo fratres possunt ducere duas sorores; et vitricus potest ducere uxorem sui privigni, ut declaravit S. C. (7). Insuper notandum quod si quis cognoscit sororem sponsae suae, neutram sine dispensatione ducere potest; sed obtenta dispensatione, si iterum eamdem sororem sponsae cognoscit, nova dispensatione non indiget; et hoc etiamsi dispensatio executioni data sit, ut dicunt probabilius Sanchez Tourn. Anacl. Guttier. etc. contra Habert. et Elbel. cum Declaratione S. C. quia illa affinitas iam per dispensationem sublata est ad effectum contrahendi matrimonium. Et ita revera respondit s. Poenitentiaria 21. Sept. 1752, cuidam rescripto quod authenticum ego vidi. Advertit autem Lambertini (8) cum Fill. Cleric. et Tamb., quod si postea impedimentum, super quo in foro conscientiae dispensatum est, detegatur in foro externo et coniuges non possunt ad probandam dispensationem aliquam probationem adducere, tunc Episcopus aut parochus debet quiescere, si confessarius testetur de obtenta dispensatione (9).

68. Praeterea notandum praefatum affinitatis impedimentum tunc dirimere matrimonium, cum illud prae-

(1) l. 6. n. 1066. (2) n. 1064. (3) ib. v. notandum. (4) n. 1065. et 1066. (5) n. 1067. (6) ib. v. matrim.

(7) n. 1068. et 1069. (8) notif. 87. n. 51. (9) l. 6. n. 1140.

cessit; sed si post matrimonium coniux rem habet cum consanguineo alterius in primo aut secundo gradu, ille privatur iure petendi debitum, ut habetur ex *c. Si quis* 1. *de Eo qui cognov. etc.* et ex Declaratione Gregorii XIII. (1). Advertendum autem: ab hoc impedimento 1. excusat metus, v. g. si uxor metu gravi coacta cognoscitur a consanguineo viri: ita communiter et probabilius Navar. Bonac. Rebel. Elbel cum Layman Sotus Castropal. et Salmant. qui hoc probabile vocant, quia sicut metus gravis a lege humana, ita etiam excusat a poena (2). 2. Excusat ignorantia: haec ignorantia potest esse aut facti, aut iuris, aut poenae. Si est facti, nempe si coniux ignorat illam personam, cum qua copulam habet, esse consanguineam sui coniugis, ab omnibus excusatur, licet ignorantia esset crassa, ut dicunt Sanch. Pont. Nav. Castr. etc., cum illa poena sit imposita, ut legitur in textu citato, *scienter peccantibus* (3). Nec incurritur ab eo qui ignorat legem ecclesiasticam, quae praeter divinam id prohibet; dum non potest incurri poena illius legis, cuius nulla habetur notitia; ita communissime Suar. Navar. Bonac. Wigandt Pont. Salm. etc. contra pauciores (4). Et est etiam probabile non incurri ab eo, qui licet sciat legem ecclesiasticam, ignorat tamen poenam: ita tenent Bon. Wigandt Castrop. Boss. Coninch. et alii; quia hoc impedimentum (ut dicunt) habet verae poenae rationem; alias etiam incurreretur ab eo qui citra culpam committeret incestum; et cum sit poena extraordinaria, ei non subiicitur ignorans, uti dicetur *Tr.* 19. *n.* 8. loquendo de *Censuris* (5). 3. Non incurritur praefatum impedimentum, nisi copula sit ex utraque parte consummata cum seminatione, ut probabiliter dicunt Castrop. Silv. Sanch. Bonac. Salm. et alii cum s. Bonav. et s. Thoma (6), qui dicit: *Vir et foemina efficiuntur una caro per commixtionem seminum: unde,....nisi mixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas.* Advertendum tamen quod in dubio semper praesumenda est copula fuisse perfecta, et consummata ab utraque parte (7).

69. Huic impedimento, communis est sententia cum Merb. Castr. Lay. Pont. Sanch. Boss. Wig. Anacl. etc. contra aliquos pauciores, posse dispensare Episcopos ex potestate sua ordinaria, aut saltem ex consuetudine iam introducta (8). Et possunt delegare etiam aliis facultatem dispensandi, cum ipsa annexa sit dignitati episcopali; ita etiam communiter Barbosa, Pont. Sanch. Castrop. Sal. Bon. etc. (9). Item possunt dispensare omnes confessarii mendicantes ratione privilegiorum suorum, ut referunt Sanch. Pont. Spor. Sal. etc. contra Concinam (10). Ad hoc autem ut regulares confessarii possint super hoc impedimento dispensare, alii volunt ut illi habeant licentiam suorum Generalium, aut Provincialium; alii absolute id negant; caeterum recte dicunt Salm. cum aliis non requiri, sed sufficere licentiam Superioris localis, dum privilegium concessum Benedictinis Vallisolitanis a Martino V. et a Iulio II. concessum fuit Priori monasterii (11).

70. XIII. *Si clandestinus:* Advertendum clandestinitatem, loquendo de matrimonio, bifariam accipi posse: primo cum fiunt nuptiae omissis denuntiationibus, et de hac iam actum est num. 55. Secundo cum celebratur matrimonium sine parochi, et testium assistentia, et de hac est sermo. Trid. *sess.* 24. *c.* 1. declaravit nullum fore matrimonium, nisi contrahatur coram parocho, aut alio sacerdote de eius licentia, et coram duobus saltem testibus; et hoc currit (si in locis ubi Trident. receptum est,

(1) l. 6. n. 1070. (2) n. 1071.
(3) n. 1073. (4) n. 1072. (5) n. 1074.
(6) suppl. qu. 55. a. 4. ad 2.

(7) l. 6. n. 1075. (8) n. 1076.
(9) n. 1125. (10) n. 1127. (11) n. 1128.

versatur) etiamsi aliqua urgeat necessitas quae oppositum expostularet, et etiamsi matrimonium sit contractum ex ignorantia; ita communiter dd. (quicquid dicant aliqui cum Scot.), dum Concilium declaravit *omnino inhabiles* eos qui aliter contrahunt (1). Quoad testes, notandum quod quilibet testes in hoc sufficiunt, etiam mulieres, pueri (modo sint rationis capaces), infideles, infames, parentes, servi, et etiam illi qui casu illac transeunt, aut vi detinentur; ita communiter Sanch. Barb. Castrop. Lay. Bon. etc. (2).

71. Quoad parochum autem, plura notanda sunt. Notandum 1. nomine parochi intelligi non solum Episcopum, et Vicarium capitularem Sede vacante, sed etiam Abbatem iurisdictionem quasi episcopalem habentem, Vicarium generalem Episcopi, licet ei hoc Episcopus prohibuisset, cum non possit hic impedire quominus parochus, aut Vicarius suus generalis matrimoniis assistat, ut pluries declaravit S. C. (3). Peccaret tamen graviter parochus, si assisteret postquam ei ab Episcopo iurisdictio vetita sit, ut communiter dicunt dd. Notandum 2. parochum etiam irregularem, aut suspensum, aut excommunicatum, licet vitandum, valide assistere, ut dicunt communiter Sanch. Pont. Salm. etc. et Fagn. cum Decreto S. C.; ibi enim non exercet iurisdictionem, sed tantum uti testis assistit (4). Licet, assistente vitando, non excusarentur a culpa gravi nec ipse nec sponsi, modo casus non accideret quo gravissima causa urgeret, ut citius matrimonium contraheretur; et non suppeteret tempus Episcopum adeundi, ut dicunt probabilius Conin. Pont. Suar. Vasq. Bonac. etc. contra Sanch. Boss. etc. (5). Contra probabilius dicunt Sanch. Castrop. Barb. Pont. Bonac. Caiet. Salm. etc. (contra Laym. et alios) parochum vitandum recte dare posse alteri sacerdoti licentiam assistendi; nam licentiam dare non est actus iurisdictionis, sed potestatis sibi a Concilio concessae, non uti parocho, sed uti testi, cum facultate delegandi alium sacerdotem (6). Bene potest etiam assistere, aut licentiam dare parochus non sacerdos infra annum, quo sacerdotio initiandus est; et etiam post annum (saltem valide), sicut declaravit S. C. (7). Et ita pariter sacerdos qui titulo colorato parochus haberetur (8), aut errore communi, iuxta dicta *tr.* 16. *n.* 90. Notandum 3. sufficere licentiam parochi etiam tacitam, modo sit praesumpta de consensu praesenti; non iam ratihabitione futura, ut dicunt communiter Sanch. Pont. Bonac. Salm. etc. Et sufficit etiam dolo aut timore extorta, et oretenus tantum data, ut addunt iidem aa. citati (9).

Notandum 4. assistere debere matrimonio parochum illius parochiae, in qua sponsi domicilium habent; sed si domicilium in duabus parochiis haberent, communissime docent Sanch. Pont. Bonac. Coninch. Ronc. Salm. etc., posse contrahere coram parocho alterutrius; modo in utraque (moraliter loquendo) aeque incoluerint (10). Sed advertit p. Zaccharia pluries declarasse S. C. quod si sponsi ficte in aliam parochiam domicilium transferrent, ibi contrahendo, invalide contraherent. Sed contra validum esset matrimonium, si eo revera domicilium transferrent, licet in fraudem parochi primi domicilii; ita Croix cum Fagnano, Barb. Sanch. Silv. Boss. et alii (11). Notandum 5. ad matrimonii valorem sufficere assistentiam parochi alterutrius sponsi, etiam extra parochiam, et dioecesim; quare valet matrimonium, si in parochia sponsae assistit parochus sponsi, ut declaravit multoties S. C. accedente etiam Pontificis approbatione (12). An

(1) l. 6. n. 1079. (2) n. 1085. (3) vide p. Zacch ap. Croix l. 6. p. 3. n. 725. (4) n. 1082. (5) n. 1083. (6) n. 1084. (7) n. 1081. (8) ibid. (9) n. 1088. (10) n. 1086. (11) Croix l. 6. p. 3. n. 717. (12) n. 1087

autem peccet parochus assistendo extra parochiam? alii affirmant; sed communius eum excusant Sanch. Cast. Salm. Barb. Coninch. Boss. etc., dicendo (ut supra) assistere non esse actum iurisdictionis (1). Quaeritur an in aliam parochiam proficiscens non animo eodem transferendi domicilium, nec ex transitu, sed ut ibi per maiorem anni partem moretur, possit ibi contrahere nuptias? Alii probabiliter negant; sed probabilius affirmant Sanch. Pont. Bon. Silv. Castrop. et Salm. Imo dicit Lambertini cum Laym. et Nav. sufficere ut ibi moretur per aliquam notabilem anni partem occasione alicuius occupationis, ut medici, iudicis, servi, cauponis etc. (2); vide dicta *tr.* 14. *n.* 17.

72. Notandum 6. vagos posse contrahere coram quocumque parocho, licet tantum alter sponsorum sit vagus. Tenetur tamen tunc parochus investigare diligenter, an alibi contraxissent; et istis assistere non debet sine speciali Episcopi licentia, ut docent Sanch. Barb. Salm. etc. Quoad exteros, hi non possunt matrimonio coniungi extra patriam, nisi ostendant fidem authenticam Ordinarii proprii de statu eorum libero, uti constat ex instructione S. C. (3). Sed ut declaravit etiam S. C. exteri in carceribus detenti non possunt ibi contrahere. Et idem docet Lambert. dicendum (iuxta instructionem S. C.) de exteris infirmis in xenodochiis, excepto casu praecisae necessitatis, in qua possunt caeteroquin contrahere, etiam sine attestatu de statu libero; sed antequam de eo constet, non possunt matrimonium consummare. Puellae vero expositae, quae in conservatoriis versantur contrahere debent coram parocho ipsiusmet loci, uti declaravit S. C. Et idem dicit Lambertini ex antiqua consuetudine, quae adest, de illis puellis quae vivunt in conservatoriis, a quibus aluntur, et dotantur; sed illae quae ibi educantur, debent contrahere coram parocho domicilii paterni, materni, aut fraterni, si adest, alioquin coram parocho loci conservatorii; et idem dicunt de famulis qui domi dominorum vivunt (4). Praeterea circa matrimonia militum adsunt multae Decis. S. C. (5), nempe quod non possunt contrahere sine Pontificis licentia coram capellano castrorum, sive in praesidiis, sive in stationibus hyemalibus, aut aestivis, et ne in castris quidem, licet in oppositum inveniam apud Pittonium (6) quoddam Decretum S. C. ubi dicitur quod ipsi capellani possunt assistere matrimoniis militum, cum hi in actuali expeditione reperiuntur. Sed cum sunt exteri, semper opus habent fide suorum Ordinariorum de statu libero (7).

73. Notandum 7. ad hoc ut matrimonium sit validum, requiritur praesentia non tantum materialis, sed etiam moralis parochi et testium, adeo ut ipsi testari possint tam de personis contrahentibus, quam de matrimonio contracto; quare recte ait Pontius (contra Sanch.) apud Croix (8), quod si parochus non bene intelligeret consensum sponsorum, quia forte alterius sunt idiomatis, non sufficit unus interpres qui affirmet. Contra sufficit si parochus intelligit eorum consensum, licet eos non videat (modo eorum voces dignoscat), et licet nihil ipse proferat; ut decisum affert Fagnanus a S. C. et ut communiter dicunt dd., imo etiamsi vi detentus sit et contradicat, ut communiter etiam dicunt Sanch. Bon. Filliuc. Conc. Busemb. etc. (9), et iuxta plures Decis. S. C. (10). Sed in hoc non excusarentur sponsi a mortali, et in aliquibus dioecesibus incurrerent excommunicationem; nisi

(1) l. 6. n. 1087. (2) n. 115. et 1091. (3) n. 1089 in fin. (4) n. 1091. v. quid si, in fine. (5) ap. p. Zacch. ad Croix l. 6. p. 3. n. 751. (6) Pitton. tr. de matr. n. 2117. (7) vide opus nostr. l. 6. n. 1090. (8) l. 6. p. 3. n. 750. (9) n. 1092. (10) apud p. Zacch. ad Croix l. 6. p. 3. n. 790.

esset casus, uti dicunt Castr. Con. Salm. etc., quo parochus iniuste renueret assistere, et contra adesset necessitas contrahendi (1). Parochus vero tenetur sciscitari consensum a sponsis, et proferre verba: *Ego vos coniungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Licet probabiliter dicunt Sanch. Coninc. Pont. Castrop. Salm. Bon. etc., quod si ea verba non proferret, peccaret tantum venialiter, quoties factus esset certus de consensu manifestato, sed forte probabilius Boss. Rebell. Barb. et alii non excusant eum a peccato mortali, cum defectus sit circa materiam gravem (2).

74. XIV. *Impos:* Hoc impedimentum est frigiditas sponsorum, aut impotentia habendi copulam per se aptam ad generandum. Impotentia haec, si est perpetua, et antecedit nuptias, nec auferri possit nisi per miraculum, aut peccatum, aut cum periculo mortis, de iure naturae illas irritat, ex *cap. Fraternitatis, de frigid. et malef.* Impotentia autem oriri potest 1. ex maleficio: et tunc, si maleficium intra triennium nequit removeri sine peccato, dirimitur matrimonium, ex *cap. fin. eod. tit.* Oriri potest 2. ex frigiditate: et tunc pariter, si intra triennium nequit inter coniuges perfici copula idonea ad generationem, matrimonium irritum est. Idem docet d. Thomas (3) casu quo vir talem habeat erga mulierem abominationem, ut nullo modo possit per triennium cum ea copulari, sicque pariter sentiunt Albert. M. Sanch. Silvest. Ang. Tab. Turrecr. contra Sotum (4). Oriri potest 3. ex improportione membrorum, nempe si foemina haberet vas nimis arctum; et tunc, si ipsa nequeat apta fieri, nisi per incisionem cum periculo mortis, vel gravis morbi (in quo moraliter semper inest mortis periculum, ut recte apud Sanch. et Ronc.), matrimonium est invalidum ex *cit. cap. Fraternitatis, etc.* ubi dicitur tum matrimonium esse nullum, cum nequit haberi copula, *nisi per incisionem, aut alio modo violentia sibi inferatur..., forte tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur* (5).

75. Hic autem insuper tria sunt notanda. Notandum 1. quod mulier eo casu, quamvis non teneatur incisionem pati cum periculo gravis morbi, ut recte tenent (contra aliquos) communiter Pont. Castr. Tournely, Pontas, Sanch. Ronc. Salm. Bonac. Soto, Croix etc., quia nunquam censetur ipsa ad tantum periculum se voluisse obstringere: tenetur tamen illam pati cum aliqua gravi molestia et dolore, ut communissime et probabilius tenent Sanchez, Bonac. Ronc. Spor. Salm. Croix, Soto, Escob. etc. (contra Pontium, Castr. et Tourn.), quia ad id videtur obligari ex contractu inito, cum id sit necessarium, ad servandum viro ius ad copulam (6). Verumtamen, si incisio non posset fieri nisi per manum chirurgi, non videntur improbabiliter dicere Coninch. Tourn. cum Pontas, quod mulier non tenetur eam perferre cum tanta verecundia, quod esset onus moraliter intolerabile (7). Quod si vir debilis sit ad scindendum virginale claustrum, an tunc mulier teneatur pati fractionem per aliquod instrumentum? Negant Pont. Castr. et alii, quia cum defectus sit ex parte viri, uxor non tenetur nisi ad tradendum corpus suum modo ordinario et naturali, non extraordinario scindendum. Sed probabilius affirmant Sanch. Vega, Angles. etc., quia huiusmodi molestia, licet non sit modo naturali in eo casu perferenda, tamen non debet dici extraordinaria, cum ex una parte sit ipsa omnibus nuptis ordinaria, et ex alia videtur necessario toleranda, cum desit alias modus ut mulier apta fiat ad tradendum usum sui corporis, cuius domi-

(1) lib. 6. n. 1093. (2) n. 1094.
(3) sup. q. 58. art. 1. ad. 5.
(4) l. 6. n. 1096. v. 2. si impotentia.
(5) ib. v. 3. si demum et 1097.
(6) n. 1099. circa fin. (7) ib. in fin.

nium iam in virum transtulit(1). Notandum 2. quod soluto matrimonio ob arctitudinem foeminae, si ipsa cum alio nuptias iniret, non ex eo quod per usum coniugii apta facta sit primo viro, ideo primum matrimonium validum est reputandum, sed id coniiciendum a similitudine secundi viri cum primo: ita (quicquid alii dicant) recte docent d. Antonin. Sanch. Silv. Ang. Turrecr. Durand. etc. Idque clare colligitur ex *d. cap. Fraternitatis*, ubi dictum fuit ideo teneri mulierem redire ad primum virum, *cum pateat* (verba textus) *ex post facto, quod cognoscibilis erat illi, cuius simili commiscetur* (2). Notandum 3. quod cum impotentia est certa, non est iam expectandum triennium; tunc enim statim potest altera pars ab impedita libere discedere (imo tenetur, si adsit periculum incontinentiae), et ad alias nuptias transire, etiam ex propria auctoritate, si non adsit scandalum; si vero adsit, ut communiter accidit, debet omnino ad iudicem ecclesiasticum recurrere, et impedimentum probare (3): quando autem impotentia est dubia, tunc si dubium antecessit nuptias, pars dubitans de sua potentia (intellige positive ex aliquo indicio probabili; non autem negative, cum ordinarie quisque habilis praesumitur) nequit contrahere, nisi dubium alteri parti manifestet, et sit saltem probabiliter potens, ut dicunt Dicast. Elbel. et Viva (4). Si autem dubium superveniat matrimonio, tunc datur triennalis experientia (quae incipit a copula intentata); et experientia permittitur, licet coniuges semen (sed praeter intentionem) extra vas effundant, ut communiter docent Sanch. Castr. Soto, Tourn. Salm. etc. ex d. Thoma (5). Et in dubio an impotentia nuptias antecesserit, vel supervenerit, probabilius dicunt Bon. Sylv. Tourn. Salm. etc. (contra Sanch. Castr. Mazz. etc.) iudicandum quod antecessit, nisi forte post matrimonium aliquis supervenerit morbus, ex quo impotentia praesumatur successisse (6). Quod autem ad forum externum pertinet, observa quae in Opere adnotantur (7). Ibique etiam vide quae dicuntur de matrimoniis, quae contrahuntur inter haereticos, vel cum haereticis (8).

(1) lib. 6. n. 1100. (2) n. 1098.
(3) n. 1101. (4) n. 1102. (5) n. 1103.
(6) n. 1104. (7) n. 1103. (8) n. 1105.

76. XV. *Rapta*: Raptui etiam a Tridentino (*sess.* 24. *c.* 6.) impositum est impedimentum. Ad contrahendum hoc impedimentum requiritur 1. ut mulier rapta sit ab uno ad alium locum exportata, vel saltem ab una ad aliam domum per aliquos passus dissitam (sed non sufficit ab uno ad aliud eiusdem domus cubiculum), ubi illa manet sub raptoris potestate, licet ibi illa ab eo cognita non sit; ita communiter Sanch. Salm. Conc. etc. (9). 2. Ut raptus sit patratus solo fine matrimonii; unde, uti probabilius tenent Sanch. Coninc. Holzm. Castr. Salm. etc. (contra Bonac. Busemb. etc.) non contrahit hoc impedimentum, qui alio fine eam raperet, etiamsi ad libidinem explendam; nam Concilium hoc impedimento nihil aliud intellexit, quam matrimonii libertati favere (10). 3. Ut raptus fiat dissentiente muliere; secus est si, dissentientibus propinquis, mulier assentiatur, raptor licet incursurus sit alias poenas in raptores latas, non autem impedimentum, uti communiter docent Sanch. Castr. Conc. Holz. Coninc. Aversa, Salm. etc. (11). Et idem constat ex *c. penult. de Rector.* ubi dicitur: *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent.* Notandum hic 1. quod iuxta Trid. praeter hoc impedimentum, raptor et caeteri omnes, qui ad id auxilium suum praestant, incurrunt excommunicationem ipso facto; reliquae vero poenae impositae a Concilio non in-

(9) n. 1107. (10) ib. v. requir. 2.
(11) n. 1107. v. requir. 3.

curruntur, nisi post sententiam; Castr. Sanch. Salm. etc. (1). 2. Quod raptor mulieris invitae incurrit impedimentum, et poenas, licet cum illa prius contraxerit sponsalia, uti recte docent Castr. Escob. Sa, Sanch. Conc. Corn. Salm. etc. (contra aliquos), cum constet ex Concilio incurri impedimentum, quoties mulier invita rapitur (2). Dubium fit autem, an in casu raptus etiam sponsalia invalidentur? Affirmant Bonac. Pont. Sanch. Dicast. Salm. et alii communius. Verum opposita, quam tenent La-Croix, et Holzm. (3) cum Perez, Pichler, Kimer, et aliis, mihi probabilior videtur; quamvis enim leges poenales extendantur ad casus in quibus eadem currit adaequata ratio, prout dictum est *tract.* 2. *n.* 78; in nostro tamen casu non eadem ratio militat, nam matrimonium non est rescindibile sicut sponsalia sunt.

Punctum VI.

De matrimonii irriti revalidatione.

77. *Quandonam impedimentum dicendum est occultum.*
78 *Quid si parochus et testes conscii erant impedimenti, etc.*
79. *Qui ficte contraxit, an teneatur verum praestare consensum.*
80. *An qui contraxit ex metu, aut ficte, teneatur patefacere nullitatem.*
81. *An ablato impedimento debeat patefieri nullitas ignoranti.*
82. *Quomodo exigi debeat consensus ab ignorante.*

77. Hic praenotandum 1. matrimonium probabiliter validum, habendum esse certe validum, quia praesumitur Ecclesia certe dispensare in impedimento, quoties adest vera probabilitas de matrimonii valore, ut dictum fuit *tr.* 1. *n.* 27. Praenotandum 2. (uti dictum est hic *n.* 29.) ad revalidandum matrimonium nullum ex defectu occulto, sufficere consensum solum externum sponsorum, omissa assistentia parochi et testium, illa enim iam adfuit. Itaque hic notandum impedimentum tunc dici occultum, iuxta Fagnanum, cum non est notum nisi 4. aut 5. personis loci: sed Lambertini (4), cum Tiburt. Nav. Thesaur. et Syro, dicit esse occultum, licet sit cognitum 7. aut 8. personis. Caeterum dicunt Nav. Sanch. Azor. Avil. Salm. Reginald. Molin. Tourn. Bon. Castr. Tolet., etc. communissime, delictum aut factum tunc dici occultum, cum non est notum nisi maiori parti regionis, parochiae, aut viciniae, ubi morantur saltem 10. personae; et mihi constat s. Poenitentiariam dispensasse in quodam casu quo impedimentum erat cognitum 10. personis. Hoc tamen intelligi debet, quoties prudens non adsit timor, ne impedimentum fiat publicum, quia tunc non potest dispensari in impedimento ut occulto, licet esset notum tantum duabus personis, uti dicunt Layman, Sporer, Croix, Hurtad. Et idem dicit Fagnanus observandum, cum in clausula s. Poenitentiariae dicitur, *omnino occultum*, ut poni solet in impedimento *criminis*. Contra dicunt Sanch. et Lambert. cum Bon. de Leone, Girib. Tiburt. Navar. et pluribus aliis, quod aliquando factum est publicum materialiter, quia iam viciniae cognitum est; sed formaliter est occultum, quia ignoratur tale impedimentum; et tunc potest etiam ad s. Poenitentiariam pro dispensatione concurri, tanquam occultum (5).

78. His positis quaeritur 1. an revalidandum sit matrimonium coram parocho et testibus, cum tempore quo contractum fuit coniuges erant conscii impedimenti? Affirmant Sanchez Ledesma et Croix, et alii probabiliter, quia tunc illi non fuerunt testes de valore matrimonii, sed potius nullitatis; sed probabilius negant Coninch. Tambur. Gobat. et alii, quia eorum assistentia a Tridentino non praescripta fuit ad testificandam ma-

(1) lib. 6 n. 1107. v. not. hic.
(2) Lambert. notif. 87. n. 45. in fin.
(3) La-Croix l. 6. p. 3. n. 54. Holzm. de Matr. t. 7. n. 271 (4) Card. Lamb. notif. 87. n. 45. in fin. (5) l. 6. n. 1111.

trimonii validitatem, sed ad eius celebrationem, ne quis (ut exprimit Concilium) fraudulenter plura matrimonia ineat; imo hic est stylus sacrae Poenit. (1).

79. Quaeritur 2. an qui ficte contraxit, teneatur ad revalidandum matrimonium per verum consensum? Affirmant Castrop. Roncagl. Concina Salmant., etc. dicendo quod cum una pars iam corpus suum tradiderit per consensum, tenetur altera pars, ut aequalitatem servet, tradere etiam corpus suum per verum consensum; sed probabilius Sanch. Navar. Henriq. Arag. Hurtad. Gutt., etc. negant (modo matrimonii revalidatio non requireretur ad reparanda damna ex dolo illata); ratio est, quia deficiente consensu alterius, contractus fuit nullus, et per consequens nulla intercessit alterius partis traditio, adeo ut eadem pars remaneat in eo casu libera, non secus acsi unquam consensum dedisset (2).

80. Quaeritur 3. an qui ficte, aut metu contraxit (quo casu matrimonium est nullum, ut diximus *numer.* 64.), si velit matrimonium revalidare, verum praestando consensum, teneatur alteri parti manifestare matrimonii nullitatem? Negat sententia communior cum Sanchez Lessio Navar. Laym. Tournely Roncaglia Bonac. Salmant. et aliis pluribus cum s. Antonino et s. Thoma (3), qui loquendo de matrimonio metu inito, dicit: *Ex consensu libero illius qui primo coactus est, non fit matrimonium nisi in quantum consensus praecedens in altero adhuc manet in suo vigore; unde si dissentiret, non fieret matrimonium.* Igitur si metum passus consensum praestat, iam matrimonium revalidatur. Ratio est, quia in contractu matrimoniali non est necessaria simultas physica consensuum, sed sufficit moralis, nempe ut una pars consensum suum praestet, dum alterius partis consensus semel praestitus adhuc perseverat in aliquo effectu, nimirum per copulam maritalem, aut per cohabitationem. Idem tenet p. Cuniliati (4) cum s. Bonaventura Paludano et Soto; atque non obstare timorem quod si requireretur pars de novo consensu, forte non daret: nam hic dissensus interpretativus non est verus dissensus, et interim perseverat consensus semel praestitus. Id quod fortius urget pro hac sententia, sunt duo Canones, qui pro ea adducuntur: Primus est in *cap. Insuper* 4. *Qui matrim. accus.*, *etc.* ubi in argumento sic habetur: *Invita desponsata postea sponte cognita, contra matrimonium non audiatur.* Secundus est in *cap. Ad id* 21. *de Sponsalib.* ubi dicitur: *Quamvis ab initio invita fuisset ei tradita, tamen, quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Itaque iuxta hos textus spontanea copula, vel cohabitatio aequivalet libero consensui. Advertendum vero cum Sanch. Navar. Tournely, etc. ad hoc ut pars liberum ponat consensum, oportet ut sciat nullum fuisse matrimonium (5). Secunda autem sententia absolute tenet, quod ad revalidandum matrimonium manifestanda est alteri parti eius nullitas; ita dicunt Castropalaus et Hurtadus apud Salmanticenses, et praesertim Pontius cum Comitolo (6), qui refert super hoc quandam declarationem Clementis VIII. qui consultus in simili casu, sic respondit. Ratio, quia consensus partis, quae libere eum praestitit, ab initio fuit nullus, cum ceciderit super materiam inhabilem: unde cum materia postmodum habilis facta fuerit, ad matrimonium reconvalidandum novus requiritur consensus sensibilibus signis praestandus, quandoquidem primus, cum fuerit invalidus, perseverare non potuit. Cardinalis Lambertini (7) sentit quod, cum agatur hic de valore

(1) l. 6. n. 1112. (2) n. 1113.
(3) S. Thom. sup. quaest. 47. a. 4 ad 2.
(4) Cuniliat. de matr. §. 29. n. 2. et 3.
(5) lib. 6. n. 1114. (6) ibid.
(7) Lambertini notif. 87. n. 60.

Sacramenti, omnino haec secunda sententia tenenda est tanquam tutior; tanto magis quod idem p. Sanchez (ut ait) qui oppositam tuetur, probabiliorem vocat. Ratio caeterum supra adducta videtur equidem satis fundata. Sed contra non video, quomodo responderi possit textibus supra relatis, et praesertim secundo in *cap. Ad id* 21. *de Sponsal.* ubi casus fuit, quod puella quaedam, quae prius invita nupsit, deinde iudicans matrimonium nullum ad secundas transierat nuptias: at quia per annum cohabitaverat cum primo viro, praecepit Pontifex, ut ad eum rediret, urgente praesumptione quod sua longa cohabitatione iam consensum praestiterit: *Quamvis ab initio* (repeto verba textus) *invita fuisset ei tradita, tamen, quia postmodum per annum ibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Papa igitur non habuit pro vera rationem Pontii, quod consensus libere praestitus a viro eo casu per se nullus esset, tanquam cadens super materiam inhabilem; sed potius ut verum habuit, quod ille mariti consensus, moraliter perseverans, et se coniungens cum consensu postmodum praestito a muliere per suam cohabitationem, iam primum coniugium revalidaverat, et ideo praecepit, ut mulier ad ipsum redire teneretur. Quod autem ad declarationem Clementis VIII. in contrarium adductam respondet Roncaglia vel de ea non satis constare, vel Pontificem eo casu ut privatum doctorem fuisse locutum.

81. Quaeritur 4. an cum matrimonium est nullum ob aliquod impedimentum, ut revalidetur novo consensu, sublato impedimento per dispensationem, utraque pars conscia esse debeat nullitatis? Affirmant Pontius Less. et Castrop. cum Guttier. Hurt. Comit. et aliis, quia prior consensus praestitus a parte quae ignorabat impedimentum, fuit nullus: posterior vero eiusdem partis etiam nullus est, siquidem cum ignoret nullitatem matrimonii, licet praestet consensum, errat ideo in substantiam, dum intendit consentire in coniugem iam suum. Contra Sotus Palud. Ledes. Rodriq. Ang. Salmant., etc. dicunt non esse necessariam scientiam nullitatis matrimonii, sed sufficere simplicem consensum praestitum a parte inscia, aut expresse, aut saltem signis externis; quia licet prior consensus fuerit nullus ob impedimentum ab Ecclesia appositum, attamen fuit validus lege naturae; quare sublato impedimento, sufficit prior consensus qui iam perseverat in effectu per copulam coniugalem, aut per cohabitationem, aut per alia signa externa. Et revera Lambert. (postmodum Benedictus XIV.) (1) refert quoddam Breve Clementis XI. editum die 2. april. 1701. ubi Papa revalidavit quaedam matrimonia aliquarum nationum, quae nominabantur *Procueles* et *Quartarones*, nulliter contracta, quin novum exquisierit consensum. Super hoc puncto (quidquid dictum sit in Opere morali) (2) nunc dicimus, quod stante declaratione Benedicti XIV. edita die 27. septemb. 1755., novissime a me inspecta in *Tom.* 4. Bullar. nuperrime typis dato pag. 346. (3), ubi dicitur, facto casu quod quidam vir contraxerat nulliter matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, sed bona fide, et conabatur illud roborare inscia uxore ob scandalum quod timebatur separationis, Pontifex dispensasse, et simul etiam declarasse (*vide ibid.* §. 7.) quod cum non agatur de impedimento orto iure divino vel naturali, ut cum datur consensus vivente altero coniuge, aut si est servus ignotus, aut erratur in persona; sed iure ecclesiastico, in eo casu posse quidem Papam matrimonium roborare dispensando a novo consensu praestando a parte ignorante impedimentum, pro valido habendo consensum

(1) Notif. 87. n. 80. (2) l. 6. n. 1115.
(3) vide Const. etsi matrimonialis, et tenorem subsequentis decreti cum nuper

quem illa in principio dedit, qui consensus lege naturae erat validus; tunc enim Papa aufert impedimentum in radice matrimonii, retrotrahendo contractum, ac si in principio nullum adfuisset impedimentum: iuvat hic verba Benedicti adnotare: *Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quae a romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente, non a iure divino, aut naturali, sed a iure ecclesiastico; et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt.* Caeterum cum haec specialis Papae dispensatio non intercedit, non est recedendum in praxi a prima sententia, potissimum quia s. Poenitentiaria in concedendis dispensationibus pro revalidandis matrimoniis nulliter contractis, expresse apponit clausulam: *Ut dicta muliere* (aut viro) *de nullitate prioris consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeant.* Et haec, ut probabilius ait Lamb. (1), est conditio positiva, non autem simplex instructio, uti contendebant Sanch. Bonac., etc.; nam iuxta iurisperitos ablativum absolutum importat veram conditionem, sicut habetur ex *lib. A testatore, ff. de Condit.* etc. (2). Hoc tamen intelligitur extra casum urgentis necessitatis, quia in casu quo si, patefacta nullitate matrimonii, timeretur periculum mortis, aut infamiae, aut scandali ob separationem, tunc observetur quod dicetur *Tr.* 20. *n.* 57. ubi dicetur in eo casu posse Episcopum dispensare, et cum necessitas non pateretur moram, iuxta id quod dicunt plures dd. potest confessarius declarare legem impedimenti tunc non obligare, adeo ut possit matrimonium contrahi, omissa dispensatione.

82. Quaeritur 5. si exigendus est consensus a parte inscia (iuxta primam sententiam praecedentis quaesiti), quomodo exigendus est? Communis est sententia cum Sanch. Card. Holzm. sufficere parti consciae impedimenti, eo per dispensationem sublato, sic dicere: *Tempore quo contraxi tecum, ego verum consensum non praestiti, eum nunc praesto, vis etiam tu eum praestare?* quia consensus datus a parte inscia in hoc casu iam non penderet a primo; et recte potest dici quod consensus nullus, cum contractus sit nullus, non est verus consensus. Ita pariter puto cum Bus. Salm. Cai. Nav. et Trull. sufficere si dicatur: *Ego dubito de valore matrimonii nostri, renovemus consensum*: quia eo casu consensus renovatus iam esset independens a primo. Admittunt etiam multi dd. dicere: *Dic mihi, si matrimonium nostrum fuisset nullum, intendis nunc denuo mecum contrahere?* Hunc modum ego non admitterem, nisi tantum cum pars ignara ob talem interrogationem de nullitate matrimonii in suspicionem veniret; aliter consensus illius dependeret a primo, et non esset sufficienter validus, iuxta in superiori quaesito dicta. Alii autem admittunt, etiamsi diceret: *Si non me accepisses, acciperes nunc?* Aut: *Pro mea consolatione de novo consensum praestemus nostro matrimonio.* Sed istis modis ego penitus non assentior, dum in ipsis consensus certo non facit, ne dependeat a priori. Et tanto minus admittere possum quod tenent aliqui, sufficere solam copulam maritali affectu praestitam. Hoc dumtaxat admittunt Sanc. Tourn. Bon. Sot. Caiet. Conin. Salm. Ronc. Instruct. pro Confess. tyronibus, et alii communiter in solo casu necessitatis, nempe cum alii modi adhiberi nequeunt sine periculo gravis damni, ut dictum est supra num

(1) Notif. 87. n. 68.

(2) lib. 6. n. 1115. in fine.

praeced. Nec obstat tunc clausula *certiorata parte* requisita a s. Poenitentiaria, quia in tali casu necessitatis praesumitur, ut sentit Lambertini cum Tiburt. Navar., loc. cit. Ecclesiam velle omitti talem conditionem uti moraliter impossibilem; cum contra sit valde fundata sententia quod sufficiat ad revalidandum matrimonium nulliter contractum sola copula, aut cohabitatio voluntaria, uti habetur ex *cap. Ad id.* 21. *de sponsal.*, *cap. Insuper* 4. *qui matrim. accus.*, *etc.* et ex *cap. Significavit, de eo qui duxit*: ubi dicitur quod per cohabitationem, aut copulam coniugalem spontaneam subsequentem matrimonium nulliter contractum ob vim aut metum, roboratum esse intelligitur (1). Vide *n.* 80.

Punctum VII. *De dispensatione super impedimentis matrimonii.*

83. *In quibus impedimentis potest Papa dispensare.* (*et in quibus Episcopus; remissive ad tract.* 20. *num.* 54. *et seq.*).
84. *De causis iustis ad dispensandum: an omnia impedimenta explicanda sint.*
85. *An omnes circumstantiae, praecipue incestus.*
86. *An omnes gradus.*
87. *De clausulis s. Poenitentiariae.*
88. *De formulis supplicationum.*
89. *De formula exequendi dispensationem.*

83. Hic prius sermo erit de iis qui dispensare possunt. Et 1. loquendo de iis qui super impedimentis dispensare possunt, certum est Papam posse dispensare in omnibus tam impedientibus, quam dirimentibus a iure ecclesiastico ortum habentibus: secus autem in iis quae sunt iuris divini aut naturalis, ut supra dictum est *n.* 81.; nam iuxta sententiam probabiliorem et communiorem Suar. Pont. Castrop. Silvest. Salas etc., Papa licet possit dispensare in iis, in quibus ius divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et iuramentis, non autem in his quorum ius ex sola divina voluntate pendet. Et huic sententiae favet s. Thomas (2), qui dicit: *In praeceptis iuris divini, quae sunt a Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is cui specialiter committeret.* Haec autem specialis commissio, ait Castrop., non habetur pro data Pontifici per illa verba: *Quodcumque ligaveris*, etc. aut per illa alia: *Pasce oves meas*, quia haec important generalem, sed non specialem commissionem. Dicimus dumtaxat cum Suar. Sot. Nav. Coninc. Valent. et aliis, Pontificem in aliquo particulari casu posse tanquam doctorem universalem Ecclesiae, et supremum voluntatis divinae interpretem declarare legem divinam tunc non obligare (3); vide dicta *Tr.* 2. *n.* 56. Quoad potestatem quam habent Episcopi ad dispensandum super impedimentis matrimonii, vide fusius dicenda in *Tr.* 20. *De Privilegiis n.* 54. *et sequentibus.*

84. II. Loquendo de causis iustis ad obtinendam dispensationem super impedimentis dirimentibus, assignantur a dd. sequentes 1. Extinctio magnae litis, vel odii, vel scandali inter agnatos. 2. Inaequalitas matrimonii, nisi inter consanguineos nubatur ob defectum dotis, aut alterius. 3. Conservatio facultatum in eadem cognatione. 4. Merita petentis dispensationem. 5. Aetas excedens 24. annos in muliere. 6. Subministratio pecuniae, quae a Papa in pietatis opera impenditur, ut communiter admittunt dd. et praxis docet; et aliae causae id genus (4).

85. Notandum hic 1. ad hoc ne dispensatio sit subreptitia, in supplicatione explicanda sunt 1. omnia impedimenta consanguinitatis vel affinitatis quae subsunt, licet sint eiusdem gradus, ut si cognovisset duas sorores suae sponsae, sicut communius dicunt Sanch. Pont. Anacl. Castr. Escob. Conc. Salm. cum Rota

(1) l. 6. n. 1117. (2) 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. (3) l. 6. n. 1119. et 1120.

(4) n. 1129. et 1130.

Ronc. (contra alios), quia licet talia impedimenta non sint specie diversa, tamen sunt numero distincta, ideoque reddunt dispensationem difficiliorem. Nec amplius de hoc dubitandum est, nam Benedict. XIV. die 30. septemb. 1755. in quodam Brevi, cuius initium, *Etsi matrimonialis, in Bull. edit. Mechl. tom.* 2. *pag.* 254. *et est* 50. *in ord.*, declaravit et statuit irritum fuisse et fore quoddam matrimonium celebratum cum impedimento duplicis gradus consanguinitatis, licet super uno gradu, qui tantum in notitiam pervenerat, a Clemente XII. dispensatum fuisset. Et ita pariter eadem ratione quando impedimenta sunt plura et disparata, v. g. voti et consanguinitatis; sed sunt huiusmodi ut copulata difficiliorem reddant dispensationem, ut si quis vellet ducere consanguineam, cum cuius sorore copulam habuerit, tunc non sufficit seiunctim, sed coniunctim oportet petere dispensationem; ita probabilius Salm. et alii cum Salas Rodriq. etc. Excipiunt Coninch. et Aversa, si impedimentum contractum ob copulam cum sorore habitam est occultum, et illud patefacere esset infamiae, quia tunc, dicunt, potest separatim obtinere dispensationes nempe illam cognationis a Dataria, et illam affinitatis ob copulam a Poenitentiaria. Sed nos dicimus, quod saltem in supplicatione ad Poenitentiariam, debet exponi utrumque impedimentum (1). Si quis autem, obtenta dispensatione in affinitate ob copulam cum sponsae sorore habitam, iterum illam cognosceret, non indiget nova dispensatione, licet prima iam sit executioni mandata (2), et sicut diximus n. 67.

Debent 2. in supplicatione exponi omnes circumstantiae quae accidunt, et quae reddere possunt dispensationem difficiliorem, et praecipue si intercesserit copula inter cognatos qui matrimonio iungi cupiunt. Et hoc non tantum si illa habita est ut facilius dispensatio obtineatur, uti certum est, sed etiam si hic finis non fuerit praehabitus, uti dicunt Sanch. Laym. Coninch. Castrop. etc. (contra Pontium Salmant. etc.). Et de hoc hodie dubium omne cessat, dum declaratum est a Bened. XIV. in Bulla *Pastor bonus*, §. 41. ubi irritum pronunciatur matrimonium inter consanguineos celebratum ex dispensatione obtenta, tacito incestu (3). Item, si quis, obtenta dispensatione super gradu prohibito antequam executioni detur, rem habet cum sponsa, indiget nova dispensatione, ut recte dicunt Sanch. Gultier. Gallego etc. contra aliquos, et ita declaravit S. C. mense Maii 1635; nam ex stylo Curiae, manifestato novo incestu, Pontifex solet imponere maiorem poenitentiam, et ampliorem pecuniae compositionem exigit (4). Secus vero si rem habet post dispensationis executionem, ut probabiliter dicunt Lugo Sanchez Caiet. Arm. et Vega, quia tunc, executa dispensatione, et ablata prohibitione matrimonii, cessat etiam malitia incestus. Item si quis petit secundam dispensationem, postquam obtinuerit primam super eodem delicto, debet exprimere primam; secus vero, si impedimentum non provenit ex aliquo crimine vel ex crimine diverso; uti communiter Coninch. Aver. Salm. et Conc. (5).

86. Explicandi sunt 3. omnes gradus consanguinitatis, aut affinitatis, quibus sponsi coniuncti sunt, tam gradus proximior quam remotior: v. gr. si coniuncti essent in secundo et tertio, aut in tertio et quarto, ut communiter dicunt Pont. Silv. Salm. Tourn. etc.; nam etsi dispensatio tantum requiritur pro gradu remotiore, attamen s. Pius V. in suo motu proprio *Sanctissimus* declaravit, quod obtenta dispensatione super gradu remotiore, nulla mentione facta proximioris, impetrandae sunt litterae declaratoriae super proximiore. Hae tamen litterae

(1) lib. 6. n. 1138. et 1139. (2) n. 1140.
(3) n. 1134. et 1135. (4) n. 1141.
(5) n. 1137.

si non expediantur, matrimonium erit utique validum, sed illicitum (uti declaravit Benedictus XIV. in Brevi allato n. 83. *Etsi matrimonialis*, cum inserto decreto, *Cum super*, §. 6. referens etiam sic decisum fuisse a S. C. 18. Martii 1722.), modo coniuncti non sint in primo et secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu, in quo, sicut refert ibidem Benedictus, protestatus fuit s. Pius, se nolle dispensare, nisi expressus sit etiam primus gradus. Item notandum, quod si forte causa dispensationis cesset ante eius expeditionem, aut executionem, cessat etiam dispensatio. Secus autem si cessat post executionem, licet nuptiae adhuc celebratae non sint, quia tunc iam sublatum est impedimentum. Ita satis probabiliter Pont. Suar. Castr. Salm. Silv. etc. contra Sanch. et Dicast. qui tamen hoc uti probabile etiam admittunt (1).

87. Praeterea notandae sunt clausulae quae solent apponi in dispensatione s. Poenitentiariae, I. *Si ita est*: in quo fides habenda est postulanti, nisi constet de opposito, ut dicunt Sanch. et Cabass. Sed hic advertendum 1. Benedictum XIV. in Bulla *Ad apostolicae servitutis* sub die 25. Febr. 1742. declarasse expressionem et verificationem causarum ad dispensationis valorem spectare. Si autem sponsi falso exposuissent pauperes esse, et propterea dispensatio concederetur *in forma pauperum*, dispensatio etiam est valida: uti declaravit S. C. Conc. 9. Sept. 1679. apud Monacelli (2). Advertendum 2. ad dispensandum super voto castitatis non sufficere simplicem tentationem, sed requiri vehementem incontinentiae: etiamsi periculum sit unius lapsus, uti recte dicunt Tournely et Pontas (3). II. *Audita prius sacramentali confessione*: iuxta igitur hanc clausulam necesse est ut confessio praecedat ut dispensationi detur executio, ut dicunt Tourn. et Sanch. III. *Sublata occasione peccandi:* intelligitur si occasio est voluntaria, quia si esset necessaria, sufficit (ut ait Tourn.) ut media eligantur, quibus ex proxima fiat remota. IV. *Dummodo impedimentum sit occultum*: quando autem impedimentum putandum est esse occultum, iam dictum est *n.* 77. V. *Iniuncta ei gravi poenitentia:* intellige iuxta vires poenitentis, ut recte notat Tournely, cum Tiburtio et Nav. qui dicit posse imponi, ut per sex menses semel ieiunet, aut ter Rosarium recitet qualibet hebdomada, aut frequentet confessionem (quam puto satis esse semel in mense), et huiusmodi. Quod si unquam, addit Tournely, poenitens iam debitam pro suo peccato poenitentiam egisset, potest tunc poenitentia moderari, modo illa non sit iniuncta a Poenitentiaria, tanquam commutatio. VI. *Praesentibus laceratis*, *sub poena excommunicationis latae sententiae.* Hae litterae statim lacerandae sunt, sed intellige moraliter, nempe intra tres dies postquam executioni demandatae sunt; et intellige si matrimonium iam contractum erat; secus si adhuc contrahendum est, tunc enim dispensatio occulte asservanda est a parocho, aut saltem adnotari in aliquo libro, qui a nemine alio aspici possit, ad hoc ut, si opus erit (nempe si forte impedimentum fieret publicum), possit de dispensatione impetrata fidem facere (4).

88. Maxime huc refert adnotare formulas ad obtinendam dispensationem a Poenitentiaria super praefatis impedimentis, aut votis, aut irregularitatibus.

Si petatur dispensatio super impedimentis matrimonii, intus a parte superiori: *Eminentissime, et Reverendissime Domine.* Circa medium:

N. N. Cum carnaliter cognovisset quamdam mulierem, dedit fidem de matrimonio contrahendo N. N. eius sorori. Et quoniam impedimentum est

(1) l. 6. n. 1136. (2) Monac. t. 2. tit. 16. form. 2. n. 33. (3) l. 6. n. 1143.

(4) n. 1143. in fine.

occultum, *et matrimonium si cum praefata sorore non contraheretur*, *magnum eveniret scandalum*, *quapropter suppliciter orat Em. V. ut ei dispensationem benigne indulgeat. Responsum dignetur mittere Neapolim* (aut *Neapoli Salernum*) *ad Rev...* (hic exprimitur nomen et cognomen) *confessarium approbatum. Et id pro gratia habebit etc.* Si vero matrimonium est iam contractum, poterit sic scribere: *N. N. ignarus* (aut *conscius*) *impedimenti, contraxit cum muliere, matrem* (sive *sororem*) *cuius iam antea carnaliter cognoverat; sed cum impedimentum sit occultum, ideoque cum nequeat sine scandalo separari, supplicat Em. V. pro absolutione et dispensatione. Responsum, etc.*

Circa vota castitatis aut religionis: *N. N. cum castitatis voto sit obstrictus, et cum in gravi versetur periculo incontinentiae, suppliciter orat Em. V. ut dignetur oratori a praefato voto dispensationem indulgere, quo matrimonium contrahere possit etc.*

Circa irregularitates: *N. N. Sacerdos incurrit irregularitatem ob homicidium* (aut *abortum*, aut *violationem censurae*) etc. *et cum ei immineat periculum infamiae, si a celebrando se abstinet, ideo supplicat etc.*

Foris vero in superscriptione: *Eminentissimo ac Reverendiss. Domino, Domino Colendiss.*

Domino Cardinali Poenitentiario maiori, Romam.

89. Confessarius vero cui commissa est dispensationis executio, in dispensando, absolutione sacramentali impertita, hac formula uti poterit: *Et insuper auctoritate apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi* (seu *secundi*, seu *primi et secundi*) *gradus proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti* (aut contrahere intendis), *ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies* (vel *suscepisti*) *legitimam declaro, in nomine Patris*, etc. Sed si dispensatio est a voto castitatis dicet: *Insuper votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere et illo uti, in opera quae tibi praescripsi dispensando, commuto, in nomine, etc.* Si autem, non obstante voto castitatis, aliquis iam matrimonium contraxisset, dicet: *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum coniugale exigere possis, auctoritate apostolica tecum dispenso, in nomine, etc.*

Si quis autem scire cupiat quibus facultatibus s. Poenitentiaria gaudeat in dispensando ab impedimentis matrimonii, in casibus papalibus, censuris, irregularitatibus, votis, iuramentis, restitutionibus incertis, vid. *Tr. 19. n. 148. de facult. s. Poenit.*

CAPUT III. DE DIVORTIO.

90. Divortium bifarium esse potest quoad vinculum, et quoad torum. Divortium quoad vinculum tribus tantum casibus dari potest. 1. Si alter coniugum moritur. 2. Si duorum coniugum infidelium alter ad Fidem convertitur, saltem si infidelis sine Creatoris iniuria pacifice cohabitare renuit. 3. Si antequam consummetur matrimonium, intra primum bimestre ad hunc finem a lege concessum; alter ingrederetur religionem. Itaque inter infideles matrimonium licet sit validum, non tamen est indissolubile; tunc indissolubile fit, cum uterque coniux ad Fidem convertitur, modo illud consumment post conversionem;

aliter Papa in aliquo (sed urgentissimo) casu etiam illud potest dissolvere. Quod si tantum alter convertitur, hic non potest ad alias nuptias transire, nisi in casu (ut dictum est) quo alter non conversus velit inducere eum in peccatum, et renuit cohabitare sine contumelia divini Nominis, ut exprimitur in *cap. Quanto, de Divort.* Hoc ita erat primaevis temporibus, sicut scripsit apostolus 1. *Cor.* 7. 13. et seq. ex eo quia tunc temporis ob miracula quae saepe saepius fideles operabantur, multi infideles ad Fidem veniebant; sed hodie, iam cessatis miraculis ita frequentioribus, recte dicunt Sanchez Pont. Tourn. Conc. Salmant. etc. cum communiori, non licere amplius cum coniuge infideli cohabitare, ob perversionis periculum; quare hac nostra tempestate, si coniux infidelis admonitus converti recusat, fidelis potest et debet eum derelinquere, et potest ad alias transire nuptias, ut habetur ex instructionibus Gregorii VIII., et sancti Pii V. (1). Loquendo autem de matrimonio inter fideles, illud certe est indissolubile, usquedum vivunt, nisi esset quod alter eorum ante consummationem religionem profiteretur. Ideoque coniugibus conceduntur duo menses a matrimonii celebratione, in quibus non tenentur reddere debitum coniugale, ut habetur ex *cap. Si quis Coni.* 25. *qu.* 7. et ex Trident. *sess.* 24. *can.* 6. Quod si quis in religionem se reciperet elapso bimestri, professio esset illicita, sed non invalida, ut dicunt communiter Sanchez Pont. Salm. Trullench. etc. (2). Hoc tamen intelligitur, modo matrimonium non sit necessarium ad legitimandam prolem, vel ad reparandum scandalum, aut sponsae infamiam: nam tunc non posset sponsus eam derelinquere, ne religionem quidem ingrediendo (3). Quaestio autem est, an Papa possit dispensatione sua matrimonium ratum solvere. Duplex adest sententia. Negant Pont. Gonet. s. Bonav. Scotus Castrop. Sot. etc. dicentes matrimonium ratum eiusdem esse naturae ac consummatum, unde lege divina indissolubile est; sed affirmant Bellarm. Sanch. Caiet. Navar. Vasq. Coninch. Salm. etc. dicendo quod Papa tanquam Vicarius Christi potest dispensare in aliquibus, quae sunt de iure divino, sed humanos actus concernunt, urgente tamen magna causa, ut esset in casu v. g. si superveniret impotentia coniugum, aut scandalum imminens, aut bonum publicum. Addunt etiam, si adsit disparitas conditionis, morbus contagiosus, dissensiones perversae, mutuus coniugum consensus, sed merito has quatuor causas non admittit P. Concina, saltem si non urgeat necessitas boni publici; nam alias istis admissis pauca matrimonia rata et firma restarent(4).

91. Quoad divortium *tori*, et cohabitationis, firmo remanente vinculo coniugali, sex causis potest hoc divortium fieri. 1. Si alter coniugum aliquod committeret delictum alteri perniciosum, ut si conaretur eum in peccatum inducere, aut si a Fide deficeretur; tunc enim innocens potest, imo debet eum derelinquere, si est in periculo perversionis; et si delictum est publicum, et si divortium factum est ex Ecclesiae sententia, tunc potest etiam fieri Religiosus, ut habetur ex *Can. De illa, de Divort.* (5). 2. Si alter coniugum lepra sit foedatus, aut alio morbo contagioso laborat, aut si sit amens, furiosus, aut maleficus, aut obsessus; dum recte tunc potest alter separari, si manet in gravi periculo alicuius damni (6). In casu tamen leprae, ait s. Thomas (7) quod sanus tenetur reddere debitum, sed non cohabitare. 3. Si coniuges ex communi consensu separentur, quod ceteroquin permitti non solet, si ambo non ingrediuntur religionem, aut saltem nisi, muliere

(1) l. 6. n. 957. (2) n. 958. (3) ibid.
(4) n. 959. (5) n. 973. et 974.

(6) n. 973. v. 4. morbus.
(7) Sup. q. 64. a. 1. ad 4

religionem profitente, vir Sacris initietur. Attamen si uxor 60. annos esset nata, aut etiam 50. et castitatem voveret, dicunt Sanch. Bonac. Barb. Viva, etc. etiamsi ipsa in saeculo remaneret, posset vir ingredi religionem, aut sacerdotio initiari (1). Si autem coniux qui in saeculo manet, nesciebat se in tali casu teneri ad vovendam castitatem inquiunt Sanch. et alii contra Anacletum apud Ferraris (2), quod etiam post datum consensum, revocare potest coniugem, qui iam professus est.

92. 4. Iusta etiam causa est divortii coniugis *saevitia cap. Ex transmissa de Rest. spol.* et hoc licet coniux iusta indignatione sit arreptus, nempe ob aliquod delictum ipsius, uti habetur ex c. de Benedicto 33. *q.* 1. Dicunt etiam Sanch. Salm. et alii communiter, sufficere ad divortium, si coniux malum grave timeret sibi, aut filiis, aut suis propinquis ab altero coniuge, aut ab eius coniunctis; et pro malo gravi non tantum intelliguntur minae mortis, aut gravis vulneris, cum coniux solet eas exequi, sed etiam convicia crebra, et gravia pro personae qualitate, v. g. si est nobilis (3). Quaeritur autem an sola verbera sufficiant ad divortium? Dicunt communissime Pont. Ronc. Sanch. Silv. Arm. etc. licere viro aliquando uxorem verberare, modo id frequenter non faciat, nec severe; quare dicit Sanch. non posse uxorem separari, cum verbera sunt levia (excipiunt Salm. si uxor sit nobilis). Addunt Ronc. Bonac. Castr. cum eodem Sanch. licet verberationes fuissent graves, sed semel illa sic vapulavit, nec timeretur probabiliter ne replicarentur (4). Advertendum tamen cum Sanch. Salm. Cast. Anacl. etc. talem separationem ob saevitiam non posse fieri sine iudicis auctoritate, nisi esset quod damni periculum moram non pateretur, aut nisi quia coniux timens damnum non posset litigare, aut iudicem adire, aut non posset faciliter probare periculum (5). 5. Si alter coniugum adulteraretur, uti habetur ex Matth. *c.* 5. *v.* 32. *et* 19. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem... moechatur*, et ex *c. Ex litteris*, et ex *c. Significasti, de Divort.*

93. Sed super hac 5. causa adulterii, plura notanda hic sunt. Notandum 1. ad faciendum divortium requiri adulterium perfectum cum effusione seminis, ut dicunt probabiliter Sanch. Fill. Bon. Salm. Escob. Led. etc. contra Sot. Silv. Conc. etc. quia nomine fornicationis intelligitur consummata per seminationem, qua fit carnis divisio (6). Et non sufficit de hoc aliquam habere probabilitatem, sed requiritur, ut talis adsit praesumptio, ut fundet moralem certitudinem, sicut communiter dicunt Sotus Sa Viva cum s. Bonav. s. Antonin. et s. Thoma (7), ut esset, si testes asserant vidisse *solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem*, sicut dicitur in *c. Caeteris*, 12. *de Praesumpt.* Et praefatae circumstantiae intelliguntur coniunctae (dum non sufficit, ut sit inventus *solus cum sola*), ut dicunt Sanchez, et Navar. Nec per se sufficiunt soli tactus, amplexus et oscula, ut dicunt Pont. Viva Sanch. Palud. Barb. Nav. Castr. Contra dicunt idem San. Viva. Castrop. cum aliis sufficere pro foro conscientiae, si unus fidei integrae testetur adulterium, aut aliquod vehemens det indicium. Et sufficit etiam (ut dicit Castr. cum Menoch.) epistola uxoris in qua confitetur suum adulterium. Et ita etiam puto sufficere, si aspiciatur solus cum sola in eodem lecto (8). An autem liceat facere divortium ob sodomiam aut bestialitatem a coniuge commissam? Negant Innoc. Abul. etc., quia haec crimina non sunt fornicationes. Affirmant vero communiter Sanchez Sot.

(1) l. 6. n. 975. (2) Ferrar. bibl. v. Coniux, n. 23. (3) l. 6. n. 970. et 971. v. quaer. 3. (4) n. 972. (5) n. 971.

(6) n. 962. quaer. 3. (7) in 4. d. 35. q. un. a. 3. ad 4. (8) l. 6. n. 961.

Castrop. Salm. Conc. etc. quia, ut aiunt, iam ille fidem coniugalem laedit carnem cum alio dividendo. Caeterum recte ait Pontius, quod haec sententia, licet sit communis, attamen ratione non probatur, quia semper responderi potest, quod sine copula naturali caro non dividitur (1).

94. Notandum 1. quod ratione adulterii non tenetur vir separari ab adultera, dumtaxat poterit ad id teneri, ut illa corrigatur, si alius non suppeteret modus, ut dicunt s. Thomas (2), s. Bonav. Caiet. Salm. etc. sed modo (intelligitur) ex separatione grave non esset passurus incommodum, ut communiter dicunt s. Antonin. Pont. Castr. Sot. Sanch. Salm. Bon., etc. (3). Potest teneri etiam, ut vitet scandalum, nempe ne videatur ipse peccato uxoris consentire, uti dicunt s. Thomas loco cit., Sanch. Pont. Salm. etc. et exprimitur *c. Si vir. de Adult.* et *c. Non solum* 6., *caus.* 28. *q.* 1. Sed hoc intelligitur 1. ut dicunt Pont. Sanch. Salm. s. Antonin., etc. si adulterium est publicum. 2. Ut communiter dicunt Laym. Bonac. Tolet. Cai. etc. si nullus alius subest modus, quo scandalum repararetur, et modo vir iustam non habeat causam ne dividatur, ut si ipse remaneret in periculo incontinentiae, aut alterius damni gravis, aut si putaret quod, si illam a se dimitteret, deterior fieret; unde concludit s. Antonin. *Ergo vir cum detrimento iuris sui, et periculo, non tenetur* (uxorem) *expellere.* Imo probabiliter subiungunt Castropal. Laym. etc. cum eodem s. Antonin. quod si vir iam praebuerit sufficientia indicia, quod ipse aegre ferat mulieris adulterium, ad nihil aliud tenetur; quia tunc scandalum aliorum esset pharisaicum (4). Ita etiam uxor tenetur diverti a viro, cum hoc esset necessarium, non ut auferatur scandalum, quia nunquam supponitur uxor consentire viri adulterio, sed ut ipse resipiscat. Caeterum difficulter, dicunt Suar. Castr. Salm. et alii, mulier ad hoc tenebitur; etenim difficulter uxor potest cum fructu virum corripere, et ipsa rarissime a viro discedere potest sine gravi incommodo; et ita pariter difficulter ob correctionem tenentur uxores negare debitum viris; ita s. Antonin. Bonacina Sanchez Filliuc. (5). Si autem coniux adulter esset iam emendatus, et esset in periculo incontinentiae, congruens esset ut innocens sibi reconciliaret iam emendatum, si commode potest, ut dicunt Salm. Sed ego non auderem illam obligare ad id sub gravi (uti volunt Bus. Conc. etc.), dum ex una parte Dominus iam eam liberavit a cohabitatione: et ex alia videtur charitas non obligare cum tanto onere ad vivendum cum eo qui sibi fidem fregit. Nec obstat quod dicitur in *cap. Si quis, de adult.*: *Debet, sed non saepe, recipere peccatricem*; dum recte to *debet* explicat *Glossa*: *Debet debito honestatis, non necessitatis* (6).

95. Notandum 3. in quatuor casibus non potest fieri divortium ab altero adultero, nempe 1. Si uterque sit adulterii reus. Est probabile tamen cum Sanch. Coninch. Bon. Salmant. Viva, etc. quod emendatus possit diverti ab obfirmato in adulterio, licet sententia opposita Pont. Dicast. Led. Hurtad. etc. etiam probabilis sit (7). 2. Si alter consentit adulterio alterius, uti habetur ex c. *Discretionem, de Eo qui cogn.*, etc.; sed non sufficit ad praesumendum talem consensum occasio, quam praebuisset vir uxori adulterandi, eam relinquendo, aut eam duriter habendo, sicut dicit textus; nec sufficit dissimulatio eiusdem, quod ille non potuisset sine suo gravi incommodo impedire uxoris delictum; ita communiter Sanch. Bon. Coninch. Peyr. Salmant. etc. ex s. Thoma (8). 3. Si uxor adulterata fuisset sine sua culpa

(1) l. 6. n. 962. (2) suppl. q. 62. a. 2. ad 1. (3) l. 6. n. 963. v. q. 4.
(4) ib. v. quod prop. fin. (5) n. 964.
(6) n 965. (7) n. 966.
(8) suppl. q. 62. a. 1.

nimirum si vi oppressa fuisset (secus vero si consensisset metu gravi, ut advertit Sanch.), aut si adulterium evenisset ex errore inculpabili; ita communiter dd. cum s. Thoma (1). Dicit tamen Dicast. quod si vir crederet uxorem iam mortuam, et aliam cognosceret, non potest eum uxor respuere, sed non e converso (2). 4. Si iniuria iam remissa est sive ante, sive post divortium, ut praesumitur, si innocens conscius adulterii sponte coierit cum adultero, aut manet in eadem domo, mensa et toro, maxime si accedant amplexus, tactus, et oscula; ita s. Thomas (3) Sanch. Salm. Dicast. Trull. etc. Advertunt tamen Sanchez Filliuc. Salm. Aver. Villal. etc. quod si revera coniux per dictos actus non intendit remittere iniuriam, in conscientia potest semper separari (4).

96. Notandum 4. quod licet divortium factum sit ex iudicis sententia, coniux innocens semper habet ius ad se revocandi adulterum, sicut docent communiter (contra Sotum) Sanch. Silv. Sa Pont. Bonac. Salm. Gutt. etc. cum s. Thoma (5) qui dicit: *Cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei ius petendi debitum vel revocandi uxorem; unde uxor tenetur ei reddere et ad eum redire, si fuerit revocata.* Et ad hoc non opus est (ut recte dicit Sanch.) nova iudicis sententia. Caeterum scite animadvertit Castrop. cum Guttier. quod difficulter mulier adultera poterit obligari ad redeundum ad virum, quia semper potest rationabiliter timere periculum mortis aut ne crudeliter tractetur, nisi adsint argumenta probabilia in contrarium (6). Sed fit 1, dubium an, quando coniux innocens etiam ipse in adulterium laberetur, sed facto iam divortio per sententiam, teneatur redire ad adulteram quae eum ad se revocat? Affirmant Pont. s. Antonin. s. Bon. Conc. Sot. etc.; sed probabilius negant Sanch. Bon. Fill. Salmant. Regin. et alii cum s. Thoma (7). Ratio est, quia primus adulter ex sententia iam omnino spoliatus fuit omni iure super innocentem. In eo casu tamen dicit s. Thomas cum aliis communiter, quod potest iudex cogere secundum adulterum, ut iterum uniatur, ad hoc ut ita consulatur tum illius animae, cum etiam scandalo aliorum (8). Fit 2. dubium an possit fieri divortium propria auctoritate innocentis? Tres adsunt sententiae probabiles. *Prima* cum Bellar. Aver. et Conc. cum s. Thoma absolute negat. *Secunda* cum Layman Pont. s. Antonin. Salm., etc. distinguit: affirmat si adulterium est notorium; sed negat si est occultum, quia tunc iniuste patefieret infamia adulteri. *Tertia* cum Sanch. Sot Abb. Bon. Sa Fill. Led. Reg., etc. absolute affirmat, sive adulterium sit publicum, sive occultum. Si est publicum probatur ex *cap. Ex parte* 9. *de spons.* ubi dicitur: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere.* Ergo licet, si fornicatio est manifesta. Si autem est occultum, probatur ex *cap. Dicit Dominus* 32. *q.* 1. ubi haec habentur: *ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio* (intelligitur suspicio illa vehemens quae fundat certitudinem moralem, ut dictum est *n.* 93.) *libere dimittitur uxor.* Dicitur *libere*, ergo non requiritur nec sententia, nec licentia; nam Dominus absolute concessit coniugi ab adultero diverti Et hanc sententiam puto probabiliorem, saltem quando adulterium est ex parte uxoris; nam valde durum esset viro in iudicium adducere mulieris infidelitatem, quod esset sibi perpetuo probro. Quod si forte iudex eum obligaret ad cohabitandum, scite ait Bonac. quod tunc ille teneretur tantum ad cohabitandum, sed

(1) suppl. q. 62. a. 1. (2) l. 6. n. 966. v. tertius. (3) suppl qu. 62. a. 1.
(4) l. 6. cit. n. 966. v. quartus.

(5) suppl. q 62. a. 6. ad 3.
(6) l. 6. n. 967. (7) suppl. qu. 62. a. 6. ad 4. (8) l. 6. n. 967. dubit. 2.

non ad reddendum debitum (1).

97. Denique notandum quod facta separatione per sententiam, coniux innocens potest religionem ingredi, ut ex *cap. Agatosa* 27. *q.* 2. et potest etiam Sacris initiari, ut dicunt communiter dd.; contra adulter nequit fieri nec Religiosus nec sacerdos, nisi de alterius licentia, aut nisi alter iam statum irretractabilem assumpsisset. Alias etiam religionem professus potest revocari ab innocente et teneretur redire. Dictum est, *nisi de licentia alterius*, sed sufficit etiam tacita, v. gr. si alter cognoscens adulterum velle statum mutare, ipse, cum commode possit, id facere illum non impedit. Et sufficit etiam, ut dicunt Sanch. Coninch. Bon. Salm. et alii ex *cap. Gaudemus, de convers. coniug.* si alter requisitus pro reconciliatione, neget; imo addunt Pont. Sanch. Castrop. etc. sufficere, si adulter per biennium non sit revocatus, ut disponitur in *Auth. Sed hodie, c. ad* 1. *Iul. de Adult.* (2). Notandum hic tandem quod facto iuridice divortio, filii educandi sunt apud coniugem innocentem; et in quantum ad expensas, si divortium evenit patris culpa, eius expensis filii alendi sunt, ut exprimitur in *Auth. Si Pater, c. Divort. facto, etc.* Et idem currit si divortium factum sit matris culpa, ut dicunt communiter Laym. Castr. Sanch. Silv. Pal. etc. contra pauciores. Advertit tamen Sanch. cum communi quod ut ad has expensas teneatur, requiritur iudicis sententia (3).

TRACTATUS XIX.

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE

PUNCTUM I.

De Censurarum emanatione.

1. *Quid et quotuplex sit censura.*
2. *Quando dicitur latae, et quando ferendae sententiae.*
3. *Quis potest ferre censuras? De censura metu inflicta.*
4. *Quid requiritur ut subditus censura feriatur, etc. An Episcopi, aut reges, etc. An communitas, etc.*
5. *An Praelatus possit extra dioecesim existens censuras ferre in subditos, et quid si subditus fuerit extra dioecesim.*
6. *An possit censurari peregrinus.*
7. *Quale peccatum requiritur ut imponatur censura. De mandante, consulente, etc.*
8. *An excuset ignorantia et metus; et an censura potest imponi pro delictis praeteritis.*
9. *De solemnitate ad censurarum promulgationem requisita.*
10. *Quid si causa est falsa aut dubia.*

1. Censura definitur: *Est poena spiritualis et medicinalis, qua delinquenti et contumaci aufertur usus quorumdam spiritualium bonorum.* Censura trifariam dividitur 1. In excommunicationem, suspensionem et interdictum. 2. In inflictam *a iure*, nempe a lege generali permanente, et in eam quae est *ab homine*, nempe a Praelato per sententiam generalem (sive statutum) in eos qui aliquod committunt delictum. Sententia generalis, sive statutum respicit locum et peccata futura; quare si subditus extra locum illum delinquit, non incurrit censuram *cap. Ut animarum* 2. *de Constit. in* 6. ubi sic dicitur: *Statuto Episcopi.... subditi qui furtum extra ipsius dioecesim committunt, minime ligari noscuntur, cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune.* Sententia autem particularis emanari solet ob praeterita delicta, et in personas determinatas; ideoque haec, cum afficiat personam, bene potest ferri in subditum etiam

(1) l. 6. n. 968. (2) n. 969. (3) n. 976.

exemptum, citando eum per Edictum. 3. In eam quae dicitur *latae sententiae*, quae statim incurritur; et *ferendae sententiae*, quae non incurritur, nisi post sententiam (1).

2. Ad dignoscendum quandonam censura est *latae*, et quando *ferendae sententiae*, dicunt dd. quod, cum verba includunt actionem ab altero faciendam, sunt *ferendae*: quando aliter, sunt *latae*; unde dicunt esse *latae sententiae*, quando dicitur: *Ipso iure, ipso facto, aut sine alia sententia*; aut si verba sint praeteriti aut praesentis temporis, v. gr. *excommunicamus excommunicatus est, excommunicantur, iubemus esse excommunicatum, etc.* Contra sunt *ferendae sententiae*, si verba sunt de tempore futuro, *excommunicabitur*, aut si sunt comminativae, *sub poena excommunicationis*, *sub interminatione anathematis* (modo ex contextu aliorum verborum oppositum non arguatur): item si dicitur: *volumus excommunicari*, aut *excommunicetur*; hoc tamen intelligi debet, quando a iure imponitur Episcopo praeceptum excommunicandi; sed quando absolute dicitur, *excommunicetur, suspendatur*, etc., intelligitur *latae sententiae*, ut communiter dicunt Bonac. Silvest. Suar. Vasq., etc. (2). Cum autem dicitur *excommunicatus*, aut *anathema sit*, volunt Suar. et Tournely esse *latae sententiae*; sed Sanch. Laym. Dicast. volunt esse *ferendae*, modo non sit adversus aliquem errorem haeresis; utraque sententia est probabilis (3). Si autem dicatur: *maneat excommunicatus*, aut *suspensus*, volunt Nav. Silv. Henriq., etc. neutram incurri censuram; sed Sayrus Bon. Salm. Con., etc. tenent tunc dari optionem reo ad eligendam quam malit (4).

3. Quaeritur 1. quis ferre potest censuras? Resp. Papa, Episcopi, et etiam eorum Vicarii, ut recte dicunt Busemb. Fagnan. Suar. Sanch. Tournely, etc. contra Sayrum, etc. Vicarii capitulares, Concilia provincialia, Praelati regulares, et eorum capitula et caeteri omnes quibus concessa est facultas; sed non parochi, et tanto minus laici, et mulieres, licet sint Abbatissae; nam illae non sunt capaces iurisdictionis ecclesiasticae (5). Quare qui censuram ferre potest, saltem sit tonsuratus, et habeat iurisdictionem expeditam, quoad usum: adeoque Episcopus excommunicatus, suspensus, haereticus, aut schismaticus non potest ligare aliquem censura, *c. Exceptionem de Except.*; nec eius Vicarius, *c.* 1. *de Offic. Vicar. in* 6.; sed excommunicatus, aut haereticus occultus valide (licet illicite) censuras fert, ut communiter Suar. Sot. Salm., etc.; imo idipsum dicunt Bonac. Dian. Avil., etc. de publico excommunicato, si nominatim non est denuntiatus (6). Hic notandum censuram ex coactione, sive metu gravi esse validam; ita Suar. Bon. Castr. Tour. Salm., etc. contra alios; sicut contra invalida est absolutio metu iniusto extorta, ex *cap. Verbum de Poenitent.* (7).

4. Quaeritur 2. quid requiritur ut quis censura ligari possit? Requiritur 1. ut sit baptizatus. 2. Ut usu rationis polleat: advertendum tamen hic censuras latas a iure, aut ab homine sententia generali non incurri ab impuberibus, nisi expressum sit in lege, ut est expressum de pueris, qui monasteria Monialium ingrediuntur, Trid. *sess.* 25. *c.* 5. aut qui percutiunt Clericos *c. Pueris fin. de sent. excom.* (8). 3. Ut sit subditus, unde probabilius cum Lugo, et aliis, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 138. Episcopus non potest ferre censuras in peregrinos, si illi iterum post monitionem non deliquerint. Item notandum Episcopos non incurrere censuras, nisi sint speciatim nominati; *c. Quia periculosum, de Sent. excom. in* 6.; sed hoc communiter dicunt

(1) l. 7. a. n. 1. ad 6. (2) n. 7. et 8. (3) n. 8. in fin. (4) n. 62

(5) n. 9. 10. et 11. (6) n. 12. et v. requir. 5. (7) ib. requir. 6. (8) n. 13 ad 15.

intelligi de suspensione, et interdicto, quia de ipsis tantum fit mentio in textu (1). Reges et reginae tantum a Papa possunt censurari, ut etiam communiter dd. (2). 4. Ut feratur in personam determinatam; hoc intelligitur tantum de excommunicatione, quia tota communitas potest quidem suspensioni, aut interdicto subiici: non autem excommunicationi, ut communiter Castr. Bon. Salm. etc. cum s. Thoma (3). imo neque excommunicari potest per modum sententiae aliquis incertus alicuius communitatis, loquendo de delicto iam patrato, Ronc. Salm., etc.: sed si prohibetur aliquod delictum in futurum sub poena excommunicationis, certum est omnes delinquentes illam incurrere (4). Advertendum hic, quod si Papa reperiret omnes communitatis reos, utique posset illos excommunicare; sed si hoc faceret Praelatus, esset illicitum; *c. Romana, de sent. excomm. in* 6., sed non invalidum, ut dicunt Avila Ledesma Salm. etc. Et Hostiens. Io. Monac. Archid. et Franciscus Philippus Probus, Felin. cum Ricc. et Rota (apud Fagn. *in* 2. *part.* 5. *lib. Decretal. c. Responso, de sent. excom.* ex *n.* 93. *et seqq.*) dicunt etiam hoc esse irritum, dum in cit. *c. Romana* dicitur: O*mnino prohibemus*, ac si dixisset auferimus potestatem ita excommunicandi: et Fagnan. ipse, qui priori sententiae adhaeret, dicit ideo primam sequendam esse, quia cum haec sit probabilis, tenenda est uti tutior. Quare Episcopus debet quemlibet reum nominatim excommunicare (5).

5. Praelatus regularis potest censura ligare suos subditos ubicumque isti reperiantur. Suar. Avila Tourn. Croix Salm., etc. commun.: sed Episcopus non potest censuram ferre, dum extra dioecesim moratur, ex Clement. *Quamvis*, *de Foro comp.* Excepto si subditi contumacia sit adeo manifesta, ut non indigeat cognitione causae, *can. Manifesta*, 2. *q.* 1. Excipitur etiam, si censura lata sit per modum praecepti, aut statuti, ad evitanda delicta communia (6). Contra Episcopus in dioecesi existens recte potest per sententiam subditum alibi morantem censura ligare, ut dicunt communiter Bon. Coninch. Tourn. Conc. Dian. Salm., etc. contra Pontium, etc.; et tunc pro citatione satis erit (ut dicunt Salm.) si citetur aut domi, aut in loco publico proprii territorii per *Edictum*, ut statuit Trid.; sed hoc intelligitur tantum pro delictis in proprio territorio, non autem extra illud, patratis, ut dicunt Suar. Bonac. Salm., etc. (contra Sayr. etc.) ex *c.* 2. *de Const. in* 6. (7). Quod si ab Episcopo lata censura fuerit in aliquem per praeceptum particulare, v. g. si tale crimen committet, probabilius est eam incurrere delinquentem, licet extra dioecesim deliquerit, quia praeceptum afficit personam, ideoque eam ligat ubicumque reperiatur, ad differentiam statuti, quod afficit locum; ita probabiliter Suar. Laym. Bonac. Croix Spor. contra Tourn. Ronc. Avil. Holzm., etc. quorum sententia etiam est probabilis (8).

6. Episcopus utique potest ligare censura peregrinum in dioecesi sua delinquentem, *cap. fin. de Foro comp.*; semper tamen hoc intelligitur, modo reus sit factus contumax, ut dictum fuit *Tr.* 16. *n.* 138. *in fin.*, et modo Episcopus citaverit reum antequam hic profectus sit ab eius territorio (9). Peregrinus modo alicubi moretur animo per maiorem anni partem ibi morandi, incurrit censuram per modum statuti generalis latam pro futuris criminibus, v. g. adversus furantes in ecclesia, secus vero, si peregre ibi moratur, aut si censura est per modum praecepti in casu particulari, puta adversus non revelantes latrones: ita Suar. Silv. Sayr. Salm. etc. (10).

7. Quaeritur 3. quaenam requi-

(1) l. 7. n. 15. (2) n. 16. (3) suppl. q. 22. a. 5. ad 2. (4) l. 7. n. 18. (5) n. 19.

(6) n. 20. et 21. (7) n. 22. (8) n. 23. (9) n. 26. (10) n. 27.

runtur ad incurrendam censuram gravem, puta excommunicationem maiorem, aut suspensionem ab omni usu, et ad longum tempus? Requiritur 1. peccatum grave, nempe quod materia importet culpam gravem (1). Sed in dubio gravitatis materiae obligat praeceptum Superioris, quia in dubio possidet potestas eius, ut recte dicunt Salm. et Corneio (2). Et cum praeceptum est impositum sub censura *latae sententiae* iam obligat sub gravi, licet materia non esset ex se gravis, sed esset talis, ut valde conduceret ad finem intentum. Secus autem si materia non esset de se gravis, et censura esset *ferendae sententiae*; ita Sot. Avil. Ronc. Salm. etc. (3). 2. Requiritur actus externus, qui posset ab aliis externe cognosci; unde si quis diceret, *ita est*, intelligendo ita haeresim confirmare, non incurrit excommunicationem, ut communiter dicunt Suar. Tourn. Conin. Sayr. Salm. Et debet item esse graviter externus, proinde non est excommunicatus, qui leviter percutit clericum, licet illi sit animus eum occidendi: ita iidem aa. (4). 3. Requiritur actus peccati consummatus, nisi aliter lex exprimat: ita etiam communiter Sanch. Suar. Castr. Bonac. Salm. Bon. Bus. etc. (5). Sed hic quaeritur 1. an censura imposita mandantibus aut consilium dantibus aliquod crimen committi, incurratur ab ipsis, quando crimen non est in effectum perductum? Resp. quod si censura principaliter sit lata in eos, utique incurritur quoties mandatum, aut consilium est iam ab ipsis praestitum; secus si censura est imposita ob delictum quod principaliter est vetitum, licet a mandato sit proveniens; quare non incurrit mandans percussionem clerici, si illa non evenit, Bonac. Bus. Salm. Croix, etc., et ita pariter excusant Navar. Salm. Croix, etc. eum qui dedit mandatum aut consilium ei, qui iam paratus erat delicto patrando (6). Quaeritur 2. an incurrat censuram qui dubitat an suum mandatum aut consilium influxum dederit? Negant Salm. et alii, quia poena non incurritur, nisi constet de delicto, et de effectu secuto: sed affirmant Sanch. Croix Dicast., etc., quia in dubio possidet delictum. Utraque sententia est probabilis, iuxta dicta *Tr.* 10. *n.* 45. (7). Quaeritur 3. an incurrat censuram consilium dans, cum consilium revocat, antequam executioni detur? Affirmant Navar. Bonac., etc. cum p. Concina, qui caeteroquin oppositum docuit circa restitutionem, uti vidimus in dicto *Tr.* 10. *n.* 48. ubi nos dissensimus a p. Concina; sed hic etiam ab eo dissentimus cum Suar. Castr. Laym. Avil. Salm. Viva, et aliis communius, quia Ecclesia non potest ligare censuris, nisi contumaces usque ad criminis executionem (8), ut in simili dicemus de irregularitate, an incurrat qui propinat venenum clerico.

8. Requiritur 4. ad incurrendam censuram contumacia, quae importat contemptum censurae. Et ex hoc 1. infertur quod ad incurrendas censuras non sufficit scientia legis ecclesiasticae (et etiamsi delictum sit prohibitum lege divina), sed requiritur amplius scientia ipsius censurae; quare communiter dicunt Suar. Caiet. Castr. Fill. Bonac. et alii, excusare a censura ignorantiam, non solum antecedentem, sed etiam concomitantem: *concomitans* esset si quis occideret clericum ignorans esse clericum, sed eo animo paratus, quod si scivisset etiam occidisset (9). Excusat etiam ignorantia crassa, cum censura est lata in *audentes*, aut *praesumentes*, aut *consulto*, aut *temere peccantes*; ita Sanchez Escob., etc. Imo tunc admittunt Bon. Roncag. Sanch. Salm. Silv., etc. (contra sententiam Suar. Castr. Tour. Conc. etc. quae caeteroquin est communior) quod excuset etiam ignorantia affe-

(1) l. 7. n. 29. ad 31. (2) n. 32.
(3) n. 33. (4) n. 34. (5) n. 36.

(6) n. 37. et 38. (7) n. 39. (8) n. 40.
(9) n. 43

etata: et reapse id nequit dici improbabile, quia in ipsa (loquendo in rigore) non adest dolus formalis, qui inducit verum contemptum censurae (1). Infertur 2. valde probabiliter cum Suar. Castr. Bon. Salm. Conin., etc. quod metus gravis etiam excuset a censura, licet crimen, super quod inflicta est, sit vetitum lege divina (modo non peccetur in contemptum legis): nam metus excusat a lege humana, uti humana accepta. Infertur 3. quod censura, licet possit ferri ob crimina futura, ut communiter et valde probabiliter dicunt Laym. Coninch. Abbas Spor. Viva, etc. (adversus Tourn.), et uti iam practicatur ad ea vitanda; nihilominus non potest imponi ob peccata mere praeterita, et quae non habent tractum successivum, ubi non praecesserit rei admonitio: quia alias deest contumacia. Hoc tamen intelligitur tantum pro excommunicatione, dum suspensio et interdictum possunt infligi pro delictis praeteritis per modum purae poenae, ut dicunt Castr. Bon. Salm. Coninch., etc. (2). 4. Infertur necessariam esse monitionem canonicam, cum intervallo sex dierum, ad minus, nisi adsit iusta causa tempus abbreviandi. Hoc intelligitur pro licitudine, quia pro validitate censurae sufficit ut intercesserit monitio; ideoque aliquando sufficit una. Item intelligitur pro censuris ab homine per sententiam particularem, nam pro aliis a iure latae sententiae eadem lex est ac illa quae monet, sicut probabilius dicunt Bon. Sanch. Filliuc. Boss. Avil (contra Suar. Castr. Laym. et Salm.); et idem valet pro censuris ferendae sententiae, quia in illis iam habetur monitio, et contumacia; modo reus sit citatus ante censurae declarationem quando delictum non est omnino notorium, ut recte advertunt Tol. Bon. et aliii (3).

9. Ad hoc autem, ut licite feratur censura, debet iudex eam scripto ferre, adnotatis ibi distincte persona, censura et causa in specie, exhibita copia censurando, si forte ille eam exquisiverit. Dictum est *licite*, quia si feratur, posthabitis solemnitatibus, censura erit valida, sed iudex peccati gravis fiet reus, ac erit per mensem suspensus a Divinis, et ab ingressu ecclesiae, *c. Cum medicinalis* 1. *de Sent. excomm. in* 6. Hoc tamen intelligitur de censuris latis per modum sententiae praevia citatione, et causa cognita; secus autem de aliis, quae feruntur per leges naturales, aut etiam per praeceptum particulare, minando alicui, v. g. si aliquid tale agat. Item non comprehenduntur in hoc iudices illi qui, aliqua urgente causa, et dilationem non patiente, praefatas solemnitates omitterent, aut si id facerent ex ignorantia licet culpabili, dum in textu dicitur: *Si quis temerarius*, temeritas scientiam supponit (4). Item sententia censurae non est ferenda die festo, nisi contumacia esset adeo evidens, ut cognitione causae opus non esset, *cap. Evidentia de accusat.* (5).

10. Notandum denique quod si quis reapse esset innocens, sed contra ex probatis iuste esset censuratus, hic licet in conscientia non ligaretur censura, nec fieret irregularis administrando in *Sacris*, attamen in externo se gerere debet, tamquam censuratum, ad evitandum scandalum: ita communiter Suar. Castr. Coninch. Salm. et Croix. Et idem est, cum certe est censura contracta, et dubitatur de iustitia illius, aut de absolutione ab illa, quia tunc possidet potestas iudicis, unde reus se tenere debet uti censuratum, ut commun. Castr. Croix Suar. Salm. Sanch. etc. (6); secus autem, cum dubitatur an incurrerit nec ne censuram, sive dubium sit *facti*, v. g. utrum percussio fuerit nec ne graviter iniuriosa clerico; sive *iuris*, v. g. utrum censura sit *latae*, an *ferendae* sententiae; ita pariter commun. Sanch. Bon. Holzm. Ronc. Salmant. ex s. Thoma (7). Sed

(1) l. 7. n. 48. (2) n. 51. et seqq.
(3) n. 55. et 56. (4) n. 59. ad 61.
(5) n. 65. (6) n. 66. (7) n. 67.

si iudex decerneret, v. g. aliquam solutionem sub poena censurae, reus licet pro se haberet probabilem opinionem se non teneri, tenetur tamen intra tempus a iudice praescriptum (aut prorogatum a creditore, qui alioquin, iuxta quod probabilius docent Suar. Castr. Tourn. Coninch. etc. (1), potest semper prorogare terminum). At si postea certus fieret de sua iustitia, tunc non tenetur nec ad solutionem, nec ad observandam censuram, ut dicunt Avila et Salm.; peccaret tamen (ut dictum est) in publico, non remoto scandalo, si censurae non pareret (2).

Punctum II.
De absolutione a censuris

11. *Qui potest absolvere a censuris.*
12. *De censuris per sententiam generalem. An Episcopus existens extra etc. Alia notabilia.*
13. *An requiratur formula, et an praesentia censurati, etc. De absolutione conditionata, et an extra confessionem, etc.*
14. *De requisitis ad absolutionem.*

11. Si censura lata est per modum sententiae particularis, plerumque ille tantum potest absolvere, qui eam tulit, aut eius Superior, aut successor, aut delegatus. Sed si imposita est a iure communi, tunc ab illa potest absolvere quilibet confessarius, uti commun. Tournely Sot. Coninch. Castr. Conc. Ronc. Salm. etc. cum s. Thom. (3). Et hoc habetur ex *cap. Nuper*, 39. *de sent. excomm.* ubi cum sermo fiat de excommunicatione non reservata (et idem intelligitur comm. a dd. de suspensione, et interdicto personali, Castrop. Sot. Vasq. et Salm. cum s. Thoma), dicitur *a suo Episcopo, vel a proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri*. Sub nomine *a proprio sacerdote* venit quivis confessarius approbatus, iuxta sententiam communem (4), et uti ostensum est *Tract.* 16. *n.* 86. *et* 96. *in fin*. Dictum est *approbatus*, quia simplices sacerdotes ne possunt quidem ab excommunicatione minori absolvere, quicquid aliqui dicant (5). Sed hic notanda sunt multa.

12. Notandum 1. huiusmodi absolutionem valere pro foro tam interno, quam externo; unde dicunt Roncaglia Conin. Castrop. Suar. Spor. Salm. etc. posse dari absolutionem etiam extra confessionem (6). Notandum 2. quemlibet confessarium posse pariter absolvere ab omnibus censuris latis ab homine per sententiam, non iam particularem, sed generalem: quia illae aequiparantur censuris latis a iure, ut probabilius dicunt Castrop. Ronc. Laym. Conc. Salm. Holzm. Coninc. Bon. Croix etc. communissime contra Suar. et Filliuc. (7). Notandum 3. Episcopum, extra dioecesim licet moretur, posse absolvere subditum a censuris, cum causae cognitione opus non est; Silv. Salm. Avil. etc.; secus, si quis extra dioecesim delinquit, et per sententiam particularem excommunicatus est ab Episcopo illius loci; tunc enim non potest a proprio Episcopo absolvi, nisi de Episcopi licentia; Coninc. Turrian. Diana Salm. etc. (8). Notandum 4. quod qui facultatem habet absolvendi a casibus papalibus, non ideo potest absolvere a casibus *Bullae Coenae*; Bon. Dian. Buss. (9). Ita pariter qui potest absolvere a censuris *Bullae Coenae*, non ideo potest absolvere ab haeresi, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, data 25. Nov. 1749. n. 53. (10): ita pariter facultas data ab Episcopo pro reservatis non intelligitur pro illis quibus annexa est censura reservata, ut ait Tamb.; secus autem si concessio est facta a Papa, dum casus papales plerumque sunt reservati cum censura et propter censuram; La-Croix etc. Et ita pariter facultas concessa in iubilaeo absolvendi ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur ex

(1) l. 7. n. 64. (2) n. 68. (3) supp. q. 24. a. 1. (4) l. 7. n. 69. et 70. (5) ib. et 71. (6) cit. n. 70 in fin. (7) l. 7. n. 72.

(8) ib. ad 1. et notand. 2. (9) n. 110. (10) n. 113

communi usu etiam reservatae ab Episcopis (1).

13. Notandum 5. ad absolvendum a censura in foro interno non requiri verborum determinatam formulam, sed sufficere quodlibet externum signum (cum caeteroquin satis non sit sola voluntas); Suar. Castr. Salm. etc. (2). Non requiritur praesentia censurati, quia certe etiam absens absolvi potest, ut habetur ex *c. De manifesta* 2. *q*. 1.; sed notant Sanch. Salm. etc., hoc non esse faciendum, nisi ex urgenti causa; et si absolutio obtinetur per procuratorem, hic speciale debet habere censurati mandatum ad absolutionem obtinendam. Potest absolvi etiam invitus, sed communiter hoc non licet (3). Notandum 6. absolutionem metu gravi et iniusto extortam irritam esse, et metum incutientem nova excommunicatione ligari, *c. un. de His qui vi, etc.* (4). Notandum 7. absolutionem datam, non satisfacta parte, si ab Ordinario concessa est, esse validam, licet certe illicitam, ut dictum fuit *Tract.* 16. *n.* 70.; sed si est data a Delegato, ut probabilius dicunt Suar. Spor. Vasq. etc., est etiam invalida, si in delegatione apposita est clausula *satisfacta parte*; licet opinio opposita Sanch. Castrop. Bonac. Ronc. Salm. etiam sit probabilis, quoties in concessione non exprimitur clausula irritans absolutionem (5). Notandum 8. valere absolutionem conditionatam de futuro: sed illicitam iusta causa non existente; Suar. Coninc. Salmant. Ronc. etc., et tunc, conditione verificata, censura aufertur (6). Contra licite datur absolutio cum *reincidentia*, nempe quod si absolutus intra tempus praefixum suae obligationi non satisfaciat, in eamdem censuram reincidat, sed tunc iuxta probabiliorem sententiam Laym. Con. Castr. Ronc. Tourn. Salm. etc. contra Suar. Bon. etc. requiritur nova culpa, qua deficiente, non potest renasci illa censura quae semel sublata est, nam non possunt censurae sine Pontificis auctoritate suspendi. Et idem dicunt Laym. Conin. Salmant. etc. tenendum esse quando Papa absolvit *ad omnem effectum*, licet cum reincidentia (7). Notandum 9. probabile esse cum Sanch. Con. Salmant. Ugolin. Buss. etc. contra Suar. et Navarr. quod qui facultatem habet absolvendi a censuris in foro conscientiae, potest absolvere etiam extra confessionem (8). Sed excipiendi sunt casus papales occulti qui ab Episcopis non possunt absolvi, nisi in confessione, iuxta Declarationem Gregorii XIII. ut dicetur *Tract.* 20. *n.* 32.

14. Notanda denique sunt requisita ad absolutionem. Haec sunt I. satisfactio praecedens parti offensae, nisi illa remiserit, aut iustam recusaret satisfactionem, aut nisi reus esset impotens; quod si tunc sine gravi incommodo satisfacere nequiret, sufficiet cautionem praestare si potest, aut saltem iuramentum satisfaciendi, *cap. Odoardus, de Solut.* et *cap.* 23. *de Verb. sign.* modo, intelligitur, creditor idem incommodum non pateretur; Navar. Coninc. Salm. etc. (9) II. Iuramentum de non reincidendo in idem crimen, *cap. De caetero*, et *c. ex Tenore, de sent. excomm.*; sed hoc intelligitur quando delictum est enorme, ut percussio clerici, usura publice exercita; ita communiter Suar. Cast. Conin. etc. (10). III. Petitio absolutionis, *c. Per tuas, de sent. excomm.*; licet dicat s. Thomas (11), quem secuti sunt Castrop. Coninch. Salm. etc., quod si reus iam emendatus fuisset, confessarius potest eum absolvere, etiam licet invitum, cum privilegium est concessum confessario non poenitenti, cum textus non dicit *non potest*, sed tantum *non debet*. An si poenitens, contingente casu quod confitetur habenti facultatem, obliviscatur se accusare de reservato,

(1) l. 7. n. 111. (2) n. 116. (3) n. 117. (4) n. 119. (5) n. 120. et 121. (6) n. 123. (7) n. 125. (8) n. 126

(9) n. 127. et 128. (10) n. 129. (11) suppl. qu. 24. art. 2.

remanet ab eo absolutus? communissima est sententia affirmativa; nihilominus mihi probabilior videtur opposita, ut diximus *Tract.* 16. *n.* 140. (1). Quod si absolutio data fuisset ex causa falsa, tunc videndum est an talis causa sit principalis, quia si esset principalis, irrita esset, modo iudex non esset certe conscius falsitatis; ita communiter Suar. Bon. Tournel. Castrop. Sayr. Salmant. Avila etc. (2).

CAPUT II.

DE CENSURIS IN SPECIE

Punctum I.

De excommunicatione maiore.

15. *De communicatione cum toleratis, et vitandis.*
16. *Cum percussoribus clericorum.*
17. *De effectibus excom. mai. I. Privat usu passivo Sacramentorum.*
18. *II. De suffragiis etc., et an possit orari, etc. III. De usu activo Sacramentorum. IV. De usu divinorum officiorum, de Sacramentalibus, etc.*
19. *V. De beneficiis, de dignitatibus, et pensionibus.*
20. *VI. De communicatione forensi. VII. De iurisdictione. VIII. De sepultura. IX. De communicatione civili (de qua in puncto sequenti).*

15. Excommunicatio, generaliter loquendo, definitur *Censura qua quis privatur communione Ecclesiae.* Sed hic distinguere oportet excommunicationem minorem a maiori; minor (de qua loquemur in puncto 2.) privat tantum communione passiva, sive susceptione Sacramentorum; maior (de qua hic est sermo, et de qua intelligitur cum absolute fit mentio excommunicationis) privat etiam activa, et omni genere communicationis, spiritualis et temporalis. Excommunicati autem excommunicatione maiori alii dicuntur *tolerati*, alii *vitandi*; sciendum tamen est, quod antiquitus omnes excommunicati erant vitandi, sed Conc. Constant. declaravit nominatim excommunicatos et denuntiatos, et publicos percussores clericorum, aut Regularium vitandos dumtaxat habendos esse, non vero alios (3). Igitur non adest obligatio vitandi excommunicatos etiam notorios, licet haereticos, nisi isti sint nominatim excommunicati, expressis nomine et circumstantiis personae, atque amplius nisi sint publice denuntiati, nempe declarati excommunicati, in loco publico, aut scripto, aut voce. Sed advertendum est quod Concilium declaravit hac ratione velle prospicere tantum bono fidelium, non autem excommunicatorum; unde isti semper peccant cum communicant cum aliis, tam in *divinis*, quam in *civilibus*. Alii autem non peccant communicando cum toleratis etiam in *divinis*. Et licet aliqui dicant peccatum esse communicare cum toleratis sine causa, saltem quia (ut dicunt aliqui) inducitur tunc excommunicatus ad actum illicitum; alii tamen communius cum Sanch. Bon. Castrop. Sot. Sayr. Corneio Hurtad. Salmant. etc., et valde probabilius dicunt licere communicare cum illis indifferenter; quia cum toleratus est requisitus a fidelibus ad communicandum, v. gr. ad ministranda eis Sacramenta, nec ille quidem peccat: nam si peccaret, esset inutilis, aut saltem non esset generalis illa licentia data fidelibus, ut possint cum ipsis communicare, dum saltem indirecte ratione charitatis esset aliis vetita illa communicatio. Unde fit quod Concilium dando universe facultatem fidelibus communicandi cum toleratis, indirecte concedit etiam toleratis potestatem communicandi cum aliis, cum ab ipsis requisiti sunt (4). Et quod dicitur de excommunicatis, idem dicitur a communi dd. de suspensis, et interdictis non vitandis, cum Concilium loquitur de omni censura. Et idem dicit Avila etiam de irregularibus, qui si denuntiati non sunt, non sunt vitandi (5).

(1) l. 7. n. 130. et 131. (2) n. 132. (3) n. 133. et 135. (4) n. 139. (5) n. 140.

16. Percussores autem clericorum ut sint vitandi, debent esse publici et notorii, adeo ut, dicit Conc. Constant.... *sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit* (eos) *incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari* (1). Itaque requiritur notorietas facti, nempe quod percussio sit nota maiori parti regionis vel viciniae, aut monasterii, ubi factum accidit, aut magno numero personarum, si regio est magna; cum caeteroquin ad hoc sufficiat, ut dicunt Castr. Bonac. Salm. Sayr. etc., fama communis quae ortum habuit a personis fide dignis; modo (ut advertunt Viva Avila et Dicastillus) fama non sit tantum de percussione, sed de percussione publice patrata. Adeo ut, cum delictum est occultum, non tenetur ad vitandum percussorem qui scientia privata id cognoscit. Quaeritur autem, an praeter notorietatem facti requiratur etiam notorietas iuris? Et est probabile eam requiri cum Pignatel. Covar. Avil. Ronc. Salm. Viva etc., dum Concilium dicit, ad vitandum percussorem omnino requiri certitudinem, non tantum quod ille clericum percussit, sed etiam quod excommunicationem incurrit, ita ut *factum non possit aliqua tergiversatione celari:* et insuper, *nec aliquo suffragio excusari*. Hinc fit quod cum reus non est confessus in iudicio, aut non est condemnatus, aut saltem crimen non est probatum, raro accidet quod sit vitandus; quia communiter loquendo quasi semper ille se defendere potest non incurrisse censuram, asserendo v. gr. aut se ad sui defensionem percussisse, aut tunc sui compotem non fuisse, etc.; ita ut possit aliquo suffragio excusari (2). Si quis autem est publicus percussor, aut excommunicatus denuntiatus alicubi, non est vitandus alibi, ubi est occultus (modo eo notitia brevi non perventura sit), ut probabilius dicunt Castrop. Sanch. et Salm. contra alios; quia revera factum publicum in una regione, in alia, ubi non est notum, scandalo non est, quod praecipue voluit Concilium vitari (3).

17. Effectus excommunicationis maioris, alii sunt remoti et alii proximi. Remoti sunt duo: 1. irregularitas, quam incurrit excommunicatus si actum Ordinis sacri exercet; 2. est quod si excommunicatus per annum pertinaciter in excommunicatione, aut alia censura perdurat, fit suspectus de haeresi, et ut talis debet privari beneficiis; ita communiter doctores ex Trident. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* (4). Effectus autem proximi sunt novem, et 1. excommunicatio privat usu passivo, nempe potentia Sacramenta suscipiendi: modo non excuset timor gravis damni, et non sit in contemptum censurae, communiter Bonac. Laym. Fill. Salm., etc. (5). Communissima autem est sententia, et est verior, cum Caiet. Castrop. Bon. Coninc. Salm. Croix, etc. contra aliquos, valide posse absolvi sacramentaliter antequam absolvatur a censura, cum omnia requisita concurrunt (6). Hic notandum quod minister conferens Sacramentum excommunicato tolerato, peccaret contra ius divinum, ministrando Sacramentum indigno, non autem contra Ecclesiae praeceptum iuxta dicta *num.* 15., cum per se licitum sit communicare cum toleratis etiam in Divinis. Ex quo probabiliter infertur licere ministrare Sacramentum excommunicato, quando iste esset in bona fide. Item dicunt Suar. Nav. Castr. Bon. Salm. Croix Coninch., etc. quod in dubio an quis nec ne sit absolutus ab excommunicatione, potest illi Sacramentum ministrari si petat; maxime si affirmat se fuisse absolutum, quia in dubio nemo praesumitur mendax (7).

18. 2. Privat posse lucrari indulgentias, participatione suffragiorum communium, et orationum publica-

(1) l. 7. n. 135. (2) n. 141. ad 144.
(3) n. 145. (4) n. 157. (5) n. 158.

(6) n. 158. v. dixi, et n. 159.
(7) n. 160

rum Ecclesiae, sed non privatarum: hinc potest orari privatim pro excommunicato, etiam a sacerdote in Missa, modo iste oret, non tanquam Ecclesiae minister, sed ut persona privata: s. Thomas et alii communiter (1). Quaeritur an possit orari nomine Ecclesiae pro toleratis? Negant Bellarm. Suar., etc.; sed affirmant Nav. Castrop. Salmant. Conc., etc. ex concessione facta a Concil. Constant. ut indistincte communicari possit cum toleratis. Utraque sententia est probabilis (2). Contra non puto probabilem opinionem aliquorum quod possit publice orari pro vitandis qui sunt in statu gratiae, cum per ipsos non stet, quominus absolvantur (3). 3. Privat usu activo Sacramentorum, sive administratione eorum. Hoc intelligitur de administratione licita, nam de valida certum est excommunicatum valide administrare Sacramenta, ac assistere matrimonio, sicut diximus *Tr.* 18. *n.* 71. praeter Sacramentum Poenitentiae, quia excommunicatus vitandus omni iurisdictione privatur, *cap. Omnis de Poenit. et rem.*; et hoc etiam in morte, ut diximus *Tr.* 16. *n.* 92. Dico *vitandus*, quia toleratus non privatur iurisdictione; Salmant. Croix, cum aliis communiter (4). Quoad autem administrationem licitam, toleratus quoties est requisitus, licite Sacramenta ministrat: hinc probabiliter dicit Castr. quod occurrente die festivo, si alter desit sacerdos, potest toleratus celebrare, modo absit scandalum; dum iuremerito tunc praesumitur populus petere ab eo Missam (5). Excommunicatus contra qui illicite administrat Sacramenta fit irregularis, *cap. ult. de Cler. excom. ministr.* Et idem currit, si benedicit nuptias, aut solemniter baptizat; secus vero si privatim. Dubium fit inter dd. an vitandus administrando Sacramentum Poenitentiae fiat irregularis? Alii negant: sed nos affirmamus cum sententia communissima; ex *can. Si quis* 7. *caus.* 11. *q.* 3. (6). Similiter fit irregularis sacerdos excommunicatus, qui coram se celebrare alium facit, ex *cap. Tanta, de Excess. Prael.* (7). Qui recipit Sacramentum a vitando peccat graviter et incurrit excommunicationem minorem, et qui recipit Ordinem incurrit etiam suspensionem ab Ordine recepto, *cap. Cum illorum*, §. *fin. de sent. excomm.* 4. Privat usu divinorum officiorum, ideoque excommunicatus non solum privatur fructu illorum, sed nec potest quidem illis interesse sine peccato gravi; et dicit s. Thomas (8), quod si forte incepisset Sacrum, et non adhuc consecrasset, tenetur illud deserere; modo non excusaretur a necessitate evitandi scandalum, aut ab alia iusta causa, ut addunt Suar. Bonac., etc. (9). Caeterum excommunicato non vetatur usus Sacramentalium, non iam ut ab illis fructum capiat, sed ut illa veneretur. Potest etiam dum recitantur divina officia ecclesiam ingredi ex aliqua iusta causa, verb. gr. ut satellitum aufugiat manus, et tunc potest, privatim tamen, orare, sicut probabiliter dicunt Cai. Palud. Turr. Coninch. Salm. et Bonac., quia orando privatim, iam non dicitur communicare cum aliis, et tunc non tenentur sacerdotes cessare a Divinis, nec eum foras expellere (10). Excommunicatus tamen si omnino vellet interesse Sacro, aut aliis publicis functionibus, proculdubio peccat graviter, et si monitus nolit exire, incurrit excommunicationem papalem, *cap. Eos, de sent. exc.* Et idem valet de interdicto, et de omnibus iis, qui impediunt excommunicatum aut interdictum ne discedant: Castr. Bon. et Salm. ex *cap. Gravis, eod. tit.* (11). Item advertendum, quod si excommunicatus tenetur ad Horas canonicas, licet ex solo titulo beneficii, et

(1) l. 7. n. 162. (2) n. 164. (3) n. 163. (4) n. 165. ad 168. (5) n. 169. (6) n. 171. (7) n. 175. in fin. (8) 3. p. q. 83. a. 6. ad 2. (9) l. 7. n. 173. (10) n. 174. (11) n. 175.

ob excommunicationem nequit exigere fructus, non excusatur ab illis, quia hoc culpa sua evenit; Suar. Castr. Nav. Laym. Croix et Salm.: qui notant una cum Avila et Covarr. quod si ille omnino sit privatus beneficio, tunc non tenetur ad Horas canonicas, et excommunicatus recitando officium, non potest dicere, *Dominus vobiscum*, sed dicere debet, *Domine, exaudi orationem meam*, secus peccaret, licet nonnisi venialiter, uti communiter volunt Bonac. Salm. Tour. Gonet. Corneio, etc. Imo Avila et Nav. excusant ab omni culpa, si illud recitaret sine socio (1).

19. 5. Irritat omnem collationem et electionem excommunicati ad beneficia, *c. Postulastis, de Cler. exc. min.* Et hic notandum 1. quod non solum peccat graviter qui beneficium recipit, sed etiam ille qui ei illud confert, et hic praeter excommunicationem minorem, incurrit suspensionem a collatione, ex *cap. cit.* Notandum 2. hoc intelligi cum tempore praesentationis, aut electionis beneficii electus erat iam excommunicatus; alias valide acceptat beneficium et possessionem capit, licet tempore acceptationis reperiatur excommunicatus, quia acceptatio et possessio non sunt actus iurisdictionis; ita Cast. Av. Bonac. Covar. Salm. (contra Suar.). Contra collatio facta excommunicato est irrita, licet tempore acceptationis reperiatur absolutus ex sententia communi, unde tunc requiritur nova collatio, aut saltem (ut dicunt Less. Nav. Salm., etc.) ut collator perseveret in prima intentione. Notandum 3. excommunicatum teneri ad restituendos omnes fructus perceptos ex beneficio, licet postea absolutus sit, et iterum obtineat idem beneficium, quod prius suscepit in mala fide. Si tamen iam satisfecisset per se aut per alium officio illi adnexo, dicunt Coninc. Salm. Bon., etc. posse sibi retinere fructus perceptos tanquam vacantes, et debitos successori in beneficium, sed hoc intelligitur pro locis ubi non viget lex *spolii*. Notandum 4. quod quae dicta sunt de beneficio, intelliguntur etiam de dignitatibus ecclesiasticis, Episcopatibus, Prioratibus et similibus; Suar. Castr. Bon. et Salm. An autem idem currat pro dignitatibus saecularibus? Affirmant Bon. Salm. etc.; sed probabiliter etiam negant Cast. Fill. Henr. et Coninch., quia revera non adest lex qua declarentur invalidae pensiones ecclesiasticae, quae dantur ob aliquod officium ecclesiasticum, v. gr. Vicario, aut coadiutori Episcopi: Suar. Castr. Salm. communiter (2). Notandum 5. non solum vitandos, sed etiam toleratos esse inhabiles ad beneficia, dignitates et pensiones iuxta allata superius, sicut recte dicunt Suar. Tourn. Av. Castr. Coninch. Salm., etc. contra Nav. Less. Giball. Hurt., etc.; dum verum est quod per Concil. Constant. est concessum aliis communicare cum excommunicatis toleratis, sed ipsi excommunicati semper sunt incapaces; non enim per se possunt suo muneri satisfacere. Ego exciperem casum dumtaxat si illud munus esset exercendum in commodum collatoris: unde recte animadvertunt Salm., quod per ipsummet Concilium sublata sit suspensio imposita ex cit. *cap. Postulastis*, conferenti beneficium tolerato (3). Notandum 6. irritam esse collationem factam excommunicato, licet ille invincibiliter ignorasset excommunicationem, qua innodatus erat, aut crederet iam esse absolutum: Sanch. Less. Suar., etc.; probabiliter tamen tenent Cabass. Fab. Salm., etc. validam esse collationem huiusmodi excommunicato factam a Superiore cum absolutione ad cautelam *ad effectum praesentis collationis* (4). Notandum denique quod ille, qui excommunicatus fuit post collationem, non tenetur ad restituendos fructus beneficii ante iudicis sententiam, quoties ipse per se, aut per alios adimplevit onera: ita probabilius Sanch.

(1) l. 7. n. 178. (2) n. 180.

(3) n. 181. (4) n. 182.

Tourn. Laym. Bon. Castr. Coninch. Salm. Av., etc. contra Suar. Conciu. etc. ex generali ratione, quod poenae quae requirunt actionem aliquam rei indigent semper sententia, saltem declaratoria: vide dicta *Tr.* 2. *n.* 25. et dicenda in *Appendice* 3. *de Exam.*, etc., *n.* 64. Contra certum est, quod post sententiam tenetur ad fructuum restitutionem donec absolvatur, modo paupertate non laboraret, et eos applicasset sibi; hoc potest sibi prodesse dumtaxat in casu, quo per se non staret, quominus absolvatur; Laym. Sylvest. Castr. Salm. Av., etc. (1).

20. 6. Privat communicatione Forensi. Quare excommunicatus nequit esse iudex, scriba, testis, advocatus, procurator, nec potest agere in iudicio; et licet toleratus etiam possit repelli, attamen hic valide agit, *cap. Pia*, *de Sent. exc. in* 6. Caeterum etiam vitandus semper potest defendi ex se ipso, et etiam actorem convenire in ius. Imo, ut dicunt Avila Castr. et Salm. toleratus potest defendere etiam alios. Sententia iudicis vitandi non tantum est illicita, sed etiam invalida. Testificatio tamen vitandi non est irrita, sed potest repelli. Excommunicatus nec potest esse tutor, nec curator, nec executor testamentarius (si repellitur), nec licite potest inire contractus, nec testari, licet contractus et testamentum sint valida (2). 7. Privat iurisdictione: quare excommunicatus (intellige vitandus) non potest nec legem ferre, nec sententiam, nec praesentationem, aut electionem ad beneficia; quia haec sunt omnino irrita. Dico *vitandus*, quia actus tolerati sunt validi, sed illiciti, nisi eos excuset necessitas (3). 8. Privat sepultura ecclesiastica, adeo ut cadavera excommunicatorum dehumanda sint a sepulturis (quoties certo secerni possunt); et ubi sepultum est cadaver vitandi (non autem tolerati, licet haeretici, sed non nominatim denunciati) non potest celebrari, nisi prius reconcilietur ecclesia, *cap. Sacris*, *de sepult.* Quod si excommunicatus non toleratus decessisset cum signis poenitentiae, eius cadaver absolvendum est a censura, et sepulturae postea mandandum: Castr. Salm. et Corneio. Qui sepelit excommunicatum incurrit excommunicationem maiorem, ex Clem. 1. *de Sepult.* Illi vero qui funus associantur, aut canunt preces, et probabiliter etiam illi qui curant sepeliendum, ut dicunt Caiet. Bon. Av. Salm., etc. peccant quidem graviter, sed non incurrunt censuram (4). 9. Privat denique excommunicatio etiam communicatione civili cum fidelibus, sed de hac loquemur puncto sequenti.

(1) L. 7. n. 183. (2) n. 184. (3) n. 185.

Punctum II. *De excommunicatione minori, et eius effectibus.*

21. *Actus, quibus incurritur excommunicatio minor, sunt: I. Os. II. Orare. De expellendis vitandis. III. Vale. De resalutatione, et rescriptione. IV. Communio. V. Mensa.*
22. *Quale peccatum sit communicare cum vitando, et quando est grave*
23. *Pro quibus causis potest quis communicare cum vitando. I. Causa utilitatis. II. Matrimonii.*
24. *III. Subiectionis.*
25. *IV. Ignorantiae.*
26. *V. Causa necessitatis.*
27. *De effectibus excommunicationis minoris; et an vetet Sacramenta ministrare, et beneficia recipere.*

21. Excommunicatio minor ob unicam causam incurritur, nempe ob communicationem cum excommunicato vitando in actibus comprehensis in versu sequenti, declaratis iam in *Canon. Excommunicato* 2 *quaest.* 3.

1. *Os*, 2. *Orare*, 3. *Vale*, 4. *Communio*, 5. *Mensa negatur*.

1. *Os*: intelligitur omne colloquium, aut per litteras communicatio, et quodlibet aliud benevolentiae signum, ut est dona mittere, aut recipere, etc. ita dd. (5). 2. *Orare*; intelligitur quaecumque communicatio in *Divinis*,

(4) n. 186. (5) n. 189.

ut est assistere publicis functionibus Missarum, processionum, benedictionum, Horarum canonicarum, etc. Hinc est quod clerici in eo casu, cum celebrantur divina officia, aut functiones publicae fiunt, tenentur illum expellere, si possunt; sin minus, debent cessare a Divinis, et sacerdos Missam interrumpere, nisi incoeperit canonem: sed si illum incoepisset, probabile est quod possit prosequi, sicut dicunt Suarez Henriq. et Busemb. licet posset Missam interrumpere, sicut volunt Bonac. et Corneio: quod si iam consecrasset, certum est debere sacerdotem Missam prosequi, sed tantum usque ad Communionem. Alias praefati Ecclesiastici incurrunt excommunicationem minorem, et peccant graviter (1). Recitare tamen officium cum excommunicato vitando privatim, probabiliter Suarez Bonac. Coninch. Busemb. Salm., etc. excusant a mortali. An autem seculares, qui intersunt Missae cui assistit excommunicatus vitandus, peccent graviter; affirmant Bon. Salm. Avila et Dian. et excusant tantum ob parvitatem materiae, si v. gr. assistentia esset usque ad Evangelium; sed universaliter eos excusant a gravi Suar. Castr. Salm. Filliuc. Sayr. Henriq., etc. dicendo talem communicationem esse remotam et accidentalem; modo ipsi non sint causa cur excommunicatus ibi assistat. Nemo tamen eos excusat a veniali, et ab excommunicatione minori (2). Contra communiter Bon. Fill. Henriq. Suar. Coninch., etc. excusant ab omni culpa eum qui oraret in ecclesia in loco separato; aut alii assisteret Sacro ab illo cui assistit excommunicatus (3). 3. *Vale*: intelligitur quaelibet salutatio, aut honoris significatio; sed communissime s. Antonin. Nav. Mai. Fill. Sot. Avila Sayr. Bonac. Castr. Salm. Escob., etc. admittunt probabile esse licere certa signa urbanitatis exhibere erga excommunicatum; quia huiusmodi actus non exhibentur, ut ei honor praestetur, sed ut inurbanitatis, et contumeliae nota vitetur; maxime si excommunicatus est Superior, aut persona publica, puta Episcopus, Praetor, etc. (4). An autem liceat rescribere, aut resalutare excommunicatum; affirmant Filliuc. Henriq. Bus. Castr., etc., quia hi actus (uti dicunt) sunt potius debiti solutio, quam honoris significatio; sed saltem quoad rescriptionem videntur probabilius negare Avila Bonac. Holzm. et Salm., quia excommunicato non amplius debentur hi convenientiae actus in poenam sui criminis. Dixi *saltem quoad rescriptionem*, quia quoad resalutationem non auderem damnare contrariam uti improbabilem, dum resalutatio illa non videtur proprie actus honoris et contra negatio illius videtur actus inurbanitatis et contemptus: rescribere vero videtur vera communicatio (5). 4. *Communio* comprehendit omnem contractum, societatem, et cohabitationem; sed cohabitatio intelligitur per modum societatis; quia sub eodem tecto dormire, et etiam in eodem lecto, tantum ad quiescendum, non est vera communicatio, nec vetitum, ut probabiliter dicunt Suar. Bonac. Castrop. et Salm. (6). 5. *Mensa*; intelligitur, cum invitatus ad mensam ab excommunicato, eius domum adit, licet in diverso cubiculo accumbat; Suar. Bonac. Salm.; secus vero si casu in hospitio, domo aut itinere accideret, ut cum excommunicato accumberet, etiam in eadem mensa, uti probabiliter dicunt Suar. Layman Sayr. Spor. Castrop. Holzman, etc. (7).

22. Quaeritur 1. quale peccatum committit, et qualem excommunicationem incurrit qui communicat cum excommunicato vitando? Respondetur generaliter loquendo, quoad peccatum, peccat tantum venialiter. Sed hic notandum quod sufficit peccatum veniale ad incurrendam excommunica-

(1) l. 7. n. 176. et 177. (2) n. 173. et 176. (3) ib. et 176. in fine. (4) n. 192.

(5) n. 193. (6) n. 194. (7) n. 195.

tionem minorem; sed quando veniale non est plene deliberatum, illa non incurritur; nam nulla poena incurritur propter illos actus, qui non sunt perfecti in genere suo (1). Item notandum quod licet in confessione possit omitti veniale, attamen non potest omitti illud ob quod incursa est excommunicatio, quia cum illa non potest Sacramentum suscipi (2). Tribus casibus autem cum excommunicato communicans peccat graviter, ut dicit s. Thomas (3) cum aliis communiter. 1. Si communicat in contemptum prohibitionis Ecclesiae. 2. Si communicat in *Divinis* in materia gravi, ut diximus *n.* 21. ad verbum 2. *Orare*. 3. Si communicat *in crimine criminoso*; nempe si communicat cum excommunicato in eodem crimine ob quod fuit ille excommunicatus; unde peccat graviter concubina quae denuo rem habet cum illo qui fuit excommunicatus ob concubinatum; aut consilium, vel favorem ei praebet, ne ab illa se removeat; ita communiter Bonac. Suar. Salm. etc. ex *cap. Nuper de sent. exc.* An autem peccet graviter qui communicaret cum excommunicato frequenter in civilibus; probabiliter negant Nav. Castrop. Sayr. Avila, etc., quia communicatio in civilibus est tantum veniale, et venialia quantumvis multiplicentur, ad mortale non attingunt; sed probabilius affirmant Suar. Bonac. Holzm. Filliuc. Coninc. Spor. Salm. etc., quia etiam frequens communicatio in civilibus non indicanda est res levis; dum in *cap.* 7. *de Except.* dicitur, quod qui communicat in civilibus cum excommunicato, *in periculum animae suae communicat*. Animadvertunt tamen praefati aa. cum Tourn. quod ad peccandum graviter in hoc, non sufficit ut aliquis frequenter, etiam per longum tempus, seiunctim communicet cum excommunicato; sed amplius requiritur ut habeat propositum virtuale saltem saepius communicandi cum eo (4). Ita etiam quoad excommunicationem, generaliter loquendo, qui communicat cum vitando incurrit solam excommunicationem minorem. Sed tribus in casibus incurrit maiorem: 1. Si Clericus scienter communicat in *Divinis* cum excommunicato nominatim a Papa, et denuntiato, *c. Significavit de sent. excomm.* 2. Quando excommunicatio est imposita alicui, et una simul in participantes, quia tunc qui communicat cum illo, post monitionem incurrit excommunicationem maiorem; s. Thomas Castr. Salm. Avila etc. communiter. 3. Si communicat *in crimine criminoso*, ut paulo ante explicatum est, et in huiusmodi casibus, non potest absolvi, nisi ab illo a quo absolvendus est principalis (5).

23. Quaeritur 2. Quibus de causis liceat in civilibus communicare cum vitando? Resp. ob 5. causas contentas in sequenti versu:

1. *Utile*, 2. *Lex*, 3. *Humile*, 4. *Res ignorata*, 5. *Necesse*.

Et 1. *Utile*: intelligitur utilitas aut ipsius excommunicati, ut resipiscat aut ut aliud spirituale subsidium recipiat (qua ratione licet praemittere alia verba aut signa benevolentiae, ideoque licet sine dubio praedicare eo praesente); aut utilitas aliorum, ut ab excommunicato recipiant aliquod utile spirituale aut temporale; quare licet audire ab eo concionem, aut exposcere consilium (si alius idoneus non extat), aut eleemosynam, aut medicinam, et ita etiam cum eo societatem antea initam continuare, non vero novos cum illo instituere contractus; Suar. Castr. Av. Bonac. Salm. Conc. etc. (6). 2. *Lex*: intelligitur matrimonialis propter quam coniuges (sed non sponsi) possunt ad invicem communicare, adhuc quoad petendum, aut reddendum debitum; s. Thom. et alii communiter ex *cap. Inter alia* 31. *de sent. excomm.* Sed hic notandum quod non licet com-

(1) l. 7. n. 153. (2) n. 154.
(3) suppl. q. 23. a. 3. (4) l. 7. n. 198.
(5) n. 199. (6) n. 201

municare cum coniuge excommunicato, si factum sit divortium, et si excommunicatio est lata ob haeresim, aut ob dubium de matrimonii valore; ita commun. dd. (1). Praeterea non licet communicare in *Divinis*, dum Innoc. III. in cit. *cap*. 31. declarando textum Greg. VII. *in c. Quoniam* 11. *q*. 3. ubi dispositum erat quod uxores filii et servi possint communicare in iis, in quibus solebant communicare, dixit hoc intelligi dumtaxat, in quantum hoc necessarium est ad praestandum obsequium ei debitum; sed communicare in *Divinis*, non est obsequium debitum; ita recte Caietan. Bon. Arm. et Concin. contra Sanch. Salm. etc. (2). Dubitatur autem an coniux qui scienter nupsit cum excommunicato, possit postea communicare? negant probabiliter Castr. Tourn. Salm. Conc. cum s. Thoma (3) ex praefato *cap*. 31. *de sent. excomm*. ubi dicitur, quod personae subiectae possunt communicare cum excommunicato eodem modo ac prius, ergo non possunt, si subiectio contrahitur post excommunicationem. Nec obstat textus Innocentii; nam Innoc. tantum respondit ad id quod ab eo quaesitum fuit, nempe, an tenerentur communicare, vel an tantum possent, si velint, Pontifex respondit quod tenebantur, sicut tenebantur ante excommunicationem; nihil autem locutus fuit de iis qui tempore excommunicationis in servitium ingressi sunt. At pro his facit textus Gregorii, qui concedit subditis communicationem, propter debitam subiectionem, unde nihil refert, an ista contracta sit ante vel post excommunicationem (4).

24. 3. *Humile*: intelligitur subiectio debita a filiis, licet emancipatis, ut probabiliter dicunt Suar. Bonac. Castr. Salm. etc. contra Sotum. Et idem dicunt de nepotibus, et pronepotibus, et etiam de affinibus in eodem genere, ut sunt nurus, privignus, etc. Idem currit de Religiosis cum Praelato in iis rebus, quorum nequeunt evitare communicationem. Idem de militibus cum suo duce, et de servis cum suo domino; ita communiter dd. Sed hic notandum 1. peccare servos qui mala fide in excommunicati famulatum se ingerunt, nisi excuset necessitas; Suar. Castr. Salm. etc. 2. Quod ipsi communicare nequeunt in iis quae ad debitum famulatum non conducunt; quare peccant, si communicant in *Divinis*, modo ad hoc non teneantur ob debitum ipsius famulatus, prout eos comitari ad ecclesiam; aut ex pacto speciali, v. gr. inserviendi Sacro, coadiuvandi eos in officii recitatione, etc.; ita Suar. et Salm. 3. Notandum quod servi excommunicati eiusdem domini non possunt ad invicem communicare, nisi in quantum necesse est ad communem cohabitationem; et hoc in solo casu quo non possent commode invenire alium dominum; Nav. Suar. et Conc. 4. Notandum quod sicut filii, uxores, servi etc. possunt communicare cum excommunicato; ita parentes, viri et domini possunt communicare cum subditis excommunicatis; Sotus Castrop. et alii cum s. Thoma (5).

25. 4. *Res ignorata*: intelligitur ignorantia, sive inadvertentia, vel legis, vel facti; *can. Quoniam* 11. *q*. 3. An autem excuset ignorantia crassa, negant Bonac. et Salm.; sed probabiliter, et communius affirmant Suarez Conin. Hurt. et Holzm.: primo, cum excusentur ignorantes a citato textu, intelliguntur etiam culpabiles; dum qui inculpabiliter ignorant procul dubio excusantur ex se. Secundo quia in textu cum dicantur excusari ignorantes: *Quoniam multos pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus etc.*; ergo Papa intendit excusare etiam culpabiles, quia qui ignorant inculpabiliter, nec peccant, nec perire possunt (6).

26. 5. *Necesse*: intelligitur quae-

(1) l. 7. n. 202. (2) ib. dubit. 1.
(3) suppl. q. 23 a. 1. (4) n. 202. v. dub. 2.

(5) n. 203. et 204. (6) n. 205.

cumque necessitas gravis, sive spiritualis, sive temporalis, tam communicantis, quam excommunicati, aut aliorum; Avila Sayr. Lez. Bon. Castrop. Salm. etc. communiter ex *cit. can. Quoniam*, et ex *cap. Si vere* 34. *de sent. excomm.* Et ita pariter (ut recte subiungunt Salm.) excusat necessitas per coactionem metus gravis iniuste incussi (1), iuxta dicta *Trac.* 2. *n.* 44. Denique hic animadvertendum, non esse obligationem vitandi excommunicatos, nisi constet eos esse vitandos saltem ob publicam famam, aut per duos testes fide dignos: Sanch. Nav. Bonac. Castrop. Salm. etc. cum Tourn., qui contra scite animadvertit, quod in dubio an confessarius sit nec ne vitandus, non licet apud illum confiteri, ob periculum, ne invalide absolvatur. Caeterum dicunt aa. citati, quod licite possumus communicare cum eo qui excommunicatus fuit, quoties adsit unus testis fide dignus; imo si ipsemet excommunicatus (si caeteroquin est fide dignus) asserat se fuisse absolutum (2).

27. Loquendo tandem de effectibus excommunicationis minoris, hi duo sunt: alter directus, indirectus alter; *directus* est privare sub gravi usu passivo, nempe receptione Sacramentorum. Sed hic adnotare oportet, quod licet (ut a principio dictum est) excommunicatio minor iure dumtaxat incurratur ob communicationem cum excommunicato vitando, nihilominus hoc non impedit (ait Laym.) quominus Episcopus ob alias iustas causas interdicat alicui usum Sacramentorum. Quaeritur autem an peccet qui cum excommunicatione minore confert Sacramenta? Commune est non esse mortale. Dubium fit an sit veniale? Affirmant Sayr. Coninch. Castrop. etc. ex *cap. Si celebrat de cler. excomm., etc.* ubi dicitur: *Peccat autem conferendo Sacramenta*; sed probabiliter negant Suarez Vill. Navar. Bonac. Salm. Busemb. et alii multi, dum in eodem textu alibi dicitur: *Cum non videatur a collatione sed a perceptione Sacramentorum remotus.* Et verba antecedentia, *peccat etc.*, ut concilietur textus, dicunt dd. intelligi, quando minister ad conferendum aliquod Sacramentum, ante illud debet aliud Sacramentum suscipere, prout Episcopo, si confert Ordines, aut sacerdoti, si in Missa Eucharistiam ministrat, opus est prius celebrare, aut Eucharistiam suscipere; tanto magis quod de hoc casu loquitur textus (3) Alter effectus indirectus, est privari, etiam sub gravi, posse beneficia recipere, uti habetur ex eodem textu, *c. Si celebrat.* Et licet textus tantum loquatur de receptione per electionem, nihilominus communiter dd. intelligunt etiam de ea quae fit per collationem, et praesentationem; Laym. Castr. Suar. Bonac. Salmant. Croix etc. Sed notandum talem electionem non esse ex se irritam, sed tantum irritandam, modo scienter eligatur excommunicatus, ut ibi dicitur: *Si scienter excommunicatus electus fuerit, eius electio est irritanda.* Sed ex qua parte requiritur haec scientia? Alii volunt ex parte electoris; alii ex parte utriusque; alii tamen, ut Laym. Castr. et Croix, forte probabilius tenent requiri ex parte electi, nempe quod cum ei confertur beneficium, ille recordatur se esse excommunicatum, quia illud *scienter* verosimilius refertur ad to *electus* potius, quam ad to *excommunicatus* (4). Notandum hic denique, quod excommunicatio minor potest absolvi a quovis confessario, sed non a sacerdote simplici (5).

(1) l. 7. n. 206. (2) n. 207.
(3) n. 148. et 149 (4) n. 150.

(5) num. 153.

Punctum III.
De excommunicationibus non reservatis

I. *De excommunicationibus non reservatis*

28. Notandae hic aliquae excommunicationes magis usitatae. 1. In extorquentes vi absolutionem a censuris. 2. In sepelientes publicos usurarios. 3. In contrahentes intra gradus prohibitos. 4. In imprimentes libros sine Superiorum permissu: et iuxta Tridentinum (*sess.* 4. *in Decr. de Edit. lib. etc.*) in imprimentes, aut imprimere facientes aut vendentes, aut retinentes libros de rebus sacris agentes sine nomine auctoris, nisi habeant licentiam ab Ordinario. 5. In profitentes aliquam scientiam, qui Fidei professionem non emittunt. 6. In potestatem usuris faventem. 7. In occupantes bona Ecclesiae vacantis. 8. In mandantes occisionem alicuius Christifidelis. 9. In impedientes sequestrum ab Episcopo praeceptum. 10. In non denuntiantes Episcopos haereticos, et confessarios sollicitantes. 11. In eos qui servare faciunt statuta contra libertatem ecclesiasticam. 12. In clericos in dignitate constitutos, aut sacerdotes qui docent legem aut medicinam. 13. In sacerdotes qui praefecturas laicales suscipiunt. 14. In clericos qui locant domos usurariis. 15. Aut bona Ecclesiae alienant, aut ultra triennium ea locant. 16. In concionatores qui impugnant montes pietatis. 17. In eos qui ficte renuntiant aut permutant beneficia. 18. In praesumentes absolvere a casibus Bullae *Coenae*. 19. In eos qui in aliquod officium se ingerunt sine licentia Episcopi. 20. In raptores mulierum, et in cooperantes in raptu. 21. In ingredientes monasteria (cuiuscumque sexus sint) Monialium sine licentia Superioris; sed de hac loquemur *n.* 33. *et seq.* Aliae excommunicationes minus usitatae sunt in opere adnotatae (1).

(1) lib. 7. n. 209. ad 212.

29. Insuper in Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. sunt excommunicati *quicumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam (praeterquam in casibus in iure expressis) ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem.* Hic fit dubium 1. an incurrat excommunicationem qui cogit mulierem ad ingrediendum monasterium tantum, ut ibi bene educetur? Negat Sanch. dicendo quod Concilium solum damnat eos qui cogunt ad ingrediendum, ut ibi professionem emittant, aut ut habitum suscipiant. Sed nos oppositum tenemus cum Suar. Nav. Bon. et Fill. dum Concilium aperte postea explicat, etiam incurrere eum qui tantum cogit ingredi, licet absit finis efficiendi ut profiteatur, aut habitum suscipiat; nam subiungit censuram etiam incurrere eos, qui *scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere.... consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Igitur si excommunicantur, qui tantum consenserint ut puella ingrediatur invita, tanto magis principales qui eam ingredi fecerint. Caeterum, cum Concilium excipiat casus expressos *in iure*, probabiliter dicunt Suar. Fill. et Bon. posse compelli ad ingrediendum illam puellam, quae a recta morum via errat, ne in similes errores cadat, et ut cautior ad maiores fiat (1). Imo tenent Sanch. et Bon. quod licite potest cogi ad ingrediendum ob cautelam suae pudicitiae; sed hoc intelligendum cum adsit prudens suspicio quod illa in saeculo manens pravis imbuatur moribus, ut cum videretur nimis procliva ad conversandum cum maribus, aut si domi essent qui eam pervertere possent; quia tunc videtur cessare finis Concilii, non tantum adaequate, sed etiam contrarie (2), iuxta dicta *Tr.* 2. *n.* 69. Dubitatur 2. an incurrant excommunicationem parentes qui inducunt filias ad ingrediendum ob metum reverentialem, manifestando eis suam voluntatem. Affirmat P. de Alexandro; sed communius et probabilius negant Rodriq. Barb. Tamb. Portella etc. cum quadam decisione, et hoc etiamsi adiunctae sunt preces, ut dicunt Barb. et Rodr. modo hae non sint vehementes, et saepius repetitae (3). Advertendum praefatam excommunicationem dumtaxat afficere cogentes ingredi foeminas, non vero mares, ut commun. dicunt Suar. Barb. Sanch. Bon. Navar. Buss. etc. licet caeteroquin hi non excusarentur a mortali (4). Praeterea a Trid. in eodem *cap.* 18. excommunicantur, *qui sanctam... mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint.* Nomine *veli* intelligitur professio, quae editur velum suscipiendo. Nomine *Voti* intelligitur professio sed sine velo; ita comm. dd. *Impedire* autem intelligitur quando fit dolo, sed non solis precibus; Sanch. Bon. et Salmant. Denique dubitatur, an incurrat excommunicationem qui impedit mulierem ingredi monasterium? Negant Sanch. Buss. et Castr. sed probabilius affirmant Suar. Bon. et Fill. dum qui impedit ingredi, impediat pariter profiteri (5).

(1) lib. 7. n. 212. v. quoad.
(2) ibid. v. dubit. 2. (3) ibidem.
(4) ib. dubit. 3. (5) n. 212. v. insuper.

II. *De excommunicationibus Papae reservatis extra Bullam Coenae.*

30. De excommunicationibus reservatis Episcopo loquemur *Tr.* 20. *de privilegiis*, *n.* 46. Nunc tantum loquamur de excommunicationibus reservatis Papae extra Bullam *Coenae*, et loquendo de magis consuetis, hae sunt: 1. In incendiarios, modo sint excommunicati ab *homine*, et denuntiati. 2. In frangentes et expoliantes ecclesias. 3. In communicantes in eodem crimine cum excommunicato a Papa. 4. In vexantes eos qui ferunt censuras. 5. In dantes aut

recipientes, ut admittatur aliquis in religionem. 6. In committentes simoniam realem, aut confidentialem circa Ordinem, aut beneficia. 7. In dantes, aut recipientes aliquid, ut obtineatur aliqua gratia aut iustitia apud Sedem apostolicam. 8. In duellum committentes, et in eorum patrinos, consultores et fautores, et etiam in spectatores *data opera*, qui sua assistentia incitant eos ad pugnam (vide dicta *Tr.* 8. *n.* 28.) 9. In usurpantes aut occupantes bona ecclesiarum aut aliorum locorum piorum. 10. In exigentes tributa ab Ecclesiasticis. 11. In violantes interdictum. 12. In publicantes falsas indulgentias. 13. In retinentes fructus beneficii vacantis, aut impedientes possessionem ei qui non praestat *dulciaria*. 14. In docentes, aut sustinentes opiniones damnatas. 15. In concionantes de tempore iudicii novissimi contra sensum Patrum. 16. In parochos qui non observant iuramentum residentiae. 17. In Regulares qui sine privilegio particulari praesumunt ministrare laicis Viaticum, et Extremam-Unctionem. 18. In Regulares qui praetextu privilegiorum absolvunt a casibus reservatis ab Episcopis. 19. In defendentes praxim de interrogando de nomine complicis in confessione (iuxta Bullam, *Ubi primum*, editam 3. iunii 1746. Benedicti XIV. de qua locuti sumus *Tr.* 16. *n.* 41.). 20. In confessarios qui absolvunt complices peccati turpis contra sextum praeceptum, iuxta aliam bullam *Sacramentum*, eiusdem Pontificis, de qua in eodem *Tr.* 16. *n.* 95. Caeterae excommunicationes papales quae adsunt, videri possunt in Opere (1). Sed oportet hic seorsim loqui de tribus aliis censuris quae speciali indigent animadversione, nempe I. In eos qui alterutram damnant opinionem circa immaculatam Conceptionem B. Virginis. II. In violantes clausuram Regularium monasteriorum. III. In percussorem clericorum.

31. Et I. loquendo de Conceptione divinae Matris, iuvat hic meminisse, quinque Bullas circa hoc punctum emanatas: 1. Sixtus IV. in *Extrav. Grave nimis, de Rel. et ven. SS.* anno 1480. imposuit ipso facto excommunicationem reservatam in eum qui damnat haeresis, aut peccati mortalis alterutram sententiam, quae asserit, aut negat B. Virginem conceptam fuisse sine culpa originali: et etiam in eum qui pro veris habet, aut ut veros legit libros qui affirmant SS. Virginem in peccato conceptam fuisse: et contra praecepit ut in festo Conceptionis B. V. recitaretur Officium Nativitatis suae, mutato verbo *Nativitatis* in *Conceptionis*. 2. S. Pius V. in Bulla 114. *Super speculam* an. 1570. prohibuit disputare palam, ubi adsunt viri et mulieres, aut scribere vernacula lingua de tali quaestione, sub poena suspensionis a *Divinis*, reservatae, *ipso iure*, *etc.* Dumtaxat permisit doctis disputare in academiis, quin uti erroneam alterutram damnarent sententiam. 3. Paulus V. in Bulla 97. an. 1616. prohibuit sub iisdem poenis a S. Pio latis affirmare in aliquo publico actu beatam Virginem fuisse in peccato conceptam. Contra sub iisdem censuris et poenis prohibuit defendentibus sententiam piam impugnare, et tractare de opposita opinione, dicendo: *Aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent.* 4. Gregorius XV. in Bulla 20. an. 1622. prohibuit quominus tam publice, quam privatim assereretur Conceptio B. Mariae fuisse facta in peccato; concessit tantum dd. ordinis Praedicatorum, ut privatim colloquia inter se habere possent, de tali materia disserendo. 5. Denique Alexander VII. an. 1661. in Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* primo declarat piam sententiam de Conceptione sine labe a primo instanti B. Mariae, late longeque promulgatam fuisse, *ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc senten-*

(1) lib. 7. n. 218.

tiam, *iam fere omnes Catholici eam complectantur*; deinde sub iisdem censuris et poenis renovat decreta praedecessorum, et praecipit ut illa observentur in favorem festi, et cultus Conceptionis B. Virginis iuxta piam sententiam. Et praeter poenas latas a Sixto IV. privat facultate concionandi, docendi, voce activa, et passiva, qui in dubium revocaret, aut in alio sensu interpretaretur, sive voce, sive in scriptis (declarando damnatos esse omnes eorum libros ubi de hoc actum fuisset) favorem piae sententiae, et cultui concessum, asserendo aliquid adversus piam sententiam, aut afferendo argumenta contra ipsam, et relinquendo insoluta (1).

32. Ex his omnibus infertur 1. cum Bonac. (qui distincte agit de hac materia) quod incurrit poenas 1. qui diceret posse defendi sententiam oppositam immaculatae Conceptioni B. Mariae, aut qui adduceret rationes illius, modo id non ageret, nisi ut eas oppugnaret. 2. Qui asserit festum Conceptionis celebrari, quia B. V. sanctificata fuit in utero matris, dum ita aperte se piae sententiae refragantem praeberet. 3. Qui transcribit sententiam oppositam, adeo ut videretur eam amplecti (2). 4. Transgressores ipso facto suspenduntur a *Divinis*; et probabilius, ut tenet Bonac. etiam incurrunt inhabilitatem ad officia; sed quoad privationem vocis, et dignitatum, etc. requiritur sententia. 5. Praefatae poenae incurruntur tam ab Ecclesiasticis, quam a laicis, sicut habetur ex Bulla Pauli V. et Greg. XV. 6. Ab ipsis poenis solus Papa absolvere potest, aut Episcopus, cum peccatum est occultum: quoad autem fautores sententiae piae, certe his vetitum est sub poena excommunicationis asserere hoc esse dogma irrefragabile Fidei, oppositam censura aliqua notando, non autem eam rationibus, et auctoritate defendere: quia quamvis in Bulla Pauli V. vetitum sit publice eam oppugnare, et etiam de illa tractare quaestione: nihilominus aliqui dicunt, praefatam Bullam in tali puncto non esse usu receptam, aut intelligi de iis, qui piam defendunt sententiam, ut Fidei dogma, sicut reapse loquitur Bulla s. Pii; sed responsio certior et clarior est, quod praefata Bulla fuit moderata a novissima Alex. VII: ubi conceditur aperte refellere argumenta oppositae sententiae, dum ibi damnatur praedicare, loqui, aut tractare adversus piam sententiam, *contra eam argumenta afferendo, et insoluta relinquendo*. Ergo concedit Papa evidenter adducere argumenta opposita, et ea confutare; ergo concedit tractare de sententia pia, et eam defendere (3). In opere autem (4) adest defensio piae sententiae; et etiam sententiae quod liceat vitam effundere pro tali pia sententia, cum talis cultus erga SS. Mariam sit actus religionis; nam dicit s. Thomas (5) quod potest acceptari martyrium pro defendenda qualibet virtute; et Bened. XIV. (6) dicit, ab Ecclesia pro martyre haberi illum, qui vitam fundit pro defendenda aliqua pia sententia, aut ne omittat aliquem virtutis actum.

33. II. Loquendo de clausura monasteriorum, et primo Monialium, notandum 1. quamcumque personam cuiuscumque sexus quae ingreditur in monasterium Monialium sine licentia in *scriptis* Episcopi, aut Superioris, incurrere excommunicationem ipso facto ex Trid. *sess.* 25. *c.* 5. Multi dd. ut Suarez Azor. Bonac. Barb. etc. dixerunt licere ingredi facere infantem, nam prohibitio principaliter afficit ingredientes; unde infantes non ligantur praecepto, nec illo ligantur Moniales; sed S. C. pluries declaravit oppositum. Tanto magis debet ingressus prohiberi amentibus, a quibus maius scandalum timeri potest (7). Ex Bulla Greg. XIII. *Dubiis*, edita 23. Dec. 1581. vetitum

(1) l. 7. n. 244. (2) n. 245. ad 247. (3) n. 248. (4) n. 249. et 263.

(5) 2. 2. q. 124. a. 5. (6) de Canoniz. ss. l. 1. c. 14. n. 13. (7) l. 7. n. 221.

est Episcopis, extra casum necessitatis, sub poena suspensionis a *Divinis* pro secunda vice, et excommunicationis pro tertia; et Praelatis regularibus sub poena privationis cuiuscumque officii, et etiam excommunicationis pro prima vice, ut vult Sanch.; sed Bon. et Lamas volunt pariter pro tertia. In casu autem necessitatis, aut visitationis possunt ingredi praedicti Praelati; sed Praelati regulares non possunt ingredi, nisi semel quolibet anno causa visitationis, et sine assistentia Episcopi, aut alterius personae ecclesiasticae ab ipso designatae, iuxta Bullam 156. *Felici* Alex. VII. Episcopi vero debent ingredi sociati, sed *a paucis iisque senioribus ac religiosis personis*, ut loquitur Bulla Gregorii: *pauci* intelliguntur quatuor aut quinque, ut dicunt Victorelli et Tamb. ac de Alexand., secus incurrunt pro prima vice interdictum ab ingressu ecclesiae, in secunda suspensionem a *Divinis* et pontificalibus, in tertia excommunicationem ipso facto, ut habetur ex citata Bulla Gregorii XIII. Probat id et Fagnan. in 2. *part.* 5. *lib. Decretal. c. Nuper* 29. *de sent. excom. n.* 39. Quoad autem Praelatos regulares, si ingreditur generalis, potest secum conducere duos sui ordinis probatae vitae, et aetatis maturae; si alius Praelatus inferior, tantum unum (1). Notandum 2. praefatas excommunicationes non esse reservatas, sed adest excommunicatio reservata imposita ex mandato Clementis VIII. an. 1602. in eos qui ingrediuntur monasteria ad malum finem. *Malus finis* censetur a Mazzotta quivis finis pravus; sed melius Pelliz. intelligit finem turpem, dum hic est finis clausurae, nempe custodire castitatem virginum (2); ideoque prohibetur accessus, et collocutio, quae etiam pertinent ad clausuram, ut mox dicemus *n.* 40. Notandum 3. adesse aliam excommunicationem reservatam a Gregorio XIII. in Bulla *Ubi gratia*, an. 1577. in quoscumque, etiam mulieres, qui ingrediuntur clausuram Monialium (et in mulieres quae ingrediuntur clausuram Religiosorum); sed hoc intelligitur tantum de iis qui ingrediuntur praetextu facultatum, sicut dicunt comm. Sanchez Suar. Fagnan. Bon. etc. contra Navar. et Azor. dum in praefata Bulla expresse dicitur, *praetextu facultatum* (3.) Et tunc incurrunt eam excommunicationem omnes superiores *quocumque nomine vocentur*; intelliguntur, ut dicunt Sanch. Manuel. Diana et alii (4), Priores, Guardiani, correctores, etc. qui alicui permittunt ingredi, aut morari, qui ita ingressus est, iuxta Bullam Pauli V. *Monialium*. Sed advertendum quod in ipsis duabus Bullis non comprehenduntur Praelati, qui ingrediuntur sine causa (5).

34. Quaeritur 1. an licentia ingrediendi in monasteria Monialium necesse sit ut sit in *scriptis*? Affirmant Sanch. Suar. et Castr.; sed negant Inn. Abb. Felin. Homob. etc., dicentes scripturam solum valere pro foro externo, iuxta dicta *Tr.* 7. *n* 20. Saltem dicunt Barb. Vill. Rodriq etc. non requiri licentiam in scriptis in casibus ordinariis, ut cum ingressuri sunt medicus, confessarius, aut operarii, quorum opera iugiter opus habent Moniales (6). Non est autem dubitandum quin praefata licentia ingrediendi monasteria Monialium debeat esse specialis pro persona designata, cum dicatur in *cap. Periculoso, de stat. Regul. in* 6. *Nisi speciali licentia, etc.* (7). Caeterum recte potest Praelatus committere Abbatissae, aut alii personae prudenti concedere praefatam licentiam; Navar. Bon. Graff. Barb. etc. contra Suar. (8).

35. Quaeritur 2. quis debeat concedere licentiam? Respondetur: Episcopus pro monasteriis sibi subiectis, et etiam pro subiectis Sedi a-

(1) l. 7. n. 221. (2) ib. v. excom.
(3) n. 222. (4) ibid. dubit. 2.
(5) n. 221. v. adest. (6) n. 223.
(7) ib. dubit. 4. (8) n. 224. v. abbat.

postolicae, dando eam tunc tamquam delegatus sedis apostolicae; Trident. *sess.* 25. *c.* 5. Possunt eam praebere etiam Vicarii capitulares, et etiam (iuxta quod dicunt Sanch. Bonac., etc.) Praelati qui gaudent iurisdictione quasi episcopali; et probabiliter etiam Vicarii generales Episcoporum, quoad monasteria Episcopis subiecta; ita Sanch. Navar. et Lamas, dum in motu proprio S. Pii V. *Decori* dicitur, *Episcopum*, *aut alium loci Ordinarium*, et sub nomine Ordinarii (ut probat Sanch.) comprehenditur etiam Vicarius Episcopi; tanto magis, ut probat Fagnanus (1), Vicarius potest totum id quod potest Episcopus in iis quae sunt ordinariae iurisdictionis (2). In monasteriis autem subiectis Regularibus licentia danda est a Praelato regulari; Bonac. Barbos. Castr. et Fagnan. cum Decr. S. C., dum Trid. dicit: *Sine Episcopi, vel Superioris licentia*. Et Sanch. affert hoc fuisse declaratum a S. Pio V. Sed hoc non intelligitur pro dioecesibus ubi contraria viget consuetudo, iuxta declarationem S. C. approbatam ab Urbano VIII.(3).

36. Quaeritur 3. quaenam causa requiritur ut detur praefata licentia? Resp. quod iuxta Trid. *sess.* 25. *c.* 5. requiritur necessitas, cum dicatur ibi: *Dare autem licentiam debet in casibus necessariis*. Et haec necessitas debet esse ex parte monasterii; quare non sufficit ut sit ex parte exterorum, nisi esset quod lex naturalis suaderet oppositum; ita Bon. et de Alexand. cum communi, et cum Decis. S. C. Ideoque non licet in monasterio collocare uxorem, ut a furore viri liberetur, aut ne iterum illi rumpat fidem, sicut pluries decrevit S. C. Potest tamen (ut dicit S. C.) Episcopus ibi collocare puellam de qua controversia est, donec lis finiatur (4). Loquendo autem de praefata necessitate ex parte monasterii, debet intelligi moraliter, cum sufficiat, ut dicunt Sanch. Bonac. Barb. de Alex. Miranda, etc. si adsit causa probabiliter iusta; minor causa autem requiritur, ut dicit Barbosa, ad ingrediendas mulieres, quam mares: ad ingressum diurnum, quam nocturnum: ad primas aedes, quam ad intimas. Quando autem accidit necessitas urgens incendii, mortis, violentiae, et huiusmodi, tunc non requiritur licentia, quia in huiusmodi periculis lex humana non obligat; Sanch. Navar. Graff. de Alex., etc. comm.; unde in casu mortis subitaneae quilibet sacerdos potest ingredi ad dandam absolutionem, et etiam Viaticum et Extrem. Unctionem, ut dicunt plures dd. (5).

37. Caeterum confessarius ordinarius potest ingredi (sed cum licentia) non solum ad praestanda ultima Sacramenta, sed etiam ad praebendam solitam Communionem Moniali decumbenti; Bon. Barb. Sanch. Rodriq. etc., cum communi, et cum Declar. S. C. Insuper ait de Alexand. (6) quod confessarius, postquam audivit confessionem Monialis decumbentis, potest benedicere novum aliquod aedificium monasterii recenter extructum, et etiam afferre alteri Moniali infirmae aliquam reliquiam erga quam illa devotione afficitur; et id simile: sic quoque ex iusta causa potest in monasterio manere ad breve tempus videndi officinas, aut loquendi causa de aliquo temporali negotio. Dicunt probabiliter etiam plures dd. quod confessarius extraordinarius, qui ingreditur cum licentia pro una vice, si causa infirmitatis non potest confessionem excipere, potest iterum ingredi sine licentia: et ita pariter, si infirma revocat confessarium statim ac egressus est, ut ei exponat aliquod peccatum oblitum. Confessarius autem ingredi debet indutus cotta, et stola: et ingredi debet quin ad alias monasterii partes divertat, ne causa

(1) lib. 1. c. Quoniam, de offic. deleg.
(2) lib. 7. n. 224. v. an autem.
(3) ib. v. maior. (4) n. 225.

(5) ib. v. talis. (6) de Alexandr. de Monial. c. 7. §. 6. quaest. 9

quidem invisendi infirmam, quae Sacramento muniri non indiget; Barbos. et de Alexandr. Confessarius saecularis ingredi debet solus, ut declaravit S. C.; sed regularis sociatus ab aliquo maturae aetatis, et probatae vitae, ut dicit Bulla Alexandri VIII. Dum autem confessarius audit confessionem, comitatrices ad ianuam assistere debent, adeo ut eum videre possint. Potest etiam confessarius pernoctare in monasterio, si Monialis laboret in extremis. Potest etiam ingredi ad benedicendum monasterium a spiritibus infestatum; ut declaravit S. C. Sed si Monialis est obsessa, vetavit S. C. ingredi posse sacerdotem, ut ipsam exorcizet, et dixit potius impetrandam esse ab ipsa Sacr. Congr. licentiam, ut exorcizetur in ecclesia exteriore monasterii (1).

38. Quoad medicum autem, loquendo de ordinario, hic debet licentiam renovare quolibet trimestri iuxta Decr. Sac. Congr. 17. Martii 1588. Debet associari a duabus Monialibus ex senioribus; et debet ingredi solus, nisi infirmitas expostularet etiam alios. Medicus autem extraordinarius tantum potest ingredi in defectu ordinarii, et quando collegium tenendum est. Potest etiam ingredi chirurgus ad secandam venam, et etiam pharmacopola ad docendum, si opus est, quomodo paranda sit medicina. Possunt etiam ingredi factores, notarii, et huiusmodi, aut ad iudicandum de ruina imminente, aut ad inveniendam scripturam necessariam in archivio, aut ad conficiendum testamentum alicuius puellae. Ita etiam possunt ingredi cum licentia fabri, hortulani, coementarii, pistores, baiuli, et alii id genus. Sed hic advertendum cum Sanch. et de Alex. quod si licentia est data pro uno baiulo determinato, eo deficiente, non potest suffici alius. Recte dicunt Bon. et Castropal. (contra Sanch.) non licere sartori ingredi ad bene aptandas vestes. Si autem licentia data esset discipulo comitari cum magistro, dicit de Alex. cum aliis probabile esse, posse ingredi discipulum, aut ibi sistere sine magistro (2).

39. Quaeritur 4. an ingressus cum licentia incurrat excommunicationem, aut peccet, cum functus iam est suo munere, si statim non egreditur. Resp. quod in quantum ad censuram eam non incurrit, licet diutius ibi moretur; quia tunc tantum violatur clausura, quando quis ingreditur sine licentia: ita Sanch. Bon. Zerola Bord. etc. Qui vero ingrederetur cum licentia, sed ibi sisteret ad malum finem, dicit Sanch. ne illum quidem incurrere censuram; sed animadvertit Bonac. quod licet iste non incurreret excommunicationem latam a Concilio, incurrit tamen illam latam a Clemente VIII. in eos *qui violant clausuram ad malum finem*. Sed posset aliquis huic opponere quod censura Clementis, cum sit poena, debet stricte intelligi, sicut intelligitur Concilium (3). Caeterum hac ratione dicunt probabiliter Rodriq. Zerola et de Alex. quod non incurrant praefatam excommunicationem qui ingrediuntur ad malum finem, sed cum licentia; et probabilem eam vocant Bon. et Sanch. (4). Hoc quoad censuram; quoad peccatum vero dicimus, quod quando quis ingreditur cum licentia, et immoratur, si mora est longa, peccat mortaliter; si brevis, venialiter; ita Bon. Barb. et alii communiter. Imo dicunt Sanch. Rodr. Mol. et Mirand. quod quando mora est valde brevis, excusetur etiam a veniali, dum hoc usu etiam piorum receptum est. Putant autem Villal. et Diana, spatium horae quadrantis esse modicam moram (5).

40. Ad hanc materiam clausurae spectat etiam prohibitio colloquendi cum Monialibus. In hoc oportet scire quod in *cap. Monasteria, de vita et honestat. cler.* imposita fuit excom-

(1) lib. 7. n. 227. (2) n. 226.
(3) n. 228. (4) ib. dubit. 8.

(5) n. 228. resp. 2.

municatio (sed ferendae sententiae ab Episcopo) in laicos, et suspensio in clericos, qui praesumunt frequentare monasteria Monialium. Doctores autem censent tunc constitui hanc frequentiam, cum per tres vices tribus diebus continuis, aut semel singulis mensibus anni, aut quater in una hebdomada adeant monasterium (1). Haec prohibitio postea rigorosius iniuncta fuit Religiosis, tam in *c. Definimus* 21. *caus.* 28. *q.* 2. quam in Decreto edito ex mandato Sixti V. ubi fuit eis vetitum non solum ne colloquerentur cum Monialibus, sed etiam cum qualibet muliere in monasterio moram faciente. Dumtaxat concessum fuit Ordinariis per Decretum S.C.Concilii, editum de mandato Urbani VIII. 10. nov. 1623. posse dare licentiam Regularibus colloquendi cum Monialibus in primo, aut secundo gradu, ad summum quater in anno: exceptis diebus festis, Adventus, Quadragesimae, feria VI. et sabbato, et vigiliis; sed cum conditione quod licentia debeat dari in scriptis, et debeat adnotari in curia ab Episcopo, et postea tradenda monasterii confessario, qui debeat eam asservare; ac eos associare cum auscultatricibus, et non aliis, dum Religiosus colloquitur cum Moniali: declarando amplius quod si Episcopi aliter agant, Pontificis intentionis sunt transgressores; et quod Regulares incurrunt easdem poenas impositas a Sixto V., nempe privationem *ipso facto* officii, et vocis activae et passivae (2). Verumtamen apud Bened. XIV. (*de Synod. l.* 9. *c.* 15. *n.* 7.) et apud Monacelli (*tom.* 1. *in App. pag.* 436.) reperio Sacram Congr. die 26. nov. cum ab ea quaesitum fuisset: *An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus sine licentia Episcopi, peccent mortaliter*: respondisse *affirmative, etiam ex rationabili causa, quando non adest licentia.* Idem Bened. XIV. refert in Bulla *Gravissimo*, edita die 31. octobris 1749. per S. C. statutum esse non licere Regularibus *iniussu Episcopi libere adire sibi addicta Monialium claustra.* Ex quibus inferri perspicue videtur quod, accedente licentia Episcopi, Regulares, qui S. C. adeant, possint colloqui cum Monialibus. Hic etiam adnotandum aliud Decretum eiusdem S. C. die 21. maii, apud Bened. (sub 12. apud Monac. forte errore postpositionis numeri) 1678. quo declaratum fuit iisdem poenis affici Regulares, qui habita ad Moniales concione, cum iisdem sine licentia Episcopi etiam de rebus spiritualibus colloquuntur. Et ex alio consimili Decreto dicit auctor, qui apponit additiones in *Biblioth.* p. Ferraris *tom.* 5. *verb. Moniales*, post *n.* 59. ibi q. 1. cum p. Gaudentio de Visit. hanc sententiam hodie amplectendam esse, attenta hodierna praxi, *nam ubique* (ait) *fere locorum Ordinarii licentias hasce alloquendi Moniales concedunt Rugularibus.* Et ipse p. Ferrar. idem sentit *verb. Moniales*, *art.* 4. *n.* 15. *et* 19.

41. Haec sunt lege communi statuta; sed fere in omnibus dioecesibus, et praecipue in illa Neapoli, adest casus reservatus cum excommunicatione in viros, qui non petita licentia colloquuntur cum quavis muliere, quae versatur in monasteriis, aut in conservatoriis, exceptis coniunctis in primo vel secundo gradu; declarando quod qui facultatem obtinuit, *non potest data opera*, *et ex professo*, colloqui cum aliis. Hic plura notanda sunt. Notandum 1. quod ex sententia probabiliori p. de Alex. de Ianuariis, et Iordan. intelligitur prohibitus, non solus accessus, ut volunt Sanch. et Bonac., sed accessus formalis, nempe cum effectu collocutionis, sicut deducitur ex cit. text. *Definimus*, ubi prohibetur aditus ad collocutionem; et in Decretis praefatis semper fit mentio accessus cum collocutione. Ex quo probabiliter etiam dicunt Lezana Tamb. de Alex. Bon.

(1) L. 7. n. 232.

(2) n. 332. v. circa autem.

Graff. etc. quod prohibitio (ex se loquendo) non comprehendit eum, qui cum Moniali colloqueretur ex domo contigua, quia tunc deest accessus; nec qui scribit, aut loquitur per nuntium, ut dicunt etiam Bonac. Barb. Mazz. etc. Dictum est *ex se loquendo*; quia in casu Neapolitano comprehenduntur expresse illi, qui *de rebus obscoenis agerent per litteras, vel internuntium.* Notandum 2. quod iuxta casum reservatum peccat mortaliter etiam qui loquitur cum Moniali semel tantum, modo non excuset parvitas materiae: parvitatem materiae in hoc alii putant esse spatium unius *Miserere*, ut Diana et Mazzotta; alii horae quadrantem, ut Quarti et Werricell. Sed in quodam Decreto approbato a Clemente IX. die 1 martii 1699. prohibitum fuit Regularibus, sub poena peccati mortalis, et excommunicationis colloqui cum Monialibus *per quodcumque modicum temporis spatium.* Hoc non obstante dicit Ciera non esse per tale Decretum reprobatam opinionem Quarti, quod horae quadrans sit parva materia, cum in Decreto non damnetur nisi opinio sesquiquadrantis horae: *Praetendentes non esse interdictum per breve tempus etiam usque ad quadrantem horae cum dimidio.* Quare contendunt isti propositionem esse damnatam copulative. De hac opinione doctis committo iudicandum, sed ego non audeo eam probare, propter alia verba quae adiunguntur illi prohibitioni, *per quodcumque modicum temporis spatium.* Advertendum quod si quis loqueretur per multos dies cum Moniali, licet per spatium non notabile, etiam posset peccare mortaliter; quia huiusmodi colloquia si non uniuntur physice, saltem uniuntur moraliter (1). Notandum 3. quod nulla de causa etiam spirituali licet colloqui cum Moniali sine licentia, ut recte tenet Ciera contra Lezana Peyr. Bord. etc., quia in hoc nunquam cessat finis adaequatus prohibitionis, nempe periculum animi adhaesionis, ne consuetudo ex spirituali fiat carnalis; qua de re declaravit S. C. quod ex nulla causa etiam honesta, et rationabili permittitur Regularibus colloqui cum Monialibus, vide *praec. n.* 40. in fin. (2). Notandum 4. quod excipiuntur a prohibitione 1. coniuncti in primo et secundo gradu consanguinitatis. Eximit Ciera etiam coniunctos in secundo et tertio, quia cum petitur dispensatio ad contrahendum inter propinquos in secundo et tertio, debet exprimi etiam secundus, et maior impensa requiritur; ergo signum est quod hic gradus mixtus non potest dici in rigore tertius, sed participans de utroque, ac propterea dicitur secundus et tertius, proindeque tali gradu coniunctus gaudere debet tali privilegio; et cum in odiosis leges sint restringendae, sequitur quod nisi Religiosus sit coniunctus Moniali in tertio simpliciter, non intelligitur comprehendi in prohibitione; sed oppositum ego sentio, cum coniuncti in secundo et tertio non possint dici quod revera sint in secundo. 2. Qui colloquuntur cum Monialibus gravi metu incussi, quia hoc currit iuxta regulam legum positivarum. 3. Mendicantes publici, ratione usus, aut tacitae licentiae, quae adest; ita pariter servi, qui afferunt dona, et cito se expediunt; Pelliz. de Alex. et Mazzotta (3). Notandum 5. quod impuberes, licet excusati non sint a culpa gravi, si colloquuntur cum Monialibus, attamen non incurrunt excommunicationem, ut recte dicunt Bon. de Alex. Dian. et alii (contra de Graffis) ex *c. Pueris, de delict. puer.*, ubi dicitur quod pueri non sunt puniendi sicut puberes, et in dioecesi neapolitana expresse eximuntur a reservatione pueri, qui 14. annos non sunt nati (4).

42. Quaeritur 1. an liceat loqui cum Abbatissa sine licentia? Negant Ciera Megalla de Alex. Graff. etc.

(1) lib. 7. n. 236 (2) n. 237.

(3) n. 239. (4) n. 240.

dicendo quod in Decr. Sixti V. prohibitum est loqui non solum cum Monialibus, sed etiam cum quacumque persona monasterii; et item Alexander VII. in Constit. *Sacrosancti*, prohibuit colloqui etiam cum Abbatissis; sed affirmant Lezan. Pelliz. Tamb. Ianuar. Mazz. Diana et Potestas, quia sub nomine Monialium in odiosis non comprehenditur Abbatissa, iuxta Panormit. Glossam etc. et ad Bullam Alexandri respondet Potestas, quod illa edita fuit pro urbe Roma.

43. Quaeritur 2. an Regulares loquendo cum Monialibus incurrant excommunicationem reservatam ab Episcopo latam? Quicquid dicant alii, affirmamus cum sententia communissima Sanch. Barb. Bon. Fagnan. et de Alexand. cum Decr. S. C. Idque valet etiam respectu Regularium habentium speciale privilegium, ne Episcopus possit eos excommunicare, ut fertur habere Mendicantes, ac Iesuitae a Paulo III. (1). Nam Episcopi in monasteriis etiam subiectis Regularibus, sunt delegati Sedis apostolicae, ut dicitur in Bulla *Inscrutabilis* Greg. XV. quae fuit declarativa Trid. ut refert Benedictus XIV. lib. 9. de Synod. c. 15. n. 6. et iuxta dicenda *Tr.* 20. *de Privil. n.* 80. *ad* 4.

44. Quaeritur 3. an peregrini qui alicubi morantur per aliquod tempus, colloquendo cum Monialibus incurrant excommunicationem ibi reservatam ab Ordinario? Tres adsunt sententiae. 1. negat cum Pelliz. Diana etc. dicendo ex una parte, quod peregrini non tenentur legibus loci; ex alia parte dicunt quod Episcopi sunt destinati a Concilio delegati apostolici, sed tantum circa restitutionem, et conservationem clausurae, ad quod non spectat collocutio. Sed haec sententia non est satis probabilis, nam ut recte dicunt Fagnanus et de Ianuar. collocutio ex communi sensu dd. utique spectat ad clausurae conservationem; etenim in *cap. Periculoso, de statu Reg.* dicitur: *Nullique ingressus, vel accessus pateat ad easdem* (Moniales), *ut sic a mundanis aspectibus separatae, omnino servire Deo valeant.* Igitur prohibitio tam ingressus, quam accessus ad clausurae spectant finem, qui est ut Moniales ab humanis distractionibus alienae conserventur. 2. Sententia dicit (generaliter loquendo), quod peregrini, licet per tempus breve alibi morentur, incurrunt excommunicationem. 3. Sententia Donati et de Ianuar. distinguit: incurrunt, si monasterium est exemptum, quia ibi Episcopus (ut dictum est) procedit tanquam delegatus apostolicus, unde ille iurisdictionem habet etiam in peregrinos: secus vero si monasterium est subiectum Episcopo ordinaria iurisdictione, cui non subduntur peregrini per breve tempus ibi commorantes, iuxta probabiliorem sententiam allatam *Tr.* 2. *n.* 41. (2). Sed videtur dicendum eos talem excommunicationem non incurrere, etiamsi cum exemptis loquantur, propter id quod num. seq. referemus. Nam Bened. XIV. in referenda Bulla *Gravissimo*, § 3. postquam asseruerit Episcopos iure ordinario in sibi subiectis, delegato in exemptis procedere, § 5. declarat Episcopos et alios exteros non incurrere poenas ex eo, quia non subsunt iurisdictioni ordinariae Episcopi. Et licet Episcopi in exemptis procedant iure delegato a Sede apostolica, iurisdictio tamen, qua procedunt, est ipsis ordinaria, utpote episcopali officio perpetuo annexa a Canone.

45. Quaeritur 4. an Episcopi colloquendo cum monialibus alterius dioecesis peccent, et incurrant excommunicationem ab Ordinario latam? Quoad peccatum, videntur non posse excusari, dum in praefato *c. Periculoso*, prohibitio est generalis, et afficit omnes, *Nullique ingressus vel accessus pateat.* Nec locus reperitur in quo legatur, quod Episcopi eximantur a legibus communibus, ut di-

(1) lib. 7. n. 241. (2) n. 242.

cit Bon. cum Rot. Rom. Quoad censuram vero, tenent Mazzot. Diana et Graff. non incurrere ex *c. Cum inferior de maior. et obed.*, ex quo videtur deduci, quod aequalis non possit ligare aequalem. Sed affirmat p. de Alex. dicendo ex Panormit. et Hostiens. quod Episcopus in aliena dioecesi censendus est ut privata persona (1). Sed his non obstantibus nunc pro certo dicendum huiusmodi Episcopos peccare quidem, sed non incurrere excommunicationem. Nam Bened. XIV. in Bulla *Gravissimo*, edita die 31. Octob. 1749. § 2, refert per S. C. statutum esse, ne gubernatores, vel praesules, vel Episcopi, aut in civitates, aut oppida alterius Episcopi iuri subiecta venientes, aut inibi commorantes, adeant Monialium monasteria, § 5. haec habet: *Iam dictum est hosce homines directivae Episcoporum auctoritati, eorumque Constitutionibus subiacere* (nempe quoad peccatum) *quae omnino vetant accessum ad Monialium claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariae Episcoporum iurisdictioni minime subsint, ideoque sunt immunes a vi coactiva, id est a poenis in transgressores statutis, uti patet ex cap.* A nobis 21. *de sent. etc.*

46. Praeterea adest excommunicatio papalis in easdem Moniales, quae a clausura egrediuntur ex Bulla s. Pii V. *Decori*. 1569. Et excommunicatio incurritur etiamsi Monialis egrediatur a monasterio unius tantum pedis spatio, ut probabilius dicunt Sanchez et Bonac. cum Graff. et Croix modo exeat tota persona. Eamdem incurreret excommunicationem qui permitteret Monialem egredi, aut ei comitetur, aut eam recipiat postquam egressa est. Excusatur tantum egressus causa *magni incendii, vel leprae, aut epidemiae*. Notandum 1. hoc intelligi cum non vacat tempus petendi licentiam, saltem ab Episcopo, vel a Praelato regulari. 2. Sub nomine *incendii*, venit etiam inundatio fluminis, militum incursio, domus ruina, et omne aliud simile periculum, ut dicunt Sanchez Bon. Nav. Barbos. etc. 3. Sub nomine *epidemiae* S. C. declaravit intelligendum de vera peste, contra Nav. Sanch. Bon. Holzm. etc. qui dicunt intelligi de quocumque morbo ita contagioso, ut infirma nequeat curari in monasterio, nisi cum periculo inficiendi alias, et inferunt ex eodem *c. Periculoso*, ubi prohibetur Monialibus exire, modo aliqua illarum *non possit cum aliis sine gravi periculo, seu scandalo commorari*. Contra recte dicunt Bonac. Barb. et alii (contra Suar. Nav. etc.) non sufficere ad egrediendum quamcumque infirmitatem gravem, sed non afferentem periculum inficiendi alias. Notandum 4. cum Sanch. et Bonac. quod monialis quae egressa est, statim ubi convaluit, debet reingredi: hoc statim intelligitur moraliter, nempe elapso uno vel altero die (2).

47. Hactenus de censuris circa monialium clausuram. De alia censura occurrit loqui lata in mulieres quae violant clausuram monasteriorum Religiosorum; ex Bulla *Regularium* s. Pii V. 1566. et altera *Ubi gratia*, Greg. XIII. 1575. Et hanc excommunicationem incurrunt non tantum mulieres quae monasteria virorum ingrediuntur, aut monasteria mulierum sub praetextu facultatum, ut dictum fuit *n.* 33, sed etiam illae quae ingrediuntur sine tali praetextu, ut declaravit idem s. Pius V. in alia Bulla *Romanum*, sicut id intelligunt communissime Castrop. Suar. Bon. Sanch. et Salmant. quicquid dicant alii (3). Ex huiusmodi prohibitione tamen excipitur casus, quo mulier ingrederetur clausuram ad evitandam mortem imminentem. Item excipiuntur reginae, electrices et huiusmodi, ut communiter dicunt Suar. Sanch. Bon. etc. Excipiunt etiam dd. fundatrices et mulieres familiares fundatorum. Sed Bened. XIV. in sua Bulla *Regularis disciplinae*, 3. Ian. 1742. declaravit

(1) l. 7. n. 243.

(2) n. 229. (3) n. 230.

nas non posse ingredi sine speciali Indulto apostolico; item vetavit praecipuo, ne mulieres sub quocumque praetextu etiam pietatis ingrederentur septa Religiosorum, ex quo revocatum est, quod a s. Pio V. in Bulla *Decet*, permittebatur mulieribus, nempe posse ingredi ad associandam processionem, aut ad audiendum Sacrum, aut ad concionem (1). Dicunt Bonac. Barb. etc. quod sacrarium Regularium etiam est clausura; sed p. Ferrar. (2) asserit praxim fere ubique gentium esse contrariam.

48. 3. Loquemur de excommunicatione in percussores clericorum. Haec habetur in *can.* 17. *q.* 4. ubi dicitur: *Si quis suadente diabolo, in clericum, vel monachum violentas manus iniecerit anathematis vinculo subiaceat; et nullus Episcoporum praesumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur, et eius mandata recipiat.* Explicabimus textum. Dicitur 1. *Si quis*, intelligitur quaecumque persona cuiusvis sexus, aut aetatis, modo sit rationis compos, ut habetur ex *c. Pueris de Sent. excomm.* (3).

49. Incurrunt etiam praefatam excommunicationem omnes efficaciter mandantes, aut consentientes in percussione, uti habetur ex *c. Quantae*, et *ex c. Mulieres, de Sent. excom.* Dicitur *efficaciter*, dum ad hoc ut hi incurrant excommunicationem, requiritur, ut percussio fiat causa eorum, et ut influxus eorum sit gravis; ita Suar. Nav. Bon. Silv. Salm. etc. cum comm. Dicunt etiam communiter Coninch. Av. Diana Salm. Croix etc. ex *c. ultimo de Homic. in* 6. quod si quis diceret: *Cupio vindictam sumere in talem clericum*; praevidendo quod alii iam eius locutione moverentur ad vindictam, hic iam incurreret excommunicationem, si percussio eveniret (4). Incurrunt etiam illi qui *ratihabent* percussionem factam, uti habetur ex *cap. Cum quis de Sent. excomm.* Sed in hoc requiritur 1. ut percussio facta sit nomine, aut in gratiam illius. 2. Ut ratihabitio patefiat aliis externe. 3. Ut cum accidit percussio, ille fuerit aptus mandato, aut consilio, saltem habitualiter, v. g. si fuerit ebrius, vel dormiens, secus si fuerit amens; Suar. Sayr. Bon. Castr. Conc. Salm. Croix etc. (5). Incurrunt etiam illi qui non impediunt percussionem, et impedire tenentur ex iustitia, ut principes, praelati, iudices, parentes, tutores, domini, magistri, parochi etc. uti habetur ex *cap. Quantae*, ubi dicitur: *Eos delinquentibus favere, qui, cum possint, facinori desinunt obviare.* Secus vero illi qui tenentur impedire tantum ex charitate, licet omitterent impedire ex odio: ita Nav. Bonac. Laym. Conc. Castr. Mol. Salm. etc. cum Glossa in dicto *cap.* 5. *Interpretamur* (contra Suar. et Cai.); et merito, nam illi tantum censentur favere percussioni, qui sua auctoritate eam impedire possunt, et non impediunt, adeoque non impediendo, videntur quod ipsi ob taciturnitatem concurrant ad eam approbandam (6).

50. 2. Dicitur *Clericum* vel *Monachum*. Nomine *clerici* intelligitur etiam tonsuratus, licet excommunicatus, suspensus aut interdictus; excepto si iste dimiserit habitum, et post tres admonitiones nec reassumpsisset, ut habetur in *cap. Contingit* 45. *de Sent. excomm.* et iuxta communem dd. (7). Nomine *Monachi* intelligitur quilibet Religiosus, sive conversus, aut novitius, utriusque sexus, et etiam Tertiarii s. Francisci, aut s. Dominici qui gestant habitum, et vivunt in communitate sub obedientia Praelati; Suar. Nav. Bonac. etc. communiter. Idem dicit Fagnan. currere pro mulieribus quae vivunt in conservatoriis, licet non approbatis a Papa. Idem dicit Renzi

(1) lib. 7. n. 231.
(2) Ferrar. bibl. v. Conven. a. 3. n. 14.
(3) l. 7. n. 264. et 265.
(4) n. 266 (5) n. 267
(6) n. 268. et 269. (7) n. 270.

currere pro seminaristis, et pueris collegiorum, ut sunt Neapoli pueri Pietatis, s. Honuphrii, etc. Idem dicunt Suar. Fagnan. Tourn. et Ronc. de eremitis qui voto, aut pacto se adscribunt servitio alicuius loci sacri sub Episcopi subiectione, aut (ut dicit Castrop.) qui vivunt sub aliqua regula cum voto obedientiae. Caeterum communiter dd. dicunt eremitas vagos non gaudere tali privilegio, licet ex Episcopi licentia alicui ecclesiae deservirent (1).

51. Dicitur 3. *Manus iniecerit*. Intelligitur quaelibet percussio realis, et externe gravis cum peccato mortali facta, sive manibus, sive baculo, etc. Sed recte animadvertunt Suar. Castr. Bon. etc. quod quoties iniuria censetur gravis ratione reverentiae clerico debitae, sufficit qualiscumque percussio etiam levis ad incurrendam censuram, cum in hoc Canone debeat interpretatio large sumi, ut favorabilis statui ecclesiastico (2). Quapropter dicunt dd. incurrere hanc censuram, 1. eum qui expuit in faciem clerici, aut eum coinquinat luto, aut aquam in eum infundit, aut vestem scindit, capillos evellit, aut aliquid aliud de persona illius, ut pileum, pallium, etc. 2. Qui eum in carcerem coniicit, aut in alium locum, unde egredi nequit sine dedecore. 3. Qui eum insequitur ut in foveam cadat, aut excutiatur ab equo; imo probabile est etiam incurrere eum, qui illum insequitur etiam sine ullo fine, si accidit ut clericus cadat dum fugit; licet alii etiam probabiliter id negant. 4. Qui violenter ferit, aut percutit equum, cui clericus insidet, aut habenis eum retinet; Suar. Castrop. Bon. Laym. Salm. etc. communiter. 5. Qui aliqua iniuriosa actione clericum afficit, etiam eo consentiente; Suar. Bon. Coninch. et Salm. ex *cap. Contingit, de Sent. excomm.* Sed advertunt Bonacina et Croix, quod tunc censura non esset *latae sententiae;* sed *ferendae*, dum in eodem textu dicitur, loquendo de tali casu, *excommunicetur*. Et item dicunt Con. et Salm. quod non currit quando consensus clerici auferret ab actione esse iniuriosam. An autem sit excommunicatus clericus qui seipsum percutit ira perculsus; affirmant Laym. Navar. Suar.; sed probabiliter negant Castr. Tol. Barbosa Croix Tourn. etc. quia revera Canon videtur loqui tantum de diversa persona, quae clericum laedit (3).

52. Non incurritur autem excommunicatio, si percussio gravem non irrogat iniuriam; hinc non incurrit, 1. fur qui furatur clam crumenam, aut vestem clerico: secus si vi hoc faciat, ut dicunt dd. cum communi. 2. Non incurrit qui percutit ioco, aut sine culpa gravi: *nec clerici* (excommunicantur), *si sint plenae aetatis, et non ex odio, vel invidia, vel indignatione, sed levitate iocosa, se ad invicem percutere contingat.* Idem dicunt Bon. Fill. Laym. Mol. Salm. Castr. etc. currere de pueris Tonsura, aut minoribus ordinibus initiatis, qui se invicem pugnis percutiunt, licet sanguis e naribus emanet; quia tales percussiones non reputantur graviter iniuriosae, licet (addit Sotus) percussio esset gravis; sed hoc intelligendum, modo illa non fuerit deliberata. Idem valet si esset casualis, aut ob propriam defensionem, aut proxime coniunctorum, aut bonorum. 3. Non incurrit excommunicationem qui in percutiendo non peccat graviter defectu advertentiae, aut consensus, ob iram subitaneam, ut communiter dicunt Suar. Bonac. Laym. Castr. Con. et Salm. Sed hic quaeritur an incurrat qui percutit ignorans percussum esse clericum, sed animo paratus eum percutiendi etiamsi cognovisset? Alii affirmant; sed communissime et recte negant Suarez Vasq. Bon. et alii; quia ad incurrendam censuram non sufficit voluntas interpretativa, sed requiritur actualis. Secus vero si percussor iam

(1) lib. 7. n. 271. (2) n. 272. et 273.

(3) n. 274.

dubitaret quod ille sit clericus, aut si eum percuteret animo afficiendi eum iniuria, sive sit clericus, sive laicus. Si vero ignorantia est crassa, dicimus cum Sanch. Covar. Croix etc. non excusari percutientem; *to* enim *suadente diabolo*, non requirit iam dolum, uti volunt Silv. Felin. etc., sed importat tantum ut adsit peccatum mortale. Incurrit etiam qui percutit clericum, quem putaret esse alium clericum quem laedere intendit; quia iam irrogat iniuriam statui clericali (1), ut diximus *Tr.* 10. *n.* 85. Non incurrit 4. Praelatus, magister, aut pater qui percutit (sed moderate) clericum qui minoribus ordinibus initiatus est: et idem dicunt rationabiliter Salm. de fratre maiore aetate, cui curae esset clericus, ut infertur ex *cap. Cum voluntate*, 54. §. *Si quis*, *de Sent. excomm.* ubi conceditur id omnibus, *qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum... duxerint corrigendos*. Ita etiam permittunt dd. Praelatis, et magistris ecclesiasticis corripere etiam clericos in *Sacris*, modo correptio sit moderata. Sed fit dubium, an ita possint etiam parentes? Negant Laym. Mol. Castr. etc.; sed probabilius affirmant Suar. Tourn. Conc. Val. Avil. Bon. Salm. Con. etc. dum in *cap.* 1. *de Sent. excom.* excusatur iam magister, *si scholarem iam clericum* (*quamvis sit plenae aetatis*, ut prius ibi dicitur) *intuitu disciplinae*, *vel correctionis percusserit*. Igitur si potest magister percutere clericum perfectae aetatis, qua de re intelligitur etiam clericus in *Sacris*, non solum intuitu disciplinae, sed etiam correctionis, tanto magis poterit pater, cuius principaliter est filios corripere (2). 5. Excusatur, ut dicitur *c. Si vero*, 3. *de Sent. exc. Qui in clericum cum uxore*, *matre*, *sorore*, *vel filia propria turpiter* (agentem) *inventum manus iniecerit violentas*; secus si persona non est ita ei coniuncta; notant tamen Nav. Tourn. Conin. Croix etc. quod huiusmodi percussor tunc tantum excusatur a censura, cum percutit eodem actu, aut paulo post. Praeterea recte dicunt Laym. et Nav. non excusari virum qui ex proposito etiam expectat clericum, et postea eum in adulterio deprehensum percutit: nam tunc non verificatur quod deprehendit eum in delicto, dum eum expectat ad delictum. Contra rationabiliter Suar. Sayr. Sylv. Salmant. etc. excusant mulierem quae percutit clericum qui eam sollicitat, cum illa non potest alia via se liberare, etiamsi ille eam tentasset solis pravis verbis; sed hoc intelligendum est, quando mulier pro tali sollicitatione reperiretur in periculo labendi (3). Circa vero absolutionem a tali excommunicatione quando possit concedi ab Episcopo, et quando a Papa, vide dicenda in *Tract.* 20. *de Priv. n.* 46. 47. *et* 48.

(1) l. 7. n. 275. (2) n. 275. v. 5. si prael
(3) ib v. 6. si percutiatur

III. *De excommunicationibus reservatis Papae in Bulla Coenae.*

53. Principalis excommunicatio in hac Bulla est in haereticos, in eorum fautores, in eorum libros legentes. Primo igitur loco incurrunt praefatam excommunicationem haeretici; sed ad eam incurrendam 1. requiritur ut haeresis sit formalis; nempe ex errore intellectus, et cum pertinacia, ita ut quis velit eam amplecti opinionem, non obstante quod sciat illam esse oppositam Ecclesiae doctrinae, ut docet s. Thomas (4) cum communi. Dictum est, *non obstante quod sciat*, quia ignorantia licet supina excusat ab hac censura; quia tunc deest haec pertinacia, quae haeresim formalem constituit. Imo, ut dicunt probabiliter Suarez Azor. Castropal. Salm. Bann. Sayr. etc. excusat etiam affectata; dum non contradicit Ecclesiae, qui nescit se Ecclesiae contradicere, quacumque ignorantia id nesciat (5). Si quis autem

(4) 1. part. quaest. 32. a. 4.
(5) lib. 7. n. 302.

dubitat de rebus Fidei positive iudicando dubium esse aliquod dogma, certe hic incurrit censuram tanquam haereticus; prout communiter dicunt Sanch. Vasq. Bon. Salm. etc. ex *c.* 1. *de Haeret.* Qui autem dubitaret negative, non iam iudicando, sed suspendendo iudicium, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia tunc non adest electio pertinax contra id quod sentit Ecclesia; ita Canus San. Becanus Salm. Tanner etc. (1). Requiritur 2. ut error sit externatus verbis aut signis, per se aut per circumstantias haeresim manifestantibus; unde dicunt Laym. et Salm. non incurrere censuram, qui diceret: *Non est Deus*, tacendo *to* Iesus Christus (2). Requiritur 3. ut manifestatio sit per se peccaminosa, unde non incurrit qui manifestat errorem suum consilium exposcendi fine. Requiritur 4. ut ipse manifestet suam haeresim animo eam profitendi; secus tam in hoc quam in aliis casibus, in quibus non incurritur censura, potest absolvi haeresis a quolibet confessario (3). Caeterum ad incurrendam excommunicationem, sufficit errorem esse externe manifestatum, licet aliis non fiat notus; Azorius Avil. Corn. etc. cum comm. (4). Et constat ex praxi aliquarum facultatum quas Pontifex solet concedere Missionariis; nam solet concedere facultatem absolvendi ab haeresi, modo complicem non habeat, quae utique alias non est haeresis externata et nemini nota.

54. Secundo loco incurrunt hanc excommunicationem, ut exprimitur in Bulla, *credentes*, *fautores*, *receptatores*, *et defensores*. Illi dicuntur *credentes* qui externe ostendunt se consentire erroribus, dicendo v. gr. *Ego credo quod credit Calvinus*; aut *Calvinus fuit vir sanctus*. *Fautores* sunt qui laudant haereticum, aut ei auxilium praestant ad fugiendum; aut cum possint eum capere, aut punire omittunt, cum teneantur id facere ex officio. *Receptatores* sunt qui domi excipiunt, aut occultant haereticum, ne puniatur. *Defensores*, qui impediunt iudicem, quominus capiat, aut puniat haereticum, aut qui defendunt eorum errores, licet interne aliud sentiant et credant (5). Dicunt autem Tolet. Castr. etc. huiusmodi fautores incurrere excommunicationem, licet id non agant animo favendi haeresi, sed ut opitulentur coniuncto, aut amico; sed probabiliter id negant Sot. Azor. Laym. Salmant. Arriaga et Sanch. cum s. Bonav., quia Ecclesia ideo damnat praefatos *fautores* in quantum favent haeretico, uti haeretico, non autem ut propinquo aut amico (6). Quod si fautor iam cum effectu opitularetur haeretico, ut eum a iudicis manibus subtrahat, licet ille postea capiatur, non excusatur a censura, ut recte dicunt Sayr. Graff. Castrop. et alii (contra Sanch. et Suar.), quia iam verificatur quod cum effectu faveat haeresi (7).

55. Tertio loco incurrunt excommunicationem, uti dicitur in Bulla, *scienter retinentes*, *legentes*, *imprimentes*, *et defendentes libros haereticorum de religione tractantes*, *vel haeresim continentes*, *ex quavis causa publica vel occulta*, *quovis ingenio*, *vel colore*. Et idem dicunt Salm. currere (iuxta Decreta pontificia) de illis qui vendunt, emunt, aut transferunt dictos libros, aut impediunt quominus tradantur Episcopo (8). Hic quaeritur an Episcopi legere possint libros prohibitos? Videbatur posse, cum omnes Episcopi, ubi non adest formale tribunal S. Officii, sunt inquisitores nati, qui procedere valent via ordinaria adversus delinquentes in materia Fidei; sed negandum cum Sylvio Barb. et Bonac. (9) ex bullis

(1) l. 7. n. 302. (2) n. 303. (3) n. 304.
(4) n. 305. (5) n. 306. (6) n. 307.
(7) n. 308. (8) n. 281. et 285.
(9) Sylvius t. 3. q. 11. a. 3. quaer. 4. co[illegible] l. 2. in fin. Barbosa de Pot. Episc. p. 3 Alleg. 90. n. 8. Bonac. t. 3. Disp. 1. q. 2. p. 4. n. 10.

Iulii III. *Cum meditatio*, Pauli IV. *Quia in futurorum*, et Pii IV. *Cum pro munere*, relatis ab auctoribus praefatis, ubi inhibetur tam Episcopis, quam inquisitoribus lectio librorum vetitorum. *Praeterquam* (excipitur) *senioribus et commissariis haereticae pravitatis*: To *commissariis* intelligitur de iis inquisitoribus, quibus cum committitur aliqua particularis causa, legere indulgetur libros ad illam materiam concernentes, sed tantum pro eo tempore quo permanet commissio, ut Bonacina loco citato explicat, dicens: *Exceptis inquisitoribus, commissariisque pro tempore deputatis, durante illa deputatione.* Et hic transeunter advertatur, quod in laudata Bulla, *Cum pro munere*, Pii IV. praescribitur libros prohibitos non tantum retineri non posse, sed nec etiam lacerari ab aliquo, aut comburi, sed deferendos esse ad inquisitores vel Episcopos, ubi tribunal S. officii non manet.

56. Ad incurrendam tamen hanc censuram, quatuor requiruntur conditiones: 1. ut scienter legantur aut retineantur illi libri: unde excusat ignorantia etiam crassa, et affectata, ut dictum est *n.* 8. Sed non excusatur ille qui legeret, etc. librum, sciens fama, aut dicto unius testis fide digni, quod liber sit prohibitus, ut dicunt communiter Lug. Sanch. Bonac. Croix etc. (1). 2. Requiritur ut auctor sit haereticus, unde non sufficit quod sit infidelis, Suar. Sanch. Castr. Salm. etc. Libri tamen Thalmud, et alii Hebraeorum sunt prohibiti per Bullas s. Pii V. et Clementis VIII. Dicit autem recte Holzman, inter haereticos habendos esse etiam illos, qui ex professo agunt de haeresi, licet tacito nomine circumferantur; nam eorum auctor supponendus est certe haereticus (2).

57. III. Requiritur ut liber haeretici aut tractet de religione, aut contineat aliquam haeresim: adeoque ut ille sit prohibitus, sufficit ut contineat unum tantum errorem adversus Fidem, licet non tractet de religione, ut recte dicunt Sanch. Castr. Salm. et Bonac. (quicquid dicat Busemb. cum aliis) (3), aut tractet ex professo de religione, aut de dogmatibus, aut de Canonibus, aut ritibus, aut de materia spirituali. Dicit autem Croix cum Pignat. excusari qui raderet errorem a libro, et legeret reliquum; quia liber non amplius contineret haeresim. Sed huic se opponunt Suar. Bon. et Sanch. dicentes, quod illa abrasio particularis non tollit communem prohibitionem libri. In hoc mihi arridet distinctio P. Sporer: Si liber tractat ex *professo* de religione, abrasione non obstante, etiam prohibitus remanet liber, iuxta Bullam, quae prohibet omnes libros haereticorum de religione tractantes. Secus vero si liber ageret de rebus indifferentibus, prout de philosophia, aut de historia, excepta historia Centuriatorum, aut huiusmodi, quae in substantia agit etiam de religione. Commun. caeteroquin dicunt Suar. Tol. Castr. Croix etc. quod incurrit censuram qui legit sine licentia tales libros prohibitos, etiam ad confutandos errores, et licet sine periculo perversionis, dum in Bulla vetantur legi *ex quavis causa vel colore*; excipiunt tamen Laym. Dicast. Holzm. Elbel etc. si quis doctus legeret, ut convinceret, aut converteret aliquem haereticum particularem, et necessitas non pateretur moram, cum tempus non suppetat quo possit obtineri licentia (4). Haec licentia obtinenda est aut a Papa, aut a S. C. Indicis, aut Concilii; dumtaxat in casu magnae necessitatis, ait P. Viva, potest eam concedere Episcopus (5).

58. IV. Requiritur ut lectio sit in materia notabili, nam communiter in hoc admittunt dd. parvitatem materiae. Hanc parvitatem autem dicunt Sanch. Vivald. Sa etc. esse etiam unam paginam; sed haec opinio est nimis laxa. Alii contra, ut Graff. et

(1) l. 7. n. 296. (2) n. 282. (3) n. 283.

(4) ib. in fin. (5) n. 299. v. facult.

Reginald. dicunt esse tres aut quatuor versus. Alii denique, ut Marchant. Holzm. Spor. Elb. Croix melius distinguunt, habita ratione finis prohibitionis, et dicunt quod si in aperiendo libro occurrit haeresis, potest incurri censura etiam legendo paucos versus, cum possit ibi adesse periculum perversionis: secus autem, si ibi agitur de alia materia sine ullo errore (1). Caeterum potest incurri censura in legendo solo prooemio, aut indice, aut praefatione, cum legitur in quantitate notabili; Laym. Bonac. et Busemb. (2).

59. Quaeritur hic 1. an incurrat censuram qui audit alium legentem suo iussu? Affirmant Azor. Silv. Pignat. etc.; sed probabiliter id negant Navar. Coninc. Sanch. Castr. Filliuc. Croix et Viva; et Sporer Sousa et Stephanus excusant etiam a peccato, si illi qui audit non adest periculum perversionis (3). Quaeritur 2. an incurrat qui legit epistolam, aut concionem seorsim impressam? Affirmat Suar.; sed communius et probabilius negant Laym. Sanch. Busemb. Holzm. Marchant. Salm. Bon. Castr. et Lugo, nam talis scriptura non potest dici liber; et cum agatur de re odiosa, nempe de poena, stricte interpretandum (4). Quaeritur 3. an incurrat excommunicationem qui legit manuscripta haereticorum? Negant Azor. Viva Spor. etc. cum Sylvio, qui refert etiam Declarationem S. C.; sed constanter affirmant Suar. Pignatel. Sanch. Croix Holzm. Dicast. et alii, dicentes quod manuscripta etiam veniunt sub nomine librorum, prout ante inventionem artis typographicae libri dicebantur, et nunc libri, ubi adnotantur baptizati, confirmati, etc. a Rituali libri dicuntur, sicut etiam appellantur libri acceptorum, et datorum, libri regestorum etc. Et respondetur ad Decr. S. C. non satis constare, sicut dicunt Croix et Salm.; caeteroquin advertit in expurgatorio Romano prohiberi generaliter sub poena excommunicationis omnes scripturas haereticorum, usquedum approbentur ab Episcopis (5). Advertendum tamen quod Bened. XIV. quotquot libros prohibuit, etiam manuscripta comprehendit, ut videre est in suis Bullariis. Item cum edita esset quaedam dissertatio manuscripta adversus Bullam ab eodem editam super Bullam *Unigenitus*, ipse etiam illam prohibuit. Item declaravit quod, prohibito libro in uno idiomate, intelligitur ille prohibitus, in quocumque alio sit translatus.

60. Contra non sunt prohibiti 1. libri catholicorum qui referunt verba alicuius haeretici, ad eum confutandum; Suar. Laym. Nav. Azor. Sanch. etc. communiter (6). 2. Libri catholicorum, ubi adsunt notae alicuius haeretici; modo (recte limitant P. Suar. Pignat. etc.) tales adnotationes, sive scholia non essent adeo copiosa, ut potius ex iis constaret liber, quam ex auctoris scripto (7). 3. Libri haereticorum philosophici, aut alterius materiae, sed ab erroribus immunes, nam (ut diximus n. 57.) etiamsi sit ibi scriptus aliquis error incidenter iam ille prohibitus est, quicquid dicat Bus. cum aliis.

61. Refert hic aliquam dare notitiam de indice librorum prohibitorum ex mandato Pauli IV. edito, et approbato etiam a Clemente VIII. Hic index tres librorum classes constituit. Prima constat ex libris haereticorum, qui continent (ut dictum est) haeresim, aut tractant de religione. Secunda ex libris catholicis, sed continentibus aliquem errorem aut contra Fidem, aut contra bonos mores; sed hi non sunt prohibiti, donec adnotentur in indice, ut dicit doctissimus Lupo: modo non sint illi qui generaliter sunt prohibiti ab indice. Tertia ex libris, qui circumferuntur tacito auctore, et hi, ait idem Lupo, nec prohibiti sunt, nisi aliquam contineant doctrinam pravam:

(1) l. 7. n. 284. (2) n. 292. (3) ibid. (4) n. 293. (5) ibid. (6) n. 286.

(7) n. 286.

et tanto minus si prodantur cum approbatione Ordinarii, ut hodie communiter videtur adolevisse usus. Praeterea sunt prohibiti omnes libri Haeresiarcarum, licet non tractent de religione: item libri haereticorum (ut superius innuimus) donec permittantur ab Episcopis: Biblia vulgaria, et libri qui in lingua vernacula loquuntur de quaestionibus cum haereticis: libri magici, et obscaeni ex *professo*, et etiam de astrologia iudiciaria, in quam Sixtus V. inflixit excommunicationem reservatam. Et item prohibita sunt in indice omnia scripta damnata tanquam suspecta de haeresi, aut de falso dogmate, sub excommunicatione, sed non reservata, ut dicunt Pignat. et Suar. (1). Licet referant Salm. S. Pium V. talem excommunicationem sibi reservasse.

62. In Bullae vigore incurrit excommunicationem non tantum qui legit, sed etiam qui retinet praefatos libros haereticorum. Qui forte eos haberet, tenetur ad eos consignandos aut Episcopo, aut inquisitoribus, iuxta praeceptum Iulii III. et Pii IV. Et loquendo de locis ubi inquisitio erecta est, dicit P. Suar. cum aliis, quod incurreret censuram qui eos igni daret; sed eum excusant Sanch. Pignat. Salm. Croix, dicendo quod qui librum cremat, non potest dici quod librum teneat (2). Et revera Bened. XIV. cum damnasset aliquos libros, praecepit aut consignandos, aut cremandos. Caeterum non excusatur qui retinet librum alterius nomine, sive pignori, sive commodato, sive deposito; aut qui eum apud alium teneret; quia cum ipse retineat dominium, etiam dicitur quod ipse retineat, cum possit pro libitu eum repetere; Suarez Sanch. et alii communiter. Et hic notetur propositio 45. ex damnatis ab Alex. VII. quae dicebat: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri etc.*; dicit tamen Croix cum aliis quod excusaretur qui librum reponeret in loco sequestrato, qui in quolibet monasterio assignari solet. Et qui consignaret librum alicui habenti licentiam, cum pacto non amplius eum repetendi, nisi post expurgationem, aut post licentiam obtentam, ego nescirem eum damnare; et tanto minus si librum ei donaret cum pacto repetendi tantum cum licentiam obtinuerit (3). Excusaretur etiam qui librum paulum temporis retinet v. g. per unum vel alterum diem; ita Laym. Sanch. Sayr. Bon. et alii communiter. Et admittunt hoc Cast. et Viva, in quantum ad excusandum eum a censura, licet ille in illo modico tempore animum haberet illum semper retinendi; dum, ut dicunt, deest tunc materia gravis facti. Praeterea Laym. Pignat. Sayr. Sanch. Graff. etc. etiam excusant eum, si diutius librum retineat, expectans tempus opportunum quo tradat Superiori vel alteri habenti licentiam (4).

63. Multi alii autem (ultra praefatum casum haeresis) sunt casus Bullae Coenae, quibus annexa est excommunicatio. Expedit hic principaliores adnotare. Et sunt in eos qui surripiunt bona Christifidelium naufragantium, licet in littore inventa, modo non habeantur ut derelicta. In dominos qui in terris suis sine privilegio imponunt tributa: tale privilegium habent reges, respublicae, et etiam universitates, cum id ad subveniendum civium necessitatibus expediens est; ita Vasq. Dic. Salm. Viva, etc. In piratas depraedantes Christianos in mari ecclesiastico. In falsificatores litterarum apostolicarum. Qui a iudicibus ecclesiasticis avocant causas spirituales, aut trahunt clericum ad tribunal laicale. In usurpantes iurisdictionem, aut fructus beneficiales. In vexantes Romipetas, aut eum qui illinc regreditur ob negotia ad Sedem apostolicam spectantia. Alii casus minus usuales videri possunt in Opere (5); sed hic tandem notandum quod Clemens VIII. im-

(1) L. 7. n. 288. et 289 (2) n. 299

(3) n. 298. (4) n 295 (5) n. 309 ad 311

posuit excommunicationem reservatam in absolventes a casibus *Bullae Coenae* sine facultate (1).

PUNCTUM IV. *De suspensione, degradatione sive depositione, de interdicto, et cessatione a Divinis.*

64. Et 1. *de suspensione.* Suspensio est *censura qua clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur.* Certum est peccare graviter clericum exercentem functionem aliquam sibi ob suspensionem vetitam, nisi excusetur, aut quia exercet Ordinem non sacrum, aut sacrum, sed non solemniter, ut docent s. Anton. Habert. Tourn. Salm. etc. contra Suar. et Nav., aut quia exercet illum ex ignorantia aut metu gravi, aut in parva materia; Bonac. Tourn. Salm. etc. (2). Hic quaeritur 1. an incurrat irregularitatem clericus exercens actum a quo suspensus est? Multae adsunt sententiae; sed illa quae mihi magis arridet cum Ronc. et aliis, sic distinguit: si suspensio imposita est per modum statuti, aut praecepti ob delictum futurum, aut etiam praeteritum, sed habens tractum successivum, tunc reus incurrit, iuxta *cap.* 1. *de Sent. et re iud. in* 6.: secus autem si suspensio lata est per sententiam in punitionem delicti omnino praeteriti, quia tunc suspensio habet rationem merae poenae, non iam censurae; nam censura non potest imponi ob delicta omnino praeterita (3), sicut diximus *num.* 8. Quaeritur 2. an Episcopus suspensus a Pontificalibus incurrat irregularitatem, si ea exercet? Negant Silv. Innoc. Abbas, etc. dicentes quod tunc Episcopus non exercet Ordinem sacrum; innitentes illa sententia quod Episcopatus non sit Ordo, licet opposita sit valde probabilis cum Bell. Sanch. Tourn. et aliis (vide *Append.* 3. *de Exam. etc. cap.* 2. *n.* 27. *in fine*). Nihilominus negari non potest quin tale exercitium sit actus Ordinis sacri, sin distinctus, saltem extensus. Quod si Episcopus suspensus celebraret Missam solemnem cum Pontificalibus, dicimus quod peccaret, sed non incurreret irregularitatem, quia celebrando non exercet actum substantialem Ordinis episcopalis, sed solius sacerdotalis, a quo non est suspensus (4).

65. Suspensus non toleratus invalide exercet iurisdictionem. Toleratus vero exercet valide, sed illicite, si requisitus non est ab aliis; Busemb. Salm. etc. (5). Alii autem, etiamsi clericus esset nominatim suspensus, probabiliter dicunt ut Suar. Castrop. Holzm. et Salm. non teneri sub culpa gravi ad eum vitandum, et subiungunt esse omnino illicitum fidelibus audire Missam sacerdotis suspensi (6).

66. Suspensio alia fertur ad tempus, alia in perpetuum. Alia est a beneficio, aut ab aliqua functione ipsius: alia ab officio, quae comprehendit tam suspensionem ab Ordine, quam a iurisdictione. Notandum 1. quod suspensus absolute, intelligitur suspensus tam a beneficio, quam ab Ordine; Laym. Busemb. etc.; adeo ut suspenso tunc interdictum est quodlibet exercitium Ordinis et iurisdictionis. Sed notandum cum s. Thoma (7), quod suspensus ab Ordine, non proinde est suspensus a iurisdictione; et ita etiam dicunt cum communi Suar. Nav. Tourn. Fagnan. etc. quod suspensus ab officio, non ideo est suspensus a beneficio, modo supplere faciat per alios functionibus officio debitis. Excipitur tamen si delictum sit enorme, *cap.* 10. *de Purg. Canon.*, aut si reus permaneret per annum suspensus, *cap. Cum bonae de Ætat. et qualit. etc.* Notandum 2. quod suspensus a beneficio non est suspensus ab officio. Quare tene-

(1) l. 7. n. 311. in fine. (2) n. 313. v. est certum. (3) n. 314. (4) ib. dub. 2.

(5) ib. v. 4. suspensus. (6) n. 138. et seq. (7) suppl. q. 22. a. 3.

tur ad Horas canonicas, et alia ad onera officii, licet privatus sit fructibus. Hoc tamen non intelligitur, quando suspensio est ob delictum omnino praeteritum, sed quando est imposita ob contumaciam, a qua suspensus possit libenter liberari; Suar. Fill. Coninc. etc. communiter. Imo dicunt Tourn. Avil. Renzi, etc. quod si beneficiatus est occulte suspensus, et adimplet onera, potest sibi retinere illam partem fructuum, quae spectaret ad substitutum (1). Suspensus autem a beneficio a proprio Episcopo, non intelligitur suspensus ab aliis beneficiis quae extra dioecesim haberet, modo Episcopus non exprimeret; quia tunc, licet illa beneficia non subdantur Episcopo, est tamen subiecta persona suspensi; Tourn. Pont. et Renzi (2). Dicimus praeterea, cum sententia probabiliori Suar. Laym. Antoine, etc. contra Bonac. quod si suspensus acquirit novum beneficium, collatio potest recte irritari, sed non est nulla ex se, cum id non sit expressum in lege; imo ex *cap. Cum bonae, de Ætat. et qualit. etc.* oppositum deducitur (3). Notandum 3. quod suspenso a beneficio non est interdictum praesentare, et conferre alia beneficia, licet ius ei competat ratione ipsius beneficii; Busemb. etc. (4). Notandum 4. quod, suspensa communitate, non intelliguntur suspensae personae illius; sed sola communitas, quoad officia et beneficia, quae in communi illa possidet; Bonac. Salmant., etc. cum s. Thoma, etc. commun. Et si particulares exercerent functiones communitati vetitas, peccarent utique, sed non incurrerent irregularitatem, nam talis prohibitio non esset proprie censura; Suar. Castrop. Ronc. Salm. etc. Quod si suspensio est imposita tam communitati, quam personis, tunc non incurrunt innocentes, *cap. 2. de Constit.* (5). Notandum 5. cum Nav. Bon. Salm. Busemb. etc., quod si Praelatus diceret oretenus, *Ego te suspendo*, haec potius dicenda esset prohibitio quam suspensio; nam non praesumitur velle in hoc ille peccare, cum vetitum sit Praelatis suspendere sine scriptura (6). Notandum 6. quod ex veriori, et communissima sententia Suar. Sot. Laym. Sanch. Salm. etc. (contra Nav.), suspensio totalis, nempe ab omni usu officii, aut ab aliquo illorum ad tempus notabile, non incurritur, nisi per peccatum mortale; secus autem, si suspensio esset partialis, aut totalis ad breve tempus, v. g. per aliquot dies, aut per hebdomadam, aut esset ferendae sententiae (7). Notandum denique quod Episcopi, et omnes confessarii possunt absolvere a suspensione imposita ad tempus, aut conditionate; tempore illo elapso, aut verificata conditione, ipsa ex se cessat (8). Qui vero desideraret scire suspensiones in particulari quae in Ordinandos latae sunt, videat in *Append. 3. de Examine, etc. num.* 46 Suspensiones autem generales in *iure* adnotatae sunt in opere (9).

67. 2. De *depositione* et *degradatione*. Depositio, et degradatio non sunt censurae, sed sunt suspensioni similes: hac differentia tamen, quod illae auferunt ius radicale ad beneficia, et prohibent usum Ordinis in perpetuum, quod quidem non efficit suspensio. *Depositio* alia est verbalis, et haec proprie dicitur depositio, quae relinquit privilegium Canonis, et fori: alia est realis, et haec proprie dicitur *degradatio*, quae privat exercitio officiorum, et privat beneficiis, et privilegio Canonis, et fori, cum certa solemnitate, et ad semper, sine spe restitutionis. Dictum est, *exercitio*, quia ordo non potest tolli: unde degradatus tenetur ad votum castitatis iam emissum, et ad horas canonicas, et invalide contraheret matrimonium (10). Degradatio non potest celebrari nisi ab Episcopo, sed depositio pot-

(1) l. 7. n. 316. (2) ib. dubit. 2.
(3) ib. dubit. 3. (4) ib. v. 6. suspensus.
(5) n. 317. v. quando

(6) ib. v. 10. si praelatus. (7) n. 321.
(8) n. 322. (9) n. 318. (10) n. 323. et 324

est fieri etiam ab eius Vicario: in depositione potest dispensare Episcopus, sed in degradatione solus Papa. Depositio non potest fieri nisi in casibus expressis in iure, et in delictis atrocioribus; degradatio autem fit tantum in criminibus gravissimis, nempe haeresis manifestae, calumniae in proprium Episcopum, sodomiae frequentatae (1), et similium.

68. 3. De *interdicto*. Interdictum *est censura qua prohibetur usus divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturae ecclesiasticae*. Dividitur interdictum in locale, personale, et mixtum. Per locale prohibentur divina officia in loco dumtaxat: per personale certis personis aut communitati prohibentur: mixtum denique afficit immediate et locum et personas. Dividitur etiam interdictum in generale, et particulare. Quando interdictum est generale, interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia, et etiam ecclesiae exemptae Regularium, et tunc omnes tenentur illud servare, etiam Episcopus, qui illud tulit, excepto Pontifice. Licitum est tamen civibus, qui causam non dederunt interdicto, alio ire ad assistendum divinis officiis. Interdicta parochia, interdictae intelliguntur omnes capellae, et coemeterium contiguum; *cap. Si licitas, de Sent. Excom.* (2). Interdicto populo, non interdicti intelliguntur clerici, peregrini, studentes, quia isti non sunt partes populi; dd. cum communi. Contra interdicto clero, non intelliguntur interdicti laici, *cap. Si sententia, de Sent. excomm. in* 6.; nec Religiosi, nisi haberent officium aut beneficium in illo populo, nec alii clerici qui ibi nullum habent officium. Ab interdicto generali personali eximuntur 1. Episcopi (qui exempti sunt etiam a suspensione generali). 2. Infantes et amentes rationis expertes; sed hi etiam privantur sepultura. 3. Innocentes, sed tunc, cum domicilium alibi collocant. 4. Exteri, licet ibi diutius incolant (3).

69. Effectus interdicti sunt 1. prohibitio divinorum officiorum (intelliguntur illa quae a clericis tantum exerceri possunt, et in loco deputato), quibus assistere nequeunt nec interdicti ob culpam aliorum. Clerici tamen qui non sunt interdicti possunt celebrare, sed clausis valvis, sine sonitu campanarum, et expulsis interdictis (modo denuntiati sint), *cap. Alma Mater, de Sent. excom. in* 6. Et si interdicti nolunt exire, debet cessari a celebratione sub poena irregularitatis; sed advertunt Suarez Holzm. et Mazzot. hoc currere, quando celebratur in loco interdicto. Permittitur autem celebrare in festis Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis B. Mariae, et in Octava Corporis Domini (4). 2. Prohibitio administrandi Sacramenta, exceptis Baptismo (qui potest dari etiam solemniter), Confirmatione, et Poenitentia, quae omnibus permittuntur, praeter eos qui dederunt causam aut favorem interdicto. Eucharistia autem potest praeberi moribundis, et etiam Extrema-Unctio, ut dicunt Suar. Croix et Dicastill. contra Salm. et Sanchez. Item Coninch. et Laym. permittunt etiam matrimonium, et hoc est probabilius (contra Suarez) ex *c. Capellanus, de Feriis*, ubi dicitur quod matrimonium possit contrahi quovis tempore (5). 3. Prohibitio sepulturae; sed clerici, modo non sint nominatim interdicti, possunt sepeliri in ecclesia, etiam cum Missa; si autem ecclesia esset specialiter interdicta, possunt etiam in illa sepeliri, sed sine Missa. Sed laici non possunt sepeliri in ecclesia, et si forte ibi sepulti sunt, exhumari debent (6). 4. Clerici qui violant interdictum in materia gravi, peccant graviter, et exercendo Ordinem incurrunt irregularitatem. Ita etiam Religiosi qui incurrunt insuper excommunicationem ipso facto. Laici vero peccant mortaliter, si recipiant

(1) l. 7. n. 326. et 327. (2) n. 330.
(3) n. 331. (4) n. 333. (5) n. 334.

(6) n. 335.

sacramenta contra interdictum personale; sed si violant tantum locale, v. gr. assistendo divinis officiis, probabilius dicunt Laym. Bus. Sot. Silvest., etc. quod peccant tantum venialiter, modo ipsi non sint specialiter interdicti (1).

70. Possunt interdictum ferre omnes Superiores, qui possunt excommunicare. Ad interdicendum locum aut communitatem, requiritur peccatum nimis atrox, commissum a capite, vel a principalibus illius. Interdictum tamen ad breve tempus, et in ordine ad unum, vel alterum usum, potest incurri etiam ob peccatum veniale (2). Interdicta localia, et personalia in generali a iure communi lata et non reservata, possunt auferri ab Episcopis. Alia vero ab Episcopis lata, tantum possunt ab ipsis, vel a Papa auferri. Ab interdictis autem de iure personalibus, et particularibus non reservatis, possunt absolvere quilibet confessarii approbati (3). Hic denique notandum, quod cessandum est a *Divinis* in ecclesia, et pro interdicta ipsamet habenda est, cum ibi permittatur afferri stratum cuicumque personae, quae non sit regia dignitate fulcita; iuxta Decretum quod retulimus *Tr.* 4. *n.* 39.

71. IV. De *cessatione a Divinis*. Haec definitur: *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura.* Putant autem Suar. et Fill. posse Episcopum unum prohibere effectum, et non alium. Haec cessatio non est interdictum, nec censura, nec imponitur per modum medicinae ad removendam contumaciam, sed solum in signum moeroris, aut ad reparandam aliquam gravissimam iniuriam Deo, aut Ecclesiae irrogatam: et tenentur illud servare omnes cives illius loci, cui imponitur. Et dicunt communius Sanch. Bon. Salm. et alii, quod tempore talis cessationis clerici privantur privilegio ipsis concesso tempore interdicti; conceduntur tamen illa Sacramenta, quae permittuntur tempore interdicti. Cessatio imponitur ab eo qui potest imponere censuras, praecedente monitione: et ab ipsomet potest tolli, aut suspendi per aliquod tempus (4).

(1) l. 7. n. 336. (2) n. 337.
(3) n. 338. et 339. (4) n. 340.

CAPUT III. DE IRREGULARITATE

PUNCTUM I.

Quid et quotuplex sit irregularitas.

72. *Definitio.*
73. *An irregularitas sit censura.*
74. *Divisiones irregularitatis.*

72. Irregularitas, licet non esset censura, quia tamen cum ea valde assimilatur, ei propterea annectitur; et definitur: *Est impedimentum canonicum susceptionem Ordinum sacrorum, et susceptorum usum impediens.* Itaque irregularis non potest nec Ordinem suscipere, nec susceptum exercere.

73. Quaeritur an irregularitas sit censura? Affirmant Sot. Bon. Covar. et multi alii, dicentes essentiam censurae, nempe esse poenam ecclesiasticam, aeque competere censurae, et irregularitati. Alii autem communius, et probabilius, ut Suar. Bon. Castr. et Salm. cum aliis apud ipsos, id negant, dicendo esse illam impedimentum, sive inhabilitatem; et probant ex *cap. Quaerenti, de Verbor. signif.* ubi interrogatus Innoc. III. quid intelligendum nomine censurae? respondit: *Quod per eam non solum interdicti, sed etiam suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi.* Igitur praeter has tres, nulla alia poena dici potest censura (5). Et licet sit poena, non est tamen medicinalis, nempe ad impedienda peccata futura; nam haec imponitur ob peccata praeterita, et est poena mere punitiva.

74. Dividitur irregularitas in eam quae provenit ex *delicto*, et eam quae provenit ex *defectu*. Item in *totalem*, quae omni Ordine suscipiendo, et

(5) n. 341. v. quaer.

suscepti exercitio privat; et *partialem*, quae tantum aliquo Ordinis ministerio, vel solo ascensu ad Ordines superiores privat; v. g. si sacerdos esset manu carens, vel coecus, esset inhabilis ad celebrandum, sed posset excipere confessiones.

Punctum II. *Effectus irregularitatis.*

75. *Effectus.*
76. *An irregularis possit acceptare beneficia.*
77. *An possit accepta retinere.*

75. Irregularitas 1. inhabilem reddit ad suscipiendos Ordines, etiam primam Tonsuram, ut communiter dd. 2. Impedit exercitium iam susceptorum, *cap. fin. de Temp. Ord.* ideoque irregularis illicite, sed valide absolveret, etc. 3. Impedit a recipiendis beneficiis.

76. Sed quoad beneficia, quaeritur 1. an nulla sit collatio beneficii facta irregulari, qui est inhabilis ad functiones ipsius beneficii? Sententia communior, et probabilior affirmat, et probatur ex *c. 2. de Cleric. non ord. ministr.* et praesertim ex Trident. *sess. 22. cap. 4. de ref.* ubi dicitur: *Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui iam aetatem, et caeteras habilitates integre habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.* Et ratio est quia beneficium datur propter officium, et qui est inhabilis ad Ordinis iam suscepti exercitium, debet iudicari etiam inhabilis ad beneficium; ita dicunt Suar. Bon. Tourn. Cabass. Salm. cum aliis multis. Oppositam sententiam defendunt Innoc. Silv. Laym. Viva, Elbel. Roncag. Diana, et Salm. cum Felin. Anchar. Giball. et idem Suar., sicut etiam Bus. recte eam vocant probabilem: quia non est imponenda poena, ubi nulla lex expressa habetur, et cum nullus adsit textus evidens qui declaret irregularem incapacem beneficiorum, ideoque dicunt Suarez, Tourn. Bon. (1), quod licet peccet graviter in recipiendis, aut in retinendis illis sine dispensatione, tamen si per alios satisfecit beneficii oneribus, non tenetur ad restitutionem. Et respondent ad Canones, quod ipsi illicitam declarant beneficii collationem irregularibus, non autem invalidam, et ad Tridentinum respondent, dicendo quod ibi invalida declaratur collatio facta inhabilibus, sed tales non reputantur irregulares quoad validitatem. Sed hic advertendum quod licet haec sententia sit probabilis, tamen quia prima etiam est probabilior, stante communiori sensu dd. qui, ut ait Laym., est optimus interpres legum, qui ita interpretati sunt textus supra citatos, non potest ideo in beneficii possessionem se intromittere, quia nemo cum opinione probabili potest in possessionem alterius rei se ingerere (2). Sed contra si bona fide beneficium accepisset, obtenta dispensatione, potest illud retinere, quin in dispensationis petitione mentio facta esset de beneficio (3).

77. Quaeritur 2. an irregularis iuxta praefatam sententiam possit sibi retinere beneficium? Quoad beneficia prius obtenta, nulli dubium est, quin possit; nec debet eis a iudice privari, si irregularitas provenit ex infirmitate, uti habetur ex *c. Ex parte, de Cler. aegrot.* Sed si irregularitas proveniret ex delicto, debebit privari a iudice; sed interim, nisi dispensationem obtineat, debet aut illud renuntiare, aut resignare saltem in favorem tertii; quia qui non potest licite beneficii oneribus satisfacere, nec potest licite illud sibi retinere; ita Suar. Castr. Salm. cum multis aliis (4).

Punctum III.
Quomodo incurritur irregularitas.

78. *Irregularitas debet esse expressa in iure.*
79. *Qui dubitat an sit irregularis.*
80. *Qui dubitat an sit homicida.*
81. *Quid requiritur ad irregularitatem ex delicto.*

(1) lib. 7. n 343.
(2) ib. in fine, et lib. 3. n. 761.
(3) l. 7. n. 342. (4) ib. v. quaer.

82. *Si delictum est omnino occultum.*
83. *An requiratur scientia legis.*
84. *An scientia irregularitatis.*
85. *Quomodo tollenda est irregularitas in genere.*
86. *De dispensatione.*
87. *Quomodo tollitur irregularitas ex defectu.*

78. Irregularitas non incurritur nisi expressa sit in iure; *cap. Is qui, de Sent. excomm. in* 6. ubi dicitur: *Cum id non sit in iure expressum, etc.* Ideoque non debet extendi ultra casus expressos. Nomine *iuris* intelligitur tantum ius pontificium, aut Concilia approbata a Papa. Hinc infertur quod in materia irregularitatis non valet argumentum *a simili* nec *a maiori ad minus*, ut communiter advertunt dd. Advertit tamen Laym. quod in dubio an aliqua irregularitas sit nec ne expressa in iure, in hoc standum est communi sensui dd. et consuetudini (1).

79. Quaeritur 1. an habendus sit irregularis qui dubitat esse talem? Nomine dubii hic intelligitur negativum, quia in positivo, ante diligentiam, quisque se debet existimare irregularem; Sanchez, Suar. Castrop. et Salmant. cum Coninc. ex *cap. Illud, de Cleric. excomm.*, modo (dicunt Salm. cum aliis dd. cit.) non adsit aliqua gravis et urgens necessitas, v. gr. initiandi Ordinibus, aut beneficium suscipiendi: adhibita sufficienti diligentia, potest teneri pro non irregulari; Suar. Castrop. et Salm. cum aliis. Itaque difficultas restat in dubio negativo, et respondetur: quod si dubium est iuris, nempe an adsit vel ne talis lex quae irregularitatem tali facto affingit, tunc in nullo foro censendus est irregularis, tum ex dictis num. praecedenti, tum quia in dubio nemo spoliandus est suo iure; ita commun. dd. Sanch. Suar. Castr. Tourn. Hab., etc. (2). Si dubium est facti, nempe an commiserit tale delictum (homicidio excepto, de quo num. sequenti), duae adsunt sententiae. Prima affirmat cum Concin. Tourn. Hab. etc. ratione accepta ab homicidio, de quo in *c. Ad audientiam, de Homic.* dicitur: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit iniungere presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Et ex hoc regulam statuunt generalem, in omni materia sequendam esse tutiorem. Secunda sententia communis, et verior negat, et huius sententiae sunt Suar. Cabass. Ronc. Castrop., etc. et Salm. cum multis aliis. Ratio est, quia odia sunt restringenda, et in dubio nemo damnandus est. Ita ex *Reg. Favorabiliores, ff. de Reg. Iur.* et ex *cap. Cum sunt, eod. tit. in* 6. ubi dicitur: *Cum sunt iura partium obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Et ratio deducitur ab eo quod mox diximus; nam dum dubitatur an dispositio de homicidio valeat ad alias materias, iam dubium est iuris, in quo dubio etiam adversarii concedunt non incurri, dum in praefato *cap. Is qui, de Sent. excomm. in* 6. declaratur quod nulla irregularitas incurritur, nisi expressa sit in iure, et ad *cap. Ad audientiam*, respondetur quod ibi voluerit Pontifex decentiae motivo uti, quae tanti Sacrificii dignitatem decet, ut ab altari repellatur qui dubitat esse homicidam: et quod hoc erat decentiae, et non praecepti apparet ex *cap. Petitio tua, de Homicidio*, ubi dicitur: *Cum sit consultius in huiusmodi dubio* (homicidii) *abstinere, quam temere celebrare.* Qua de re quod in hoc loco consilii erat, voluit Pontifex ut in alio capite in praeceptum transiret (3).

80. Quaeritur 1. an dubitans se esse homicidam, debeat semper censeri irregularis? Alii dicunt in foro externo se gerere debere uti irregularem, non autem in interno; ita Innoc. Salm. Sanch., etc. Alii vero dicunt universaliter in neutro foro censendum esse irregularem, Host. Arm. Tab. etc.; sed communis et verior Castrop. Bonac. Bon. Sanch. et Salm.

(1) l. 7. n. 345. (2) n. 346. (3) n. 347.

cum multis aliis, tenet censendum esse irregularem in utroque foro. Nam ratio adducta in *cap. Significasti, c. Ad audientiam*, et in *penult. de Homic.*, nempe quod in dubio tutior pars eligenda est, utrumque forum comprehendit. Notandum primo quod hoc currit quando homicidium est certum et solum dubitatur an actio percussoris fuerit causa illius. Si vero dubitatur an homicidium factum sit, nec ne, tunc valde rationabiliter dicunt Pichl. Elbel, Dian. Tamb. et Spor. non esse censendum irregularem. Ideoque dicit Diana, cum Navarro, Menochio, et Quarant. quod si medicus venam secuerit praegnanti, ut illa abortiretur, et postea ignorat an abortus nec ne evenerit, non est censendus irregularis, quia habetur in *lib.* 1. §. *item illud, ff. Ad Syllam*, quod non procedendum est ad poenam, nisi constet de delicti corpore. Secus autem si pharmaca essent ita efficacia, ut communiter ab eis soleat effectus consequi; ita Nav. Mascard. ex *l. ult. de Fide instrum.* vide dicta *tr.* 8. *n.* 22. Notandum 2. quod dubitans de homicidio debet uti talem se gerere in duobus effectibus, nempe in abstinendo a celebrando, et in petenda dispensatione: quare infertur 1. quod laicus non incurreret talem irregularitatem; Sal. et Roncagl. 2. Quod clericus non incurrit privationem beneficiorum; San. Suar. Roncagl. Salm. et Castrop. cum Panor. etc. 3. Quod dubitans de mutilatione non est censendus irregularis; Sanchez, Bon. Ronc. Salm. et Suar. contra Nav. et Henr. (1).

81. Ad incurrendam irregularitatem, ex delicto, actus debet esse externatus, et mortalis; quia irregularitas est poena gravis quae difficulter relaxatur. Unde infertur, 1. quod si actus ob aliquam circumstantiam excusatur a peccato mortali, excusatur etiam ab irregularitate. 2. Quod praeceptum sub poena irregularitatis ad grave peccatum obligat. 3. Quod actus debet esse exterior; ideoque cum dicitur dispensare in irregularitate mentali, intelligitur occulta; Castrop. Conc. Aver. et communis cum Salmant. 4. Quod actus debet esse consummatus (2).

82. Quaeritur hic 1. an ob delictum externe consummatum, sed omnino occultum, incurratur irregularitas? Tres adsunt sententiae, sed verior affirmat de omni delicto; quia Ecclesia sibi reservat delicta etiam occultissima, ut est haeresis occulta omnino (ut dictum est n. 53. in fine). Et quod revera ob delicta occulta incurritur irregularitas, apparet ex Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *Liceat*, ubi conceditur Episcopis facultas absolvendi ab irregularitatibus occultis, et inter ista fit mentio haeresis, et homicidii occultorum; et sicut pro haeresi et homicidio occultis incurritur excommunicatio, ita pariter dicendum de aliis criminibus (3). Quinam autem possint dispensare in his, vide *tr.* 20. *de Priv. n.* 51. 52. 105. *et seq.*

83. Quaeritur 2. an ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis ecclesiasticae prohibentis? Sententia probabilior, et communissima (contra Suarez, Azor. Holzm. et Felin.) affirmat cum s. Antonin. Ronc. Castr. Navar. Silv. Sanch. etc. et Salmant. cum multis aliis; quia talis irregularitas habet rationem poenae; et cum sit poena, requiritur scientia saltem legis prohibentis. Et hoc probatur ex *cap. Proposuisti, Dist.* 42. ubi Innoc. I. decrevit non deponendos fore quosdam clericos incontinentes, quia ignorabant Constitutionem Siricii Papae: unde Castrop. Viva et Salm. cum aliis affirmant, quod si quis etiam ignoraret homicidio affixam esse irregularitatem, et homicidium committeret, non fieret irregularis: non ratione delicti, quia requiritur scientia; non ratione defectus, hanc enim incurrunt tantum ministri iustitiae, vel cognitionis causae, vel executionis poenae. Nihilo-

(1) lib. 7. n. 347. dubit. 3.

(2) n. 348. (3) n. 349.

minus quoad homicidium, sententia satis probabilis et tenenda est quod incurrit, quia haec irregularitas non tantum respicit delictum, aut defectum, sed etiam indecentiam; quae postulat ne admittatur ad sacrificandum in altari Dei Agnum mansuetissimum per manus ministri saevi, et crudelis; ideoque Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Reform.* antequam reservet irregularitatem ex homicidio, adducit rationem quod repellendus est ab altari homicida: *Cum etiam* (sunt verba Trid. mutuata *a cap.* 21. *Exod.*) *qui per industriam occiderit proximum suum, ... ab altari avelli debeat.* Quis non videt Concilium ostendere ipsiusmet naturae legem expostulare huiusmodi ministros etiam per vim expellendos esse ab altari (1)? Hoc non obstante, non audeo reprobare sententiam oppositam, dum hic casus non est expressus in iure.

84. Quaeritur 3. an ultra scientiam prohibitionis ecclesiasticae, requiratur scientia irregularitatis? Duplex est sententia: prima est Suar. Laym. Croix, Tournel. Pont. Sot. Vasq. etc., quae negat, quia irregularitas non est poena medicinalis, sed inhabilitas, sive poena mere punitiva; quare sufficit ut talis poena sit imposita a lege illi actui, et ut reus scienter et culpabiliter illum patraverit. Secunda sententia etiam probabilis affirmat; nam irregularitas ex delicto cum sit vera poena, et extraordinaria, ideoque cum praevideri non possit, ac praecognosci solet saltem in confuso poena ordinaria, non censetur Ecclesia tanto rigore velle ignorantiam punire (2); et sic tenent Silvest. Sanch. Ronc. Boss. Coninch. Sayrus, Corneius, Rodriquez; et Salmant. putant probabilem hanc sententiam aeque ac primam: et p. Suarez etiam probabilem vocat.

85. Irregularitas multifariam tolli potest. 1. Si cessat causa, cum irregularitas est ex defectu, v. g. aetatis, ignorantiae, etc. Suarez, Laym. Tourn. etc.; cum vero irregularitas provenit ex infamia, si haec est popularis, per emendationem tollitur, *Can.* 4. et 18. *Dist.* 56. Si infamia est facti, tollitur per loci mutationem; Tourn. et Ronc.; sed si infamia est iuris, nempe per iudicis sententiam, pro hac requiritur dispensatio. 2. Si proveniret ex delicto, tollitur per Baptismum; unde qui ante Baptismum commisisset homicidium, non erit amplius irregularis; Salm. cum Coninc. et Laym. 3. Per Pontificis dispensationem. 4. Per professionem religiosam (3). Quando et quibus in casibus possunt dispensare Episcopi et Regulares, vide *seq. tr.* 20. *de Priv. n.* 51. *et* 105. *et seq.*

86. Plura notanda sunt circa dispensationem. 1. Dispensatio Pontificis sine causa est valida, sed illicita; ab inferiore autem est invalida. 2. Qui plures irregularitates eiusdem speciei incurrit, in dispensatione sufficit exprimere se pluries illam incurrisse. 3. Si praelatus, qui facultatem habet dispensandi, scienter admittit irregularem ad beneficium, censetur dispensare cum illo; Bonac. Salm. cum aliis, etc. (4).

87. In irregularitate ex defectu solus Papa potest dispensare, et ille qui de hoc speciale privilegium habet. Irregularitas ex defectu natalium potest tolli per professionem religiosam, quoad Ordines, sed non quoad praelaturas; ita commun. dd. tum ex *c.* 1. *de Fil. presbyt.*, tum ex concessionibus Gregor. XIV. Clem. VIII. et Pauli V. Dicunt autem Diana, Barbos. Castrop., etc. quod Praelati regulares possunt dispensare ad praelaturas in Capitulis generalibus aut provincialibus. Per *praelaturas* non venit Episcopatus; Bonac. et Tourn. Praeterea omnes dd. (excepto Soto) dicunt verum non esse per professionem in religione approbata auferri omnes irregularitates (5). Quoad alias facultates Regularium, *vide tr.* 20. *de Priv.* n. 105. *et seqq.*

(1) l. 7. n. 350. (2) n. 351. (3) n. 352

(4) n. 353. [illegible] notand. (5) n. 354.

Punctum IV. *Quaenam sint irregularitates ex delicto.*

88. Prima oritur ob Sacramentum Baptismi non rite susceptum; ideoque irregularis est, 1. qui sine necessitate recipit Baptismum ab haeretico, *can. Placuit, q.* 4.; sed intelligitur si illum recepit in adulta aetate; nam contra declaravit S. C. Conc. 21. maii 1716. non esse irregularem puerum qui baptizatus fuit ab haeretico. 2. Filius haeretici, *c. Statutum, de Haeret. in* 6.; sed si postea parentes ad catholicam Fidem conversi sunt, tollitur irregularitas; Suar. *d.* 43. *Sect.* 3. *etc.*, et ita declaravit S. C. praefato die. 3. Qui differt Baptismum usque ad periculum mortis, *c. Si quis, d.* 57. 4. Qui scienter bis baptizatur solemniter; et hanc incurrunt tam rebaptizatus, si est adultus, *cap.* 4. *Confirmandum, Dist.* 50 quam rebaptizans, iuxta communem dd. ex *c. Ex litterarum*, ubi declaratur irregularis acolythus assistens rebaptizationi. Excusant dd. si hoc fieret metu, sed nemo excusat si id faciat ex ignorantia culpabili, *can. Quibus, de Conseq. d.* 4. (1).

89. *Secunda* est ob violationem censurae, cum qui ligatus est censura, solemniter exerceret Ordinem sacrum. Dictum est *solemniter*, v. g. si diaconus cantaret Evangelium cum stola et manipulo, aut si Capitularis hebdomadario fungens in choro, cantaret: *Dominus vobiscum.* Et si is esset innodatus duplici censura, unam incurreret irregularitatem duabus aequivalentem, sed in postulatione dispensationis exprimi debet, Tourn. etc. (2). Advertendum quod non fieret irregularis qui sola excommunicatione minore ligatus esset, *cap. Si celeb. de Cler. exc. min.*; nec qui exercet minores Ordines, etiam solemniter: Laym. Nav. Salm. etc.; et de hoc non amplius videtur dubitandum post Bullam, *Etsi pastoralis* Bened. XIV. (*in t.* 1.) de Dogm. et Rit. ab Italo-Graecis, etc. ubi §. 7. n. 9. dicitur: *Promoti ad primam Tonsuram vel ad alium quemcumque Ordinem sine dimissoriis, etc. suspensi sint; et si suspensi in sacris Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et Latini.* Nec qui concionatur, nec qui exercet actus iurisdictionis, nempe excommunicandi, confessarios approbandi, beneficia conferendi, assistendi, aut licentiam assistendi matrimonio alteri dandi, officium cantandi, aut vota dispensandi (3). Nec fit irregularis qui celebrat in ecclesia polluta; fit autem qui in interdicta celebrat, *c. Is qui, de Sent. exc. in* 6. Contra advertendum quod Episcopus, aut alius sacerdos qui cogeret censuratum ad celebrandum, fieret irregularis, *c. Illud, de Cler. exc. min.* Sed ab ipsa possunt dispensare Praelati regulares, licet esset publica: et etiam cum secularibus ex privilegio Martini V. et Iulii II. (4).

90. *Tertia* est quando clericus exercet Ordinem sacrum quem non habet, *cap.* 1. *de Cler. non Ord.*, puta si quis clericus diaconatu non initiatus Evangelium cum stola cantaret, baptizaret solemniter, etc. An autem si laicus tales functiones exercet, dictum est quod probabiliter non

(1) l. 7. n. 356. (2) n. 357.
(3) n. 342. ad 2. et n. 358.
(4) ib. v. notand. 2. et 3.

incurrit irregularitatem (1).

91. *Quarta* incurritur propter Ordines non rite susceptos; unde 1. est irregularis qui ordinaretur ab Episcopo suspenso, haeretico, schismatico, aut simoniaco, *c. Quod quidem*, et *can. Statuimus* 1. *q.* 1. et *c.* 1. *et* 7. *de Schism.* ubi dicitur quod ad huiusmodi ordinationes requiritur dispensatio. Et constat etiam ex cit. Bul. *Etsi pastoralis* Bened. XIV. §. cit. num. 15, ubi dicitur quod Ordinati ab Episcopis schismaticis, non ministrent, *nisi cum ipsis super irregularitate auctoritate sanctae Sedis apostolicae fuerit dispensatum*. 2. Qui cum excommunicatione, aut suspensione, initiatur Ordinibus sacris, aut se promoveri facit ab Episcopo non proprio, aut ordinatur per saltum (Avila, Nav. Bon. et Bus. dicunt tamen quod iste tantum suspensus est ab exercitio Ordinis recepti per saltum) aut ante aetatem, aut sine litteris dimissorialibus, et hae ordinationes appellantur a dd. furtivae. Advertunt tamen Suar. Castr. et Salm. quod hae potius dicendae sunt suspensiones, ne ad Ordines superiores ascendi possit; affirmant tamen hanc absolutionem impetrandam esse a Papa. Hinc ob furtivam ordinationem fiunt irregulares, 1. qui ordinatur sine approbatione Episcopi, *cap.* 3. *de Eo qui furt.* 2. Qui eodem die plures Ordines reciperet, quorum unus esset sacer, sine dispensatione Papae, *c.* 2. et 3. *eod. tit.* 3. Qui recipit Ordinem sacrum post matrimonium ratum, invita uxore, *Extrav. Antiqua, de voto* (2).

92. *Quinta* incurritur propter enormia crimina, si sint notoria, quae a iure inducunt infamiam, prout sunt adulterium, incestus, periurium in iudicio, haeresis, concubinatus, sodomia, etc. *c. Infames* 6. *q.* 1. Ad incurrendam hanc irregularitatem oportet ut crimen sit notorium notorietate facti, et iuris. Dicitur notorietas facti, cum delictum est ita evidens, ut non possit ulla tergiversatione celari: ideoque requiritur ut saltem sit notum decem personis. Infamia iuris habetur, aut rei confessione, aut iudicis sententia, saltem criminis declaratoria; Sanch. Castr. cum aliis (3). Haec irregularitas tamen tollitur per Baptismum, aut per emendationem notoriam saltem per tres annos (4). Sed si infamia provenit propter iudicis sententiam, potest ab ipsomet per aliam sententiam tolli, qua reo fama amissa restituitur (5).

93. *Sexta* oritur ex homicidio, aut ex iniusta mutilatione. Ex homicidio tam si sit voluntarium, nempe directe volitum, aut indirecte in causa proxima homicidii, ut dando venenum; quam si sit casuale, nempe volitum in causa, sed non proxima homicidii, modo istud sit praevisum, et negligentia graviter culpabili non impeditum. Advertendum hic quod quicquid dicitur de homicidio, totum valet de mutilatione (6).

94. Quoad homicidium *voluntarium*, certum est esse irregulares omnes qui sunt causa immediata mortis alicuius, *c. Si quis, de Homic.* et Trid. *sess.* 14. *c.* 7.

95. Quaeritur 2. an homicida, antequam percussus moriatur, si se poenitet, excusetur ab irregularitate? Negatur cum sententia veriore Sanch. et Viv. (contra Salm.), causa enim physica, quae voluntarie posita est, necessario operatur; unde propinato veneno, non amplius est in eius potestate efficere ne illud mortem inferat. Ideoque recte Suar. non excusat mandantem ab irregularitate, si casu mandati revocatio non pervenit ad mandatarium (7).

96. Quaeritur 2. an sit irregularis qui fuit primus ad vulnerandum lethaliter, si vulneratus postea sit occisus ab alio? Affirmant Fagn. Cov. et Ugol. argumentum sumentes ex *cap. Significasti*, ubi Papa respondit

(1) l. 7. n. 359. (2) n. 360. et 361.
(3) n. 363. (4) n. 364. (5) ib. v. episc.
(6) n. 365. et 366. (7) n. 368.

non esse percussorem irregularem, si leviter percussit; secus vero, si lethaliter. Sed negant Laym. Bon. Avil. Coninch. Mol. et Escob. cum Henr. dum *cap. Significasti* non obstat nostro casui; nam ibi agebatur quod ambo percusserant, et nesciebatur cuius vulnere mors evenisset, ideoque respondit, si primus leviter percusserat non erat irregularis. Sed casus noster est quod licet primus lethaliter percusserit, mors tamen certe illata fuit ab alio; unde in iure cum nulla adsit decisio, ideo potest excusari. Hoc nihilominus non currit, si sciretur quod secundus tantum mortem accelerasset, sed etiamsi iste non percussisset, ille utique mortuus esset: v. gr. si primus gravissime vulnerasset eum in capite, etc., tunc non posset ab irregularitate excusari (1).

97. Sunt etiam irregulares omnes mandantes et consilium dantes, *cap. Si quis viduam*, *Dist.* 50. *cap. Significasti*, et *cap. Sicut*, *de Homic.* Sed mandans et consilium dans non fiunt irregulares, si homicidium alia de causa patratum fuisset, Sanch., Viva (2). Quando autem dubitaretur an mandatum, aut consilium fuerit causa efficax homicidii, multi dd. ut Sanch. Salas, Nav. Salm., etc. non excusant; tum quia possidet mandatum, aut consilium, donec contrarium non probatur, tum ex *cap. Ad audientiam*, quod in dubio homicidii tutior pars sequenda est, ut, si postea dignoscatur homicida, evitetur indecentia, et scandalum; et ita de mandante aut consulente dici debet. Sed excusant Diana, Sporer, et Tamb. quia leges loquuntur de illis qui certe sunt homicidae causa mandati aut consilii, non autem de illis de quibus dubitatur an sint causa illius, unde videtur quod haec secunda sententia non possit dici improbabilis (3).

98. Sed si consilium antequam executioni datum sit, revocatum esset, licet Nav. et Bon. cum Azor. velint etiam incurri, quia licet illud sit revocatum, etiam influit; attamen Suar. (qui dicit esse commune) Silv. Filib. p. Nav. Avil. Salas eum excusant, quia ut excusetur consilium dans sufficit, ut sicut suo consilio concurrit moraliter in homicidium, ita, eo revocato, influxum moralem removet; et tunc homicidium potius imputatur malitiae executoris, quam consiliarii; modo tamen revocatio sit homicidae notificata antequam crimen patraretur; et pariter, modo consilio suo non insinuaverit motiva, aut modum illud exequendi, quia tunc probabilius incurritur; licet, hac ultima limitatione non obstante, improbabilem non censeo oppositam sententiam Suar., iuxta dicta *tr.* 10. n. 48. (4).

99. Incurrunt etiam omnes cooperantes, ut homicidium celerius, audacius, aut securius fiat: ideoque irregulares sunt 1. qui excitant ad citius patrandum homicidium eum qui iam paratus erat ad illud committendum, quia revera directe est causa cur homicidium pro illo tunc fiat (5). 2. Omnes qui ad homicidium se excitant, licet unus occidat. 3. Omnes qui praeliantur in bello iniusto, si ibi aliquis pereat, licet quis certo sciat se non vulnerasse, nec sclopetum explosisse. 4. Qui ministrat arma aut pecunias ad homicidium, aut bellum iniustum patrandum. 5. Accusatores, testes et iudices iniusti. 6. Qui verbis, aut sua assistentia homicidae animum praebet (6).

100. Quaeritur 1. an sit irregularis qui ratum habet homicidium patratum in sui gratiam? Negatur cum sententia communi et veriore Suar. Bon. Escob. Avil. et Salm. cum aliis, contra Nav. etc., quia in nulla lege reperitur talis irregularitas; verum est quod ratihabitio aequivalet mandato quoad culpam, sed non expressa est in lege, prout expressa est excommunicatio in eos qui ratam habent clericorum percussionem (7).

(1) l. 7. n. 369. (2) n. 370. (3) n. 371. (4) n. 373. (5) n. 372. (6) n. 374.

(7) n. 375.

101. Quaeritur 2. an sit irregularis, qui cum possit homicidium impedire, culpabiliter non impedit? Certum est quod si obligatio est charitatis, etiamsi odio id negligat, non fit irregularis; ita communiter Suar. Bon., etc. Dubium restat, si teneretur ex iustitia, nimirum ex pacto aut officio, v. g. medici, qui ad id recipit stipendium; advocati qui tenetur defendere reum; custodis viarum, etc. Multi dd. ut Ronc. Hurt. Vasq. Turr. Diana, etc. negant hunc fieri irregularem, quia negative influit in homicidium; alii vero communius, ut Nav. Suar. Castr. Bon. Esc. cum aliis, et Salm. cum pluribus aliis affirmant; quia qui ex iustitia tenentur, et possunt defendere, videntur esse veri homicidae, si non physice, saltem moraliter. Hoc non obstante prima sententia etiam videtur probabilis, ex principio generali: quia ex sacris Canonibus non constat esse irregulares, nisi solos homicidas, mandantes, consiliatores, et qui positive concurrunt. Praeterea Tourn. et Escob. excusant patrem, si sua negligentia in cunis puer fuisset mortuus, deducentes ex *c. Quaesitum. de Poenit. et rem.* ubi declarantur irregulares dumtaxat patres qui scienter negligunt impedire puerorum suffocationem in cunis (1).

102. Quoad homicidium *casuale*, fit irregularis qui aliqua sua actione praevidet periculum mortis alterius, et culpabiliter negligit prospicere tali periculo; dd. communiter, et apparet ex Clem. *Si furiosus de homic.* Dictum est *culpabiliter*, quia cum haec irregularitas sit ex delicto, requiritur peccatum mortale, ut communiter Suar. Bonac. Tourn. Conc. etc. (2).

103. Qui vero daret operam rei licitae, adhibita sufficienti diligentia, ne accideret homicidium, non fieret irregularis, licet inde accidat mors; ita communiter dd. cum s. Thoma (3); et patet ex *cap.* Ioannes, *c. Dilectus* et *c. Ultimo de Homic.* Secus autem si sufficiens diligentia negligatur; *cap. Presbyterum*, et *cap. ad Audientiam*, *de Homic.* Dicitur sufficiens illa diligentia, quae adhiberi solet a quolibet prudente, iuxta facti qualitatem. Et advertendum quod negligentia debet esse culpabilis mortaliter, ut comm. dd. et probatur ex *cap. Quaesitum*, *de Poenit. et Rem.* et ex *c. fin. de Homic.* Vide dicta *n. praec.* 81. (4). Hinc infertur non esse irregularem 1. magistrum qui moderate verberat discipulum, et patrem qui verberat filium, si casu accidat mors; secus vero, si excederet graviter, *cap. Praesbyterum*, et *cap. fin. de Homic.* 2. Qui equitando equum ferocem casu puerum occidit, *cap. Dilectus* 1. *de Homic.* 3. Qui animal ferox caute custoditum tenet, si illud casu fugit, et aliquem necat; secus, si illud in via teneret, aut sua negligentia fugeret; Salm. cum aliis. 4. Qui tectum reficiens, postquam viam praetergredientes admonuerit, tabulas aut lapides proiiceret; Salm. etc. 5. Qui bona fide infirmo aliquid cibi, vel potus praeberet, aut si ab uno ad alium lectum eum transferret, aut eum volveret, etc. et infirmus decederet; ita communiter omnes. 6. Si sacerdos iubet incisionem alicuius membri, iam a medico praescriptam, modo illam non faciat per seipsum, Cabass. Imo Conc. excusat clericum qui chirurgum coadiuvat ad membri incisionem. Et Nav. et Cov. (et Salm. putant probabile) dicunt non esse hunc irregularem, licet in animo habeat ut infirmus cito deficiat; quia licet peccatum mortale adsit, deest tamen actio externa graviter iniusta. Ego autem subiungo, modo adhibeatur diligentia ad vitandam mortem (5). 7. Medicus, si casu e vivis decedit infirmus ob pharmacum ei praestitum, *c. Ad aures, de Ætat. et qualit. Ord.* Et hoc procedit, etiamsi esset clericus vel monachus; modo 1.

(1) l. 7. n. 376. (2) n. 377.
(3) 2. 2. q. 64. a. 8. (4) l. 7. n. 383.

(5) n. 382. v. 4. qui infirmo, et fusius 384. et l. 3. n 398.

sit peritus, aut bona fide id faciat, praebendo aliquid infirmo in remedium, aut levamen. 2. Si est clericus modo medeatur sine incisione vel adustione, *c. sententiam Ne Cler. vel Monac.* et si, non obstante incisione, aut adustione, infirmus vi mali aut ob aliam causam obiret, eum ab irregularitate excusant Castr. et Salmant. cum aliis. Imo communiter dicunt Castr. Tourn. et Salmant. cum multis aliis, quod si nullus alius peritus adesset, poterit tunc clericus, vel monachus sine peccato et ab irregularitate immunis incisionem facere, et ignem applicare. Et etiamsi clericus esset beneficiatus, si incisionem aut adustionem sine necessitate adhiberet, non censetur irregularis iuxta sententiam veriorem Tourn. cum Pontas, Giball. Bon. et Mol. (contra Nav. et Panorm.), quia in *c. Sententiam* fit mentio de solis clericis in Sacris (1).

104. Si quis unquam daret operam rei illicitae, sed non periculosae mortis, adhibita sufficienti diligentia, non fit irregularis, licet alia via peccet, v. gr. si quis induceret alium ad furandum sine periculo, et iste mero casu occideretur, quia tunc non est causa homicidii, cum nec directe illud voluerit, nec indirecte illud praeviderit; ita communiter dd. contra Palud. et Gabrin. qui citant s. Thomam 2. 2. *q.* 64. *a.* 8., sed perperam, nam ibi Sanctus intelligit de eo qui aliquid homicidii periculosum facit, ut videre est ex respons. *ad* 1. *et* 2. Et Canon. *Cler. iacen.* et c. *Eos vero, D.* 50. intelliguntur de homicidio casuali, sed directe vel indirecte volito, ut deducitur ex Clement. *de Homicid.* (2).

105. Maius dubium restat, an fiat irregularis, qui dat operam rei illicitae, sed mortis periculosae, si mors evenit? Duae sunt opiniones probabiles. Prima affirmat, et hanc tuentur Suarez Navar. Mol. Conc. Avil. etc. inducti ex *cap. Tua nos, de homicidio*, ubi irregularis declaratur monachus peritus, qui incisit apostema cuiusdam mulieris, quae sua incuria obiit. Sed secunda sententia, quam docent Castrop. Tourn. Laym. Spor. Tamb. Elbel, Bonac. Salm. cum aliis pluribus, probabilius dicit, quod si opera esset ita periculosa, ut ex illa plerumque eveniat mors, (ut est accendere bombardam), tunc incurritur irregularitas; quia quantalibet diligentia adhibeatur ad mortem vitandam, non potest effici ut illa opera proxime periculosa, talis non sit. Idem currit de eo qui praeliatur in bello, aut inducit alium ut se periculo mortis temere exponat. Secus autem, si opera raro mortem inducit, et debita diligentia adhibeatur, quia tunc homicidium non est voluntarium, nec in se, nec in causa. Ad textum *Tua nos* respondetur, quod monachus irregularis declaratus fuit, quia incisione per *c. Sententiam* vetita usus fuit. Nec obstat *c. Continebatur, de Homic.* quod opponitur, ubi irregularis declaratus fuit quidam diaconus qui ferendo latentem falcem, et cum altero ludendo fuit causa, ut hic eum amplexans a falce feriretur, et mortem subiret; quia is diaconus habitus est irregularis in foro externo, cum iudicatum fuerit eum in debita diligentia defecisse; quare Suar. Bonac. dicunt, quod si iste illud periculum non animadvertisset, in conscientia non tenebatur ad se tenendum irregularem (3).

106. Non est irregularis qui occidit ut se defendat, quando est moderata defensio, *c. Significasti, § fin. de Homic.* et *c. Clement. si furiosus, eod. tit.* ubi dicitur: *Et idem* (nempe non incurri irregularitatem) *de illo censemus, qui mortem aliter evitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Et licet adversari videatur Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. dum requirit dispensationem pro homicidio casuali, etiam pro defensione patrato; attamen dicitur cum Ronc. Salm. et

(1) l. 7. n. 385. (2) n. 386. (3) n. 387.

cum Decr. S. C. Concil. intelligi de eo qui excedit, ut exprimitur in cit. *Clement*. Praeterea Suar. Ronc. Less. Bonac. Filliuc. etc. excusant etiam qui occidit iniustum invasorem innocentis; dum irregularitas ex homicidio contrahitur ob peccatum mortale, ut deducitur ex *cap. Ex litteris, de Homic.* Probabiliter autem dicunt Ronc. Suar. Salm. etc. esse irregularem illum qui conviciis et percussionibus provocaret aliquem, praevidendo periculum invasionis, si postea ob defensionem occidit aggressorem: quia tunc iam ponit actionem proxime periculosam. Ita etiam si adulter praevidendo aggressionem, adit concubinae domum, ubi (postquam in se invasum est) ut se defendat occidit virum illius; aut si vir occideret uxorem, et adulter praevidisset hoc damnum (1).

107. Quaeritur 1. an sit irregularis qui occidit pro defendendis libertate, honore, pudicitia aut bonis temporalibus? Duae adsunt sententiae. Prima est affirmativa, quam tenent Laym. Tourn. Spor. Nav. Silv. Armil. Fag. etc. et probant ex *cap. Suscepimus*, in quo declaratus fuit irregularis quidam monachus qui occidit duos latrones; et etiam ob defectum lenitatis. Negat tamen sententia communior et probabilior, quam tuentur Suarez (qui vocat communem) Less. Castr. Filliuc. Bonac. Holzm. Elbel Ronc. Barbos. et Salmant. cum multis aliis Et probatur ex *cap. Quia te, D.* 50. ubi quidam Episcopus captivus factus a Saracenis, ad suam libertatem tuendam occidit multos, et postea declaratus fuit immunis ab irregularitate ab Urbano II.; et Boverius ad annum 1571. n. 6. et Raynaud. asserunt quemdam Capuccinum nuncupatum p. Anselmum de Petramellara a Turcis captum, qui, se ut ipse liberaret, septem Turcas interfecerat, a s. Pio V. immunem ab irregularitate declaratum fuisse. Item ex *cap. Interfecisti*, ubi ab irregularitate eximitur qui occidit *ad defendendum se et sua*, illud *et* significat *vel*, alias nemo posset defendere se solum, nisi etiam defenderet bona simul: et frustra Pontifex apposuisset illud *sua*, si dumtaxat ob vitae defensionem evitaretur irregularitas. Et clarius ex *cap. Dilecta, de sententiis excomm.* ubi Papa declaravit licere cuidam decano defendere bona sua a violentiis cuiusdam domini temporalis, et temporalibus viribus (nempe armis) et gladio spirituali; rationem adducens, legibus permissum esse *vim vi repellere et defensare*; unde observatur quod Papa censebat eadem ratione, qua quis potest defendere se ipsum, posse defendere etiam bona. Igitur sicut qui pro sui defensione occidit, non fit irregularis; ita nec pro tuendis bonis; modo non excedatur, et sint magni valoris (Vide *Tr.* 8. *n.* 15). Et etiam assistit ratio, dum talis irregularitas non esset ex delicto, quia sine peccato, ut probatum est in *Tr.* 8. *n. citat.* nec ex defectu, quia haec incurritur tantum a ministris publicis iustitiae, a militibus in pugna offensiva, et a clericis qui exercent medicinam cum incisione, et adustione, ut dictum est. Ad *cap. Suscepimus*, respondetur quod monachus excessit in defensione: nam postquam furtum de latronum manibus vindicavit, ille voluit eos vinctos ad Abbatem conducere, cum iam poterat eos dimittere, ubi bona iam nactus erat (2).

108. Quaeritur 2. an reputandum sit casuale homicidium commissum in rixa? Ita censetur a Diana et Salmantic. cum Machado, Henriq. Rodrig. etc., quia homicidium voluntarium proprie est illud quod ex proposito commissum est, et per insidias, ut loquitur Trid. *per industriam et insidias*, (*sess.* 14. *c.* 7. *de Reform.*): sed probabilius negant Suar. Navar. Holzm. Spor. Tamb. et Diana cum Hurtad.; nam Trid. post verba allata, subiungit: *Qui sua voluntate*

(1) lib. 7. n. 388. (2) n. 389.

homicidium perpetraverit...nullo tempore ad sacros Ord. promoveri possit. **Qui in rixa occidit, iam occidit sua** voluntate, et ex proposito (licet commotus subita ira), et perpetrat homicidium quod facere intendit. Verba *per industriam et per insidias* explicat *Glossa* in *c.* 1. *de Homic.* (unde Trid. transcripsit verba in cit. *cap.* 7.) hoc modo: *Per industriam*, id est, *non casu.* Et idem Concilium seipsum declarat, dum post verba allata quae a *cap.* 1. *de Homic.* mutuata sunt, explicat eorum sensum, subiungens, *sua voluntate*, et *ex proposito*, ad differentiam casualis, de quo prosequitur sermo in secunda parte.

109. Incurritur irregularitas etiam per mutilationem, *c. Significasti*, *de Homic.* et *Clem. Furiosus*, *eod. tit.* Sed hic fit dubium, quid intelligatur sub nomine mutilationis membri? communissime, et probabilius dicunt Bon. Castrop. Conc. Habert. Tourn. Cabass. Nav. Av. et Salm. cum pluribus aliis, quod intelligitur illa pars corporis, quae proprium officium habet distinctum ab aliis, ut oculus ad videndum, manus ad operandum, pes ad ambulandum, lingua ad loquendum etc., ideoque caetera, quae inserviunt ad ornamentum, non reputantur membra, ut dentes, ungues, capilli, aures (nam sublatis cartilaginibus, etiam auditur), nasus digitus quicumque sit; Bonac. Castr. Tourn. et Salm. cum aliis pluribus. Et si in *can. Qui partem*, *Dist.* 55. declaratur irregularis quidam qui sibi digitum recidit, id factum fuit ad puniendam saevitiam in propriam personam; Tourn. Bonac. Castr. et Salm. cum multis aliis, et constat ex ipsomet textu (1).

110. Quaeritur 1. an sit irregularis, qui alteri abscindit testiculos, aut aliam corporis partem? Negant Bonac. Aver. et Corneius, quia illi non sunt membra, sed partes membri; sed probabilius affirmant Ronc. Castr. et Salm. cum Diana, quia testiculi iam propriam operationem habent, nempe elaborare semen aptum **ad generandum (modo haec abscissio sit iniusta); secus vero si tantum unum abscindat, quia uterque ad** eamdem operationem concurrit. Esset irregularis qui abscinderet mulieri unam mamillam, quia officium unius est independens ab alterius. Idem docent Suar. et alii apud Vivam de eo qui abscinderet alteri medietatem manus; Tourn. tamen id negat, quia in *cap.* 2. *de Cler. aegrot.* qui duos digitos amisit, et medietatem manus, non dicitur mutilatus, sed debilitatus, et communiter dicunt, qui debile alteri redderet membrum, licet inhabilem suo muneri redderet, non fieret irregularis; Nav. Gibal. Suar. Av. Salmant. cum multis aliis, et Croix cum aliis; imo Castrop. Nav. et Covar. etiamsi membrum restaret mortuum; sed huic adversantur valde probabiliter Suar. Cabass. et Salm., quia tale membrum, licet materialiter non sit mutilatum, revera tamen est abscissum formaliter; dum non est amplius animatum; sicut contra probabiliter dicunt Salm. quod qui abscinderet huiusmodi membrum aridum, non fieret irregularis. Nec qui excaecaret aliquem, quia oculum foras obrueret, quia non esset mutilatio; Busemb. Diana et Megala. In his irregularitatibus ex mutilatione, quando est secreta potest dispensare Episcopus, cum tantum ei vetitum sit in homicidio voluntario; Suarez. Bonac. etc.

111. Quoad dispensationes super his irregularitatibus, vide *Tract. seq. de Privil. n.* 51. *et* 105. (2).

Punctum V.

De irregularitate ex defectu

(1) l. 7. n. 365. et 415. (2) n. 380. et 381

112. Prima est ex defectu animae, ex quo sunt irregulares omnes amentes, phrenetici, epileptici, sive lunatici, et obsessi. Quoad amentes (et idem de caeteris) distinguendum aut talis defectus suboritur post Ordinationem, et tunc, cessato defectu per diuturnum tempus plurimorum annorum, Ordinarii iudicio poterit ministrare in susceptis Ordinibus; Suar. Nav. Silv. s. Bonav. Bonac. et plurimi alii: si adhuc non est ordinatus, non poterit amplius ordinari, si origo dependet a causa permanente, nempe ab organorum laesione, quia huiusmodi relabuntur, *c. Maritum* 2. *d.* 33. Secus si defectus ab aliqua accidentali causa proveniret, ut a febri, vulnere, aut ab aliqua transeunte passione; Suarez, Bonac. Ronc. etc. (1).

(1) lib. 7. n. 398. (2) n. 399.

113. Idem dicendum de lunaticis, et obsessis; si morbus praecessit Ordinationem, sunt perpetuo irregulares, *can. Communiter, Dist.* 33. Advertit Cabass. quod si talis morbus accidit in impubertate, et postea perfecte ab illo convaluit in pubertate, possit ordinari, quia asserit Hippocrates, quod epilepsia saepe in pubertate perfecte curatur; sed si accideret in pubertate, praesertim post annum 25, desperatur quasi posse convalescere. Ex cit. *c. Communiter* habetur, quod si per annum sit liber sive a morbo, sive a daemonis vexatione, iudicio Episcopi potest ad Ordinis suscepti administrationem admitti. Imo dicunt comm. dd. Suar. Nav. Laym. s. Antonin. etc., quod si talis morbus raro accidit (nempe semel in mense), nisi infirmus in terram cadat, nec spumet, adiuncto sibi sacerdote ieiuno, poterit privatim celebrare (2).

114. Illiterati qui sufficienti doctrina pro Ordinibus praediti non sunt. Pro *prima Tonsura* saltem legere et scribere sciant; Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. *de reform.* Pro *Ordinibus minoribus*, sciant linguam latinam, *loc. cit. cap.* 11. Pro *subdiaconatu, et diaconatu*, ultra litterarum humaniorum peritiam, requiritur scientia eorum, quae sunt necessaria ad praefatorum Ordinum exercitium; *ib. cap.* 13. Pro *sacerdotio* requiritur scientia ad docendum populum ea quae sunt necessaria ad salutem, et ad Sacramentorum administrationem; *ibid. cap.* 14. Sed quoad Regulares vitae contemplativae addictos, sufficit eos grammaticam callere; secus irregularitas est de *iure divino*, adeo ut nec Papa possit in hoc dispensare (3). Vide in *Append.* 3. *n.* 35. et 36. *de Exam. Ordinand.*

115. Neophiti, illi nempe qui in adulta aetate recenter sunt baptizati. Sed si elapso aliquo tempore, Ordinarius eos sacris Ordinibus iudicat

(3) l. 6. n. 791. v. quaer. 2. et 3. et l. 7. n. 401.

idoneos, possunt ordinari; *Suar. in 3. d. Thom. p. Disp.* 43. *Sect.* 3. *concl.* 2. *n.* 6. *et* 7. *Sanch. in Dec. l.* 2. *c.* 28. *n.* 11. *Bonac.* apud *Thesaur. Decis. S. C. tract.* 1. *part.* 97. Sed putat Toletus, quod post 10. annos non sunt amplius irregulares (1).

116. *Secunda* est ex defectu corporis. Et haec duobus ex capitibus incurritur, aut quia ad exercitium Ordinis ineptus quis redditur; aut quia aliis notabilem indecentiam aut horrorem affert; ita dd. comm. cum s. Thoma (2). Hinc ex primo capite est irregularis caecus omnino, *cap. cult. d.* 55. Sed in hoc notanda sunt plura: 1. quod si quis iam sit sacerdos, et constet eum non posse errare, potest dispensari a Papa ad celebrandum, prout 23. augusti 1725. S. C. dispensavit cum quodam paroco Florentino, ut celebraret cum assistentia sacerdotis (3). 2. Quod si quis caret visu oculi sinistri, est irregularis, ut docent dd. communissime. Nonnulli tamen excipiunt si dexter oculus sit aptus ad legendum Canonem, imo dicunt posse huic prospici incommodo aptando Missale iuxta medium altaris; Laym. Dian. Croix et multi alii, et p. Suar. id vocat practice probabile. 3. Quod caecutiens est irregularis ad suscipiendos Ordines, sed ad susceptorum exercitium potest cum eo dispensari, ut possit celebrare Missam de beatissima Virgine diebus festivis, et defunctorum in ferialibus (4). Lambertinus loco cit. dicit quod pro omnino caeco non dispensatur, ne ad primam quidem Tonsuram, ut habilis fiat ad beneficium. 4. Quod visu debilis, si potest perspicillis uti, aut si oblique intuetur (vulgo Guercio) non est irregularis, dd. communiter.

117. 2. *Surdus* qui penitus non audit; ita communiter dd. ex *can.* 7. qui appellatur *Apostolorum*, ob indecentiam quod non possit audire vocem ministri. Hanc indecentiam tamen negant Henriq. Praep. Gobat nam potest ex aliis signis percipere quid minister responderit, sed communissima est contraria; concedunt tamen Bonac. Tambur. Conc. Castr. Laym. Nav. et Salmant. cum aliis, quod si surditas sacerdoti supervenerit post sacerdotium, facilius toleratur defectus, sicut de caecutiente. Surdaster vero excusatur ab irregularitate (5).

118. 3. *Mutus*, sive talis omnino sit, sive verbum proferre nequeat, quin aliquid omittat, Tourn. et Holz. et Salm.; addunt etiam si loqui nequeat nisi cum magna difficultate. Et idem dicit Holzm. de eo qui loquelam valde praecipitem habet. Balbutientes aut dentibus carentes non sunt irregulares, modo risui, aut contemptui aliis non sint; Navar. Tamburin. Coninch. Sayr. Fill. Praepos. etc. (6).

119. 4. *Claudus*, aut qui tibiis caret, aut qui sine baculo non potest ad altare accedere, *can. Nullus Episcopus*, 54. *de Consecrat. d.* 1. Hoc explicatur a Glossa: *Si sine baculo non possit sustentari in altari*, et ita explicant reliqui aa. Caeterum non est irregularis, qui hoc non indiget, *can. Si quis* 10. *d.* 55. aut qui sit distortis tibiis, quia talis defectus veste talari abscondi potest; Tournely, Croix, Salmant., etc. Excipit Laym. modo non sit valde deformis. Qui utitur tibia lignea, et iam reperitur sacerdos, cum possit indecentia reparari, Ordinarii iudicio bene potest celebrare; Tambur. Silv. Rosel. Maior. et Gibal. (7).

120. 5. Qui caret manu, aut digitis omnibus, aut pollice tantum, *c. ultim. de corpor. vitiat.*; idem dicunt Busemb. Ren. Tambur. Filliuc. Bon. Suar., etc. si careret indice aut pollicis parte non autem solis unguibus, *cap. Thomas eod. titul.*; aut si illi digiti sint adeo debiles, ut non possint Hostiam elevare, vel eam frangere, cit. *c. Thomas*. Si autem ca-

(1) l. 7. n. 402. (2) suppl. q. 39. a. 6. (3) l. 7. n. 404. (4) Lambert. notif. 4. n. 5. et cit. n. 404. (5) l. 7. n. 405 (6) n. 406. (7) n. 407.

reret indice, et iam esset ordinatus, potest adhibere digitos posteriores, aut in necessitate potest iis etiam ministrare Eucharistiam (1). Si vero tribus posterioribus digitis careret, etiam esset irregularis (secus si duobus); ita Anacl. Holzm. Caiet. Nav. Tourn. et Pontas. Notat tamen Tourn. quod si quis careat indice, poterit dispensationem impetrare (2).

121. 6. Qui laborat febri continua (non autem quartana aut levi), aut gravi capitis dolore, adeo ut non posset celebrare sine periculo graviter errandi aut deficiendi, Bon. Sayr. Sot. Avil. Item paralyticus, cuius manus ita tremunt, ut adsit periculum effundendi calicem; Bus. Conc. Castr. etc. Qui patitur talem tussim, ut periculum adsit in communicando, et praesertim exspuendi sanguinem;Bon. Ugol. Maiol. etc. Abstemius qui in periculo est vomitus; Tourn. et Conc.: et cum isto nec Papa dispensare potest (3).

122. Ex secundo capite, quod incurratur irregularitas ex vitio corporis, deformitatem, aut horrorem afferente, *cap. Presbyterum, de Cler. aegrot. et seq.* fiunt irregulares 1. illi qui carent aliquo membro, v. gr. naso, *c. Penult. de corp. vit.*, aut habent illud valde distortum, aut valde aduncum, aut valde elevatum; Tamb. Bonac. Viva, etc. Ille cui oculus obrutus est, *c. ult. d.* 55. Probabiliter tamen dicunt Sylv. Tourn. Pont. Ronc. cum Tamb. etc. quod tollitur talis irregularitas, si possit oculo crystallino reparari. Ita pariter qui caret auriculis, nisi talis deformitas capillis, aut aliter tegatur; Bus. Diana, Bon. Salm. et Tourn. cum aliis (4).

123. 2. Leprosi, *cap. Tua nos, de Cleric. aegrot.* propter scandalum et abominationem populi; unde in privato celebrare possunt; Castr. Salm. Bon. cum aliis; ita etiam qui habet labia corrosa, vel ad instar leporis abscissa; Tamb. Tourn. et Viva. Ita pariter laborans morbo gallico foris apparente; Tourn. et Holzm., aut habens faciem valde maculatam, Lay.(5).

124. 3. Monstruosi, nempe qui gibbam habent valde enormem; Bus. Anacl. Bon., etc. Pigmaei, sive nani, statura ita breves, ut ad risum moveant, praesertim si capite sint nimis grandi; Tamb. Ren. Tourn. etc., aut si non possent tantum brachia distendere, quantum opus esset ad altaris ministerium. Aetiopes qui apud nos risum afferrent, Tourn. etc. Hermaphroditi; licet dicant Tolet. Escob. cum Tourn. contra Conin., quod si hic defectus est occultus, et praevaleret sexus virilis, non inducit irregularitatem. Notandum caeteroquin quod si hi defectus superveniunt Ordinibus sacris, potest sacerdos exercere illos actus quos potest, v. g. si sacerdos est caecus, potest confessiones audire, etc. *cap. 7. de Cler. aegrot.* (6).

125. Eunuchus qui morbi causa abscissus est, aut in infantia, vel propter iniuriam alterius, aut a domino, non est irregularis. Sed irregularis est si se ipse abscindere fecit, aut etiam ab aliis ipso consentiente, licet zelo castitatis, *cap. Si quis a medicis, c. Si quis 4. d.* 55. et alia *cap. De Corp. vitiat.* (7). Putant probabile Palaus, Tamb. et Pelliz. contra Suar. Molin. et Sayr. quod si quis sibi abscinderet testiculos ad vocis conservationem, non fit irregularis, dicentes quod textus allati loquuntur de abscissione, aut sectione, quae intelligi potest, si abscindantur virilia omnino (8).

126. *Tertia* irregularitas provenit ex defectu natalium. Et ex hoc sunt irregulares omnes illegitimi, *cap. 1. et ultim. de Fil. Presb.*, licet sint occulti; communiter dd. (9). Possunt hi legitimari per subsequens matrimonium, modo non sint spurii; nempe nati tempore quo valide non poterat matrimonium contrahi, v. gr. quia tunc temporis matrimonio unus

(1) l. 7. n. 408. (2) ibid. (3) n. 409. (4) n. 410. (5) n. 411. (6) n. 412.

(7) n. 416. (8) n. 418. (9) n. 420.

illorum cum alia ligatus erat, *cap. Tanta, qui filii, etc.* Sufficit tamen ad legitimandam prolem, et ad reddendam immunem a tali defectu natalium, quod matrimonium contrahi poterat tempore nativitatis; ita probabiliter Sanch. Pont. Anacl. Bon. et Salm. cum multis aliis contra Suar. et Tourn. ex *cap. Tanta*, ubi dicitur: *Si vir vivente uxore aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit*, nam to *susceperit*, respicit verius nativitatem, quam conceptionem (1). Et novissime Bened. XIV. hanc sententiam amplissima dissertatione in forma epistolae responsivae, incip. *Redditae Nobis* (2), ad Archiep. s. Domin. in insula Hispaniola illustravit, et sic de hoc casu §. 3. suum sensum aperit: *In qua controversia satis ardua cum inveniantur textus textibus contrarii, cum doctores doctoribus adversentur, si a Nobis iudicium interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum sententiam, in tribunalibus, et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum.* In §. 4. procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit *Sed... quum certum sit matrimonium inter illius parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius conceptus, et in lucem editus fuit: filium hunc legitimum censeremus, cum iudex in dubio debeat in bonum, et commoda prolis propensus esse.* His positis, sic ego pro prima sententia argumentor. Igitur si in dubio iudex in bonum prolis iudicare debet, ubi talis casus nulla tribunalium sententia decisus reperitur, cum simus in dubio ob textuum, et doctorum discrepantiam, potius proles iudicanda est legitima, quam illegitima, siquidem etiam in hoc casu certum est eam in matrimonii constantia editam fuisse, et incertum an debeat attendi tempus conceptionis, an vero ortus.

127. Hinc notandum 1. cum Salm. quod si filius naturalis ordinatus esset ante matrimonium parentum adulterorum, poterit rite ministrare, secuto eorum matrimonio, sine dispensatione. 2. Quod talis legitimatio fit per matrimonium ratum dumtaxat, cit. *c. Tanta.* 3. Quod filii nati ex matrimonio irrito ob impedimentum occultum, sed valido putato, saltem ex una parte coniugum, legitimi censentur; ita dd. communiter ex *c. Cum inter* 2. *Qui filii sint legitimi*, et *c. Ex tenore, eod. tit.* Secus autem si ambo parentes erant in mala fide, *c. Cum inhibitio*, §. *Si quis, de Cland. desp.* 4. Quod filii nati ex matrimonio contracto in gradu prohibito, omissis proclamationibus, nec accedente Episcopi dispensatione, licet contracto coram parocho, et testibus, censentur illegitimi, non obstante quod in bona fide, aut ex ignorantia illud contraxissent, *c. Cum inhibitio, eod. tit.* §. *Si quis* (3).

128. Filii legitimantur 1. per professionem religiosam, ut dictum est *n.* 85. 2. Per Pontificis dispensationem, qui solus potest cum illegitimis dispensare, et concedere legitimationem, quoad omnes effectus; communiter dd. cum Sanch. Castr. Salm., etc. (4). Quid possint circa hoc Episcopi, et Praelati regulares, vide *tr.* 20. *de Priv. n.* 51. *et* 105.

129. Quaeritur an filii expositi (nempe nati ex parentibus ignotis) sint irregulares? Affirmant multi, prout Tourn. Fill. Bon. etc., quia vehementes adsunt coniecturae hos esse illegitimos, dum nunquam videntur parentes (quantumvis egestate laborent) eo esse animo crudeliori, ut velint propriam prolem exponere; inauditum enim hucusque est, quod praegnans mater partum suum in ecclesiam baptizandum non conferri curaverit, et quod post Baptismum, si observaretur deesse filium matri, iustitia de hoc non inquireret. Secunda sententia tamen probabilior est cum Cast. Pont. et Salm.; et Suar.

(1) l. 7. n. 422. (2) Bullar. suo t. 1. in Ordine 213. in edit. Mechl. t. 3. p. 5.

(3) lib. 7. n. 423. 424. et 425.
(4) n. 426. et 427.

vocat probabilem; nam ut aliquis sit irregularis, debet constare eum esse illegitimum, sed expositi sunt dubie tales, dum aliquando paupertate oppressi parentes filios exponunt. Et aa. citati asserunt Greg. XIV. anno 1591. in favorem cuiuslibet confraternitatis pro expositis erectae declarasse tales expositos non fore habendos illegitimos, donec tales non probarentur; Gibal. apud Tourn. (1).

130. *Quarta* ex defectu aetatis: sed de hoc loquemur in *App.* 3. *de exam. Ordinand. n.* 43. *et* 44.

131. *Quinta* ex defectu *Sacramenti*, aut significationis matrimonii, quod significat coniunctionem Christi unici sponsi cum Ecclesia unica sponsa, et contrahitur per *bigamiam*, in quantum, quia bigamus, qui carnem suam cum pluribus divisit uxoribus, talem unionem non repraesentat. Et talis irregularitas constat ex toto tit. *de bigamia*. Definitur bigamia: *Est matrimonii multiplicatio*. Et est trifariam: vera, interpretativa et similitudinaria. 1. *Vera* est quando successive unus duxit plures uxores, et cum omnibus matrimonium consummavit, modo quo dictum est *Tr.* 18. *n.* 68. *c. Praecipimus*, et *c. Debitum de Bigam.* (2).

132. II. *Interpretativa* habetur cum quis contraxit et consummavit matrimonium cum vidua iam prius a primo viro cognita, et licet cum ista invalide contraxisset, ut habetur ex *c. A nobis*, *de Bigam.* aut cum corrupta ab aliis, *c. ultim. D.* 51. aut cum cognoscit propriam uxorem, postquam haec adulteravit, *c. Si cuius*, et *c. Si laicis*, *D.* 39., aut si quis contraxisset et consummasset duo matrimonia, unum validum, invalidum alterum. De hac ultima specie textus non reperitur aliquis, sed adest commune dd. iudicium ex *cap. Nuper*, cum s. Th. (3). Super hac Bigamia *tres* occurrunt quaestiones.

133. Quaeritur 1. an sit irregularis qui bona fide contrahit cum corrupta? Affirmant communiter dd. cum s. Th. (4) (contra Sa Ledesma etc.) quia cum haec sit irregularitas ex defectu significationis Christi cum Ecclesia sua unica sponsa, bona fides non efficit, quin viri caro cum corrupta divisa sit, licet credat illam esse virginem (5).

134. Quaeritur 2. an fiat irregularis qui contrahit invalide cum corrupta ob aliquod impedimentum dirimens? *Prima* sententia est affirmativa, et hanc tenent Suarez (qui vocat communem) Tourn. Cov. Corn.; ita etiam Fagnanus (6) cum Host. Ioanne Andrea Card. Brut. et omnibus caeteris (ut ipse dicit) de clerico non in *Sacris*, et cum Silv. et Nav. de laico. Et probatur ex *c. A nobis*, *de Bigam.*, ubi declaratus fuit irregularis subdiaconus qui contraxerat cum vidua, inter quos (dixit Innoc. III.) licet *non fuerit vinculum maritale contractum* (stante inhabilitate eorum), *cum eo tamen tamquam cum marito viduae dispensare non licet*, *non propter Sacramenti defectum*, *sed propter affectum intentionis cum opere secuto*. Ubi iam observatur quod talis subdiaconus non fuit declaratus irregularis, quia post contractum coniugium spirituale per Ordinem sacrum, contraxit coniugium carnale, sed quia se coniunxit cum vidua, quam ob causam habitus fuit *tamquam maritus viduae propter affectum intentionis etc. Secunda* sententia negat talem irregularitatem, et huius sunt Sanch. Nav. et Salm. cum quadam Decis. S. C. apud Farinacium, dicendo quod talis subdiaconus habitus fuit irregularis, quia contraxit duo matrimonia, unum spirituale, et alterum carnale, licet invalidum. Ad hanc rationem probatio primae sententiae pro responsione etiam valet (7). Contra irregularitas ab adversariis intellecta contrahitur

(1) l. 7. n. 432. (2) n. 436. (3) suppl. q. 66. a. 2. (4) loc. cit. a. 3. ad 3.
(5) l. 7. n. 439. (6) in 2. part. 1. Decret. c. Nuper a nobis, de bigam. n. 13 et 44. (7) l. 7. n. 440.

a subdiacono, licet contraheretur cum virgine, ut dicemus *n.* 140. Ad decisionem S. G. respondemus, quod decisiones allatae a Farinacio fuerunt declaratae incertae a Gregor. XIV. ann. 1621 (1). Et notandum hic quod die 29. Aug. 1631. de mandato Urbani VIII. fuit declaratum a S. C. non esse praestandam fidem Decret. S. C. nisi illa authentice constarent, nempe cum subscriptione Cardinalis Praefecti (2).

135. Quaeritur 3. an sit irregularis qui uxorem adulteram cognovit, quando adulterium est occultum? Negant Henr. et alii apud Elbel: ex *c. Si cuius, D.* 34., ubi dicitur: *Si evidenter fuerit comprobatum uxorem adulterium commisisse.* Sed nos affirmamus cum communi apud Elb., et sic sentiunt Tourn. et Ronc. cum Suar. Ugol. et Filliuc. Et hoc currit etiamsi uxor vi oppressa fuisset. Ratio est eadem casus primi quaesiti; ideoque parum refert utrum vi oppressa sit, aut vir non sit culpae reus, dum semper revera adfuit divisio carnis; ita Fagn. (3) cum Ugol. Host. etc. dicens: *Non agitur hic de vitio ordinandi, sed de defectu Sacramenti, quem etiam ignorans potest pati.* Ad textum respondetur quod verba *si evidenter comprobatum, etc.* tantum probant, quod si vir non est certus de adulterio uxoris, non est censendus irregularis (4), licet maritus adulterii inscius esset, tamen in se est irregularis (5).

136. Ex hoc infertur 1. quod idem dicendum est ob eamdem rationem cum s. Thoma (6), Suarez Tourn. Conc. s. Antonin. et plurimis aliis communissime de eo qui contrahit duo matrimonia invalida (7), licet in bona fide, ut deducitur ex praefato *c. A nobis*, explicato *num.* 132. Fit 2. etiam irregularis qui ficte contrahit secundum matrimonium ad copulam extorquendam; ita Suar. Tourn. et Salmant. cum aliis contra Paianum qui innititur verbis *propter affectum intentionis*; sed nos dicimus quod haec verba non significant, quod ille subdiaconus vere cogitasset verum contrahere matrimonium, dum illum latere non poterat id effici non posse, sed quod affectum habebat in executionem illud ponere. Itaque idem est desiderare matrimonium impossibile in effectum ponere, ac fingere illud efficere, quod efficere non intendit (8).

137. Glossa in *can. Si cuius, D.* 34. proponit casum: Si vir adulterii accusaret uxorem, et lite pendente, quaesitus esset de debito coniugali, an reddendo fieret irregularis? Respondetur quod dato quod vir non est certus de uxoris adulterio, cum certe teneatur reddere, tunc ille (ait Glossa) *potius dicitur cognosci ab uxore, quam cognoscere ipsam*, ideoque reddendo non fieret irregularis. Hac ratione ductus puto idem dicendum de viro qui bona fide contraxit cum corrupta ut in *n.* 133. et 134. si reddit et non petit: ac de eo qui reddit uxori occulte adulterae.

138. III. Bigamia *similitudinaria* contrahitur per matrimonium (licet nullum, et licet cum virgine) contractum post voti solemnis emissionem, sive religionis, sive Ordinis Sacri. Haec bigamia inducit irregularitatem, quoties matrimonium consummatum est, *c.* 13. *Quotquot*, et *Can.* 23. *Monacho*, 27. *q.* 1. ubi dicitur: *Si postea uxori fuerit sociatus, nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur.* Dicunt Hurtad. Abb. et Archid. quod haec irregularitas contrahitur tantum a monachis; sed communissime dd. docent incurri etiam a clerico in Sacris, ex *cap.* 1. *Qui Cler. vel Mon.* ubi dicitur quod Episcopus possit dispensare cum diacono qui uxorem duxerat, ad ministrandum, etc.; et *c.* 2. *eod. tit.* ubi praecipitur Epi-

(1) Ap. Croix l. 1. n. 219. (2) vide potestas t. 1. n. 219. (3) Fagn. in 2. part. 1. decretal. c. nuper a nobis de bigam. n. 5. (4) l. 7. n. 442. (5) n. 443. (6) suppl. q. 66. a. 2. (7) l. 4. n. 445. (8) n. 447.

scopo ne permittat subdiacono, qui matrimonio iungitur, ministrare. Sed putat Sanch. hanc irregularitatem esse potius ex delicto, quam ex bigamia. Attamen non esset irregularis qui Sacris non initiatus matrimonium cum moniali contraheret, quia leges loquuntur de eo qui matrimonio iungitur post proprium votum (1).

139. Haec irregularitas bigamiae non tollitur per Baptismum, *can. Si quis viduam*, *D.* 34.; ita commun. cum s. Thoma (2). Potest tamen dispensare Papa ex gravi causa; Sanch. Conc. Salm. cum aliis: et Tourn. cum communi affert Lucium III. iam dispensasse (3). Quid autem possint Episcopi, et Regulares, vide *seq. Tr.* 20. *de Privil. n.* 51 *et* 105.

140. *Sexta* oritur ex infamia. Sed de hac sat actum est *n.* 81. et 82. *Septima* ex defectu libertatis; hinc sunt irregulares 1. servi nempe mancipia donec libertate donentur. Sed si servus, sciente et non contradicente domino, ordinetur (licet prima Tonsura), eodem actu libertatem acquirit, *can. Si Servus*, et *can. Nulli*, *D.* 54.: potest tamen eum donare libertate, cum conditione, ut ei inserviat in iis quae clericali statui non repugnant, et deducitur ex *c. Nullus*, *de Serv. non ord.* Sed si, inscio domino ordinatus esset, remanet servus, modo non sit in Sacris, et modo ab Episcopo, aut a cooperantibus duplum non reddatur domino, sed si isti essent impotentes, servus, etiamsi diaconus, remanet servus, et si est sacerdos, tenetur inservire in iis quae statum decent, et celebrare pro domino: modo dominus id cognoscendo per annum non dissimulet (4).

141. II. *Uxorati*, si uxores non consentiunt, et voto castitatis non se adstringunt, *cap. ult. de Temp. Ord. in* 6. *et Extrav. Antiq. de Voto;* et etiamsi matrimonium esset ratum dumtaxat; quia tantum permissum est infra duos menses ingredi religionem *ead. Extrav.*: probabile tamen est, quod si ordinatus esset in Sacris, non teneretur ad ingrediendam religionem, cum hoc sit onus nimis grave; Sanch. Aver. Salm. Sanct. Antonin. etc. (5).

142. Quaeritur an maritus possit initiari Sacris, aut religionem ingredi cum uxoris licentia, si illa religionis statum non amplectitur? Alii aa. affirmant innixi *c. Coniugatus*, *de Conver. coniug.* ubi dicitur quod maritus ordinari non potest, *nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus;* igitur dicunt sufficere si uxor castitatem voveat; dum textus dicit *continentiam* (non iam religionem) *profitente.* Sed omnino negandum, cum id luculenter sit expressum in *cap. Cum sis*, *eod. tit.*, ubi dicitur: *Ignorare non debet SS. Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore sua, aut uxor, viro eius non assumente religionis habitum, debeat ad religionem transire.* Idem respondit Nicolaus Papa in *c. Scripsimus* 27. *q.* 2. de uxore regis Lotharii dicens: *Non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam coniux eius ac Lotharius elegerit.* Et ad textum oppositum respondetur, quod verbum *profitente*, intelligendum est de professione solemni. Caeterum omnes conveniunt quod si uxor est iuvenis, non potest in saeculo remanere, si vir religionem ingreditur; contra si illa est aetate provecta, idem textus *Cum sis*, concedit quod possit remanere in saeculo, simplex votum castitatis emittendo.

143. III. *Curialistae* qui tenentur servire curiae sive iuramento, sive stipendio, prout sunt iudices, advocati etc. per illud tempus quo ea officia durant, *c.* 1. 2. *et* 3. *D.* 15. modo licentiam a Papa, aut a consuetudine non obtinuerint, ut possint ea munia exercere, prout sunt regii consiliarii in causis civilibus; Laym. Castrop. Suar. Salm. cum aliis (6).

(1) l. 7. n. 448. 449. (2) suppl. q. 66. a. 4. (3) l. 7. n. 450. et seq.

(4) n. 455. (5) l. 6. n. 812.
(6) lib. 7. n. 456.

IV. Milites pro eo tempore quo iuramento adstricti sunt. Item thesaurarii, depositarii publici, et alii qui rempublicam administrant. Item excubiae regis, et caeteri omnes qui aliquo severitatis munere, aut turpi funguntur, aut ministrum egerunt in causa sanguinis (1).

144. *Octava* est ex defectu lenitatis, nempe ex licita mutilatione, vel occisione in bello offensivo licet iusto. Sed ad incurrendam hanc irregularitatem, oportet ut occisio manu propria sit facta; Busemb. Holzm. et Lambertinus, ex *cap. Dilectus*, et *cap. Significasti de Homic.* Dicunt Busemb. et Bonacin. quod qui in bello iusto hortaretur ad occidendum istum vel illum, fieret irregularis; sed probabiliter contradicunt Salm., quia textus loquitur de eo qui occidit, vel mutilat, non vero de eo qui hortatur. Sed si bellum est iustum, et non est offensivum, sed defensivum, occidens non fit irregularis, *c.* 2. *de Imm. eccl.* et *Clem. un. de Homic.* In bello autem iniusto sufficit, ut unus occidatur, ut omnes fiant irregulares; omnes dd. cum s. Thoma 2. 2. *q.* 64. *a.* 8. (2). Hic notandum clericum (modo fuerit in Sacris, aut beneficiatus, et etiam in conflictu bombas emiserit) esse irregularem, si militat, etiamsi iuret se ne unum quidem laesisse, ut apud Lambertin. legere est *Notif.* 101. *n.* 19.

145. Defectu lenitatis fiunt irregulares iudices, et omnes qui cooperantur in iudicio iusto ad mortem, vel mutilationem rei active, efficaciter et proxime, per actionem natura sua ad id ordinatam; Clem. *Si furiosus, de Homic. cap. Cler.* et *cap. Sententiam, de Cler. vel Mon.* Dictum est *active*, id est qui sunt ex parte occidentium, non vero ex parte occisi, ut esset confessarius hortans reum ad ferendam mortem, etc. (3). Dicitur *efficaciter*, quia qui baiulat ligna, ut cremetur cadaver, non est irregularis: nec qui assistit; et lice in dicto *cap. Sententiam* vetetur clericis huiusmodi suppliciis adesse, tamen dicitur hic Canon vel esse ab rogatus, vel non obligare sub gravi, Bonac. Salm. et Tourn. vocant communem. Imo Navar. et Avil. excusant minoristam ab omni culpa (4). Dicitur *proxime*, nam non est irregularis qui gladios cudit, aut vendit, aut qui hortatur ut puniantur rei aut alius qui non ut minister necessarius, sed remote concurrit; unde valde probabiliter dicunt Suar. Reginald. Laym. Avil. Busemb. etc. non esse irregularem confessarium, qui diceret iudici talem reum esse morte dignum. Dicitur tandem *per actionem sua natura ad mortem ordinatam*; hinc non est irregularis confessarius qui diceret carnifici: *Functus sum meo officio, te non impedio quominus tuum facias*; nec iudices ecclesiastici qui degradatum curiae saeculari tradunt, nec clericus accusator in causa criminali, modo protestetur se non intendere poenam sanguinis; Bon. Busemb. Tambur. etc. (5).

146. Contra sunt irregulares 1. iudex eiusque assessores, scriba sententiam scribens (non autem qui illam transcribit), et caeteri omnes, qui sententiam exequuntur (6). Secus qui sententiam aliis committunt, *c. ultim. Ne Cler. etc.* nisi iubeant ut detur sententia mortis in tali causa, vel ut expediant talem causam mortis; Castr. Salm. cum aliis. 2. Testes voluntarii, qui ultro se offerunt, licet protestentur; ita communiter dd.; et idem dicendum de advocatis, et procuratoribus accusatoris, nisi coacti sint ad eum tuendum, Salm. cum iisdem. 3. Accusatores criminis capitalis vindictam petentes criminalem; et si iste erit clericus beneficiatus aut in Sacris, praeter irregularitatem, peccat mortaliter ex *cap. Sent.* ubi vetitum est clericis se in causam sanguinis ingerere. Non erit irregularis qui accusat reum solum-

(1) lib. 7. n. 456. (2) n. 459 et 460. (3) n. 461. et 462. (4) n. 463.

(5) L. 7. n. 464. ad 468. (6) n. 461.

modo, ut sibi compensentur damna, semper adhibita protestatione se nolle poenam sanguinis, *c. Praelatis*, *de Homic.*; et hoc tam in causa propria, quam in causa cognatorum usque ad 4. gradum, aut domesticorum, aut propriae ecclesiae; Suar. Castr. Conc. Salm. cum Bon. et aliis. Et hoc valet etiamsi protestatio simulate fieret, Suar. Bonac. Castrop. et Salm. cum multis aliis; et etiamsi illam faciat post accusationem, sed ante sententiam, Bon. Sayr. Pelliz. et Sal. (1).

147. Dispensationes super irregularitatibus ex defectu omnes reservatae sunt Pontifici, quoad saeculares; quoad regulares vero, vide *Tr.* 20. *de Priv. n.* 104. et 105.

DE FACULTATIBUS SACRAE POENITENTIARIAE

148. Non parum conferre iudicavi hic adnotare principales facultates sacrae Poenitentiariae, ad hoc ut confessarium non fugiat, pro quibus casibus possit ad illam recurri. Ben. XIV. 13. Aprilis 1744. per Bullam quae incipit *Pastor bonus*, (quae est 95. in suo Bullar. *tom.* 1. *et in ed. Mech. tom.* 2. *pag.* 209.) confirmavit plures facultates ab aliis Pontificibus concessas, et alias ipse adiecit sacrae Poenitentiariae. Itaque in praefata Bulla habetur posse sacram Poenitentiariam 1. absolvere a quibuscumque casibus et censuris, etiam Bullae Coenae, Regulares pro utroque foro; saeculares vero tam ecclesiasticos, quam laicos etiam in utroque foro a censuris publicis latis a iure; et etiam ab homine, si expirata sit iurisdictio iudicis, vel si lator censuras illas reservavit Sedi apostolicae, modo iudici et parti satisfecerint. Quod si pars iniuste refutet satisfactionem oblatam, potest Poenitentiarius convenientem satisfactionem arbitrari. II. Posse absolvere haereticos occultos, modo nullos actus extrinsecos fecerint, ex quibus potuerint alii dignoscere eos ut haereticos; item publicos haereticos, casu quo non est opus complices denuntiare. Posse etiam absolvere principes, administratores rerum publicarum, et Episcopos, ac alios Praelatos a casibus publicis Bullae Coenae. III. Posse dispensare in occultis irregularitatibus et inhabilitatibus, etiam ex homicidio voluntario, non tamen ut post homicidium possint promoveri ad Episcopatum. Item etiam ab inhabilitatibus, et irregularitatibus propter haeresim, modo fuerint penitus occultae. IV. Posse dispensare cum homicidis, et aliis, ut valeant profiteri in religione approbata, et fieri deinde etiam sacerdotes. V. Cum male promotis, ut omissos Ordines possint clam suscipere, non servatis interstitiis, et temporibus, non autem sacros una die. VI. Posse dispensare cum occultis simoniace ordinatis. VII. Posse convalidare titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum. VIII. Posse partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. IX. Posse cum Gallis, Belgis, Polonis, et ulterioribus remittere fructus male perceptos, componere vero cum Italis, Hispanis etc. et cum pauperibus etiam remittere. X. Posse remittere partem de male ablatis, vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus et delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes, vel pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. XI. Posse absolvere qui munera acceperint a Regularibus, modo non excedant decem scutos, vel etiam si excedant, facta prius restitutione, vel praestita obligatione satisfaciendi. XII. Cum puellis quae virgines non sunt posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiae, vel cum virginibus, ut intrent monasterium mulierum Poenitentium. XIII. Posse relaxare iuramenta, quae non sunt in favorem alterius. XIV. Posse vota simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. XV.

(1) lib. 7. n. 468. in fine.

Dispensare, commutando in alias preces, vel alia pia opera, super recitationem divini Officii. XVI. Dispensare in occultis cum Regularibus a quibusvis irregularitatibus, inhabilitatibus, et poenis; non autem in publico defectu natalium quoad Generalatum; in publicis vero nonnisi auditis Superioribus. XVII. Posse absolvere apostatas a censuris, cum reincidentia si non redeant intra praefinitum tempus, dilata dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere, ut ipsi transeant ad alium ordinem. XVIII. Posse concedere transitum ad religionem laxiorem, modo ibi vigeat regularis observantia; non tamen ad ordinem s. Benedicti antiquioris observantiae; neque ad consimiles congregationes cuiuscumque ordinis. Idem quoad Moniales ultra montes. XIX. Posse absolvere, et dispensare super defectibus, et censuris, etiam ob clausurae violationem. XX. Item concedere confessarium Monialibus (*vide dicta de hoc lib.* 6. *n.* 576.). XXI. Vacante Sede apostolica, habere facultatem in foro conscientiae etiam in casibus, in quibus vivente Pontifice non habebat; tamen cum reincidentia, si ad novum Pontificem petentes non se praesentent; hancque facultatem post Cardinalis Poenitentiarii ingressum in Conclavem transire ad signaturam. Alia quae pertinent ad matrimonii materiam, *vide l.* 6. *n.* 1144. Alia minus scitu necessaria observare potes in citata Bulla, *Pastor bonus.*

Demum hic nota, quod, cum litterae S. Poenitentiariae committuntur magistro theologiae, vel Decretorum doctori, possunt eas exequi confessarii Societatis Iesu designati a Generali, vel Provinciali de eius licentia, ut concessit Gregorius XIII. 3. Apr. 1582. Et idem possunt lectores iubilati ordinis Minorum, ex concessione Innocentii XI. 27. Nov. 1679. Ac ideo idem possunt omnes Regulares in privilegiis eorum communicantes; ita refert *Elbel tom.* 3. *Conf.* 20. *p.* 506. *num.* 513.

TRACTATUS XX.

DE PRIVILEGIIS

CAPUT I.

DE PRIVILEGIIS IN COMMUNI

1. *Differentia inter privilegium, dispensationem, et licentiam.*
2. *Quando privilegium derogat iuri communi.*
3. *Quando privilegiatus tenetur uti privilegio.*
4. *Utrum extra Sacramentum censurae, etc.*
5. *De clausulis, Ad instar etc., Quatenus sacris Canonibus non adversetur, etc., Supplentes defectus, etc.*

6. 7. *et* 8. *De interpretatione privilegiorum.*

9. 10. *et* 11. *De communicatione.*

12. *De privilegiis Regularium revocatis, cum declarationibus s. Pii V.*
13. *De rescriptis gratiae, et iustitiae, utrum expirent morte Pontificis.*
14. *Quot modis cesset privilegium.*
15. *Quomodo cesset per revocationem.*
16. *De revocatione expressa.*
17. *De tacita, et utrum sit intimanda, vel saltem publicanda revocatio.*

1. Privilegium definitur: *Lex privata, aliquod speciale concedens beneficium.* Privilegium differt a dispensatione quae eximit a lege, et ideo semper est odiosa, differt etiam a licentia quae conceditur tantum ad paucos actus. De privilegiis in particulari inferius proprio loco dicemus: hic tantummodo adnotabimus quasdam regulas advertendas circa privilegia in communi.

2. Et 1. ut privilegium deroget iuri communi, non requiritur clausula derogatoria; praesumitur enim princeps iam scire leges communes. Excipitur tamen 1. Quando privile-

gium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione. 2. Si in lege, cui derogatur, esset apposita clausula: *Non obstante quocumque privilegio*; hoc intelligitur, dummodo in privilegio non extet clausula, *Ex certa scientia*, vel *Ex plenitudine potestatis* (1). 3. Quando privilegium est contra aliquam consuetudinem, aut legem municipalem; his enim non derogatur, nisi de illis specialis mentio fiat (2).

3. 2. Privilegiatus non tenetur, regulariter loquendo, uti privilegio, *Reg.* 61. *Iur. in* 6. Sed excipiendum est 1. si non utendo, grave damnum proximo inferret: hoc tamen intellige si per se, non vero consequenter: e. c. si confessarius habeat privilegium absolvendi a peccatis reservatis, post auditam confessionem tenetur eo uti (3). 2. Si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum est privilegium immunitatis, quo unusquisque tenetur uti ex *cap. Si diligenti, de Foro compet.* 3. Si privilegium tollat impedimentum ad observandum praeceptum; e. c. si infirmus habeat domi oratorium privatum, et facile potest audire Sacrum, tenetur privilegio uti (4). 4. Si privilegium non est personale, sed reale, addictum loco, vel dignitati, vel statui, quemadmodum sunt privilegia concessa Episcopis et Regularibus (5).

4. 3. Qui habet privilegium pro foro poenitentiali, etc. absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis, valde probabiliter potest eo uti etiam extra Sacramentum, etiamsi facultas concepta esset in terminis: *Sacerdoti confessario* (6).

5. 4. Loquendo de clausulis: clausula *ad instar* importat tunc valere privilegium, quando aliud (ad cuius formam secundum concessum est) fuerit validum saltem a principio, quamvis postea revocatum fuerit, vel non acceptatum, ut advertit p. Mazzotta. Alias enim, si primum privilegium fuerit nullum, nullum quoque erit secundum, dummodo in secundo non exprimatur id quod conceditur (7). Hoc tamen currit (ut aiunt praefati auctores) quando dicitur: *Ad instar*, non vero si dicatur: *sicut concessum est*, etc., ut limitant Bonacina et Garcias apud Salmanticenses. Clausula, *Quatenus sacris Canonibus non adversetur*, intelligitur de iis tantummodo Canonibus, in quibus est expressum: *Non obstante quocumque privilegio* (8). Clausula, *Supplentes singulos defectus*, intelligitur tantum de defectibus earum rerum, quae requiruntur solum de *iure positivo*, et qui sunt tantummodo accidentales, non vero de defectibus naturalibus, aut substantialibus, utpote esset, si supplicans foret excommunicatus, aut si supplicatio foret subreptitia, vel fraudulenta; aut si defectus esset circa causam, aut personam supplicantis (9). Aliae clausulae videri possunt apud Salmanticenses (10).

6. 5. Loquendo de interpretatione privilegiorum, plura adnotanda sunt. Notetur 1. omne privilegium interpretandum esse eo modo, quo privilegiato non sit neque inutile, neque onerosum (11). 2. Privilegia solum princeps, vel alii, quibus a principe foret commissum, authentice, vel iuridice possunt interpretari. Doctri-

(1) Salmant. tract. 18. c. 1. n. 42. et 43. cum aliis. (2) Suar. de leg. l. 8. c. 14. n. 4. Castropal. t. 1. tract. 3. d. 4. p. 10. n. 9. et Salmant. loc. cit. c. 1. n. 8. cum Pelliz. Tamb., etc. (3) vide Salm. tr. 18. c. 1. n. 11. cum aliis. (4) Suar. l. 8. de leg. c. 23. n. 8. et c. 35. n. 5. et 6. Pal. p. 7. n. 3. Sanch. de Matr. l. 9. d. 6. n. 14. Salm. c. 1. n. 12. cum Silvest. Avila, etc. (5) vide Salm. c. 1. n. 17. et 18. (6) Suar. l. 8. de leg. c. 6. n. 15. Castrop. d. 4. p. 2. §. 5. n. 6. et Salm. tr. 18. c. 1. n. 33. cum Silvest. Tamb., etc. contra alios qui probabiliter etiam negant. (7) Suar. l. 8. de leg. c. 15. n. 2. Castrop. d. 3. p. 2. §. 8. n. 1. Salm. c. 1. n. 39. cum Bonac. etc. et p. Mazz. t. 1. de Privil. p. 221. v. Scuto. (8) Sal. tract. 18. c. 1. n. 50. cum Nav. Suar. Garc., etc. (9) Salm. c. 1. n. 51. cum Barbosa, et Tamb. (10) c. 1. ex n. 40. (11) Salm. c. 1. n. 70. et 71.

naliter vero potest ea interpretari quicumque vir doctus, cuius resolutioni licite potest acquiesci, ut omnes affirmant; et quando in privilegio prohibetur quaecumque interpretatio, de sola authentica et iuridica est intelligendum (1); aut ad summum intelligi debet de interpretatione quae fit *ex professo*, ut dictum est de legibus (*Tr.* 2. *n.* 75.). 3. a Clemente IV., et ab aliis Pontificibus prohibentur Episcopi interpretari iuridice privilegia Regularium. Solum id ab Alexandro VI. et Paulo III. (quando apostolica Sedes consuli nequit) concessum est iurisperitis, caeterisque iudicibus in favorem Regularium. Idem concessum est Generalibus, visitatoribus, et etiam Provincialibus, et Praelatis immediatis, quoties ipsi peritos consulunt. Idem locum habet in interpretatione regularium constitutionum et consuetudinum. Eodem modo possunt iidem Praelati auferre vel limitare subditis usum privilegiorum (2).

7. Notandum 4. quod generaliter loquendo de privilegiis, omne privilegium large est interpretandum, ut habemus ex *cap. Olim* 6. *de Verb. sign.* ubi dicitur: *Cum beneficia principum interpretanda largissime* etc.; et ex *l. ult. ff. de Constit. princ.* Contra vero privilegia odiosa stricte sunt interpretanda, cuiusmodi sunt illa quae sunt derogatoria iuris communis, aut statutorum, et consuetudinum particularium, dummodo haec statuta non sint contra ius commune: aut dummodo privilegium non sit insertum *in corpore iuris*; ideoque aiunt Sanch. et Mazzotta (3), omnia privilegia realia late esse interpretanda; ob suam enim perpetuitatem habentur tanquam inserta in iure communi. Insuper excipitur, si alias privilegium redderetur inutile, aut si in eo extaret clausula *Ex certa scientia* vel *Ex motu proprio*; vel si privilegium esset absolvendi, dispensandi, aut communicandi illud ad alios (4). Privilegia vero in praeiudicium aliorum, cuiusmodi essent ad obtinenda plura beneficia, aut ad conferenda beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, stricte sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio* (5).

8. Hoc vero intelligendum est de privilegiis concessis personis particularibus: sed ea quae sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime, etiamsi adversentur iuri communi, vel alicuius tertii, quemadmodum communissime affirmant dd. (6); privilegia enim communitatibus concessa praesumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum praestitorum, et ideo omnia habentur tanquam favorabilia, *ex l. Sicut persona, ff. de Relig.* (7).

9. 6. Loquendo de communicatione privilegiorum adnotetur 1. quod religiones mendicantes communicant in totum inter se de privilegiis praeteritis et futuris; tum circa personas, tum circa loca, festivitates et indulgentias, prout habetur ex Bulla Sixti IV. Clementis VIII. et Leonis X. (8). Et hoc currit, quamvis religio, cui concessum est privilegium, vel non acceptaverit, vel eo usa non fuerit. Insuper quando ampliatur privilegium alicui religioni concessum, intelligitur ampliatum etiam quoad alias (9). Insuper hae religiones mendicantes communicant privilegiis caeterarum religionum, vel congregationum, vel collegiorum monastico-

(1) vide Salm. tr. 18. c. 1. n. 72. et 73. (2) vide Salm. tr. 18. c. 1. n. 74 75. et 76. (3) Sanch. de Matr. l. 8. d. 1. n. 4. et Mazzotta loc. cit. p. 223. c. 2. v. resp. (4) Salm. tr. 18 c. 1. n. 78. ad 80. (5) ib. n. 83. et 84. (6) Suar. de leg. l. 8. c. 27. n. 7. Castrop. d. 4. p. 10. n. 6. Mazzotta loc. cit. et Salm. c. 1. n. 27. et 28. et iterum n. 85. et 86. cum Azor. Laym. Sylv. Bonac. Henriq. Coninch. Lezana, Barb. et alii. (7) vide Salm. c. 1 n. 25. ad 27. (8) ib. n. 88. et 89. (9) ib. n. 98. et 99.

rum, vel non monasticorum (1). Et hoc valet etiamsi in privilegio concesso alteri religioni, vel congregationi, adsit clausula quod non communicetur; nam in aliis Bullis de communicatione dicitur, quod tollitur quodcumque impedimentum communicationis (2). Huiusmodi privilegiis perfruuntur tam conversi, ipsi enim vere Religiosi sunt (3), quam novitii, quemadmodum declaravit Clem. VIII. et est communis sententia (quicquid dicant quidam pauci) cum Suar. Sanch. Castr. etc. (4); fruuntur quoque Religiosi ad Episcopatus promoti, dummodo non agatur de rebus, quibus, Episcopi si utantur, aliquod religioni praeiudicium proveniret, ut esset habitatio in monasterio; datio suffragii, etc. (5). Tertiarii autem, et Tertiariae (vel beatae) subditae mendicantibus, et quae habitum religionis deferunt, et votum habent castitatis (quibusdam tantum rebus exceptis) eorum quoque privilegiis gaudent, sed quatenus sunt capaces. Confratres scapularis, et cinguli (vocati *Cordonis*), etc. fruuntur tantum, et participant in omnibus indulgentiis et remissionibus peccatorum, sed non in alio (6).

10. Notandum 2. Moniales tam ordinum mendicantium, quam non mendicantium, gaudere privilegiis monachorum sui ordinis, et consequenter cuiuscumque alterius ordinis in omnibus, quorum sunt capaces (intellige de favorabilibus). Hoc valet etiamsi privilegium tantum de hominibus loqueretur, ut deducitur ex Bulla Leonis X. Atque ita e contrario fratres gaudent privilegiis Monialium omnium ordinum, ex eo quia ipsi communicant (ut superius dictum est) privilegiis concessis cuicumque religioni, congregationi, aut monasterio (7). Sed redeundo ad Moniales, huiusmodi privilegiis gaudent etiam illae, quae Pontifici aut Episcopo subiiciuntur; atque ita, quando Religiosis conceditur privilegium ut absolvantur, vel dispensentur a suo Praelato, Moniales subiectae Episcopo possunt quidem ab eodem absolvi, et dispensari. Et hoc currit etiamsi in privilegio nominarentur tantum Moniales quae Regularibus subditae sunt (8).

11. Notandum 3. privilegia non communicari quando sunt odiosa, vel contraria propriis statutis, adeo ut praeiudicent bono, sive communi observantiae religionis (9). Notetur 4. privilegia alicui concessa non tanquam personae particulari, sed ratione sui officii, seu dignitatis, vel tamquam membro illius communitatis, intelliguntur concessa omnibus aliis eiusdem officii aut eiusdem communitatis. Et privilegia concessa subditis seu Praelatis inferioribus, etiam Praelatis superioribus concessa intelliguntur (10). Similiter privilegia concessa alicui conventui, aut ecclesiae, aut particularibus alicuius conventus, sed tanquam membra illius, intelliguntur quoque concessa caeteris Religiosis tam illius ordinis, quam aliorum qui communicationem habent quando scilicet eadem, vel similis ratio militat (11). Sed hoc non est intelligendum de privilegiis quae conceduntur alicui congregationi ad tempus determinatum, vel per brevia particularia sunt concessa alicui mona-

(1) ita communissime Salm. tr. 18. c. 1. n. 90. cum Rodr. Pelliz. Tambur. etc. (2) Salm. tr. 18. c. 1. n. 107. cum Rodr. Basseo, Merranda, Bon. Diana, Donato, etc. (3) vide Salm. tr. 15. de statu relig. c. 1. n. 33. (4) Suar. in 2. 2. s. Thom. t. 4. de relig. tr. 10. l. 9. c. 1. n. 18. et Salm. ib. c. 3. n. 85. cum Sanch. Castr. Lezana, Pelliz. et aliis. (5) vide Salm. dict. tr. 15. c. 5. n. 43. cum Suar. Lez. et Castrop. (6) Salm. tr. 18. c. 1. n. 94. cum aliis. (7) vide Salm. tr. 18. de privil. c. 1. n. 91. (8) Suar. de leg. l. 8. c. 10. n. 7. Bonac. disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 2 n. 4. et Salm. tr. 18. cap. 1. n. 92. cum Castr. Lez. Pelliz. Bordonio, Boss. et aliis contra paucos. (9) Castrop. dist. 4. §. 9. n. 2. et Salm. cap. 1. n. 100. cum Pelliz. Lez. Portel. Tamb. Barb. (10) Sal. c. 1. n. 110 et 111. (11) Salmant, ib. cum Pelliz. Garcia, Quintan. Tamb. etc

sterio ob specialem aliquam causam, vel quando agitur de rebus quae difficile solent concedi (1).

12. 7. Certum est, ut habetur ex prop. 36. damnata ab Alexand. VII. Religiosos non posse amplius uti privilegiis iam revocatis per Concilium Tridentinum. Verum, hoc non obstante, attendendae sunt quaedam Declarationes Concilii factae per S. Pium V. in sua Bulla: *Etsi mendicantium*. Hae sunt 1. quod saeculares possunt audire Sacrum et conciones in ecclesiis Regularium. 2. Quod Episcopus nequeat impertiri licentiam ingrediendi monasteria Monialium exemptarum. 3. Quod quarta funerum non intelligitur nisi de eo quod affertur (2). 4. Quod confessarii Monialium exemptarum, et concionatores regulares in propriis ecclesiis non examinentur ab Ordinario; verum quod attinet ad confessarios, hoc privilegium abrogatum est per varias apostolicas Constitutiones, et praesertim per Bullam *Apostolici ministerii*, emanatam ab Innoc. XIII. anno 1723. et confirmatam per Bened. XIII. die 23. sept. an. 1724. Ibi in §. 18. declaratur quod confessarii Monialium exemptarum debeant examinari, et approbari ab Episcopo dioecesis, *remota quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili*.

13. 8. Distinguendum est *rescriptum gratiae*, ut esset absolvendi, dispensandi etc. a *rescr. iustitiae*, ut exercendi iurisdictionem, appellandi, etc. In rescripto gratiae dicitur, *gratia facta* quando delegatus habetur tanquam merus necessarius executor: *Gratia facienda*, quando conceditur facultas dispensandi, et relinquitur arbitrio delegati. Rescriptum iustitiae expirat morte principis, dummodo res adhuc sit integra; et idem de rescripto gratiae faciendae. Oppositum vero dicendum de rescripto gratiae factae, ut absolvendi, recipiendi ordines *extra tempora*, de oratorio privato, etc. (3). Privilegium concessum cum clausula, *Donec voluero*, probabiliter non expirat post mortem concedentis (4): vide quod dictum est *Tr.* 16. *n.* 82. Quod si in concessione exprimitur officium delegati, mortuo delegato, transit etiam ad successorem (5).

14. 9. Privilegium multis modis cessare potest, et 1. per decursum termini constituti. 2. Per cessationem causae finalis: intellige quando privilegium est concessum sub conditione dictae causae; sed quando concessum esset absolute; adest opinio valde probabilis, quod etiamsi cessaret causa finalis, non cesset tamen privilegium; neque cessat, quamvis semel privilegio usi fuerimus (6), iuxta id quod diximus de Dispensatione *Tr.* 2. *punct.* 2. *cap.* 6. *n.* 66. *in fin.* 3. Ob renuntiationem privilegiati; in quo notandum est quod particulares nequeunt renuntiare privilegiis communitatis; et ut valida sit renuntiatio, fieri debet in manu illius qui privilegium concessit, et ab eodem acceptari (7). 4. Per usum contrarium, vel per non usum; in dubio tamen praesumptio semper est pro usu. Sed in hoc advertendum est quod privilegia gratiosa, quae non sunt aliis gravamini, ut absolvendi, dispensandi, vel ieiunandi, et his similia, haec numquam amittuntur per non usum, et etiam per usum contrarium, quamvis temporis longissimi (8). Privilegia contra quae tertio sunt onerosa, ut non solvendi Decimas, et similia, haec praescribuntur per usum contrarium, et etiam per non usum privativum (non vero dum-

(1) Salm. c. 1. n. 118. cum Peyrin. Tamb. Merula, etc. (2) vide Salm. tr 18. c. 1. n. 137. (3) Castr. d. 3. p. 16. §. 4. n. 11. Sanch. de Matr. l. 8. disp. 38. n. 43. Salm. tr. 18. c. 1. a n. 141. ad 146. cum Suar. (4) Salm. tr. 18. c. 1. n. 149. (5) ib. n. 150. (6) ib. c. 2. n. 3. et 4. (7) ib. n. 5. ad 8. (8). Suar. de leg. l. 8. c. 34. n. 17. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. §. 5. n. 4. Castr tr. 3. d. 4. p. 18. n. 3. et p. 19. n. 1. et Salm. c. 2. n. 13. cum Laym. Pont. Lez. Garcia, etc.

taxat negativum) quod accidit, quando privilegiatus conscius iam sui privilegii, occasionibus oblatis, sponte uti recusavit. Hoc autem currit, dummodo in privilegio non sit clausula *utendi ad sui arbitrium*. (1). Insuper hoc intelligitur pro foro externo, nam in conscientia non amittit privilegium qui animum non habet renuntiandi (2). Potest cessare etiam privilegium per abusum sive in totum, sive in partem (3).

15. Cessat 5. privilegium ob revocationem principis. In hoc autem distinguere oportet privilegia gratuita a remunerativis, et ab onerosis; si privilegium est mere gratuitum, revocari potest valide etiam sine iusta causa quamvis hoc non excusatur saltem a culpa veniali, si scandalum absit (4). Si vero cum privilegio translatum fuisset dominium alicuius rei in privilegiatum, illud revocari nequit nec licite, nec valide, nisi ob causam urgentissimam boni communis vel gravis delicti, vel ob illas causas, ob quas revocari potest quaelibet donatio (5). Sed si privilegium est remuneratorium, vel ob iustitiam, vel ob gratitudinem, semper requiritur iusta causa, ut valide revocetur. Et si insuper est onerosum, ut exempli causa concessum ob pretium acceptum, vel ob aliquod onus privilegiato impositum, tunc ut revocetur (ultra iustam causam) requiritur compensatio. Et hoc dicendum de privilegiis remuneratoriis ob iustitiam, ut dicunt communiter dd. (6).

16. Revocatio vero privilegiorum alia est *expressa*, alia vero *tacita:* quoad *expressam* regulariter loquendo sufficit clausula generalis, *non obstantibus privilegiis*, etc. ut revocentur omnia privilegia in contrarium. Excipiuntur tamen 1. privilegia concessa per modum contractus, sive onerosa sint, sive remunerativa ob iustitiam (ut supra dictum est), in quibus mentio specialis fiat meritorum in particulari. 2. Privilegia quae clausulam habent: quod non intelligantur derogata, nisi mentio particularis fiat. 3. Privilegia Regularium, quae etiam specialem mentionem requirunt, qui sunt remunerativa, et videntur clausulam habere derogatoriam futurae revocationis, nisi eorum mentio specialis fiat, ut affirmant Rodr. Portel. et Miranda apud p. Mazzotta. 4. Privilegia inserta in *corpore iuris*, quia tunc sunt verae leges, et ut revocentur, requiritur clausula specialis, *non obstantibus legibus in contrarium*, etc. (7). Idem asserunt Bon. Sanch. Castr. et Salm. cum Molin. Pelliz., aliisque quamplurimis, (contra Pontium) de privilegiis concessis ab aliquo Concilio generali, quae non censentur revocata, nisi per clausulam expressam, *non obstante quacumque Constitutione*, *etiam a Concilio generali edita*, ut colligitur ex *cap. Ex parte*, et *cap. ult. de Capell. Mon.* (8). Opponit Pontius Ecclesiae praxim, et quamdam Declarationem S. Pii V. Sed Castropalaus cum Garcia respondet gratis id asseri: tantum inquit, a Garcia referri quemdam motum proprium S. Pii, in quo dicitur, quod concessiones propria Pontificis manu signatae non egent aliqua Tri-

(1) Castr. p. 18. n. 4. Bonac. loc. cit. n. 3. et Salm. n. 14. cum Laym. Garc. Lez. etc. (2) vide Salm. tr. 18. c. 2. n. 18. (3) ib. n. 17. (4) Pontius l. 8. de dispens. c. 19. n. 15. Castr. p. 21. §. 3. n. 3. et Salm. tr. 18. c. 2. n. 37. cum Suar. Sanch. Bon. etc. (5) Castr. p. 21. §. 2. n. 2. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 5. Suar. de leg. l. 8. c. 37. n. 7. et Salm. c. 2. n. 29. cum Pont. Garc. Lez. etc. (6) Suar. loco cit. n. 6. et 7. Pont n. 13. et Salm. tr. 18 c. 2. n. 30. et 85. cum aliis. (7) Suar. l. 8. c. 38. n. 3. et c. 14. n. 8. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 11. Castr. tr. 3. d. 4. p. 21. §. 3. a. n. 2. Pont. l. 8. c. 19. n. 16. Mazzott. t. 1. de Privil. q. 2. c. 1. p. 231. et Salm. c. 2. n. 39. et 40. (8) Bonac. disp. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 13. v. Tertio Castr. §. 4. n. 6. Sanch. de Matr. l. 3. d. 26. post n. 6. v. sed haec et Salm. tr. 18. c. 2. n. 41. cum Pelliz. Bass. etc. contra Pontium l. 8. de dispens. c. 19. num. 19.

dentini revocatione, neque generali, neque speciali. Omnes vero praefatae limitationes intelliguntur locum habere si non constet de contraria mente derogantis, quemadmodum omnes praefati dd. communiter affirmant; unde si in lege revocatoria adsit clausula *ex certa scientia*, aut *ex motu proprio*, aut *de potestatis plenitudine*, tunc revocatur omne privilegium quantumcumque qualificatum, exceptis onerosis; aut quando revocatio praeiudicaret iuri a tertio acquisito (1).

17. Quod attinet ad revocationem *tacitam*, privilegia ante concessa intelliguntur revocata per quamcumque legem universalem in contrarium, etiamsi in ea non adsit clausula revocatoria, quando ipsa lex, vel novum privilegium aliis concessum non posset effectum intentum sortiri, nisi revocatis privilegiis antea concessis; non praesumitur enim legislator velle condere legem inutilem, aut concedere privilegium elusorium, sive generale, sive particulare illud sit. Hoc tamen intelligendum est, quando privilegia prius concessa nota sunt principi, quemadmodum praesumitur de omnibus privilegiis insertis in *corpore iuris*. Quod contra non praesumitur de aliis quae existunt *extra ius*; unde horum specialis mentio est facienda (2). Affirmant aliqui, ut Sotus Henriquez et Quintanad. quibus adhaerent Salm. in quodam loco (3), quod privilegium remanet in suo vigore, quousque revocatio non intimetur civitati, vel religioni. Verum ipsimet Salm. postea in alio loco (4) se retractant, et merito, asserentes cum Laym. Suar. Portel. et Lezan. quod sufficit ad invalidandum privilegium (ut diximus loquendo de Legibus, *Tr.* 2. *a n.* 5. *ad* 8.); ut publicetur revocatio, et ut transeant duo menses a publicatione, ita ut pervenire possit notitia ad privilegiatos, quamvis de facto non perveniat.

Actum est usque adhuc de privilegiis in communi, in sequentibus capitibus agetur de privilegiis in particulari Ecclesiasticorum, Episcoporum, et Religiosorum.

CAPUT II.

DE PRIVILEGIIS ECCLESIASTICORUM

18. *Quibus in rebus Ecclesiastici sint exempti a potestate laicali.*
19. *De privilegiis Canonis et fori quoad personas.*
20. *Quoad bona.*
21. *Quis gaudeat huiusmodi privilegiis.*
22. *De beneficiatis.*
23. *De tonsuratis.*
24. *De illis qui deposuerunt habitum*
25. *ad* 28. *De immunitate piorum locorum.*

18. Ecclesiastici iure divino exempti sunt a potestate saeculari quoad materias spirituales, vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones Praelatorum, etc. ut constat ex *can.* 3. Concilii romani. Quoad personas vero, et loca Ecclesiasticorum, quaestio est utrum sint vel ne exempti iure divino? Multi negant, ut Lessius Caietanus Becanus et Salm. (5). Multi alii affirmant, ut Suarez Azorius Laym., etc. et probant ex pluribus textibus, et praesertim ex *cap. Quamquam de Gentibus in* 6. et ex Trident. *sess.* 25. *c.* 20 *de Ref.*: *Ecclesiae, et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus esse constitutam.* Certum tamen est Ecclesiasticos tum iure canonico, tum civili non esse subiectos foro laicali (6). Caeterum tenentur in conscientia illis legibus civilibus, quae non repugnant eorum statui, non vi *coercitiva* ut dicitur, *sed directiva*, ut unifor-

(1) vide Salm. c. 1. n. 40. et 42. (2) Suar. de leg. l. 8. c. 39. n. 2. Pont. de dispens. l. 8. c. 19. n. 19. Castrop. d. 4. p. 21. §. 4 n. 10. Bon. d. 3. p. 8 §. 3. n. 14. Salm. tr. 18. c. 2. n. 43. et 44. cum aliis communiter. (3) Salm. tr. 10. de Cens. c. 2. n. 81. (4) tr. 18. de privil. c. 2. n. 45. (5) tr. 8. de Ord. c. 7. n. 6. (6) vide Iura ap. Less. de Iust. l. 2. c. 33. dub. 3.

mentur communitati (1).

19. Ecclesiastici ergo gaudent 1. exemptione circa suas personas. Praeter privilegium Canonis, cuius vigore incurrunt excommunicationem qui iniuste illos percutiunt (de quo actum est *Tr.* 19. *n.* 48. et sequentibus), gaudent clerici immunitate, ne puniantur a curia laicali, ut patet ex legibus a Becano relatis (2). Et quamvis ius civile eos eximat tantum in causis civilibus, et in criminalibus eas recognoscendi sibi ius reservaverit, nullatenus clericos condemnando nisi post degradationem; nihilominus ius canonicum totaliter eos exemit (3). Verum his non obstantibus, in aliquibus casibus potest potestas laicalis ad clericorum carcerationem procedere, ut si c. c. aliquem noctis tempore inveniret deferentem arma prohibita, vel sine veste clericali, vel inveniret *in fragranti* patrantem aliquod delictum, tunc enim potest ad eius carcerationem procedere, ut postea remittat curiae ecclesiasticae, quod si interdiu illum invenerit, potest armis prohibitis spoliare. Potest etiam in quibusdam casibus illum castigare (sed non poena mortis), si ille rebellionem adversus principem moliretur, aut populum ad seditionem excitaret, et a proprio Episcopo de hoc non esset punitus. Insuper probabiliter potest supplicio afficere clericos notorie sodomitas; hi enim a Leone X. et S. Pio V. omni clericali privilegio spoliati sunt (4). Caeterum pro quocumque alio crimine clerici nequeunt puniri a curia saeculari *c. fin. de Vita et hon. Cler.* et *cap. In audientia* 25. *De Sent. excomm.*

20. 2. Gaudent Ecclesiastici exemptione a foro laicali quoad propria bona tam ecclesiastica, quam quocumque alio modo acquisita; unde respectu illorum non tenentur solvere ullum vectigal, ut habetur ex *cap. Quia*, et ex *cap. cler. de Immunit. eccl. in* 6. et ex *l. Sancimus* 22. *c. de Sacros. Eccl.* (5). Clerici vero negotiatores circa bona mere ecclesiastica negotiationi iam destinata, spoliantur omni exemptione *c. Quamquam* 4. *de Censib. in* 6. Quoad vero reliqua bona propria, privantur post tertiam monitionem (6). Insuper notandum hic est, quod in casu urgentis necessitatis, potest princeps extrahere e domibus, et vendere frumentum Ecclesiasticorum (7).

21. Ii qui gaudent praefatis exemptionibus tam quoad personas, quam quoad bona, sunt primo omnes Regulares cum suis novitiis et Tertiariis, et etiam beatae Franciscanae tertii ordinis, Carmelitanae etc., quae deferunt habitum una cum voto castitatis; quemadmodum declaravit S. C. Insuper Equites s. Ioannis, s. Iacobi, Alcantarae et Calatravae, ut probant Bonac. Filliuc. et Diana (8). Insuper omnes clerici in *Sacris* constituti. De aliis vero in *minoribus*, vel simpliciter tonsuratis, ita loquitur Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de ref. Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate de. licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versetur.* Atque hoc privilegio gaudent etiam clerici coniugati qui deferunt habitum et tonsuram, et Ecclesiae inserviunt; verum in *cap. ult. de Temp. Ord. in* 6. prohibetur coniugatis tonsura, nisi velint religionem ingredi, vel in *Sacris* ordinari praevia uxoris licentia (9).

22. Igitur privilegio fori gaudent

(1) est commune cum Salm. tr. 8. c. 7. n. 16. (2) de Sacram. c. 26. q. 9. (3) vide Salm. tr. 8. c. 7. ex n. 24. (4) ib. a n. 27. ad 29. et a n. 18. ad 20. (5) ib. n. 35. et 55. (6) Salm. n. 54. cum Less. Mol. etc. (7) Salm. tr. 8. c. 7. n. 17. cum Diana, Molf. (8) vide Salm. c. 7. a n. 56. ad 58.

(9) vide nostrum opus morale l. 6. n. 827. v. eodem.

1. beneficiati, etiamsi nulli Ecclesiae inserviant, neque deferant habitum et tonsuram, ut probabiliter infertur ex Concilio, ut volunt Salmant. cum Filliuc. Diana et Rodriq. adversus Suar. Et etiamsi non percipiant fructus beneficii, neque possideant; sufficit enim quod solum titulum habeant, ut aiunt Garc. Fill. et Diana contra Salm. Sufficit etiam capellania, vel praestimonium, quae censentur tamquam vera beneficia: sed non sufficit pensio (1).

23. Gaudent 2. clerici in *minoribus*, et tonsurati, dummodo habitum simul et tonsuram deferant, iuxta id quod affirmat Concilium: *Clericalem habitum et tonsuram deferens*, et ut probabilius existimant multi dd. cum Castr. et Barb. contra Salm., qui interpretantur particulam *et* pro particula *vel*, ita ut sufficere dicant alterutrum (2), dummodo Ecclesiae similiter inserviant: sed quoad Ecclesiae servitium (dummodo spirituale sit, quia temporale non sufficit) satis est, ut alicui Ecclesiarum serviant, etiamsi haec destinata non sit ab Episcopo, ut declaravit S. C. apud Card. Lambertini (3).

24. Ut vero clerici in *minoribus* constituti foro priventur (nam aliud de Canonis privilegio dicendum) non requiritur trina monitio, quia haec requiritur tantum pro beneficiatis, et pro ordinatis in *Sacris*, ut deducitur ex *cap. Contingit de Sent. exc.*, vel pro minoristis qui negotiis saecularibus se addicunt, ut habetur ex *cap. Ex litteris de vit. et hon. cleric.* (4), sed sufficit quod habitum et tonsuram dimiserint, quemadmodum pluries declaravit S. C. et quemadmodum communiter affirmant dd. (5). Dummodo per longum tempus dimiserint, ut notant Salm. cum Bon. Suarez Barbos. et aliis Quamvis vero praefati clerici nequeant allegare forum, potest nihilominus Episcopus eos a foro saeculari resumere iuxta declarationem S.C. ab hodierno Summo Pontifice approbatam (6). Illi vero clerici qui habitum resumunt, iure gaudent privilegio, dummodo id in fraudem non faciant: quae fraus tunc supponitur, cum aliquis in aliqua causa civili iam citatus fuisset ad forum laicale; aut pro causa criminali iam fuisset in carcerem coniectus; aut vero e carcere sub cautione egressus: ut aiunt Salm. cum Bonac. (adversus Guttierez et Ceballos), et Cardinalis Lambertini cum pluribus Decretalibus S. C. (7). Magna vero quaestio est, utrum potestas laicalis possit cognoscere causas innocentium adversus Ecclesiasticos. Quidam theologi absolute affirmant; sed quidam alii magis communiter tantummodo admittunt, quando aut nullo modo, aut difficulter potest haberi recursus ad Superiores ecclesiasticos maiores (8).

25. Immunitas autem ecclesiastica locorum quoad asylum delinquentium, competit iure ecclesiastico et civili omnibus ecclesiis quamvis interdicto subiectis sive pollutis, et etiam dirutis (nisi omnino praesulis auctoritate fuerint profanatae), earumque capellis, sacristiis, caemeteriis, etiam ab ecclesia separatis, muris campanilibus, tectis, atriis, atriorum gradibus, cum quadraginta passibus ultra pro ecclesiis cathedralibus, et triginta pro aliis ecclesiis, (sed hoc intelligendum de illis quae sunt positae extra moenia urbis, vel loci), dummodo non intercedat via publica, aut aliqua saecularium domus: aliud vero est si domus sit alicuius clerici (9). Gaudent eadem immunitate hospitalia in quibus extat aliqua ca-

(1) vide Salm. tr. 8. c. 7. n. 62. et 63. cum aliis. (2) vide nostrum opus l. 6 n. 827. (3) de Synodo l. 7. c. 69. n. 4. (4) vide opus nostrum l. 6. n. 827.

(5) apud card. Lambertini de Synodo l. 5. c. 11. ex n. 1. et apud Salm. tr. 8. c. 7. n. 65. (6) vide Lamb. loco cit. (7) Salm. loco cit. n. 67. et card. Lamb. de Syn. c. 67. n. 1. (8) vide Salm. tr. 8. c. 7. n. 76. (9) vide Salm. tr. 18. c. 3. ex n. 86.

pella publica, oratoria ab Episcopis erecta, palatium episcopale, et domus regularium cum suis dormitoriis, claustris, hortis et porticibus ante ecclesias, vel monasteria (1).

26. Omnes vero delinquentes, dummodo sint christiani, licet haeretici, aut interdicti, aut in carcere inclusi, qui ruptis carceribus ad praedicta sacra loca confugerint, hac gaudent immunitate. Et in hoc reprobatur quaelibet consuetudo in contrarium; *c. Noverint de Sent. excom.* et *Authent. de sacros. Eccles.* (2). Excipiuntur tamen in Bulla Gregorii XIV. latrones publici, depopulatores agrorum qui committunt homicidium per proditorium, vel per assassinium (sed regnans Summus Pontifex excepit omnia homicidia pro tota ecclesia), vel in ipsa ecclesia, vel caemeterio; insuper haeretici, et rebelles contra eamdem personam principis (3). Et in casibus clare exceptis potest iudex saecularis ex se extrahere ab ecclesia delinquentes iuxta communem praxim. In dubio autem iudicium exceptionis spectat ad Episcopum; ita Salm., et alii (4). Praeter delinquentes exceptos, omnes alii gaudent immunitate, quemadmodum gaudent debitores ad ecclesiam confugientes (5).

27. Quaestio est, utrum clerici et Religiosi gaudeant eadem immunitate respectu suorum praesulum: affirmant multi, ut Barb. Bordon. Guttier. quibus suffragatur quaedam declar. S. C. atque haec sententia est probabilissima, ut aiunt Salm. Nihilominus ipsi cum sententia communissima Suar. Castr. Laym. Bon. Sylvestri, aliorumque negant tam vigore Bullae Gregorii XIV, quae respectu praefatae immunitatis loquitur tantummodo de laicis: *Ut laicis ad ecclesiam confugientibus*, etc., quam vigore communis, et iam receptae consuetudinis; alias enim Religiosi semper in monasterio commorantes difficulter possent puniri. Sicuti vero possunt Superiores ecclesiastici (Episcopi et eorumdem Vicarii) extrahere proprios subditos ab ecclesia, ita quoque, si opus sit, possunt eamdem extrahendi licentiam curiae saeculari concedere (6). Episcopus vero nequit extrahere suos clericos ab ecclesiis Regularium, non ratione immunitatis, sed quia illa sunt loca a sua iurisdictione exempta (7).

28. Extrahentes vero, aut illi qui tentaverunt extractionem incurrunt excommunicationem *ipso facto*, a qua nequeunt absolvi nisi a Pontifice, aut ab Episcopo; Decretum enim Clementis VIII. aufert facultatem tantum simplicibus confessariis, quamvis regularibus (8). Advertendum hic est quod Religiosi qui expellerent a suis ecclesiis aut monasteriis aliquem delinquentem ad evitandum aliquod incommodum seu periculum, hi non violant immunitatem, et rite id facere possunt (9).

(1) Salm. tr. 18. c. 3. a n. 84. ad 88. (2) ib. n. 89. (3) ib. n. 96. cum Suar. Castr. Pelliz. Guttier. etc. (4) vide Salm. ex n. 96. (5) ib. n. 95. (6) Salm. tr. 18. c. 3. n. 120. (7) ib. n. 123. (8) ib. n. 117. (9) ib. n. 118

CAPUT III.

DE PRIVILEGIIS EPISCOPORUM

29. Episcopi vigore Trident. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. *Liceat*, sequentes habent facultates: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum; in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.* Quare Episcopi vigore dicti *cap. Liceat*, dispensare possunt in omnibus irregularitatibus et suspensionibus papalibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario, aliisque deductis ad forum contentiosum. Diximus ob *delictum occultum*; unde bene aiunt Bon. Castr. Salm. etc. quod non potest Episcopus vigore praedictae facultatis, dispensare in aliqua irregularitate occulta *ex defectu* (1), nisi esset dubia, ut probabiliter tenent Fagn. et Tourn. cum Gibert aliisque deducentes ex *cap. Nuper de sent. excom.* (2); iuxta ea quae diximus, *Tr.* 2. *n.* 57. Sed insuper absolvere possunt proprios subditos vel per se, vel per alium sacerdotem ad id specialiter deputatum, a casibus papalibus occultis, quinimmo iuxta Concilium poterant ante etiam ab haeresi absolvere (per se non per alios); sed vide dicenda *n.* 38.

30. Quoad hanc Concilii facultatem plura notatu digna consideranda sunt. Notandum 1. quod in iis locis in quibus Tridentinum non est receptum nequeunt Episcopi uti prae-

(1) lib. 7. n. 469. (2) Fagnan. in 2. part. 1. decreta l. c. Veniens de Fil. presbyt. n. 7. et 8. Tournely cum aliis tr. de leg. c. 6. a. 2. et de disp. in irreg. part. 2. c. ult.

fata facultate *cap. Liceat*, ut notant comm. dd. (1) et merito: facultas enim Concilii non recipitur ab Episcopis, nisi per acceptationem illius: et valde incongruum esset ut Concilii gauderet privilegiis, qui onera subire recusaret.

31. Notandum 2. sub nomine Episcoporum communi sententia venire etiam Vicarios capitulares *Sede vacante*; non vero Vicarios Episcoporum ex generali eorum commissione vicariatus; nam Vicarius bene potest quod potest Episcopus potestate ordinaria propria (ut dicetur *n.* 47.), non vero id quod potest Episcopus potestate delegata, quamvis ordinaria, utpote adnexa officio, ut dicetur *n.* 34. et 47. Praeterquam quod in hac facultate requirit Concilium expresse delegationem specialem (2). Utrum vero veniant Abbates, et alii qui iurisdictionem episcopalem habent: negant Coninch. Barb. etc. cum p. Suar., qui affert etiam quamdam declarationem S. C.; affirmant vero communius Fagnan. Sanch. Castrop. Sayrus Avila Salmant. La Croix etc. dicentes, quod quando concessio facta est *in iure*, habet rationem legis quae extenditur ad omnes casus, in quibus currit eadem ratio: alias, aiunt, talium Praelatorum subditi ad quem recurrerent non haberent (3).

32. Notandum 3. nomine *subditorum* venire etiam peregrinos, qui ab Episcopo loci absolvi possunt ab omnibus casibus papalibus occultis, ut docent Suar. Sanch. Bonac. Navar. Barb. Trullench. Boss. aliique; quia etsi Tridentinum concedat Episcopis absolvere tantummodo *delinquentes sibi subditos*, nihilominus, aiunt praefati aa. quod exteri subiiciendo se foro sacramentali iam fiunt illorum subditi; et p. Suarez affert etiam quamdam declarationem S. C. in qua dicitur peregrinus posse quidem absolvi a praefatis casibus occultis ab Episcopo loci, non vero a suo proprio; quia absolutio sacramentalis, de qua loquitur Concilium, requirit praesentiam (4). Et ideo in eadem declaratione dictum fuit quod Episcopi extra Sacramentum nequeunt a casibus iam dictis absolvere, contra id quod asserunt Salm. cum Bonac. aliisque: immo Fagnan. tradit (5), hoc idem declaratum etiam fuisse a Gregorio XIII. Hoc currit quoad absolutionem casuum: quoad vero dispensationem ab irregularitatibus et suspensionibus propter delictum occultum, idem Gregorius XIII. declaravit, non posse illam concedi ab Episcopis loci, nec etiam iis qui ibidem officium praetoris, vel medici exercendo commorarentur, ut refert Fagnanus loc. cit. Utrum vero proprius Episcopus valeat dispensare in irregularitate cum *subdito* absenti in aliena dioecesi? negant Avila aliique; sed communius et probabilius affirmant Bonac. Tourn. Suar. Barb. Sanch. Salm. etc., quia dispensatio potest etiam absentibus dari, et iurisdictio voluntaria potest etiam extra proprium territorium exerceri. Neque obstant verba illa: *in dioecesi sua*, praefati *cap. Liceat*; quoniam aiunt Salm. et Tourn. illa sufficienter verificari, quando Episcopus dispensat a sua dioecesi. Immo valde probabiliter dicunt Suarez Sanch. La-Croix et Holzm. cum Castr. et Pignat. praefata verba non referri ad primam partem dispensationis irregularitatis, sed tantummodo ad secundam (in qua sunt posita) de absolutione casuum: unde concludunt posse Episcopum dispensare, etiamsi ipse et subditus maneant extra propriam dioecesim (6).

33. Notandum 4. nomine *delicti*

(1) Suar. in 3. d. Thom. part. de censur. dist. 41. sect. 2. n. 6. Sanch. Dec. l 2. c. 11. n. 3. Salm. de poenit. tr. 6. c. 13. n. 3. cum Alter. Castr. t. 1. tr. 4. dist. 4. p. 3. §. 1. n. 2. cum Barbos. et Garc. (2) vide Sanch. de matrim. l. 2. disp. 40. n. 13. et seqq (3) vide opus nostrum l. 6. n. 593. v. eamdem, et l. 7. n. 79. (4) l. 6. n. 593. (5) in 2. part. primi Decretal. c. Dilectus de temp. Ord. n. 36. (6) l. 7. n. 81.

occulti non intelligendum illud quod potest in iudicio probari per duos testes, ut quidam volunt, ratione cuiusdam declarationis S. C. apud Fagnanum, in qua dicitur quod tutus non sit in conscientia qui in tali casu absolutus, vel dispensatus sit. Sed ut vult communior sententia nomine *delicti occulti* intelligendum quodcumque delictum quod aliquo modo possit celari, etiamsi in iudicio probari possit. Unde dicunt Azor. Sanch. Tourn. Bon. Castr. Salm. aliique, tunc delictum non censeri occultum, quando innotuit maiori parti oppidi, vel viciniae, vel collegii; dummodo ibi decem saltem commorentur personae (1). Et Cardin. Lambertinus (2) cum Tiburtio Nav. Siro, etc. (loquendo de impedimentis occultis matrimonii, ubi currit eadem regula) asserit haberi pro occulto impedimentum illud quod innotuit septem vel octo in aliqua civitate, et sex in aliquo oppido. Et idem Fagnan. *in* 1. *part. tertii Decretal. cap. Vestra, de cohab. Cler.* etc. *n.* 118. testatur S. Poenitentiariam habere pro impedimento occulto illud quod quatuor, aut quinque tantum personis sit notum. Immo mihi constat S. Poenitentiariam dispensasse in quodam impedimento quod decem circiter personis innotuerat (3). Praeterquam quod (ut diximus *Tr.* 18. *n.* 77.) idem Fagnanus affirmat tunc delictum vel impedimentum non censeri occultum, quamvis duobus testibus notum, quando in concessione absolvendi, aut dispensandi extat clausula; *dummodo sit omnino occultum.*

34. Dubitatur hic 1. utrum Episcopus possit generaliter delegare aliis sacerdotibus hanc Tridentini facultatem? Quoad dispensationem irregularitatum, sufficit (ut dicunt Suar. Barb. Sanchez, aliique) quod Episcopus simpliciter aliis suam facultatem committat, sine ulla speciali deputatione, quoniam praefata dispensandi facultas vigore Concilii competit hodie Episcopis de potestate ordinaria, cum ea adnexa sit officio Episcopi, non vero industriae personae. Quantum autem ad absolutionem casuum, quidam affirmant requiri specialem deputationem pro quocumque casu particulari, attentis verbis Tridentini, *per se, aut Vicarium ad id specialiter deputandum.* Verum hoc non obstante, communissima sententia est et probabilior cum Suar. Sanch. Barb. Navar. Laym. La-Croix Salm., etc. posse Episcopum etiam generaliter delegare alicui sacerdoti hanc facultatem *cap. Liceat,* dummodo expresse illam specificet; quoniam specificando iam habetur ut facta specialis deputatio, quae recte quidem poterit inde generalis esse pro cunctis casibus occurrentibus; nam ut diximus, haec facultas hodie competit Episcopis *de iure ordinario* utpote adnexa dignitati episcopali (4).

35. Dubitatur 2. utrum Episcopus absolvere possit, aut delegare vigore *cap.* 6. *Liceat,* facultatem absolvendi etiam a casibus reservatis cum censuris ab aliis Episcopis, quando sunt occulti? Bonac. et alii affirmant ob particulam *etiam* quae in eodem capite legitur: *In quibuscumque casibus occultis etiam Sedi apostolicae reservatis.* Unde aiunt, ne particula *Etiam* inutiliter videatur apposita, intelligendam esse concessam Episcopis facultatem absolvendi etiam censuras occultas ab aliis Episcopis sibi reservatas (5). Sed nos negamus ob duas declarationes S. C. Concil.; quarum una est 29. nov. 1712. altera 24. ianuar. 1711. apud *Thesaur. Resolut. S. C.* (tom. 1. pag. 392.). Praecipue vero vigore cuiusdam declarationis in simili casu per Benedictum XIV. emanatae die 2°. augusti 1752. quae incipit: *Pias Christifidelium,* in qua dicitur: *Huiusmodi... absolvendi facultatem, et praeterquam in casibus Nobis, et Sedi apostolicae dumtaxat non vero Ordinariis locorum reser-*

(1) l. 6. n. 593. v. hic autem.
(2) notif. 87. n. 45. in fin.
(3) l. 6. n. 1111. (4) n. 594. dubit. 9.
(5) n. 594. dubit. 8.

vatis... Et consequenter absolutiones contra praesentis declarationis nostrae tenorem, forsan de praeterito impertitas, aut in posterum impertiendas, nemini suffragari potuisse, sive posse decernimus, et declaramus (1).

36. Dubitatur 3. utrum facultas Tridentini intelligatur concessa Episcopis etiam pro casibus et irregularitatibus post Concilium reservatis? Garcia et Floronus apud Dianam negant, et inferunt ex quadam declaratione Gregor. XIII. in qua cum dubitatum fuisset utrum Episcopus posset absolvere Monialem frangentem clausuram ab excommunicatione (quando est occulta) a S. Pio V. reservata, Pontifex declaravit non posse. Attamen sententia communissima cum Sanch. Bonac. Suarez Bossio Dian. Vega, aliisque iure affirmat; in *cap.* enim *Liceat*, conceditur facultas indefinite: et secundum axioma generale; *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Neque obstat laudata declaratio, quia in Bulla S. Pii extabat clausula, *a qua, praeterquam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeat.* Unde prorsus non dubitamus cum Diana, quod per illas Bullas in quibus extat aliqua clausula derogatoria, ut est illa *nisi in mortis articulo*, intelligitur ablata Episcopis facultas (2).

Sic alias scripseram; sed postea, re maturius perpensa, inveni id communius ab aliis non approbari. Quapropter hic expono ambas sententias, quae adsunt super hoc punctum.

Dubitatum fuit, an Episcopi possint absolvere ab excommunicationibus Papae reservatis occultis, si in Bulla reservationis adsit clausula, *a qua, praeterquam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant?* Negat *Fagnanus in* 2. *part.* 1. *Decretal. cap. Dilectus* 15. *de Temp. Ordin. n.* 30. *ad* 34. quem sequuntur *Mattheucci Offic. Cur. cap.* 11. *n.* 21. *Santarell. de Haeresi cap.* 5. *dub.* 1. *n.* 1. cum aliis. Hoc dicunt ex quodam Decreto S. Cong. approbato a Greg. XIII. stante Bulla S. Pii V. *Decori*, etc. ubi reservata fuit excommunicatio violatae clausurae per illicitum egressum Monialis, cum clausula praedicta, *nisi in mortis articulo, etc.* Affirmant vero *Nav. tom.* 3. *lib.* 5. *de Sent. Exc. Consil.* 43. *Diana part.* 7. *tr.* 2. *de potest. Episcop. resol.* 20. *Sanchez in Decalog. lib.* 6. *c.* 15. *n.* 76. *Suarez de Cens. tom.* 5. *disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 8. *et seq. Bonac. de Cens. disp.* 1. *quaest.* 22. *punct.* 2. *n.* 2. ubi late de decreto Tridentini, et *tract. de Clausura q.* 1. *punct.* 5. *n.* 1. *Thesaurus de poenis* 2. *p. praxis verb. Clausuram violans cap.* 8. *verb. Absolvere, Tamb. de Iure Abbatissar. disp.* 19. *q.* 5. *n.* 1. *Pelliz. de Monialibus c.* 5. *sect.* 2. *n.* 28. *Pignatelli tom.* 10. *consult.* 100. *n.* 25. *Monacell. part.* 1. *in Append. adnotat. ad Constit.* 8. *S. Pii* V. *n.* 4. *Felix Potestas tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3511. *Roder. tom.* 1. *q.* 24. *art.* 19. *Toletus in Summa lib.* 1. *cap.* 41. *n.* 7. *Vincentius Candidus Magister sacri Palatii tom.* 1. *disquisit.* 3. *art.* 28. *Donatus prax. rer. Regul. tom.* 4. *tr.* 4. *q.* 8. *n.* 9. *Lezana verb. Clausura. n.* 20. et plurimi alii, qui dicunt, quod si casus sit occultus, bene potest absolvere Episcopus, vel alius ab eo facultatem habens absolvendi, ex praefato *cap. Liceat* 6., tum quia de Decreto allato S. C. et Declaratione Greg. XIII. non constat authentice; tum quia testantur auctores citati in praxi oppositum servari, cum revera Episcopi passim absolvant ab huiusmodi excommunicationibus occultis. Haec omnia notavi ex *Bibliotheca p. Ferraris T. V. verb. Moniales, art.* 3. *n.* 20.

37. Dubitatur 4. utrum Episcopus vigore *c. Liceat* possit absolvere ab excommunicatione papali quam per Bullam N. SS. P. Benedicti XIV. *Sacramentum*, incurrunt confessarii

(1) v. in opere de syn. l. 5. c. 5. n. 9.

(2) lib. 6. n. 594. Dubit. 7

absolventes suos complices in peccato turpi? Ex parte una videtur quod non possit, quia cum casus iste per se sit occultus, si Episcopi possent ab illo absolvere, evaderet inutilis Pontificis reservatio; et iam diximus n. 17. quod intelligitur tacite revocatum omne privilegium, quando aliter lex emanata post privilegii concessionem non posset suum effectum sortiri. Ex alia posset quis respondere quod salva Episcopis iam dicta facultate, memorata reservatio non remaneret prorsus inutilis, tum quia evenire potest quod casus aliquando publicus fiat; tum quia reservatio ista saltem Romae suum semper sortietur effectum, et in omnibus aliis locis, in quibus Trid. non est receptum, et in quibus (ut diximus n. 30.) nequeunt Episcopi hoc privilegio gaudere.

38. Dubitatur 5. utrum Episcopis vigore Bullae *Coenae* ablata fuerit praefata Tridentini facultas respectu haeresis occultae, et respectu aliorum casuum per ipsam reservatorum? Negant Nav. Coninc. aliique, a quibus non dissentiunt Milante Concin. et Salm., dicentes quod in Bulla non fuerit expresse revocata concessio Tridentini quemadmodum oportebat ex *cap. Nonnulli de Rescript.* Sed nos cum sententia communiori affirmamus, et ob plures S. C. Declarationes, tam vigore clausulae derogatoriae, *nisi in mortis articulo*, quae in Bulla iam legitur, ut diximus antecedenti *n.* 36. quam vigore alterius clausulae qua prohibetur ab illis absolvere; *praetextu quorumvis indultorum per nos, ac cuiusvis Concilii decreta concessorum*. Hac de re plures a Fagnano et Card. Lambertino (1) afferuntur declarationes etiam S. Pii V. Et Greg. XIII. Insuper ab Alex. VII. damnata fuit proposit. 3. quae dicebat quod prior sententia a S. C. fuerat *visa et tolerata*. Quae damnatio, ut recte dicunt Viva Holz. Elbel, et Praelaudatus Card. Lambertinus (2), certe reddit improbabilem contrariorum sententiam; nam cum Pontifex declaraverit nunquam illam fuisse toleratam, implicite quoque declaravit non esse tolerandam; unde Lambertinus concludit, quod non sine temeritatis nota quis ea hodie uti possit.

39. Advertendum tamen hic est, quod licet Episcopus in foro interno nequeat ab haeresi occulta absolvere, potest nihilominus tanquam delegatus apostolicus dispensare in irregularitate incursa ob dictam haeresim occultam, ut dicunt Salm. et Felix Potestas (3). Insuper bene potest Episcopus, ut delegatus apostolicus, absolvere haereticum etiam notorium quoad forum externum, facta prius abiuratione coram notario et testibus et postquam absolutus fuerit ab Episcopo delinquens, tunc poterit ipse absolvi a peccato haeresis a quolibet confessario; ita affirmant comm. dd (4).

40. Dubitatur 6. utrum Episcopus absolvere possit ab haeresi, et ab aliis casibus Bullae Coenae, impeditos ire Romam? Alii absolute negant; alii negant tantum in haeresi. Sed nos affirmamus communiter posse cum communi sententia theologorum et canonistarum, quam tenent Lug. Laym. Conc. Ronc. Castr. Milant. Salm. Coninc. Avil. Potestas Viva Pelliz., etc. quia stante impedimento, restituitur Episcopis potestas ordinaria, quam prius habebant super dictis casibus vigore *c.* 23., 29. et 58. *de sent. excom.*, ubi quamvis sermo habeatur tantum de censura ex percussione clerici, tamen commun. dd. extendunt ad omnes alias censuras, et specialiter ex *c. Eos qui* 22. *eodem tit.*, ubi generaliter sermo habetur de omni censura *Canonis*, vel *hominis*, et dicitur, cum ad illum, a

(1) de synodo l. 7. c. 32. (2) ibid.
(3) L. 7. n. 76. (4) Ronc. tr. 4. q. 1. c. 6. q. 4. p. 81. cum Farinac. et Castr. de Fide tr. 4 d. 4. p. 3. §. 2. n. 1. et 2. tum Sanch. Nav. Bannez. Gutti. Comit. Vivald. etc. ex Bulla, cum sicut Cl. VII. edita an. 1530.

quo fuerant absolvendi, nequeunt, propter impedimentum, habere recursum, ab alio absolvantur (1).

41. Et notandum hic 1. quod in tali casu impedimenti Episcopus non solum absolvere potest haeresim per seipsum, sed etiam per alios generaliter delegatos. Nec obstat Tridentinum in quo dicitur, quod *eis tantum non Vicariis sit permissum*, quia tunc Episcopus non absolvit in virtute Concilii, sed iuris communis, iuxta quod ex potestate ordinaria conceditur Episcopis absolvere, et delegare ut in aliis casibus (2).

42. Notetur 2. quod respectu eorum qui sunt impediti, veniunt senes, mulieres, infirmi, impuberes, pauperes, et illi qui aliquam habent inimicitiam, et omnes alii *qui habent alias iustas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusentur*, ut habetur ex *c. De caetero*, *de sent. excommun.*, et ex *c. Ea noscitur*, et *c. Quamvis*, *eod. tit.* In hoc autem advertatur, quod si impedimentum sit temporale, et est notabile (durans exempli causa sex, vel septem mensibus), tunc impediti possunt bene absolvi; sed ipsi, exceptis mulieribus et pueris, debent iuramentum praestare se praesentandi, cessante impedimento, Sedi apostolicae, saltem per procuratorem, ut ab illa directe absolvantur; et non se praesentantes reincident in eamdem censuram, ut habetur ex *cap. Eos qui*, *de sent. excomm. in* 6. Et hoc currit, etiamsi emendati sint, et partibus offensis satisfecerint (3).

43. Si vero impedimentum sit perpetuum (id est duraturum per decem annos, vel saltem quinque, ut dicunt Ronc. Viva et Tamb.) absoluti remanent penitus liberi ab obligatione se praesentandi. Sed generaliter loquendo, impediti in perpetuum dicuntur 1. filiifamilias. 2. Religiosi, etiamsi incurrerint censuram ante ingressum. 3. Senes septuagenarii. 4. Servi. 5. Pauperes. 6. Damnati in vita ad triremes vel carceres. 7. Infirmi morbo gravi et diuturno, ut quartana et simili. 8. Qui alere tenentur, vel ministrare bona familiae. 9. Omnes mulieres, etiamsi non Moniales (excepta excommunicatione quae incurritur a Monialibus ob fractionem clausurae, quamvis occultam, quae semper reservatur Papae ex declaratione Gregorii XIII. ut diximus *n.* 36.). 10. Impuberes, etiamsi peterent absolvi post pubertatem. 11. Qui convivunt in loco aliquo unde egredi nequeant, ut milites, seminaristae. Et tandem caeteri omnes qui nequeunt Romam ire sine gravi damno vel spirituali, vel temporali (4).

44. Notandum 3. quod taliter impediti secundum probabiliorem communemque sententiam Castr. Avilae Coninch. Milant. Ronc. Salm. Vivae Spor. Dic. aliorumque (contra Bon. et Potestatem), non tenentur recurrere Romam per procuratorem, aut per epistolam; quia stante impedimento (ut diximus *n.* 40.), restituitur Episcopis potestas ordinaria absolvendi, quae ipsis per pontificiam reservationem fuerat ablata. Eo magis quia lex ad aliud non obligat, nisi ad recursum personalem: unde qui personaliter Romam ire impeditur, solvitur omni alia obligatione (5).

45. Notandum 4. quod quando poenitens nequit se Pontifici praesentare, tenetur necessario ad Episcopum habere recursum, ut absolvatur a censura papali, ut habetur ex *cap. De caetero* 1. et *c. Ea noscitur de sent. excommun.* (quid vero dicendum sit in mortis articulo, vide *Tr.* 16. *n.* 97.). Quando vero nec etiam se potest Episcopo praesentare (etiam extra mortis periculum) est valde probabile cum Soto Nav. Suar. Castr. Laym. Ronc. Salm. La-Croix etc. quod absolvi possit a quocumque simplici confessario (cum obligatione tamen se praesentandi Episc., cessante impedimento), ut deducitur ex textu

(1) lib. 7. n. 84. (2) n. 90.
(3) n. 85. ad. 87.

(4) n. 88. (5) n. 89.

in c. *Nuper*, *eod. tit.* (1). Et tunc dicimus, quod poenitens probabiliter, per se loquendo, ut dicunt Castr. Gers. Sot. s. Antonin. Lug. Salas etc. non tenetur confiteri peccata reservata, nisi quando in illis est recidivus, aut ratione illorum extet in occasione proxima, adeo ut necesse sit illam manifestare, ut confessarius recte iudicare valeat de sua dispositione. Vide quod diximus *Tr.* 15. *n.* 27. *et* 28. *et Tr.* 16. *n.* 133. in fine (2). Et quando poenitens est in mortis articulo, probabiliter etiam praesente Episcopo absolvi potest a casibus papalibus a quocumque confessario; in morte enim (ut diximus) cessat quaecumque reservatio. Vide quae diximus *Tr.* 16. *n.* 96. *et* 97. Dicimus a *casibus papalibus*; sed non a casibus reservatis cum censura ab Episcopo; quoniam confessarius etiam moribundo iniungere debet, quod se praesentet suo Superiori casu quo convalescat, ut accipiat ab eodem tam convenientem admonitionem, quam poenitentiam ob censuras reservatas, quamvis absolutas, iuxta communem sententiam; unde quo modo potest inde absolvere Superiore praesente? (3). Sed transeamus ad reliqua privilegia et facultates quibus gaudent Episcopi.

46. II. Extant in iure quaedam excommunicationes, quarum absolutio tantummodo Episcopis est reservata. Et sunt 1. contra percutientes clericum, vel monachum, vel aliam personam habentem privilegium Canonis. 2. Contra procurantes abortum foetus animati. 3. Contra eos qui absolvuntur in mortis articulo a censura Episcopo reservata, et postea recuperata sanitate non curant se eidem praesentare. 4. Contra fratres minores admittentes in suis ecclesiis ad divina officia fratres tertii Ordinis. 5. Contra communicantes in eodem delicto cum excommunicatis ab Episcopo. 6. Reservantur tandem omnes excommunicationes quas Episcopus sibi reservat (4). Adnotanda autem hic sunt quaedam specialia circa absolutionem excommunicationis ob percussionem clerici. Ante omnia distinguenda est percussio levis a gravi (seu mediocri) et ab enormi. Ad incurrendam excommunicationem semper requiritur peccatum mortale. Percussio *levis*, ut habemus ex *Extrav. Perlectis* quam per extensum refert Navarr. (5), est quando intercedit simplex percussio quae fit manu, pede, baculo, et his similibus. *Gravis* quando eruitur dens, quantitas notabilis capillorum, aut quando intervenit aliqua percussio relinquens maculam, aut contusionem in carne, aut quando adest effusio sanguinis pugnis, vel ungulis causata. *Enormis* vero est, quando mutilatur aliquod membrum, aut fit aliquod magnum vulnus; aut vulnus fiat instrumento aliquo; aut adsit magna effusio sanguinis, aut quando irrogatur magna quaedam iniuria. Unde saepe vulnus ex levi potest evadere grave, aut enorme, ratione, aut dignitatis personae offensae, aut scandali, ut si Religiosus clericum percuteret: aut ratione loci sacri, aut publici: aut ratione temporis, ut si e. c. dum fiunt sacrae aliquae functiones, aut tandem si iniuria ipsa per se sit enormis (6).

47. His positis, habetur ex *Extravag. Perlectis* supra cit. quod si excommunicatio incurritur ob percussionem levem, potest absolvi ab Episcopo: immo etiam a suo Vicario; haec enim facultas competit Episcopo de iure ordinario, ut dicunt Sanchez Bonac. Molina aliique; et iuxta regulam generalem (ut diximus *num.* 31.) quicquid potest Episcopus ex iurisdictione ordinaria, non vero delegata, idem potest Vicarius, qui cum Episcopo constituit unum idemque tribunal, ut probant Fagnanus Sanch. aliique (7). Eadem excommunicatio probabiliter absolvi potest etiam ab

(1) l. 7. n. 92. (2) l. 6. n. 265. quaer. 2. (3) l. 7. n. 92. (4) n. 213.

(5) Manual. c. 27. n. 92.
(6) l. 7. n. 277. et 278. (7) n. 279

iis qui habent iurisdictionem quasi episcopalem, quique veniunt sub nomine Episcopi, ut diximus *num*. 31. Quod si percussio fuerit *publica*, excommunicatio tantum a Pontifice, aut a suo legato potest absolvi (potest etiam haberi recursus ad S. Poenitentiariam, ut notavimus *Tr*. 19. *n*. 148. *ad* 1.), sed non ab Episcopo: excipe si fuerit occulta, aut si percutientes essent impuberes, aut mulieres, ut ex *c. Pueri* et *c. Mulieres de Sent. excomm.*, aut si impedirentur Romam ire, iuxta ea quae diximus *n*. 40. Collegialiter conviventes possunt absolvi ab Episcopo, si percussio fuerit gravis, non vero si fuerit enormis, ut ex *cap. Quoniam, de vita et hon. cler.* (1).

48. Notandum hic 1. quod in dubio utrum percussio fuerit levis, an gravis, iudicatur gravis, ut habemus ex memorata *Extravag. Perlectis*, in qua dicitur: ***Potius in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere.*** Notandum 2. quod iuxta sententiam communiorem et probabiliorem, si aliquis det venenum clerico, tunc incurrit censuram, quando venenum coepit nocere, quia tunc adest iam violentia. E contra priusquam noceat, non adest violentia effectiva, sed solum actio apta ad causandam violentiam; ita Bon. Viv. Dian. etc. (2).

49. III. Quoad irregularitates non occultas, Episcopus ex *c*. 1. et *c*. 2. *de Filiis Presbyter.* potest dispensare cum illegitimis tantum ad recipiendos Ordines minores, et beneficia simplicia, et canonicatus in collegiatis, ut etiam portiones non integras in ecclesiis cathedralibus, aut alia beneficia quibus sacer Ordo non est adnexus; sed non ad beneficia curata, ut ex *c. Is qui, eod. tit.* In hoc conveniunt omnes. Dubitatur autem 1. utrum Episcopus possit dispensare ad canonicatum in ecclesiis cathedralibus? Et quidem cum probabiliori sententia, et communiori Bossii Castropal. Barbos. Concinae Salmanticensium etc. (contra Pontas et Tourn. cum Gibert) dicimus non posse; quamvis enim canonicatus in se sit simplex beneficium, tamen vigore Tridentini *sess*. 24. *c*. 12. est adnexus Ordini sacro; unde hodie de sua natura Ordinem sacrum requirit (3). Dubitatur 2. utrum Episcopus possit generaliter dispensare in huiusmodi irregularitatibus cum illegitimis occultis? Admittunt Diana Avila Barbosa etc. dicentes Tridentinum iam permittere Episcopis posse dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. Sed nos negamus cum Suar. Laym. Bonac. Castrop. Tourn. aliisque: quin et ipse Diana quoad hoc se retractavit, ex eo quia huiusmodi irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu; et etiamsi orietur ex delicto, *c. Liceat* intelligitur de delicto proprio, non alieno (4). Dubitatur 3. utrum Episcopus valeat dispensare cum illegitimo occulto, saltem ad ministrandum in Ordinibus maioribus iam susceptis? Affirmant Laym. Castr. et Diana, non solum si ille susceperit Ordines bona fide, sed etiam mala fide; et inferunt ex *cap. Nisi §. Personae, de Renunt.* ubi dicitur posse Episcopum dispensare cum illegitimo occulto qui culpabiliter est ordinatus. Verum omnino negandum est cum Suar. Fill. Salm. etc. ex rationibus supra allatis, quod Episcopus nequeat dispensare circa Ordines maiores. Neque obstat citatus textus, quia illud posse dispensare intelligitur omnino de Papa; ibi enim sermo est de quodam Episcopo hoc modo perperam ordinato (5).

50. Asserunt Navarrus Sanchez Concina aliique cum d. Thoma posse Episcopum dispensare etiam cum bigamo ad suscipiendos Ordines maiores et beneficia simplicia. Sed nos negamus cum Suarez Layman Castr. Tournely Barbosa Bonac. etc. vigore cuiusdam declarationis Sixti V. in qua Pontifex declaravit suspensum

(1) l. 7. n. 279. (2) n. 280. (3) n. 428 et 429. (4) n. 430. (5) n. 431.

quemdam Episcopum ex eo quia contulerat beneficium cuidam bigamo, addiditque Ordinatum incurrisse poenas, utpote perperam promotum (1). Si vero bigamia sit similitudinaria, quamvis ea sit publica, communissima est sententia cum Toleto Suar. Castropal. Sanch. Salmantic. Tourn. aliisque compluribus, posse Episcopum dispensare etiam quoad susceptionem maiorum Ordinum, et probatur ex *cap. 4. de Cler. Coniugat.* et *cap. 1. Qui Cler. vel Vov.* Excipiendum vero communiter si clericus habuerit in uxorem viduam aliquam, aut aliam non virginem: aut si habuerit aliam uxorem ante Ordinationem (2).

51. IV. Ut diximus ab initio, potest Episcopus dispensare in irregularitatibus incursis ob delictum occultum; excepto homicidio voluntario. Circa hoc aiunt quidam doctores, quod his non obstantibus, si homicidium esset taliter occultum, ut nullo modo in iudicio probari posset, tunc posse Episcopum dispensare. Verum haec sententia iure fuit a Salm. reprobata, a Roncaglia etc., quia ex parte una Episcopi nihil possunt super irregularitatibus praeter id quod ipsis a Tridentino concessum est in eodem *c. Liceat*, in quo expresse excipitur homicidium voluntarium occultum. Quod vero nomine *occulti* intelligatur, ut volunt contrarii, id quod in iudicio probari potest, licet non adhuc probatum sit; id gratis omnino asseritur (3). Atque ita declaravit S. C. Concilii die 21. maii 1718. In ea enim cum propositum esset utrum Episcopus posset dispensare in quodam homicidio perpetrato a quodam puero, qui ludens cum alio puero, istum parvo gladiolo vulneraverat, et qui post quadraginta dies ex eodem vulnere mortuus est; ea scilicet ratione, quia delictum istud per decem et octo annorum spatium fuerat occultum; et quia erat moraliter impossibile ut ad forum deduceretur, S. C. respondit: *Negative. In thesaur. Declarat. S. C. pag.* 85. Caeterum communis sententia est posse Episcopum dispensare, quando immineret periculum animae, aut alia causa gravissima, et difficile esset ad Pontificem habere recursum (4). Insuper communiter asserunt Suarez Castrop. Bonac. Salmanticenses aliique, posse Episcopum dispensare in irregularitate per mutilationem occultam (5). Insuper est sententia communissima cum Nav. Sylv. Laym. Bar. etc. posse Episcopum dispensare in irregularitate ob homicidium casuale, non modo occultum, sed etiam notorium, ad suscipiendos Ordines minores, et beneficia simplicia; hoc enim antiquitus iam poterant Episcopi, ut plures dd. testantur; et Tridentinum excepit tantummodo homicidium voluntarium, non casuale, quamvis publicum (6).

52. Homicidium vero casuale e. c. est, si aliquis volens simpliciter percutere, ob negligentiam occidat, aut si chirurgus ob negligentiam sit causa mortis, et his similia. Dubitatur inde utrum reputetur casuale homicidium commissum in rixa? Multi affirmant ut Diana Salmant. cum aliis; sed nos negamus cum sententia communiori Suarez Navarri Conc. Tamb. Spor. aliorumque cum eodem Diana qui se retractat; nam qui in rixa perpetrat homicidium, iam voluntarie occidit (7). Vide quae diximus *Tr.* 19. *n.* 108. Attamen est valde probabilis, et communissima sententia cum Suar. Laym. Nav. Tourn. Bon. et La-Croix (qui eam communem vocat) posse Episcopum dispensare cum eo qui occidit ob propriam defensionem, sed in defensione aliquantum excedit; nam huiusmodi homicidium nequit dici absolute voluntarium.

53. V. Quoad inhabilitates iniunctas a Pontificibus in poenam, dubitatur utrum Episcopus possit dispen-

(1) Apud Fagnan. in c. Quoniam de const. n. 32. (2) l. 7. n. 452. (3) n. 392.

(4) n. 391. (5) n. 381. (6) n. 393. (7) n. 394.

sare: talis v. g. est inhabilitas ad recipienda beneficia, imposita a Sixto V. in sua Bulla *Effraenatum*, procurantibus abortum, et inhabilitas ad celebrandum a Benedicto XIV. iniuncta confessariis sollicitantibus, in sua Bulla, *In generali Congregatione*. Negat Anacletus, et dubitat Roncaglia loquendo de abortu; verum Elbel et Spor. admittunt absolute ob regulam communiter receptam (ut dicunt) a Scoto s. Bonav. aliisque, quod dispensatio ab omnibus poenis impositis a iure communi, et Pontifici specialiter non reservatis, intelligitur concessa Episcopis, ut colligitur ex *cap. Nuper* 27. *de Sent. exc.* Vide quae diximus *Tr.* 2. *de Leg. n.* 58. (1).

54. VI. Circa materiam matrimonii Episcopus habet varias dispensandi facultates. Dispensare enim potest in publicationibus, sed de hoc iam dictum est *Tr.* 18. (cum sermo fuit de matrimonio) *n.* 58. Insuper dispensare potest in voto castitatis emisso a coniugibus; de quo iam satis ibidem *n.* 54. Videndum nunc superest utrum Episcopi habeant aliquam facultatem circa impedimenta dirimentia.

55. In impedimentis dirimentibus solum Pontifex potest dispensare. Quod si impedimentum esset dubium, communissima est sententia posse etiam Episcopum dispensare: ita dicunt Sa Merbes. Tourn. Diana Pichler etc.; et quamvis Sanch. in *Tr. de matrimonio* (2) id neget; tamen in Decalogo (3) videtur se retractasse; ibi enim ait tanquam ex regula generali: *Cum dispensationis reservatio sit odiosa, est restringenda ad casus certos; dubii enim non comprehenduntur sub reservatione*, ut asserit probasse antea *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 74. (4).

56. E contrario quando impedimentum dirimens esset certum, et matrimonium iam fuisset contractum, est communis sententia posse Episcopum in eo dispensare quoties non facile possit haberi recursus ad Pontificem, et quoties immineret periculum scandali, aut infamiae si coniuges separarentur, aut incontinentiae, si non separarentur: ita Sanch. Castr. Conc. Merbes. Tourn. Cabass. Nat. ab Alex. Bonac. Barb. Salmant. etc. contra quosdam paucos (5). Sed advertunt hic La-Croix et Felix Potestas, quod si dispensatio potest commode obtineri a S. Poenitentiaria, et coniuges essent in bona fide, tunc illa est expectanda, et interim sponsi sunt relinquendi in sua bona fide iuxta id quod diximus *Tr.* 16. *n.* 113. Insuper advertendum est cum Pontio Castr. Barb. Escob. Sanch. Salm. aliisque communiter, non posse Episcopum, si ambo coniuges mala fide contraxerint, tunc enim, si daretur locus huiusmodi dispensationi, daretur ansa celebrandi quotidie matrimonia nulla sub spe dispensationis. Praeterquam quod Tridentinum, *sess.* 24. *c.* 5. vult omnino privari quacumque spe dispensationis quicumque scienter contrahit in gradu prohibito. Notandum tamen cum Sanch. Salm. Bann. Conc. Aversa etc. quod ad constituendam in hoc casu malam fidem, oportet ut contrahens non modo scienter factum commiserit, quod scilicet cum coniuncta contraxerit, sed insuper quod sciverit extitisse impedimentum; imo quod de eo veram notitiam habuerit. Concilium enim inquit: *Scienter praesumpserit.* Unde cum ignorantia crassa potest quidem dispensari. Deneganda est insuper dispensatio ei qui contraxit, sed ex malitia publicationes praetermisit, ut habetur ex eodem Concilio loco citato (6).

57. Si vero matrimonium non adhuc contractum sit, probabilissima quoque adest sententia, et est com-

(1) vide l. 1. app. 2. n. 53. et l. 6. n. 705. in fin. et l. 7. n. 353.
(2) Sanch. l. 8. d. 6. n. 18.
(3) l. 4. c. 40. n. 26. (4) vide opus nostrum l. 6 n. 902 v. caeterum.
(5) n. 1123. (6) n. 1124.

munis quod possit tunc Episcopus dispensare in impedimento dirimenti, quando imminet periculum infamiae, et facilis non est recursus ad Pontificem; ita Suarez Pign. Pont. Conc. Cabass. Castrop. Salm. Bonac. Card. Sylvius La-Croix Viva etc. cum Bened. XIV. (1), contra rigidissimum Fagnan. qui id negat etiam in mortis articulo, et in necessitate legitimandi prolem: sed alii communiter aiunt tunc praesumi aut quod Pontifex deleget Episcopo suam dispensandi facultatem, vel quod in casu tantae necessitatis cesset dispensationis reservatio; et quod tunc Episcopus dispenset ex potestate sua ordinaria (2). Immo asserit Pignatel. probatque (3) in tali casu cessare non modo reservationem, sed etiam legem impedimenti, utpote eam, quae iam perniciosa evaserit; cum certum omnino sit legem nocivam non obligare; ut docent omnes cum d. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncagl. et Instructor nov. Conf. (ut iam diximus *Tract.* 16. *n.* 114.) quod adveniente casu quo sponsi iam ad ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestaret confessario impedimentum occultum iam contractum tamquam peccatum, et sine scandalo, aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc confessarius declarare eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi. Verum ad maiorem cautelam consulunt, ut obtineatur inde dispensatio a S. Poenitentiaria (4). Sed advertendum est hoc currere, quando Episcopus esset absens; quando etenim fieri potest, necessario ad ipsum est recurrendum ut dispenset, iuxta ea quae diximus *n.* 45. Dicunt autem Sambovius et Gibert, quod si contrahentes sint diversarum dioecesium, quisque sponsus debet a proprio Episcopo dispensari. Verum probabiliter id negat Honoratus Tourn. cum aliis, quia sublato per Episcopum impedimento sui subditi, iam hoc ipso reddit habilem ad contrahendum cum alio impedito; quemadmodum qui habet facultatem dispensandi in aliquo gradu, eo ipso quod dispensat cum uno ex sponsis, dispensat etiam cum alio (5).

58. Quaeritur utrum Episcopus possit aliis delegare hanc facultatem dispensandi in impedimentis dirimentibus in supra narratis casibus? Quidam pauci negant; sed communiter affirmant Castropal. Bonac. Barbosa Silvest. Sanchez Pontius Coninchius Salmant. Escob. etc. Et potest eam delegare non modo in particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, ut aiunt Sanch. Castrop. Salmant. Bonac. Elbel Valentia Vasq. Salas Henriq. Coninch. Guttier. etc. Cum enim huiusmodi potestas non industriae personali, sed episcopali officio sit adnexa, ipsa iam reputatur ordinaria, et ideo recte potest delegari, ut notavimus *n.* 34. Et tanto magis idem dicendum de omnibus aliis facultatibus quas habent Episcopi circa publicationes, et impedimenta impedientia. Advertendum tamen quod hanc facultatem dispensandi non habent Vicarii Episcoporum sine eiusdem speciali commissione; diximus enim *n.* 31. quod in generali commissione vicariatus non committitur facultas illa, quam habent Episcopi dispensandi in huiusmodi casibus, ob praesumptam Pontificis voluntatem (6).

59. VII. Episcopus dispensare potest in interstitiis a Tridentino praescriptis quoad Ordinationem clericorum. Et 1. quoad Ordines Minores, Concilium remittit prudentiae Episcopi huiusmodi dispensationem, dicens: *Minores Ordines... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur, sess.* 23. *c.* 11. *de Reform.* Quare etiam inter Ordines minores (per se

(1) de Synodo l. 9. c. 2. n. 2.
(2) vide l. 6. 1122. et fusius eodem l. n. 613. (3) tom. 3. consult. 33. n. 6.
(4) l. 6. n. 613. (5) n. 1142.
(6) n. 613. et fusius n. 1125.

loquendo) debet aliquid temporis intercedere, scilicet vel ab una generali ordinatione ad aliam, ut quidam asserunt, vel ab uno die festo ad alium, ut quidam alii affirmant. Caeterum, ut dispensetur in huiusmodi interstitiis, quaevis sufficit causa, ut plurimi dd. docent. Inter primam vero Tonsuram et Ordines minores probabilius nullum requiritur intervallum, quia probabilius prima Tonsura non est Ordo. II. Quoad subdiaconatum, Concilium requirit annum intervalli a susceptis minoribus Ordinibus, sed subdit inde: *Nisi necessitas, aut ecclesiae utilitas, iudicio Episc. aliud exposcat, cit. c.* 11. To *ecclesiae* intelligendum de ecclesia in qua clericus est adscriptus; ut constat ex *cap.* 2. 3. A subdiaconatu ad diaconatum etiam annus requiritur, sed in hoc potest Episcopus ex quacumque rationabili causa dispensare, inquit enim Concilium: *Nisi aliud Episcopo videatur, sess.* 23. *c.* 13. IV. Tandem a diaconatu ad sacerdotium annus item requiritur, sed magis rigorose: exigit enim Concilium non modo ecclesiae utilitatem, sed etiam necessitatem, dicens: *Ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiae utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ib. c.* 14. (1).

60. VIII. Episcopus potest etiam dispensare ad celebrandum in alio altari, aut ecclesia non destinata a fundatore, quando adest aliqua iusta causa: e. c. si hoc ad eiusdem ecclesiae utilitatem redundaret; aut si capellanus morbo detineretur, aut studiis operam daret, vel aliis negotiis; aut si sine magna molestia ad ecclesiam destinatam se conferre nequiret, aut ex similibus aliis rationabilibus causis; ita communiter asserunt Castropal. Concina La-Croix Salmant. Barbosa Ronc. Passerinus Henriq. Tambur. Mazz. aliique; tunc enim Episcopus (recte potest, iuxta ea quae diximus n. 68.) fundatoris voluntatem interpretatur. Merito tamen excipit La-Croix cum Pasqualigo, si fundator ecclesiam designasset et horam ob commodum speciale familiae, vel populi, vel ad cultum alicuius Sancti peculiarem; contra de Lugo et Tournely aiunt, quod si fundator nullum circa hoc finem habuerit, aut si finis iam cessaverit; sacerdos alibi celebrans nonnisi venialiter peccat, imo excusatur ab omni culpa si celebret in altari privilegiato; quia tunc redundat in maius bonum eiusdem fundatoris (2).

61. IX. Potest insuper Episcopus dispensare iustis de causis tam secum, quam cum aliis ad celebrandum post meridiem, ut dicunt Lugo Wigandt Navarr. Castrop. Layman Salm. etc. (3).

62. X. Olim ex *can. Missarum* 11. *de Consecr. Dist.* 1. poterant etiam Episcopi celebrare vel per se, vel per alios sacerdotes in quocumque loco, etiam in privatis domibus. Sed postea a Tridentino, *sess.* 22. *in decr. de celebr. Miss.* etc. vetitum fuit Episcopis celebrandi licentiam impertiri in aliis locis, praeterquam in oratoriis ab eisdem benedictis, et ad sacros usus destinatis, quae censentur tanquam publica, unde ibidem potest quotidie celebrari. Huiusmodi oratoria debent habere ianuam ad viam publicam; sed hoc non est intelligendum de illis quae in Regularium domibus sunt erecta, aut alicuius communitatis, ut esset in seminariis, conservatoriis, hospitalibus vel in carceribus, quae non requirunt ianuam secus viam; et rite potest in diebus solemnibus, quemadmodum S. C. declaravit. Idem dicendum de oratoriis quae habent Episcopi in suis domibus etiam campestribus extra proprias dioeceses (4).

63. Insuper Episcopi olim ex *cap. ult. de privil. in* 6. cum a suis dioecesibus essent absentes, poterant celebrare per se vel per alios in quacumque domo extra propriam habitationem, Sed Clemens XI. abstulit

(1) vide l. 6. n. 795. (2) n. 329.

(3) n. 344. in fin. (4) n. 352.

ipsis huiusmodi facultatem: verum Innocentius XIII. iterum illam restituit in sua Bulla *Apostolici ministerii*, sub die 3. maii 1723. in qua dixit quod prohibitio non erat intelligenda de domibus in quibus morarentur Episcopi *occasione visitationis, vel itineris, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a iure permissis absentes moram faciunt in aliena domo*. Atque hoc confirmatum fuit per aliam Bullam Benedicti XIII. Sed cum hoc privilegium sit personale Episcopi, ideo advertit Tamburinus, alios sacerdotes, absentibus Episcopis, non posse in dictis domibus celebrare (1).

64. Dubitatur utrum Episcopus possit aliquando dispensare, ut celebretur Missa in domibus privatis? De iure ordinario nec est nec fuit unquam permissum celebrare, nisi in locis sacratis, iuxta *can. Sicut* 11. *Dist.* 1. *de Consecr.* Excipitur tamen primo casus necessitatis, ut in eodem textu habetur. Casus autem hi necessitatis sunt 1. Si ecclesiae sunt dirutae, ut dicitur in *c. Concedimus Dist.* 1. *de Cons.* 2. Si aliquis sacerdos diu peregrinetur per loca deserta, aut infidelium, ut ex *eod. c. Concedimus.* 3. Quando ecclesia populum non capit. 4. In castris, et in littore maris, si aliter plures carere deberent Sacro. Ita communiter dd. qui citantur a Card. Petra et a Salm. (2). Et hisce casibus quisque sacerdos celebrare potest in altari portatili extra ecclesiam. Advertit tamen Layman (3) cum Suarez et Soto, quod si Episcopus non adest, decet ab ipso licentiam impetrare. Insuper advertit Castr. (4) quod cum casus necessitatis est dubius, potest Episcopus dispensare, iuxta dicta *Tr.* 2. *n.* 57.

Praeterea excipitur, cum Episcopus dispensat ad celebrandum extra ecclesiam in aliquo casu particulari ex iusta causa: nam licet hodie Episcopi careant facultate impertiendi hanc licentiam eorum arbitrio, quam olim habebant; ut apparet ex *c. Missarum, Dist.* 1. *de Cons.* ubi permittebatur celebrari *in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit*, et ex *c. Hic ego, ibid.* ubi: *In locis in quibus Episcopus proprius iusserit.* Et clarius expressum fuit *cap. in his* 30. *de Privil.* ubi Honorius III. decrevit fratres Franciscanos et Dominicanos vigore privilegii apostolici bene posse facere Sacrum in altari portatili sine licentia Episcopi loci, ratione adducta, quia alioquin inutile privilegium evasisset, cum sine ipso bene celebrare potuissent extra ecclesiam solo Ordinarii permissu. *Cum autem* (verba Pontificis) *nihil eis conferret memorata indulgentia, sine qua id, Praelatis annuentibus, liceret.* Unde merito asserit p. Suarez (5) cum Silvestro Soto et Navarro, olim Episcopos hac facultate pollere indulgendi, ut in privatis aedibus celebraretur permanenter et sine ulla necessitate: *Quia illa* (ait Suarez) *non erat dispensatio, sed usus propriae potestatis.* Licet, dico, haec facultas ablata est Episcopis a Tridentino, *sess.* 22. *in Decr. de observ. in cel. Miss.* ubi dictum fuit: *Neve patiantur* (Episcopi) *privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi.* Attamen communiter dd. consentiunt id intelligi quoad licentiam celebrandi permanenter *per modum habitus*, iuxta facultatem quam prius habebant; sed minime ipsis vetitum fuit hanc licentiam concedere ad tempus *per modum actus*, si iusta adsit causa; ita p. Suarez *loco cit, vers, secundo in fine*, ubi post casum ex-

(1) l. 6. n. 358. (2) Petra tom. 4. in Const. 2. Urb. V. n. 31. Salm. tr. 5. de Miss. Sac. c. 4. ex n. 50. et seqq. (3) Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 3.

(4) Cast. t. 22. de Sacr. Miss. d. 1. p. 8. n. 5. (5) Suarez t. 3. in 3. d. Thom. part. disput. 81. sect. 3. vers. secundo.

ceptum necessitatis, sic ait: *Item, quia facultas haec est per modum dispensationis; Concilium autem ab Episcopo non abstulit potestatem rationabiliter dispensandi, quam habet in huiusmodi rebus, maxime cum revera sit moraliter necessaria.* Demum addit: *Tandem usus hoc confirmat, quia ita fit sine ullo scrupulo.* Idem dicit Bonacina (1): *Episcopus potest in casu aliquo, iusta concurrente causa dispensare ut Missa extra ecclesiam in loco honesto celebretur, ita Reginald. Beia, et Cenedo.* Deinde *se remittit ad dicta alibi* (2), ubi scripsit bene posse Episcopum dispensare in legibus canonicis quoad res quae frequenter eveniunt, et dispensatione indigent; vel cum occurrit aliqua gravis necessitas, vel gravis utilitas, nec de facili Sedes apostolica adiri potest. Idque conforme est ad ea quae diximus *Tr.* 2. *n.* 58. Idem scribit Barbosa (3): *Concilium loquitur de communi modo celebrandi non vero abstulit Episcopis potestatem rationabiliter dispensandi, stante necessitate, vel iusta causa.* Idem scribit Escobar. (4): *Talis autem dispensatio cum rationabili causa non debet inter abusus recenseri; unde potest Episcopus hanc concedere facultatem (celebrandi extra locum sacrum) quando persona nobilis ratione senectutis vel infirmitatis nequit adire ecclesiam ut Missam audiat, et Eucharistiam recipiat.* Idem scribit Laym. (5): *Non videtur haec potestas ablata* (Episcopis), *occurrente casu necessitatis dispensandi aut semel, aut saepius, quatenus rationabilis causa suaserit; in loco honesto profanis usibus destinato, super altari sacrato Missam celebrare liceat.* Idem scribit Holzman (6): *Excipiendus est praeterea casus, quo Episcopus rationabili ex causa dispensat, ut in privatis aedibus, v. g. alicuius infirmi, super altari portatili celebrari possit.* Idem scribunt alii plures, ut Salmanticenses Elbel et La-Croix (7) cum Coninch. Rodr. Pasq. Quarti Diana Marcant. Hurtado et Fagund. Itaque praefata sententia merito quidem communis dici potest. Et advertatur quod, cum a citatis dd. nominetur *necessitas* respectu ad dispensationem hanc, non sumitur pro necessitate celebrandi, talis enim necessitas non eget dispensatione, ut scripsimus supra in prima exceptione notata, sed intelligitur necessitas celebrandi, vel audiendi Missam extra ecclesiam, cum subsit iusta causa celebrandi.

Neque hic obstat Decretum Clementis XI. quod opponit p. Mazzotta, sicut nec etiam obstant Decreta Pauli V. et Urbani VIII. quibus praefata dispensatio vetatur Episcopis; quia illa intelliguntur, prout intelligitur Decretum Tridentini, ubi inquiunt Escobar. et Salm. *n.* 58. cum Philiberto Hurtado Navar. Quintanad. Diana Fagund. id est, de dispensatione per modum habitus, non iam per modum actus ad tempus pro aliquo casu particulari, existente iusta causa dispensandi. Et quoniam post Concilii Decretum non defuerunt aa. ut Soto et Emmanuel Sa, qui dixerunt non esse gravem culpam celebrare extra ecclesiam, si celebretur in loco honesto; imo Soto scripsit, ut refert p. Suarez (8), nullam in eo adesse culpam, semper ac Missa clam dicitur, ita ut omne scandalum absit; ideo censeo relatos Pontifices id prohibuisse Episcopis Decretis clarioribus et urgentioribus.

Deinde dubitatur, per quot vices haec dispensatio concedi possit. Salm.

(1) Bonac. de Euch. d. 4 q. ult. punct. 9. n. 11. (2) Bon. de leg. d. 1. q. 2. p. 1. n. 19. v. secundo et tertio. (3) Barbosa de Pot. Ep. Alleg. 23. n. 9.
(4) Escob. t. 3. de Euch. c. 6. n. 85. (5) Laym l. 5 tr. 5. c. 5. n. 2. [illegible]
(6) Holzm. t. 2. de Euch. c. 2. n. 370. v. Excip. praet. (7) Salm. de Sacrif. Miss. tr. 5. c. 4. n. 56. Elbel. Th. Mor. eod. tit. p. 136. n. 233. Croix l. 6. p. 2. n. 263. (8) Suarez in 3. p. to. 3 dist. 81 sect. 3 in princ.

dicunt semel, vel bis; sed alii, ut Suarez Laym. Bon. Escob. Holzman. et Elbel cum Pasq., etc. indefinite loquuntur, et intelligunt posse dari, durante illa infirmitate, aut alia causa accidentali. Et non sine ratione indefinite loquuntur, cum prohibitio dispensandi intelligitur facta, ut supra ostensum est, tantum quoad dispensationes permanentes, non vero ad illas, quae impertiuntur ad tempus propter aliquam causam transeuntem, et certum est prohibitiones tanquam odiosas stricte esse interpretandas. Accedit insuper quaedam declaratio, quam affert de hoc Gallemarte (1), ubi sic dictum fuit: *Permittit Pontifex Ordinarii arbitrio, necessitate personarum, et infirmitatis qualitate pensata, ut pro infirmorum commoditate etiam in privato oratorio, vel altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.* Idemque admittit Card. Petra (2) dicens, licere Episcopo licentiam concedere celebrandi domi alicuius insignis personae aegrotantis, ut Missam audiat, et Communione fruatur. Accedit quod Honorius III. in cit. *cap. in his* 30. *de privil.* loquens de facultate celebrandi, dixit in hac re, *benignam potius interpretationem faciendam.* Atqui si huiusmodi licentia impertiri potest ab Episcopis pro saecularibus infirmis, ne Missa careant, ut supra dictum est; tanto magis concedi potest sacerdotibus, qui habent quamdam necessitatem saepe celebrandi, ut infertur ex Tridentino sess. 23. cap. 14. *de Reform.* ubi dicitur: *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis, et festis solemnibus... missas celebrent.* Quapropter nescirem ipse a veniali culpa excusare sacerdotem, qui valens quotidie celebrare (praeter unum diem in hebdomada ob reverentiam) omitteret ex pigritia Sacrum facere; quandoquidem sacerdos non tantum celebrat pro se, sed etiam pro tota Ecclesia, cuius minister est constitutus, et pro toto populo christiano, pro quo in altari intercessor adest, ut declaravit Apostolus: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et Sacrificia pro peccatis. Hebr.* 5. 1. Hinc oritur, prout dicebam, quaedam necessitas, quam sacerdos habet celebrandi; ac propterea facilius Episcopi concedere possunt sacerdotibus in aedibus propriis licentiam celebrandi, durante eorum aegritudine.

65. 11. Satis sit quod super hoc puncto dictum est. Ad alia transeamus. In *cap. fin. Ne pro dilatione de poen. et remis.* legitur concessum Episcopis extra propriam dioecesim commorantibus, Praelatisque minoribus exemptis, quo nomine veniunt Abbates et Superiores locales, et etiam Praelati romanae Curiae, ut pronotarii, auditores Rotae, etc. (ut dicunt Suar. Lugo Diana, etc.) posse sibi eligere confessarium, sine aliqua Ordinarii illius licentia. Sed S. C. declaravit (quod confirmatum est a Greg. XIII. apud Fagnanum) hoc intelligendum esse quod valeant sibi eligere aliquem sacerdotem sibi subditum: vel aliquem non subditum, sed a proprio Ordinario approbatum, id est ab Ordinario domicilii eiusdem sacerdotis, ut explicat Lugo (3). Eodem privilegio gaudent Cardinales, sed non alibi nisi Romae, ut inquit Fagnanus: et valent eligere in confessarium quemlibet sacerdotem tam pro se, quam pro sua familia, quem possunt etiam extra Romam perducere; quod etiam Episcopis est concessum (4).

66. 12. Episcopi sunt delegati Sedis apostolicae ad tuendam clausuram monasteriorum Monialium etiam exemptarum, earumque quae Regularibus sunt subiectae, ut demonstrabimus n. 80. Ex hoc inferunt de A-

(1) Gallem. in Trid. sess. 22. Decr. de observ. etc. n. 6. (2) Card. Petr. t. 4. in Const. 2. Urbani II. n. 32.

(3) vide l. 6 n. 565 v. dubitatur hic 1.
(4) ibid. v. dubit. 2.

lex. Bautrius Clericatus Pelliz., etc. (contra Dianam et Pasq.) quod bene quidem possunt Episcopi reservare sibi casus circa clausuram, atque ita declaravit S. C. Concilii die 16. nov. 1720 Quod est intelligendum etiam respectu Iesuitarum, etc. quidquid dictum fuerit *Tr.* 19. *n.* 43. vide inferius *n.* 80.

67. Omnes confessarii Monialium etiam exemptarum, debent ab Episcopo approbari, ut praescripsit Greg. XV. in Bulla *Inscrutabili*, quam confirmavit in omnibus Clem. X. cum alia Bulla *Inscrutabili* 7. Benedictus XIII. et nuper Clem. XII. qui in omnibus Gregorii Bullam innovavit (de qua infra *n.* 80.) etiam quoad ea quae Bened. XIII. contra Gregorii Bullam concesserat (1). Et ideo ait Tamburinus etiam Moniales exemptas incurrere casus ab Episcopo reservatos; quia sicut ille in approbatione limitare potest tempus et personas, ita etiam casus. Sed alii communius et probabilius (Pelliz. Quintanad. et de Alexand.) id negant, quia Moniales exemptae sunt extra iurisdictionem Episcopi; et approbatio confessarii respicit tantum eiusdem idoneitatem: tanto magis, quia in Bulla Clem. X. *Superna*, dicitur Episcopus posse limitare tempus, locum, et personas; et nulla fit mentio casuum (2). Verum hoc non currit quoad clausuram, circa quam bene potest Episcopus tam casum, quam censuram sibi reservare, ut diximus *Tr.* 19. *n.* 43. et iuxta quae dicemus *n.* 80. Insuper advertendum est, quod per Bullam *Pastoralis* Bened. XIV. potest Episcopus assignare confessarium extraordinarium Monialibus exemptis, si illarum Praelatus regularis illum concedere recusaret (qui esse debet alterius Ordinis, vel secularis), et hoc non solum in morte, sed etiam in vita singulis annis (3).

68. 13. Plures dd. asserunt, ut Angelus Silvester Armilla Tabiena, aliique cum Croix (qui illis adhaeret) posse Episcopum ex iusta causa commutare pias testatorum dispositiones, ex eo quia ipsi habent dispensandi potestatem in lege quae iubet impleri ultimas voluntates, quoties adsit iusta causa; idque confirmant ex Tridentino *sess.* 22. *c.* 6. Sed hoc negamus cum sententia probabiliori Molinae Layman Sanchez, etc., quia in *cap. Tua de Test.* et in *cap.* 8. eiusdem *sess.* 22. a Concilio iubentur Episcopi adamussim exequi ultimas voluntates. Neque obstat quod opponunt, et quod legitur in eodem *cap.* 8., quia ibi tantummodo committitur Episcopis ut examinent causas utrum verae sint nec ne, quando ultimae voluntates a Sede apostolica commutantur. Tanto magis quia in Clem. *Quia contingit de Relig. dom.* dicitur bona in aliquem usum applicanda, non posse in alio nisi a Sede apostolica applicari. Caeterum est valde probabile quod dicunt Laym. Bon. Salm. Coninch. et Trull., quod sive superveniat aliqua causa, sive testator ignoraverit aliquam causam, quam si cognovisset, aliter disposuisset; tunc Episcopus potest opus commutare, sed una cum haerede; quamvis, si haeres contradicat, asserant plures dd. posse id facere Episcopum illo contradicente (4).

69. 14. Dicunt insuper dd. ut Viva Diana Trullenchius Busembaum, aliique, posse ab Episcopo fieri compositionem incertarum restitutionum (illarum scilicet quarum dominus est incertus) quae pauperibus sunt erogandae; quoniam (ut ipsi dicunt) huiusmodi compositio nulla lege Episcopis reservatur; et contra ipsa est iuxta praesumptam creditorum voluntatem. Sed magis rationabiliter contradicunt Lugo Molina Turrianus Corduba, et alii, quia talium bonorum administratio pertinet tantummodo ad Pontificem, vel ad Principem (5). Et

(1) l. 6. n. 577. (2) n. 602. quaer. 6. (3) n. 576. (4) vide plura de hoc l. 3. n. 931. quaer. 2. (5) n. 592. v. notat autem.

re quidem vera Pontifex Benedictus XIV. in Bulla *Pastor bonus* (23. aprilis 1744.) huiusmodi facultatem S. Poenitentiariae concedit (1). Vide *Tr.* 19. *n.* 148. *ad* 10.

70. 15. Affirmant quoque La-Croix Tamb. et Pasqual. posse ab Episcopo minui numerum Missarum a testatore relictarum, quoties ob eleemosynae parvitatem, qui Missas celebraret, non inveniretur. Sed hic se opponit p. Concina, et quidem rationabiliter; nam Decretum S. C. emanatum iussu Urbani VIII. et confirmatum ab Innoc. XII., prohibet districte Episcopis reductionem moderationem, aut commutationem onerum Missarum impositarum in *limine fundationis*, et post Tridentinum, volens quoad hoc omnino ad Sedem apostolicam recursum haberi. Quia recte ibidem declaratum fuit, quod facultas concessa Episcopis, aliisque a Concilio, *sess.* 25. *c.* 4. *de Reform.* intelligenda est pro reductione Missarum relictarum ante Concilium. Caeterum ait Fagnan. cum Felino, quod si ab initio reditus erant sufficientes, et deinde taliter fuerint imminuti, ut nullo modo sufficiant, tunc non videri ablatam facultatem quam habent Episcopi de *iure communi* moderandi Missas iuxta *c. Non quidem de Testam.* (2).

71. Iam superius dictum est *n.* 53. posse probabiliter Episcopum dispensare in omnibus in quibus dispensatio non est specialiter Pontifici reservata. Quid vero possint Episcopi circa relaxationem iuramenti, et circa commutationem, aut dispensationem votorum, diximus *Tr.* 5. *n.* 19. 42. *et seq.* Notandum hic denique posse ab Episcopo, iuxta Trident. *sess.* 21. *c.* 7. uniri, aut transferri ad aliam ecclesiam beneficia simplicia iam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua ecclesia quae lapsu temporis iam corruerit adeo ut nequeat amplius reparari, vide Barbosam (3). Insuper Episcopus potest unire seminariis beneficia simplicia etiam reservata, aut affecta, aut vacantia in curia Romana; Trid. *sess.* 23. *c.* 18. Insuper tempore visitationis potest Episcopus cogere parochianos ad necessaria parocho subministranda; Trident. *sess.* 21. *c.* 4. Potest etiam novas parochias erigere, et de matricis fructibus dotare si haec abundet, sed sine praeiudicio possessoris; Trid. *eod. loco.* Potest etiam duas parochias unire, si divisae nequeant singulae suum parochum sustentare; dummodo populus non adeo distet, ut non sufficiat unius parochi assistentia; *ibid. c.* 5.

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

Punctum I.

De privilegiis spectantibus ad omnes Regulares in communi.

72. I. Regulares habent privilegium exemptionis a iurisdictione Episcoporum, nam Praelati regulares habent in suis ecclesiis et monasteriis iurisdictionem quasi episcopalem, tam quoad personas, quam loca, sicut probant Salmant. qui agunt fu-

(1) l. 7. n. 470. de facultat. s. poenitentiariae ad 10. (2) vide l. 6. n. 331. v. dubit. 1. (3) Barb. de Potest. Episc. All. 66. ex n. 15.

sius de omnibus privilegiis praedictis in hoc puncto; sed nos solum adnotabimus hic res magis principales (1).

73. Itaque quoad praedictam exemptionem adnotandum primo, quod in dubio alicuius privilegii, decisio spectat ad summum Pontificem, quemadmodum declaratum fuit a Clemente IV., et ab aliis Pontificibus (2). Adnotandum secundo quod huic privilegio exemptionis Regulares cedere non possunt, sicuti habetur ex *cap. Cum tempore de arbitris*, quia id redundaret in damnum religionis: quare nulla consuetudo in contrarium potest in hoc praevalere (3).

74. Notandum tertio, hoc privilegio gaudere, non solum professos et conversos, sed etiam novitios, qui in favorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum; et etiam Tertiarios et beatos, sicuti dictum est numero 8. Servi etiam Regularium qui actu famulantur, et resident intra claustra monasteriorum et vivunt sub obedientia, iuxta Tridentinum, *sess.* 24. *de Regul. et Monial. c.* 11., eximuntur a iurisdictione Episcoporum, tam quoad censuras (iuxta Bullam Alexandri IV. apud Salmant.) quam etiam quoad Communionem paschalem (4). Notandum quarto quod apostatae et fugitivi possint capi ab Episcopis, sed solummodo ut consignentur suis Superioribus. Episcopus solum eos posset punire in casu quo eorum monasteria essent in longinquo posita, et ipsi moniti nollent regredi iuxta Trident. *sess.* 6. *c.* 3. *de Reform.* (5). Vide alia, quae de hac re dicentur num. 82. et 83. Notandum quinto quod Saeculares in monasteriis existentes si ibi patrent aliquod delictum, non incurrunt poenas ab Episcopo impositas (6). Excipiatur, si contravenirent Ordinibus Episcopi circa Missarum celebrationem; sicuti dicetur in fine sequentis numeri.

75. Sexto adnotantur e contrario multa hoc in loco, in quibus Regulares non eximuntur ab Episcoporum iurisdictione. Et primo sine Episcoporum licentia nequeunt Regulares aedificare monasteria iuxta Bullam Urbani VIII. die 28. Augusti 1624. Et animadvertatur quod in Bulla Gregorii XV. *Alias*, prohibetur Episcopis dare hanc licentiam, si in monasterio nequeant ali reditibus, aut eleemosynis saltem duodecim Religiosi; sed hoc non intelligitur quoad hospitia, ut dicunt Barbosa Peirinus et caeteri. Secundo Regulares non possunt in lucem libros edere sine Episcopi licentia, ut ex Tridentino, *sess.* 4. *Decr. de Edit. librorum* (7). 3. Episcopus potest cogere Religiosos ad restituendum novitiis, qui nolunt professionem emittere, totum id quod attulerunt in ingressu (8). 4. Dispositio facienda a novitio, nisi ante duos menses, quam profiteatur, fieri non potest (iuxta Trident., *sess.* 25. *de Regul. et Monial. c.* 16.) absque licentia Episcopi, aut Vicarii. 5. Episcopus habet potestatem cognoscendi simul cum Superiore Religiosi de causa nullitatis professionis (9). 6. Episcopus, aut alius ab eo deputatus, debet scrutari voluntatem virginum, quando ingrediuntur aut profitentur in monasteriis; ex Trident. *sess.* 25. *de Regul. et Monial. c.* 17. Sed id debet efficere intra quindecim dierum spatium, aliter non potest hac in re se amplius ingerere. 7. Episcopus potest prohibere, ne in monasteria Monialium, etiam exemptarum, suscipiatur ultra numerum earum quae possint inibi ali iuxta redituum facultatem, sicuti statutum fuit in Bulla s. Pii V. (10). 8. Episcopus potest cogere Monachos, qui permanenter degunt extra monasteriorum claustra, propter debita ab ipsis contracta cum pauperibus per-

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 3. (2) ib. n. 6. (3) ib. n. 7. (4) ib. n. 8. et vide opus nostrum l. 6. n. 240. in fine, et l. 1. App. 2. de privil. n. 73. et seq (5) Salm. eodem n. 8. (6) Salm. ibid. n. 9 et tract. 10. de censur. c. 5. n. 113. cum Laym. Avila Peirin. Garzia, et aliis pluribus. (7) Salmant. tr. 18. c. 3. n. 10 11. et 12. (8) vide Salmant. tr. 15. c. 3. n. 76. (9) ib. c. 5. n. 15. (10) Salm. tr. 18. c. 3. n. 14.

sonis, ut sunt pupilli, viduae, etc. (1). 9. Episcopus potest adstringere Religiosos, ut processionibus intersint, iuxta Trid. *sess.* 25. *cap.* 13., dummodo eos vocet non per publicum Edictum, sed medio aliquo nuntio personaliter(2). 10. Episcopus habet iurisdictionem supra monasteria, in quibus non possunt ali 12. Religiosi, ut dicetur num. 88. ad 3. Denique excipiuntur Episcoporum ordinationes circa Missarum celebrationes: etenim quoad hoc statuit Tridentinum, *sess.* 22. *de Observat. in Celebr.* ut Episcopi se gerant velut delegatos apostolicos, dicens: *Ut non solum ea ipsa sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi.... ut delegati Sedis apostolicae prohibeant, mandent, etc.: atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis, aliisque poenis....fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis, exemptionibus ac consuetudinibus quibuscumque.* Idem hic notandum quod adest resp. S. C. ad Episcop. Nebiens 7. Febr. 1637. (lib. 14. Decret. p. 561. a tergo), ubi generaliter loquendo dictum fuit: *In his in quibus a iure communi, a s. Concilio Trident. a Constit. apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere.* Et idem decisum fuit die 4. Iunii 1672. (lib. 27. Decret. pag. 406.). Quare sicut bene advertit Benedictus XIV. (3) Episcopi quoad celebrandas Missas possunt adigere omnes, quamvis Regulares, ad observandum non solum ea, quae statuuntur a Concilio, sed etiam quae statuuntur a seipsis. Quare recte Eminentissimus Cardinalis Spinelli, cum esset Archiepiscopus Neapolis, die quinta Ianuarii 1743. praecepit sub poena suspensionis a Divinis, etiam Regularibus, ne admitterent ad celebrandum in suis ecclesiis aliquem sacerdotem advenam sine licentia Ordinarii.

76. Adnotantur alia, quae declarata fuere a S. C. in Decreto die secundo Iulii 1520. Et 1. Regulares possunt recipere, quae a devotis offeruntur, sed non mendicando per ecclesiam. 2. Non possunt uti pallio aut pluviali per parochiam extra eorum ecclesias, aut earum recinctum: neque possunt facere processiones, dummodo non habeant pro se consuetudinem in contrarium, ut dicunt Rodriq. Bordon. et Villalobos (4). 3. Vocati ad funeralia debent ire ad ecclesiam, ubi manet clerus iam coactus; sed in hoc dicunt Salmantic. cum Lezana, esse consuetudinem in contrarium (5). 4. Non potest vetari Regularibus ne celebrent Missam in suis ecclesiis ante Missam parochialem, et ne pulsent campanas, uti declaravit s. Pius V. in Constit. *Etsi Mendicantium*, § 2. 5. Regulares nequeunt publicare matrimonia. 6. Possunt ipsi concionari in suis ecclesiis, tempore Adventus et Quadragesimae, quamvis in parochia sermocinetur (6).

77. In tribus casibus potest Episcopus cogere Regulares ad obediendum, etiam adhibitis censuris: 1. est ad restituendas res novitiis, ut dictum est, iuxta Tridentinum, *sess.* 25. c. 16.: 2. ad observandam clausuram, loquendo de Monialibus, Trid. *ib. c.* 5.; 3. ad observandum totum id, quod ab Episcopo statutum est quoad Missarum celebrationem, ut dictum est *n.* 75. Et circa id refert Bened. XIV. (7) duo Decret. S. C. Concilii, in quibus dictum fuit, quod Episcopi ut delegati apostolici possint etiam censuris cogere Religiosos, et procedere adversus eosdem, si admittant ad celebrandum in suis ecclesiis advenas sine Episcopi licentia, iuxta Tridentinum, *sess.* 22. *Decr. de Obs. in Cel.*, ubi praeceptum fuit, praesertim Episcopis: *Interdicant, ne cui vago, vel ignoto sacerdoti Missas celebrare li-*

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 15.
(2) ibid. n. 16. et 17.
(3) De Synod. lib. 9. c. 15. n. 5.
(4) vide Salm. tr. 18. c. 3. n. 18 et 19.
(5) ibid. n. 19. (6) ibid.
(7) De Synod. l. 9. c. 15. n. 5.

ceat. An deinde in aliis casibus supracitatis possit Episcopus cogere censura Regulares: affirmant Barbosa Garcia et alii; sed communius negant Sanchez Lezana et Salmantic. cum aliis, propter multa privilegia papalia, quae hac de re afferunt; et addunt cum Barbosa, Diana, Lezana (contra alios) quod Episcopus ne denuntiare quidem potest Regulares excommunicatos, etiam ob publicum delictum (1).

78. Quaeritur primo utrum Regulares obligentur Decretis synodorum provincialium, aut dioecesanarum, aut aliis Episcopi praeceptis? Certum est Regulares non teneri interesse dictis synodis, dummodo non essent parochi, sicut habetur ex Trident., *sess.* 24. *c.* 2. et ex pluribus Decretis S. C. Deinde quoad quaesitum Vasq. Sanch. Becanus aliique dicunt eos obligari ad eorum omnium observantiam, quae non praeiudicant observantiae regulari; sed non intelligitur quoad vim coactivam; ita ut contraveniendo non incurrant aliquam poenam, sed solummodo quoad vim directivam, id est, ut se conforment reipublicae, cuius sunt partes. Alii tamen, ut Suar. Lezana Salm. etc. id negant (dummodo hoc necessarium non sit ad evitandum scandalum, aut casus non esset, in quo Religiosus aliquis haberet aliquod munus dependens ab Episcopo, ut munus parochi, confessoris, concionatoris, etc.). Et id probant ex *cap.* 1. *de Privil. in* 6., ubi dicitur Regulares eximi a praeceptis Episcoporum, exceptis casibus in iure expressis. Rationem deinde adversariorum dicunt valere, quando partes sunt homogeneae, non autem, cum sunt heterogeneae, ut sunt Religiosi, qui non perinde ac saeculares multa alia onera particularia habent. Caeterum in duobus ulla sine haesitatione ipsi obligantur ad obediendum, ut dicitur in Trident. *sess.* 25. *c.* 12. 1. quoad observantiam interdicti positi ab Episcopo semper ac observatur ab Ecclesia matrice; 2. quoad observanda festa ab Episcopo statuta (2); praeter ordinationes circa Missarum celebrationem, ut dictum est superius *n.* 75. *circa finem*. Praeterea notetur Episcopum posse Regularibus interdicere auditum confessionum in propriis aedibus sive cellis, iuxta Decretum S. C. emanatum an. 1617. 15. Sept. et videri potest apud p. Ferraris (3). Potest etiam vetare omnibus confessariis audientiam confessionum mulierum, aut puellarum extra confessionarium sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus ex Decreto s. Congr. 18. Decemb. 1693. apud eumdem Ferraris (4).

79. Quaeritur secundo utrum Episcopi possint visitare personas et monasteria Regularium? Communiter loquendo, certum est ex *c. Nulli* 16. *quaest.* 1., et ex Tridentino, *sess.* 25. *c.* 8., exemptas esse a visitatione Episcopi, tam personas, quam monasteria et ecclesias Regularium (dummodo in illis degant duodecim Religiosi. Vide num. 88.). Et iuxta plures declarationes sacrae Congregationis etiam ecclesias parochiales Saecularium, quae subduntur Regularibus, et ubi parochus est Religiosus, qui, si delinqueret etiam circa suum officium, non potest ab Episcopo puniri. Sed hoc non obstante nunc praeter Bullam Gregor. XV. *Inscrutabili* a Bened. XIV. declaratum atque definitum est in Bulla *Cum nuper* edita 8. Nov. an 1751. huiusmodi subiectos esse Episcopo *in his quae vel ad ipsum spectant exercitium curae animarum, vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent*. Sed fusius idem Bened. XIV, de hac re agit in quadam Bulla peculiari *Firmandis*, edita die 6. Novemb. 1744. ubi plura statuit. 1. Quod parochi regulares omnimode subsunt iurisdictioni,

(1) Salmant. c. 3. §. 3. per totum.
(2) vide Salmant. tr. 18. c. 3. §. 4. per totum.
(3) Ferr. bibl. v. confessarius a. 4. n. 8.
(4) idem loc. cit. n. 10.

correctioni et visitationi Episcopi, in iis quae concernunt curam animarum et proprios mores. 2. Quoad visitationem localem, possunt visitari altare, in quo ss. Eucharistiae Sacramentum asservatur, sacrum tabernaculum, fons baptismalis, confessionale in quo residet parochus, pulpitum e quo parochus concionatur, sacrarium ad inspiciendam sacram supellectilem, sepulcrum parochianorum, eorumque caemeterium, turris campanaria, si adsint ibi campanae parochiales, et omnia sacra vasa. 3. Quoad personalem, debet scrutari vitam ac mores curati, quatenus ea quae extra claustrum prodierint: item examinare an titulo legitimo eam curam exerceat, an resideat, an ad Synodum vocatus iverit, an conferentias casuum conscientiae habeat frequenter, an onera curae adimpleverit, an Missam pro populo applicaverit, an festis diebus concionatus fuerit, etc., an vacet confessionibus audiendis, an aegrotantibus assistentiam praestiterit, an pueros ante Confirmationem et Communionem instruxerit; an de matrimonii impedimentis inquisiverit, et an sponsi in rebus Fidei sint edocti, et an recte ordinatos habeat libros parochiales. 4. Quod licet Superiores regulares non possint deputare aliquem ad curam sine Episcopi approbatione, possunt tamen eum removere illo inscio, et ita pariter Episcopus potest cura illum privare sine consensu Superioris, si id iusta causa expostulet, etc. Potest etiam visitare ecclesias adnexas, et subditas monasteriis, si earum administratio sit penes parochos saeculares, prout pluries declaravit s. Congreg. apud Bellarminum et Barbosam: excipe, si incorporatae essent monasteriis, aut nullius esset dioecesis. Possunt praeterea Episcopi visitare confraternitates Saecularium fundatas in monasteriis, sed dumtaxat quoad administrationem bonorum, non quoad altaria, ut ex Trid. *sess.* 25. *c.* 20. et ex pluribus Decretis sacrae Congregationis. Excipiuntur insuper illae quarum Praefectus est Religiosus ex privilegio Gregorii XIII., cui nulla contraria consuetudo potest obstare (1).

80. Quaeritur tertio utrum Episcopi possint visitare claustra monialium exemptarum? Negant Salmanticenses cum Navarro Sanchez Bonac. Pelliz. etc. ex *c. Periculoso de statu Monach. in* 6., ubi cura claustri Monialium exemptarum manifeste conceditur Superioribus regularibus. Neque obstat (ut aiunt) Tridentinum, *sess.* 25. *cap.* 5., ex quo contendunt patroni adversae sententiae, Episcopos esse delegatos apostolicos quoad claustrum Monialium exemptarum, cum ibi statuatur ut ipsi curent, ut restituatur aut conservetur claustrum *in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis apostolicae auctoritate.* Etenim respondent, quod pro illo *in aliis*, etc. non intelligantur monasteria Regularibus subiecta, sed subiecta immediate Pontifici, quod asserunt declaratum fuisse per Pium V. in sua Bulla *Circa Pastoralis;* eo magis quia Concilium in loco praedicto renovat, non revocat citatum textum *Periculoso.* His non obstantibus contraria sententia amplectenda est cum Barbos. Gavant. Lezan. etc., quia, licet non obstaret Tridentinum, nihilominus obstat equidem Bulla Gregorii XV. *Inscrutabilis* anni 1622., in qua dictum fuit, 1. Ut Regulares nequeant destinare alium ad audiendas Monialium confessiones, praeter eum, qui fuerit approbatus ab Ordinario (et in hoc animadvertendum est quod praeterea statuit Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis* die 5. Augusti 1748. confirmans Bullam, *Apostolici ministerii*, Benedicti XIII.; quod scilicet si regularis Superior negligeret assignare saltem semel in anno confessarium extraordinarium, aut saecularem, aut alterius Ordinis, quemadmodum Pontifex praecepit, possit illum assignare

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 31. ad 36.

dioecesis Episcopus). 2. Statuit Gregorius XV., ut administratores monasteriorum dictarum Monialium debeant rationem reddere Episcopo administrationis bonorum. 3 Ut Episcopus valeat removere confessarium, aut alium administratorem monasterii, si Superior monitus illum non removeat. 4. Ut Episcopus praesidere possit electioni Abbatissae. Ac quinto specialiter fuit statutum, ut Episcopus possit corrigere et punire, veluti delegatus apostolicae Sedis, eos omnes qui aliquid admittunt adversus clausuram Monialium, etiam exemptarum. Placet hic adnotare verba Bullae: *Tam saeculares, quam Regulares nullis privilegiis tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo tamquam ad hoc Sedis apostolicae delegato, puniri et corrigi valeant* (1). Et ibidem refert Barbosa Decretum quoddam sacrae Congregationis, ubi statuitur, quod nullimode possit impediri Episcopis, quin visitent monasteria exempta, et Regularibus subiecta quoad observantiam clausurae, et qui praesumit impedire, post tertiam monitionem incurrit excommunicationem ipso facto ex Clem. *Attendentes, de statu Mon.* (2). Praeterea hoc in loco adnotandum est, quod Clemens X., et Clemens XII. praeceperunt, ut observaretur Bulla Gregorii XV. *non obstante quacumque contraria consuetudine.*

81. Quaeritur 4. utrum Episcopi exigere queant a Regularibus rationem haereditatis relictae cum onere Missarum, aut legatorum satisfaciendorum saecularibus? Videntur posse, ex eo quod eruitur ex Tridentino, *sess.* 22. *c.* 8., ubi praebetur Episcopis potestas visitandi omnia legata pia, non obstante quocumque privilegio in contrarium. Et dicunt Salmanticenses, quod ex hoc recte sententia ista redderetur probabilis. Sed ipsi deinde id negant ob multa privilegia Regularibus concessa, praesertim per Pium V., in quibus declarantur exempta Religiosorum bona a quacumque Episcopi iurisdictione, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus apostolicis et Conciliis (3).

82. Quaeritur 5. utrum Episcopus in alia causa possit procedere criminaliter contra Regulares? Dictum est Regulares exemptos esse ab Episcoporum iurisdictione, praeterquam in casibus in iure expressis. Praeter id quod spectat ad Missarum celebrationem et clausuram Monialium, in duobus aliis casibus possunt ex Tridentino Episcopi contra eos procedere. 1. Si Regularis aliquis patraret delictum, degendo extra monasterium, Trid. *sess.* 6. *c.* 3. Sed hoc intelligitur eorum respectu, qui permanenter extra monasterium habitant, non vero quoad illum Religiosum, qui extra maneret causa confessionum excipiendarum, aut concionandi, aut alterius negotii ad tempus; aut incoleret pagum, aut locum alium dependentem a monasterio ob negotia religionis. Sed hic oritur dubitatio, utrum possit Episcopus punire illum delinquentem, qui habitaret alium locum ob longum tempus ex licentia sui Superioris? Alii affirmant, veluti Tambur. Barbosa Lezana etc. pluribus innixi declarationibus S. Congr. Alii quemadmodum Salmanticenses cum Sanchez Silvest. Peyrino Bordono etc. negant ex *c. Ex Rescripto de iureiur.* ubi dicitur, quod qui manet extra monasterium ex licentia Superioris, iudicetur in monasterio manere. Quare aiunt, quod tam Concilium, quam praedictae declarationes vigere intelligantur in eos, qui extra monasterium morantur sine licentia, aut in loco adeo remoto ab eorum Superiore, ut puniri non pos-

(1) Vide Barbosam de potest Episc. All. 102. n. 7. et Salm. tr. 18. c. 3. n. 37. ad 39.

(2) vide de Alex. de Monial. c. 6. §. 4. q. 3.

(3) Salm. tr. 18. c. 3. n. 40. ad 42.

sint, nisi post longissimum tempus (1).

83. Secundus casus est, cum Religiosus, etiam degens in monasterio, extra illud delinqueret cum publico populi scandalo, et Superior eum non puniret. Trident. *sess.* 25. *cap.* 14. Et quia Superiores quidam transmittebant huiusmodi delinquentes extra dioecesim, ut immunes essent a poena, statuit Clemens VIII. anno 1596. in Bulla *Suscepti oneris*, ut in tali casu, instante Episcopo, Superior infra tempus ab Episcopo praescriptum revocare debeat delinquentem, et punire; alias possit eum castigare Episcopus loci, quo ipse transmissus est (2). Adnotant deinde Salmanticenses cum aliis 1. ut huiusmodi Concilii Decretum vigere debeat cum delictum est notorium etiam facti publicitate. 2. Ut non valeat adversus Superiores delinquentes, qui in odiosis non includuntur sub nomine Regularium, quemadmodum ait Concilium. 3. Ut Episcopus procedere non possit, nisi postquam pluries monuerit Superiorem, ut delinquentem puniret, et ille neglexerit. Si tamen Episcopus delinquentem in actuali delicto interciperet, potest illum capere (sicut dictum fuit), sed ut statim eum transmittat ad Superiorem; et quando crimen fuisset gravis scandali, potest etiam eumdem retinere in carcere, ut transmittat infra 25. saltem horarum spatium. Superior deinde praebere Episcopo debet sufficientia argumenta sequutae punitionis. Episcopus, licet capere possit summariam informationem, ut eam ad Superiorem transferat, non potest tamen iuridicum efformare processum adversus reum: sed si forte efformasset, probabile est eo Superiorem uti posse ad procedendum in suum Religiosum, ut aiunt Salmanticenses cum aliis (3).

84. Secundo Regulares privilegium habent exemptionis a contributione Decimarum. Arrepta occasione, opportune hoc in loco adnotantur quaedam circa Decimas. Decimae dicuntur illa fructuum portio, aut industriarum personalium quae a fidelibus tribuenda est Ecclesiae ministris, pro eorum sustentatione. Revera Decimae debentur ex iure divino naturali; sed quoad quantitatem, id est decimam partem, sunt ex iure ecclesiastico, cum cessaverit ius antiquum divinum ut iudiciale. Hinc fit 1. Pontificem posse quemlibet eximere ex onere decimarum; Pontificem, inquam, non Episcopos: ipsi dumtaxat possunt ex Trident. *sess.* 21. *c.* 5. 6. *et* 7. applicare decimas unius loci ad alium, et unire ac separare beneficia (4). Infertur 2. quod consuetudo rite potest aliquos eximere a solvendis Decimis, dummodo remaneat id quod sufficit ad congruam Ecclesiasticorum sustentationem; sed huiusmodi consuetudo praescriptionem quadraginta annorum non interruptorum habere debet, licet ab initio, nec titulus, nec bona fides interfuerint: ad praescriptionem deinde (accipiendo vocem prout sonat praescriptio, non ut consuetudo) necessaria sunt bona fides, et quadraginta anni cum titulo; sine autem titulo requiritur tempus immemorabile. Pro futuris Decimis fieri potest compositio: sed etiam solummodo a Pontifice non ab Episcopo, nisi fieret inter unam et aliam ecclesiam. Dictum est pro futuris, quia praeteritas remittere potest etiam ille, cui debentur (5).

85. Olim Decimae debebantur, ut dictum est, tam ex fructibus bonorum, quam ex personarum industria. Sed iuxta praesentem consuetudinem pene universalem solvuntur solum ex fructibus bonorum tam stabilium, quam mobilium, iuxta *cap. Non est, de Decim.* Et debentur ex fructibus integris non deductis expensis et oneribus contributionum, ut ait s. Thom. (6) et alii communiter ex *c. Cum non sit, de Decim.* (7).

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 40. ad 46.
(2) Salm. ibid. (3) ib. n. 50. et 51.
(4) ib. n. 52. et 54. (5) ib. n. 55.

(6) 2. 2. q. 87. a. 2. ad 4.
(7) Salm. tr. 18. c. 3. n. 58.

86. Decimae praeterea solvi debent ab omnibus fidelibus, etiam a principibus, sed non a pauperibus: isti tamen, nisi sint in extrema necessitate, sed solum in gravi, si pervenirent ad meliorem fortunam, tenentur solvere praeteritas Decimas, ut dicunt Suarez Layman Castr. et alii, cum Salm. (1). De iure autem communi tam clerici quam Religiosi, et etiam parochi tenentur solvere Decimas suorum bonorum patrimonialium, licet assignata fuissent ad titulum Ordinationis, non autem bonorum beneficialium, ut docet d. Th. (2). Quoad eos vero, qui deficiunt a solvendis Decimis, haec statuit Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de Reform. Qui vero eas* (*decimas*) *aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur* (3).

87. Sed quidquid sit de iure antiquo, hodie ex multis privilegiis pontificiis omnes regulares, etiam Moniales cuiuscumque Ordinis (et etiam Equites hierosolymitani) eximuntur a Decimis non solum personalibus, sed etiam stabilium, tam propriorum (etsi colantur a colonis), quam conductorum, aut emphitheuticorum (4). Si tamen transeunt ad Regulares bona prius subiecta Decimis, tenentur ad illas, uti constat ex pluribus Decret. Sacrae Congregationis Rotae apud Pignatelli (5).

88. Tertio. Olim Regularibus vetitum erat, ne nova aedificarent monasteria aut derelinquerent aedificata sine expressa licentia Summi Pontificis *cap.* 1. *de Excess. Praelat. in* 6. ex *cap. un. de Bel. Dom. in* 7. Tractu deinde temporis obtinuerunt diversa privilegia; sed haec omnia anno 1624. limitata fuere ab Urbano VIII. in Bulla *Romanus Pontifex*, ubi statutum fuit, non posse acceptari nova monasteria, nisi observata forma Canonum Tridentini, et Bullae Clementis VIII. *Quoniam ad institutam.* Quare hodie ad fundandum novum monasterium tria requiruntur. 1. Licentia Episcopi. Utrum vero requiratur etiam licentia Pontificis alii affirmant, ut Barbosa Tamb. Pelliz. ex Declaratione S. C; negant vero Salm. cum Lezana Suarez Rodriquez et aliis. 2. Ut adsit consensus eorum, quorum interest, et praesertim omnium monasteriorum existentium intra quatuor milliariorum spatium, aliter Episcopus concedere non potest dictam licentiam, nisi quando illi iniuste contradicerent (6). Carmelitae tamen privilegium habent, ut alii ordines fundare non possint, ubi ipsi habent monasterium infra spatium 560. ulnarum Florentinarum, et Minores infra spatium 1200. ulnarum, etc. Contra Minimi et Iesuitae privilegium habent fundandi in locis etiam non remotis intra spatium 560. ulnarum praedictarum. Et in omnibus his privilegiis conceditur communicatio. At praedicta privilegia circa ulnas iuxta consuetudinem non intelliguntur quoad monasteria quae fundantur in civitatibus (7). 3. Requiritur, ut novum monasterium possit commode reditibus, aut eleemosynis sustentare duodecim Religiosos; sufficit tamen, ut adsit intra breve tempus probabilis spes praedictae sufficientis sustentationis. Quod si monasterium (intelligitur de monasteriis fundatis post citatam Bullam Urbani VIII. emanatam anno 1624.) non valeret sustentare duodecim Religiosos, qui revera in illo non habitarent, statutum fuit per sacram Congr. pluribus Decretis, confirmatis a Greg. XV. et Urbano VIII. ut huiusmodi monasterium omnino subiectum esset Episcopo per haec verba: *Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodae iurisdictioni talia monasteria erecta absque eo, quod* 12.

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 59.
(2) loc. cit. a. 4. in corp. et ad 1. ex c. si quis Laicus 16. q. 1.
(3) Salm. n. 62. (4) ib. n. 72. ad 79.
(5) Pignat. t. 1. cons. 355. et t. 8. n. 9.
(6) Salm. tr. 18. c. 3. n. 124. ad 131.
(7) ib. n. 137. ad 140.

fratres in eis valeant habitare, et de facto habitent, subiecta esse intelligantur (1). Eaedem conditiones requiruntur in fundandis Monialium monasteriis. Et advertendum hic quod ex Tridentino et S. C. prohibetur, ne fundentur Monialium monasteria extra habitatum (2).

89. Praedictae conditiones non requiruntur in fundandis hospitiis Religiosorum, ut notant Peyrinus Tamb. etc., saltem (ut limitat Lezana) si ibi non recipiant Missas, et non habeant ecclesiam (3). Neque requiruntur in translationibus monasteriorum, quae possunt fundari (ut probant Salmanticenses cum Nav. Barbosa Peyrino Lezana etc.) sine consensu Pontificis, Episcopi, vel aliorum monasteriorum; dummodo translatio non afferat iis praeiudicium : etenim dicunt, quod iam antea habebant tale privilegium a pluribus Pontificibus concessum, et quod illud limitatum est tantum quoad novas fundationes, quales non vocantur translationes monasteriorum ex uno situ ad alium commodiorem eiusdem terrae (ut intelligitur), aut prope illam, derelinquendo antiquum monasterium. Et in tali casu Religiosi retinent omnia bona, et iura monasterii derelicti (4). Possunt praeterea Religiosi ex concessione Urbani VIII., et Innoc. VIII., quando deficerent reditus, et eleemosynae unius monasterii, illud unire et incorporare alteri (5). Insuper possunt ad libitum redire ad monasteria derelicta, dummodo redditus non afferret aliquod novum praeiudicium aliis monasteriis (6). Possunt insuper Generales religionum superiores ex concessione Sixti IV. et eiusdem Urbani VIII. supprimere monasteria miserabilia, transferendo eorum bona ad maiora monasteria. Adnotetur hic, quod monasteria concessa ab universitatibus, cum derelinquuntur, in manu Ordinarii derelinqui debeant; at si propriis reditibus, et eleemosynis aedificata fuerint, remanent in dominio Religiosorum, ut de iis possint libere disponere (7).

90. IV. Regulares habent privilegium eligendi iudicem conservatorem qui iudicet de omnibus illis casibus, in quibus Religiosi sunt rei, et etiam in quibus sunt actores; sed quando sunt actores, solum propter iniurias et manifestas violentias ipsis irrogatas (8).

91. V. Regulares habent privilegium admittendi eos omnes qui volunt sepeliri in eorum ecclesiis. Adnotamus hic praecipua quaedam circa sepulturam, de qua fusius tractant Salm. (9). Quicumque ad pubertatem pervenerit, sibi eligere valet sepulturam ubicumque, etiam Episcopi; nisi autem illam sibi eligant, sepeliri in cathedrali debeant (10). Religiosi tamen debent sepeliri in monasterio, etsi morentur extra illud, dummodo locus non esset nimis remotus. Novitii valent sibi eligere sepulturam extra monasterium; quod si non faciant, sepeliri debent in illo, licet obirent, dum alia in domo manerent ex licentia sui Superioris (11). Idem intelligitur quoad commensales, et familiares, qui actu serviunt, et resident in monasterio sub obedientia Superioris. Et hi valent recipere omnia Sacramenta a Religiosis, Baptismo excepto, et matrimonio (12). Gravissimas incurrunt poenas clerici et Religiosi inducentes alios ad promittendum iuramento, voto, aut fide data, se electuros sepulturam in propria ecclesia (13). Privandi sunt sepultura, qui moriuntur impoenitentes, et publice constat non fuisse confessos in anno, nec communicasse paschali tempore, et ita etiam haeretici, excommunicati, qui sibi ex ira mortem intulerunt, si deinde poenitentiae indicia non praebuerint, uti

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 129. et 130.
(2) ibid. n. 138. (3) ib. n. 132.
(4) ib. n. 133. ad 134. (5) ib. n. 150.
(6) n. 148. (7) ib. n. 147.

(8) ib. a n. 152. ad 178. (9) ib. punct 6.
(10) ib. n. 186. (11) n. 187.
(12) ib. n. 188. 214, et 215.
(13) ib. n. 191.

habetur in Rituali romano: ***Peccatores publici cuiuscumque peccati*, et *qui moriuntur in flagranti crimine* (*ut ex cap. Fures*, *de furto*)** nullo dato signo poenitentiae; etenim tunc praesumuntur et in peccato obiisse, ut dicunt communiter dd. cum Rituali, quidquid dicant Lezana et Sancius (1). Qui huiusmodi defunctos sepelit, lethaliter peccat; et qui sepelit haereticum, aut haereticorum fautorem, aut publice excommunicatum, aut usurarium, etiam excommunicationem incurrit; et huiusmodi defuncti, si fieri possit, ex sepultura extrahendi sunt. Caeterum nemo sepultura privandus in quocumque casu sine sententia Episcopi, aut Superioris, si cadaver est Religiosi (2).

92. Sed ad rem nostram, ad Regulares videlicet, redeamus. Plura sunt notanda. 1. Quilibet clericus, aut Saecularis sibi eligere potest sepulturam in ecclesia Regularium. Et quando aliquis haberet sepulturam suorum Maiorum in illa, et non elegisset aliam ecclesiam, possunt Regulares illic eum sepelire (3). 2. Parochi qui in associatione ad ecclesiam Regularium plus exigunt, quam exigerent in sepeliendo defunctos in parochia, ut retraherent fideles ab eligenda alibi sibi sepultura, papalem excommunicationem incurrunt, ex Bulla Clementis VIII. apud Salmanticenses; et licet Bulla edita fuit pro Indiarum parochis, tamen Lezana Peyrinus et Salmanticenses cum aliis intelligunt eam editam fuisse universaliter pro omnibus (4). 3. Cum sepeliendus est defunctus in Regularium ecclesia, debent ipsi vocare et attendere parochum; sed si ille renuit venire, aut nimis moratur, possunt ipsi extollere cadaver, et illud in suam ecclesiam asportare; ita communiter Barbosa Lezana Peyrinus et alii cum Salmanticensibus, ex pluribus Decretis S. C. (5). Officium supra cadaver tum celebrandum est, non a parocho, aut canonicis, sed ab iisdem Regularibus. Nec parochus exercere potest illum actum in eorum ecclesia, nec cogere haeredes ad celebrandas Missas, aut earum partem in parochia, ex pluribus Decretis etiam S. C. Et idem observandum est etiam pro Monasteriis Monialium exemptarum (6). Adnotandum tamen, in Monialium ecclesiis sepeliri non posse laicos sine licentia S. C. dummodo aliquis non haberet in eo ius sepulturae (7).

93. Quaeritur utrum Regulares teneantur ad solvendam canonicam portionem Ordinario, aut parocho? Alia est portio canonica *episcopalis*, et est illa, quae debetur Episcopis pro omnibus donationibus *causa mortis*, et pro legatis ecclesiis relictis, aut locis piis eorum dioecesum; ut ex Clem. ***Dudum*, *de sepult.*** Haec portio quandoque fuit tertia, quandoque quarta pars; et Innocentius III. *cap. Requisitis de Testam.* statuit, ut quoad quantitatem attenderetur consuetudo (8). Alia est *parochialis*, quae proprie vocatur *quarta funeralis*, et est illa portio, quae parocho debetur ex funeralibus, legatis piis, et omnibus, quae perveniunt ad ecclesiam, in qua sepeliendum se defunctus statuerat. Et ista etiam fuit diversa, sed quoad eamdem etiam consuetudo attendenda est (9).

94. Sed quoad Regulares, eximuntur a solvenda portione episcopali eorum monasteria tam hominum quam foeminarum, ex *Extravaganti inter cunctas*, §. *Quibuscumque, de privilegiis*, et ex aliis privilegiis apud Salmanticenses (10). Quo vero ad *quartam funeralem*, ex iure communi olim Regulares tenebantur ad illam solvendam; sed hodie attentis eorum privilegiis, et Trident. *sess.* 25. *c.* 13. et Bulla Pii V. *Etsi Mendicantium*, anni 1567., tenentur ad illam

(1) Salm. tr. 18. c. 3. n. 199.
(2) n. 202. et 204. (3) ib. n. 205.
(4) ib. n. 206. (5) ib. n. 208. et 209.

(6) ib. n. 212. et 213. (7) vide opus nostrum l. 4. n. 62. (8) Salm. tr. 18. c. 3. n. 216. (9) ib. n. 218. (10) n. 217.

solvendam ea monasteria dumtaxat, quae ultra 40. annos, antequam Concilium confirmaretur, solebant solvere: ita probant Salmanticenses cum sententia communi, et pluribus Decretis S. C. ex multis privilegiis pontificiis, et praesertim Sixti IV., qui imposuit poenam excommunicationis et privationis beneficiorum parochis, qui vellent exigere praedictam *quartam* (1). Excipiuntur tamen illa monasteria, quae solverent praefatam *quartam* ex contractu inito, aut ex consuetudine immemorabili (2).

Punctum II. *De privilegiis Regularium in particulari*

95. 96. *et* 97. *I. De facultate absolvendi subditos a casibus et censuris.*
98. *De reservatione casuum, etc.*
99. *De facultatibus quoad Saeculares.*
100. *Utrum Regulares possint absolvere a casibus Episcopis reservatis a iure, vel consuetudine.*
101. *Utrum a casibus papalibus.*
102. *Utrum in itinere, aut ex bulla Cruciatae, etc.*
103. *Utrum confessarii regulares possint denuo examinari ab Episcopo.*
104. *et* 105. *II. Circa dispensationem in irregularitatibus.*
106. *III De dispensatione in praeceptis ecclesiasticis, etc.*
107. *IV. Circa officium divinum.*
108. *V. Circa dispensationem votorum, et iuramentorum.*
109. *Circa votum castitatis coniugum, et sponsorum.*
110. *VI. De privilegio Religiosorum, novitiorum, et famulorum confitendi cuicumque sacerdoti, etc.*
111. *De Religiosis peregrinantibus.*
112. *Utrum in iubilaeo, etc.*
113. *ad* 116. *VII. Circa Ordinum receptionem.*
117. *ad* 120. *Circa Ordinum collationem.*
121. *et* 122. *Circa celebrationem Missarum.*
123. *Circa Communionis ministrationem.*
124. *ad* 128. *Circa concionandum.*

95. 1. Quoad facultatem, quam habent Superiores regulares circa absolutionem casuum reservatorum, et censurarum, oportet hic distinguere potestatem erga subditos ab illa, quam habent erga saeculares. Sub nomine *Superiorum regularium* veniunt non solum generales et provinciales, et eorum Vicarii subrogati in eorum locum, sed etiam omnes locales Superiores, ut Priores, Guardiani, rectores, et etiam eorum Vicarii, quando ipsi absunt, saltem per integrum diem. Ita communiter doctores (3) ex *cap. Abbatis, de privileg. in* 6. Omnes isti absolvere possunt suos subditos primo ab omnibus casibus et censuris non reservatis Pontifici, licet fulminatae essent *ab homine* per specialem sententiam, ut dicunt Salmanticenses cum Lezana Candido Pelliz. etc. ex privilegiis Pauli V., Sixti IV. et Eugenii IV. (4). Et id quod currit pro professis, valet et pro novitiis, ita ut iidem absolvi possint a Superioribus regularibus a casibus Episcopis reservatis incursis, non solum post ingressum, sed etiam ante, ut dicunt Salmantic. cum Bonac. Pelliz. etc. et p. Mazzotta cum Sanchez Tamb. etc. (5). Et idem dicunt Salmantic. et Mazzotta cum Peyrino et Tamb. (6) quoad illos qui proximi sunt, qui recipiantur, v. g. si manent in probatione in monasterio, ut assumant habitum, et id ex Bulla Clementis VII. relata a Candido Rodriq. et a Salmant. (7) in qua fuit concessum Provincialibus regularibus, et eorum Vicariis, aut aliis deputatis absolvere novitios Ordinis ab omnibus casibus reservatis (exceptis illis *Bullae Coenae*) incursis ante ingressum, et a censuris quae illis sunt annexae. His posset aliquis obiicere Decretum Urbani VIII. allatum in opere nostro (8), in quo fuit statutum, quod per confirmationem privilegiorum obtentorum a Regula-

(1) Salm. tr. 18. c. 3. a n. 218. ad 228. (2) ib. n. 229. ad 233. (3) ib. c. 4. n. 1 (4) ib. n. 2. (5) Salm. tr. 15. c. 3. n. 87. et Mazzotta tom. 3. de Res. Cas. cap. 2. quaest. 5. (6) Salm. ibidem n. 88. et Mazzotta loco citato. (7) Salm. tr. 20. de Censur. c. 2. n. 80. (8) l. 7. n. 95.

ribus post Tridentinum non intelligebantur rursus concessa ipsis privilegia ipsis ablata tam a Concilio, quam a S. C. absolvendi a casibus reservatis Ordinario. Multipliciter respondent Salmanticenses huic oppositioni loco citato; sed eorum responsiones non suadent, ut diximus in opere (1). Responsio congruentior videtur esse ita, scilicet quod Decretum Urbani loquitur de Saecularibus, sicut etiam loquebatur propos. 12. damnata ab Alexandro VII.; sed non de novitiis, qui in favorabilibus communiter a dd. reputantur ut Religiosi; ita Sanchez Suar. Castrop. Lezana cum iisdem Salmant. (2), et aliis. Eo magis quia Clem. VIII. ita declaravit, et Diana (3) refert privilegium concessum Iesuitis (quod ex communicatione extenditur ad omnes religiones), quo possint communicare novitiis omnia privilegia Societatis. Excipiunt tamen Bonac. Pelliz. et Salmant. (4) casum, quo iam inceptum esset iudicium Episcopi contra novitium, antequam intraret; quia tunc (ut aiunt) posset Episcopus eum extrahere et punire. Quod dictum est de novitiis, idem dicit p. Mazzotta loco citato cum Peyrino de familiaribus monasteriorum: dummodo *inibi sint quasi de familia, et continui commensales*, ut dicitur in Bulla *Superna* Clementis X.

96. Possunt secundo Regulares absolvere suos subditos professos, et novitios etiam; sicut superius dictum est (5), ab omnibus casibus papalibus occultis eodem modo, quo Episcopi valent absolvere suos subditos ex *cap. Liceat*. Atque hoc ex privilegio Pii V. relato per extensum a Salmanticensibus, et p Concina, confirmato a Benedicto XIII. in Bulla *Pretiosus* anno 1727., in qua fuit concessa Regularibus potestas absolvendi etiam a casibus *Bullae coenae*, excepto relapsu in haeresim, falsificatione litterarum apostolicarum, et translatione rerum prohibitarum ad infideles. Ac obiter hic notandum, quod in dicta Bulla fuit etiam concessa Generali Dominicanorum potestas dispensandi ab irregularitate ob homicidium commissum a subditis, dummodo patratum non fuerit data opera, et secutum intra claustra monasterii (6). Sed postquam haec scripsi, invenio quod Clemens XII. in Bulla *Romanus*, edita die 30. maii 1732., revocavit omnes litteras et constitutiones cum omnibus privilegiis et facultatibus concessis a Benedicto XIII., omnia reducendo ad primaevum statum, ac si praefatae confirmationes nunquam emanatae fuissent. Insuper hic notandum quod facto dubio, an revocatio privilegii pro Regularibus absolvendi in haeresim lapsos indicta a Tridentino, intelligenda tantum esset respectu aliorum, non autem Religiosorum: S. C. decrevit intelligi respectu omnium, ut refert p. Ferraris (7).

97. Possunt tertio Regulares absolvere suos subditos ab excommunicatione ob percussionem etiam gravem, et enormem, et publicam, inflictam non solum Religiosis eiusdem Ordinis, sed etiam alterius, et etiam clericis saecularibus Castrop. Ronc. Salm. et Croix ex privilegiis Bonifacii IV. et Clementis VIII. Atque hic adnotandum, quod si percussio sit levis, aut occulta, Religiosus percussor (si velit) potest petere absolutionem etiam ab Episcopo, sed obtenta sui Superioris licentia (8) Dictum est *subditos*, quia nequeunt absolvere Saeculares, cum hic casus limitatus sit Regularibus intra Italiam, et extra Romam a Clemente VIII. ut mox dicetur *n.* 99.

98. Adnotandum hic praeterea, Superiores regulares ex concessione Clementis VIII. posse, si ipsis expediens videtur, reservare undecim

(1) l. 7. n. 103. (2) Salm. tr. 15. c. 3. n 85. (3) part. 3. tr. 2. Res. 73. (4) Salm. l. c. n. 87. (5) vide opus nostrum l. 6. n. 593 v. eamdem in fine. (6) ib. lib. 7 n. 101. (7) Ferrar. bibl. verb. Absolvere. (8) l. 7. n. 107.

casus, sed non plures sine consensu Capituli generalis, aut saltem provincialis pro provincia. Casus ab ipsis reservabiles adnotati sunt *Tr.* 16. *n.* 130. Si autem Superior deneget licentiam, et utrum pro prima vice possint Religiosi absolvi a reservatis? vide ibidem *n.* 134.

99. Quoad vero Saeculares, olim Mendicantes gaudebant privilegio, quo poterant absolvere Saeculares ab omnibus casibus et censuris reservatis tam a Pontifice, quam ab Episcopis. Sed deinde Decreto Clementis VIII. anni 1602., confirmato a Paulo V. anno 1617., et Urbano VIII. anno 1627., limitata fuit praedicta potestas, et statutum fuit, ne Regulares existentes extra Romam, et intra Italiam, possint absolvere Saeculares nec a casibus *Bullae Coenae*, nec ab aliis sex sequentibus; Scilicet 1. A percussione clerici. 2. A duello. 3. A violatione immunitatis. 4. a violatione clausurae monasteriorum Monialium ob pravum finem. 5. A simonia confidentiali in beneficiis; et denique ab omnibus casibus, quos sibi reservant Episcopi. Itaque tam ex dicto Decreto Clementis VIII. quam etiam ex Bulla Gregorii XIII. *Cum a Sacra*, et praesertim ex propositione 12. damnata per Alexandrum VII. quae sic se habebat: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*; hodie non est in dubium revocandum (quidquid aliqui dicant) quin Saeculares absolvere non possint a casibus ab Episcopis reservatis (1). Ita neque possunt absolvere Saeculares a sex casibus Clementis, etsi occulti sint, contra p. Vivam; potestas enim, quam Regulares habent ex Bulla S. Pii V. relata *n.* 96., qua possunt absolvere casus occultos, quam habent Episcopi ex *cap. Liceat*, est solum respectu suorum Religiosorum, non autem Saecularium. Id tamen probabile iudicamus cum p. Viva Comitolo, et aliis, quibus adhaeret etiam p. Concina, scilicet quod Regulares possint absolvere a casibus, quos sibi in Synodo Episcopus reservavit, sed deinde non expressit illos in tabella, quia tunc praesumitur se voluisse concedere potestatem ab iis absolvendi omnibus confessariis, modo ab ipso approbatis (2).

100. Dubitatur 1. utrum Religiosi possint absolvere Saeculares a casibus non reservatis sibi ab Episcopis, sed *in iure*, aut ex consuetudine reservatis Episcopis, ut sunt abortus foetus animati, et alii adnotati *n.* 46. Negant Viva Bord. Cabassut. Milante et alii, eo quod (ut aiunt) in Decreto Pauli V. et Urbani VIII. prohibetur Regularibus absolvere laicos a casibus Episcopis reservatis: *A casibus eisdem Ordinariis reservatis* sunt verba Urbani. Nihilominus probabilius affirmant Conc. La-Croix Spor. Salmant. Lezana Sanch. cum multis aliis, quibus adhaeret etiam (se retractans) p. Viva *in sua Morali*. Ratio est, quia citata verba Decreti Urbani (et idem de Decreto Pauli V.) intelligenda sunt de casibus, quos Episcopi sibimet reservant: cum talia Decreta, ut diximus *n. praec.*, sint confirmativa Decreti Clementis VIII. in quo fit mentio tantum casuum, qui sibi ab Episcopis reservantur; *Nec a casibus* (haec ait Clemens) *quos Ordinarii* reservarunt, aut in posterum *reservabunt*. Eo magis, quia ut ait p. Suarez, casus reservati Episcopis *in iure* debeant potius dici delegati Episcopis, quam reservati. Sed animadvertendum id non valere quoad percussionem clerici, nec quoad omnes alios casus, quos sibi Ordinarius reservaret; etenim quoad istos, sublata fuit omnis facultas Regularibus, ut dictum est *n. praeced.* (3).

101. Dubitatur 2. utrum Regulares absolvere valeant Saeculares a casibus papalibus? Negant pauci quidem, id est Viva cum Bordone et Florino, ex iisdem Decretis Pauli V. et Ur-

(1) vide l. 6. n. 599. v. certum est, et l. 2. n. 95. (2) n. 100. (3) n. 99.

bani VIII., quibus etiam vetitum fuit Regularibus absolvere a casibus reservatis Sedi apostolicae: at communissime et probabilius affirmant Bonacina Aversa Salmant. Pelliz., Rodriquez Potestas Peyrinus et ipse Viva in sua Morali (licet id affirmet solummodo quoad casus papales occultos) ex privilegio Pauli III. concesso anno 1545. Iesuitis, quo dictum fuit, quod possent absolvere Saeculares *ab omnibus peccatis etiam Sedi apostolicae reservatis*, *exceptis contentis in Bulla Coenae*. Nec obstant praedicta Decreta Pauli V. et Urbani VIII. quia illa (ut dictum est *n. anteced.*) intelliguntur de casibus Clementis VIII. (quos supradicti Pontifices confirmare voluerunt) in quo solum casus *Bullae Coenae* et sex alii excepti fuere. Animadvertendum autem est, hanc potestatem valere tantummodo quoad forum internum (1). Observetur praeterea, quod dictum est *n.* 31. de Abbatibus habentibus quasi episcopalem iurisdictionem.

102. Adnotandum hic, quod olim confessarii regulares ex concessione Gregorii XIII et Eugenii IV., in itinere poterant excipere confessiones, non modo subditorum dioecesis, ubi approbati erant, sed caeterorum omnium. Et ex Bulla *Cruciatae*, cum approbarentur in uno loco, erant approbati pro omnibus (2). Innocentius autem X. deinde statuit, ne Regulares possent excipere confessiones alicubi sine loci Ordinarii licentia, etiamsi haberent privilegium *Cruciatae*, ut declaravit Innocentius XII. in Bulla *Cum sicut*, anno 1700 (3).

103. Animadvertendum praeterea est, quod olim ex *Clem. Dudum de sepult.* Regulares approbati absolute semel ab Ordinario, non poterant obligari, ut denuo examinarentur. Attamen s. Pius V. in *Extrav. Romani Pontificis*, dixit, quod Episcopus successor *pro maiori quiete suae conscientiae* posset rursus illos examinare. Sed postea Gregorius XIII. in sua Bulla *In tanta negotiorum, etc.* (relata a Navar. in fine sui Manualis) ad tollendas lites exortas circa Regulares, revocavit omnes Declarationes s. Pii, et praesertim hanc concernentem approbationem confessariorum regularium; revocavit, inquam, ad statum pristinum dispositionis Tridentini, quod *sess.* 23. *cap.* 15., nihil aliud exegit quoad Regulares, nisi ut approbarentur ab Ordinario. Hinc inferunt multi dd., ut Aravius Dicastillus Villalobos Delbene, etc. apud Salm. (4) quod Regulares approbatos examine ab aliquo Episcopo non possit denuo examinare successor. Attamen contrarium tuentur Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resp.* 27. et Lezana Boss. Bordone et multi alii ex Decreto S. C. (relato a Lezana et Diana), quo fuit declaratum quod, non obstante Bulla Greg. XIII, posset Episcopus successor examinare approbatos ab antecessore, et hanc hodiernam esse Episcoporum praxim testantur Diana et ipsi Salm. Sed probabiliter dicunt Salmant. (5) cum Villalobos, quod tam ex Constitutione s. Pii, quam ex declaratione S. C. possit Ordinarius successor iterum vocare ad examen aliquem, aut aliquos Regulares, quos notitiam habet non esse idoneos; sed non potest edicto generali suspendere omnes confessarios regulares, usquedum denuo examinentur. Caeterum animadvertendum est, quod revocando generaliter Ordinarius omnes licentias, non comprehendat Regulares, qui in odiosis non comprehenduntur nisi exprimantur (6). Animadvertatur insuper quod capitularis Vicarius *Sede vacante* non possit ad examen vocare Regulares ex privilegio iis concesso a Clemente IV. (7). Animadverten-

(1) lib. 7. n. 96. et 97. (2) ita apud Salm. tr. 18. c. 4. n. 71. et 72. (3) vide opus nostrum l. 6. n. 548. v. tertia et 549.
(4) Salm. tr. 18. c. 4. n. 119.

(5) ib. n. 120. (6) ibid. n. 115. cum communi. (7) ib. n. 116. et vide Dianam p. 3. tr. 2. resp. 27.

dum praeterea, supradicta valere pro approbationibus concessis absolute, non tamen pro concessis ad tempus, e. g. ad sex menses, ut plerumque fit; cum certum sit ex Bulla Innocentii XIII. *Apostolici ministerii*, confirmata per Benedictum XIII. quod confessarii tam saeculares, quam regulares non valeant excipere confessiones extra locum, personas, et tempus praescriptum, quocumque privilegio non obstante. Vide *Tr.* 16. *num.* 75.

104. 2. De facultate Regularium dispensandi in irregularitatibus. Regulares valent ex privilegio s. Pii V. relato *n.* 96., confirmato a Iulio II, dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus occultis, in quibus possunt Ordinarii dispensare cum suis dioecesanis ex *cap. Liceat*, ut dictum est *n.* 29. Et idem possunt cum Saecularibus, ut aiunt Suarez Sanch. Pelliz. Sayrus Salmantic. Spor. Lezana etc. ex concessionibus Sixti IV., et praedicti Iulii II. (1).

105. Possunt praeterea Regulares dispensare cum subditis in quacumque irregularitate, aut ob delictum, aut ob defectum ex privilegio Martini V. (2). Itaque, ut ad particularia descendam, possunt Superiores dispensare cum subditis 1. In irregularitatibus ob homicidium non solum occultum, ut concessum fuit in Privilegio Martini V., sed etiam voluntarium notorium, ut dictum est *n.* 96, ex privilegio Benedicti XIII. dummodo data opera patratum non fuerit, et consummatum intra claustra. 2. Quoad defectum animae possunt dispensare cum Religioso ad suscipiendum sacerdotium, licet ipse passus esset permanentem dementiam, si deinde medicorum iudicio cessavit eius periculum (3). 3. Quoad defectum corporis, ut si alicui pes, aut oculus deficeret, etiam sinister possunt dispensare, ut probant Salmant. (4) cum Bordone ex privilegio Sixti IV. Et in dubio possunt etiam declarare, defectum non obstare, ut possunt Ordinarii cum suis subditis (5). 4. Quoad defectum natalium, haec irregularitas per se cessat religionem profitendo quoad id, quod spectat ad Ordinum susceptionem, ut habetur ex *c. de Fill. Presbyt.*; nam quoad dignitates necessaria est dispensatio. Sed ex pluribus privilegiis (ut dictum est *Tr.* 19. *n.* 87.) possunt dispensare cum suis omnes Superiores regulares Generales, Provinciales et etiam Priores (6). Quod vero inquit Sotus professione cessare quamlibet irregularitatem, id communius negatur (7). 5. Possunt dispensare in bigamia etiam vera ex privilegio Martini V.; ita Castropal. Pelliz. Macad. Salm. etc. (8). 6 In irregularitate etiam publica ob defectum lenitatis (9). 7. Et ultimo possunt Regulares dispensare cum suis subditis in omnibus inhabilitatibus, et poenis contractis ratione delicti, ut privationis officii, beneficii, vocis, loci etc., etsi illae reservatae sint Pontifici, ut aiunt Suarez Sanchez Pelliz. et Salmantic. cum aliis ex privilegiis Sixti IV. Pii V. et Gregorii XIV. (10).

106. 3. Praelati regulares habent potestatem dispensandi cum suis subditis in praeceptis ecclesiasticis, ut possunt Episcopi cum suis dioecesanis, ut diximus *Tr.* 2. *n.* 57. Etenim ipsi habent quasi episcopalem iurisdictionem, ut communiter docent dd. ex Clem. *Ne Romani de elect.*(11). Et ideo possunt probabiliter dispensare in omni eo, quod non est specialiter Pontifici reservatum, ut dictum fuit *praed. Tr.* 2. *n.* 58.; et praesertim in dubio, utrum res di-

(1) lib. 7. n. 355. (2) n. 355. et 396. (3) n. 400. in fine. (4) tr. 10 de Cens. c. 9. n. 75. (5) vide opus nostrum l. 7. n. 414. circa fin. (6) n. 354. et 426. vide etiam Salm. tr. 10. c. 9. n. 57. et tr. 18. c. 4. n. 28. cum Bord. Peyr. Lez. Pell. etc. (7) vide Salm. tr. 10. c. 7. n. 58. (8) vide opus nost. l. 7. n. 355. et 453. (9) n. 469. (10) Salm. tr. 18. c. 4. n. 29. (11) ib. n. 31. cum Bonac. Pasq. etc.

sponsatione indigeat, ut diximus (1). Possunt etiam dispensare cum causa (sicuti semper supponitur) in legibus pontificiis, cum latae sunt pro aliqua provincia aut monasterio particulari, quia tunc praesumitur data huiusmodi facultas; aut cum talis est consuetudo, aut quando non potest facile recurri ad Superiorem: aut quando agitur de rebus parvi momenti quae non obligant ad lethale peccatum, aut quae frequenter accidunt, ut ieiunia, abstinentia a carnibus, festorum observantia, recitatio officii; dummodo non dispensetur per longum tempus, ut dicunt Salmant. cum Caiet. Soto etc. Et idem valet quoad regulas religionis (2). Ita dicunt etiam Azor. Castr. Salm. Trull. Macado, etc. posse Superiores dispensare ad operandum diebus festis tam cum Religiosis, quam servis domesticis, sed non cum extraneis, qui alioqui possunt operari pro monasterio, si monasterium sit pauper, ut aiunt Silvestr. Fagund. et Salm. cum Pasq. Leandro et aliis (3). Vide quoad istud id, quod dictum fuit *Tr.* 6. *n.* 14.

107. Quoad divinum officium notentur hic privilegia, quae habent Regulares. 1. Leo X. concessit Religiosis ut possent recitare Horas privatim omnino mentaliter (Sed p. Ferraris *Bibl.* *v.* *Offic.* art. 3. *n.* 100. *et* 101. citans Spor. ait hoc privilegium esse adulterinum), praeterea ut possint anticipare officia longiora, et reservare brevia pro diebus maioris occupationis. 2. Clemens VII. concessit omnibus Regularibus infirmis (intelligitur de illis infirmis qui per se non excusantur ab officio), et infirmariis posse satisfacere officio recitando 6. aut 7. psalmos (assignandos a Superiore), 7. *Pater* et duo *Credo*. Et Martinus V. concessit convalescentibus ut satisfacere possent dicendo illam officii portionem, quam iudicaverit eorum confessarius. 3. Innocentius IV. concessit Monialibus s. Clarae (et ita intelligitur pro omnibus aliis communitatibus) satisfacere officio conversarum ob quamcumque rationabilem causam, v. g. si religiosa non sit bene instructa iuxta iudicium Abbatissae, aut confessarii, in officio choristarum: aut si sit scrupulosa, aut ob labores lassa, aut occupata in rebus utilibus, ut esset Religiosis esse applicatum ad excipiendas confessiones, praedicationi, aut studio ecclesiastico pro maiori diei parte. Etenim supponitur, quod privilegiis concessis Monialibus gaudeant etiam Religiosi *ad invicem*, ut dictum fuit *n.* 10. Animadvertunt insuper Salmantic. huiusmodi privilegio eos posse uti etiam sine licentia Superiorum: fuit enim concessum sine ista conditione. Animadvertunt praeterea, quod si Moniales omitterent laicarum officium, utentes huiusmodi privilegio, non peccarent lethaliter, quia tunc reputantur ut laicae, quae sub mortali non tenentur ad sui officii recitationem. Sed hoc non mihi placet, etenim huiusmodi privilegio Monialis non transit in qualitatem laicae, sed tantum officium eius choristae transit et commutatur in illud laicae.

108. 5. Confessarii Mendicantium, et caeteri Regulares communicantes potestatem habent irritandi, remittendi et dispensandi iuramenta, ac vota. Sed hac de re dictum est *Tr.* 5. *n.* 42. *et seq.* Possunt insuper dispensare cum coniugibus quoad impedimentum ad petendum debitum propter incestum commissum cum consanguinea coniugis, ut communiter aiunt Sanch. Pontius Salmantic. aliique contra Patrem Concinam ex multis privilegiis variorum Pontificum (4). Animadvertendum est autem hic, quod confessarius debet in hoc obtinere licentiam specialem, et saltem a Superiore inferiore sui monasterii (5).

109. Possunt praeterea confessarii

(1) Salm. loc. cit. n. 33. (2) n. 34. et 35. (3) n. 37. (4) l. 6. n. 1076. v. insuper. (5) ibid. v. an autem.

Mendicantes dispensare cum coniugibus in voto castitatis elicito ante matrimonium, ad petendum debitum, sicuti etiam communiter dicunt Castrop. Pont. Sanch. Tourn. Wigandt Salm. etc. ex privilegio s. Pii V. Et etiam in voto elicito post matrimonium, uti rite existimant Sanch. Salmant. etc. (contra Pontium) ex aliis privilegiis, ex quibus possunt ipsi dispensare in omnibus votis, in quibus valent *de iure ordinario* dispensare Episcopi cum suis subditis (1). Id vero, quod magis ambigitur, est, utrum in casu necessitatis possint dispensare cum sponsis, ut possunt Episcopi in voto castitatis ad contrahendum matrimonium? Plerique affirmant, ut Anacletus Vidal Basseus Henriq. etc., quam sententiam probabilem iudicant Salm. et Elbel; sed communius negant Layman Barbosa Sanch. et Pont., dicentes, quod Regulares possunt dispensare solum in votis, in quibus valent dispensare Episcopi *de iure ordinario*, sed non extraordinario, ut in casu isto. Respondent autem adversarii in casu necessitatis Episcopos, etiam *de iure ordinario* dispensare, cum sit huiusmodi potestas annexa eorum officio et dignitati, ut dictum fuit *n.* 34. et 41. Unde non possumus habere ut improbabilem primam sententiam (2).

110. 6. Cum saecularibus conceditur facultas deligendi sibi confessarium, aut a Summo Pontifice, aut ab eorum Ordinario, semper supponitur, quod sit confessarius approbatus ab Episcopo; sed Regulares ex expressa, aut tacita sui Superioris licentia possunt confiteri cuicumque simplici sacerdoti: quod communiter existimatur cum Suar. Lugo Salmant. etc. (3). Quare omnes Superiores regulares possunt sibi eligere in confessarium quemlibet sacerdotem, ut etiam communiter dicunt dd. ex *cap. ult. de Poenit. et Rem.* Idem vero quod pro Religiosis, valet et pro famulis commensalibus monasterii, uti habetur ex *Trid. sess.* 25. *c.* 11. ex quo possunt recipere a Religiosis Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis. Et idem valet quoad novitios, qui *in favorabilibus* sub Religiosorum nomine veniunt, ut omnes fatentur, et declaravit S. C. die 14. Augusti 1665. Quare ipsi possunt absolvi ab omnibus casibus ab Episcopo reservatis (4), ut dictum est *n.* 95. Sed id non valet pro Equitibus s. Iacobi, et similibus, ut dicunt Salmant. cum communi, nam huiusmodi viget consuetudo (5).

111. Adnotandum insuper, quod Religiosi peregrinantes, si habeant socium (dummodo sit idoneus) eiusdem Ordinis, illi confiteri debent. Si vero desit socius, aut alius eiusdem Ordinis sacerdos, tunc confiteri possunt cuilibet sacerdoti idoneo regulari, aut saeculari: quod commune est apud omnes. Sed quaeritur utrum talis sacerdos approbatus in illo loco esse debeat? Ita volunt pauci quidam, ut Wigandt Conc. etc.; sed communissime, et quidem recte negant Suar. Ronc. Castrop. Salmant. Elbel, aliique. Et quia talis est consuetudo religionum, quae facit praesumere consensum Ordinariorum; et quia Innocentius VIII. absolute concessit Religiosis peregrinantibus, ut, cum non possent habere sui Ordinis Confessarium, *quemcumque alium presbyterum idoneum religiosum, vel saecularem eligere valeant* (6). Vide quae diximus *Tr.* 16. *n.* 88.

112. Dicunt insuper Lugo (7), et Salmant. (8) cum Navarro Soto Castrop. Peyrino Bossio etc. quod tempore generalis iubilaei possint Regulares, et etiam Moniales sine suorum Superiorum licentia confiteri Religiosis alterius Ordinis, licet haberent confessarium Ordinis, sibi assignatum, ex pluribus privilegiis, quae

(1) l. 6. n. 987. v. an autem, et n. 1128. (2) ibid. circa fin. (3) Salm. tr. 18. c. 4. n. 49. (4) ib. n. 57. (5) ib. n. 58.

(6) vide opus nost. l. 6. n. 575. (7) d. 20. n. 86. (8) tr. 18. c. 4. n. 124

referunt Lugo Mendo etc. (1).

113. 7. Regulares, quoad Ordines, non recipiunt litteras dimissoriales ab Episcopis, sed ab eorum Superioribus; aliter graviter peccant, et incurrunt suspensionem. Attamen quoad recipiendos Ordines, primo s. Pius V. ipsis concessit privilegium recipiendi Ordines a quocumque Episcopo, sed hoc revocatum fuit per Gregorium XV. Quae abrogatio confirmata est a pluribus aliis Pontificibus, et nuper a Benedicto XIV. Bulla *Impositi Nobis etc.* 27. Febr. anno 1747, qua praeterea praecipitur ut, si loci Ordinarius Ordinationem tenet, ab ipso debeat examinari et ordinari Religiosus; quod si Episcopus absit, aut non habeat Ordinationem, potest ordinari ab alio Episcopo, sed tunc requiritur attestatio authentica vel Vicarii generalis, vel secretarii, aut Cancellarii ipsius Episcopi, qua constet aut vel ipsum abesse a dioecesi, vel Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per leges ecclesiasticas statuto. Et praecipit idem Pontifex hoc expresse declarandum esse ut cognoscatur, quod non sufficit, ut dicatur Episcopus Ordinationem non habiturus, si accedant extra tempora; aliter easdem subit poenas, quas subeunt, qui sine dimissorialibus litteris ordinantur. Insuper vetatur Religioso, ne alibi data opera permaneat, ut eximat se ab examine Episcopi loci, ubi prius morabatur. Religiosi vero morantes in dioecesibus quae sunt *nullius*, ordinari debent ab Epicopo viciniori (2).

114. Quaeritur hic 1. a quo debeant ordinari novitii? Dicunt Suarez et Henriquez, ab Ordinario, aut originis, aut domicilii; sed Sanchez Castrop. Delbene et Fagnanus cum aliis existimant quod possint ordinari ab Ordinario loci, ubi est novitiatus. Recte dicunt La-Croix, et p. Mazz. utramque sententiam esse probabilem, dummodo (quoad hanc secundam) novitius animum habeat, quantum in se est, perpetuo permanendi in illo monasterio, in quo est, et hac de re iuramentum praebeat, ut praecipitur in Bulla *Speculatores* (3).

115. Quaeritur secundo utrum Religiosi possint ordinari *extra tempora*? Negant Vasquez Lezana, etc.: etenim aiunt, quod etsi Gregorius XIII. id concesserit Iesuitis, attamen prohibuit communicationem. Sed hodie non amplius est in dubium revocandum, quin possint tam ex multis privilegiis concessis aliis religionibus, quam ex declaratione nuper facta per Benedictum XIII. in Concilio romano (*Tit.* 5. *cap.* 2.) in quo statutum fuit, quod talia privilegia *in suo robore persistant*, *nec eis derogatum fuisse constet* (4).

116. Quaeritur tertio utrum, cum ordinantur Regulares *extra tempora*, valeant ordinari quocumque die in quo fit officium duplex, etiamsi non sit festum de praecepto? Affirmant Fagundez Villalob. Diana, etc., et dicunt esse probabile Suar. aliique; quia Alexander VI., cum ageret de huiusmodi privilegio, dixit posse ordinari *diebus dominicis*, *sive festivis duplicibus*, at non dixit de *praecepto.* Hanc opinionem reiicere non audeo; existimo tamen probabiliorem oppositam cum Lugo Morio et Escobar. quia Gregorius XII. agens de eodem privilegio declaravit, dicens, *diebus dominicis*, et *festivis diebus*, et non dixit *duplicibus*: Dies festivus proprie accipitur ille, in quo vetantur opera: unde intelligitur de praecepto. Et revera usus obtinet quoad omnes eos, qui dispensatione ordinantur *in tribus diebus festivis*, pro quibus valet eadem regula (5).

117. Quo vero ad potestatem conferendi Ordines, olim Abbates regulares ex concessione ipsis facta in Synodo VII. (sicuti habetur in *can.*

(1) vide opus nostrum l. 6. n. 536. v. hic addendum. (2) n. 768. et n. 788. notand. 8. (3) n. 765.

(4) n. 797. dubit. 3.
(5) n. 797. dubit. 4.

Quoniam Dist. 166.) poterant ministrare Tonsuram, et Ordines minores, non solum suis subditis religiosis, sed omnibus aliis. Attamen per *Trid. sess.* 23. *c.* 10. huiusmodi potestas fuit ipsis limitata pro solis regularibus subditis. His tamen non obstantibus plerique dd. sustinuerunt, Abbates, saltem mitratos (ut existimant Salmanticenses, et adducunt plura S. C. Decreta), qui possunt pontificalia exercere, posse ordinare etiam saeculares suos subditos, et etiam alios, habentes dimissoriales litteras suorum Ordinariorum; nihilominus omnes istae opiniones locum amplius hodie non obtinent post Decretum S. C. approbatum ab Urbano VIII. die 17. ianuarii anno 1642., in quo, reiecta quacumque contraria sententia, prohibitum fuit Abbatibus, ne Ordines conferrent, vel litteras dimissoriales concederent aliis, quam solis subditis regularibus; iisque contrarium facientibus suspensio imposita fuit. Excipiuntur tamen plerique descripti in Cancellaria rom., qui privilegium habent dimissoriales epistolas concedendi, ut Abbas Montis Cassinensis, Abbas Cavensis etc.(1).

118. Quaeritur hic 1. utrum Abbates habentes iurisdictionem pene episcopalem in aliquo territorio separato, possint ordinare suos subditos saeculares? Molfesius apud La-Croix (2) affert declarationem affirmativam S. C.; sed Benedict. XIV. (3) refert alteram contrariam, et idem affert decisum p. Zaccharia apud La Croix loco citato.

119. Quaeritur 2. utrum Abbates, qui possunt ordinare subditos professos, valeant et novitios? Negant Castrop. Barbosa Sayrus, etc.; communius autem et probabilius affirmant Suarez Layman Sanchez Escobar. et Salmant. cum aliis, quoniam in *favorabilibus* regulariter sub Regularium nomine veniunt etiam novitii (ut diximus *n.* 110.).

(1) l. 6. n. 763. (2) Cr. l. 6. p. 2. n. 2236. (3) de Synod. l. 2. c. 11. n. 15.

120. Quaeritur 3. utrum Ordines collati ab huiusmodi Abbatibus, saecularibus, aut regularibus non subditis, sint validi? Negant Suarez La-Croix, etc.; sed affirmandum est cum Sanchez Salm. Tamb. Pelliz. etc., quia haec facultas (ut diximus) olim fuit concessa Abbatibus: et a Concilio deinde, et a Decreto Urbani vetitum illis fuit tantum facultatis exercitium: unde ipsi illicite, sed valide ordinant. Et quod ita se res habeat, apparet ex eodem Decreto Urbani, in quo ordinatis imponitur suspensio. Pro validis itaque habentur Ordines iis collati. Et ita decisum pluries per S. C. affert Bened. XIV. (4).

121. VIII. Quoad celebrandam Missam, et ministrandam Eucharistiam, olim ex privilegiis Sixti IV., Alex. VI., et Urbani VIII. poterant celebrare in altari portatili, tam in suis domibus, quam in suis ruralibus domibus vulgo *Grancie*, etiam contradicente Episcopo. Sed Clemens XI. anno 1703. suo Decreto declaravit, quod omnia eorum privilegia celebrandi in altari portatili revocata sint per Tridentinum. Idemque declaravit Bened. XIV. in Bulla *Magno*, edita 2. iun. 1751. §. 29.; nec possum assentiri p. Mazzotta dicenti huiusmodi prohibitiones intelligi factas quoad domus privatas, sed non quoad proprias Religiosorum; nam in Decreto Clementis agitur de privilegio celebrandi *in locis, in quibus degunt*; loca autem, in quibus degitur, sunt domus propriae, non alienae. Innocentius insuper XIII. anno 1723. in Bulla *Apostolici ministerii*, prohibuit, *ne in privatis Regularium cellis, seu cubiculis erigatur altare, remota quacumque in contrarium consuetudine* (5). Sciatur tamen, quod Greg. XIII. concessit Provincialibus Iesuitarum facultatem deputandi publica oratoria in suis ecclesiis, in quibus omnes

(4) vide opus l. 6. n. 766. et de synod. l. 2. c. 11. n. 13.
(5) Salm. tr. 15. c. 7. n. 97

possint celebrare, etc. (1).

122. Ex privilegio Greg. XIII. possunt Regulares celebrare una hora ante auroram; quare valent celebrare Missam tribus horis ante solis ortum; ita Lugo Suarez Rodriq. Salm. etc. (2). Immo cum adest aliqua iusta causa, possunt celebrare immediate post duas horas post mediam noctem ex privilegiis Alexandri VI. et Clementis VIII. Et huiusmodi privilegia dicunt Lugo Rodriquez Diana Narbona et Salm. cum aliis non esse revocata per Tridentinum *sess.* 22. *de observand. et evitand. etc.* Monent tamen praedicti dd. id valere tantum pro ecclesiis propriis, in quibus tamen (subdunt) possunt huiusmodi privilegio uti etiam sacerdotes saeculares (3). Insuper Eugenius IV. concessit Regularibus licentiam celebrandi tribus horis post meridiem, iusta tamen ex causa; attamen Azorius Fag., aliique dicunt, huiusmodi privilegium fuisse revocatum per S. Pium Bulla, *Amantissimus*, anno 1566. cuius rei Lezana affert Declarationem S. C. Sed his non obstantibus, dicunt Lugo (4) Salmanticenses cum Aversa Dicastillo Narbona Diana, etc. authentice non constare de dicta Declaratione, nec de revocatione S. Pii, qui loquutus fuit de Missis tantum, quae celebrantur *de sero*, *etiam forsan*, *circa solis occasum*; unde dicunt, vigere privilegium Eug. IV., et ut quis illo utatur, sufficere quamcumque mediocrem causam, ut convalescentiae, studii, et similium.

123. Quo vero ad ministrandam Eucharistiam Paulus III., aliique Pontifices concesserunt Regularibus facultatem ministrandi in suis ecclesiis omnibus fidelibus. Excipitur tamen 1. Si Episcopus rationabiliter prohiberet alicui, ne Eucharistiam sumeret. Excipitur 2. Communio in mortis articulo, aut periculo, dummodo non adsit extrema aut gravis necessitas, et parochus nequeat, aut nolit ministrare; Lugo Ronc. etc. (5). Excipitur tertio Communio paschalis, id est illa, qua praecepto satisfit, ut communiter aiunt Filliuc. Sa Busemb. etc. Videantur hac de re, quae dicta sunt *Tr.* 12. *n.* 41.

124. 9. Quoad facultatem concionandi, olim Regulares ex Clementina *Dudum de sepult.* poterant libere praedicare in suis ecclesiis, et in plateis, sed *Trid. sess.* 5. *c.* 2. *de Reform.* statuit, ne in alienis ecclesiis praedicare possent sine licentia Ordinarii, et in ecclesiis propriis sui Ordinis, antequam benedictionem petant ab Episcopo. Quare Religiosis, ut in suis concionentur ecclesiis, sufficit, ut petant benedictionem, etsi illa denegetur, ut dicunt Lez. Pelliz. Bord. et Salm. cum aliis, adducto Decreto S. C. (6). Sed huiusmodi benedictio, ut dicunt Salm. non requiritur, ut praedicent per plateas; nam Concilium loquitur solum de ecclesiis. Semper tamen debent Regulares habere approbationem suorum Superiorum, qui peccarent, si nullo eorum praehabito examine, iis praedicare permitterent (7). Possunt autem Superiores committere, etiam simplicibus clericis tonsuratis ut praedicent, ex privilegio Greg. XIII. Licet S. C. generaliter declaraverit, praedicationem posse committi cuicumque tonsurato (8).

125. Quo vero ad ecclesias alienas, ut dictum est, Regulares ibi praedicare non possunt sine venia Ordinarii, nisi id esset pro duabus aut tribus vicibus, ut dicunt Nav. Barb. Diana Salm., aliique; aut dummodo Ordinarius non maneret inibi, et Religiosus aliquis transeunter ibi esset: quia tunc potest illi parochus licentiam concedere praedicandi, uti concessit Greg. XIII. (9). Quando tamen

(1) vide opus nostrum l. 6. n. 360. et ib v. hanc. (2) apud Merat. p. 1. tit. 15. ad lit. Y. (3) Salm. tr. 15. c. 7. n. 94. (4) de Lugo de Euch. d. 20. n. 27. et Salm. ib. n. 95. (5) vide opus nostrum l. 6. n. 239. et 240. (6) Salm. tr. 18. c. 4. n. 178. (7) ib. n. 176. et 177. (8) ib. n. 174. (9) ib. n. 184.

Ordinarius veniam concederet, Religiosus valet concionari in parochiis, etiam contradicente parocho, et quia Ordinarius est parochi Superior, et quia id fuit expresse concessum per Alex. IV. (1).

126. Quaeritur 1. utrum liceat Regularibus concionari, contradicente Episcopo? Quando sunt alienae ecclesiae, et Episcopus ab initio veniam denegat, proculdubio non licet. Sed si Episcopus iam concessisset licentiam, et deinde vellet eam revocare, aut si ecclesiae essent propriae, dicunt Peyr. Vega Pelliz. et Salm. cum Diana, etc. (2) posse praedicare. Sed huic obstat quod in Tridentino statuitur (*sess.* 24. *c.* 4. *de Reform.*): *Nullus autem Saecularis, sive Regularis,... contradicente Episcopo, praedicare praesumat.* Obstat insuper Bulla Greg. XV. *Inscrutabili*, in qua statuitur, Episcopum, ut delegatum apostolicae Sedis, posse punire Religiosos, *qui in alienis ecclesiis suorum Ordinum non petita benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint.* Sed respondent Salm. quod tam praedicta Bulla, quam Concilium accipienda sint iuxta id, quod statuitur in Clementina *Dudum* supracitata, in qua prohibetur praedicare, quando praedicat Episcopus, aut quando solemniter coram ipso praedicatur. Et ita decisum referunt per S. C. Episcoporum et Regularium die 30. ian. 1629. apud Barb. (3). Cum ego tamen observassem Barbosam loc. cit., inveni, quod S. C. declaratio fuerit solummodo quoad conciones in ecclesiis propriis Regularium. Unde quoad ecclesias alienas mihi non videtur probabilis supradicta responsio.

127. Quaeritur 2. utrum Episcopus valeat examinare Religiosos petentes veniam concionandi in ecclesiis non propriis? S. C. apud Barb. (4) die 12. ianuar. anno 1628. statuit affirmative; sed negant Salm. (5) cum Pelliz. Bord. Diana Peyr., etc. ex Bulla Leonis X. *Superna*, in qua statutum fuit, ut nemo ad concionandum admitteretur, *nisi prius per Superiores suos respective examinatus*; et deinde declaratum fuit ibidem, quod Religiosus approbationem sui Superioris ostendere deberet. Respondent deinde Salm. cum Pelliz. et Granado supradictam contrariam S. C. Declarationem non amplius quam probabilem prae se ferre sententiam; unde non esse praeferendam Bullae Leonis. At, inquam, saltem probabile est ex dicta Declaratione, quod Episcopus valeat examinare, et aliter negare possit licentiam. E contrario Bulla Leonis prohibet Episcopis, ne admittant Religiosum, non afferentem approbationem sui Superioris, sed non vetat illum examinare, si velit, et negare veniam, si ipse renuat examinari.

128. Animadvertendum tandem est, Ordinarium ex Concil. Lateranensi V. posse suspendere et punire concionatores regulares in tribus casibus in quibus immo ipsi *ipso facto* suspenduntur a concionando: 1. Si praedicent miranda, falsa, aut incerta. 2. Si praedicent prophetias non fundatas in sacra Scriptura, aut non approbatas a Sede apostolica. 3. Si praedicando detrahunt Episcopis, et suis Superioribus. Insuper ex Trid. *sess.* 5. *c.* 2. Episcopus potest suspendere et punire Regulares illos, qui praedicant propositiones haereticas, erroneas, aut scandalosas (6). Demum adnotandum quod Urbanus VIII. in Constit. *Alias felicis rec.*, etc. data 11. april. 1635. (in extensum relata apud p. Ferrar. *Bibl. tom.* 5. *verb. Oracula*, *pag.* 342. *n.* 9.) revocavit omnia privilegia ab antecessoribus regularibus concessa *vivae vocis oraculo*, exceptis iis quae testificata fuerint per ministros quibus vi sui officii fides adhiberi solet.

(1) Salm. tr. 18. c. 4. n. 189.
(2) ib. n. 181.
(3) in Trid. sess. 5. c. 2
(4) loc. cit. (5) Salm. tr. 18. c. 4 n. 186.
(6) Salm. ib. n. 188.

TRACTATUS XXI.

DE CHARITATE ET PRUDENTIA CONFESSARII

Punctum Unicum.

1. *De confessarii charitate in excipiendo poenitente.*
2. *In eo audiendo.*
3. *In eo corrigendo.*
4. *De prudentia in interrogando, admonendo, et disponendo.*
5. *Remedia generalia.*
6. *Remedia particularia.*

1. Quatuor sunt officia quae bonus confessarius exercere debet, patris nempe, medici, doctoris, et iudicis. Quod autem attinet ad doctoris et iudicis officium, sat de eo actum est in opere in omnibus tractatibus hucusque expositis. Restat nunc agendum de officio patris ad quod pertinet charitas, et de officio medici ad quod spectat prúdentia. Confessarius, ut boni patris partes adimpleat, debet charitate esse plenus. Et primo charitatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis confessionibus aliquorum devotorum, aut personarum spectabilium, quia, ut has a se repellant, non est eis tantus animus. Si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, aegre auditur, et conviciis oneratus arcetur; unde fit, ut ille miser qui postquam sibi maximam vim intulerit, ut ad sua peccata confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in Poenitentiae Sacramentum concipiat, et desperans se posse invenire, qui sibi opituletur, et se absolvat a peccatis, in perditae vitae lubricum laxis habenis praeceps ruat, et in salutis desperationem incidat. Secus boni confessarii agunt; cum ad se huiusmodi peccatores confluunt, benigne hos accipiunt, et (quasi *victor capta praeda*) exultant, perpendentes sibi sortem contigisse, animam de manibus daemonis eripere. Sciunt hoc Sacramentum proprie non pro iustis fuisse constitutum, sed pro peccatoribus; etenim veniales culpae, ut remittantur, non indigent sacramentali absolutione, cum multis aliis modis deleri possint; sciunt quoque Christum protestatum fuisse his verbis: *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Marc.* 2. 17. Propterea confessarius charitatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine, et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, maiore charitate eas amplectitur, eisque animum praebet his aut similibus verbis: *Eia frater! bono animo esto, noli timere: peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuae conscientiae sinus non introspexeris; sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, qui te hucusque ad poenitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Laetare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem; ideoque te expectavit, ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nihil involucris tegas.*

2. Charitatem deinde longe maiorem ostendere debet in confessionem excipiendo. Caveat ne se impatientem, aut taedio affectum exhibeat; nec ostendat admiratione percelli de peccatis quae narrantur; modo poenitens non sit ita animo durus, aut petulans, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore, et sine ulla displicentia animique sensu exponeret; quia tunc opus habet pro viribus efficere, ut a poenitente quanta sit illorum deformitas, et magnitudo percipiatur; ideoque tunc acrior requiritur correctio, ut ipse a lethali lethargo expergefiat. Verum

quidem est, quod (ut dicunt doctores) in actu confessionis abstinere debent confessarii a correctione facienda: ne forte exterriti poenitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo: caeterum multoties expedit ad ulteriora non procedere, et statim poenitentem corripere, praecipue cum confitetur peccatum valde enorme, aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati gravitatem comprehendat. Advertat tamen, ne eum exasperet, nec perterreat. Quapropter, postquam eum, quantum opus fuerit, correxerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, dicens: *Eia Frater! vis te ab hoc vitio resipiscere? Num ita est? Et quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quaeso, ne sis aliquod sacrilegium commissurus. Hoc enim esset maximum omnium peccatorum, quae hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti, vince teipsum; confitere omnia sincere; Deus enim paratus est tibi parcere.*

3. Deinde in fine confessionis oportet, ut confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat, ut poenitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem eius peccatorum, ac miserum damnationis statum in quo reperitur; sed hoc semper maxima cum charitate fiat. Verumtamen congruentius est tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut poenitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore et commiseratione erga suam animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi: *Fili mi! considerasne vitam damnati, quam duxisti? Percipisne malum, quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contempsisti? Si Iesu Christo nullus fuisset tibi inimicitior, potuisses cum illo te gerere peius? Sed quaeso, animadverte quis sit hic Iesus. Hic est ille qui cum esset Deus, nullius egens, factus est homo propter te; voluit mori in Cruce, ut te de inferno redimeret. Ah fili, si interim mortuus esses, si in hac nocte, quo iturus fuisses? ubi nunc esses? esses in aeterno igne inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, quod nisi mores in melius mutes, iam es damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Nonne consideras, quod duplicem infernum tibi paras, unum hic angoris et miseriae, alterum illic poenarum? Age fili, averte a malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quae ad te suscipiendum sunt extensa, committe; sufficit quantum ei peccasti. Ege totis viribus, et toto corde te adiuvare volo; veni ad me semper ac tibi lubet, quoniam invenies patrem, qui te benigne suscipiet. En firmiter nunc statue te sanctum velle effici. Per te stat; Deus enim semper paratus est, et propterea tibi hoc tempus impertitus est, ut avertas a malo, et facias bonum. Oh quam bonum est amicum habere Deum! etc.* (S. Franciscus Sales, ut Deo alliceret peccatores, potissimum curabat, ut ipsi cognoscerent pacem, qua fruuntur illi qui Deo adhaerent, et vitam infelicem, quam ducit qui a Deo alienus est). Postea adiuvabit eum ad doloris actus efformandum, et si dispositus est, eum absolvat, et remedia salutaria, quibus possit se a peccatis servare, suggerat, atque ei poenitentiam imponat (sed de his in num. sequenti agetur). Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens videbitur differendam esse absolutionem, assignet ei diem in quo regredi debeat, dicendo ei sic: *Eia Frater! tali die te expecto, ne praetermittas ad me redire; animo forti magnoque sis, ut tibi dixi; commenda te quotidie beatae Virgini, et veni ad me. Si forte tunc invenies me aliorum confessiones excipientem, ac-*

cede, te enim ante alios audiam. Si alibi ero, fac ut me arcessant, omnia deseram, ut tu confitearis. Et sic dulcibus verbis a se dimittat. Haec est via qua peccatores tales allici possunt, nempe cum eis agere quanta maxima fieri potest charitate: alioquin, si ipsi in confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, a confessione horrebunt, confiteri negligent, et effraenate in perditionem ibunt.

4. Ad medici officium spectat prudentia, quae requirit, ut confessarius ad recte curandum poenitentem suum, prius cognoscat causas et originem omnium infirmitatum spiritualium, interrogando de habitu, de occasionibus peccandi, de loco, tempore, et personis cum quibus peccavit. Et ex his se dirigere debet ad debitas correctiones faciendas, quas nunquam omittere debet cum quibuscumque personis, licet quacumque illustri qualitate fulgeant, nec cum principibus, magistratibus, praelatis, parochis, aut sacerdotibus, cum ipsi se accusant de culpis gravibus, et sine nimio animi sensu: cum huiusmodi licet adhiberi debeant correctiones verbis lenioribus et discretioribus; maiori tamen animi fortitudine et calore fiat, cum ex istorum peccatis propter gravius damnum quod suo malo exemplo aliis afferri potest, perniciosior flagitiorum consequens esse soleat licentia. Propterea cum istis, si suo desunt officio, admonitio non omittenda est, licet in bona fide existant. Cum aliis vero, qui aliqua laborant inculpabili ignorantia, an adhibenda sit admonitio cum profutura non est, vide dicta *Tr.* 16. (cum de confessione locuti sumus ex *n.* 108.). Deinde audita confessione debet confessarius procedere ad disponendum per actus doloris et propositi poenitentem ad absolutionem. Iterum hic advertendum quod diximus *Tr.* 16. *n.* 105. *in fine*, quod si poenitens esset indispositus, tenetur confessarius (quemadmodum dicunt Suarez Laym. et alii) pro viribus efficere, ut disponatur, nihil curans quod alii expectent, aut abeant. In eodem *Tr.* 16. *n.* 51. locuti fuimus de prudentia, quam adhibere debet confessarius in iniungenda poenitentia pro viribus spiritualibus poenitentis, ne onere maiore, quam poenitentis vires patiuntur, illum gravet. Sed maxime confessario intendendum est, ut opportuniora applicentur remedia, quibus poenitens in Dei gratia conservari valeat.

5. Sermonem autem facturus de remediis, quae insinuari debent poenitentibus, dico, alia esse generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari. Generalia omnibus insinuanda, sunt 1. Amor erga Deum, cum ipse ad hunc solum finem nos creavit. Et curetur pariter, ut poenitens cognoscat pacem interiorem qua donantur, qui Dei amicitia fruuntur, et infernum quem ante tempus experiuntur qui alieni sunt a Deo; addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum. 2. Saepe se commendare beatae Virgini, Rosarium recitando; se commendare Angelo Custodi, et alicui Sancto peculiari protectori. 3. Frequentia Sacramentorum, et si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim se confiteri. 4. Veritatum aeternarum consideratio, et prae caeteris consideratio mortis; et patribusfamilias insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem Rosarium una cum filiis. 5. Dei praesentia, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt*... 6. Quolibet vesperi conscientiam scrutari cum animi dolore et proposito. 7. Saecularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant, et sacerdotibus oratio mentalis, et gratiarum actiones post Missam, et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante et post Missam.

6. Remedia autem particularia assignabuntur pro vitiorum diversitate, v. gr. illi qui aliquo odio tenetur, in-

sinuetur ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso Orationem dominicalem et Salutationem angelicam, et cum se turbari sentit memoria iniuriae sibi illatae, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. Illi qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat; et illi qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili ad resistendum factae erunt proximae. Huic praecipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter Salutationem angelicam in honorem puritatis beatissimae Virginis, mane et vesperi, repetendo semper coram eius imagine propositum non peccandi, et supplicationem, ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cum Eucharistia dicatur *Vinum germinans virgines*. Illi qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur ut novies, vel quinquies lingua signet crucem super terra, et ut quotidie saltem semel dicat Orationem dominicalem et Salutationem angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit, et ut quolibet mane, dum e cubili surgit, renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat beatae Virgini quolibet mane: *Domina mea, dona patientiam*. Et id non solum inserviet, ut sanctissima Maria sibi opituletur, sed etiam, ut in occasionibus reperiatur habitus factus dicendi eadem verba. Aut assuescat dicendo, *maledictum sit peccatum meum*, *maledictus sit daemon*, *etc*. Alia remedia assignabit confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, et munerum.

TRACTATUS ULTIMUS.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS CUM POENITENTIBUS DIVERSORUM GENERUM

CAPUT UNICUM

Punctum I.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi.

1. Maxima confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi, aut in vitiis consuetudinarii sunt, aut

recidivi. Hi sunt duo magni scopuli in quos maior confessariorum pars impetunt, et deficiunt. In capitulo sequenti sermonem faciemus de habituatis et recidivis; hic de occasionariis. Certum est quod si homines satagerent occasiones fugere, maior peccatorum pars evitaretur. Satan, remotis occasionibus, parum lucratur, sed cum homo ultro in occasionem proximam se immittit, ut plurimum et fere semper hostis victoriam canit. Occasio, praesertim in materia turpium delectationum, est quasi rete, quod ad peccatum trahit, et simul mentem obcoecat: ita ut homo peccet, quin videat quod agat. Sed deveniamus ad praxim. Occasio primo dividitur in voluntariam et necessariam. *Voluntaria* est illa, quae facile vitari potest. *Necessaria* quae amoveri nequit sine gravi damno, aut scandalo. Secundo dividitur in proximam et remotam. *Remota* est illa in qua homo raro peccat, vel illa quae ubique reperitur. *Proxima per se loquendo*, est illa in qua homines communiter ut plurimum deficiunt. *Proxima* autem *per accidens*, seu respectiva est ea quae licet respectu aliorum non sit proxima, tamen respectu alicuius proxima est, vel quia hic in tali occasione frequenter est lapsus, vel quia prudenter timeri potest ne labatur propter experientiam cognitam suae fragilitatis. Quidam aa. volunt, non esse occasionem proximam nisi eam, in qua homo fere semper, vel ut plurimum ceciderit; sed communior et verior sententia docet, occasionem proximam esse illam in qua frequenter quis peccavit (1). Verumtamen advertendum, quod sicut aliquando occasio quae respectu ad alios communiter est proxima, respectu vero ad aliquem valde pium et cautum potest esse remota (2): ita contra quaedam occasiones quae respectu ad alios communiter per se essent remotae, forte erunt proximae respectu ad aliquem qui propter experimentum relapsuum, et propter pravam inclinationem in quoddam vitium (praesertim si est turpe) factus est valde debilis et facilis ad labendum; et tunc iste tenebitur ad removendas, non tantum occasiones proximas, sed etiam illas remotas, quae respectu sui proximae evadunt.

2. Caeterum est quidem in occasione proxima 1. ille qui retinet in propria domo aliquam foeminam cum qua saepe rem habuit. 2. Ille qui frequenter in ludo prorupit in blasphemias, aut fraudes. 3. Ille qui in aliqua caupona aut domo saepe se inebriaverit, aut ceciderit in rixas, vel actus, verba, aut cogitationes obscoenas. Porro omnes isti absolvi nequeunt, nisi postquam occasionem abstulerint, aut saltem nisi auferre promittant, iuxta distinctionem quae fiet in numero subsequenti. Et ita pariter non potest absolvi qui aliquam domum adeundo, quamvis semel in anno, semper ibi peccavit; talis enim aditus iam ipsi proxima est occasio. Nec etiam absolvi possunt qui tametsi in occasione positi non labuntur, afferunt tamen aliis grave scandalum (3). Addunt aliqui dd. (4) negandam quoque absolutionem illi qui occasionem externam non removet, si cum occasione coniungitur habitus vitiosus, aut magna tentatio, seu vehemens passio, quamvis usque tunc in ea occasione nunquam peccaverit; nam facile deinde peccare poterit, si ab occasione se non amoverit. Hinc dicunt quod si unquam aliqua famula tentaretur ab hero, et ipsa se noverit facilem ad labendum, ab ea domo abscedere tenetur, si commode potest, alioquin temere praesumeret se securam habere.

3. Et hic caveant confessarii a permittendo sponsis domos sponsarum adire, et puellis earumque parentibus sponsos in domum admittere, quia raro evenit quod tales sponsi non labantur, saltem in verba, aut cogitationes turpes in huiusmodi occa-

(1) lib. 6. n. 452. (2) ibidem.

(3) n. 452. v. ex praemissis. (4) ibid.

sione, dum omnes aspectus et colloquia inter sponsos sunt incentiva ad peccandum, estque moraliter impossibile ipsos invicem conversari, et non sentire stimulos ad eos turpes actus qui tempore matrimonii deinde succedere debent. Generaliter autem loquendo de adolescentibus et puellis qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimium experientia patet, nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in ea occasione a mortalibus invenientur immunes; et si non in principio, saltem in progressu; tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio, et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandola, Episcopus Albanensis, in sua dioecesi per Edictum suos admonuit confessarios, ne tales adamantes absolverent, si postquam ter ab aliis iam fuerint admoniti, ab huiusmodi amore sectando non abstinuissent, praesertim tempore nocturno, aut diu, aut clam, aut intra domos (cum facili periculo osculorum et tactuum), aut contra parentum praeceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscoena, aut cum scandalo (prout si in ecclesia), aut cum coniugatis, Claustralibus, aut clericis in Sacris. Et in hoc generaliter advertendum, quod ubi agitur de periculo peccati formalis, et praecise peccati turpis, confessarius quanto magis se rigorosum cum poenitente adhibebit, tanto magis eius saluti proderit. Et contra, tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. S. Thomas de Villanova confessarios in hoc condescendentes vocat *impie pios*. Haec charitas est contra charitatem. Solent in his casibus poenitentes conari, ut confessarii apprehendant, quod occasionem removendo magnum orietur scandalum. Fortis sit confessarius ad huiusmodi timores despiciendos: maius semper erit scandalum, videre quod poenitens nec etiam post confessionem occasionem aufert. Aut alii eius peccatum ignorant, et tunc nihil mali suspicabuntur: aut sciunt, et tunc poenitens famam potius recuperabit, quam amittet, removendo occasionem.

4. Plures dd. censent prima aut secunda vice bene absolvi posse, qui est in occasione proxima, licet voluntaria, etiam antequam occasio auferatur; modo firmum habeat propositum, et promittat illam statim removere. Sed hic oportet distinguere cum s. Carolo Borromaeo (in instructione confessariis ab eo tradita) occasiones quae *sunt in esse*, et occasiones quae *non sunt in esse*. Occasio quae *est in esse*, est exempli g. cum aliquis concubinam domi detinet, vel cum aliqua famula consentit quoties tentatur a domino et similia. Occasio autem quae *non est in esse*, est ex g. cum quis in ludo prorumpit in blasphemias, aut versando in cauponis prolabitur in rixas et ebrietates, aut accedendo ad convivia, incidit in verba et cogitationes turpes. His positis dicendum quod in occasionibus quae *non sunt in esse*, recte docet s. Carolus quod poenitenti firme promittenti ab eis abstinere, potest semel, bis, et etiam ter absolutio dari: quod si deinde ille occasionem non aufert, et eodem modo peccat, non potest absolvi, nisi prius occasionem removeat. In occasionibus autem quae *sunt in esse* cum eodem s. Carolo omnino neganda est absolutio, nisi occasio prorsus auferatur. Hancque sententiam ordinarie loquendo, omnino tenendam probavimus in libro (1). Ratio, quia talis poenitens est indispositus ad absolutionem, si petat eam antequam occasionem removeat: etenim eam recipiendo se immittit

(1) lib. 6. n. 454.

in proximum periculum frangendi propositum, et sic remanendi in eadem occasione. Clarius rationem hanc explicemus. Porro moraliter peccat qui est in occasione proxima voluntaria, et eam non tollit; cum autem opus tollendi occasionem sit maxime arduum, et non impleatur, nisi per magnam violentiam, hanc vim difficulter sibi infert qui iam est absolutus, dum ablato timore sine absolutione remanendi, de facili sibi suadebit quod tentationi resistet, quin occasionem auferat, et ita in ea manendo, certe quidem recidet: prout quotidie experimento probatur in pluribus poenitentibus, qui, capta absolutione ab aliquo confessario parum cauto, minime postea attendunt ad occasionem removendam, et statim deterius relabuntur. Hinc dicimus quod propter praedictum periculum frangendi propositum, mortaliter peccat poenitens, qui ante remotionem occasionis absolutionem petit, et gravius peccat confessarius qui illum absolvit.

5. Diximus *ordinarie loquendo*, nam plures casus excipiuntur a dd. (1), in quibus poenitens absolvi potest, antequam occasionem removerit. Et excipitur 1. casus in quo poenitens talia afferret extraordinaria signa doloris, ut prudenter iudicari possit ipse non esse amplius in proximo periculo frangendi propositum de tollenda occasione; tunc enim signa illa indicant poenitentem donatum fuisse uberiori gratia, qua merito speratur quod in removenda occasione constans erit. Verumtamen, semper ac absolutio commode differri posset, tunc illam etiam ei differrem, usque dum cum effectu occasionem auferat. Excipitur 2. casus, in quo poenitens non possit redire, vel nonnisi post multum tempus; tunc bene potest absolvi, si censetur bene dispositus per propositum statim removendi occasionem; quoniam eo casu periculum frangendi propositum, remotum reputatur, causa magni oneris quod poenitens deberet pati, abscedendo sine absolutione aut repetendi confessionem apud alium sacerdotem, aut diu manendi sine gratia Sacramenti. Quapropter, cum ille sit tunc in quadam morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem tollat, habet ius ut statim absolvatur (2), dum enim hic non potest ante absolutionem occasionem auferre, censetur ac si esset in occasione necessaria. Sed hoc nec etiam admittendum, si poenitens iam ab alio confessario alias admonitus fuerit de occasione removenda, et non impleverit, quia tunc habetur ut recidivus, et ideo nequit absolvi, nisi afferret extraordinaria signa doloris, prout in sequenti puncto dicemus n. 12.

6. Hoc dicimus quoad occasionem proximam voluntariam; at si occasio est necessaria, aut *physice*, prout si quis detineretur in carcere, vel esset in periculo mortis, in quo non haberet tempus et modum eiiciendi concubinam: vel *moraliter*, id est, si occasio non posset auferri sine scandalo, aut gravi damno vitae, famae, aut bonorum, ut communiter docent dd.; eo casu poenitens bene absolvi potest, quin occasionem auferat, quia tunc non tenetur eam removere, modo promittat exequi media necessaria ad efficiendum, ut occasio ex proxima evadat remota, prout sunt, praecise in occasione peccati turpis fugere familiaritatem complicis, et etiam aspectum quantum fieri potest; frequentare Sacramenta, et saepe commendare se Deo, renovando quotidie (praesertim mane) ante imaginem Crucifixi propositum non amplius peccandi, et quantum est possibile vitandi occasionem. Ratio, quia occasio peccandi non est proprie peccatum in seipsa, neque inducit peccandi necessitatem; unde bene consistere potest cum occasione verus dolor et propositum non recidendi;

(1) lib. 6. n 454. v. dixi.

(2) ibid. v. excipiendus 2.

et licet quisque teneatur auferre proximum periculum peccandi, id intelligitur cum ipse sponte vult tale periculum: sed cum occasio est moraliter necessaria, tunc periculum per remedia opportuna remotum evadit; et Deus tunc non se retrahit ab assistendo sua gratia illi, qui vere deliberavit ipsum non offendere. Nam non dicit Scriptura, quod peribit qui est in periculo, sed qui amat periculum; sed nequit dici amare periculum, qui illi invitus subiacet; unde inquit d. Basilius: *Qui urgenti aliqua causa, et necessitate se periculo obiicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus subire; et ideo magis providebit Deus, ne ille pereat.*

7. Hinc dicunt dd. bene capaces absolutionis esse, qui nolunt relinquere aliquod officium, negotium, aut domum, in qua soliti fuerunt peccare eo quod deserere eam nequeunt sine gravi detrimento, semper ac verum habeant propositum se emendandi, et media implendi ad emendationem; tales sunt ex gr. chirurgi qui in medendis foeminis, aut parochi qui in excipiendis earum confessionibus, prolapsi sunt, si, his muneribus relictis, non possent iuxta suum statum vivere(1). Sed omnes conveniunt expedire in his et similibus casibus absolutionem differre, ut poenitens sit saltem diligentior in praescriptis remediis exequendis. Verum tamen ego censeo, confessarium non tantum posse, sed etiam teneri ad differendam absolutionem, semper ac commode differre potest, praesertim cum agitur de materia turpi; tenetur enim ipse tamquam medicus animarum opportuniora applicare remedia; et puto remedium magis idoneum non inveniri pro eo qui manet in occasione proxima, quam differre ei absolutionem, dum experientia nimis patet quod plures post absolutionem acceptam negligunt media praescripta exequi; et sic facile recidunt. E converso, cum alicui differtur absolutio, ille vigilantior erit ad media implenda, et ad obsistendum tentationibus, ob metum ne iterum sine absolutione dimittatur, cum ad confessarium redibit. Forte in hoc quis me nimium rigidum reputabit: sed ego semper sic me gessi in praxi, et sic pergam me gerere cum iis qui sunt in proxima occasione, quamvis necessaria, et quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi; et sic censeo multo magis prodesse poenitentium saluti. Utinam et omnes confessarii sic etiam se gererent, oh quot peccata evitarentur, et quot aliae salvarentur animae! Repeto quod supra dixi: Ubi agitur de liberando poenitente a peccato formali, uti debet confessarius opinionibus benignioribus, in quantum christiana prudentia concedit; sed ubi opiniones benignae periculum peccati formalis proximius reddunt, prout in hac materia occasionum proximarum accidit, dico omnino expedire, et quandoque oportere, quod confessarius sententiis rigidioribus utatur; tunc enim hae valde magis prosunt animarum saluti. Quod si autem quis, manendo in occasione necessaria, semper eodem modo relaberetur, etiam remediis adhibitis, et modica superesset spes emendationis, tunc dico omnino huic negandam absolutionem priusquam occasionem tollat (2). Et hic reor instare Evangelii praeceptum: *Quod si oculus tuus scandalizat te, eiice eum* (3). Excepto casu quo poenitens signa doloris ostenderet tam extraordinaria, ut posset concipi prudens spes emendationis (4).

(1) lib. 6. n. 455.
(2) n. 457.
(3) Marci 9. ℣. 46.
(4) l. 6 n. 457. v. secus vero.

Punctum II.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum habituatis et recidivis.

8. Distinguendi sunt habituati a recidivis. *Habituati* sunt qui habitum contraxerunt in aliquo peccato, de quo non adhuc sunt confessi. Isti, ut dicunt dd. (1), bene absolvi possunt, prima vice qua confitentur de pravo habitu, vel si de eo confitentur postquam retractaverunt, dummodo dispositi sint per verum dolorem, et firmum propositum adhibendi media efficacia ad emendationem; verum si habitus esset valde radicatus, potest etiam confessarius ei differre absolutionem, ad experiendum quomodo sit constans poenitens, in praxim deducendo media praescripta, utque ipse de suo vitio maiorem concipiat horrorem. Advertatur hic, quod quinque vices in mense iam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat. Et in materia fornicationum, sodomiarum, et bestialitatum multo minor numerus habitum potest constituere: qui ex. gr. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic habituatus dici potest.

9. *Recidivi* autem sunt qui post confessionem eodem, vel quasi eodem modo sunt relapsi absque emendatione; isti, ut communiter docetur (2), nequeunt absolvi, si sola signa ordinaria afferant, nempe si tantum confiteantur, asserendo se poenitere, et proponere, prout habetur ex propos. 60. damnata ab Innocentio XI. Nam habitus contractus, et relapsus praeteriti sine ulla emendatione magnam praestant suspicionem, quod dolor et propositum, quae poenitens asserit habere, nequaquam sint vera. Unde istis differenda est absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis. Et in hoc puncto lugenda est animarum ruina, cuius causa sunt tot mali confessarii, indistincte absolvendo tot recidivos, qui cum repererint confessarios qui semper tam facile eos absolvunt, amittunt horrorem in peccando, et pergunt ad putrescendum in coeno vitiorum usque ad mortem. Quidam dd. (3) admittunt, recidivum solis signis ordinariis absolvi posse usque ad tertiam et quartam vicem; sed huic opinioni nunquam potui acquiescere, dum habituatus, qui post unam confessionem recidit sine emendatione, iam est verus recidivus, et fundatam praebet suspicionem suae indispositionis. Et notetur hic quod haec regula procedit, etiam respectu culparum venialium, quamvis enim communiter admittitur facilius absolvi posse eos qui prolabuntur in peccata levia, eo quod occasiones eorum frequentiores sint; attamen, cum sit communis sententia (4) grave esse peccatum, et sacrilegium absolutionem recipere super levibus confessis sine vero dolore et proposito; nec sufficere dolere de multitudine, seu de numero excessivo talium culparum, quin dolor habeatur de aliqua in particulari, prout tenuimus *Tr.* 16. *n.* 23., contra quorumdam opinionem; facile metuendum est huiusmodi confessiones sacrilegas esse, aut saltem invalidas. Hinc diligenter satagat confessarius ad non absolvendos indistincte tales poenitentes; tunc etenim, etiamsi illi sint in bona fide, ipse tamen non poterit a sacrilegio excusari, absolutionem impertiendo eis qui ad absolutionem non satis dispositi iudicari possunt. Propterea curet, si poenitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum praesertim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitae anteactae contra aliquod praeceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero) ut habeat materiam certam super qua inniti possit absolutio; a .

(1) Lib. 6. n. 459. (2) ib. v. recidivis.
(3) ib. v. Dicunt vero.

(4) Lib. 6. n. 449. Sed dubitatur.

lioquin etiam huic poenitenti per aliquod tempus differri oportet absolutio.

10. Dico *per aliquod tempus*, eo quod recidivis tam levium, quam gravium culparum non est necessarium differre absolutionem per annos, aut menses, ut nimis rigide vult Iuveninus (1); sed regulariter satis erit, si peccatum procedit ex fragilitate intrinseca, dilatio octo vel decem dierum, prout ait doctus auctor libri Romae editi, cui titulus, *Istruzione per li Novelli Confessori* (2); idemque dicit auctor libelli ubique in Italia accepti, cui titulus, *Istruz. per li Confessori di Terre e Villaggi* (3), ubi pro hac doctrina citat Ludovicum Habert (4). Adduntque esse excessivam et periculosam dilationem mensis, quia post tantum tempus difficilis redditur reditus huiusmodi poenitentium. Et huic iudicio favet Papa Benedictus XIV. in Bulla *Apostolica Constitutio*, edita 26. iulii 1749. §. 22. (5) ubi loquens de confessariis qui rite poenitentibus absolutionem differunt, sic deinde eos monet: *Illos quantocius ut revertantur invitent, ut ad sacramentale forum regressi, absolutionis beneficio donentur*. Nota verba, *quantocius* et *donentur*. Ad summum (dico) his differri potest absolutio per quindecim, aut viginti dies. Sed excipere oportet illos qui tempore praecepti paschalis confitentur; pro istis enim maioris temporis experientia requiritur, cum iusta suspicio haberi possit, quod hi abstineant a relapsu, potius ut censuram effugiant, quam ex vero proposito mutandi vitam. Oportet etiam excipere eos qui lapsi sunt in occasione proxima extrinseca: isti enim maiori egent experientia, cum occasio (ut dictum est in puncto praecedenti) sit fortius incentivum ad peccandum. Verum semper sufficiet experientia mensis. Caveat tamen confessarius, ne dicat poenitenti, ut non redeat nisi post mensem, nam hic ob tantam dilationem nimis terrebitur: potius imponat ei, ut redeat post octo, vel quindecim dies, et sic blando modo ipsum transferet ad recipiendam absolutionem in fine mensis.

11. Ad absolvendos igitur recidivos non sufficiunt ordinaria signa doloris et propositi, sed requiruntur extraordinaria: quae alias iuxta communem sententiam (6) certe sufficiunt ad absolutionem impertiendam; illud enim extraordinarium signum (modo solidum sit et fundatum) aufert indispositionis suspicionem, quae urget ratione relapsuum. Recte dixerunt Episcopi Belgii, in anno 1697. congregati, in quodam Decreto edito pro directione confessariorum suarum dioecesum, de hoc puncto loquentes: *Deum in conversione peccatoris, non tam considerare mensuram temporis, quam doloris* (7). Hinc prohibuerunt, ne confessarii stabili lege exigerent a poenitentibus adhuc recidivis experientiam notabilis temporis, antequam eos absolverent. Et iure merito, sola enim probatio temporis non est unicum signum mutatae voluntatis, dum voluntas peccatoris mutatur virtute divinae gratiae, quae tempus non requirit, sed aliquando illico operatur; quapropter mutatio voluntatis bene per alia signa cognosci valet, sine experientia temporis. Quinimo alia signa dispositionis actualis poenitentium, quandoque voluntatis mutationem manifestant multo melius, quam probatio temporis: nam talia signa directe dispositionem ostendunt, dum e converso experientia illam ostendit tantum indirecte; cum non raro accidat, quod aliquis diu abstinuerit a peccando, et adhuc sit etiam indispositus. Unde auctor libri citati (*Istruz. per li Nov. Confes.*) sic ait (8): *Se la ricaduta na-*

(1) vide l. 6. n. 463. (2) part. 1. c. 9. n. 225. (3) cap. 1. §. 4.
(4) In praxi poenit. tr. 4. p. 417.
(5) Bull. t. 3. Edit. Mechl. t. 7. p. 301.

(6) l. 6. n. 459. v. recidivus, in fine.
(7) ap. Croix l. 6. p. 2. n. 1823.
(8) p. 1. c. 15. n. 356.

sce dalla propria fragilità, senz'altra causa estrinseca volontaria, è quasi temerità il dire, che ogni ricaduto sia indisposto. Et alibi (1) dicit quod recidivus propter vim mali habitus absolvi debet, semper ac firmam ostendit voluntatem adhibendi media ad emendationem, sic subdendo: *E giudichiamo che 'l fare altrimenti, sia troppo rigore, e che 'l Confessore facendolo s'allontanerebbe dallo Spirito della Chiesa e del Signore, e della natura del Sacramento, il quale non solamente è giudizio ma è medicina salutare.*

12. Plura autem sunt haec signa, prout docent dd. (2). 1. Maior dolor manifestatus per lacrymas (modo sint verae compunctionis), aut per verba ex corde procedentia, quae aliquando certiora signa quam lacrymae esse possunt. 2. Minor numerus peccatorum; intellige cum poenitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi; aut si poenitens post ultimam confessionem perseveraverit in gratia per notabile tempus, puta per 20. aut 25. dies, ipse qui prius pluries in hebdomada prolabi solebat: aut vero si relapsus fuerit post magnam resistentiam; aut etiam si, antequam ad confessionem accederet, diu se abstinuerit a culpis mortalibus, in quas prolabi assuetus erat. 3. Diligentia adhibita pro emendatione, ut esset si poenitens diligenter occasionem vitaverit, media praescripta a confessario executioni mandaverit; aut si adhibuerit ieiunia, preces, eleemosynas, etc. ad vitium extirpandum. 4. Si ipse petit a confessario remedia, aut nova media ad emendationem; item si promittit implere media quae tunc ei suggerit confessarius; maxime si nunquam monitus fuerit ad illa adhibenda; sed his promissionibus censeo non omnino fidendum, si alia signa desint; cum poenitentes, ut absolutionem carpant, facile promittunt, sed postea difficulter attendunt. 5. Spontanea confessio, nempe si poenitens accedit non iam ad implendum praeceptum paschale, neque ex quodam usu prae se confitendo in aliquibus temporibus, prout die Nativitatis Domini in festivitatibus Deiparae, et similibus: neque accedit impulsus a parentibus, a domino, aut magistro; sed venit omnino sponte, et vere inspiratus a divino lumine, ad solum finem, ut divinam gratiam recipiat Praesertim si ad se confitendum longum iter aggressus fuerit, abstinuerit a lucro notabili, grave sustinuerit incommodum, aut magnum conflictum internum vel externum superaverit. 6. Si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam, aut mortem amici, obve metum alicuius imminentis flagelli, prout terraemotus, pestis, etc. 7. Si poenitens confiteatur peccata anterius per verecundiam tacita 8. Si poenitens, antequam accedat, restituerit rem, vel famam ablatam 9. Si propter monitionem confessarii ostendit apprehendisse novam cognitionem et horrorem sui peccati, periculique suae damnationis. Alii alia signa addunt, prout si poenitens magnam libenter acceptat poenitentiam; si asserit poenituisse peccati statim ac illud patravit; si protestatur velle mori potius quam peccare. Sed haec signa nescio an sola satis esse possint; potius dicerem quod possent deservire ad alia adiuvanda signa, quae sola non sufficerent.

13. Denique semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit iudicari poenitens mutasse voluntatem, bene absolvi potest; quamvis enim confessarius, ut poenitentem absolvere possit, moraliter certus esse debet eius dispositionis, attamen advertendum quod in aliis Sacramentis, in quibus materia est physica, physica etiam debet esse certitudo; sed in hoc Sacramento Poenitentiae, cum materia sit moralis, prout sunt actus poenitentis, sufficit moralis certitudo, sive respectiva, ut probatum

(1) c. 9. n. 213. (2) l. 6. n. 460.

est (1): nimirum satis est quod confessarius prudentem habeat probabilitatem de dispositione poenitentis, sine aliqua prudenti suspicione in oppositum: alioquin difficulter unquam posset ullus peccator absolvi, nam omnia signa poenitentium aliud non fundant quam probabilitatem quamdam de ipsorum dispositione. Auctor (*dell'Istruz. per li Nov. Confess.*) sic loquitur: *Non ricercasi altro per amministrare la penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del penitente; onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non sia sufficientemente disposto, non deve il Confessore inquietare se stesso, nè il penitente, per averne l' evidenza che non è possibile* (2); vide *Tr.* 16 *n.* 117. *in fin.* Et hic notandum circa malum habitum, quod facilius absolvi possunt recidivi in blasphemiis, quam in aliis peccatis odii, furti aut libidinis, quibus habitus fortius inhaeret, causa maioris concupiscentiae, sive inclinationis, quae in illis invenitur.

14. Dictum est, confessarium posse absolutionem impertiri consuetudinario, et recidivo, quando ille per signum extraordinarium dispositus apparet; sed non dicitur teneri, quia potest etiam absolutionem ei differre, si hoc censeat expedire, ut communiter dd. docent (3). Etenim, licet poenitens post confessionem suorum peccatorum ius habeat ad absolutionem, tamen, non habet ius ut statim absolvatur; nam confessarius tanquam medicus bene potest, imo quandoque tenetur absolutionem differre, cum iudicat tale remedium necessario prodesse saluti sui poenitentis. An autem expediat ordinarie uti hoc remedio, aut non sine consensu poenitentis? Certum est non expedire, quando dilatio afferre potest magis detrimentum, quam profectum; et idem dicunt dd. quando ob dilationem poenitens subire deberet aliquam infamiae notam aut periculum (4). Extra autem hos casus quidam volunt melius esse, quod huiusmodi recidivis differatur absolutio. Alii tamen communius censent id raro expedire, et hoc etiam sentit celeber nostrorum temporum Missionarius R. P. Leonardus de Portu Mauritio in suo docto sermone Romae edito, cui titulus, *Discorso Mistico e Morale.* Melius nihilominus dicendum, quod in hoc puncto nequit certa statui regula, sed confessarius iuxta occurrentes circumstantias gerere se debet: Deo se commendet, et secundum quod se sentit inspiratum, sic faciat. Ego ita censeo: si poenitens relapsus est ex fragilitate intrinseca, prout accidit in peccatis irae, odii, blasphemiarum, mollitierum, aut delectationum morosarum, dico cum sententia communissima doctorum (5) quod raro expedit differre absolutionem recidivo cum ille est dispositus: nam sperari debet magis gratiam Sacramenti, quam dilationem absolutionis illi prodesse posse.

15. Dico *ex fragilitate intrinseca*; aliter enim agendum cum eo qui relapsus est ob occasionem extrinsecam, quamvis necessariam; nam occasio vivaciorem excitat concupiscentiam, et complicis praesentia vehementius sensus commovet, et intensiorem reddit affectum ad peccandum, quam faciat pravus habitus intrinsecus; et ideo poenitens in occasione extrinseca magnam sibi vim inferre debet, non tantum ad superandam tentationem, sed etiam ad se removendum a familiaritate et praesentia complicis, ut periculum ex proximo reddatur remotum. Et tanto magis hoc procedit, si occasio est voluntaria, et omnino auferri debet; quia tunc recipiens absolutionem, antequam occasionem amoverit, remanet in magno periculo frangendi propositum factum de illa removenda,

(1) l. 6. n. 57. in fine et n. 461.
(2) p. 1. c. 15. n. 368. (3) l. 6. n. 462.
(4) n. 463. (5) ib. v. ut autem.

prout ostendimus in punct. praecedentin.4. E converso in consuetudinario ob causam intrinsecam remotius est periculum violandi propositum, dum ex una parte non adest obiectum extrinsecum quod tam violenter eum impellat ad peccandum: et ex altera illi non est voluntaria retentio mali habitus, prout est voluntarium non amovere occasionem cum possit; unde in tali necessitate Deus male habituato magis succurrit, et ideo plus quam a dilatione absolutionis, sperari potest emendatio a gratia Sacramenti, quae illum fortiorem reddet, reddetque efficaciora media quae ipse adhibebit ad habitum extirpandum. Cur enim, recte dicunt Salm. (1), magis sperari debet quod peccatori gratia carenti prosit dilatio absolutionis, quam prosit amico Dei absolutio qua gratiam recipit? Et cardinalis Toletus (2), loquendo praecise de peccato pollutionis, censet ad tale vitium vitandum non esse remedium efficacius quam saepe se munire Sacramento Poenitentiae; subditque hoc Sacramentum maximum esse fraenum huiusmodi peccatum committentibus; et qui eo non utuntur, inquit, non sibi promittant emendationem nisi per miraculum: et in facto s. Philippus Nerius (ut legitur in eius vita) (3) maxime hoc medio frequentis confessionis utebatur pro recidivis in tali vitio. Huic quoque confert id quod ait Rituale romanum, agendo de poenitentia: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe confiteantur, et si expediat, communicent*. Et dicendo *facile recidentibus*, certe intelligit loqui de eis qui nondum pravum habitum extirpavere. Aliqui auctores qui per solam rigoris viam videntur velle animas salvas facere, dicunt recidivos peiores fieri, cum ante emendationem absolvuntur. Sed ipse scire vellem ab his magistris meis, an omnes recidivi, cum sine absolutione dimittuntur, carentes gratia Sacramenti, evadant fortiores, et omnes emendentur? Quot ego miseros novi in exercitio Missionum, qui dimissi sine absolutione, vitiis et desperationi se abiecerunt, et per plurimos annos omiserunt confiteri! Caeterum repeto: quisque se dirigere debet, iuxta lumen quo donatur a Deo. Hoc certum est, quod in hac materia tam errant ii qui plus iusto sunt faciles, quam ii qui sunt difficiles ad absolvendum. Multi quidem propter nimiam facilitatem sunt causa quod tot animae perdantur (et negari non potest quod isti in maiori sint numero, et maius damnum afferant, dum istis in maiori numero accedunt peccatores habituati); sed alii ob nimium rigorem etiam magno sunt damno animarum saluti. Et nescio, an confessarius debeat tantum sibi scrupulum iniicere, quando absolvit indispositos, et non etiam quando dispositos sine absolutione dimittit. Concludo hic, et dico: Non nego quod aliquando bene prodesse potest recidivo disposito dilatio absolutionis. Dico secundo: Semper proderit quod confessarius huiusmodi recidivos terreat, ostendatque ac si non posset eos absolvere. Dico tertio: Ordinarie loquendo, recidivis ex fragilitate intrinseca, et per signum extraordinarium iam dispositis, magis absolutionis beneficium proderit, quam dilatio. Utinam et confessarii recidivos absolverent tum solum, cum signa extraordinaria afferunt! Id quod lugendum est, quod maior, ne dicam maxima, confessariorum pars universaliter recidivos absolvunt sine distinctione, sine signo extraordinario, sine admonitione, et sine aliquo saltem remedio praestito ad emendationem; et hinc vere procedit, non iam ab absolvendis dispositis, tot animarum universalis pernicies.

16. Hoc tamen quod dictum est, communiter loquendo de habituatis et recidivis, non procedit iam circa

(1) de poen c. 5. in fine

(2) Tol. c. 6. n. 2. (3) c. 6. n. 2.

initiandos in sacris Ordinibus habituatos in aliquo vitio (praesertim in peccato turpi); circa hos enim alia currit ratio. Laicus habituatus absolvi potest, semper ac est dispositus ad suscipiendum Sacramentum Poenitentiae, sed ordinandus habituatus, si vult ipse ad sacrum ascendere Ordinem, non sufficit, quod sit dispositus ad Sacramentum Poenitentiae, sed oportet quod etiam dispositus sit ad recipiendum Sacramentum Ordinis, alioquin ad neutrum dispositus erit; cum enim sit indignus ascendendi ad altare qui vix egreditur e statu peccati, nec habet probitatem positivam, necessariam respectu ad sublimitatem status in quem immitti inhiat, ipse graviter peccat, si absque illa vult sacrum Ordinem suscipere, etiamsi ponatur in statu gratiae. Quapropter tunc confessarius nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine suscipiendo, ad quem ascendere non poterit, nisi post longi temporis, saltem plurium mensium, probationem. Id plene probatum est in dissertatione Operi inserta (1), cum communi sententia doctorum (2) ibi relatorum, qui docent quod ad sacrum Ordinem suscipiendum non satis est bonitas communis, id est simplex immunitas a peccato mortali, sed requiritur bonitas specialis, virtute cuius initiandus sit a pravis habitibus depuratus ut docuit d. Thomas (3); *Ordines sacri praeexigunt sanctitatem, unde pondus Ordinum imponendum parietibus iam per sanctitatem desiccatis, id est ab humore vitiorum.* Et ratio est, quia si ordinandus hanc non habet specialem sanctitatem, indignus est super plebem constitui, ad altissima altaris ministeria exercenda: *Sicut illi* (loquitur idem s. Doctor) *qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis* (4). Et alibi (5) expressius praefatam rationem confirmat, dicens: *Quia per sacrum Ordinem deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris, ad quod requiritur maior sanctitas interior, quam requirit etiam religionis status.*

17. Verumtamen excipitur casus quo a Deo donaretur quis tam extraordinaria compunctione, quae ipsum liberaret ab antiqua fragilitate: nam ut ait idem Angelicus (6): *Quandoque tanta commotione convertit* (Deus) *cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem.* Rarae quidem sunt huiusmodi conversiones, et praesertim in ordinandis, licet aliquam petant domum religiosam, ut spiritualia agant exercitia; isti enim ut plurimum non ultro, sed coacti accedunt; sed quando vere quis tantam reciperet gratiam a Deo (cuius admirabiles sunt misericordiae), quae ipsum taliter mutatum redderet, quod licet adhuc aliquod pravum motum sentiret, magnum tamen concepisset horrorem adversus peccatum, et simul notabiliter diminutum in se cognosceret ardorem concupiscentiae, ita ut a gratia munitus facile iam inciperet tentationibus obsistere; et insuper firme statuisset in posterum, non tantum vitare peccata et occasiones, sed etiam media opportuniora suscipere ad vivendum ut sacerdotem decet, et iam simul incoepisset ad suam conversionem confirmandam instanter preces effundere pro sua perseverantia, cum magna et tali in Deum fiducia, quae eum redderet moraliter securum de quadam magna mutatione vitae; eo casu bene posset confessarius eum absolvere, etsi ipse vellet statim post confessionem Ordinem sanctum suscipere. Attamen adhuc in huiusmodi casu quo poenitens magnam habuerit compunctionem, confessarius quantum potest adhibere se debet, ut illum inducat ad diffe-

(1) lib. 6. ex n. 63. (2) ib. n. 68. v. si igitur. (3) 2. 2. q. 189. a. 1. ad 3.

(4) suppl. q. 35. a. 1. ad 3. (5) 2. 2. q. 184. a. 8. (6) 3. p. q. 86. a. 5. ad 1.

rendam susceptionem Ordinis, ad hoc ut melius a pravo habitu se purget, et melius concepta proposita exequatur. Imo ad hunc effectum, si ille nolit differre susceptionem, potest etiam confessarius tanquam medicus, ad maiorem eius profectum, differre ipsi absolutionem, ut initiandus Ordinis susceptionem differat. Hoc tamen intelligendum, modo ex tali dilatione non subeat ille periculum alicuius infamiae, aut notae; tunc enim (prout notatum est n.14.) poenitens habet ius, ut statim absolvatur. Caeterum confessarii debent esse difficiles, quantum fieri potest, in absolvendis huiusmodi ordinandis, qui postmodum ordinarie pessimi evadunt, et sic populis et Ecclesiae perniciem magnam afferunt (1). Hanc meam ratiocinationem integre commendatam reperio a Benedicto XIV. in celebri suo Opere *de Synodo* (*Lib.* 11. *c.* 2. *et* 3).

Punctum III.

De nonnullis peculiaribus interrogationibus faciendis a confessariis parum meticulosae conscientiae poenitentibus.

I. De interrogationibus faciendis rudibus.

18. Iam dictum est *Tr.* 16. *num.* 102. quod licet debitum conscientiae examinandae sit proprium poenitentis, nihilominus cum confessarius motivum habet credendi poenitentem sufficienter non se examinasse, tenetur eum interrogare. Et loquendo de rudibus, ibi similiter dictum fuit *n.* 103. errorem esse eos dimittere, ut diligentius se examinent, sed teneri confessarium eos examinare, interrogando iuxta ordinem praeceptorum Decalogi, non autem de omnibus peccatis quae ipsi committere potuerint, sed tantum de magis usualibus, quae ab huiusmodi hominibus committi solent; praesertim si sunt vectuarii, rhedarii, milites, satellites, famuli, caupones, et huiusmodi. Quoad 1. *praeceptum* interrogabit poenitentem 1. an circa Fidei res sit instructus, iuxta ea quae diximus *Tr.* 4. *n.* 3. Sed hic sapienter animadvertit celeber ille et doctus Missionarius p. Leonardus a Portu Mauritio in suo *Discursu mystico et morali*, *n.* 26., teneri confessarium instruere poenitentes rudes in mysteriis Fidei, saltem in quatuor principalibus; quapropter sic subiungit: *Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis haec doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est breviter eos docere praedicta mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum efforment actus Fidei, Spei, Charitatis, et contritionis, obligando tamen eos, ut inposterum perfecte instrui se faciant circa caetera mysteria scitu necessaria de necessitate praecepti.* Et idem auctor loquens de personis urbanis salutis propriae negligentibus, quae sibi magno rubori et contumeliae habent se de iis interrogari, ait decere confessarium, ut ipsis sic dicat: *Eia eliciamus una simul actus christianos, dic mecum: Deus meus, quia es veritas infallibilis, et quia sanctae Ecclesiae tu revelasti, credo quidquid sancta Ecclesia me docet credere; credo praecipue, te esse unum Deum, et tres Personas; credo Filium, cum Deus esset, se fecisse hominem, mortuum esse in cruce, resurrexisse, et ad coelos ascendisse; et illinc venturum esse omnes iudicaturum, ut boni paradisi gloria fruantur, et mali in aeterno igne crucientur.* Notandum hic insuper Bened. XIV. in Const. 42. (*de Doctr. Christi* § 12. *Vid. Bullarium tom.* 1. *Edit. Mechl. p.* 225.) dicere, quod est neganda absolutio ei, qui neglexit culpabiliter addiscere scitu necessaria tum necessitate *medii*, cum *praecepti*. Sed quoad ea de praecepto dicit, absolvi posse poenitentem si ex animo promittit co-

(1) lib. 6. ex n. 69.

nari addiscere, hisce verbis: *Eo quandoque casu poenitens absolvi potest, quo se vincibilis huius ignorantiae reum agnoscit...... et promittit operam se impense daturum addiscere necessaria necessitate praecepti.* 2. An superstitiones exercuerit, aut alios docuerit, et si in ipsis aliorum ministerio usus fuerit, quos ad suo peccato cooperandum induxerit. Quocirca debet rudes admonere, superstitiones numquam esse licitas, quamvis ex charitate, aut in necessitate fiant. Quae autem actiones sint nec ne superstitiones, vide in Opere (1). 3. An unquam olim rubore suffectus in confessione aliquod peccatum reticuerit. Et hac interrogatione ut plurimum curet sciscitari rudes, et mulierculas, qui raro frequentant Sacramenta, dicendo eis: *Forsan aliquis vitae anteactae scrupulus te mordet? cura nunc bene confiteri, dic omnia libenter, noli timere, omnem scrupulum ab anima tua depone, etc.* Hac interrogatione, aiebat quidam diligens Operarius, a se multas animas a confessionibus sacrilegis fuisse liberatas. Si autem reperiat iam huiusmodi sacrilegia fuisse patrata, ut de numero certus fiat, interroget quoties, intra hoc tempus a quo peccare cessavit, confessus sit et communicaverit? et si quotiescumque confitebatur, vel communicabat, ad sacrilegium advertebat? Contingit enim aliquibus interdum sacrilege confiteri, praecipue in pueritia, et postea horum oblivisci. Hi enim non tenentur ad repetendas confessiones oblivionis tempore factas. Item interroget, utrum sciebant se talibus confessionibus, et Communionibus etiam praeceptum paschale transgressos fuisse? Expedit autem ut haec interrogatio de sacrilegiis fiat in principio confessionis, ne si postea fiat, et reperiatur iam commissum sacrilegium, tempus teratur inutiliter in repetenda confessione, quae forsan nihil habet dissimile a praeteritis.

(1) lib. 3. cx n. 17.

Oportet autem operam dare, ut qui peccata reticuerunt, cognoscant quam maximum peccatum hoc sit, conculcare nempe pedibus Sanguinem Iesu Christi. 4. Interroget, si poenitentiae satisfecerit? Et si omiserit, an hoc accidit propter oblivionem, aut quia noluit eam adimplere, aut quia distulit in posterum faciendam, aut ut sibi commutare faceret? et si in ea dilatione putabat peccare? 5. Circa scandala; si induxerit alios ad peccandum, aut si ut peccatum exequeretur abusus fuerit ministerio aliorum? Si cooperatus sit peccatis alienis? Tabernarios interroget, si ministraverint vinum illis qui soliti fuerunt ebriari (2)? Mulieres interroget, si verbis parum honestis iocis saltibus, risu, aut si fixis oculis aliquem inspiciendo, tunica nimis elevata, aut pectore aperto provocaverint viros ad malas cogitationes? si munera ab illis ad malum finem data acceptaverint?

19. Circa 2. *praeceptum.* Interroget 1. an transgressus sit aliquod votum? 2. An cum mendacio iuraverit? Et an iuraverit per Sanctos, aut per aliquas res sacras, aut per animam, per conscientiam, aut per Fidem? 3. An blasphemaverit: et quid protulerit, an dixerit *Male habeat* (vulgo *Managgia*) sive *Atta, Potta*? Et in quem blasphemaverit, an in Sanctos, an in dies sanctos, an in res sanctas? Et si subiunxerit, *Si ego feci*? Item si blasphemaverit coram filiis, famulis etc. quia tunc accedit etiam peccatum scandali: vide circa blasphemiam quod dictum fuit *Tr. 5. n. 1. et seq.* Sed hic advertendum est cum *Instruct. Confess.* etc. non excusari blasphemos a peccato gravi, ex eo quia pravus habitus aut aliquis vehemens irae motus effecerint, ut ipsi non adverterent, aut non perciperent quod dicebant, quia hi prave habituati, licet cognitionem minus expeditam quam alii habeant; attamen semper habent cognitionem

(2) prax. confess. t. 8. c. 2. n. 21. et seq

actualem sufficientem ad efficiendum ut actus sit deliberatus et mortalis. Cum enim parvi peccatum faciant, ideo in eorum animis non sentitur ille sensibilis stimulus, quem sentiret qui esset conscientiae non adeo depravatae; et hinc evenit quod in eorum memoria ne vestigium quidem relinquitur actualis cognitionis, quam habuerunt quidem de peccato; aut vestigium est adeo leve, ut interrogati libenter respondeant quod non animadverterunt. Sed confessarius cautus non debet eis fidem praestare; nec ab huiusmodi sciscitandum est, utrum nec ne animadverterint, sed omnes pro veris blasphemiis actualibus accipiendae sunt, semper ac illi sciebant esse tales (1).

20. Circa 3. *praeceptum*. Quoad obligationem audiendi Sacrum diebus festis, interroget poenitentem 1. si aliquoties Sacrum omiserit? et si adverterit ad omissionem? aut dubitaverit tempore quo Sacrum audire poterat; etenim multoties poenitens ad horam tardam Sacrum audire differens, licet casu repererit Sacrum, et illi interfuerit, nihilominus sine iusta causa in periculum illud omittendi se iniecit, et de hoc rudes non se accusant. 2. Interroget, an laboraverit die festo? et si ille affirmet, interrogetur 1. quantum temporis laboravit? et quodnam laboris genus exercuit? Nam secundum communiorem sententiam doctores excusant a gravi laborantem duas horas; imo alii admittunt quid amplius, saltem si labor est de se levis, aut adest aliqua causa notabilior. Si autem poenitens confitetur laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit iudicans laborare in materia gravi? sed opus est ut eum doceat laborare per longum tempus etiam occulte, et animi solatio, ac gratis, etiam esse peccatum. 3. Interrogetur, quare laboravit, an per regionis consuetudinem? an ob necessitatem? aut iussu patris, aut viri, aut domini?

21. Circa 4. *praeceptum*. Si confitentur filii, interrogentur 1. si oderint parentes? quia tunc duplex peccatum patraverunt, contra charitatem nempe, et contra pietatem. 2. Si aliquid grave fecerint contra eorum praeceptum expressum, et in re iusta, sicuti esset ne e domo de nocte egrederentur, ne ludis damnosis luderent, ne cum malis sociis, aut cum personis diversi sexus, et similibus versarentur? Dixi *in re iusta*, quia circa status electionem filii non tenentur parentibus obedire. Imo parentes graviter peccarent, si sine iusta causa filios ad statum matrimonialem, aut ad statum ecclesiasticum, aut religiosum cogerent: aut modis iniustis retraherent eos a statu religioso, quem illi eligere velint. 3. Interroget, si reverentiam adversus parentes non adhibuerint, factis, aut imprecationibus, aut iniuriis gravibus coram irrogatis: ut esset eos appellando *ebrios*, *bestias*, *fatuos*, *latrones*, *veneficos*, *scelestos:* aut gestus eorum contumeliose exprimendo, aut aliis verbis proferendo, quibus gravem molestiam eis exhibuissent. Vocare autem eos *senes*, *ignaros*, *stupidos*, etc. non debet absolute condemnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter offenderentur. Notetur quod cum filii parentum debitam rationem non habuerint, tenentur laesum honorem eis restituere, veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem confessarii parum cauti in eo casu pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint, pedes parentum deosculentur, et absolutos dimittunt, sed illi postea hoc adimplere non curant, et novum peccatum admittunt. Satius est curare, ut ante absolutionem hanc veniam poscant, quin eis imponatur ut pedes, aut manus deosculentur; quia illi filii quibus hoc

(1) vide prax. confess. t. 8. capit. 2. n. 27. et seq. et l. 3. n. 127. v. hic advertend.

faciendi consuetudo numquam fuit, difficillime hoc exequuntur. Si autem non possit commode hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione, sed potius ut consilium insinuetur, dum certe praesumuntur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant.

22. Si contra confitentur parentes, interrogetur ab eis, 1. si negligentes fuerint in filiis educandis, non curando ut doctrinam christianam illi docerentur, ut Sacro interessent, Sacramenta frequentarent, pravos socios, et personas alterius sexus vitarent. Item eos interroget, si scandalo fuerunt illis, in eorum praesentia blasphemando, etc.? Si de excessibus eos non corripuerint, et praecipue si aliquid furati sint? Si permiserint, ut sponsi suarum filiarum domum accederent? Et potissimum si filios secum in eodem lecto retinuerint; aut permiserint pueros, et puellas simul dormire? Item si omiserint alimenta necessaria filiis ministrare? Si modis iniustis coegerint filios ad statum matrimonialem suscipiendum, vel ut Sacris initiarentur, aut aliquam religionem inviti ingrederentur; nam hoc agentes graviter peccant. Sed de hoc parentes plures nullum sibi scrupulum faciunt, et hinc filiis pernicies, et Ecclesiae maximum detrimentum evenire solet. Interroget etiam dominos, si famulos suos corripuerint, cum blasphemabant, aut praecepto paschali non satisfaciebant, aut Sacro non intererant, aut inhoneste loquebantur, praecipue messis et vindemiae temporibus? Domini enim, cum possunt, tenentur impedire scandala, quae tunc committuntur. Interroget etiam viros, si familiae alimenta ministraverint? Uxores, si viros ad blasphemias provocaverint? et si eos debito matrimoniali defraudaverint? Plerumque de hoc interrogentur uxores, quia multoties propter hoc solum damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui cum observent sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effraenati decidunt. Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utetur, v. gr. *Et obedis tuo viro etiam in rebus ad matrimonium spectantibus? aut habes forsan aliquem scrupulum, qui te mordet circa matrimonium?* sed haec interrogatio, ut plurimum, omittatur cum uxoribus quae vitam spiritualem profitentur.

23. Circa 5. *praeceptum*. Interroget poenitentem, si aliquod grave damnum proximo, mala ei precando, appetiverit, aut de illius damno se oblectaverit? Et hic notetur, quod si aliquis suo inimico diversa mala exoptaverit, ex. gr. mortem, infamiam, paupertatem, etc. tenetur omnia declarare, et sunt diversa peccata numero distincta, cum ea voluit efficaciter illi inferre; aut si speciatim et in particulari optavit, ut haec illi acciderent. Aliter autem, ut dicunt probabiliter multi dd., si optaverit mala illa sub uno genere mali, nempe ut media ad ruinam appetitam inimico. Et hic est confusio confessariorum, in discernendo, an imprecationes, quae rudibus esse solent usuales, fuerint peccata mortalia, an venialia. In hoc oportet interrogare inprimis poenitentem an in illo actu desideraverit deliberate, ut illae succederent? Sed hoc non sufficit ad certum iudicium faciendum; qua de re opus est, ut postea interroget, imprecatusne fuerit in extraneos, an in propinquos, quia in hos (praecipue in filios, coniuges, aut parentes) raro animus pravus adest. Postremo oportet interrogare de causa, cur eas imprecationes protulerit; dum si causa gravis, aut fervens ira intercesserint, facile est tunc etiam pravum desiderium interfuisse. Caeterum non sufficit poenitenti ad excusandas imprecationes (prout advertit Caietanus) dicere quod tantum in illo actu, ut evenirent, cu-

piebat; quia hoc iam sufficit ut in illo actu commissa sit culpa gravis; unde confessarius tunc perquirat de numero, et iudicet de eis saltem ut coram Deo sunt; et quem recidivum in eo vitio repererit, non absolvat, nisi prius resipuerit, aut extraordinarium doloris signum dederit. Interroget 2. si in proximum intulerit iniurias graves, et an coram aliis: quia tunc tenetur coram ipsismet restituere illi honorem ablatum, veniam ab eo petendo, aut aliis reverentiae signis; dummodo prudenter non praesumatur iniuriis affectus totum remisisse: aut quod ab illa publica satisfactione recuset, ne apud se rubor, et apud alios memoria iniuriae acceptae renovarentur: aut nisi timeretur, ne illo satisfactionis actu iterum odium excitaretur. Si autem iniuria illata fuisset secreta, etiam secreto tenetur veniam postulare, secundum veram sententiam: attamen advertendum est iniurias, quibus ad invicem se onerant rudes, licet in se essent graves, nihilominus non esse semper graves inter huius generis personas, ut cum se appellant latrones, veneficas, meretrices; quia ipsaemet non multi haec faciunt, nec qui eas audit, fidem praestat; excipe si nominarent res particulares, et complices. Interroget 3. si discordias excitasset, zizania disseminando, et referendo uni quae ab alio audivit. Insuper si confessarius noverit poenitentem aliqua iniuria fuisse affectum, interroget an requisitus ab offensore iniuriam remiserit? Vide dicta *tr.* 4. *n.* 17. Advertendum hic quod dicit Tourn. (*tom.* 3. *pag.* 269.), nempe quod offensus recte potest velle iniuriae satisfactionem, si secus familia infamia notata remaneret. Item advertit s. Thomas (1) quod iuste potest postulare offensoris animadversionem, aut ad cohibendam eius petulantiam; aut ad consulendum communi tranquillitati. *Si vero* (ait Sanctus) *intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum per poenam peccantis* (*puta ad emendationem, vel ad cohibitionem eius, et quietem aliorum, et ad iustitiae conservationem*) *potest esse vindicatio licita.* Sed circa punctum de conservanda iustitia (quod plerumque innuunt offensi) magna vigilantia utendum est confessario, quia in praxi, ut loco cit. diximus, faciliter in eo desiderio iustitiae latet propria vindicta. Demum circa hoc 5. praeceptum interrogentur rudes, an se inebriaverint usque ad rationis usus amissionem? Vide dicta *tr.* 8. *n.* 4.

24. Circa 6. et 9. *praeceptum.* 1. Interrogentur de cogitationibus; num desideraverint, aut morose delectati fuerint de rebus inhonestis; et an plene ad eas adverterint et consenserint? Deinde, num concupierint puellas, aut viduas, aut nuptas; et quid mali cum illis se facturos intenderint? In quo advertendum, quod rustici, communiter loquendo, existimant maius peccatum stuprum, quam simplicem fornicationem: e contrario nesciunt malitiam adulterii. Ideo cum iis qui huius vitii consuetudinem habent, non expedit eos monere de adulterii malitia, cum praevidetur monitio parum profutura, sed tantum effectura, ut poenitens duplici peccato peccet, si carnis concupiscentiis non resistet. De his autem cogitationibus, quibus assentiti sunt poenitentes, sumendus est numerus certus, si haberi potest; sin autem, exquiratur quoties in die, vel hebdomada, vel in mense cogitationibus consenserint. Sed si nec etiam id explicare possint, interrogentur, num concupierint singulas mulieres quae sibi occurrerunt, vel in mentem venerunt; aut num habitualiter turpiter de aliqua in particulari cogitarint, nunquam pravis consensibus resistendo? Et an semper illam concupierint, vel an tantum quando ipsam aspiciebant? Demum interrogentur etiam, num media apposuerint ad malas cogitationes exequendas? nam (ut diximus

(1) 2. 2. q. 108. a. 1.

tr. 3. *n.* 48. *in fine*) tunc illa media, etsi indifferentia, a malitia interna informantur, et ideo explicanda ut peccata externa, sive opera incoepta.

25. 2. Circa verba obscoena interrogentur 1. Coram quibus, et quoties ita locuti sunt, ratione scandali? an coram viris, aut foeminis, uxoratis, aut non? pueris, vel adultis? Facilius enim scandalizantur puellae, et pueri, quam adulti, praesertim, qui in hoc vitio sunt habituati. 2. Quae dixerint verba? an v. gr. nominarint pudenda sexus a suo diversi? hoc enim difficulter excusatur a mortali, Num verba protulerint ex ira, vel ioco? nam ex ira difficilius aderit complacentia, et scandalum. Caveat confessarius ab absolvendis huiusmodi recidivis in colloquiis turpibus, quamvis dicant ea protulisse ex ioco, nisi prius emendentur, vel signum extraordinarium doloris afferant. 4. Num iactaverint se de aliquo peccato? tunc enim tria peccata frequenter concurrunt, scilicet magnum scandalum audientium, iactantia de malo commisso, et complacentia de peccato narrato: ideoque interrogandi sunt, de quo peccato in specie se iactarint. Interrogentur etiam, an delectati sint audire alios inhoneste loquentes, et an tunc adverterint ad correctionis praeceptum, putantes eam profuturam?

26. Circa opera interrogentur, cum qua rem habuerint? Num alias cum eadem peccarint? Ubi peccatum fuerit patratum (ad occasiones removendas)? Quoties peccatum consummatum, et quot actus interrupti adfuerint, seorsim a peccato? Num peccato multum ante consenserint? nam tunc actus interni interrumpuntur, iuxta dicta cit. *tr.* 3. *n.* 58. et tunc expedit formáre iudicium, toties multiplicata fuisse peccata, quot morulae somni, distractiones, etc. adfuerint, prout sunt coram Deo, tantum interrogando de temporis duratione in peccato. Secus si malum propositum fuerit conceptum per duos vel tres dies ante consummationem peccati, et intra illud tempus non fuerit retractatum, quia tunc sumitur pro uno numero peccatum, vide dicta *ibid.*

27. Se polluentes interrogentur etiam de tactibus impudicis separatis a pollutionibus, et moneantur eos esse mortalia. Item interrogentur, an concupierint, vel an delectati fuerint de copula cogitata cum aliqua, vel pluribus mulieribus, aut puellis; tunc enim tot peccata distincta committunt. Item adverte, quod si quis coiret inter crura aut brachia mulieris, praeter peccatum contra naturam, committeret fornicationem inchoatam, sive affectivam, ut dicunt communiter Fill. Tamb. Holz. Spor. etc.; unde hic duo patraret peccata diversae speciei, unum contra naturam in effectu, alterum fornicationis in affectu. Circa autem peccata coniugum respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo, confessarius non tenetur nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit, puta, *an fuerint obedientes viris in omnibus*; de aliis taceat, nisi interrogatus fuerit. Quae autem liceant, et quae vetantur inter coniuges circa idem debitum; vide quae fuse dicta sunt *tract.* 18. *ex n.* 38.

28. Circa 7. *praeceptum* interroget, si aliquid ab alio surripuerint? et a quo, et an ab uno, aut pluribus? et an semel, an pluries? an soli, an cum aliis? et an domini erant divites vel pauperes? ut dignosci possit, utrum materia fuerit gravis vel levis; vide *tr.* 10. *ex n.* 22. *ad* 73.

29. Circa 8. *praeceptum* 1. interrogetur poenitens, si aliquem infamaverit? et si id effecerit, falsum delictum ei imponendo, aut verum patefaciendo? et cum delictum est verum, utrum illud erat occultum, an publicum in aliquo loco, fama aut iudicis sententia? Item si erat occultum, an patefecerit illi cui erat ignotum? et coram quot illud narra-

verit? item an tanquam certum narraverit, an ut auditum ab aliis obtrectatoribus? et an coram aliis? aut si saltem oblectatus sit in audiendis obtrectationibus? insuper interroget, an aliquod malum infamiam inducens alicui exprobraverit coram ipsomet? quia tunc adest etiam contumelia, quae distinguitur a detractione. Quomodo autem se gerere debeat confessarius circa famae et honoris compensationem, vide dicta *tr.* 11. *n.* 3. 4. 18. *et seq.* Circa hoc octavum praeceptum non est necesse, ut interrogetur poenitens, an temere iudicaverit? quia huiusmodi iudicia, quae communiter fiunt, difficulter pertingunt ad culpam gravem; dum plerumque non sunt iudicia, sed suspiciones; et cum fit aliquod iudicium, id evenit, aut quia habetur sufficiens fundamentum ad sic iudicandum, aut saltem creditur quod motivum sit sufficiens ad tale formandum iudicium. Imo aliquando oportet ab errore nonnullos rudes removere, qui sibi scrupulum faciunt in suspicando ubi suspicari tenentur, ut malo, quod impedire possunt, occurrant: v. gr. nonnullae matres, cum filiae cum sponsis, aut etiam cum coniunctis clanculum, aut nimis familiariter versantur: ita etiam nonnulli viri cum uxores nimis familiariter utuntur cum aliis hominibus, hi aliquando confitentur se temere iudicasse, aut suspicatos fuisse. Confessarii admonitos hos faciant, ne deinceps sibi de hoc scrupulum faciant; imo dicant quod ipsi tenentur suspicari in talibus casibus de aliquo malo quod inde subsequi potest, ideoque tenentur removere occasiones, et tales familiaritates probibere.

30. Circa praecepta Ecclesiae nihil aliud interrogare occurrit, nisi utrum ieiunaverint in quadragesima, et in vigiliis? si sunt qui supponuntur ad id teneri. Et an praefatis temporibus, aut diebus veneris et sabbati cibis vetitis usi sint.

II. *De interrogationibus adhibendis cum personis diversi status, aut conditionis, quae sunt conscientiae parum meticulosae.*

31. Hic advertitur, quod circa obligationes proprii status, aut officii, non semper sufficit confessario poenitentem interrogare tantum, an suam obligationem impleverit. Cum poenitens videtur esse conscientiae parum meticulosae, aut confessarius aliunde habet rationabilem suspicionem quod ille suis obligationibus desit, tunc oportet ut ipsum interroget in particulari, saltem circa eius obligationes principaliores. Et 1. si est sacerdos qui ad confitendum accedit, interrogetur 1. an satisfecerit Horis canonicis, et oneribus Missarum, vel an has per multum tempus distulerit celebrare? 2. An negotiationem exercuerit? 3. An nimis festinanter missam absolvat? (circa quod observa quod dictum est *tr.* 15. *n.* 84. 85. *et* 86.). Si est beneficiatus, eum interroget de fructibus beneficii, quomodo eos insumpserit? Si est confessarius, praesertim interroget, an absolverit eos qui sunt in occasione proxima antequam illam removerint? aut recidivos sine signis extraordinariis. Si est parochus, de sui officii peculiaribus muneribus interrogetur, uti dictum est *tr.* 7. *ex n.* 14. Sed praesertim 1. an attendat ad debitas correptiones erga subditos? praecise erga eos qui aliquo tenentur odio, aut cum aliqua turpiter conversantur, aut domus sponsarum frequentant? 2. An invigilet, ut sui subditi absque exceptione personarum paschale impleverint praeceptum, ab eis schedulas, aut aliam certam notitiam, sine delectu personarum, exquirendo? 3. Quam dederit operam concionando diebus Dominicis, aut docendo doctrinam christianam, et ministrandis Sacramentis, praecipue moribundis? 4. Eum interroget an Ordinandis fidem de bonis moribus aut de Sacramentorum frequentia exhi-

buerit, quin de hoc certus factus sit. Denique si accederet Episcopus, qui sciretur neglectae esse conscientiae, confessarius omittere nequit eum interrogare de illius peculiaribus muneribus, de quibus locuti fuimus in eodem *tr.* 7. *ex n.* 47; et praecipue eum interroget, an debitam adhibeat diligentiam, ut se certum faciat de sufficienti scientia, et de positiva probitate Ordinandorum (prout diximus *tr.* 7. *ex n.* 47. *et* 52.), non acquiescendo solis fidibus parochorum, quae ut plurimum sunt falsae, aut suspectae de falsitate, quia ob humanos respectus solent illae exhiberi. Item si concedit facultatem confessiones excipiendi sacerdotibus, quorum doctrinam et morum probitatem plane exploratam non habeat? Secus ipsi damno potius, quam utilitati erunt. Item an exploret scandala quae in dioecesi adsunt? Item quomodo invigilet ad visitationem?

32. II. Si confitetur Monialis, interrogetur: 1. An aliquem defectum commiserit circa vota, praesertim paupertatis, accipiendo vel largiendo sine licentia? 2. An satisfecerit Horis canonicis? Opinio enim quod Moniales in privato non teneantur officium recitare, non est satis probabilis, ut ostendimus (1). 3. An erga aliquem mutuam nutrierit benevolentiam periculosam, puta si adfuerint saltem verba, aut litterae amatoriae? Et eo casu, si Monialis familiaritatem illam nollet relinquere, constans sit confessarius in neganda ei absolutione; in huiusmodi enim familiaritatibus, licet finis positive pravus absit, semper tamen periculum urget: saltem adest scandalum, et malum exemplum respectu aliarum. 4. An aliquo teneatur odio in suas sorores. 5. Si Monialis aliquod exercet officium, interroget de illo in particulari, puta *rotariae*, an afferat litteras aut nuntia de malo suspecta? *Portinariae*, an oscitanter ianuam reseratam teneat, cum periculo scandali Monialium, aut aliorum? *Abbatissis*, an debitam adhibeant diligentiam, cum viri in monasterium ingrediuntur, aut morantur? aut an novis abusibus conniveant? Advertendo quod licet particulares Moniales peccent leviter, levem regulam transgrediendo, Superiores tamen, quae non curant impedire cum possint observantiae relaxationem, peccant in re gravi.

33. III. Si accedit quis iudicis officio fungens, interrogetur 1. An fuerit personarum acceptor? 2. An causas expediverit? 3. An in iudicando conveniens studium praemiserit, omiserit, vel ex aliqua animi affectione motus erga alteram ex partibus sententias dixerit? IV. Si autem accedit tabellio, interrogetur 1. Quomodo se gerat in capiendis informationibus? 2. An intermiserit interrogationes suggestivas? 3. An testium depositiones diminuerit, vel auxerit? V. Si accedit medicus, interrogetur 1. An satis fuerit versatus in studio medicinae, et in praxi medendi? necnon an studium adhibeat (ut tenetur) in casibus difficilioribus qui occurrunt? 2. An alicui impertierit licentiam edendi carnes ob merum humanum respectum, sine iusta causa? 3. An aliquod periculosum remedium applicaverit infirmo, non adhuc de vita desperato. 4. An fuerit causa, ut remedia acciperentur ab aliquo pharmacopola suo amico, quem tamen noverit parum esse fidelem, vel peritum, aut ineptas vendere medicinas? 5. An attenderit ad curandos pauperes, si ad hoc stipendium exegit; vel sine stipendio, si pauperes fuerint in gravi necessitate? 6. An curaverit suos monere infirmos, ut tempore debito confiterentur, iuxta praecepta pontificia? De hoc puncto in pluribus Operis locis sermonem fecimus (2), ubi dictum est quod Innocentius III. medicis praecepit, ne alicuius infirmi curam susciperent, nisi prius ille con-

(1) lib. 4. n. 141. et 142. et prax. confess. c. 3. n. 54.

(2) lib. 3. n. 182. et melius l. 6. n. 664. et prax. confess. c. 3. n. 57.

fessus fuerit; et s. Pius V. confirmans tale praeceptum, insuper iussit, ut medicus post tertium diem relinquat infirmum, nisi sciat ipsum fuisse confessum, item mandavit quod omnes medici, antequam gradum doctoratus assumant, dent iuramentum observandi hoc praeceptum; idque mandatum est omnibus collegiis. Sed dubium fit, quomodo huiusmodi praeceptum et iuramentum intelligantur. Plures dd. tenuerunt ea procedere, cum infirmitas est periculosa; vel saltem cum dubitatur, an sit periculosa; et in hoc sensu dixerunt Bullam s. Pii receptam fuisse. Sed communior sententia vult, quod praefatum praeceptum, quamvis non obliget in quocumque morbo levi, tamen non intelligendum tantum urgere in morbis actualiter periculosis, sed etiam in illis qui prudenter iudicantur posse in posterum fieri periculosi. Et ratio est, quia Innocentius praecipit, ut medicus imponat infirmo confessionem, antequam eius curationis onus suscipiat, ad hoc, ne infirmus (sic loquitur Pontifex) de confessione monitus in mortali morbo, de salute desperans facilius in mortis periculum incurrat: igitur intendit effici, ut infirmus confiteatur antequam morbus fiat mortalis. Haec sententia mihi videtur vera. Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis medicorum, etiam timoratae conscientiae, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter iam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus iuramentum praestitum iuxta Bullam s. Pii, innixi doctrinae plurium auctorum Nav. Laym. Vega Graf. Rodr. Ciera etc. (1) sentientium quod praefatum iuramentum non obligat, nisi pro illa parte, pro qua a consuetudine receptum est. Caeterum non dubitandum, quin mortaliter peccent saltem medici illi qui omittunt monere infirmos de confessione, cum infirmitas est iam periculosa. Oh! quam miserum est videre tot infirmos (et praesertim eos qui spectatae sunt dignitatis) ad incitas mortis reduci, ut rationes vitae Deo mox reddendas parent, tempore quo sunt quasi exanimes, cum vix possint verba tunc modulare, vix alios audire, vix statum concipere propriae conscientiae, suorumque peccatorum dolorem. Et totum hoc evenit culpa istorum medicorum, qui, ne displiceant infirmis, aut eorum propinquis, illos certiores non faciunt de periculo; imo eis blandiri pergunt usquedum omnino ipsi de vita desperantur. Cum igitur accedit medicus negligentis conscientiae, curet confessarius praecipue eum interrogare et monere, non obiter, sed cum calore, de hac obligatione intimandi confessionem infirmis, saltem quando advertit morbum iam esse gravem, aut dubitat quod sit iam gravis, ut communiter dicunt dd. qui in hoc non discrepant. Dico *cum calore*, nam ex hoc puncto pendet salus spiritualis, non tantum medici poenitentis, sed omnium etiam infirmorum qui sub eius cura erunt.

34. VI. Si autem accedit pharmacopola, interrogetur 1. An praestiterit remedia praegnantibus ad abortum procurandum? 2. An vendiderit unum pharmacum pro alio, et carius quam res valebat? Hic adde Gregor. XIII in Const. 29. *Officii nostri* omnem vetuisse societatem pharmacopolas inter et medicos, aut chirurgos.

VII. Si accedit mercator, interrogetur 1. An deceperit in pondere et mensura? 2. An res vendiderit ultra pretium supremum, praesertim dando merces ad creditum, cum emptores essent securi, et nihil damni ipse esset passurus? An autem pretium augeri possit, vendendo ad creditum, eo quod tale est pretium currens in venditionibus ad creditum iuxta communem aestimationem? Et an res, quae venduntur minutatim, carius possint vendi? observa doctrinas ad-

(1) l. 6. n. 664. v. circa autem, et prax. confess. c. 3. n. 57. circa med.

notatas in *Tr.* 10. *n.* 174. *et* 178. cum Less. Lugo Salm. etc.

VIII. Si accedit sartor, interrogetur 1. An in diebus festivis per notabile tempus laboraverit sine extraordinaria causa, ut vestes compleret, et dominis afferret? 2. An ieiunia impleverit ab Ecclesia praecepta? nam sartores ob sarciendi laborem minime a ieiuniis excusantur. 3. An si alii commiserint ei pannos emendos, ipse pretium maius exegerit, sub colore quod mercator ob peculiarem amicitiam pretio minori pannos ei dederit? Si revera pars illa pretii fuisset ipsi donata, tunc poterit eam exigere, modo moralem praemiserit diligentiam apud alios mercatores, aut certo sciat quod alii communiter mercem illam minori non vendunt pretio: hoc tamen debet esse omnino certum, alioquin nihil amplius potest exigere quam solvit, vide *Tr.* 10. *n.* 189. 4. An sibi retinuerit frustula, sive resegmina vestium, quae iniuste retinet, nisi adsit consensus dominorum, aut nisi illi aliquid iniuste detraherent ex pretio debito, adhuc infimo communiter aestimato? 5. An sibi occasio proxima peccandi esset ex accipiendis regulis bene formandi vestes mulierum per ipsarum corporum commensurationem (vulgo ut dicitur, *in pigliar la misura*), aut esset ex aptandis vestibus foeminis, quod nequit fieri nisi cum ipsarum mulierum attrectatione; idque esset sartori occasio proxima incidendi in pravas delectationes, aut desideria, prout non raro accidit improbae conscientiae viris?

35. IX Si accedit aliqua venditrix sive proxeneta, (intellige de his quibus traduntur a dominis res ad vendendas licitantibus) interrogetur 1. An aliquid retinuerit pretii ab emptoribus exacti? Tenuimus enim quod venditrix nequit illud superans sibi retinere, etiamsi traderet domino pretium ab eo designatum; quia talis determinatio fit, ut res non vendatur minoris, non autem ut proxeneta illud quod superest sibi retineat; idque procedit, etiamsi a Domino fuerit locus designatus, ubi res venderetur, et proxeneta, adhibita ibi debita diligentia, in alio loco multum distanti pluris deinde vendidisset: etenim tunc etiam dicimus, quod ipsa nequit omne superfluum retinere, sed tantum id quod ipsi spectare potest ob illum extraordinarium laborem, nam res semper domino fructificat. Excipitur 1. si proxeneta rem meliorem reddidit, et ideo pluris vendidisset quam res prius valebat. 2. Si proxeneta cum domino convenerit, amplius ei non tradere, nisi pretium ab eo determinatum: et hoc sive expresse sive tacite, prout esset si dominus nullum pro eius labore stipendium assignasset. 3. Si quod superest esset parvi momenti, ita ut praesumeretur dominus condonare. 4. Si proxeneta, facta ordinaria diligentia, ipsa sibimet emeret rem pretio ab aliis oblato, et postea eam pluris venderet. Idem dicendum, si quis tibi commiserit aliquam rem emendam pretio designato, et tu minoris emisses; tunc enim nihil amplius exigere potes, nisi extraordinarium laborem adhibuisses ut impensae parceres, aut si rem tuo nomine emisses, periculum in te assumendo; hoc tamen intelligitur, si iam praemisisses moralem diligentiam, nec invenisses a quo rem minoris emere potuisses.

36. X. Si accedit barbitonsor, interrogetur an alios tondeat in diebus festivis, et ubi huiusmodi consuetudo non adsit? Dum contra id ei non est vetitum, ubi consuetudo iam introducta est: aut si ibi nequeunt viri tonderi nisi in festis, eo quod in aliis diebus labori operam navare debent, ut se suosque sustentare possint. Praeterea interrogetur, an comam mulieribus componat iuxta improbum usum hoc tempore a Satan inventum. Ordinarie loquendo, puto id esse viris proximam occasionem peccandi lethaliter turpibus delecta-

tionibus, aut saltem desideriis; unde dico minime permittendum id alicui, qui in se contrariam non habuisset experientiam. Quod si unquam quis per notabile tempus expertus fuisset, in huiusmodi actione se immunem a peccato, hic revera damnari nequit de mortali; sed hoc non obstante, non omittat confessarius eum removere quantum potest ab huiusmodi officio, quod certe in se periculum continet. Hic discutiendum non aggredior, an foeminae nec ne possint tuta conscientia viros arcessere, ut sibi componant illi comas? Audio quod pluribus in locis ipsae hoc factitant, et confitentur et communicant; videant ipsae, et ipsarum confessarii. Saltem confessarius eis imponat, ne alicuius viri iunioris opera utantur, ex cuius actionibus perceperunt secum malitiose illum se gerere. Caeterum censeo, quod mulieres purioris conscientiae non quidem virorum utantur opera, sed contentae erunt sibi a foeminis inserviri, a quibus coma, quo meliori potest modo, componatur.

Punctum IV.

Quomodo cum pueris, adolescentibus et puellis.

37. Cum pueris adhibere debet omnem charitatem, et modos suaviores quantum fieri potest. Primo eos interrogare debet, an sciant res Fidei? et si nesciant, oportet eos patienter instruere pro tunc, si tempus adest, vel eos mittere ad alium, ut instruantur saltem circa necessaria ad salutem. Cum autem agat de confessione, in principio curare debet, ut pueri ex seipsis confiteantur peccata quorum memores sunt; et postea fieri illis poterunt sequentes interrogationes: 1. An tacuerint aliquod peccatum ob verecundiam? 2. An blasphemaverint in Sanctos, aut dies sanctos? vel an iuraverint cum mendacio? 3. An omiserint in festis audire Missam, aut in audienda illa, sermones habuerint? Et an in festis laboraverint? 4. An parentibus fuerint inobedientes, aut irreverentiam irrogaverint eos subsannando, manus in eos extollendo, vel convicia aut imprecationes coram ipsis proferendo. Et hic advertendum quod dictum est *n.* 21. de modo imponendi pueris petitionem veniae a parentibus. 5. An aliquod turpe peccatum patraverint? Sed in hac materia confessarius sit valde cautus in interrogando: incipiat interrogare de longe, et verbis generalibus: et prius, an dixerint mala verba? an iocati fuerint cum aliis pueris, aut puellis? Et si iocos illos clam exercuerint? Deinde interroget, an commiserint res turpes? Multoties, etiamsi pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, v. g.: *Et nunc dic mihi, quoties haec fecisti? Quinquies, decies?* Interroget, cum quo dormiant, et si in lecto manibus iocati fuerint? Puellas interroget, si aliquem iuvenem amore fuerint prosecutae, et an adfuerint pravae cogitationes, verba, aut tactus? Et a responsis procedat ad ulteriores interrogationes, sed caveat ab exquirendo a puellis, vel a pueris, an adfuerit seminis effusio: cum his enim melius est deesse in integritate materiali confessionis, quam esse causam, ut apprehendant quae nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi. Interroget etiam a pueris, an attulerint nuntia vel dona virorum mulieribus? Et puellis, an acceperint dona a personis suspectis, nempe coniugatis, Ecclesiasticis, aut Religiosis? 6. Interroget, an commiserint furtum, vel an damnum attulerint praediis alienis, bestiis, aut alio modo? 7. An alicui detraxerint? 8. Circa praecepta Ecclesiae interroget, an impleverint confessionem et Communionem paschalem? Et an carnes aut lacticinia comederint diebus vetitis?

38. Quod autem pertinet ad absolutionem his pueris impertiendam, magna requiritur attentio. Si constet quod ipsi sufficientem usum rationis

iam habeant, prout si distincte confitentur, vel adaequate interrogationibus respondent, et appareat quod ipsi iam comprehendant cum peccato offendisse Deum, et meruisse infernum; tunc si satis videantur dispositi, absolvantur. At si in peccatis lethalibus sunt recidivi, ipsi tractandi sunt sicut adulti; unde si non praebeant extraordinaria signa doloris, absolutio eis differri debet. Si autem dubium sit, an puer perfectum usum rationis habeat, prout si ille in actu confessionis non maneret compositus, sed oculos in girum ageret, manibus iocaretur, impertinentia interponeret; tunc si est in periculo mortis, aut in obligatione implendi praeceptum paschale, absolvendus est sub conditione; et tanto magis si confessus fuerit aliquod dubium mortale; bene enim potest administrari Sacramentum sub conditione, quando iusta adest causa, ut esset haec liberandi hunc puerum a statu damnationis, si unquam in illum est lapsus. Idque agendum, etiamsi puer sit recidivus; dum ideo differri debet absolutio iis qui perfectam discretionem habent, quia spes est quod ex tali dilatione ipsi redeant dispositi; sed spes haec difficulter haberi potest a pueris qui perfecto usu rationis carent. Et probabiliter plures dd. dicunt quod pueri isti dubie dispositi absolvi possunt (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, licet sola venialia afferrent, ne careant diu gratia sacramentali, et forte etiam sanctificante, si forte aliquam gravem culpam haberent ipsis occultam. Oportet autem curare, ut hi pueri eliciant actum doloris necessarium ad suscipiendam absolutionem, modo respectu ipsorum magis proprio, exempli gratia: *Amasne Deum qui est Dominus tuus tam magnus, et tam bonus, qui te creavit, pro te est mortuus, etc.? Hunc Deum tu offendisti. Ipse tibi veniam dare vult, et tu spera quod propter Sanguinem Iesu Christi Filii sui tibi ignoscat. Sed oportet te poenitere. Quid dicis? poenitet te nunc eum offendisse, etc. Istis iniuriis quas Deo irrogasti, scis quod infernum meruisti? displicet tibi quod ipsas commisisti? Deus meus, nunquam amplius volo te offendere, etc.* Poenitentia autem his pueris iniungenda levis sit quantum fieri potest, et curandum quod illa ab ipsis quantocius impleatur, alioquin aut eam obliviscentur, aut omittent. Curet etiam confessarius magnopere pueris insinuare devotionem erga Deiparam, utque recitent quotidie Rosarium, et ter *Ave* mane et sero, semper hanc precem adiungendo: *Mater mea, libera me a peccato mortali.*

39. Circa vero statum ab aliquo adolescente eligendum, non audeat confessarius illum ei determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum ad quem prudenter iudicare potest ipsum a Deo vocari. Praesertim, loquendo de iis qui religionem ingredi volunt, ante omnia curet confessarius bene ponderare, in qualem religionem ingredi cupiant; nam si unquam Institutum illud relaxatum est, melius erit alicui (ordinarie loquendo) quod in saeculo remaneat; nam illi se aggregando ipse se geret sicut se gerunt alii, et parum illud boni quod prius exequebatur de facili in tali religione negliget, ut misere pluribus accidit. Et praecipue magnum scrupulum sibi faciat confessarius, si ad insinuationem propinquorum suadeat iuveni illi, ut intret in aliquam huiusmodi inobservantium communitatum. Si tamen religio observantia floret, confessarius vocationem sui poenitentis bene probet, inquirendo ad illam habeatne poenitens impedimentum aliquod inhabilitatis, infirmae valetudinis, inopiae parentum? et maxime expendat finem, an sit rectus, nempe magis se coniungendi Deo, aut lapsus emendandi anteactae vitae, aut saeculi pericula vitandi? Quod si principalis finis esset mundanus, vitam agendi commodiorem, aut se liberandi a pro-

pinquis durae conditionis, aut complacendi parentibus, qui ad hoc eum impellunt, caveat ne permittat religionem ingredi; nam eo casu illa non est vera vocatio, sine qua huiusmodi ingressus malum habebit eventum. Si autem finis est bonus, et abest impedimentum, nec debet, nec potest confessarius, neque alius, ut docet d. Thomas, sine culpa gravi illi impedire, aut dissuadere vocationem; quamvis prudenter aget aliquando, si executionem illi differat ad melius experiendum, an resolutio sit firma et perseverans; praesertim si noverit adolescentem esse volubilem, aut si deliberatio illa facta fuerit tempore Missionis, vel exercitiorum spiritualium: dum in huiusmodi occasionibus quaedam concipiuntur proposita quae postmodum, primo fervore transacto, deficiunt.

40. Si aliquis adolescens vellet suscipere statum praesbyteri saecularis, non sit facilis confessarius ad annuendum, sine longa et probata experientia recti finis, et scientiae, vel sufficientis capacitatis. Sacerdotes quidem saeculares habent eamdem, imo maiorem obligationem, quam Religiosi; et contra remanent in iisdem saeculi periculis; unde ut quis bonus evadat sacerdos in seculo (in quo raro, ne dicam rarissime, boni inveniuntur) oportet quod prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludis, ab otio, a pravis sociis, et deditam orationi et Sacramentorum frequentiae (sed quis est hic, et laudabimus eum?); alioquin se ponet in statum quasi certae damnationis; praesertim si hoc faciat, ut obtemperet parentum fini, qui est res domesticas augere. Iam autem dictum est supra *n.* 21. et 22. quam gravissimum sit peccatum, quod patrant parentes illi qui filios cogunt, ut statum ecclesiasticum aut religiosum inviti suscipiant. Quoad puellas vero quae virginitatem suam Iesu Christo consecrare cupiunt, non permittat eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, et edoctas in vitae spiritualis regulis, et praecipue in oratione exercitatas. Sub initio eis tantum permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicuius festi ad aliam alterius.

41. Demum quoad adolescentes illos qui volunt aut debent ducere uxorem (dico debent prout probatum est in libro, loquendo de iis qui essent incontinentes et nollent adhibere alia media opportuna ad se continendos) advertendum, quod sicut peccarent parentes, qui sine iusta causa eis honestum matrimonium impedirent, ita contra peccarent filii (et ideo confessarius tenetur illis hoc prohibere), qui vellent cum dedecore familiae matrimonium inire: aut quamvis coniugium non esset indecorum, vellent tamen illud contrahere, invitis parentibus, et cum eorum scandalo, quin ipsi filii iustam causam habeant ob quam excusentur; observa quomodo in libro id elucidatum est. Vide dicta *Tr.* 18. *n* 16.

Punctum V. *Quomodo se gerere debeat cum personis devotis?*

42. Personis devotioni deditis, quae frequenter accedunt ad communionem, ordinarie loquendo, insinuandum, ut saltem in qualibet hebdomada sacramentalem absolutionem suscipiant. Huiusmodi poenitentes, si tantum de imperfectionibus confitentur quae non pertingunt ad culpas certe veniales, dicit Bonac., eos absolvi posse sub conditione; sed hoc non admittendum censeo, nisi perraro, et cum ipsi non possent materiam certam praeteritae vitae assignare, vel non sine magna molestia. Ceterum dico, quod si poenitens certam non exhibet materiam, non debet confessarius angi in eam perquirendo, ut illum absolvat: et casu quo perquisisset, nec invenisset, non tenetur ei conditionatam absolutionem impertire. Hoc procedit.

cum poenitens confitetur (ut dixi) de defectibus, de quibus dubitatur, an pertingant ad venialia; at si de certis venialibus confitetur, sed usualibus, sive quotidianis, puta de impatientiis, intemperantiis, distractionibus in officio, in oratione, et similibus, ut absolutio illi praeberi possit, spectandum est, an ipse aliquando sibi, quantum potuit, vim intulerit, ac passionem superaverit: quia tunc iudicari poterit eius culpas potius ex humana fragilitate processisse, quam ex defectu doloris aut propositi. E converso, si ille frequenter et sine resistentia in huiusmodi culpas relapsus sit, tunc cum eo agendum tanquam cum recidivo, iuxta dicta ex n. 9. huius tract.

43. Plura insuper hic notanda: Et 1. caveat confessarius, ne his suis poenitentibus spiritualibus, praesertim foeminis, prohibeat accedere ad alium confessarium; et cum advertat accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse; imo ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur; praeterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat, ne si ad alium accedat, qui eius conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. Caveat pariter confessarius, ne sollicitum se ostendat, se velle alicuius animae directionem suscipere. 2. Nunquam absque necessitate de aliorum confessariorum defectibus loquatur, sed potius sedulo quaerat eos ab aliquo errore commisso excusare. 3. Directionem non suscipiat alicuius qui vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa, ut docet s. Philippus Nerius, s. Franciscus Salesius, s. Carolus Borromaeus, et alii; ex hoc enim saepe dissipationes, perturbationes et quandoque etiam scandala oriuntur. Advertatque, ad mutandum confessarium non satis esse, quod poenitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quod videatur verbis ipsius fidem non amplius habere, ut enim ait s. Theresia, saepe haec est daemonis tentatio. Unde s. Franciscus Salesius sic docet: *Confessarius non est variandus sine gravi ratione. Sed contra neque expedit in hoc esse invariabile, si legitimae causae mutationis superveniant.* Caeterum dicit s. Theresia iustam esse posse causam mutandi confessarium defectum bonitatis; ita inquiens: *Si confessarius proclivis alicui vanitati apparet, mutetur; cum ipse sit vanus, vanos alios efficiet.* Propterea poterit esse iusta causa mutandi confessarium defectus doctrinae; de hoc tamen certam oportet habere praesumptionem. De caetero, ait s. Theresia, quod de dubiis bene potest poenitens alios doctos directores consulere, imo aliquando hoc omnino expedit. 4. Evitet confessarius partialem se ostendere cum aliquo poenitente. Quidam ad aliquam animi benevolentiam nimis adiiciunt; cum illa omnem curam, tempus et laborem insumunt. Non negandum quod aliqua anima quandoque maiori indigebit assistentia, quam alia; sed alia est assistentia, alia est adhaesio, quae efficit, ut parcior cura de aliis poenitentibus habeatur. Ideo expediet, quod confessarius personae illi indigentiori aliquem diem aut tempus particulare assignet, quin alii incommodum recipiant. Notandum 5. quod in excipiendis confessionibus harum personarum spiritualium confessarius cavere debet, ne nimis attollat vocem quamvis de peccatis non loquatur; quia ex hoc accidere potest, quod alii expavescant suas culpas confiteri, ob hunc timorem quod confessarius alta voce loquatur. 6. Non sit facilis permittere devotis puellis, ut capillos praecidant, et aliquem induant habitum religiosum; sed curet, ut ipsae prius per multum tempus in vita spirituali, et in virtutibus fixius radices immiserint. Propter istam nimiam facilitatem confessariorum, quot puellae postea habitum dimittunt, et nuptias ineunt cum scandalo loci, et malo exemplo aliarum! 7. Neque his

puellis indulgeat confessarius, ut a viris doceantur legere, et tanto minus scribere. Quot puellae simplices, quia didicerunt legere, animae iacturam luxere! Haec si non est proxima peccati occasio, saltem est non parum periculosa. Si cupiunt talia addiscere, curent doceri ab aliqua alia muliere, aut ab aliquo fratre parvulo (adhuc cum cautela), alioquin eas non absolvat; nec etiam absolvat matres quae hoc permittunt. 8. Neque concedat foeminis iuvenibus, ut vagent, ecclesias visitando, utque in ecclesia morentur, plus quam est necessarium, cum perturbatione parentum; sed eas moneat, ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo. Quomodo autem, et quantum confessarius cavere debeat a familiaritate suarum poenitentium, de hoc sermo fiet *puncto* 10. *n*. 54. De directione autem animarum spiritualium loquemur in *Append*. 1.

PUNCTUM VI. *Quomodo debeat se gerere cum mutis et surdis.*

44. Si mutus esset etiam surdus, ut ordinarie evenit, ad eius confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum quoddam signum suorum peccatorum et doloris, meliori modo quo potest. Sed priusquam eum audiat, curet confessarius instrui ab eius familiaribus de ipsius vitiis, et de modo tenendo, ut eum percipiat et ab eo percipiatur; et cum aliquod iam perceperit eius particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere. Sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quamdam moralem certitudinem haberem de sua dispositione.

45. Mutus si sciret scribere, iuxta nostram sententiam (1), ipse tenetur ad confitendum per scripturam: qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria. Dico *ordinaria*, quia scriptum non esset muto ordinarium medium, si alioquin magnum ille deberet laborem subire ad suam confessionem explendam, aut si manifestationis periculum esse posset. Loquendo autem de surdis, si unquam accederet ad confessionarium aliqua mulier surda, aut surdastra, et confessarius in progressu confessionis; interrogans de circumstantiis peccati confessi, adverteret eam esse surdam, vide dicta *Tr*. 16. *n*. 155.

PUNCTUM VII. *Quomodo se gerere debeat cum moribundis?*

46. Confessarius in excipiendis moribundorum confessionibus non debet tam exacte procedere circa numerum et circumstantias; praesertim si iam accessisset sacerdos cum Viatico, aut si medicus instaret, ut cito Viaticum suscipiatur; tunc enim melius est ad dispositionem poenitentis, quam ad confessionis integritatem attendere. Sufficit tunc imponere infirmo, ut, cum convaluerit, confessionem repetat. Et satisfactio sit levissima, imponendo proportionatam pro tempore quo ille convalescet; vel satis erit ei iniungere ut redeat tempore sanitatis. Vulnerati, et puerperae, quae ordinarie nequeunt ab assistentibus deseri, sufficit ut se accusent generice de suis peccatis, et in particulari de aliqua culpa levi, cum proposito integre confitendi si convalescant. Advertat confessarius, quod si moribundus tenetur ad aliquam restitutionem, quam valeat tunc implere, ei imponere debet ut statim faciat: et non sufficit, quod de illa onus haeredibus relinquat, alias eum non absolvat.

47. Si autem infirmus notabilissimam subiturus esset perturbationem animi, in audiendo quod debeat Viaticum accipere, probabile est posse parochum Eucharistiam ei praebere, reticendo solita verba: *Accipe, frater, Viaticum*, *etc.*, sed proferendo ordinaria verba Communionis: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat, etc.* Vide dicta *Tr*. 15., *n*. 50. Si deinde confessarius adverteret mori-

(1) vide tract. 16. n. 35.

bundum iam esse in statu, quo teneretur suscipere Extremam-Unctionem, et ille respueret, patefaciat ei magnos effectus huius Sacramenti, quod grandem praestat animae fortitudinem ad obsistendum in ultimo agone daemonum tentationibus; eam solvit a culpis venialibus, et etiam mortalibus, si occultae sint; et insuper sanitatem adhuc corporis confert, cum animae saluti expedit: sed hanc sanitatem non praebet, si moribundus eo devenit, ut nequeat amplius nisi per miraculum convalescere; quia Sacramentum per viam ordinariam tantum operatur, causas naturales coadiuvando. Si vero, hoc non obstante, infirmus non acquiesceret, et pergeret nolle ungi, valde probabiliter plures dd. docent eum lethaliter peccare, saltem adversus charitatem erga seipsum, cum ultro se privet tanto auxilio in tanta necessitate.

PUNCTUM VIII. *Quomodo se gerere debeat cum capite damnatis.*

48. Cum his maxima charitas et patientia adhibenda est. Prima vice qua confessarius reum visitat, incipiat ei significare, mortem illam donum esse Dei, qui vult eum salvum facere. Dicat quod nos omnes ex hoc mundo discessuri sumus, et de brevi, ut ad aeternitatem perveniamus, quae non habet finem. Hinc ipsi loquatur de felici beatorum vita, et de miseria damnatorum. Deinde hortetur eum ut gratias agat Deo qui usque ad illud tempus ipsum expectavit, nec permisit ut moreretur tempore quo erat in peccato. Demum inducat, ut mortem hilari animo acceptet, eam coniungendo cum morte quam Christus Dominus pro suo amore perpessus est. Eumque confortet dicendo, quod ipse mortem propter sua peccata acceptando, certe salvus est, et cum magno merito salvus, unde in coelo grandi remunerabitur praemio. Insinuet ei postea, ut confiteatur, et omnia peccata sua libere manifestet. Praecipue interroget, an odio adversus aliquem teneatur? et an servet secum particulas consecratas, aut oleum sanctum, aut superstitiosas scripturas? Interroget etiam, an aliquod inierit cum daemone pactum? postquam autem eum absolverit, curet ut ille pluries communicet; monendo etiam ut frequenter Deiparae se commendet, ut bonam ipsi mortem obtineat. Dum e carceribus reus ad patibulum pergit, dicat ei: *Eia fili mi sequere Iesum Christum, qui ante te profectus est ad calvarium, ad subeundam pro te mortem tua longe amariorem.* Cum ad locum supplicii perventum sit, iterum eum reconciliet, et absolvat, moneatque ut aliquam indulgentiam lucretur, et deinde sic dicat: *Eia N. hilari esto animo, iam nunc manes in gratia Dei: iam patent tibi paradisi ianuae; ibi te expectant Iesus et Maria. Coniunge mortem tuam cum morte Iesu, qui pro tuo amore exanguis inter ludibria et cruciatus mortuus est. Amasne illum? dic mecum: Domine, super omnia te diligo; mori volo, ut tuam faciam voluntatem. Mortem pro meis peccatis accepto. Spero iam mihi te pepercisse, iterum te offendisse me poenitet. Cupio cito venire ad coelum, ad tuos pedes osculandos, ac ad te amandum in aeternum.* Cum vitta super oculos reo imponitur, et ipse scalam ascendit, ei dicat. *Fili mi, invoca Dei Matrem, ut tibi assistat. Offer mortem tuam pro culpis tuis. Protestare te nolle consentire ullae daemonis tentationi.* Postquam scalam ascenderit (dum sententia executioni demandanda est), dicat: *Ecce Iesus Christus qui expansis brachiis te expectat, ut amplectatur: Domine, te offendi, mihi displicet; nunc te amo toto corde, Deus animae meae. Tu me vocas, ecce venio. Maria Virgo, adiuva me. Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. Iesus et Maria, Iesus, Maria, Ioseph.*

49. Si autem reus obstinate nollet confiteri, quid agendum? 1. Confessarius quaerat eum orationibus adiu-

vare, et curet, ut etiam ab aliis ille Deo commendetur, ac praecipue a communitatibus religiosis, ut Missis et precibus ipsum auxilientur. 2. Intimet damnato, quod sive ipse convertatur, sive non, sententia exequenda erit. 3. Interroget, an forte de sua salute desperet, eo quod animam daemoni tradiderit? Eo enim casu illi suadere studeat, quod huiusmodi pactum vim non habet; quia solus Deus est animae Dominus, et statim ac ipse pravam revocat voluntatem, Deus ipsi omnia peccata remittit. 4. Interroget, an aliquem odio insequatur, ex quo proveniat sua obstinatio? Insuper advertat confessarius, primis vicibus, quibus talem obstinatum alloquitur, ne importune cogat ut statim confiteatur, quoniam obstinatior fiet. Melius erit sermonem secum facere de morte cui omnes tenemur, de misericordia Dei, de poenis inferni, et de paradisi gaudiis. Enarret ei exemplum alicuius peccatoris, qui mortuus est impoenitens; aut nonnullius capite damnati, qui sanctam sortitus est mortem, prout illius, qui, cum innocens damnatus fuisset, cumque interrogaretur, qua de re suam non defendisset innocentiam? sic respondit: *Et cur? Ego tot annos Deum rogavi, ut mihi concederet mori morte opprobriosa, sicut Salvator meus obiit pro me; ego iam obtinui quod petebam, et nunc hac optata sorte me privare vellem?* Et ita hilariter ad patibulum perrexit. Dictis his, confessarius relinquat reum, ut secum ista animo revolvat; et postea iterum sciscitetur, an forte mutatus sit, eique dicat: *Fili mi, iam tua mors appropinquat, quid decernis? In tua potestate est infernum, aut coelum eligere. Animadverte, quod si obstinate decedis, per totam aeternitatem te poenitebit, sed tanto malo nullum amplius remedium suppetet.* Cum adhuc ipsum videat durum, curet ut circumstantes orent pro eo, et praesertim litanias B. Virginis recitent; et deinde ante eum genuflectat, rogetque, ne velit perire. Si ne proficiat quidem eum alloquendo, se vertat ad alloquendum Crucifixum. Deinde, si reus iam advenerit ad supplicii locum, expostulet a populo, ut omnes genuflectentes pro illo obstinato preces effundant. Prodesse quoque poterit eum terrere dicendo: *Discede, maledicte, in infernum, quandoquidem vis te perdere. Sed scito, quod tua poena acrior in inferno erit memoria huius temporis, quod Deus tibi largitur, et tu abuteris;* at postmodum dulcem resumat sermonem. Si unquam damnatus iam scalam ascenderit, et petat confiteri, flagitet iustitiae ministros ut permittant ei descendere, protestando quod tunc ipsi teneantur tempus illi concedere ut confiteatur. Hoc tamen currit pro eo qui nondum confessus est, nam si reus iam alias confessus fuerit, tunc confessarius moneat eum, ut actum contritionis eliciat, et inde sic interroget: *Eia, Fili mi nunc nonne intendis confiteri mihi omnia peccata tua, et praesertim illa quae mihi dixisti?* Et cum reus annuerit, levissimam ei satisfactionem imponat (v. g. ut invocet Iesum et Mariam) et absolvat.

Punctum IX.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum infestatis a Daemone.

50. Aliqui obsessi a malis spiritibus vexantur spectris horribilibus, aut corporalibus cruciatibus. Horum facilis est cura; insinuetur eis oratio, patientia, et super omnia divinae voluntati uniformitas. Confessarius non sit ita incredulus, ut iudicet omnes has invasiones, aut infestationes daemonum esse phantasias, aut corporales infirmitates; quia non negandum, veros obsessos etiam inter christianos reperiri; Ecclesia enim adversus invasiones istas tot instituit exorcismos, quorum exercitium testatur nobis Concilium Tridentinum semper in usu fuisse apud Ecclesiam

Praeterquam quod, si obsessi non existerent, inutiliter Ordo exorcistatus institutus fuisset, quo super energumenos et catechumenos potestas confertur (quod certe non potest supponi); et quidem hic Ordo est unus ex septem, qui semper in Ecclesia Dei fuerunt, ut idem concilium declaravit. Caeterum consilium est semper de talibus invasionibus suspicionem habere; non enim negandum, maiorem earum partem esse aut fictiones, aut imaginationes, aut infirmitates, praesertim in mulieribus.

51. Qui tamen magis solent confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, sunt ii qui turpibus visionibus, motibus, ac etiam tactibus vexantur a daemone, qui non solum fomitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis carnale commercium sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *succubus*, vel *incubus* appellatur. Quidam hos daemones incubos, vel succubos dari negarunt; sed communiter id affirmant auctores, ut Martinus Delrio in opere *Disquis. Magic.* P. Hieron. Menghi *l.* 2. *c.* 15. Cardinalis Petrucci *Ep. part.* 2. *lib.* 2. *opusc.* 5. *c.* 15. *n.* 5. et Sixtus Senensis *l.* 5. *Bibl. Sacr. Annot.* 77. ex Cypr. s. Iust. Tertull. etc. Et maxime hoc confirmat s. Augustinus *l.* 15. *de Civit. Dei*, *c.* 23. *in initio* ubi scribit: *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solum videri, verum etiam tangi possent, verissima scriptura testatur, et multos (quos vulgo incubos vocant) improbos saepe extitisse mulieribus, et earum appetiisse ac peregisse concubitum. Quosdam daemones hanc assidue immunditiam, et tentare, et efficere, plures talesque viri asseverant, ut hoc negare imprudentia videatur.* Equidem possunt daemones ad hunc improbum usum defunctorum corpora assumere, vel de novo sibi assumere ex aëre, et aliis elementis ad carnis similitudinem, ac palpabilium et calidorum corporum humanorum species effingere, et sic ea corpora ad coitum aptare. Imo tenet praefatus Delrio, citans d. Thomam d. Bonav. Scotum Abulens. aliosque plures, quod daemon potest etiam verum semen afferre aliunde acceptum, naturalemque eius emissionem imitari, et quod ex huiusmodi concubitu vera proles possit nasci, cum valeat daemon semen illud accipere, puta a viro in somno pollutionem patiente, et prolificum calorem conservando, illico in matricem infundere: quo casu proles illa non erit quidem filia daemonis, sed illius cuius est semen, ut ait d. Thomas apud citatum auctorem. An autem, inspectis legibus a divina providentia constitutis pro propagatione generis humani, haec aliquando evenisse, aut evenire posse credendum sit, sapientiorum iudicio remittimus. Hic autem fit dubium, an possit daemon, permittente Deo, absque hominis culpa manus illius admovere ad se tactibus polluendum? Affirmat p. Gravina Dominicanus, et quidem probabiliter; si enim valet daemon corpus alicuius totum movere, ut narratur de Simone Mago, ope daemonis in aërem sublato; cur non poterit et manum? Praeterea, si daemon potest alicuius commovere linguam, ut invitus proferat obscoena verba, aut blasphemias contra Deum, quidni manus, ut turpia patrentur? Idem sentit Cardin. Petrucci *l. c. n.* 8. ubi sic inquit: *Non semel compertum fuisse, quod daemon aliquam partem in humano corpore coeperit quodammodo possidere, puta oculos, linguam, vel etiam verenda. Hinc fit linguam obscoenissima verba proferre, licet mens talia tunc non advertat. Hinc impetus et affectus quandoque se turpiter denudandi proveniunt. Hinc foediora, quae me conscribere pudet*: sed maxime praedicta confirmantur a s. Thoma 1. 2. quaest. 80. art. 3. in corp. qui sic ait: *Respondeo dicendum quod diabolus propria virtute, nisi refraenetur a Deo, potest aliquem inducere ex necessi-*

tate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est, non autem potest inducere necessitatem peccandi; quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non resistit; nisi per rationem, cuius usum totaliter impedire potest, movendo imaginationem et appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis potest; sed tunc ratione sic illigata, ut quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum; sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte quae est libera, potest resistere peccato, sicut supra dictum est. Unde manifestum est quod diabolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum. Iuxta igitur s. Thomam, bene potest daemon (permittente Deo) omnem libertatem ad resistendum homini auferre, sicut aufert obsessis, eumque inducere ad faciendum actum de se peccaminosum sine hominis peccato formali. Insuper iuvat hic adnotare id quod super hoc puncto sapienter scribit P. Scaramelli (1) dicens: *Id potest peragi sine peccato formali creaturae, si scilicet daemon eo tempore quo exterius operatur, interius usum rationis totaliter impediat, ut omnem demat libertatem ad resistendum: quod per d. Thomam fieri potest, ita vehementer movendo imaginationem et appetitum sensitivum, ut per tales perturbationes omne rationis lumen extinguatur. Hinc confessarius examinet poenitentem, an in his, quae patitur, advertat quemadmodum malitiam peccati, et an habeat aliquem stimulum retrahentem ab illa actione. Nam si dicat, durante illa tentatione, ita mentem sibi offundi, ut nihil cognoscat, nec ullum remorsum sentiat, tunc poterit censeri immunis a peccato. Secus si eo tempore in ipso effulgeat aliquod lumen rationis, ita ut ratio non sit totaliter ligata, et possit resistere.* Praeterea advertit praefatus auctor, monetque confessarios, ut curent quod talia patientes semper subiiciant clavibus Sacramenti huiusmodi actus, quia ipsi vix credi possunt immunes saltem a peccato veniali vel propter advertentiam imperfectam, vel propter aliquam deficientiam resistentiae, quam adhibere debebant.

52. Si quis unquam advenit infestatus ab hoste huiusmodi genere tentationis (dictae *spiritus fornicationis*, a quo s. Ecclesia nobis praecipue iniungit petere a Domino, ut nos liberet), debet confessarius multum satagere ad praemuniendum poenitentem in tam horrendo conflictu; nam ait doctus Cardinalis Petruccius, has animas in magno periculo versari, si remedia non adhibeant multum efficacia, et aliquando, si oportet, etiam extraordinaria: cum enim ad resistendum requiratur ingens subsidium ex parte Dei, et magna violentia ex parte patientis, difficulter ab huiusmodi pugnis victor egredietur, qui perseveranter non adiiciet magnam mortificationem, et super omnia validam orationem, centies et millies se commendando, gemendo, et misericordiam petendo ad Crucifixi et Deiparae pedes, lugendo, exclamando, et misericordiam petendo. Alioquin si anima tepescit, et deficit in orando, aut se mortificando, dicit Petruccius, quod ipsa in magno erit periculo ruendi saltem indirecte in aliquam occultam illarum turpium delectationum complacentiam. Itaque, ut deveniamus ad remedia, si confessarius iudicare potest nullam omnino adesse culpam in hac tentatione ex parte poenitentis, ipsum ante omnia moneat haec adhibere: iugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando SS. nomina Iesu et Mariae: se diligenter avertat a sensuum voluptatibus: Communionem frequentet: protestetur saepe nolle consentire cuicumque tentationi, aut delectationi quam opera daemonis sentiret: saepe utatur signo crucis (illam ferendo quoque secum), et aqua benedicta; cum ipsa lectum et

(1) P. Scaramel. Direct. Mystic. tr. 5. cap. 11. n. 124.

cubiculum aspergendo: afferat etiam secum aliquam reliquiam Sanctorum, et Evangeliorum librum: secum pariter adhibeat exorcismos privatos, dicendo: *Spiritus nequam, in nomine Iesu Christi praecipio tibi, ut a me discedas, et ne me amplius vexes*: hortetur praeterea quod vexatus ille saepe humilietur, et in huiusmodi humilitatis actibus saepe se exercitet; cum Deus aliquando ad aliquam internam superbiam ab anima removendam huiusmodi tentationes permittat.

53. Si quis autem in his tentationibus misere cadit aut earum occasiones magis quaerit quam effugit, huius curatio est valde difficilis; nam huiusmodi peccatores, qui cum daemone commercium habent, difficillime ex corde convertuntur. Ex una parte enim erga hos daemon dominium quoddam acquirit super eorum voluntates, et ex altera ipsi remanent nimis debiles ad resistendum; indigerent extraordinaria gratia Dei, sed difficillime solet hanc Deus huiusmodi impiis concedere. Verumtamen confessarius, si quis eorum accesserit, non diffidat, sed curet cum ipso summam adhibere charitatem, confortetque dicendo, quod ubi non est voluntas, non est peccatum; hinc si ipse voluntate resistet, minime peccat. In his casibus ante omnia confessarius adversus daemonem praemittat exorcismum, saltem privatum, qui certe licitus est hoc modo: *Ego ut Dei minister praecipio tibi, aut vobis, spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei.* Deinde poenitentem interroget, an unquam hostem invocaverit, et cum eo aliquod inierit pactum? an aliquando Fidem negaverit, aut contra ipsam actum aliquem exercuerit? interroget, qua forma ipsi daemon appareat, an hominis, mulieris, aut belluae. Tunc enim, si cum illo coit, praeter peccatum contra castitatem et religionem, reus erit peccati fornicationis, aut sodomiae, aut incestus (intellige affectivi), adulterii, aut sacrilegii. Item interroget, quo loco et tempore hoc commercium habuerit? Ostendat ei postea huiusmodi criminis immanitatem, quaeratque eum inducere ad veram conversionem, et confessionem integram faciendam; isti enim perditi homines, etiamsi confiteantur, de facili peccata committunt. Eadem demum remedia supra adnotata illi praescribat, nempe quod saepe ad Deum, et B. Virginem recurrat: frequenter nomina Iesu et Mariae invocet: aquam lustralem, et crucis signum adhibeat; aliquam reliquiam et Evangelium secum ferat: saepe etiam privatum proferat exorcismum, prout dictum est supra. Differat deinde eum absolvere, sed hortetur ut saepe redeat, ut sic cognosci possit, quomodo se gerat in resistendo hostis invasionibus, et in remediis adhibendis; nec eum absolvat, nisi post longum experimentum: tales enim conversiones, ut diximus, raro sunt verae, et rarissime perseverantes.

PUNCTUM X.

Quomodo se gerere debeat confessarius in excipiendis confessionibus mulierum.

54. Summe cautus debet esse confessarius in excipiendis confessionibus mulierum. Et primo notandum quod in Decr. S. C. Episcoporum 24. Ian. 1610. dicitur: *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram.* Loquendo autem de prudentia confessarii, ipse regulariter in confessionario cum iunioribus sit potius rigidus quam suavis, nec permittat illas ante confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multo minus ut manus deosculentur. In actu confessionis non ostendat eas agnoscere; aliquae enim, quae religiosae haberi volunt, aliquando advertentes se nosci a confessario, non faciunt integram confessionem. Imprudentia quoque est coniicere oculos in poenitentes, cum e confessionario recedunt, easque per aliquod tempus

intueri. Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. Abstineat etiam a recipiendis munusculis; et praecipue ad illarum domos nunquam accedat; uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc nonnisi vocatus accedat, et tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum confessionibus: unde ianuam apertam relinquat, sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem poenitentis nunquam defigat. Et hoc praesertim currit, si sint personae spirituales, cum quibus est periculum maioris adhaesionis. Dicebat Ven. p. Sertorius Caputus, diabolum, ad coniungendas inter se personas spirituales, ab initio uti praetextu virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad personam: unde ait s. Augustinus apud s. Thomam (1): *Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus est habendus, nec tamen quia sanctiores fuerint, ideo minus cavendae; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt et sub praetextu blandi sermonis, immiscet se viscus impiissimae libidinis*. Et idem angelicus Doctor (loc. cit.) sic prius dixit: *Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa et damnosa, eis tamen perniciosa est magis, maxime quando conversantur cum persona, quae spiritualis videtur: nam quamvis eorum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum: quae quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur*. Et subiungit, quod tales personae hoc non statim advertunt: quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo quae aliquantulum feriunt, et augent affectum. Sed brevi huiusmodi personae eo deveniunt, ut non amplius agant secum tamquam Angeli, quemadmodum coeperant, sed tanquam carne vestiti: vicissim se intuentur, mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quae adhuc a prima devotione videntur procedere: hinc alter alterius praesentiam incipit appetere: *sicque* (concludit) *spiritualis devotio convertitur in carnalem*. Et quidem oh quot sacerdotes qui antea erant innocentes, ob similes adhaesiones quae spiritu coeperant, Deum simul, et spiritum perdiderunt!

55. Deinde confessarius non adeo mulierum confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset. Oh qualis miseria est cernere tot confessarios qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *bizocas*; et cum postea vident ad se accedere homines aut foeminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis, et molestiis, et qui aegre domos et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos dicendo: *Habeo aliud quod agam*, *ite ad alios*; unde fit, ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses et annos sine Sacramentis, et sine Deo. Hoc non est audire confessiones ut Deo placeamus, sed potius ut genio serviamus: quare nescio quale meritum apud Deum sint habituri confessarii illi qui hoc modo suum ministerium exercent. Scio ego, immo et contra aliorum opinionem, qui asserunt esse tempus frustra impensum, teneo esse opus valde Deo carum dirigere animas ad viam perfectionis; ideoque de hoc fusius loquar capite ultimo; sed assero quod probi confessarii qui tantum ut Deo placeant confessiones excipiunt (quemadmodum facere consueverunt s. Philippus Nerius, s. Ioannes a Cruce, s. Petrus de Alcantara, aliique) quando cernunt aliquam animam indigentem, praeferunt eam animabus devotis, quibus audiendis auxiliandisque, quando confessarius vult, tempus non deerit.

(1) S. Th. opusc. 64. tit. de peric famil.

APPENDIX I.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS IN DIRIGENDIS ANIMABUS SPIRITUALIBUS

1. Quod olim dixit Dominus Ieremiae: *Ecce constitui te super gentes ut evellas, et dissipes, aedifices et plantes*; idem nunc repetit singulis confessariis, qui non solum debent evellere vitia ex suis poenitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Unde expediens est addere hic in fine caput hoc, quod poterit inservire confessariis tyronibus ad dirigendas animas spirituales ad perfectionem. Non sunt quidem expellendi peccatores, ut superius diximus, sed contra opus est etiam multum Deo acceptum sponsas illi adornare, animas scilicet spirituales excolere, ut in totum se illi donent, tradantque. Acceptior est eius oculis anima sola perfecta, quam mille imperfectae. Unde cum videt confessarius poenitentem vivere immunem a culpis mortalibus omnem curam adhibere debet, ut eum in viam perfectionis, et divini amoris introducat, illi repraesentando meritum, quod habet Deus ut ametur, et gratitudinem quam debemus Iesu Christo qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis; nec non periculum in quo versantur omnes animae, quae vocatae a Deo ad vitam perfectiorem, illi resistunt. In tribus igitur praecipue posita est directio confessarii quoad animas spirituales, scilicet in meditatione et contemplatione, in mortificatione, et in frequentia Sacramentorum, et de omnibus his sigillatim dicemus.

§. I. *De Oratione meditationis.*

2. Prudens ergo confessarius cum cernit animam aliquam abhorrentem peccata mortalia, et desiderantem progredi in amore divino, ante omnia debet illam disponere ad orationi mentali vacandum, scilicet ad meditationem veritatum aeternarum, et bonitatis divinae. Et quamvis necessaria non sit ad aeternam salutem consequendam, sicuti est necessaria petitio; nihilominus videtur valde necessaria animabus, ut in Dei gratia perseverent. Cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere; sed non possunt cohabitare oratio, et peccatum. Anima aut relinquet orationem aut peccatum. Dicebat s. Theresia: *Anima quae in oratione perseverat, quotquot illi peccata opponat diabolus, tandem pro certo habeo quod eam Dominus ad salutis portum conducet.* Et ideo diabolus nullum aliud exercitium tam quaerit impedire, quam illud ora-

tionis, quoniam, inquit eadem Sancta: *Novit daemon quod certe amittet animam quae perseveranter incumbit orationi*. Praeterea solus amor est qui animam Deo iungit, et stringit, sed fornax in qua accenditur flamma divini amoris est oratio, seu meditatio: *In meditatione mea exardescet ignis*. Ps. 38. 4.

3. Incipiat ergo confessarius introducere animam in orationem. Ab initio non plus quam mediae horae spatium assignet, quod deinde, crescente spiritu, plus minusve augebit. Neque desistat ex eo quod poenitens difficultatem adducit, quod desit sibi tempus et locus ad se colligendum: immo imponat ei, ut saltem mane vel vespere quando in domo maior est quies, vel etiam in ipsis occupationibus (quando aliud non posset efficere) elevet identidem mentem ad Deum et meditetur veritates Fidei, ut sunt Novissima, quorum cogitatio, (et praecipue mortis) est utilior pro incipientibus. Meditetur quoque Christi Passionem, quae meditatio est omnibus fructuosa. Si vero poenitens non sit litterarum rudis, expediens est, ut utatur aliquo libro spirituali, quo magis habeat ingressum in orationem, quemadmodum facere solebat s. Theresia. Moneat quoque, ut seligat materiam illam, in qua anima maiorem experitur devotionem; et in iis locis in quibus anima se vehementius affici et commoveri sentit, moretur aliquantum, et relicta meditatione, totam se exerceat in actibus voluntatis; vel incumbat petitioni, aut faciendis propositis. Dico 1. se exerceat in *faciendis actibus* scilicet humilitatis, actionis gratiarum, Fidei, Spei, et praesertim in repetendis actibus contritionis, et charitatis erga Deum offerendo se illi totam, totamque suae sanctissimae voluntati resignando, et repetendo, plus quam alios, actum illum cui anima se magis sentit inclinatam. Dico 2. exerceat se *in petendo*; nam a petitione omne nostrum bonum dependet; et s. Augustinus inquit Deum ordinarie nullam gratiam hominibus concedere, et praesertim gratiam perseverantiae, nisi per canalem petitionis. Dominus dixit; *Petite, et accipietis*; ergo, concludit s. Theresia, qui non petit, non accipit. Quapropter si volumus animam nostram salvare, necesse est semper orare, et ante omnia petere perseverantiam, et amorem erga Deum; et quidem nullum tempus opportunius est ad petendum, quam tempus orationis mentalis. Qui non orat, difficulter petit, quia difficulter se actuat ad considerandas gratias, quibus eget, et necessitatem ipsam petendi; et ideo qui non facit orationem, difficulter in Dei gratia perseverat. Dico 3. in *statuendo*, ut oratio non remaneat infructuosa, et anima mandet executioni ea lumina, quae in oratione recepit. Unde, quemadmodum inquit s. Franciscus Salesius, nemo debet imponere finem orationi, nisi prius fecerit particularem aliquam determinationem, puta vitandi defectus quosdam magis usuales; aut exercendi virtutem aliquam in qua se noscit debiliorem. Videatur circa hoc quod dicetur in Appendice IV. versus finem, cum loquemur de instructione pro oratione mentali § 3.

4. Exigat igitur confessarius ab animabus istis rationem orationis, exquirendo ab illis quomodo in ea se gesserint, aut saltem si fecerint; et imponat illis, ut in confessione ante omnia alia se accusent de oratione omissa, quando eam intermiserint, quoniam relicta oratione anima salvari non poterit. *Anima quae omittit orationem* (dicebat s. Theresia) *tamquam a semetipsa se collocat in inferno sine opera daemonum*. Oh Deus, et quantam confessarii afferrent animabus utilitatem adhibendo hanc minimam diligentiam! Et oh quam Deo rationem sunt reddituri, nisi ita se gerant, quoniam ipsi tenentur procurare, quantum in se est,

spiritualem progressum suorum poenitentium! Oh quot animas possent ipsi ad viam perfectionis dirigere, easque a recidivis in peccata gravia liberare, si adhiberent hanc tenuem industriam dirigendi eas per viam orationis; et interrogandi postea saltem sub initiis vitae spiritualis utrum eam fecerint, vel non! Quando anima aliqua se in oratione solidavit, difficillime plus Deum amittit; et ideo oratio mentalis insinuanda est non tantum timoratis, sed etiam peccatoribus, qui saepe ob defectum considerationis redeunt ad vomitum.

5. Super omnia confessarii adhibere debent diligentiam hanc, cum poenitentes patiuntur desolationem spiritus. Initio quo anima se tradit vitae spirituali, solet Deus illam allicere specialibus quibusdam luminibus, lacrymis et sensibilibus aliis consolationibus; sed elapso aliquo tempore solet intercidere hanc venam, ut probet earum fidelitatem, et ut eas ad maiorem perfectionem extollat, subtrahens eis sensibilem omnem dulcedinem cui facile anima adhaeret non sine impuritate quadam, et culpa ex amore suiipsius. Consolationes sensibiles (quin et attractiones supernaturales) sunt quidem Dei dona, sed non sunt ipse Deus; unde ipse, ut animas sibi dilectas avellat etiam a donis suis, ut Donatorem puriori amore diligere cogantur, efficit, ut non inveniant amplius in oratione pabulum consuetum, et solitam consolationem, sed taedia, ariditates, tormenta, et quandoque etiam tentationes. Invigilet ergo summopere confessarius ad confortandas animas istas, ne orationem omittant, et praescriptas Communiones. Revocet illis in memoriam verba illa s. Francisci Salesii, scilicet: *Plus valere coram Deo unciam unam orationis in medio desolationum, quam libras centum in medio consolationum.* Quoniam ille qui Deum diligit ob consolationes, plus Dei consolationes quam Deum ipsum diligit; sed qui Deum amat, eique adhaeret sine consolationibus istis, hic verum ostendit amorem. Haec de meditatione sufficiunt; sed opportunum duco aliquam hic novis confessariis praebere notitiam contemplationis infusae, ac suorum graduum, nec non aliorum donorum supernaturalium una cum regulis praescriptis a spiritualis vitae magistris ad directionem animarum, quibus Deus huiusmodi gratias voluerit impertiri.

§. II. *De oratione contemplationis, et diversis suis gradibus.*

6. Quando anima aliqua a Deo contemplationis gratia donatur, oportet ut confessarius optime sciat modum quo eam dirigere debet, et ab omnibus illusionibus liberet; alias maximum illi afferet damnum, et quemadmodum ait s. Ioannes a Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem. Contemplatio multum differt a meditatione. In meditatione quaeritur Deus labore discursus, in contemplatione sine huiusmodi labore contemplatur Deus iam inventus. Insuper in meditatione anima operatur actibus suarum potentiarum, in contemplatione operatur Deus, et anima tantum patitur, et recipit in se dona quae a divina gratia sibi infunduntur absque eo quod aliquid operetur, quoniam ipsa lux, et divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter attentam ad contemplandam Dei sui bonitatem, qui tot illam cumulat donis.

7. Advertere etiam oportet, quod Deus, antequam concedat animabus donum contemplationis, solet eas introducere in orationem recollectionis, vulgo dictam *di Raccoglimento*, vel *otii contemplativi* (sic illam vocant mystici), quae non est adhuc contemplatio infusa, quoniam anima adhuc est in statu activo. Haec recollectio (loquar hic de naturali, quoniam de supernaturali et infusa inferius loquemur *n.* 13.) est quando intellectui opus non est cum labore

quasi extra animam exire ad considerandum mysterium aliquod, aut aeternam veritatem, sed avulsus a rebus externis, et collectus quasi intra animam ipsam, absque labore, immo cum magna suavitate attendit illi veritati, aut mysterio, quodcumque sit. *Otium contemplativum* est fere idem, nisi quod in collectione anima attendat alicui devotae cogitationi particulari; in otio vero cum generali quadam Dei notitia sentit se in seipsa collectam, et suaviter Deo attractam. In hac collectione, sive otio contemplativo, dicunt quidam mystici, quod etsi haec oratio sit naturalis, nihilominus anima cessare debet non solum a meditatione, sed etiam ab actibus voluntatis, scilicet amoris, oblationis, resignationis etc., et tantum manere debet in quadam amoris vigilantia, et attentione ad Deum, absque eo quod actum aliquem faciat. Verumtamen huiusmodi incantationibus ego prorsus acquiescere non valeo. Nulli dubium, quod quando anima collectam se cernit, non debet se applicare meditationi, quia iam invenit sine ullo labore quidquid ipsa postulabat; praeterquam quod ipsa ordinaria meditatio, ut ait p. Segneri in suo aureo opusculo de *Concordia inter laborem et quietem* (1), producit post aliquod tempus contemplationem quae dicitur *acquisita*, nempe illam quae unico intuitu cognoscit veritates, quas ante nonnisi longo discursu et labore cognoverat. Sed his non obstantibus, nescio cur anima cessare debeat a bonis actibus voluntatis; et quodnam tempus opportunius his faciendis actibus esse poterit, quam tempus quo anima se collectam sentit? Verum quidem est, quod s. Franciscus Salesius consilium dedit b. Ioannae de Chantal, ut in sua oratione, cum se Deo unitam sentiret, non repeteret novos actus, sed quare? quia scilicet beata iam pervenerat ad contemplationem passivam. Unde quando anima adhuc est in statu activo, non est ratio cur actus boni impedire debeant gratiae operationem. Idem s. Franciscus Salesius praefigebat animabus devotis a se directis determinatum quemdam numerum aspirationum amoris, faciendum intra certum temporis spatium. Quando anima pervenit ad statum passivum contemplationis, tunc anima etsi non mereatur, quia eo tempore non operatur, sed tantum *patitur*, nihilominus acquirit magnum quemdam vigorem ad operandum postea cum maiori perfectione. Sed quando anima adhuc est in statu activo, ut mereatur, operari debet, actus bonos faciendo; atque haec sunt opera, quibus anima meretur gratiam divinam. Unde recte concludit idem p. Segneri, quod quando Deus loquitur et operatur, oportet ut anima taceat, et cesset a suis operationibus, nihil aliud ponendo ex parte sua circa principium, quam attentionem quamdam amoris ad divinas operationes; sed quando Deus non loquitur, necesse est, ut anima se adiuvet eo modo quo potest ad coniungendum se Deo, scil. meditationibus (quando hae sunt necessariae), affectibus, precibus, et determinationibus, dummodo actus isti non eliciantur inviti: unde illi tantummodo sunt faciendi, quibus se anima sentit suaviter inclinatam.

8. Insuper advertendum est, quod Deus, antequam introducat animam in orationem contemplationis, solet eam purgare ponendo in ariditate supernaturali, quae appellatur *purgatio spiritualis*, ut eam purificet a suis imperfectionibus, quae illi impediunt contemplationem. Atque hic distinguendum est inter ariditatem *sensibilem*, quae pertinet ad sensum, et ariditatem *substantialem*, quae pertinet ad spiritum. Ariditas *sensibilis* (de *substantiali* loquemur num. sequenti) quando est naturalis fert secum quoddam taedium rerum spiritualium, et obscuritatem quamdam

(1) Segn. p. 1. c. 1. n. 1.

leviorem, et minus durabilem; sed quando est supernaturalis, de qua hic agimus, ponit animam in quadam obscuritate profundiori, quae diutius durat, et quotidie maius accipit incrementum. Nihilominus anima in tali statu constituta, licet sentiat se magis a creaturis alienatam, et habeat cogitationem semper in Deum defixam una cum ingenti desiderio, et determinatione eum perfecte amandi, tamen sentit se redditam tamquam impotentem ad hoc exequendum ob suas imperfectiones, quarum causa videtur facta Deo odibilis; sed interea, hoc non obstante, non cessat se recte gerere in virtutibus. Haec molesta ariditas est quidam tractus gratiae, est lux quaedam supernaturalis, sed lux quae affert poenam et obscuritatem, quoniam volens se nudo spiritui communicare, et inveniens sensus, atque potentias animae suae non adhuc capaces, ex eo quia nondum prorsus a consolationibus sensibilibus sint disiunctae, et consequenter materialibus, quae plenae sunt formis, imaginibus et figuris; producit in anima huiusmodi tenebras tam molestas, sed valde utiles, quoniam per ipsas anima pervenit ad alienationem quamdam ab omnibus voluptatibus sensibilibus tam terrenis, quam spiritualibus; et insuper acquirit magnam suarum miseriarum cognitionem, atque impotentiae ad quodvis opus bonum perficiendum, et simul magnam erga Deum venerationem, qui illi repraesentatur venerabilis et terribilis. In hoc statu director debet animam confortare ad sperandas res magnas a Deo, qui ad hunc finem ita se gerit cum ea. Insinuet ei, ne conetur se exercere in meditatione, sed ut humiliet se, faciat actus oblationis, totamque se Deo committat, perfectissime resignata dispositionibus suae voluntatis, quae tota tendit ad bonum nostrum.

9. Post hanc purgationem sensus solet Dominus concedere donum contemplationis, quae dicitur gaudii; scilicet recollectionis supernaturalis, quietis et unionis, de qua deinceps loquemur; sed ante unionem, et post recollectionem et quietem, solet Deus purgare animam ariditate spiritus, quae dicitur ariditas *substantialis*, qua Dominus vult, ut anima se totam in seipsa annihilet. Ariditas sensus est subtractio devotionis sensibilis, sed ariditas spiritus est quaedam lux divina, qua Deus facit, ut anima suum nihilum agnoscat. Atque hic est, ubi anima se cernit in quadam terribiliori agonia; nam etsi tunc ipsa sit magis determinata ad se vincendum in omnibus, et magis attenta ad Deo placendum, nihilominus quo magis agnoscit suas imperfectiones, eo sibi videtur a Deo expulsa, atque derelicta, tanquam ingrata beneficiis acceptis, immo et ipsa spiritualia exercitia, quae peragit, ut sunt orationes, communiones, mortificationes eam magis contristant; nam cum ea omnia non sine magno taedio et poena perficiat, credit omnia digna suppliciis, et se Deo odibiliorem. Quin multoties animae istae videntur sibi summopere odisse Deum, quam ob causam Deus eas iam reprobaverit, tanquam sibi inimicas; et adhuc in vita faciat illis experiri damnatorum poenas, et divinam derelictionem. Et aliquando Deus permittit, ut huiusmodi desolationes comitentur mille aliae tentationes, ut motus impuritatis, iracundiae, blasphemiae, incredulitatis, et praesertim desperationis: ita ut miserae in magna illa obscuritate et confusione non valentes discernere resistentiam voluntatis (quae revera tunc adhuc adest, sed ipsis est occulta, aut saltem dubia ratione praesentium tenebrarum), timeant iam consensisse, et ideo tanto magis existimant se derelictas a Deo.

10. Hic ergo confessarius, quando ei aliqua ex animabus istis occurrit, quae iam per perfectionem progreditur, et opinatur se derelictam in-

primis non terreatur videndo confusionem hanc, et audiendo tot expressiones timoris et desperationis : nec se ostendat timidum, aut ullo modo haesitantem, sed viriliter eam confortet ad nihil timendum: et eo tempore plusquam alias animet ad confidendum in Deo, recitans illi ea verba, quae Dominus dixit s. Theresiae, quod scilicet nemo Deum amittit absque eo quod cognoscat amittere. Dicat ei omnes illas suggestiones blasphemiarum , incredulitatis, impuritatis, et desperationis non esse consensus, sed poenas quae si cum resignatione tolerentur, animam magis magisque Deo coniungunt. Dicat, a Deo nunquam odio haberi animam, a qua amatur, et quae bonae est voluntatis. Addat, Deum ita se gerere cum animabus a se magis dilectis. *Ariditatibus, et tentationibus* (dicebat s. Theresia) *probat Deus suos amatores. Quamvis ariditas tota vita perduret, anima non omittat orationem, veniet tempus quo omnia ei persolventur.* O quam pulchram pro anima desolata sententiam! Hortetur ergo, ut forti animo sit, et viriliter expectet res magnas a Deo, dum eam per tutiorem viam deducit, scilicet per viam crucis, moneat etiam, ut primo humiliet se utpote dignam ita a Deo tractari ob anteactae vitae defectus: secundo, ut divinae voluntati se totam resignet, paratissimam se praebendo ad ea omnia perferenda, immo et maiora pro omni tempore quo Deo placuerit; tertio proiiciat se tanquam mortuam in brachia divinae misericordiae, et committat protectioni Mariae SS. quae Mater misericordiae et afflictorum consolatrix iure appellatur.

11. Ariditas sensus perdurat quousque, purificatis sensibus, anima apta ad contemplationem reddatur. Ariditas vero spiritus durat quousque reddatur capax divinae unionis; quamvis aliquando etiam post unionem permittat Dominus, ut anima iterum redeat ad hanc ariditatem, ea potissimum de causa, ne anima seipsam negligat, et ut identidem suum nihilum agnoscat.

12. Completa ergo purgatione sensus, et ad finem perducta ariditate sensibili, ponit Deus animam in statu contemplationis. Contemplatio vel est affirmativa, vel negativa. *Affirmativa* est quando anima beneficio lucis divinae, sine ulla sua opera cernit aliquam veritatem aut creatam, ut esset infelicitas inferni, felicitas paradisi, etc., aut increatam, ut divinam misericordiam, amorem, potentiam, bonitatem. *Negativa* est quando dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere cum confusa quadam notitia, sed quae ingerit conceptum longe maiorem magnitudinis divinae: et ita etiam in confuso agnoscit aliquam veritatem creatam, ut horribilitatem inferni , etc. Sed transeamus ad primos contemplationis gradus: hi sunt: recollectio interior spiritus, et quies: de unione loquemur postea.

13. Primus igitur gradus contemplationis est *recollectio supernaturalis*. De naturali iam diximus supra *n.* 7. quae tunc habetur, quando animae potentiae colliguntur ad considerandum Deum intra se; et dicitur *naturalis*, non quia anima ex se valeat illam operari; omnis enim actio virtutis, ut possit aeternum praemium promereri, indiget auxilio gratiae; unde generatim loquendo est etiam supernaturalis: sed *naturalis* dicitur, quia anima tunc est in statu activo, et beneficio gratiae ordinariae operatur. Recollectio vero *supernaturalis* est illa, quam operatur Deus ministerio cuiusdam gratiae extraordinariae, et per quam Deus collocat animam in statu passivo: ita ut recollectio supernaturalis , seu infusa tunc proprie habeatur, quando collectio potentiarum non evenit opera ipsius animae , sed beneficio lucis quam Deus infundit, et per quam excitatur in anima magnus et sensibilis amor divinus. In hoc statu non est

cogenda anima ad suspendendum tranquillum eum discursum, quem forte ei lux ipsa suaviter insinuaret: quemadmodum nec debet incumbere considerationi rerum particularium, aut determinationibus, quas valet efficere. Nec debet curiosius investigare quidnam sit interior ea spiritus recollectio: sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit.

14. Secundus gradus est *quietis*. In recollectione vis amoris communicatur immediate sensibus externis; quos Deus ipse intra animam facit colligere. Sed in quiete amor communicatur immediate spiritui in ipso animae centro: et amor ipse est ardentior, qui deinde etiam ad sensus externos diffunditur: hoc vero non semper: unde multoties accidit quod anima habeat orationem quietis, sed sine ulla dulcedine sensibili. Dicit s. Theresia (1) quod in hac oratione non suspenduntur omnes potentiae: suspenditur quidem voluntas, et remanet tanquam ligata, quia tunc nullum aliud obiectum praeter Deum valet amare, qui eam sibi trahit: sed intellectus et memoria, aut phantasia quandoque remanent liberae, et huc illucque excurrunt. Unde dicit Sancta (2) animam de hoc non debere tristari: *Rideat* (inquit) *de sua cogitatione, illamque deserat veluti stultam, et maneat in sua quiete: et cum voluntas sit domina, ipsa cogitationem ad se reducet, absque ullo vestro labore.* Quod si anima velit se applicare ad colligendam cogitationem, nihil omnino aget, et suam quietem amittet. In hoc statu multo minus quam in recollectione anima debet se applicare ad faciendas determinationes, aut alios actus ex seipsa emendicatos; eos tantummodo faciat, ad quos se sentit a Deo suaviter impelli.

15. Dicamus nunc aliqua de oratione purae contemplationis, scilicet de contemplatione negativa superius enuntiata, quae est longe perfectior quam affirmativa. Haec contemplatio *negativa*, dicitur *clara caligo*, quia ob nimiam lucis abundantiam intellectus obscuratur: quemadmodum qui intuetur solem, radiorum fulgore obcaecatus nihil cernit, sed tantum intelligit solem esse magnum quoddam lumen: sic Deus in ista caligine infundit animae lucem magnam, quae facit, ut illa intelligat non iam veritatem aliquam particularem, sed acquirat generalem quamdam et confusam notitiam suae incomprehensibilis bonitatis, unde anima incipit efformare altissimam de Deo ideam, licet confusam. Quando anima aliquantulum noscit aliquam ex divinis perfectionibus, etiam quidem conceptum suae bonitatis concipit, sed longe melior est conceptus quem format, quando cognoscit divinam perfectionem non posse comprehendi. Scribit Cardinalis Petruccius in doctissimis suis epistolis, hanc orationem propterea vocari orationem caliginis, quia in hac vita anima non est capax clare intelligendi Divinitatem, unde in hoc statu intelligit non intelligendo; sed intelligit longe melius omni alio modo intelligendi. Non intelligit, quia, cum Deus non sit res quae formet imaginem aut figuram, intellectus nequit de eo ideam efformare; et ideo nihil aliud intelligit, quam quod illum non valet intelligere, quapropter huiusmodi intelligentia vocatur ab Areopagita, *sublimis cognitio Dei per ignorantiam.* In hac oratione caliginis suspenduntur omnes interiores potentiae animi, et quandoque etiam sensus exteriores: ita ut anima aliquando ingrediatur in *ebrietatem spiritualem*, quae facit eam prorumpere in quaedam amoris deliria, ut cantus, clamores, fletus immodicos, saltus, et his similia, quemadmodum eveniebat S. Mariae Magdalenae de Pazzis.

16. Post gradus istos facit Domi-

(1) in vita c. 14.

(2) Cammin. di Perfez. p. 209.

nus animam ad unionem transire. Unicus animae scopus hic esse debet, unio scilicet cum Deo; sed ut anima perfectionem attingat, non est necessaria unio *passiva*; satis est illi pervenire ad unionem *activam*. Paucissimae, inquit s. Theresia, sunt animae illae, quae diriguntur a Deo per vias supernaturales: et nos in coelo permultas aspiciemus quae sine huiusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quae gratias istas receperunt. Unio *activa* est perfecta uniformitas divinae voluntati, in qua certe consistit tota perfectio divini amoris: *Perfectio*, inquit s. Theresia (1), *non consistit in extasi*; *sed vera unio animae cum Deo est unio voluntatis cum divina voluntate*. Haec unio est necessaria, non vero unio *passiva*: et animae illae quae solam habent activam, inquit eadem Sancta (2), *fieri poterit quod habeant meritum longe maius, quia maiorem patiuntur laborem, et Dominus dirigit eas ut fortes, et consolationes quas in hac vita non habent, servat, ut postea det eis in alia*. Cardinalis Petruccius inquit, quod absque contemplatione infusa recte quidem potest anima beneficio gratiae ordinariae pervenire ad annihilationem propriae voluntatis, et ad eam transformandam in Deum, nihil aliud volendo quam voluntatem Dei. Et quamvis sentiat passionum motus, tamen hi non impediunt illi praefatam transformationem; unde subdit quod, cum in hoc posita sit tota sanctitas, unusquisque nihil aliud debet desiderare et petere a Deo, quam ut dirigatur ab ipso, et in ipso suam efficiat voluntatem. s. Theresia tractando de unione passiva, inquit (3): quod anima posita in ea *non videt, non sentit, neque advertit ita se habere*; quoniam ex abundantia lucis et amoris efformatur illa beata caligo, in qua suspenduntur omnes potentiae animae; memoria enim non recordatur nisi Dei: voluntas coniungitur Deo tali amore, ut nequeat amare aliud obiectum, et intellectus tanta luce repletur, ut nullam rem aliam valeat cogitare, nec etiam gratiam quam actu tunc recipit: unde intelligit multum, sed nequit percipere quid intelligat. In summa, anima in hoc statu constituta habet claram et experimentalem cognitionem Dei praesentis qui in animae centro eam sibi coniungit. Haec unio, inquit s. Theresia (4), non multum perdurat, sed ad summum dimidiam horam non excedit. In aliis contemplationibus, de quibus antea locuti sumus, Deus praebet se videndum tanquam proximum animae, hic vero tanquam praesentem; et anima experitur eum sibi coniunctum per suavem quemdam contactum. Unde, inquit Sancta (5), in aliis contemplationibus posse animam dubitare, utrum fuerit Deus, in hac vero non. Hoc tamen non obstante, debet eam confessarius monere non ideo evasisse impeccabilem, et propterea, quo magis se videt a Deo huiusmodi gratiis donatam, eo magis esse debet humilior, et ab omnibus alienata, unice diligendo crucem, et vivendo in totum divinis dispositionibus uniformata, cum assiduo timore quod suae infidelitates ex eo tempore acerbius punientur, ob maiorem qua committentur ingratitudinem. Inquit s. Theresia (6) sibi cognitas plures animas, quae, cum antea ad hunc statum unionis ascendissent, postea in peccata mortalia praecipites ceciderunt.

17. Tres dantur species unionis, et sunt: unio *simplex*, unio *desponsationis*, et unio *consummata*, quae vocatur unio *matrimonii spiritualis*. Unio simplex est illa, de qua usque adhuc locuti sumus. Dicendum nunc est de unione *desponsationis*. Hanc unionem solet ordinarie praecedere

(1) Concetti dell'Amor di Dio Conc. 3.
(2) Avvisi per l'oraz. avv. 22.
(3) Mans. V. cap. 1.
(4) in vita c. 18. (5) Mans. V. c. 1.
(6) Mans. 5. et 6.

ariditas substantialis, quae est purgatio spiritus, de qua iam supra locuti sumus *n.* 8. In hac vero unione desponsationis tres sunt alii gradus diversi, scilicet *extasis*, *raptus*, et *elevationis spiritus*. In simplici unione suspenduntur potentiae, sed non sensus corporei, quamvis hi remaneant valde infirmi ad operandum. In unione autem extasis amittitur quoque usus sensuum, ita ut persona non videat, non audiat, et non percipiat neque incisiones, neque adustiones. Raptus vero nihil aliud est quam impressio quaedam gratiae validior, qua Dominus non solum elevat animam ad unionem, sed etiam rapit illam motu quodam subitaneo et violento: ita ut aliquando elevetur etiam corpus, et reddatur leve ad instar plumae. *Elevatio spiritus* est, quando anima sentit se rapi quasi extra se, et extolli supra seipsam cum magna quadam violentia, unde anima ab initio magnum experitur timorem. In elevatione spiritus continetur tam extasis, quia intervenit amissio sensuum, quam raptus, id est motus violentus. Retulit mihi persona quaedam similibus gratiis a Deo donata, quod in talibus elevationibus spiritus videbatur sibi tanquam si anima e corpore fuisset avulsa et elevata cum tanta velocitate, ac si conficeret decies centena millia milliaria in quovis temporis momento non sine magno terrore, quoniam ignorabat quo esset ascensura; sed cum postea subsedisset, tunc illustrabatur ad cognoscendum aliquod divinum arcanum. Sed hic oritur dubium: si in hac unione suspenduntur potentiae, et intellectus obscuratus a lucis abysso nequit attendere rebus quas intelligit; qua unquam ratione potest ibi anima intelligere, et verba facere de illo divino arcano? Respondent mystici, quod quando Deus vult, ut anima intelligat aliquod secretum, aut immittere illi aliquam visionem intellectualem, vel imaginariam, minuit nonnihil lucem ita ut anima remaneat habilis ad cognoscendum, et perpendendum quodcumque Deus voluerit.

18. Tandem perfectior unio quae dicitur *consummata*, et maior quam in hac vita possit Deus concedere animae viatrici, est illa quae dicitur *matrimonii spiritualis*, per quam anima transformatur in Deum, et fit unum quid cum Deo: eodem modo quo vas aquae infusum mari evadit unum cum aqua maris. Et advertendum hic est, quod in reliquis unionibus, ut loquuntur mystici, potentiae remanent suspensae; in hac vero minime suspenduntur; quoniam potentiae purificatae a sua sensibilitate, et materialitate, iam effectae sunt capaces divinae unionis; ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus recte cognoscat, et attendat huic intimae divinae unioni, quae iam facta est in animae centro, quod accidit eodem modo ac si quis intueretur solem, et sine ulla offensione oculorum solis splendorem cognosceret. Insuper est advertendum, quod haec unio non est transitoria, ut duae priores, sed permanens; ita ut anima fruatur habitualiter divina praesentia iam sibi coniuncta, et fruatur in pace stabili: nam passiones nihil amplius eam perturbant: illas quidem anima cernit dum faciem suam ostendunt, sed non tristatur, nec ullam patitur molestiam ab illis, ad instar eius qui forte habitans super nubes cerneret tempestates inferius evenientes, et ipse non tangeretur ab illis.

19. Hic abs re non erit aliqua dicere de visionibus, locutionibus, et revelationibus ad discernendas falsas a veris. Visiones vel sunt *externae*, vel *imaginariae*, vel *intellectuales*. *Externae* sunt quae oculis cernuntur. *Imaginariae* quae spectantur in phantasia, seu imaginativa. *Intellectuales*, quae neque oculis, neque in phantasia videntur, sed a solo intellectu divina luce adiuto, quae species intelligibiles ingerit; atque haec visio-

num species, teste s. Theresia, tota est spiritualis; nullam enim in ea partem habent sensus neque externi, neque interni qui sunt imaginativa, et phantasia. Notandum quod neque oculis, neque phantasia potest anima cernere res sibi repraesentatas, nisi in apparentia corporea, etiamsi essent substantiae spirituales. Contra beneficio intellectus res cernuntur tanquam spirituales, etiamsi fuerint materiales; vel ut melius dicam, noscuntur, non videntur; sed noscuntur longe melius quam si oculis cernerentur.

20. Advertendum tamen hic est, quod visiones istas tam Deus, quam diabolus potest operari, quod est intelligendum etiam de intellectualibus, ut videtur innuere s. Ioan. a Croce (1) contra id quod sentit Cardinalis Petruccius; quamvis multo facilius corporales, quae ut plurimum et praecipue in foeminis ab ipsa phantasia efformantur. Signa ad distinguendas veras a falsis sunt 1. Si veniant ex improviso sine ulla praecedenti animae cogitatione. 2. Si ab initio afferant confusionem et terrorem, sed postea relinquant animam in pace. 3. Si sint rarae, quia frequentes sunt valde suspectae. 4. Si parum durent, quoniam inquit s. Theresia (2), quando anima intuetur per longum tempus rem sibi repraesentatam, signum est quod sit potius actus phantasiae. Visio divina, ut plurimum, transit ad instar fulguris, sed remanet inde immobiliter menti infixa. 5. Vera visio relinquit animam in summa pace, et vivida cognitione miseriae suae, non sine ingenti desiderio perfectionis, ad differentiam visionum diabolicarum, quae parum remanent impressae, et relinquunt animam in quadam siccitate, perturbatione, motibus propriae aestimationis, et cum fame sensibili harum gratiarum. Verum cum omnibus signis superius memoratis, inquit s. Theresia (3), nullam certam haberi posse securitatem, quoniam multoties daemon scit simulare quietem, cogitationes humilitatis, desideria perfectionis; quae omnia incertum est a quo procedant; quoniam saepe ipse daemon, ut ei fides praestetur, solet haec insinuare, ut tandem illum percipiat fructum, et deceptiones, quas intendit. Unde director, regulariter loquendo, non prohibeat animae enarrare sibi huiusmodi visiones, immo imponat illi ut manifestet quaecumque videt, sive vera ea sint, sive falsa, ut docet s. Theresia (4); sed e contrario nullam ostendat curiositatem sciendi huiusmodi visiones, neque de his minute animam interroget, nec praeveniat dicendo; *Num fuit sic? Vidistine hoc, vel illud?* quia tunc facile anima respondet affirmative aut ex sua malitia, aut simplicitate. Si aperte noverit huiusmodi visiones esse opus phantasiae, aut diabolicum, quia forte alienant animam ab obedientia, humilitate, aut ab alia virtute, tunc aperte ei hoc dicat. Si vero id confessarius non discernat, omnino non expedit indubitanter asserere visiones illas esse vel diabolicas, vel phantasias, quemadmodum solent quidam nimis increduli (ad differentiam aliorum, qui nimis creduli, omnes habent ut veras); sed dicat poenitenti, ut oret Deum quod non amplius ducatur per vias adeo periculosas, se protestando quod quamdiu vivet in terris velit Deum cognoscere solum per viam Fidei. Caeterum insinuet ut ex visionibus habitis vel falsis, vel veris illum percipiat fructum, qui magis est necessarius, et praecipue se recte cum Deo gerendi; ita enim agendo, quanquam visiones fuerint a daemone, daemon remanebit elusus.

21. Quod vero ad *locutiones* attinet, *locutio* esse potest *successiva*, *formalis*, et *substantialis*. *Successiva* est quando anima meditando aliquam veritatem Fidei, sentit sibi quasi responderi ab ipsomet suo spiritu, sed veluti ac esset persona extranea. Haec, quando bonos parit effectus, ut essent

(1) Salita l. 2. c. 23. (2) Mans. 6. c. 9.

(3) ibid. (4) Mans. 5. c. 9.

amoris, aut humilitatis extraordinariae, esse potest speciale Dei lumen: sed quando non videt augeri consuetum amorem, indicium est eam esse intelligentiam proprii intellectus. *Formalis* est quando anima audit aliqua verba formata, sed extra se; et potest haec percipi vel auribus, vel imaginativa, vel intellectu. Haec ut discernatur utrum sit divina, vel diabolica, videndae sunt res quas exprimit, aut faciendas imponit, et effectus quos relinquit. Praecipue, si est divina, imponitque opera patientiae, propriae abiectionis, aut quodvis aliud opus spirituale, relinquet facilitatem quandam ad omnia toleranda, ad operandum, et se humiliandum. *Substantialis* est eadem ac formalis, et solum differt in effectu; quoniam formalis aut instruit, aut imponit; substantialis vero cito operatur id quod exprimit: ut e. c. si diceret: *Consolare*; *Noli timere*; *Dilige me*: anima tunc in eodem temporis puncto remanet consolatione repleta, intrepida, aut amoris igne succensa. Haec locutio caeteris omnibus est securior; prima enim est valde incerta: secunda, id est formalis, est multum suspecta, praesertim quando iubet res exequendas: unde director si observat ea quae iubentur esse christianae prudentiae opposita, debet ea omnino prohibere; si vero non sint prudentiae contraria, expedit ut earum suspendat executionem, quousque deveniat in maiorem securitatem, et multo magis si res sint extraordinariae.

22. Denique quod attinet ad *revelationes* rerum occultarum, aut futurarum, ut scilicet mysteriorum Fidei, status conscientiarum, praedestinationis animarum, mortis, promotionis ad aliquam dignitatem, et his similia; hae possunt tripliciter haberi, nempe per visiones, per locutiones, et per intelligentias nudarum veritatum. In huiusmodi revelationibus debet director magnam adhibere prudentiam, nec sit nimis facilis ad credendum, praecipue ad exequendum quando agitur de certiorando aliquem ob notitiam in revelatione acceptam. Ante omnia iubeat animae, ne revelationem aliis indicet, et ipse cautissime semper procedat, immo utatur sapientiorum consilio, quoniam ut plurimum tales revelationes dubiae sunt et suspectae. Minus vero suspectae sunt intelligentiae simplicium veritatum circa mysteria, attributa divina, malitiam peccati, damnatorum infelicitatem, et his similia; hae quando sunt Fidei conformes, inquit s. Ioannes a Cruce (1), quod anima non debet illas expetere; sed si ipsi concedantur, humiliter sunt ab ea accipiendae, et non refutandae.

23. Oritur hic dubium: Utrum omnes istae species gratiarum et communicationum supernaturalium debeant reiici aut acceptari? Et distinguendum est, ut ait doctus quidam auctor (2) cum s. Ioanne a Cruce, et aliis: gratiae illae quae elongant a Fide, ex eo quia consistunt in quibusdam notitiis distinctis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, has oportet omni conatu reiicere; sed illae ex opposito, quae sunt uniformes Fidei, ut sunt notitiae confusae et generales, et tactus divini qui uniunt animam Deo, non sunt reiiciendae, immo possunt humiliter expeti et desiderari, ut magis magisque Deo uniatur, et in suo sancto amore solidetur. Hoc nihilominus intelligitur pro illis animabus quae iam donantur similibus favoribus; quoniam pro aliis tutior via est desiderare et expetere tantummodo unionem activam, quae ut diximus, est unio voluntatis nostrae cum divina voluntate. Director igitur, quando ei occurrerit anima cum his communicationibus contemplationis, aut caliginis, aut unionis, non debet ei imponere ut eas reiiciat, sed ut humiliter et cum gratiarum actione recipiat. Semper vero utatur verbis quae animam non o-

(1) Salita l. II. c. 33. (2) F. Bern. de Castelvetere Dirett. Mist. l. 2. p. 2. c. 1.

mnino securam efficiant, sed relinquant quemdam timorem, qui eam etsi non conturbet, detineat vero in humilitate, et ab omnibus alienatione. Gratias autem quarumdam notitiarum distinctarum quae habentur per viam visionum, et his similium, ut superius diximus, iubeat confessarius constantissime recusari, semper tamen in spiritu humilitatis (et sine ullo contemptu, ut expuendi in faciem, irridendi, etc. quod non licet, ut plures asserunt); et protestando coram Deo se velle ei in pura Fide servire. Caeterum, inquit s. Theresia, quod quotiescumque anima sentit se suaviter accendi ad amorem erga Deum, habere debet communicationem tanquam divinam, non ideo ut credat se aliis meliorem, sed ut animum faciat ad perfectius coram Deo ambulandum; ita enim agendo Deus efficiet ut daemon, etiamsi iste aliquam partem haberet, victus remaneat, et suis ipsis armis sibi damnificet.

24. Sed concludamus. Director ergo 1. imponat animae, ut superius diximus, ut fideliter enarret omnes communicationes quas habet in oratione, nullum tamen eas sciendi desiderium demonstret; nec unquam aliis manifestet gratias supernaturales suo poenitenti concessas; fiet enim ut illi eius precibus se commendent, eumque maximo superbiendi periculo exponant: vel si post hanc notitiam levissimum intueantur defectum multum scandalizabuntur, et in derisione habebunt. 2. Non ostendat huic animae talibus favoribus distinctae particulare aliquod signum aestimationis, et multo minus mittat alias poenitentes ad petendum consilium ab ea, vel ad exposcendum solatium, aut directionem; potius ostendat minoris eam facere, quam alias animas, quae ambulant per viam Fidei: quoniam animae his favoribus ornatae, regulariter loquendo, semper, et multum sunt humiliandae. 3. Si advertat animam servare humilitatem, atque timorem in istis divinis communicationibus, oportet eam adiuvare, immo et securam facere, quoties expedire cognoverit. Inquit s. Theresia, quod anima nunquam movebitur ad magna pro Deo gerenda, nisi agnoverit magna accepisse a Deo. Et quidem eadem Sancta, quando a ss. Francisco Borgia, et Petro de Alcantara fuit facta securior, dona, quae ipsa acceperat, esse vere divina, ex eo tempore ad perfectionem non amplius cucurrit, sed evolavit. Neque ex eo quod cernit director animam identidem in aliquem defectum incidere (quoties defectus non sunt plene deliberati, aut commissi cum adhaerentia et contemptu), reputare debet omnes huiusmodi communicationes pro mendaciis et illusionibus. Dominus tales gratias concedit non tantum animabus perfectis, sed aliquando etiam imperfectis, ea scilicet ratione, ut liberet eas a suis imperfectionibus et ad vitam perfectiorem extollat. Unde quando dignoscitur quod per huiusmodi communicationes anima magis magisque se liberet a passionibus, et proficit in amore divino, atque in desiderio perfectionis, signum est quod illae sint bonae. De reliquo quando agitur de gratiis externis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, regulariter loquendo, ut diximus, tutius est, ut director ostendat parvi eas facere, dicendo id quod ait s. Theresia (1) e coelo post obitum suum cuidam personae religiosae: *Ne fidant animae visionibus et revelationibus particularibus; ne collocent perfectionem in eis habendis: licet enim aliquae ex eis sint verae, plures nihilominus sunt falsae et mendaces: et difficile est invenire unam veritatem inter plura mendacia* (quare plures sunt visiones falsae quam verae); *et quo avidius expetentur, et in pretio habebuntur, eo magis persona aberrabit a fide et humilitate, quae est via tutior quam posuerit Deus.* Quare det ei consi-

(1) Vita c. 15 et Man. VI. c. 9.

lium, ut oret Deum, ut veram concedat extasim, scilicet totalem a rebus terrenis, et a semetipsa alienationem, sine qua ad perfectionem nunquam valebit pervenire. Quod si unquam director advertet animam non esse bene fundatam in suae miseriae cognitione, et vellet pro certo tenere quod suae communicationes sint divinae, et turbaretur audiendo quod director nollet eas credere uti tales, pessimum signum est: signum est quod illae sint daemonis ex effectibus qui observantur, scilicet adhaesionis superbiae; aut indicium est quod anima non bene ambulet, quoniam ipsa saltem dubitare deberet, quoties dubitat confessarius, et ideo in hoc casu omnibus modis est humilianda, et in timore detinenda quantum fieri potest; et tunc si nec etiam acquiescit, privet eam Communione, et severius mortificet, quia tunc in magno versatur periculo, ne decipiatur a daemone. Denique director etsi iudicaret reddere animam certiorem, quod suae communicationes sint a Deo, tamen ei insinuet, ut in oratione semper prae oculis habeat (vel saltem in principio) punctum aliquod vitae, vel passionis Iesu Christi. Dicebat s. Theresia, animam, quae amittit directionem boni Iesu, nunquam perventuram ad perfectam cum Deo unionem. Animae incipientes meditantur Domini passionem per modum discursus; contemplativae vero non utuntur discursu, sed proposito sibi mysterio aliquo, admirantur bonitatem, misericordiam, amorem divinum; et hinc Deus facit eas transire, quando ei placuerit, ad contemplationem suae Divinitatis.

§. III. *De mortificatione.*

25. Quoad mortificationem oportet advertere, quod quando animae vitam spiritualem incipiunt, ex eo quod solet tunc Dominus, ut diximus, eas allicere consolationibus sensibilibus, in primis illis fervoribus vellent se interficere disciplinis, ciliciis, ieiuniis et similibus exercitiis afflictivis. Interea oportet ut director sit parcissimus in huiusmodi mortificationibus concedendis: nam alias, superveniente inde tempore ariditatis, ut ordinarie solet accidere, facile anima destituta suo pristino fervore sensibili, amittet omnes suas mortificationes; et incipiens inde diffidere, relinquet etiam orationem, et vitam ipsam spiritualem, utpote res minus sibi accommodatas, et consequenter omittet omnia. Aliquando etiam accidit, ut hae animae incipientes ratione primi illius fervoris se dent in res immoderatas, et incidant in morbos corporales, et tunc ut reficiantur, omittunt omnia exercitia spiritualia non sine ingenti periculo amplius ea non resumendi. Ideo director curare debet, ut prius ipsae in vita spirituali solidentur, et postea consideratis circumstantiis sanitatis, occupationum, atque fervoris, concedat illis eas mortificationes externas, quas ipsis magis iudicaverit convenire secundum christianam prudentiam. Dico *secundum christianam prudentiam*; quoniam dantur aliqui directores adeo imprudentes, qui omnem animae progressum collocare videntur in onerando eam ieiuniis, ciliciis, disciplinis sanguineis, adustionibus, et his similibus. Alii vero omnes omnino mortificationes externas videntur reprobare tanquam inutiles spirituali progressui, totam perfectionem in interiori mortificatione collocando. Sed hi etiam errant ut primi, quoniam mortificationes corporales adiuvant internas, et sunt quodammodo necessariae (quando possunt exerceri) ad fraenandos sensus, et ideo legimus ab omnibus Sanctis plus minusve fuisse frequentatas. Verum quidem est, quod mortificatio interior passionum est a poenitentibus potissimum exigenda: ut ex. c. esset, non respondere iniuriis, non quaerere, neque manifestare aliis quae tendunt ad propriam aestimationem, cedere in contentionibus, aliorum voluntati conde-

scendere (sed sine damno spirituali); unde expedit aliquando alicui animae prohibere omnes mortificationes externas, quousque se sentiat liberam ab aliqua passione magis dominante, ut vanitatis, rancoris, cupiditatis rerum huius mundi, aestimationis propriae, aut propriae voluntatis. Sed absolute asserere, mortificationes externas nihil, aut parum prodesse, maximus error est. Dicebat s. Ioannes a Cruce, ei qui reprobat poenitentias, nullam praestandam esse fidem, etiamsi miracula perpetraret.

26. Ab initio ergo director ante omnia iniungat poenitenti, ut nihil unquam faciat contra, aut sine eius obedientia. Qui contra obedientiam poenitentias agunt, inquit s. Ioannes a Cruce, *Hi magis progrediuntur in vitiis quam in virtutibus.* Sit quoque, ut dixi, valde retinens in concedendis huiusmodi mortificationibus, quamvis id importunius efflagitent poenitentes; satis erit ab initio eis concedere aliquam tenuem, sed raram mortificationem, ut disciplinam, catenulam ferream, abstinentiam, potius ad ingerendum in eorum animis mortificationis desiderium, quam ad eos, ut convenit, mortificandos, et postea processu temporis poterit liberalius agere iuxta progressum quem anima faciet in virtutibus; quando enim illa erit in spiritu solidata, non poterit ei sine scrupulo opportunas mortificationes denegare. Caeterum, ordinarie loquendo, generalem hanc regulam sibi proponat, nunquam scilicet concedendi mortificationes externas, nisi prius requisitus, quia hae non multum prosunt, si absque magna appetentia recipiantur: et quoties concedit semper minus quam postulatur concedat, et potius, ut inquit Cassianus, excedat in denegando, quam in concedendo. Praecipue curet suadere mortificationem externam circa gulam, cuius quaedam animae spirituales non admodum sunt amantes: haec revera est omnium durissima, sed utilissima spiritui, et saepe etiam corpori: dicebat s. Philippus Nerius: *Qui non coercet gulam, nunquam perveniet ad perfectionem.* E contrario sit parcus in concedendis mortificationibus somni, quoniam hae facile tum corporis, tum spiritus saluti sunt nocivae; sublato enim somno sufficienti, patitur caput, et languente capite, remanet persona inhabilis ad meditandum, et ad caetera alia exercitia devotionis. Quamcumque vero mortificationem concesserit poenitenti, ut omnem auferat superbiendi occasionem, persuadeat illi hoc nihil prorsus esse respectu eius quod Sancti fecerunt, et respectu poenarum quas pro nobis perpessus est Iesus Christus. Dicebat s. Theresia: *Totum est immunditia quicquid agere possumus in comparatione unius sanguinis guttae, quam Dominus effudit pro nobis.* Meliores mortificationes, utiliores, et periculis minus obnoxiae sunt negativae, ad quas faciendas, regulariter loquendo, non est necessaria obedientia directoris, ut esset privare se visione, aut auditione rerum curiosarum; loqui parce; contentus esse cibis gustui minus acceptis, seu male conditis; non accedere ad ignem tempore hyemis; eligere pro se res viliores; exultare et laetari deficientibus quibusdam rebus etiam necessariis; quoniam in hoc consistit virtus paupertatis, ut ait s. Bernardus: *Virtus paupertatis non est paupertas, sed amor paupertatis.* Insuper non queri de incommodis temporum: de contemptu sui ipsius; de persecutionibus, molestiisque infirmitatum corporis. Scalpro cruciatuum et dolorum perficiuntur lapides Hierusalem coelestis. Dicebat s. Theresia: *Credere quod Deus admittat in suam amicitiam gentem commoditatis amicam, dementia est. Animae, quae vere diligunt Deum, nesciunt quietem expetere.*

27. Hic oritur dubium: Evangelium in quodam loco ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut vi-*

deant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. Matth. 5. 16.; in alio loco dicit: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Matth.* 6. 3. Quaeritur ergo, utrum actus virtutis sint manifestandi aliis, vel occultandi? Et respondetur distinguendo: Opera communia ad virtutem christianam necessaria exerceri debent palam; ut esset frequentia Sacramentorum; oratio mentalis; visitatio Venerabilis; audire Missam genibus flexis, et cum interiori spiritus recollectione; deferre oculos modestos; silentium in ecclesia servare; dicere: *Volo sanctus evadere*; fugere garrulitatem, conversationes periculosas, curiositates, et his similia. Opera vero quae dicuntur supererogationis extraordinariae, et quae sapiunt singularitatem, ut supra enarratae poenitentiae externae ciliciorum, flagellorum, orationis cum brachiis in crucem expansis; comestionis herbarum amariorum; suspiriorum; fletus tempore orationis, etc. occultari debent, quantum possibile est. Reliqua vero opera virtutis, ut ministrare infirmis; erogare eleemosynam pauperibus; humiliare se facienti iniurias, et similia; haec melius erit occultare quantum fieri potest. Sed si forte exerceri nequeant nisi publice, non debent praetermitti, dummodo fiant tantum intuitu placendi Deo.

§. IV. *De frequentia Sacramentorum.*

23. Tandem dicenda sunt aliqua de modo quo confessarius dirigere debet animas spirituales circa frequentiam Sacramentorum, scilicet confessionis et communionis. Quod spectat ad confessionem expedit ipsis insinuare, ut generaliter de suis peccatis confiteantur, si adhuc non fecerint; quia si forte iam fecerint, vel si anima esset scrupulis agitata, oportet omnino confessionem hanc prohibere. Quoad vero confessionem ordinariam, quaedam animae delicatioris conscientiae consueverunt quotidie confiteri; sed generaliter loquendo, sufficiet personis spiritualibus praesertim scrupulosis confiteri semel aut ad summum bis in hebdomada. Sed quando aliqua ex istis gravaretur aliqua culpa levi, et non haberet opportunitatem confitendi, dicit p. Barisonius in suo tractatu de Communione, innixus auctoritati s. Ambrosii, et complurium aliorum auctorum (quod etiam suadet s. Franciscus Salesius in quadam sua epistola), quod non ideo omittere debet Communionem; ad remissionem enim venialium docet sacrum Concilium Tridentinum esse quoque alia media, ut essent actus contritionis et amoris; unde melius tunc est ad purificandam animam a culpa illa, uti istis mediis quam privari Communione propter absentiam confessarii. Et sapiens quidam director dicebat, quod aliquando longe fructuosius est pro quibusdam animabus timoratis disponere se ad Communionem actibus suis, quam cum ipsa confessione. Et multoties accidit quod tunc anima se disponat actibus ferventioribus contritionis, confidentiae et humilitatis.

29. Quoad vero Communionem, non loquimur hic de obligatione pastorum animarum non negandi Communionem cuicumque subdito qui non sit publice peccator, et quoties rationabiliter petat. Satis de hoc egimus in libro (1), in quo vidimus, Innocentium XI. quodam suo Decreto ordinasse usum Communionis frequentis totum remitti prudentiae confessariorum; unde sine evidenti causa, nescio quomodo parochi possint tuta conscientia denegare petentibus Communionem. Et notandum est quod in praefato Decreto prohibetur Episcopis praescribere in genere suis subditis dies ad faciendam Communionem; sed loquimur hic dumtaxat de modo quo confessarii debent se gerere in concedenda Communione suis poenitentibus. In hoc

(1) Opus nost. moral. l. 6. n. 254.

quidam errant ob nimiam indulgentiam, alii ob nimium rigorem. Non est dubium quin error sit, ut advertit s. p. Benedictus XIV. in aureo suo libro *de Synodo*, concedere Communionem frequentem iis qui saepe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de agenda poenitentia, ac de sua emendatione; aut iis, qui accedunt ad Communionem cum affectu ad peccata venialia deliberata sine ullo desiderio se ab eis liberandi (1). Expedit quidem aliquando concedere Communionem aliquibus, qui essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum: sed respectu earum personarum, quae non existunt in tali periculo, et contra committunt ordinarie peccata venialia deliberata, et nulla in eis emendatio, neque desiderium emendationis effulget, optimum erit non permittere eis Communionem plus quam semel in hebdomada; immo poterit expediens esse illis aliquando per integram hebdomadam Communionem interdicere, ut maiorem concipiant horrorem in suos defectus, et maiorem erga Sacramentum hoc reverentiam. Tanto magis, quod sententia communior tenet, recipere Eucharistiam cum peccato levi actuali, aut cum affectu ad ipsum, novam esse culpam ratione irreverentiae, quae irrogatur Sacramento. Quidam afferunt Decretum s. Anacleti (2), in quo habetur: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus; sic enim et apostoli statuerunt, et s. Romana tenet Ecclesia.* Sed imprimis negatur a p. Suarez et aliis, quod unquam fuerit tale apostolorum praeceptum. Secundo Decretum istud, ut Glossa ibidem testatur, et Catechismus Romanus (3), non obligabat omnes fideles, sed tantum ministros assistentes altari. Et tandem posito quod Decretum obligaret omnes, certum est hodie in desuetudinem abiisse.

30. E contrario errant certe quidam alii directores, et multum se elongant a spiritu Ecclesiae, dum sine ullo respectu ad exigentiam aut progressum animarum, negant indiscriminatim Communionem frequentem, non alia ratione ducti, quam quia frequens est. Ipse Catechismus Romanus (4) explicans desiderium s. Concilii Tridentini, ut omnes Sacrificio Missae adstantes communicent, docet esse officium parochi sedulo hortari fideles ad Communionem non modo frequentem, sed etiam quotidianam, cum obligatione instruendi illos, quod sicut corpus, ita et anima eget quotidiano alimento. Praetermitto hic afferre sanctorum Patrum et magistrorum spiritus auctoritates omnino conformes, quoniam hae reperiuntur adnotatae in tot libris qui tractant de frequenti Communione. Sufficiat scire ex Catechismo Romano loco supra citato, et ex Decreto Innocentii XI. relato in nostro libro (5), quod frequens Communionis usus, immo quotidianus fuit semper ab Ecclesia, et ab omnibus Patribus approbatus, qui, ut demonstrat doctus quidam auctor, quoties adverterunt frigescere usum communionis quotidianae, omnem diligentiam adhibuerunt ad illam redintegrandum. Et in 3. Synodo Mediolanensi habita sub s. Carolo Borromaeo iniunctum fuit parochis exhortari fideles in concionibus ad hanc frequentiam Communionis; et insuper impositum fuit Episcopis provinciae, ut prohiberent concionari, et severius punirent eos qui oppositum disseminarent tanquam scandalorum satores, et totius Ecclesiae sensui contradicentes. Insuper in praefato Decreto Innocentii imponitur Episcopis, ut diligentissime caveant, ne alicui Communio denegetur, etiam quotidiana, et quaerant, ut par est, in suis sub-

(1) lib. 6 n. 270. et fusius in prax. confess. c. 9. §. 4. n. 149.
(2) Can. Peracta 2. dist. 2. de Cons.
(3) Cat. rom. de Sacr. Euch. p. 2. n. 65.
(4) ib. n. 64. (5) l. 6. n. 254.

ditis hanc alere devotionem. Fatentur ultro quidam spiritus rigidiores licitam quidem esse Communionem quotidianam, sed dicunt requiri ad hoc debitam dispositionem; sed scire ab ipsis desideramus quidnam intelligant hoc nomine *debitae dispositionis?* Si intelligunt dignam, ecquis unquam deberet amplius ad Eucharistiam accedere? Solus Iesus Christus digne Eucharistiam sumpsit, quia solus Deus digne Deum potuit recipere. Si vero convenientem dispositionem intelligunt, iam superius dictum est, quod iis qui actualia habent peccata venialia, aut affectum ad illa, sine desiderio emendationis, aequum est frequentem Communionem denegare. Sed si postea loquamur de illis, qui sublato iam affectu etiam ad venialia, et superata maiori parte pravarum suarum inclinationum, magnum communicandi desiderium habent, inquit s. Franciscus Salesius (1) quod hi praevio sui directoris consilio, recte possunt communicare quotidie. Et s. Thomas (2) docet quod quando anima aliqua experitur beneficio Communionis se crescere in amore divino, nec imminui reverentiam in Sacramentum, non debet abstinere a Communione etiam quotidiana. En ipsa s. Doctoris verba: *Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare.*

31. Et quamvis aliquo die a Communione abstinere sit etiam virtus, tamen inquit p. Granata in suo tractatu de Communione, esse communem doctorum opinionem, quod melius sit accedere quotidie ad Communionem ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. Et hoc confirmat idem s. Thomas, (3) dicens: *Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam huius Sacramenti, et quod quotidie sumatur et quod aliquando abstineatur . . . . Amor tamen, et spes, ad quae semper Scriptura nos provocat, praeferuntur timori.* Immo recte ait p. Barisonius, quod ille, qui ad Eucharistiam accedit cum desiderio crescendi in amore divino, etiam reverentiae actum exercet erga Iesum Christum; immo hic facit actum positivum, quando ille qui abstinet, facit tantummodo negativum. Plures Sancti, qui magnam erga hoc Sacramentum reverentiam habuerunt non abstinuerunt a quotidiana Communione: ut consueverunt s. Gertrudis, s. Catharina Senensis, s. Theresia, s. Ioanna de Chantal et alii. Et asserentibus hodie non amplius existere has sanctas Theresias, recte reponit idem p. Barisonius, temeritatem hanc esse supponere quod hodie manus Domini sit abbreviata. Ven. p. Magister de Avila non dubitat dicere, quod illi qui damnant eos, qui saepius ad Eucharistiam accedunt, daemonis officio funguntur.

32. Caeterum considerando relatas doctrinas, videtur non posse director sine scrupulo negare Communionem frequentem, et etiam quotidianam (excipe ordinarie loquendo unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent prudentes aliqui directores, et excipe tempus illud quo privare velint poenitentes Communione, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliquam aliam iustam causam) quibusdam animabus eam desiderantibus, ut proficiant in divino amore: semper vero ac illa vivendo alienata ab affectu cuiuscumque culpae venialis, incumbit insuper multum orationi mentali, et conatur tendere ad perfectionem, et amplius non labitur in peccata, etiam venialia plene voluntaria. Haec enim, ut ait s. Prosper, est perfectio quae potest in hac vita haberi, attenta humana fragilitate. Et quando confessarius utile esse cognoverit concedere Communionem frequentem similibus personis, inquit Innocentius XI. in suo Decreto, nihil obstare

(1) introd. alla vita divota c. 20. (2) s. Th. 4. Sent. d. 12. q. 3. a. 1. ad sol q. 2.

(3) p. 3. q. 80. a. 10. ad 3.

quod sint etiam negotiatores et coniugati. En eius verba: *Frequens* (ad sanctiss. Eucharistiam) *accessus confessariorum iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu laicis, negotiatoribus et coniugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.*

33. Et quamvis anima aliqua caderet aliquando in veniale peccatum voluntarium ob meram fragilitatem, sed cito postea doleret, emendationemque proponeret; si deinde Communionem desideraret ad robur accipiendum a Sacramento, ne cadat, et ad progrediendum in via perfectionis, quanam de causa ei esset deneganda Communio? Damnata iam fuit ad Alex. VIII. propositio 22. Baii, quae dicebat: *Sacrilegi sunt iudicandi qui ius ad Communionem percipiendam praetendunt antequam de delictis suis poenitentiam egerint.* Et propos. 23. *Similiter arcendi sunt a sacra Communione quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.* Sacrum Concilium Tridentinum vocat hocSacramentum, *Antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur.* Et quidem ad hunc finem praeservandi animam a recidivis, apostoli Communionem quotidianam primaevis Christianis concedebant, inter quos sine ullo dubio reperiebantur similiter imperfecti, et fortasse imperfectiores, ut arguitur ex epistolis ss. Pauli et Iacobi. s. ecclesia (in Postcommun. Dom. XXIII. post Pentecosten) orat, *ut quidquid in nostra mente vitiosum est, dono medicationis huius Sacramenti curetur.* Ergo communio fuit instituta etiam pro imperfectis, ut virtute huius cibi sanentur. Notandum insuper est id quod s. Franciscus Salesius in sua Philotea (1) in hoc proposito dicit; *Si quaerunt a te cur tam frequenter communices, responde illis, quod duplex personarum genus debet saepius communicare, perfecti scilicet et imperfecti: perfecti, ut se in perfectione conservent; imperfecti, ut ad perfectionem valeant pervenire. Fortes, ne debiles fiant; debiles, ut fortes evadant; infirmi, ut curentur, benevalentes, ne infirmentur. Et quod ad te attinet utpote imperfectam, infirmam, ac debilem, eges frequenti Communione. Dic illis, quod ii, qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent saepius communicare, quia habent opportunitatem; qui vero huiusmodi negotiis detinentur, quia egent Communione.* Denique Sanctus concludit, dicens: *Accede saepius, o Philotea, ad Eucharistiam, immo quam saepissime consilio tui directoris, et crede mihi, quod lepores in nostris montibus albi evadunt non alia ratione, nisi quia non edunt nisi nivem; et tu comedendo puritatem in hoc Sacramento tota pura evades.* Item p. Granata in suo tractatu de Communione ait: *Non debet homo recedere ab hoc Sacramento ob propriam indignitatem; pro pauperibus enim relictus est hic thesaurus, et pro infirmis haec medicina; itaque nemo* (subdit) *quantum imperfectum se noscat, debet se longe ab hoc remedio tenere, si vere curari desiderat.* Immo, ait idem auctor, quod quanto magis quis se debilem noscit, tanto magis ad hunc cibum fortium debet accedere. Quod valde consonat cum eo quod inquit s. Ambrosius (2): *Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.* Idem alibi (3): *Quotidie peccas, quotidie sume.*

34. Adde, quod s. Thomas docet (4), effectum Sacramenti, quantum ad augmentum gratiae, non impediri a peccatis venialibus, dummodo non committantur in ipsa Communione: et quamvis haec impediant in parte, non tamen in toto effectum Sacramenti impediunt. Hanc sententiam communiter tenent Sotus Suarez Valentia

(1) vita devota c. 21. (2) l. 4. de Sacr. cap. 6. (3) l. 5. de Sacr. c. 4.

(4) S. Thom. 3. p. q. 79. a. 8.

Vasquez Coninkius, et plures alii apud Salm. (1) Insuper tenent plures graviores auctores (2), hoc Sacramentum ex *opere operato* remittere peccata venialia, de quibus anima actualem complacentiam non habeat; atque hoc concordat cum eo, quod ait Catechismus Romanus (3): *Remitti vero Eucharistia, et condonari leviora quae venialia dici solent, non est quod dubitari debeat: quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, totum id Eucharistia, eas minores culpas abstergendo, restituit.* Saltem, ut ait Angelicus (4) cum communi, excitatur per Communionem actus charitatis, quo inde peccata remittuntur: *Qui* (actus charitatis) *excitatur in hoc Sacramento, per quem peccata venialia solvuntur.*

35. Quod si postea dignoscatur, non obstante frequentia Communionis, animam nihil proficere in via perfectionis, neque se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, ut si adhaereret etiam voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate vestiendo, tunc certe consulto restringendus erit usus Communionis, etiam ut serio cogitare incipiat de sua emendatione, et suae spirituali perfectioni consulere. Caeterum advertendum est, quod licet iuxta s. Thomam (5), ut possit quis ad Communionem accedere, *requiratur, ut cum magna devotione accedat*: nihilominus non est necessarium ut illa sit summa, vel aperte sensibilis. Sufficit directori detegere in intimo voluntatis sui poenitentis quamdam alacritatem ad exequenda quaecumque Deo placuerint. Qui a Communione abstineret, quia non sentiret in se magnum quemdam fervorem, inquit doctus Gerson, esset comparandus illi qui nimis frigescens nollet ad ignem accedere, quia nullum in se experitur calorem. Unde docet p. Granada, cum Caietano, personas pusillanimes, quae ob immoderatum timorem suae indignitatis Communionem omittunt, magnum suo proprio progressui inferre praeiudicium. Neque ad prosequendas Communiones, inquit s. Laurentius Iustinianus, oportet, ut anima sentiat, aut aperte in se discernat augmentum fervoris, quoniam non raro hoc Sacramentum operatur, absque eo quod nos ipsi animadvertamus. Et s. Bonaventura inquit (6): *Licet tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedas, quia qui se indignum reputat, cogitet quod tanto magis egeat medico, quanto senserit se aegrotum; neque ideo quaeris te iungere Christo, ut tu eum sanctifices, sed ut tu sanctificeris ab illo.* Et postea subdit: *Neque praetermittenda est sancta Communio, si quandoque non sentit homo specialem devotionem, cum se ad illam praeparare studeat, vel in ipsa perceptione, vel post forte minus devotum se sentit, quam vellet.* Ergo bene sentit Sanctus, quod etsi anima experiretur minorem devotionem post susceptam Eucharistiam, quam antea, nec etiam debet eam omittere. Quapropter, quemadmodum quando anima sentit se maximopere ad Communionem inclinatam, expedit identidem eam mortificare, Communionem differendo (praesertim si advertatur, quod per illam prohibitionem turbetur; huiusmodi enim contristatio est argumentum superbiae, quae eam vere reddit indignam); ita ex opposito quando sentit in se ariditatem, et taedium ad Eucharistiam suscipiendam, expedit tunc illam saepius ad Communionem impellere, ut a Sacramento vires acquirat.

36. O utinam! concludo, o utinam et in mundo plures animae huiusmodi invenirentur (quae a nonnullis ultra, quam convenit, rigiditati addictis, irreverentes, et temerariae vocantur), quae odio habentes etiam culpas leviores, expeterent commu-

(1) lib. 6. n. 270. quaer. 2. (2) n. 269. v. effectus 2. (3) de Euch. p. 2. n. 54.

(4) 3. p. q. 79. a. 4. (5) 3. p. q. 80. a. 10. (6) de profectu rel. c. 78.

nicare non modo frequenter, sed etiam quotidie, cum vero desiderio se emendandi, et in divino amore proficiendi: si enim hoc esset, longe plus in mundo Iesus Christus diligeretur. Bene experientia demonstrat omnibus his qui dirigendarum animarum munus exercent, ut et ego expertus sum, valde quidem proficere personas illas, quae recto cum desiderio ad Communionem accedunt; et Dominum mirum in modum eas ad suum amorem pertrahere, quamvis saepe hoc eis non manifestet pro maiori earumdem bono; quin et multoties eas relinquit in tenebris et desolatione, et sine ulla devotione sensibili. Animabus istis (ut docent s. Theresia, et s. Henricus Susonius) nullum efficacius est remedium, quam frequens Communio. Unde, ut concludamus, curet confessarius Communionem suadere, quoties verum desiderium demonstret, et quoties advertit animam in spiritu proficere beneficio Communionis. Curet etiam insinuare, ut post Communionem immoretur in gratiarum actione pro eo tempore quo potest. Paucissimi sunt directores qui sedulo id faciunt; scilicet inculcare suis poenitentibus, ut per aliquod notabile tempus post susceptam Eucharistiam gratias agant; et ratio est, quia paucissimi sunt sacerdotes qui post Missae Sacrificium cum Iesu Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per integram horam durare deberet; fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando et petendo se exerceat. Inquit s. Theresia, quod post Communionem Iesus existit in anima tanquam in throno misericordiae, ut illi gratias elargiatur, dicens: *Quid vis, ut tibi faciam*? Et alibi: Post Communionem non amittamus tam praeclaram opportunitatem negotiandi. Non solet sua divina Maiestas male rependere hospitium, si bene in anima excipiatur. Insinuet etiam, ut saepius spiritualiter communicet: quae res valde a Tridentino Concilio commendatur. *Spiritualiter communicare* (inquit s. Theresia) ***est valde utile. Nolite id praetermittere***; ***hic enim experietur Dominus quantum eum ametis.***

§. V. ***Methodus vitae pro aliqua Moniali quae exposceret dirigi per viam perfectionis.***

37. Ante omnia praemittere oportet, ea quae inferius exponam, intelligenda esse, quoties non obstet poenitenti aliquod impedimentum sanitatis, officii, aut obedientiae; quod etiam intelligendum est cum licentia patris spiritualis, et etiam Praesulis monasterii, pro eo quod spectat mortificationes externas quae aliorum oculis sunt expositae.

Et primum quoad orationem: 1. Tres saltem horas orationi mentali vacare, unam mane, aliam vespere, et aliam post Communionem. 2. Visitare SS. Sacramentum, et Mariam SS. per semihoram, vel saltem quadrantem. In his orationibus incumbat renovandis votis pluries in die, si iam emiserit professionem, vel illis quibus forte se obligavit. 3. Recitare Rosarium saltem quinque decadum cum aliis orationibus vocalibus; sed hae non sint plus iusto, quia cum plures sunt, recitantur cum tenui fructu, caput aggravant, et inde orationem mentalem impediunt. 4. Uti saepissime orationibus iaculatoriis, ut e. c. *Deus meus, et omnia, quam bonus es, Deus meus! Diligam te, Iesu amor meus, pro me crucifixum. Domine, quare non amaris ab omnibus? Oh utinam et nunquam offendissem te! Volo, Domine, quaecumque tu vis. Quando te videbo, et amabo de facie ad faciem! Ecce me, fiat de me quodcunque vis.* Insinuet magnopere director huiusmodi iaculationes amoris, et anima magni eas faciat. 5. Orationi adiungere lectionem spiritualem per semihoram, legendo opera vel Rodriquez, vel Santiuraei, vel monita ad Religiosos, vel

alium librum qui tractet de virtutibus, vel legere vitas Sanctorum, quarum lectio est fortassis caeteris omnibus utilior.

Secundo accedere quotidie ad Communionem, uno excepto die in quavis hebdomada. Sed in Novenis Spiritus Sancti, Nativitatis Domini, et Mariae sanctissimae, et sanctorum Patronorum communicet quotidie, et quotidie saltem ter communicet spiritualiter.

Tertio quoad mortificationes: 1. Quotidie flagellationem incruentam per horae quadrantem circiter, et sanguineam bis, vel semel in mense adhibere. 2. Mane catenulam ferream usque ad prandium: post prandium vero aliquam parvam in brachio. Nunquam tamen catenam circa cincturam, neque cilicia equinis crinibus contexta, quoniam haec valde officiunt sanitati. 3. Ieiunium in pane et aqua in die sabbati, et vigiliis septem festivitatum Mariae, si commode per valetudinem poterit, vel saltem unico tantum uti obsonio. In refectione vespertina ordinarie non excedere octo uncias cibi, nisi adfuerit aliqua extraordinaria urgentia: abstinere a fructibus diebus Mercurii, Veneris, et in Novenis superius enuntiatis, in quibus potest etiam abstinere ab aliqua alia portione cibi consueti; et in edendo miscere cibis aliquam particulam herbae amarioris, sed nunquam cinerem. Extra mensam nihil comedere, quoniam melius est, comparative loquendo, quotidie praefatam abstinentiam exercere quam bis vel ter in hebdomada ieiunare. Somnus non extendatur ultra sex horas; semper vero ad quinque; quoniam excedens defectus somni nocet capiti, et impedit caetera exercitia spiritualia. 4. Servare silentium per tres horas diei, quod intelligi debet de non proferendis verbis non necessariis; parum autem loqui semper proderit.

Monita in genere pro perfectione

38. 1. Collocare omnem suam fiduciam in Deo, et omnino diffidere de se, et de suis bonis propositis. Mascula determinatio est se vincendi, et vim sibi in occasionibus inferendi. Ait s. Theresia: *Si defectus non procedit a nobis, ne timeamus quod Deus se abstineat ab impertiendo nobis auxilia ad nostram sanctificationem.*

2. Cavere a quocumque minimo defectu deliberato, sive apertis oculis admisso: *A peccato deliberato*, (inquit eadem Sancta) *quantumvis parvo, Deus vos liberet.* Subditque: *Daemon enim per opera minimarum rerum aliqua facit foramina, per quae res magnae ingrediuntur.*

3. Non tristari post admissos defectus, sed cito se humiliare, et ad Deum confugiendo cum brevi actu contritionis et proposito se in pace remittere; et ita semper se gerere, etiamsi centies in die quis caderet Et in hoc monet s. Theresia, ne communicentur propriae tentationes animabus imperfectis, quia ita et sibi et aliis damnum affertur.

4. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus; aliter, inquit s. Theresia, *Anima non recedendo a voluptatibus mundanis, non post multum denuo recedet a via Dei.* Effugere familiaritatem personarum diversi sexus quantumcumque fuerint religiosae: saepe enim diabolus introducit cum illis quasdam affectiunculas non puras, eas obtrudendo pro spiritualibus. Videantur notata *Tr. ult. n.* 54. Oportet ante omnia renuntiare propriae aestimationi, et propriae voluntati, immo et rebus spiritualibus, ut orationi, communioni, et mortificationibus, quando haec obedientia non permittit. Uno verbo oportet expellere a corde omne quod non est Deus, et quod non est secundum maius Dei beneplacitum.

V. Laetari cum spiritu quoties se cernit contemni, irrideri, et omnium vilissimum reputari. O quam pulchre

orat anima illa quae vilipendia libenter amplectitur! praecipue in communitatibus in quibus haec virtus est omnium longe necessaria; consequenter oportet fovere affectionem specialem erga nostros inimicos et persecutores, illis inserviendo, benefaciendo, honorando, saltem benedicendo, et commendando specialiter Deo, quemadmodum Sancti facere consueverunt.

VI. Alere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique placendi. Ait s. Theresia: *Dominus adeo desideriis delectatur, ac si fuissent executioni demandata*. Sine hoc desiderio anima non progredietur in via perfectionis, nec Deus largietur illi gratias valde speciales. Eadem Sancta ait: *Ordinarie Deus non impertitur favores multum singulares, nisi iis qui diu desideraverunt eius amorem*. Et desiderio oportet semper coniungere determinationem faciendi, quantum possumus, ut Deo placeamus. Praefata Sancta inquit: *Diabolus potissimum timet magnanima corda*. Et alibi: *Nihil aliud a nobis exigit Dominus, quam validam determinationem, ut reliquum ipse inde perficiat*. Oportet quoque fovere affectum summum erga orationem, quae est fornax in qua accenditur amor divinus. Omnes sancti, quoniam unice Deum diligebant, unice quoque dilexerunt orationem. Est etiam necessarium ut quis ardenter desideret paradisum: in coelo enim animae diligunt Deum cum omnibus viribus suis, quod consequi nemo potest in terra, et ideo vult Deus, ut ardentissime hoc regnum desideremus, quod Iesus Christus nobis acquisivit sanguine suo.

VII. Habere magnam uniformitatem divinae voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre. S. Theresia hoc quinquagies in die facere consueverat. *Non consistit progressus* (inquit Sancta) *in sibi procuranda maiore fruitione Dei, sed in adimplenda illius voluntate*. Et alibi: *Vera unio est unire nostram cum divina voluntate*.

VIII. Praestare exactam obedientiam regulis, Superioribus, et patri spirituali. Dicebat V. P. Vincentius Caraffa: *Obedientia est regina omnium virtutum; omnes enim virtutes obediunt obedientiae*. Et s. Theresia: *Deus ab anima, quae sibi proposuit illum amare, nihil aliud exigit, quam obedientiam*. Perfecta vero obedientia consistit in cito, fideliter, alacriter, et sine ullo iudicio obediendo, nullam exquirendo rationem, quoties res iussa non sit certe peccatum, ut inquiunt ss. Bernardus, Franciscus Salesius, Ignatius de Loyola, et omnes spiritualis vitae magistri, et in rebus dubiis eligere id quod praesumitur quod iussisset obedientia; et quando haec praesumptio non posset haberi, id eligere quod magis nostris inclinationibus adversatur. Hoc est illud *Vince teipsum* toties inculcatum a s. Francisco Xaverio, et s. Ignatio, qui solitus erat dicere longe plus proficere animam mortificationis amicam unico horae quadrante, quam alias non mortificatas per plurimas horas.

IX. Attendere semper divinae praesentiae. Inquit sancta Theresia: *Omne malum provenit ex eo quod non consideremus Deum praesentem*. Qui vere amat, nunquam obliviscetur obiecti amati. Ad conservandam vero memoriam huius divinae praesentiae, iuvat in praxi aliquod speciale signum gestare, vel intra cubiculum habere. Maxime vero oportet hanc praesentiam fovere, saepius in die repetendo actus amoris in Deum, et petendo divinum amorem. E. c. *Deus meus et omnia; diligam te ex toto corde meo; totum me tibi do; fac de me quod tibi placuerit; nihil aliud volo nisi te, et tuam voluntatem; da mihi amorem tuum, et dives sum satis, etc.* Advertendum tamen est quod actus isti faciendi sunt sine ulla vi, et nullam desiderando consolationem sensibilem; sed cum suavitate quadam, et voluntate

pura unice Deo placendi. Asserebat s. Theresia: *Ne vereamur relinqui innumeratam a Deo vel unicam elevationem oculorum ad eius recordationem.*

X. Dirigere intentionem placendi Deo in quacumque actione quotidiana sive spirituali, sive corporali, dicendo: *Domine, hoc facio tantum ut placeam tibi.* Recta intentio appellatur alchimia spiritualis, quae omnes actiones, etiam viliores, aureas facit.

XI. Quotannis exercitia spiritualia peragere per octo, vel decem dies, alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione, et officio quod distractiones afferat, ut solum cum Deo versetur. Similiter singulis mensibus aliquam diem ad se colligendum destinare. Devote celebrare Novenas Nativitatis Domini, Spiritus sancti, septem festivitatum Mariae, s. Iosephi, Angeli sui custodis, et sancti tutelaris. In his Novenis poterit quotidie accedere ad Communionem, orando per horam, vel saltem dimidiam plus consueto. Recitare aliquas alias orationes vocales, sed non multas; quoniam longe melius erit exercere determinatum quemdam numerum actuum amoris, vel similium.

XII. Habere devotionem specialem erga s. Iosephum, Angelum suum custodem, Sanctum suum tutelarem, et praecipue erga s. Michaelem universalem cunctorum fidelium patronum: sed ante omnia erga beatissimam Virginem Mariam, quae ab Ecclesia nostra vita, et nostra spes appellatur: est enim moraliter impossibile, ut anima multum in perfectione proficiat, sine particulari, et tenera quadam devotione erga sanctissimam Dei Genitricem.

APPENDIX II.

DE ASSISTENTIA ERGA MORIBUNDOS

Nullum charitatis opus adeo acceptum Deo extat, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitae periculo positos ad sancte moriendum adiuvare: nam tempore mortis (a quo uniuscuiusque aeterna vita pendet) inferni vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores. Deus, ut manifestaret quam gratam habet assistentiam moribundis praestitam, multoties s. Philippo Nerio ostendit Angelos Religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.

Nec id parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet, sed omnium etiam sacerdotum. De parochis tamen Rituale Romanum praesertim loquens, ait praecipuam sui muneris partem esse aegrotantium curam habere; quapropter vult, ut ipsi statim ac aliquem ex suis parochianis aegrotare intelligunt, non expectent, ut infirmus parochum accersat, sed ipse parochus ultro eum invisere curet; idque non semel tantum, sed frequentius, si infirmum etiam spiritu aegrotare adverterit. Quod si legitime sit impeditus, id saltem praestandum provideat per alium sacerdotem, modo hic sit pius et prudens; quidam enim sacerdotes, hoc munus exercendo, magis quam utilitati, damno esse solent, tam infirmis, quam sibi et infirmorum domesticis, quorum profectum sacerdos assistens etiam

respicere debet. Monet insuper Rituale, quod si sacerdos forte deesset, id parochus praestandum curabit saltem per aliquem laicum pium et christiana charitate praeditum, qui sanctis verbis infirmo praesto sit.

§. I. *Monita ad sacerdotem assistentem.*

I. Sacerdos clam procuret a medico scire, an infirmitas sit mortalis. Dico *clam*, quia detestabilis usus medicorum est, aegrotos decipere, ne eos et propinquos contristent, pene ac si infirmis obligationem intimare confessionis (quam, cognito periculo, illis imponere debent), idem sit ac mortem denuntiare.

II. A coniunctis, amicis, necnon ab ipsomet aegroto, eius naturam, indolem et defectus perquirat: item quibus indulserit passionibus, et praesertim si ad aliquam bonorum aut famae restitutionem teneatur: si odium aut pravam habuerit amicitiam, ut omnibus opportunum praebere possit remedium. Caveat memorare infirmo personas odio habitas, aut impure dilectas, si ad hoc ex necessitate non obstringatur. Vulneratos, postquam quidquid ad remissionem pertinet provisum fuerit, ne interroget quis illos, qua de causa, vel quomodo laeserit; et si infirmus de hoc loquitur, sermonem ad aliud divertere curet. Et ita etiam, si necessitas non urgeat, nec de litibus, filiis, bonis, aliisque rebus impertinentibus ne verbum quidem faciat.

III. Post igitur quam morbum periculosum esse deprehenderit, inprimis non alloquatur infirmum de confessione, sed tantum eum de infirmitate, doloribus, et quomodo valeat, benigne interroget. Hortetur inde, ut se Dei voluntati conformet, utque suas cum Christo in cruce languenti poenas coniungat, necnon ut eas pro peccatorum satisfactione patienter ferat; et sic paulatim, qua par est prudentia, illum, tempus a quo confessus sit interrogando, ad confessionem inducat. Moneat ut omnem suam spem in Deo ponat, qui potens est ipsum in pristinam, si velit, reducere sanitatem. At eodem tempore sensim efficiat, ut aegrotus suae infirmitatis periculum agnoscat. Praesertim advertat, ne ille omnino fidem praebeat medicis et propinquis, qui forte morbi gravitatem ei celabunt, ne ipsum moerore afficiant. Dicat, sapientis esse praevidere futura. Hortetur, quod, dum mens valet, confessionem suscipiat, quae corporis saluti (si animae expedierit) etiam proderit. Refert Bellucensis de quodam moribundo, quod statim ac ipse sua confessus fuit peccata, e strato incolumis surrexit. Pariter Cantipratensis enarrat, quod quidam eques, ubi multa non profuerunt medicamina, confessionis virtute statim convaluit.

Si tamen aegrotus dilationem quaerit, et periculum mortis, lethargi, vel delirii imminens non est, poterit ei indulgere. Curet tamen, ut ille determinet tempus, puta vesperarum, vel diem crastinum, confessioni explendae. Si tamen periculum imminens est, ipsum cum d. Augustino moneat, quod Deus non promisit peccatores expectare, sed tantum parcere eis si poeniteant: *Crastinum non promisit, fortasse dabit, fortasse non dabit.* Quod si adhuc infirmus nec etiam per haec monita ad confessionem adduci possit, sacerdos nunquam eum deserat, sed quandoque terroris, quandoque fiduciae argumentis curet ipsum expergiscere, et provideat, ut tam privatae, quam publicae pro huius miseri salute preces ad Deum adhibeantur.

IV. Si morbus increbuerit, infirmum hortetur, ut de suis domesticis rebus opportune disponat; id enim expedit pro familiae pace, et eo magis, si opus sit, pro suae conscientiae levamine. In hoc tamen sacerdos sedulo caveat, ne ipse in aliquam lucri notam incidat. Si autem aegrotus fratres vel sorores indigentes habeat, moneat ipsum sub gravi obligatione

teneri illis bona relinquere, saltem, quod ad eorum necessitatem sublevandam sufficit. Haec tamen gravis obligatio non videtur urgere pro remotioribus propinquis. Observa quod dictum est in opere *lib.* 3. *n.* 946. Si vero aegrotus vult pro sua anima aliquid testari, ipsum moneat, ne onus illud haeredibus imponat: quia experientia docet, legatos pios pene nullos satisfieri; sed potius hortetur, ut aliquod corpus relinquat, aut pecuniae summam, ad Sacrificia, aut aliam piam operam persolvendam. Caveat sacerdos, ne consulat infirmis quidquid aliis praeiudicio esse potest, cum Christi ministros non deceat aliorum odium sibi commovere.

V. Cum rudibus, dum actus christianos eis suggerit, italico, imo vernaculo semper loquatur sermone. Cum litteratis contra comitioribus verbis, et aliquoties etiam latinis ex Scriptura excerptis, sed brevibus sententiolis utatur. Monet tamen Rituale, ne sacerdos nimis loquendo, et crebris sententiis, ut aliqui solent, infirmo potius caput obtundat, quam adiuvet. Pater Recupitus e Societate Iesu de seipso refert, morti proximum quidquid ei dicebatur, non intellexisse, sed tantum quoddam molestum murmur; ita ut, ne magis caput laederent, coactus rogaverit, ut aliquam verbis moram interponerent.

VI. Praeter parvas Christi Domini crucifixi, beataeque Virginis imagines, quas iuxta infirmum apponi curaverit, si fieri potest, etiam ob oculos eius collocare faciat imagines Deiparae et Redemptoris maioris molis, ut sic aegrotus, quocumque se vertat, eas cernere possit et illis se commendare.

VII. Curae ei etiam sit, ut ab infirmi cubiculo periculosa obiecta removeantur, veluti arma, imagines parum honestae, et praesertim personae quae aliquo modo occasionem peccati praebere possunt; et istae non solum a cubiculo, sed a tota domo expelli debent. Et dum infirmus agoniae proximus videtur esse, sacerdos omnes ab eius cubiculo depellat, praeter unum aut duos tantum, qui ipsi dum oportet praesto sint. Caeterum, omnino prohibeat in aegroti cubile propinquos ingredi, ne alicui passioni causam praebeant.

§. II. *Remedia adversus tentationes.*

Praecipua contra tentationes remedia sunt Iesu ac Mariae SS. nomina saepius invocare, et crucis signaculo se munire. Pro aliquibus tamen specialibus daemonis insidiis quaedam hic adnotare expedit.

Et I. *Adversus fidei tentationes.* Ab hac terribili tentatione praesertim agitantur, qui cum perditam egerint vitam, sibi suoque iudicio nimis adhaeserunt; praecipue si viri eruditi fuerint. Hic sedulo advertendum, quod si daemon aliquod eis circa Fidem dubium aut subtilitatem suggerat, statim constanti animo tantum generatim respondeant: *Ego credo quod S. Mater Ecclesia credit, quae veritatem credit et confitetur.* Horteturque sacerdos infirmum, ut maximas Deo gratias agat, quod ipsum in Ecclesiae sinum ab incunabulis accipere dignatus sit; ideoque in ipsa Fide usque ad extremum vitae perseverare velle profiteatur. Praecipuus tamen modus, et utilior ad huiusmodi tentationes repellendas erit mentem alio divertere, aliosque varios elicere actus, nempe contritionis, spei, charitatis erga Deum, et similia. De quodam Doctore Bellarminus refert, quod hic, dum in morte cum daemone disserere de quodam Fidei articulo voluerit, deceptus succubuit, et mortuus est.

Si tentatio tamen pergit vexare, ostendat infirmo quod nostrae Fidei (per se sanctae et intemeratae, a pauperibus piscatoribus per totum orbem diffusae, tot miraculis, ac tot millium martyrum sanguine, qui vitam suam pro ipsa immolaverunt, confirmatae) argumenta luce clariora sunt, et manifeste illam veram esse patefaciunt,

licet res, quas ipsa docet, nunc per speculum in aenigmate videamus; nam si mysteria, de quibus nos instruit, essent evidentia, ubi esset meritum Fidei? quae ideo Fides dicitur, quia res, quas docet, obscurae sunt et non apparentes. Hinc dictum fuit: *Beati qui non viderunt, et crediderunt*. Ioan. 20. 29.

2. Adversus tentationem *desperationis*. Haec est praecipua tentatio, qua infernus vehementius aegrotos impetit; unde illis de divina iustitia, damnatorum poenis loqui, eorumque patrata scelera exagerare, sacerdos caveat; sed potius ipsis fiduciae in misericordia Dei, Salvatoris passione, divinis promissis, et Dei Matris intercessione argumenta insinuentur.

Primum igitur nostrae spei motivum est divina misericordia, dum Deus vocatur, et vere est Pater misericordiarum (2. *Cor*. 1. 3.). Ipse occurrit etiam non quaerentibus se: *Invenerunt qui non quaesierunt me*. *Isaiae* 65. 1. Magis Deus cupit nos salvos facere, quam nos salutem optamus: quare ipse merito de illis queritur, quos etiam fugientes amplexari desiderat, ut ait d. Bernardus: *Amplecti quaerit, a quibus desertum esse se queritur*. Ipse est totus pronus ad ignoscendum: *Multus est ad ignoscendum*. *Isaiae* 55. 7. Protestatur se nolle mortem peccatoris: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur..., et vivat*. *Ezech*. 33. 11. Inquit quod, cum peccator sua detestatur peccata, ipse eorum memoriam amittit: *Si autem impius egerit poenitentiam..., omnium iniquitatum eius non recordabor*. *Ezech*. 18. 21. et 22. Post haec divina testimonia, quis unquam de Dei misericordia diffidere poterit? Unus tantum poenitentiae actus ad innumerabilia peccata delenda sufficit. Publicanus vix ingemendo dixit: *propitius esto mihi peccatori*, et iustificatus est. Prodigus filius statim ac ad patris pedes stetit, pater eum amplexus est. David ut dixit, *peccavi Domino*, Natan ei respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. 2. *Reg*. 12. 13.

Secundum motivum est passio Iesu Christi qui non ad aliud quam ad peccatorum salutem in terram descendisse protestatur: *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores*. *Matth*. 9. 13. Profitetur etiam nullum a se abire pati: *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras*. *Ioan*. 6. 37. Et apud *Matth*. 18. 12. inquit, quod ipse est bonus ille Pastor, qui dispersas oves quaerit, et si quam reperit, exultat, eam amplectitur, suisque humeris imponit: et videtur deinde hanc maiori diligere affectu, prout se gessit cum s. Maria Aegyptiaca, b. Angela a Fuligno, s. Margarita a Cortona, aliisque poenitentibus. Qui igitur rectam habet voluntatem, timere non debet damnari a Domino, qui, ne damnaret nos, seipsum ad mortem crucis damnare non dubitavit.

Tertium motivum sunt divina promissa. Multis in locis Evangelii petentibus divina promittitur gratia: *Petite, et accipietis*. *Ioan*. 16. 24. *Amen, amen, dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. *Ioan*. 16. 23. Et hic non solum de iustis, sed etiam de peccatoribus sermo fit, iuxta textum Matthaei: *Omnis enim, qui petit, accipit*. *Matth*. 7. 8. Satis igitur est gratias a Deo petere ad salutem, ut certe obtineantur. *Bonus est Dominus.... animae quaerenti illum*. *Thr*. 3. 25.

Quartum motivum est Sanctorum intercessio, et praesertim Deiparae, quam vult Deus, ut nos cum tota Ecclesia salutemus nostrum refugium, vitam, et spem nostram, ac dicamus: *Refugium peccatorum, ora pro nobis: Vita, spes nostra, salve*. Unde merito ipsa B. Virgo appellatur a Blosio, *spes desperantium*; et a s. Ephrem, *adiutrix destitutorum*. Eadem Dei Mater b. Birgittae revelavit, quod sicut aliqua mater videns filium inter enses suorum hostium versantem, animosa in tutelam suam illum suscipit; ita ipsa curat devotos suos tu-

tari, dum a daemonibus vexantur, eique se commendant. Insuper dixit, quod cum accedit apud eam peccator, ipsa non eius merita discutit; sed cum quali intentione veniat, attendit. Et Deus ipse b. Catharinae Senensi revelavit, Mariae suae filiae concessisse, quod quivis peccator ad eam recurrens nullo modo possit a daemone rapi.

3. Adversus tentationem *vanae gloriae* d. Bernardus ait, quod vana gloria est quaedam sagitta, quae *leviter penetrat, sed non leviter vulnerat;* praesertim si persona timoratae sit conscientiae. Si igitur sacerdos unquam adverteret moribundum nimis se reputare securum de sua salute, quia nimis suis operibus fidit; ei dicat quod peccata solummodo nostra sunt, omnia autem bona a Deo recipimus, ex illo: *Quid autem habes, quod non accepisti?* 1. *Cor.* 4. 7. Et cum certum sit, nullum suae salutis aeternae, divinaeque gratiae infallibilem certitudinem habere posse (*Ne scit homo utrum amore, an odio dignus sit, Eccles.* 9. 1.): ideo quisque semper pavere debet, et *cum metu et tremore salutem* (suam) *operari*, ut ait apostolus, *Philipp.* 2. 12.

4. Adversus tentationem *impatientiae*. Si infirmus ex morbi cruciatibus impatientia afficitur, huic ostendatur, quanta martyres pro Christi nomine tormenta sint passi, vivi excoriati, adusti, trucidati; et praesertim ei ob oculos ponantur omnia quae innocens Iesus propter nostrum amorem est perpessus. Dicatur aegroto, quod infirmitatis dolores vitari nequeunt; unde si ipse invitus eos patitur, male nunc, et in altera vita se habebit; si autem libenti animo pro Deo acceptat, non solum hic a morbi poena levabitur, sed ibi minus purgatorii tormenta luet, magisque postea in coelo remunerabitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ioan.* 16. 20. Moneatur quod extremae vitae cruciatus nostram complent aeternam coronam, quoniam (ut s. Bonaventura dicit) poenas patienter tolerare, aliis cunctis operibus perfectius opus est, iuxta illud Iacobi: *Patientia autem opus perfectum habet, Iac.* 1. 4. Et ita Deus suos in hac vita amicos tractat, dum crux est nostrae praedestinationis securius signum. B. Clara per 28. annos doloribus vexata vitam duxit s. Liduvina per 38. annos semper infirmitatum pondus toleravit. Et divina Mater quodam die b. Birgittae aegrotanti sic dixit: *Scis quare tua infirmitas tam in longum abiit? abiit, quia te Filius meus et ego nimis diligimus.* Nos miseros viatores inter huius saeculi aerumnas apostolus valde consolatur dicendo: *Momentaneum et leve tribulationis nostrae.... aeternum gloriae pondus operatur in nobis,* 2. *Cor.* 4. 17. Et alibi: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Rom.* 8. 18.

Et sic infirmo sedulo oportet suadere, ut Dei voluntati conformetur, non solum si dolores patitur, sed etiam si medici errant, aut assistentes ipsius curam negligunt. Hinc crebro moneat illum, ut a Deo patientiam expostulet.

5. Iis qui aegre ferunt mori tam immature, ob oculos ponantur praesentis vitae miseriae, infirmitates, animi angores, nec non peccandi et damnationis pericula. Ideo sancti viri tam avide mortem exoptabant. S. Theresia aiebat: *Heu mihi quia in omni vitae meae momento Deum amittere possum!* unde quoties horologium sonabat, toties valde gratulabatur, eo quod iam hora huius periculi transacta esset. Martyres sancti hilares ad patibula procedebant, ut citius hoc periculum effugerent, et Deo fruerentur. Hinc dicitur in Apocalypsi (14. 13.): *Beati mortui qui in Domino moriuntur.... ut requiescant a laboribus suis.* In hac lacrymarum valle viatores sumus: *Non enim habemus hic manentem civitatem. Hebr.* 13. 14. Unusquisque aut rex, aut Pont. mortem subire debet.

Hortetur infirmum, ut Deo gratias agat, quod non permiserit mori tempore quo erat in peccato; et quod tunc ipsum Sacramentis munitum discedere disponat. Dicat, saltem mortem libenti animo excipiendam esse, quia evadimus tot leves culpas, a quibus in hac vita immunes esse non possumus.

Dicat aegroto: *Frater mi, oportet ut te conformes voluntati Dei, qui omnia disponit propter nostrum bonum. Quis scit, an si amplius viveres, animam non perderes?* Sed dicet infirmus: *Ego vivere optarem, ad aliquam Deo de culpis meis satisfactionem praebendam, et aliquid boni ante mortem peragendum, dum usque adhuc nihil egi.* Respondeat sacerdos: *Fili, nulla poenitentia est Deo magis accepta, quam mortem in peccatorum expiationem libenter acceptare; nullusque actus perfectior est, quam mortem accipere ad voluntatem Dei exequendam.*

6. Adversus tentationem *adhaesionis* bonis, et propinquis. Eis quibus mori displicet, quia nimis adhaerent bonis, dicat confessarius, haec non esse vera bona, cum sint transeuntia, et de brevi defectura; et si non deficiunt, potius animum angunt quam solantur.

Si autem affligitur infirmus propter uxorem, filios, aut nepotes dilectos, quos relinquit, blande sic hortetur: *Fili mi, statutum est omnibus mori, omnes te ordine sequentur: nunc tuae saluti consule, et animam tuam salva, et sic pro ipsis in coelo orabis, unaque cum ipsis eris aliquando beatus in aeternum; sed nunc quid dulcius, quam proficisci ad manendum cum Iesu Christo, cum Regina coeli, et omnibus Sanctis!*

Si autem angitur, quia coniunctos suos relinquit inopes, ei dicat: *Audi, fili, si tu aeternam salutem assequeris, multo melius de coelo, quam de terra tuis opem ferre poteris. Sed ne dubites; quia Deus, qui volatilia pascit, non omittet eis providere. Si tu illos amas, Deus plus diligit.*

7. Adversus tentationem *odii* et *vindictae*. Si quis propter aliquam acceptam offensam odio tenetur, 1. ipsi intimetur divinum praeceptum: *Diligite inimicos vestros. Matth.* 5. 44. 2. Dicatur ei quod qui non dimittit, nec veniam sperare potest a Deo, qui dicit, *Foris canes. Apoc.* 22. 15. Canes (vindicum symbolum) repelluntur a coelo. E converso Deus veniam certam promittit illi peccatori qui veniam dat offensori suo, ex illo: *Dimittite et dimittemini. Luc.* 6. 37. Subdat, quod si inimicus iniuste laeserit ipsum, quanto iniustius ipse Deum? Quamobrem, si ipse petit a Deo ut sibi ignoscat, quanto magis proximo ipse ignoscere debet? *Sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Colos.* 3. 13. Ultimo ostendat eidem, quam gratam rem Deo exhibet, qui iniurias dimittit. S. Ioannes Gualbertus, postquam fratricidae pepercit, ecclesiam ingrediens imaginemque Crucifixi salutans, vidit Redemptorem erga se caput inclinasse, ac si propter veniam datam ipsi gratias ageret. S. Iacobus ante mortem amplexatus est eum qui se accusavit. S. Stephanus oravit pro eis qui eum lapidabant. S. Aloysius Galliae rex apud se coenare fecit qui sibi mortem fuerat molitus. S. Ambrosius per multum tempus cuidam suo proditori alimenta subministravit. Et praecipue primum exemplum de hoc praestitit Dominus noster Iesus Christus, qui in cruce positus, pro persecutoribus et maledicentibus sibi valde Patrem exoravit.

§. III. *Varia motiva, et affectus aegrotis suggerendi.*

1. Motiva *fiduciae*. De his supra (*in* §. 2.) iam locuti sumus; illis possunt sequentes adiungi ex Scriptura: *Nullus speravit in Domino, et confusus est. Eccli.* 2. 11. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. I. Ioan.* 2. 2. Iesus Christus ad hoc mortem subiit, ut nobis veniam criminum ob

tineret. *Pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom.* 8. 32. Quomodo igitur Deus remissionem nobis negabit, qui nobis proprium dedit Filium?

Affectus *fiduciae: Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Ps.* 26. 1.

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.

Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

O bone Iesu, intra vulnera tua absconde me.

Vulnera tua, merita mea. S. Bernardus.

Iesu mi, non negabis mihi veniam, qui vitam et sanguinem mihi non negasti.

Passio Iesu, tu es spes mea. Merita Iesu, vos estis spes mea. Vulnera Iesu, vos estis spes mea. Mors Iesu, tu es spes mea.

Maria Mater mea, salva me, miserere mei.

Spes nostra, salve.

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro me peccatore.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix.

2. Motiva et affectus *contritionis.* Dicit s. Augustinus, quod quisque usque ad extremum vitae non debet omittere peccata sua deplorare.

Non intres in iudicium cum servo tuo. Ps. 142. 2. *Iesu mi, et iudex meus, parce mihi, antequam venias ad me iudicandum.*

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Deus meus, oh si nunquam te offendissem!

Domine mi, non debebas sic tractari a me, sicut impie feci.

Pater, non sum dignus vocari filius tuus. Ego a te discessi, tuam despexi gratiam, ultro te amisi: toto corde me poenitet; Deus meus, propter amorem et sanguinem Iesu Christi parce mihi.

Maledicta peccata mea quae Deo me privastis, ego vos detestor, abominor, et maledico.

Deus meus, quid mali mihi fecisti quod ipse tam offendi te? Propter Iesum Filium tuum miserere mei.

Nunquam, Domine, te offendam quoadusque vivam; sive parum, sive multum mihi supersit, volo te amare.

Offero tibi in satisfactionem contumeliarum, quas tibi irrogavi, mortem meam, et dolores, quos usque ad mortem perferam.

Domine, merito me punis; nimis te offendi. Sed quaeso, in hac, non in alia vita me castiga.

O Maria! impetra mihi dolorem culparum mearum, remissionem et perseverantiam.

3. Motiva et affectus *amoris: Deus meus, qui es bonitas infinita, super omnia te diligo. Amo te plus quam me; amo te ex toto corde. Deus meus, non sum dignus te amare, quia nimis te offendi, sed propter amorem Iesu fac me dignum.*

Oh utinam et omnes te diligerent!

Iesu dulcissime, cupio pati et mori pro te, qui propter me pati et mori dignatus es.

Domine, castiga me uti vis, sed ne me prives te amare; Deus meus, salva me: salus mea est amare te.

Opto paradisum, ut in aeternum ex totis viribus meis te diligam.

Deus meus, ne me deiicias in infernum, ut mereor: ibi tu odio mihi habendus esses, sed animus mihi non suppetit te odio habere. Et quid mali, Domine mi, fecisti mihi, ut tu odio mihi habendus esses? Fac ut te amem, et mitte me quo vis.

Volo pati, quantum tibi placet; volo mori, ut tibi placeam.

Devinci me tecum, Iesu mi, ne permittas me unquam separari a te.

Deus meus, fac ut sim totus tuus, antequam moriar.

Quando erit, ut dicere possim: Deus meus, non possum amplius amittere te?

Oh Deus meus! amare te vellem, quantum tu mereris.

O Maria! trahe me totum ad Deum.

Mater mea, ego multum te diligo; volo venire ad coelum, ad te amandum in aeternum.

4. Motiva, et affectus *conformitatis*. Omne nostrum bonum et vita consistit in eo, ut conformemur Dei voluntati, iuxta illud: *Vita in voluntate eius. Ps.* 29. 6. Deus quidem vult quae nobis sunt meliori bono. S. Gertrudi cum Iesus apparuisset, mortem et vitam offerens, respondit ipsa: *Domine, quod tu vis, et ego volo.* Pariter s. Catharina Senensis, cum Iesus se illi praebuerit, offerens duplicem coronam, unam gemmarum, spinarum alteram, ut ipsa eligeret, ipsa respondit: *Ego eligo, quae tibi placet.*

Affectus. *Eia N. si Deus te vocat ad aliam vitam, contentus es? Es contentus. Dic igitur semper: Domine, ecce me, fac de me quod tibi placet. Semper fiat voluntas tua; volo tantum, quod tu vis. Volo pati, quantum tu vis. Volo mori, quando tu vis.*

In manus tuas commendo animam, et corpus meum, vitam et mortem.

Benedicam Dominum in omni tempore: aut me consoleris, aut me crucies, Deus meus, ego te amo, et semper te amare volo.

Deus meus, cum morte Iesu mortem meam coniungo, et sic eam tibi offero.

O voluntas Dei! tu es amor meus.

O beneplacitum Dei mei! me tibi totum in holocaustum trado.

5. Motiva et affectus *desiderii* erga paradisum. *Motiva.* Refert Blosius plures revelationes, ex quibus habetur, quod in purgatorio illi, qui tepide coelum optavere, excruciantur peculiari poena, appellata a doctoribus mysticis poena *desiderii*, aut *languoris*. Praesens vita est poenarum carcer, in quo Deum videre non possumus: unde merito rogabat David: *Educ de custodia animam meam. Ps.* 141. 8.; et s. Augustinus clamabat: *Eia, Domine, moriar ut te videam.* S. Hieronymus appellabat mortem, sororem suam, eique dicebat: *Aperi mihi, soror mea.* Et quidem recte, nam mors est illa quae paradisi ianuas nobis reserat. Et ideo pariter s. Carolus Borromaeus, videns mortis effigiem cum falce in manu depictam, pictori praecepit, ut falcem deleret, et eius vice clavem auream tanquam coeli clavem depingeret. Expedit igitur, ut sacerdos saepius alloquatur moribundos de coelestis patriae bonis, in mentem eis revocans quod apostolus ait: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se.* 1. *Cor.* 2. 9.

Affectus. *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Ps. 41. 3. *Quandonam erit, Deus meus, quod tuam infinitam pulchritudinem videbo, et facie ad faciem te diligam?*

In coelo semper te amabo, tu semper me amabis; invicem igitur in aeternum nos amabimus, Deus meus, amor meus, et omnia.

Iesu mi, quando osculabor vulnera quae pro me sustulisti?

O Maria! quandonam erit, ut me videam ad pedes illius Matris, quae tantum me amavit, et auxiliata est?

Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.

6. Affectus, qui infirmo suggeri possunt dum Crucifixum deosculatur.

Dulcissime Iesu, ne respicias quid ego in te, sed quid tu pro me fecisti.

Recordare quod sim una ex ovibus tuis, pro qua mortuus es.

Libenter pro te, qui pro me passus es, Iesu mi, moriar.

Accepto, Iesu mi, consumi pro te, qui totus consumi voluisti pro me.

Domine, maiora tu pro me, quam ego pro te patiar: Tu innocens, ego peccator.

Deosculare, frater mi (dicat sacerdos infirmo), *pedes illos, qui tam ad*

te perditam ovem quaerendam et salvandam laboraverunt. Dic, quaeso: Amabilissime Redemptor, amplector pedes tuos, ut Magdalena amplexa fuit; fac ut audiam mihi pepercisse, ut illa audivit.

Deus meus, mihi propter amorem Iesu Christi parce, et fac ut bene moriar.

Pater aeterne, tu mihi Filium tuum tradidisti, me ego tibi trado.

Iesu mi, multum tibi ingratus fui, miserere mei. Multoties infernum merui; non in alia, sed in hac vita me puni.

Si me fugientem quaesivisti, me te quaerentem ne derelinquas.

Iesu dulcissime, ne permittas me separari a te.

Quis me separabit a charitate Christi? (*Rom.* 8. 35.).

Domine Iesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuit nobilissima anima tua, quando egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animae meae peccatricis in egressu de corpore meo. Amen.

Iesu mi, tu propter amorem meum mortuus es; ego propter amorem tuum mori volo.

7. Affectus qui suggeri possunt sacerdotibus, et Religiosis infirmis.

In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

Deus meus et omnia. O me beatum, si omnia amittam, ut acquiram te meum summum bonum!

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Ne proiicias me a facie tua.

Iesu dulcissime ne permittas me separari a te.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. Ita dicebat s. Franciscus.

Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Diligam te, Domine, fortitudo mea.

Eia moriar, Domine, ut te videam.

Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?

Pater, peccavi, non sum dignus vocari filius tuus.

Averte faciem tuam a peccatis meis.

Tuus sum ego, salvum me fac.

Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Quis nos separabit a charitate Christi?

Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis. S. Ignatius de Loyola.

Dilectus meus mihi, et ego illi.

Misericordias Domini in aeternum cantabo.

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, etc.

Vita, dulcedo, spes nostra salve.

Refugium peccatorum, ora pro nobis

Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, et in hora mortis suscipe.

O salus te invocantium! S. Bonav.

§. IV. *Monita circa ultima Sacramenta, et modum quo utiliter recipi possunt.*

I. *Circa confessionem.*

Iam supra in praxi monitum est (vide nostram Moralem *lib.* 6. *n.* 260. *et* 484. *ad* 2.) quod cum periculum mortis instat aut forsan Viaticum delatum est et longa esset confessio, tunc infirmus non tenetur omnia et singula peccata confiteri. Hic amplius animadvertenda sequentia, nimirum, 1. quisquis sacerdos in mortis non solum articulo, sed etiam periculo, (ut *Trid. sess.* 14. *c.* 7. *de Poenit.* declaravit) censuris et casibus reservatis obstrictos absolvere potest (*lib.* 6. *n.* 561.). Advertendum tamen est, quod circa censuras reservatas tenetur confessarius facultate carens infirmo imponere, ut elapso mortis periculo, se praesentet Superiori, secus in censuras reincidet, *n.* 563. *v.*

Secus. 2. Simplex sacerdos absolvere non potest, praesente confessario approbato; secus tamen, si confessarius approbatus veniat iam incoepta confessione; secus etiam, si approbatus sit complex personae infirmae in peccato turpi, ut decrevit ss. p. Benedictus XIV. (n. 553.). 3. Moribundus sensibus destitutus recte potest absolvi, saltem sub conditione (quod securius est), dummodo constet infirmum absolutionem desiderasse, poenitentiae signum praebens, aut si confessionem quaesierit, *n*. 479.; et id intelligitur, etiamsi moribundus in actu peccati sensus amiserit, *n*. 483. ex d. Augustini auctoritate, et ratione; quia ex una parte conditio Sacramenti irreverentiam removet, et ex alia semper in tali casu quemque velle suae saluti consulere iudicatur, et sensibile aliquod signum ostendere, licet morbi causa signum non bene intelligatur. 4. Si infirmus post tertium diem, licet de periculo monitus, nec tamen confiteri vellet, optimum erit si sacerdos medicum monefaciat, iuxta S. Pii V. Bullam, ut eum non amplius invisere eat. Si tamen infirmus in sua adhuc maneat pervicacia, tunc medico curam denuo suscipere licebit; vide *l*. 6. *n*. 664.

II. *Circa Communionem*.

Sequentia adnotantur monita. 1. Ut infirmo Viaticum ministrari possit, necesse non est ut omni vitae spe destitutus sit, sed sufficit mortis periculum; *lib*. 6 *n*. 284. 2. Si vomitus periculum adsit, Viaticum dari non potest, licet praemittatur experientia cum particula non consecrata, *ibid*. *n*. 292. *v*. *In dub*. 3. Pueris ratione pollentibus etiam rite Viaticum dari potest; necnon phreneticis, dummodo sancte vixisse constet, aut paulo ante confessi sint, et periculum irreverentiae non adsit; ideoque cum istis probabiliter licitum est experiri cum particula non consecrata. 4. Infirmis etiam in Parasceve, ut habetur ex s. Rituum Congregationis Decreto, edito 19. febr. an. 1622. Viaticum ministrare non tantum licet, sed ad hoc parochi tenentur.

5. Communis sententia tenet, quod in eadem infirmitate aegroto non ieiuno pluries Viaticum dari potest, saltem si intersit sex vel octo dierum spatium; imo multi doctores minus temporis intervalli exigunt, vide *lib*. 6. *n*. 284. *et* 285. Si tamen aegrotus mane ex sua devotione communicavit, non potest ei ipsomet die Viaticum dari, nisi tamen mortis periculum ex aliquo superveniente morbo violento, nempe vulneris, veneni, et casus similis, advenerit. Secus si aegrotus in infirmitate iam constitutus mane communicavit; vide rationem in cit. n. 285. *Dub*. 3.

6. Si tamen infirmus tantum confessus sit, et malum increbescit, tunc sacerdos eum, ut quanto citius Viaticum accipiat, sedulo disponat, ut sana mente, et maiori fructu recipiat; ideoque desiderium recipiendi Viaticum in animum inducere curet, ut ita munitus daemonis viribus maiori nisu et gratia obstare possit, utque Iesu Redemptori nostro magis se uniat, qui eum invisere cupit (dicat) ut suas possit in se gratias effundere, et ad coelestem patriam brevi perducere; sin autem, ut si expedierit, etiam corporis salutem impertiatur. S. Cyrillus Alexandrinus ait, quod sancta Eucharistia *etiam morbos depellit, et aegrotos sanat*. Et de suomet patre s. Gregorius Nazianzenus refert, quod statim ac Communionem accepit, convaluit.

Sacerdos igitur sic infirmum alloquetur: *Frater mi, licet tua sanitas non sit desperata, in periculo tamen est, ideoque optimum est, ut quanto citius potes, Viaticum accipias; nam Christus in pristinam te restituet sanitatem, si hoc tuae aeternae saluti expedierit: si tamen mori debes, contra diabolum in tuum auxilium veniet, et tui itineris ad beatam patriam comes erit. Quid dicis? cupisne,*

Viaticum accipere? Quidem: Eia igitur praepara animam tuam ad amplectendum tuum Redemptorem, qui pro te mortuus est. Dic toto corde: Veni, Iesu mi, veni amor meus, omne bonum meum, veni, ad te anima mea desiderat. Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in aeternum.

Sacerdotis autem, cum Viaticum pervenerit, sit cura ab infirmi cubiculo parentes, uxorem nempe, sorores, filios, etc., qui passioni ei esse possunt, depellere. Tunc ei subiungat: *S. Philippus Nerius, cum in suo cubiculo ss. Sacramentum viderit, exclamavit:* En amor meus, en amor meus! *Dic etiam, frater, dic: En amor meus! En hic est Filius Dei, qui pro tua salute descendit de coelis, homo factus est, pro te in cruce mortem subire voluit, et nunc te invisere in ipso tuo cubiculo venit. Bono sis animo, iam tibi peccata condonavit. Culparum tuarum iam te poenituit, et adhuc poenitet. Sed nunc diligis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; itane est? Eia ergo dic: Amo te, Deus meus, super omnia, et quia diligo te, me poenitet peccasse: propter amorem tuum libenter morior; iam, si tibi placet, mori cupio, ut videam te, et in aeternum amem.*

Dicat inde: *Si igitur N. Iesum amas, parcis nunc amore sui omnibus, qui te in aliquo offenderunt, non est ita? Petisne etiam veniam, quibus iniurias, et offensas irrogasti? Eia igitur converte faciem tuam ad Iesum qui te amplecti cupit; dic toto corde: Domine, non sum dignus; sed licet indignum tanto munere fatearis, ad te tamen Dominus venire vult. Iterum igitur eum ardenter voca: veni, Domine, veni, amor meus, Deus meus, et omnia, veni; ad te sitit anima mea, et praeter te nihil aliud cupit.*

Communicato iam infirmo, ad gratiarum actionem illum adiuvet sacerdos: *Eia igitur, frater, age nunc Domino gratias, qui ad te venire, teque amplecti dignatus est. Sacramentum est, et vere dicitur,* futurae gloriae pignus. *Dominus tecum est, quid amplius times? exulta frater, Deus tibi dare vult paradisum; ideoque totum se tibi impertiri dignatus est: dic ergo: Domine mi, amor meus, te amplector, tibi gratias ago, te amo, et in aeternum te amare spem habeo: me poenitet te offendisse, et nunc quidquid mihi superest vitae, in tuum amorem impendere firmiter propono.*

Iesu mi, vitam meam in holocaustum libenter offero, si tibi placet eam mihi auferre. Fiat semper voluntas tua. Sanctam perseverantiam, amorem tuum mihi tantum concedere precor, ita ut amando te animam efflem, ut veniam ad semper te amandum in coelo. Tu me non deseres, ego non deseram te, ergo Deus animae meae, in aeternum nos ad invicem diligemus.

III. *Circa Extremam-Unctionem.*

Extrema-Unctio, uti est ultimum Sacramentum, ita ex d. Thoma est vitae spiritualis corona; ipsa homo munitus, ad coelestem patriam ingredi disponitur. Unde Sacramentum hoc, dum aegrotus mente pollet, ut ei magis prosit, opus est ut conferatur; quoniam, licet conferri non possit, nisi grave mortis periculum (saltem probabile) immineat (ut in nostra morali *lib.* 6. *n.* 714. *Dub.* 4.), tamen ad ultimum vitae discrimen prorsus differenda non est, (*loc. cit. v. Advertend.* 1.). Unde ait Catechismus Romanus *part.* 2. *n.* 18. graviter peccare parochos illos, qui conferunt Extremam-Unctionem, quando nulla adest spes vitae, et aegrotus iamiam privatur sensibus.

Aegroto sacerdos suadere studeat 1. quod Extrema-Unctio, si animae profutura erit, etiam ad corporis sanitatem confert, ut Tridentinum *sess.* 14. *c.* 2. *de Extrema-Unct.*: *Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.* Haec tamen sanitas non confertur, cum naturaliter impossibile sit iterum re-

stitui ad salutem. De quodam iam defuncto refert Ioannes Eroldus, hunc revelasse, quod si Extremam-Unctionem prius accepisset, statim e morbo convaluisset; sed quia distulerat, ideo vita defunctus erat, et ad purgatorii ignem centum annis damnatus. Secundo, Extrema-Unctio peccatorum reliquias remittet, et per consequens ipsa peccata mortalia occulta, ut docet d. Thomas, *lib.* 6. *n.* 731. *v. Commune*; ideoque instruatur infirmus, ut dum quinque corporis sensus unguntur, ipse de culpis per ipsos commissis doleat, et cum astantibus etiam respondeat, *amen.* Tertio particularia auxilia, quibus in illo extremo agone inferni vim, et impetum frangat, subministrabit. Quare multum probabile est gravi se obstringi scelere, qui hoc sacramentum accipere recusaret, ut supra diximus.

Aliqua hic de huius Sacramenti administratione scitu necessaria adnotare licebit. 1. Speculative tantum probabilis est opinio dicens, sufficere ministrare hoc Sacramentum cum una gutta olei, illam per partes non diffundendo; non tamen practice, quia haec vera unctio non esset; vide in Morali *lib.* 6. *n.* 709. *Dubit.* 4. 2. Unctio quinque sensuum, secundum communiorem sententiam, est de necessitate Sacramenti; unde pestis tantum tempore, aut alicuius imminentis mortis periculi, una tantum, et in uno sensu (consultius in capite) unctio adhiberi potest; sed semper sub conditione si valet, et cum unica forma dicendo: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, nempe visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum.* Si tamen aeger supervivat, unctiones etiam sub conditione reiterari debent in omnibus quinque sensibus, solitis orationibus. 3. Non est de necessitate Sacramenti geminam unctionem in geminis partibus adhiberi; immo unum tantum oculum, unam manum, etc. ungere, licite sufficit, dum periculum infectionis, aut alia necessitas adest, ut si infirmus nequit verti ad aliud latus. Unctio renum in mulieribus, et etiam in viris, *quando infirmus* (ut Rituale monet) *commode moveri non potest, relinquitur.* Unctionem tamen pedum non esse de necessitate Sacramenti, communis sententia tenet, sed quoad hoc Ecclesiarum consuetudo servanda est; *n.* 710. *v. Certum.* Nec etiam de necessitate Sacramenti est in unctione partium ordinem servare: *gravi tamen culpa se obstringit, qui receptum ordinem non servat; *loc. cit. v. Nec etiam.* 4. Extrema-Unctio rite confertur pueris qui ratione pollent, licet non adhuc s. Communionis idonei sint: in dubio tamen de usu rationis, sub conditione administrari potest. Hoc tamen cum prorsus amentibus non procedit; *n.* 719 *et* 720. 5. Amentibus, phreneticis, delirantibus, qui dum rationis usum habuerunt, pii animi significationem dederint, et Extremam-Unctionem petierint, aut verisimiliter petiissent, aut contritionis signum dederint, remoto irreverentiae periculo, dari potest; et eo magis, si lucidum aliquod rationis intervallum habent. In dubio autem, an quis unquam rationis usum habuerit, conditionate dari potest. Idem de ebriis, si in mortis periculo sint, nisi tamen constet in mortali culpa fuisse, cum sensus ipsi amiserint; impoenitentibus enim, et qui in manifesto peccato moriuntur, necnon excommunicatis penitus denegari debet, ut Rituale Rom. monet: vide *lib.* 6. *n.* 732. Mulieribus etiam, si ob partus dolores in mortis periculo sint, conferri potest. 6. Orationes praescriptae, extra formam, in casu necessitatis omitti possunt, quae postea dicentur, si tempus suppetet, *n.* 727.; et in tali casu Sacramentum dari potest, etiam sine luminibus, et ministro; *n.* 728. et etiam probabiliter sine superpelliceo et stola; *n.* 726. 7. Extrema-Unctio in eadem infirmitate iterari non potest, nisi infirmus

a priori probabiliter convaluerit, et in aliud simile vitae discrimen inciderit; ut docet Trident. *sess.* 14. *c.* 3. *de Extrema-Unct.* vide *n.* 715. 8. Cautus sit sacerdos in movendo aegroto, ut partes viciniores ungat; si tamen caute revolvat, et casu ille e vita decedat, irregularitatem non teneat incurrisse; quia in hoc casu irregularitas non potest incurri, nisi ob delictum, a quo qui charitatis causa aliquod inculpabiliter agit, immunis est. Denique recte parochus in sua domo oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum praevidet, ut vocatus ad conferendam Unctionem praesto non esset; *lib.* 6. *n.* 730.

§. V. *Monita circa agonem, et mortem.*

Cum infirmus ad agonem pervenit, solitis Ecclesiae armis, ad eum iuvandum quantum potest, sacerdos utatur. 1. Saepius infirmum aqua benedicta aspergat, praesertim si diabolicis tentationibus exagitatur, dicendo: *Exurgat Deus et dissipentur inimici eius.* 2. Crucis signaculo eum muniat, et benedicat dicens: *Benedicat te Deus Pater, qui te creavit; benedicat te Filius, qui te redemit; benedicat te Spiritus sanctus, qui te sanctificavit.* 3. Salvatoris necnon Mariae aliquam imaginem saepius osculandam praebeat. 4. Curet, ut infirmus lucretur omnes indulgentias, quas potest, et praesertim accipiat benedictionem in articulo mortis Benedicti XIV. cum indulgentia plenaria, quam infra adnotabimus. 5. Identidem suggerat aliquam sententiam doloris, conformitatis, spei in Domini passionem, ac B. Mariae intercessionem, necnon desiderii videndi Deum. Curet tamen sacerdos intervallum aliquod interponere, ut infirmus habeat, et ruminandi tempus, et quiescendi. 6. Studeat, ut saepissime SS. Iesu et Mariae nomina, saltem corde, si loqui non potest, invocet, ac multoties dicat orationem illam: *Maria Mater gratiae, etc.* 7 Agonis tempore faciat, ut circumstantes pluries B. Mariae Virginis Litanias pro aegroto dicant. Proderit etiam procurare, ut tunc pulsetur campana agonis, ad significandam omnibus instantem mortem expirantis aegroti, ut pro ipso orent; quod etiam sanis iuvare potest. Et hic generatim animadvertendum est, quod cum infirmus est sensibus destitutus, magis illi prosunt orationes, quam verba. 8. Cum tempus expirandi instat, sacerdos flebili voce et flexis genibus consuetas Ecclesiae orationes recitet: *Proficiscere, etc.* ut in fine Breviarii aut Ritualis habentur. 9. Dum manus, pedes, etc. infirmi tangit, ut an friguerit videat, caveat saltem ne saepius fiat, ne eum perturbet; et curet ne illum vertant illo agonis statu, nam id mortem accelerare posset. 10. Dum infirmus proximus est ad transitum, tradat ei candelam benedictam, ut teneat, et ita in Fide mori profiteatur. 11. Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem iuvabit, ut ita ille magis circa statum gratiae securus reddatur, si forsan praeteritae confessiones invalidae fuissent, aut saltem gratiae augmentum recipiat, necnon purgatorii poenae ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat, sed monens, ut Iesu ac Mariae nomina invocet; si rursum tentatur, benigne ipsum confortet, procuret ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat. Si tamen infirmus iam sensibus caret, et nullum doloris nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde saepius intra eumdem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc, licet conditionate detur, tamen ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur; unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc sacerdos ex conscientia, quam noverit infirmi, se di-

rigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc saepius absolutio dari potest; sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat: frequentius tamen, si iamiam moriturus est. Non abs re autem erit aegrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quaerit, aut dum sacerdos ipsi conferre vult, ex gr. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet, et similia.

Denique cum e vita iam migrasse videtur, caveat sacerdos, ne statim det suae mortis signum, nec ei statim oculos, aut os claudat, aut visum pannis cooperiat; quia si nondum mortuus esset, fieri posset, ut mors acceleretur. Cum autem certo scit animam iam ad aeternitatem migrasse, circumstantes, ut pro illo orent, moneat, et ipse flexis genibus dicat orationem, *Subvenite, etc.* ut in Rituali, vel in Breviario.

§. VI. *Affectus qui suggeri possunt agonis, et expirationis tempore.*

In te, Deus meus, infallibilis veritas, credo; in te, immensa misericordia, spero; te, infinita bonitas, amo.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in aeternum.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

Deus meus, ne permittas me separari a te. Nihil aliud quam te cupio. Bonitas infinita, te amo, te amo, te amo.

(Hic animadvertendum est, actus frequentiores, qui moribundis suggeri debent, esse amoris et doloris).

Iesu mi, qui mox me iudicaturus es, parce mihi, antequam iudices. Te amo, et quia te amo, me poenitet offendisse.

Iesu mi dulcissime, ne permittas me separari a te.

Sanguis Iesu, lava me. Passio Christi, salva me.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Moriar, Domine, ut te videam.

Maria Mater Dei, ora Iesum pro me.

Illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

O Maria, nunc tempus est auxiliandi servum tuum.

Mater mea, ne derelinquas me.

O paradise, o pulchra patria, o amoris patria, quando te videbo?

Deus meus, quandonam facie ad faciem te amabo?

Quando, Iesu mi, te non amplius amittendi securus ero?

Deus meus, et omnia.

Contentus sum omnia amittere, ut acquiram te, Deus meus.

Deus meus, propter amorem Iesu miserere mei.

Mitte me, Domine, in purgatorii ignem, per quantum vis: noli tamen in infernum, ubi te amare non possum.

Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterne Deus, spero, et cupio in aeternum te amare.

Amor meus crucifixus est. Iesus meus, amor meus, pro me mortuus est.

Deus in adiutorium meum intende. Domine, ad adiuvandum, etc.

Pater aeterne, propter amorem Iesu Christi da mihi gratiam tuam. Te amo, me poenitet.

Quomodo possum de tot tantisque beneficiis quae mihi fecisti, Deus meus, tibi rependere gratias? Spero in aeternum in coelo tibi gratias agere.

Maria, mater gratiae, mater misericordiae, etc.

Miserere mei, Deus, secundum magnam, etc.

Misericordias Domini in aeternum cantabo.

Dum iam aegrotus est proximus ad expirandum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Iesu mi, tibi animam quam tuo sanguine redemisti commendo.

(Hic notandum, quod dum infirmus iam ad exhalandam animam vicinus est, actus suggeri debent sine pausa, et fortiori voce).

Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum. Deus meus, adiuva me; sine me venire ad amandum te in aeternum.

Iesu mi, amor meus, te amo, me poenitet. Oh si nunquam te offendissem!

O Maria, spes mea, adiuva me, ora pro me Iesum.

Iesu mi, propter passionem tuam salva me: te amo.

Maria, mater mea, in hac hora adiuva me. S. Ioseph, adiuva me. Archangele Michael, defende me. Angele custos, custodi me. S. N. (hic praecipue protectoris aegroti fit mentio) *commenda me Iesu Christo. Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro me.*

Iesus, Iesus, Iesus.

Iesus et Maria, vobis cor et animam meam dono.

§. VII. *Imminentis mortis signa.*

Opus est, ut sacerdos, qui hoc charitatis opus exercet, imminentis mortis signa sciat, ut ita aegroto iam expiranti melius auxiliari possit. Praecipua et universalia sunt tria. 1. Pulsus deficiens, intermittens, et formicans. 2. Respiratio anxia. 3. Oculi excavati et vitreati, aut apertiores solito, vel nimis lucidi, vel qui respiciunt obiecta diverse quam aliis apparent; aut cum palpebra superior relaxatur, et inferiorem praetergreditur.

Sunt etiam proxima mortis signa nasus acuminatus, et in extremitate albescens, et si nares ad instar follis sufflant; manus trementes; ungues lividae, facies flavescens, livida et mutata, flatus male olens et frigidus; corpus immobile; sudor frontis et frigidus; calor in cordis parte nimius; festucas aut lanugines colligere; frigiditas in extremis omnibus partibus.

Signa tamen proximiora expirationis sunt respiratio intermittens aut languida; defectio pulsus; dentium contractio et stridor; distillatio in gula; lene quoddam suspirium, aut gemitus; lacrymà per se fluens; oris, oculorum, et totius corporis torsio.

Advertatur 1. quod laborantes hydropisi, etica febri, vel vulnere, asthmate, pleuritide, sanguinis fluxu, vomitu, angina, et reumatismo, interdum cum paucis nominatorum signorum, et cum pulsu valido, ac loquentes expirare solent. Advertatur 2. proximos morti esse, qui pleuritide laborant, dum respirationis difficultas, anhelitus augmentum, et labia livida apparent. Vulnerati capite interdum subitaneo deliquio moriuntur. Hydropici, dum pulsus deficit, et anhelitus crescit, ac in ore spuma apparet. Qui febri intermittente laborant, mori solent in principio accessionis, dum convulsiones vehementes sunt. Advertatur 3. quod in aliquibus aegrotis flatus est adeo debilis, et cordis exagitatio, ut iam mortui videantur, et tamen non sunt. Signa certiora mortis sunt omnium partium frigiditas etiam in regione cordis, corporis gravitas, alicuius spiritus naribus admoti stimulum non sentire, speculum ore accessum flatu non maculari, et similia. Demum advertatur, quod interdum signa superius in primo loco adducta fallunt, et etiam sine illis repente moritur infirmus; ideoque dum aegrotus in agone manet, sacerdos oportet ne unquam illum deserat.

§. VIII. *Et ultimus. Preces, actus christiani, et benedictiones.*

Sacerdos domum aegroti ingrediens, dicat: ℣. *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

Cubiculum aqua benedicta aspergat, dicens: *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Deinde dicere potest orationes, quae in Rituali pro Extrema-Unctione exstant. Postea Redemptoris imaginem accipiat, dicens: *Ecce crucem Domini, fugite partes adversae.* Et aegroto osculandam praebeat, dicens: *Deosculare pedes Iesu Christi, qui in hac cruce pro salute tua mortuus est.*

Deinde dicat: *In Deo N. N. igitur spem tuam iacta: sperare volumus Mariam a Deo salutem tibi intercedere velle: infirmitas tamen gravis est, voluntati Dei tuam conforma, ut de te faciat quod ipse vult. Eia igitur mecum recita christianos actus, ut cum istis ad mortem te disponere valeas, si pro bono animae tuae sic Deus determinavit; dic ergo mecum:*

Actus fidei. *Deus meus, infallibilis veritas, quia tu, quod credere debeam, S. Ecclesiae revelasti, credo quod ad credendum mihi proponit Ecclesia. Credo te esse Deum meum, omnium Creatorem, qui per totam aeternitatem paradiso iustos remuneras, peccatores vero castigas inferno. Credo mysterium SS. Trinitatis id est Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, tres Personas, sed unum Deum. Credo secundam Personam, id est Filium Dei, hominem factum in utero Mariae semper Virginis, et pro nobis peccatoribus mortuum esse. Inde resurrexit, et nunc sedet ad dexteram Patris, et inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo septem sancta Sacramenta, et praecipue Baptismum, Poenitentiam, Eucharistiam, et Extremam-Unctionem. Credo omnes resurgere debere cum corporibus suis, et denique credo omne id, quod credit S. Ecclesia catholica romana, in qua sola credo esse veram Fidem.*

Actus spei. *Deus meus, confisus tuis promissis, quia tu fidelis, potens, et misericors es, propter merita Iesu Christi peccatorum meorum veniam spero, perseverantiam finalem, et gloriam paradisi.*

Actus amoris et doloris. *Deus meus, quia tu es bonitas infinita, infinito amore dignus, toto corde meo te diligo super omnia. Et omnium peccatorum meorum, quia tuam infinitam bonitatem offendi, tota anima mea me poenitet, et displicet. Potius mori quam peccare propono, cum gratia tua, quam ut nunc mihi des et semper, te precor. Et propono sancta Sacramenta recipere in vita, et in morte.*

(Benedictus XIII. omnibus, qui semel in die hos elicit actus, septem annos indulgentiae largitus est; et si per mensem integrum fiant, confessis et communicatis, iuxta mentem Pontificis orantibus indulgentiam plenariam, etiam pro defunctorum animabus, concessit: et si in fine vitae quis faciat, indulgentiam in articulo mortis).

Benedictio in articulo mortis.

Pontifex regnans anno 1747. Episcopis facultatem concessit, et eorum delegatis, indulgentiam plenariam aegrotis petentibus impertiri, postquam Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae-Unctionis Sacramenta acceperint, aut verosimiliter quaesiissent, aut si signum aliquod doloris dederint, et postea sensus amiserint. Non vero excommunicatis, et impoenitentibus; nec etiam illis, qui in evidenti peccato moriuntur. Modus quo datur benedictio est hic.

Sacerdos aegroti domum ingrediens dicat: *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.* Et aspergat aquam benedictam, dicens: *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Postea dicat: *Miserere mei Deus secundum magnam*

misericordiam tuam. Gloria Patri, etc. Et nihil aliud dicens, repetat antiphonam, *Asperges me, etc.*

Si aegrotus confessionem petit, sacerdos benigne audiat; sin vero, contritionis actum ut aegrotus eliciat, studeat, confortetque eum ad paradisi gloriam sperandam: hortetur, ut totum se offerat Deo, et pro peccatorum suorum satisfactione id quod vult Deus, ipsamque mortem acceptet. Inde dicat:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit coelum et terram.*

Antiph. *Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui* (*vel ancillae tuae*), *neque vindictam sumas de peccatis eius. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.*

℣. *Et ne nos, etc.*

℟. *Sed libera, etc.*

℣. *Salvum fac servum tuum* (vel *ancillam tuam*) *Domine.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Domine, exaudi, etc.*

℟. *Et clamor meus, etc.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum, respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides et spes christiana commendat. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut eius anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniat, et in sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem, etc.

Tunc postquam clericus dixerit, *Confiteor Deo, etc.*, Sacerdos dicat: *Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.* Et deinde:

Dominus noster Iesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam et restituat tibi stolam primam quam in Baptismate recepisti; et ego facultate mihi ab apostolica Sede tributa indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, ✠ *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.*

At si infirmus esset tam morti proximus, ut tempus non suppeteret supradictis precibus, sacerdos statim impertiatur ei praefatam benedictionem, *Dominus noster Iesus Christus, etc.*

Benedictio Scapularis S. Mariae de Monte Carmelo.

Sacerdos conversus ad habitum dicat:

℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da nobis.*

℣. *Domine Deus virtutum, converte nos.*

℟. *Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS

Caput omnium fidelium Deus, et humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum tuaeque Genitricis Virginis Mariae de Monte Carmelo amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua sanctifica ✠*: et hoc, quod per illud mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore et animo servetur et*

ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super habitum, et postea ipsum imponat personae recipienti, dicens:

Accipe, vir devote, hunc habitum benedictum, precans SS. Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. Amen.

Deinde dicat:

Ego ex potestate mihi tradita et concessa suscipio, ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, ieiuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum canonicarum, ac caeterorum bonorum spiritualium, quae passim die nocteque (cooperante misericordia Iesu Christi) a Religiosis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Bene✠dicat te Conditor coeli et terrae Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo societatem et confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tamquam victor palmam et coronam sempiternam haereditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum.

Aspergatur recipiens aqua benedicta.

Benedictio Scapularis S. Mariae septem Dolorum.

℣. *Adiutorium nostrum, etc.*
℟. *Qui fecit coelum, etc.*

OREMUS

Domine Iesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramur immensam largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad innocentiae, humilitatisque indicium in memoriam septem Dolorum B. Virginis Mariae nos ferre sanxerunt, ita bene✠dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus, corpore pariter, ac anima induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Postea sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, illud recipienti imponat, dicens:

Accipe, charissime frater, habitum B. Mariae Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam septem Dolorum, quos ipsa in vita et morte Unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus sub eius patrocinio perpetuo vivas.

Benedictio Dei omnipotentis ✠, Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super te, et maneat semper. Passio Domini nostri Iesu Christi, et compassio beatae Mariae Virginis sit in corde et corpore nostro. Amen.

Benedictio Scapularis Conceptionis immaculatae Dei Matris.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit coelum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS

Domine Iesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es, tuae largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis immaculatae beatae Mariae Virginis (necnon, ut illo indutus exoret) in hominum pravorum morum reformationem institutum fuit, bene✠dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo indutus fuerit, eadem beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas, etc.

Postea sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, imponat recipienti, dicens:

Accipe, frater, Scapulare beatae Mariae Virginis immaculatae, ut, ea intercedente, vetere homine exutus, ab omni inquinamento mundatus, ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Amen.

Et ego ex facultate mihi tradita recipio te in participationem bonorum spiritualium, quae in nostra congregatione gratia Dei fiunt, et quae per sanctae Sedis apostolicae privilegium concessa sunt. In nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Si infirmus nunquam acceperit aliquod Scapulare, vel aliquod ex iis, de quibus supra sermonem fecimus, curet sacerdos qui facultatem habet, ut infirmus tunc recipiat, ut indulgentias lucretur

APPENDIX III.

EXAMEN ORDINANDORUM

AB EODEM AUCTORE BREVITER CONCINNATUM EX EADEM SUA THEOLOGIA MORALI RES SCITU MAGIS NECESSARIAS CONTINENS

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

1. Sacramentum, generaliter loquendo, significat mysterium, sive rem occultam; Sacramentum vero in Ecclesia christiana sic definitur: *Est sensibile signum invisibilis gratiae ad populum Dei sanctificandum, a Christo institutum.* Dicitur *Signum sensibile* scilicet signum externum in materia sensibus subiecta. *Invisibilis gratiae*, quia Sacramentum significat gratiam quam causat invisibiliter, scilicet ex opere operato, sive per se, modo suscipiens sit dispositus. *A Christo institutum*, quia iuxta sententiam probabiliorem, Christus etiam ut homo Sacramenta instituit ex potestate quae dicitur *excellentiae* (1).

2. Tria igitur ad Sacramentum constituendum requiruntur, 1. Signum externum, 2. Promissio gratiae, 3. Institutio Christi, cum omnia Sacramenta ex Christi passione vim habeant.

Dubitatur an circumcisio fuerit olim verum Sacramentum, conferens gratiam ex opere operato? Affirmat

(1) vide opus morale l. 6. n. 1. 2. et 3.

Scotus; sed communiter id negant dd.; nam circumcisio operabatur sanctitatem tantum externam, non autem internam; commune tamen est quod fuerit verum Sacramentum (1).

3. Sacramentalia autem sunt quaedam actiones sacrae ab Ecclesia institutae, prout sunt aqua lustralis, benedictiones rerum, consecrationes, et similia. Haec non habent per se vim remittendi peccata, sed tantum impetrandi auxilia divina ad eliciendos actus bonos, quibus postea peccata remittuntur (2).

4. Multipliciter distinguuntur Sacramenta. *Primo*, alia sunt necessaria necessitate *medii*, ut sunt Baptismus pro omnibus, Poenitentia pro lapsis in mortale, et Ordo pro iis qui Sacramenta Eucharistiae et Poenitentiae ministrant: etiam Eucharistia (iuxta probabiliorem sententiam), saltem in voto implicito (3). Alia necessitate *praecepti*, ut sunt Confirmatio, iuxta probabilem sententiam, licet opposita Nav. Suar. Soti Laym. Roncagl. Wigandt ex d. Thoma (4), et aliorum etiam sit probabilis (5); et Extrema-Unctio, iuxta probabiliorem sententiam, omnino suadendam (6). *Secundo*, alia sunt Sacramenta *iterabilia*, ut Eucharistia, Poenitentia, Extrema-Unctio, matrimonium; alia sunt *initerabilia*, ut Baptismus, Confirmatio et Ordo, propter characterem quem indelebiliter imprimunt. *Tertio*, alia sunt Sacramenta *mortuorum*, ut Baptismus et Poenitentia, quia primam conferunt gratiam, et supponunt animam mortuam, id est gratia carentem: alia *vivorum*, quae aliquando per accidens dant etiam primam gratiam, nimirum casu quo aliquis attritus, bona fide putans se contritum, illa suscipit, ut docent probabiliter Lugo Suar. Con. Caietan. Croix Salm. Castrop. et alii plures ex d. Thoma contra alios, ex communi (7). *Quarto* alia sunt *formata*, id est cum effectu gratiae; alia *informia*, scilicet sine collatione gratiae, quae est Sacramenti forma. An autem detur Sacramentum Poenitentiae validum et informe, id est sine gratia? Alii negant; sed communiter et verius alii affirmant. Casus esset nimirum si quis acciperet absolutionem ab aliquo mortali peccato cum attritione concepta tantum ex turpitudine supernaturali illius peccati, et cum oblivione inculpabili alterius peccati mortalis. (*Qui vult videre hanc quaestionem cum omnibus suis rationibus enucleatam, observet Tr.* 16. *n.* 18.).

5. Quaeritur 1. Quae requirantur ad essentiam Sacramenti? Tria requiruntur, materia, forma et intentio. *Materia* est res corporea et sensibilis, quae suscipienti applicatur, v. g. aqua, chrisma, oleum sanctum, etc. Et haec est materia *remota*, nam *proxima* est ipsa applicatio materiae, ut ablutio, unctio, etc.

6. *Forma* sunt verba prolata a ministro. Ut autem Sacramentum valeat, requiritur connexio, sive simultas materiae et formae, scilicet ut materia applicetur antequam prolatio formae terminetur, vel postquam prolatio formae sit incoepta. Sententia autem quod sufficiat applicare materiam immediate ante vel post prolationem formae, est tantum probabilis, non autem moraliter certa, uti requiritur, ubi agitur de valore Sacramenti, ex propos. 1. damn. ad Innoc. XI., ideoque non est practice probabilis. Excipiuntur tamen Sacramenta Poenitentiae et matrimonii, quae valent etiamsi interponatur aliqua mora inter materiam et formam (8).

7. Si mutetur substantialiter materia, nempe applicetur vinum pro aqua, vel mutetur forma, nempe si verba non habeant eumdem sensum, puta dicendo, *Te aspergo*, pro *Te baptizo*, invalidum est Sacramentum.

(1) lib. 6. n. 4. (2) n. 90. ad 94.
(3) n. 192. (4) in 3. p. q. 72. a 1. ad et a. 8. ad 4. (5) l. 6. n. 181.
(6) n. 733. v. quaeritur. (7) n. 6. et 83.
(8) n. 9. et ib. v. in poenit.

Secus si mutatio est accidentalis, scilicet si aqua sit calida, aut decocta, aut si dicas: *Ego te baptizo in nomine Patrias et filias etc.*, ut habetur ex *c. Retulerunt de Consecr. dist.* 4. Vel *in nomine patris omnipotentis etc.* Sic tamen mutans non excusaretur a peccato gravi (1).

8. In casu necessitatis, vel magnae utilitatis, bene possunt conferri sub conditione (saltem mente retenta) Sacramenta, non solum characterem imprimentia, ut est certum ex *c.* 2. *de Bapt.*, sed etiam alia, si non possit haberi materia nisi dubia; ita Suarez Castrop. Habert. Bon. Roncagl. Salm. et alii communiter, contra Iuvenin. et Antoine (2). An autem minister possit uti materia, aut forma dubia, si ad id cogatur metu mortis? probabiliter potest, nisi cogatur in contemptum religionis; ita Sanchez Coninch. Si in materia propria misceatur extranea in maiori, vel aequali parte, materia est inepta; secus si in minori; ita s. Thoma (3). Interruptio formae si est modica, non officit valori Sacramenti. Secus si talis sit, ut verba non constituant unum sensum (4). Non licet autem formam repetere, nisi adsit probabile dubium, quod forma invalide fuerit prolata (5). Alii dicunt aliquas Sacramentorum materias et formas fuisse a Christo in genere determinatas et relictas Ecclesiae, ut ipsa in particulari determinaret. Sed probabilius alii docent omnes fuisse a Christo determinatas in substantia. Unde si aliqua invenitur inter novam et priscam Ecclesiae consuetudinem differentia circa materias et formas, mutatio illa censetur tantum accidentalis (6). (*Vide hanc quaestionem ad trutinam revocatam Tr.* 17. *n.* 15).

9. Demum ad essentiam Sacramenti requiritur *intentio* ministri, et quidem actualis, vel saltem virtualis. Intentio *actualis* est ea, quae actu habetur; *virtualis* autem, quae permanet in virtute actionis, quam minister exequitur ex intentione actuali prius habita; ad differentiam intentionis *habitualis*, quae aliquando est habita, et non est retractata (7). Haec autem habitualis non sufficit in ministro, sed bene sufficit in suscipientibus Sacramenta; atque in necessitate, etiamsi ipsi sint dormientes, aut ebrii, aut ceciderint in amentiam postquam iam habuerint intentionem illa suscipiendi, ut communissime docent Lugo Castropal. Salm. et alii plures cum d. Thoma (8), et patet ex *c. Maiores*, §. *Verum, de Baptis.*, et etiam ex *Instruct. de Bapt*, data a Benedicto XIV. incipiente *Postremo mense* (*in Bull. tom.* 2. *num.* 46. *Edit. Mechl. tom.* 5. *p.* 6.). Imo quoad Extremam Unctionem et etiam Confirmationem satis est pro suscipientibus adhuc *interpretativa*, id est ea quam suscipiens non habet tunc, nec unquam habuit, sed haberet si rem adverteret (9).

10. Quaeritur 2. quis sit minister Sacramentorum? Quoad Ordinem solus Episcopus est minister (10) et quoad confirmationem ipse est minister ordinarius, nam extraordinarii possunt esse etiam simplices sacerdotes (11). Aliorum autem Sacramentorum solus sacerdos est minister, excepto matrimonio (12), et etiam Baptismo in necessitate; in ea enim possunt etiam laici, et adhuc haeretici baptizare (13).

11. Ad valide autem ministranda Sacramenta, non est opus, ut minister sit in gratia, nam pecatores etiam valide ministrant. Non vero haeretici, nec excommunicati vitandi respectu ad Sacramentum Poenitentiae. Vide dicta *Tr.* 16. *n.* 92. Ad licite tamen ministrandum requiritur status gratiae; sed in extrema necessitate, si minister non posset tam cito con-

(1) l. 6. n. 11. (2) n. 28. et 29.
(3) 3. p. q. 74. a. 3. ad 3. (4) l. 6. n. 11. ad 3. (5) n. 224.
(6) n. 12. (7) n. 15.

(8) in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. et q. 3. ad 2.
(9) l. 6. n. 81. et 82. (10) n. 761.
(11) n. 173. (12) n. 897. (13) n. 113

fiteri, probabiliter a culpa excusatur si ministrat; ita Sot. Suar. Tolet. Caiet. Armil. Valent. Anacl. (1). Nunquam autem excusatur parochus, aut oeconomus: hi enim debent esse semper parati ad ministrandum. Celebrans autem in mortali quatuor mortalia committit, 1. quia indigne consecrat, 2. quia indigne sumit, 3. quia indigne ministrat, et 4. quia ministrat indigno, qui est ipse idem (2).

12. Quaeritur, an peccet graviter qui existens in mortali ministrat Sacramentum in necessitate, si ad illud non est ordinatus, ut laicus matrimonium contrahens, aut baptizans; vel si est ordinatus, sed ministrat non solemniter? Alii probabiliter negant, ut Conc. Tourn. Nat. Alex. et alii ex d. Thoma (3); sed probabilius affirmant Contin. Tour. La-Croix Antoine Lug. Pont. Vasq. Nav. etc., quia semper Sancta sancte tractanda sunt (4). Minister autem solemniter ministraturus Sacramenta, si est in mortali, sufficit, ut eliciat certum actum contritionis (5); celebraturus vero Missam, debet confessionem praemittere: excepto casu quo ex necessitate ex una parte deberet celebrare, et ex alia non adesset copia confessarii, sed tunc post celebrationem debet quamprimum confiteri, ut praecipit Trid. *Sess.* 13. *cap.* 7. *de Euch.* (6). Vide dicta *de Euch. Tr.* 15. *ex n.* 22.

13. Confessarius tantum audiens confessionem in mortali, probabilius est cum Lugo Spor. Salmant. Elbel. Croix et aliis, quod non peccet graviter, quia non conficit Sacramentum. Si vero absolvit plures poenitentes, etiam successive, in statu peccati mortalis, plura mortalia committit, quia plura Sacramenta distincta ministrat (7). Sacerdos item, aut diaconus ministrans Eucharistiam in mortali, mortaliter peccat, quia proxime concurrit ad sanctificationem communicantium; ita tenendum cum pluribus, contra alios (8). Celebrans autem in mortali, si pluribus Eucharistiam ministrat, probabilius unum mortale committit, quia ministratio illa, et Communio est unica actio moralis, unicumque convivium (9).

14. Diaconi et subdiaconi, si ministrant in altari existentes in mortali, iuxta plures probabiliter peccant graviter; sed iuxta communiorem sententiam, et satis probabilem id negatur; quia non conficiunt, nec ministrant Sacramentum, nec exercent functiones proxime ordinatas ad sanctificationem animae (10). Concionator item qui praedicat in mortali, non peccat graviter, ut communius et probabilius docent Gonet Lugo Castrop. Bon. Vasq. Salm. Croix et alii (contra Merbes. Iuvenin. etc.); non enim exercet ordinem, sed officium annexum Ordini, quod per se non causat gratiam ut causant Sacramenta (11).

15. Peccat graviter minister, si dat Sacramentum indigno petenti occulte secus autem si ille sit peccator occultus, et publice petat (12). Notandum vero, quod Episcopus etiam ob occulta peccata potest denegare alicui collationem Ordinis, licet publice ille petat, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 1. *de Reform.* ubi dicitur teneri clericum obedire Praelato vetanti susceptionem Ordinis propter occultum crimen. Nec tenetur tunc Episcopus causam manifestare, cur repellat Ordinandum, ut pluries declaravit S. C. Concilii (13). An autem confessarius possit absolvere Ordinandum recidivum in culpis gravibus, qui vult sacrum suscipere Ordinem sine praevia probatione, vide dicta *Tract.* 7. *ex n.* 48. *et Tr. ult. n.* 16. *et* 17.

16. Non licet ministro etiam ob metum mortis simulare administrationem Sacramenti, ex prop. 29.

(1) vide l. 6. n. 33. et Cabrin. Luc. Moral. p. 2. tr. 41. n. 56. (2) n. 35. v. hinc. (3) 3. p. q. 64. a. 6. ad 3. (4) l. 6. n. 32. (5) n. 34. (6) n. 255. (7) l. 5. n. 50. quaer. 6. (8) l. 6. n. 35. (9) ibid.

(10) n. 37. et 38.* (11) n. 40. v. quaeritur autem. (12) n. 43. ad 51. (13) n. 52.

proscripta ab Innoc. XI. Tunc autem censetur minister simulare administrationem, cum profert formam sine intentione, aut aliquid aliud pronuntiat, ad hoc, ut alii credant ipsum iam conferre Sacramentum; unde alias licite potest confessarius aliquam recitare orationem super poenitente indisposito, non iam, ut alii credant, absolutionem illi ministrari, sed tantum ad occultandam absolutionis negationem: tunc enim non simulat Sacramenti administrationem, sed tantum veritatem occultat (1). Praeterea ait Card. bene posse confessarium, cum poenitens minatur ei mortem si non absolvat, dicere, *Ego te non absolvo*, submisse pronuntiando verbum *non*, quia haec non est restrictio pure mentalis (ut obiicit Viva), dum confessarius non tenetur efficere, ut poenitens audiat verba absolutionis; et ideo non habet ille ius, ut confessarius omnia verba formae intelligibiliter proferat (2).

17. Sicut autem non licet ministro simulare Sacramenti administrationem, ita nec etiam alii Sacramenti susceptionem, ut dicunt Card. Croix et Gormaz. Hoc tamen non prohibet, quominus liceat alicui accedere ad confessionarium, ibique genuflectere ad aliquod negotium agendum. Praeterea aiunt communiter Sanch. Conc. Castrop. Carden. Viva Croix, aliique plures, contra Milante, quod si aliquis sponsorum cogitur contrahere per iniustum metum, vel habens impedimentum dirimens, ad evitandum scandalum, tunc poterit ille, (saltem sine gravi culpa) simulare celebrationem matrimonii; tunc enim, deficiente consensu, deficit contractus, et deficiente contractu, nec etiam existit Sacramentum (3).

18. Minister invalide ministrat Sacramentum, si non intendat facere per actum externum quod facit Ecclesia, ritumque sacramentalem adhibere quem intendit Ecclesia, a Christo instituta; et hoc etiamsi minister, non ioco (ut adhuc insipienter admittebat Lutherus), sed serio ministret, ut probavimus *Tr.* 14. *n.* 2. et vide in Morali (4) Si vero id iam intendat, valide ministrat, etiamsi non habeat intentionem explicitam conferendi Sacramentum. Dico *non habeat intentionem explicitam*; nam si positive haberet intentionem non conferendi Sacramentum, tunc neque conferret, quia tunc revera nullam haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia (5). Sacerdos autem conficiens Sacramentalia, puta aquam benedictam, in mortali, non peccat graviter (6).

19. Quaeritur 3. quid requiritur, ut quis valide et licite Sacramenta suscipiat? Ut valide suscipiat requiritur 1. Ut sit baptizatus, nam alias non est capax aliorum Sacramentorum. 2. Excepto Sacramento Baptismi pro quo nulla requiritur intentio in pueris, et perpetuo amentibus, cum in eis suppleat intentio Ecclesiae; in aliis vero Sacramentis opus est ut suscipiens saltem habuerit prius intentionem (quae dicitur habitualis) suscipiendi Sacramentum, et eam non revocaverit, ut supra diximus *n.* 9. Hinc si quis ordinetur per vim, invalide ordinaretur; secus si per metum, quia metus non tollit voluntarium. Probabilissimum est, quod Sacramenta in periculo mortis licite conferri possunt tam ebriis, quam lapsis in amentiam, si prius intentionem habuerint illa suscipiendi; ita Lugo Castropal. Salm. Croix Cardin. Lambertinus, etc. ex d. Th. et *cap. Maiores*, § *Verum de Bapt.* (7). Sufficit etiam tempore mortis intentio interpretativa in suscipiente sensibus destituto quoad Sacramenta Extremae-Unctionis, ut habetur ex Rituali, et etiam Confirmationis et Eucharistiae, ut aiunt Lugo Coninc. Sporer Croix etc., non vero quoad Baptismum et Ordinem; et tanto minus quoad Poenitentiam, et matri-

(1) l. 6. n. 59. (2) ib. v. e converso.
(3) n. 60. (4) n. 20 ad 24 (5) ib. n. 22
(6) n. 40. (7) n. 81. v. utrum.

monium, in quibus omnino requiritur intentio actualis, aut saltem virtualis (1). Ut licite autem quis suscipiat Sacramenta, requiritur conveniens dispositio, nempe status gratiae, unde si quis est in mortali, debet saltem esse contritus cum proposito confitendi. Imo ad recipiendam Eucharistiam requiritur praevia confessio; nisi necessitas urgeat, et non adsit copia confessarii, quo casu debet sacerdos qui celebravit (ut diximus *n.* 12.) quamprimum confiteri, ex Trid. *sess.* 13. *c.* 7. *de Euch.* Necessitas autem erit 1. ob dandum Viaticum. 2. Ob vitandam infamiam aut scandalum. 3. Si ille est parochus et occurrat festum de praecepto. 4. Si celebrans post consecrationem recordetur mortalis culpae (2). Insuper advertendum quod suscipiens Sacramentum Poenitentiae sine dispositione, non solum illicite, sed etiam invalide suscipit, dum contritio poenitentis est etiam materia huius Sacramenti. Respectu vero ad alia Sacramenta, si quis indispositus ea suscipit, valide suscipit; ita ut recedente fictione, sive obice peccati, illa reviviscunt; id est gratiam causant ut docent plures ex d. Thoma (3).

20. Quaeritur IV. an liceat petere Sacramenta a ministro peccatore, vel excommunicato? Non licet a peccatore (quamvis sit parochus, quidquid aliqui dicant), nisi adsit iusta causa; sufficit autem gravis utilitas (4), ut communissime docent Suar. Sanch. Scot. Pal. Tol. Anacl. Holzm. Salm., etc. Hinc dicunt licite peti, 1. si urgeat praeceptum confessionis, aut Communionis, aut Missae, aut si occurrat indulgentia lucranda. 2. Si alias carere debeas iubilaeo. 3. Si maneres alias in mortali, etiam per horam, ut dicunt Suar. et Escob. 4. Si diu carere debeas fructu Communionis, aut confessionis, etc. Absolute vero sine alia causa licet recipere Sacramentum ab excommunicato, si sit toleratus, quia absolute concessum est a Concilio Constantiensi fidelibus posse communicare cum toleratis (5). A vitando autem nec etiam in morte licet suscipere Poenitentiam, quia (ut diximus *n.* 11.) vitandus etiam in extrema necessitate invalide eam ministrat.

21. Quaeritur V. an possit dari pecunia pro administratione Sacramenti, si minister nolit dare gratis? Videtur negare s. Thomas (6), dum tradit quod adultus neque in articulo mortis potest aliquid ministrare pro obtinendo Baptismo, dicens tunc ei sufficere ad salutem Baptismum flaminis. Sed quaecumque sit intelligentia huius doctrinae angelici doctoris, communiter Bon. Salm. et Ronc. (7) cum Suar. Less. Sanch. Laym. Castr. et aliis affirmant posse dari pecuniam in extrema, et etiam in gravi necessitate Sacramenti. Ratio, quia ex una parte traditio pecuniae non est intrinsece mala, ipsa enim est cooperatio materialis, non formalis, cum non cooperetur pravae voluntati ministri, iuxta dicta *Tr.* 4. *n.* 31. *et* 32. ex alia ipse suscipiens non committit simoniam, cum non tradat pecuniam ad emendum Sacramentum, sed tantum ad redimendam vexationem ministri Sacramentum iniuste denegantis; et ideo dat temporale pro re mere temporali: tantoque magis id currit, si suscipiens est fidelis, quia tunc habet ius ad Sacramentum, dum idem d. Thomas (8) docet, post ius quaesitum licere cuivis dare pecuniam ad tollendum iniustum impedimentum. Idque admittunt Suarez Filliuc. et Croix, non solum pro obtinendo Baptismo et Poenitentia, sed etiam Viatico; et Bonacina extendit etiam ad Extremam-Unctionem.

22. De *effectu* Sacramentorum. Duplex est Sacramentorum effectus, col-

(1) l. 6. n. 82. (2) n. 255. (3) n. 87.
(4) n. 89. (5) n. 88.
(6) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 1.
(7) Bon. de Sim. d. 1. q. 4. §. 1. n. 2. Salm. tr. 19. eod. tit. c. 2. n. 12. Ronc. eod. tit. p. 211. in Praec. n. 3.
(8) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5.

latio gratiae, et impressio characteris. Primus ergo effectus est gratia: duplex autem gratia confertur in Sacramentis, gratia *sanctificans*, nempe quae reddit hominem amicum Dei; et gratia *sacramentalis*, quae est propria et peculiaris uniuscuiusque Sacramenti, ad causandum effectum proprium Sacramenti illius, nempe Baptismi, ad abluendum a culpis; Confirmationis, ad roborandum in Fide; Eucharistiae, ad reficiendam animam; Poenitentiae, ad delenda peccata; Extremae-Unctionis, ad vim conferendam adversus daemonum tentationes, in extremo agone: Ordinis ad conferenda auxilia, ut ordinatus recte sua munia exerceat; et matrimonii, ut coniuges illius onera et obligationes bene sustineantetadimpleant.

23. Sacramenta in suscipiente disposito causant gratiam *ex opere operato*, id est ex se, non *ex opere operantis*, scilicet ex merito suscipientis. An autem causent physice, ita ut materia Sacramenti, nempe aqua, oleum, etc. licet sit causa tantum naturalis, elevetur tamen a Deo ad causandam gratiam, uti docet divus Thomas? Vel tantum moraliter, ita ut, posito Sacramento, Deus per se conferat gratiam, ut vult Scotus? Utraque sententia est probabilis (1). Sacramenta autem mortuorum, ut Baptismus et Poenitentia, per se habent causare primam gratiam. Alia vero Sacramenta, quae sunt vivorum, tantum augmentum gratiae causant; sed aliquando in attritis, qui reputant se contritos, causant etiam primam gratiam, ut docet d. Thomas de Eucharistia et de Extrema-Unctione, et sequuntur Gonet Concina Ronc. Suar. Bon. Salm. etc. (2).

24. Alter effectus Sacramentorum est character. Character autem est *quoddam signaculum spirituale indelebile, impressum in anima suscipientis Sacramentum*. Illud imprimitur tantum in Baptismo, Confirmatione, et Ordine; et significat potestatem, sive dignitatem ex huiusmodi Sacramentis susceptam: in Baptismo enim est signum *ovium* Christi, quo fideles efficiuntur idonei ad alia Sacramenta recipienda; in Confirmatione est signum *militum* Christi, quo vim accipiunt ad Fidem constanter profitendam; in Ordine est signum *ministrorum* Christi, quo potestatem acquirunt ad Sacramenta fidelibus ministranda. Imprimitur autem character etiam in Sacramento illicite suscepto, nec amittitur per peccatum. Notandum insuper, quod ex Baptismo et Confirmatione oritur alius effectus, nempe impedimentum cognationis spiritualis, quae dirimit matrimonium inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem. Item inter susceptorem (sive patrinum) et susceptum, susceptique patrem et matrem.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO ORDINIS IN GENERE.

25. Ordo est, iuxta d. Thomam,

(1) lib. 6. n. 7. (2) n. 6.

signaculum Ecclesiae, *quo traditur ordinato potestas spiritualis*. Est de fide Ordinem esse Sacramentum, ut patet ex Trid. *sess.* 23. *can.* 3. Nam in Ordine iam reperiuntur tria requisita ad Sacramentum, nempe signum externum, quod est impositio manuum: institutio Christi, prout habetur ex Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: et promissio gratiae, ut habetur ex apost. 2. *Tim.* 1. 6. *Admoneo te*, *ut resuscites gratiam*, *quae in te est per impositionem manuum mearum*.

26. Differt autem Ordo ab ordinatione. *Ordo* est ipsa potestas tradita: *ordinatio* vero est actio, qua Episcopus potestatem tradit. Unde presbyteratus est Sacramentum in fieri, scilicet in actu ordinationis, non autem in facto esse, scilicet cum quis iam ordinatus est.

27. Septem sunt Ordines, alii minores, alii maiores. Minores sunt quatuor, nempe *ostiariatus*, *lectoratus*, *exorcistatus*, *et acolythatus*. Maiores sunt tres, nempe *subdiaconatus*, *diaconatus*, *et presbyteratus*. Praeter hos probabiliter plures dd. addunt Ordinem episcopatus, et ita quidem valde probabiliter et communius tenent Bellarm. Sanch. Habert Tourn. etc.; cum ipse rationabiliter distinguatur a presbyteratu propter distinctam potestatem, quae traditur Episcopo conferendi aliis potestatem consecrandi corpus Christi, et absolvendi fideles a peccatis (1).

28. Quaeritur 1. an singuli Ordines sint Sacramenta? Quod sacerdotium sit Sacramentum, est de Fide. Quod etiam diaconatus Sacramentum sit, est certum, sed non de Fide. Quod alii autem Ordines sint adhuc Sacramenta, satis probabile est ex d. Thoma, cum unicuique Ordini assignata videtur materia et forma. Omnes autem septem Ordines (iuxta hanc sententiam) unum tantum Sacramentum constituunt ex unitate finis, cum singuli sint ordinati ad unum Missae Sacrificium conficiendum; et omnes supponuntur instituti a Christo illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. In ordine enim sacerdotii alii vel continentur eminenter, ut sunt Ordines inferiores, vel consequenter respectu ad episcopatum. Verumtamen probabilius est alios ordines (praeter presbyteratum et diaconatum, ut diximus) non esse Sacramenta; quia deest in illis materia, nempe impositio manuum, quam (ut mox dicemus) probabilius est esse unicam materiam Ordinis, deestque etiam forma, quae exprimat productionem gratiae, dum in collatione praefatorum Ordinum non fit mentio gratiae, sed tantum potestatis quae traditur (2). De hac quaestione fusius dictum est Tr. 17. *n.* 14.

29. Quaeritur 2. Quaenam est materia et forma Ordinis? Tres sunt sententiae: 1. tenet materiam Ordinis esse solam traditionem instrumentorum: sed haec non est satis probabilis. 2. Tenet materiam proximam esse duplicem integralem, scilicet traditionem instrumentorum, qua traditur potestas super Corpus reale Iesu Christi ad sacrificandum, cum forma: *Accipe potestatem*, *etc.*, et impositionem manuum, qua traditur potestas super corpus mysticum ad peccata absolvenda, cum forma: *Accipe Spiritum sanctum*, *etc.* Materia autem remota (iuxta hanc sententiam) sunt manus Episcopi, et instrumenta quae ad tangendum ab eo traduntur. 3. Probabilior tenet materiam unice esse impositionem manuum formamque esse orationem quam profert Episcopus (Quomodo hoc probatur, vide quae dicta sunt *in cit. Tr.* 17. *n.* 16.). Attamen quia secunda sententia est etiam probabilis, nempe duplicem esse materiam Ordinis, scilicet impositionem manuum et traditionem instrumentorum, ipsa omnino in praxi sequenda est. Unde necessario requiritur in ordinatione tactus instrumentorum, et tactus quidem physicus, cum probabile etiam

(1) vide l. 6. n. 738. (2) n. 736. et 737.

sit moralem non sufficere; sufficit vero tangere cum sola manu, vel digito (1). Non oportet autem (diximus *n*. 6.) ut contactus fiat a principio prolationis formae usque ad finem; sed sufficit si fiat antequam forma terminetur, vel postquam illa sit incoepta. Forma autem sunt verba quae profert Episcopus ordinans, cum manus imponit, et instrumenta tradit, ut supra dictum est. Sedulo hic rursus notandum 1. quod in ordine sacro conferendo materia tradenda est ab eodem Episcopo, qui formam profert; secus in collatione Ordinum minorum; ita d. Thom. (2) et alii. Notandum 2. quod si conferantur Ordines ab uno Episcopo, alio tamen celebrante, ordinatio erit valida, sed illicita, ut declaravit Innoc. XIII. apud Benedict. XIV. (3).

30. Quaeritur 3. Quis sit minister Ordinis? Minister ordinarius huius Sacramenti est tantum Episcopus. Potest vero Pontifex simplici sacerdoti potestatem impertiri conferendi Ordines minores, prout eam habent Abbates mitrati, sed habent pro suis subditis tantum regularibus professis, vel novitiis, non autem pro saecularibus, ut hodie certum est ex Decreto S. C. Concilii approbato ab Urbano VIII. Qui iussit illud *inviolabiliter observari, reprobata omni contraria opinione* (4); vide dicta *in Tr.* 20. *de Privil. n.* 117. Saeculares autem ab Abbatibus ordinati, si sint eis subditi, vel habeant dimissoriales litteras a propriis Ordinariis ad ipsos, illicite quidem ordinantur, et suspensionem incurrunt; sed valide ordinantur, ut declaravit S. C. Vide dicta *eod. Tr.* 20. *n.* 120.

31. Quaeritur 4. quinam sint effectus Ordinis? Sunt tres, 1. collatio gratiae *sanctificantis*, scilicet quae confertur in omni Sacramento, ut diximus *n.* 22., et gratiae *sacramentalis*, nempe specialis auxilii ad Ordinem bene exercendum. 2. Collatio potestatis exercendi functiones Ordinis, qui suscipitur. 3. Impressio characteris indelebilis, ob quod nullius Ordinis collatio iterari potest.

32. Quaeritur 5. quae requirantur, ut quis valide et licite ordinetur? Ut valide ordinetur, requiritur, 1. ut sit viator. 2. Ut sit mas; foeminae enim non sunt capaces Sacramenti Ordinis. 3. Ut sit baptizatus. 4. Ut habeat intentionem saltem habitualem (iuxta *n.* 9.) suscipiendi Ordinem.

33. Ut autem licite ordinetur, requiritur, 1. ut sit *confirmatus*: sed hoc non sub praecepto gravi, ut vult communis sententia (5). Quoad obligationem vero cuiusque fidelis suscipiendi Confirmationem, vide dicta *Tract.* 14. *n.* 47. *in fin.* 2. Non sit neophytus, aut infamis, aut irregularis. Dubitatur hic, an aliquis irregularitate irretitus valide ordinetur, si Episcopus protestationem praemittat (ut consuetum est) nolle ordinare irregulares, excommunicatos, etc.? Respondeo, in dubio (quicquid alii dicant) omnino dicendum, quod ordinatio repetenda est; nisi constet Episcopum verba illa protulisse tantum ad terrorem, ac suam intentionem protestationi minime alligasse (6). 3. Requiritur *animus clericandi*, ut praescribitur in Trid. *sess.* 23. *cap.* 4., scilicet ascendendi ad Ordines superiores. Hoc tamen intelligendum procedere, cum quis acceptat beneficium ad quod requiritur sacerdotium, vel alius Ordo sacer (7). 4. Requiritur, ut *quisque ordinetur a proprio Episcopo*, vel ab alio, sed cum litteris dimissorialibus Episcopi proprii, si hic est impeditus ex infirmitate, aut alia iusta causa. Capitulum vero Sede vacante hodie (quicquid fuerit antiquitus) nequit dare alicui dimissorias, nisi ille sit arctatus ad Ordinem suscipiendum ob aliquod beneficium requirens obsequium personale (8).

34. Proprius autem Episcopus di-

(1) lib. 6. n. 739. (2) suppl. q. 38. a. 1. ad 2. (3) de Syn. l. 8. c. 11. n. 6. et 7. (4) lib. 6. n. 761. 763. et 764.

(5) n. 786. (6) n. 784. v. quaer. hic. (7) n. 785. (8) n. 788.

citur vel ratione originis, vel domicilii, vel beneficii, ac familiaritatis. Et 1. debent Ordines suscipi ab Episcopo *originis*, si ordinandus in eius dioecesi natus est, et parentes tempore nativitatis ibidem domicilium habuerint; nam si casu alicubi natus esset, et parentes alibi domicilium habuerint, tunc dicitur *oriundus*, et ordinari debet ab Episcopo loci, ubi parentes domicilium habent. 2. Ratione *domicilii* bene ordinatur, qui in aliquo loco habitationem suam constituit, cum animo ibi perpetuo manendi. Hic autem animus probatur vel per habitationem decennii, vel per aedificationem domus cum asportatione maioris partis bonorum, degendo ibi simul per aliquod notabile tempus, ut habetur in Bulla *Speculatores* (1). 3. Ratione *beneficii*, licet aliquis alibi natus fuerit, et domicilium habeat, bene potest ordinari ab Episcopo, in cuius dioecesi beneficium sufficiens ac congruam sustentationem possidet, obtentis tamen litteris testimonialibus ab Episcopo domicilii; a quo tamen potest examinari, si illuc reversurus est, ex Bulla *Apostolici min.* Sed hic advertendum, quod ut quis possit ordinari ab Episcopo beneficii, debet esse saltem tonsuratus, alias non est capax beneficii; et ideo neque habilis ad Ordines ab illo Episcopo suscipiendos. 4. Denique ratione *familiaritatis*, si quis per triennium in familia, vel servitio assiduo alicuius Episcopi permanserit, vivendo eiusdem Episcopi expensis, etiamsi non habitet in illius aedibus, potest ab illo ordinari: modo degat in loco ubi est Episcopus, vel prope; et modo Episcopus statim ei conferat verum beneficium; non enim sufficit, si assignet pensionem, aut patrimonium (2).

Regulares autem ordinandi sunt ab Episcopo loci ubi morantur de familia, si Episcopus ordinationem habeat temporibus statutis; alias a quocumque Episcopo ordinari possunt. Vide circa hoc dicta *Tr.* 20. *n.* 113.

35. V. Requiritur *scientia* Ordini suscipiendo conveniens. Concilium Tridentinum pro initiandis ad primam tonsuram tantum requirit, ut ipsi *edocti fuerint rudimenta Fidei, et sciant legere et scribere*, *sess.* 23. *cap.* 4. Pro initiandis ad Ordines minores, *ut linguam latinam intelligant*, *loc. cit. c.* 11. Pro initiandis ad subdiaconatum et diaconatum, *ut sint litteris, et iis, quae ad Ordinem exercendum pertinent, instructi*, *cap.* 13. Demum pro initiandis ad sacerdotium, *ut ipsi ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur*; *idem Trid. cap.* 14. Notent ordinandi et ordinantes verba illa, *ad ministranda Sacramenta*; ideo enim dicunt dd. quod initiandi ad sacerdotium scire debent non solum quae pertinent ad Baptismum, Eucharistiam, etc., sed etiam ad Poenitentiam: nam licet presbyterandus non indigeat tanta scientia, qua indiget confessarius approbatus, debet tamen saltem scire universalia principia moralia, quibus solvere possit dubia communiter occurrentia in casu necessitatis, quo teneatur moribundi confessionem excipere; et specialiter omnino scire tenetur, quomodo se gerere debeat cum fidelibus morti proximis, nempe 1. Quando possunt eos absolvere, etiam in praesentia confessarii approbati? 2. Quando absolute, et quando conditionate? 3. An non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis, et in quali periculo? 4. Quid debeat imponere infirmo, si habeat casus vel censuras reservatas? Vide quae infra breviter super hac obligatione dicentur *n.* 130. Caeterum bene potest Episcopus a suis maiorem scientiam, quam requirit Concilium, requirere (3).

36. Verum in Regularibus addictis ad vitam contemplativam, vel

(1) lib. 6. n. 770. v. 5. ille.
(2) ibid. v. 6. ut.
(3) n. 792. v. advertend. 2

tantum ad chorum et altare, vel sacristiam, minor scientia requiritur, modo sciant praestare quae pertinent ad Ordinis exercitium; et ideo saltem in Grammatica debent esse edocti, alias erunt irregulares, etiam de iure divino, ita ut nec Papa posset cum eis dispensare. Haec tamen irregularitas, sublata causa ignorantiae, absque dispensatione de se aufertur (1).

37. 6. Requiritur *titulus sustentationis*, aliter Episcopus Ordinem, vel dimissorias tribuens, tenetur ipse ordinatum alere, usquedum ille titulum habeat; ita ex *cap. Cum secundum, de Praeb.* et *cap. Recipimus, de aetate et qualit. etc.* Id tamen intelligendum, nisi Episcopus inculpabiliter deceptus fuerit, vel nisi ordinatus iam aliunde habeat unde vivere possit (2).

38. Titulus autem sustentationis triplex esse potest, paupertatis, beneficii, et patrimonii. Titulo *paupertatis*, soli Regulares professi ordinari valent. Saeculares vero ordinari debent ad titulum *beneficii*, quod sit certum de praesenti, et sufficiens ad congruam sustentationem, iuxta taxam dioecesis, originis, vel beneficii, si beneficium requirat residentiam (3). Nota quod S. C. die 17. iulii 1723. remisit arbitrio Episcopi, si detrahenda sint, an non, onera Missarum ex beneficio, vel capellania (4). Ad titulum vero *patrimonii* tantum pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum possunt Episcopi ordinare saeculares, ut praescribit Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *de Ref.* Patrimonium autem constitui debet super re certa et stabili, ac de sua natura frugifera, pacifice possessa, et libera ab omni onere. Sufficit etiam census perpetuus, quamvis sit redimibilis (5).

39. Hic autem dubitatur 1. an incurrat suspensionem, qui ordinatur cum patrimonio ficto? alii probabiliter negant: sed probabilius alii affirmant; idque certum est in dioecesi Neapolitana (6). Dubitatur 2. an iuxta praedictam probabiliorem sententiam incurrat etiam suspensionem qui ordinatur cum patrimonio vero donato, seu data antapoca, vel fide de reddendo illo donanti post ordinationem? Distinguo: si donans verum habuerit animum donandi, non incurrit; quia pactum illud de reddendo patrimonio tanquam nullum reiicitur, ut S. C. declaravit (dum S. C. insuper pluries declaravit quamcumque alienationem patrimonii sine licentia Episcopi esse invalidam). Secus si donans haud habuerit intentionem donandi, quia tunc donatarius nullum rei dominium adeptus est (7).

40. 7. Requiritur, *ut Ordo inferior ante superiorem suscipiatur*, alias qui per saltum ordinatur, suspensionem ipso facto incurrit ab exercitio Ordinis suscepti, donec Episcopus dispenset (8). 8. Ut ordo suscipiatur *tempore debito*. Ordines maiores possunt suscipi tantum in sabbatis quatuor temporum; sabbato ante dominicam Passionis et sabbato sancto. Minores vero possunt accipi in quolibet festo de praecepto, et etiam in feria sexta ante sabbatum generalis ordinationis, et feria quarta quatuor temporum, iuxta consuetudinem receptam. Attamen apud Ferrar. *Biblioth. tom.* 5. *verb. Ordo art.* 2. *n.* 7. affertur Decretum S. C. Concilii 13. apr. 1720. ubi dicitur: quoad Ordines minores, posse tolerari consuetudinem, si sit immemorabilis, quod ministrentur pridie die Veneris post prandium, sed expedire in hoc ut Episcopus se conformet Pontificali Romano. Qui autem ordinatur extra tempora, suspensionem ipso facto incurrit (9).

41. 9. Requiritur, ut Ordines suscipiantur per debita temporum *interstitia*. Et 1. inter Ordines minores

(1) lib. 6. n. 791. quaer. 2. et 3.
(2) n. 813. (3) n. 815. et 816.
(4) n. 774. (5) n. 817.

(6) n. 820. et 821. (7) n. 822. ad 824.
(8) n. 203. (9) n. 794.

requiritur aliquod intervallum: dicitur *aliquod*, quia illud minime determinatum est a Trid. in *sess.* 23. *cap.* 11. ubi etiam additur: *Nisi aliud Episcopo expedire magis videretur.* Potest tamen libere Episcopus primam tonsuram cum aliquo Ordine minore conferre. 2. Ut a minoribus ascendatur ad subdiaconatum, requiritur anni spatium: *Nisi necessitas, aut ecclesiae* (intelligitur cui ordinandus est adscriptus) *utilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat*: ut habetur in Trid. *loc. cit.* 3. Ut ascendatur a subdiaconatu ad diaconatum, requiritur etiam anni spatium, sed Episcopus in hoc ex quavis rationabili causa dispensare potest; nam in Trid. *cap.* 13. dicitur: *Nisi aliud Episcopo videatur.* 4. Denique, ut a diaconatu ascendatur ad sacerdotium, requiritur saltem anni intervallum: *Nisi ob ecclesiae utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur*, ut in Trid. *cap.* 14. Nota hic, *utilitatem, ac necessitatem*, intellige necessitatem moralem, nempe utilitatem notabilem, et certam propriae ecclesiae.

42. Hinc autem notandum 1. quod suscipiens duos Ordines sacros eodem die, suspensionem ipso facto ab ultimo Ordine suscepto, et insuper irregularitatem incurrit (1). Qui vero eodem die susciperet quatuor Ordines minores una cum subdiaconatu, graviter quidem peccaret, sed non incurreret suspensionem (2) Notandum 2. quod si quis ordinatur non servatis interstitiis, sed diversis diebus, et legitimis temporibus, peccat etiam graviter, sed probabilius suspensionem neque incurrit (3). Notandum 3. quod Regulares ex suis pontificiis privilegiis bene possunt extra tempora ordinari cum licentia suorum Praelatorum, iuxta dicta in *Tr.* 20. *de Privil. n.* 115. *et* 116. Debent tamen ordinari in festo de praecepto, ut probabilius dicendum (4). Notandum 4. quod si quis sacerdotium susciperet, omisso diaconatu, esset quidem valide ordinatus, sed non posset sacerdotio fungi, nisi prius diaconatum acciperet, ut habetur ex *cap. unico de Cleric. per salt.* Si quis autem episcopatum susciperet, non suscepto sacerdotio, invalide ordinaretur.

43. 10. Requiritur *locus* ordinationis, nempe ut ipsa fiat in ecclesia, et ut Episcopus resideat in propria dioecesi: nam si Episcopus in aliena ordinaret, ipse incurreret suspensionem a Pontificalibus, et ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti (5). 11. Requiritur *aetas debita*, quae pro prima tonsura debet esse septem annorum, et Neapoli saltem decem. Ordines minores regulariter conferri possunt ab anno 7. ad 14., subdiaconatus anno 22., diaconatus anno 23., sacerdotium anno 25., in Trid. *sess.* 23. *c.* 12. Aetas computatur, non a die Baptismi, sed nativitatis. Sufficit autem ut annus sit incoeptus, prout communis usus habet. Pro beneficiis simplicibus accipiendis sufficit annus 14. ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. sed si beneficium sit curatum, requiritur annus 25. ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. Pro canonicatu annus 22. Trid. *sess.* 24. *c.* 12., quamvis in collegiatis sufficiat annus 14. Pro episcopatu demum requiritur annus 30. (6).

44. Notandum autem, quod si quis scienter ordinatur ante legitimam aetatem, ipso facto perpetuam incurrit suspensionem, a qua absolvi nequit nisi a Papa, vel ab Episcopo, si fuerit occulta, ex *c. Liceat, Trid. sess.* 24. *c.* 6. (7). Diximus *scienter*, nam Pius II. hanc suspensionem imposuit tantum eis qui ex *temeritate* sic ordinantur: unde ignorantia crassa illos probabilius ab ea excusat, ita ut completa aetate bene poterunt Ordinem exercere (8). An autem qui ante aetatem suscipit sacerdotium, irregula-

(1) l. 6. n. 796. (2) n. 797. et ibid. dubit. 2. (3) n. 796. v. dubit. 2.
(4) 797. dubit. 4. (5) n. 79[illegible]. v. addo.

(6) n. 799. (7) cit. n. 799.
(8) ib. v. sed hic dubit. 1.

ritatem incurrat? Alii affirmant, quia (ut dicunt) neo-presbyter concelebrando cum Episcopo, vere consecrat: et ideo iam exercet Ordinem susceptum cum suspensione. Sed alii communius et valde probabiliter negant; quia aequum non videtur, ut quis eadem actione morali duplicem incurrat poenam, nempe suspensionem et irregularitatem; testaturque Suarez ex stylo Cancellariae huiusmodi ordinatos non censeri irregulares. Et idem dicendum de diaconis et subdiaconis: nisi in eadem Missa ordinationis Ordinem iam susceptum exerceant, quia tunc irregularitatem non effugiunt, saltem si ultro ad ministrandum se offerant in Missa ordinationis (1).

45. 12. Ut initiandus ad Ordinem superiorem ascendere possit, requiritur ut exercuerit Ordinem prius susceptum; sed iuxta Salm. (2) hoc non est de praecepto gravi. 13. Ultimo requiritur vocatio divina, ex illo apostoli: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Hebr.* 5. 4. Signa autem divinae vocationis sunt, 1. Scientia conveniens. 2. Intentio recta vacandi Deo animarumque saluti. 3. Probitas vitae, quae maxime requiritur ad veram vocationem agnoscendam, ex illo Tridentini: *Sciant tamen Episcopi... debere ad hos Ordines assumi dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit, sess.* 23. *cap.* 12. utque docet d. Thomas (3) dicens: *Non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens*, hanc rationem assignans: *Ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur, ita et superiores sint merito sanctitatis.* Hinc si quis absque his signis, et consequenter sine vocatione divina ascendit ad altare, nequit a gravi culpa excusari; tum ob gravem praesumptionem, qua non vocatus in sacrum ministerium se intrudit, ut ait s. Anselmus: *Qui enim se ingerit, et propriam gloriam quaerit, gratiae Dei rapinam facit, et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem*: tum ob magnum periculum damnationis, cui se exponit ut sapienter loquitur Episcopus Abelly: *Qui sciens, nulla divinae vocationis habita ratione, se in sacerdotium intruderet, haud dubie seipsum in apertum salutis discrimen iniiceret.* Et tanto magis graviter peccant Episcopi, qui tales ad Ordines admittunt, transgrediendo praeceptum illud apostoli: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. *Tim.* 5. 22. Quae verba exponens s. Leo *Epistola* 1. (*alias* 87.) *ad Afric.* 2. dixit: *Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari?* Ideo in *c. Nullus, dist.* 24. universe Episcopis praecipitur: *Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit.*

46. Refert hic autem una simul adnotare, quinam ex praedictis illegitime ordinatis suspensionem ipso facto incurrant. Incurrunt 1. qui ordinantur sine dimissoriis sui Ordinarii; vel sine eius litteris testimonialibus, cum ordinantur ab Episcopo beneficii. 2. Qui eodem die duos sacros Ordines suscipiunt. 3. Qui ordinantur extra tempora. 4. Qui ordinantur ab Episcopo manente in aliena dioecesi, sine licentia Episcopi loci. 5. Qui scienter ordinantur ante legitimam aetatem. 6. Qui ordinantur per saltum, omisso Ordine praecedenti. Adde ultimo loco, qui ordinatur per simoniam; hic enim manet ipso facto suspensus ab Ordine simoniace suscepto, et impeditur ab ascendendo ad superiores; id tamen non currit, si simonia ab alio sit commissa, ignorante ordinato (4).

(1) lib. 6. n. 799. dubit. 3.
(2) de Ord. c. 4. n. 74.
(3) suppl. q 35. a. 1. ad 3.
(4) vide lib. 3. n. 104.

CAPUT III.

DE ORDINIBUS IN SPECIE

Art. I. *De prima tonsura.*

47. Prima tonsura non est Ordo, sed praeparatio sive dispositio ad Ordines, cum nullum officium habeat circa ministerium altaris: ita communiter theologi cum d. Thoma (1). Et probatur ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. *de Ordine*, ubi tonsurae sumptio praecipitur, sicque dicitur: *Ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores* (Ordines) *ascenderent.* Ergo tonsura inter Ordines minime numeratur (2). Clericus significat *in sortem vocatus*, scilicet ad cultum Deo praestandum. Tonduntur ei capilli in modum coronae, ad significandam regiam dignitatem eorum, qui in sortem Domini vocantur. Tradit autem Catechismus Romanus sanctum Petrum primam tonsuram instituisse. Ut quis possit tonsurari, requiritur 1. ut sit mas: 2. ut sit confirmatus: 3. ut sciat legere et scribere, ac saltem Grammaticam praeter rudimenta Fidei: 4. ut habeat animum Deo inserviendi. Qui ordinatur sine tonsura, graviter quidem peccat contra praeceptum Tridentini, sed valide ordinatur; verum manet suspensus usque ad beneplacitum Episcopi. Qui autem aliquem Ordinem iam susceperit sine prima tonsura, non tenetur eam postea recipere, quia per Ordinem susceptum iam fuit factus idoneus ad alios suscipiendos.

48. Effectus, et privilegia tonsurati haec sunt: 1. Tonsuratus transfertur ad statum clericalem, unde acquirit privilegium fori, quo eximitur a iurisdictione fori laicalis; modo deferat habitum et tonsuram, ac alicui ecclesiae de mandato Episcopi inserviat, aut versetur in seminario, vel in aliqua schola de licentia Episcopi, ut habetur in Trid. *sess.* 23. c. 6. *de Reform.* 2. Acquirit etiam privilegium Canonis, ita ut percutientes ipsum iniuriose incurrant excommunicationem reservatam Papae, si percussio est gravis; Episcopo vero si levis. 3. Tonsuratus fit capax beneficii ecclesiastici, modo habeat 14. annos. 4. Fit capax etiam omnis iurisdictionis ecclesiasticae ad conferenda beneficia, ferendas censuras, et iudicandas causas spirituales.

49. Quaeritur hic, qualiter peccent, et quas incurrant poenas clerici habitum aut tonsuram non deferentes; et quando propter id privilegio fori et Canonis priventur? Clerici in minoribus, ut communiter dd. aiunt, non peccant graviter, si habitum et tonsuram non deferant; imo communius Sotus Nav. Arm. Castropal. Escob. Holzm., etc. ab omni culpa eos excusant, ex Bulla Sixti V. *Pastoralis*, an. 1588. 31. Ian. Nam ibi in tantum clerici declarantur teneri ad habitum deferendum, qui pensionem, aut alia bona ecclesiastica recipiunt, excedentia valorem annuum ducatorum 60. aureorum de Camera. Clerici autem beneficiati, aut in sacris constituti peccant quidem graviter si habitum dimittunt, ut communiter docent Sanch. Laym. Castrop. Bon. Salm. etc. (quicquid dicant Caiet. Escob. et Gob.) dum in Trid. *sess.* 14. *c.* 6. tales habitum non deferentes de temeritate arguuntur. Valde tamen probabiliter negant eos peccare omnes aa. praefati, si habitum dimittant ad breve tempus, aut ex causa iusta se occultandi, puta ad aliquod grave damnum vitandum. Id quoad culpam; quod autem ad poenas pertinet, in Concilio *l. c.* sic dicitur: *Si postquam ab Episcopo suo moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati*

(1) suppl. q. 40. art. 2

(2) vide lib. 6. n. 734.

congruentem, et iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum.... coerceri debeant. Ex quo patet has poenas esse tantum ferendae sententiae. Neque huic obstat Bulla Sixti V. *Cum sacrosancta*, edita die 9. Ian. 1588. ubi beneficiati non deferentes habitum ipso iure declarantur privati suis beneficiis, nam id dispositum fuit tantum pro Urbe Roma, et postquam mandatis sub certo termino ipsi non obedierint (1).

50. Id quod de habitu dicunt Sanchez Laym. Escob. et alii de tonsura, sive corona. Alii tamen, ut Castrop. Henriq. Renz., et Tamb. cum Marchino, clericum etiam in Sacris, aut beneficiatum tonsuram non deferentem non audent damnare de mortali, nisi eam ex contemptu omittat. Caeterum bene quidem ait La-Croix facilius excusandos eos qui tonsuram, quam qui habitum non deferunt; unde praefatus auctor nec sacerdotem tonsuram per 6. aut 8. hebdomadas non deferentem damnat de mortali (2).

51. Privantur autem beneficiati, sicut etiam ii qui in Sacris sunt constituti, habitum non deferentes, privilegio tam fori quam Canonis, si post tertiam monitionem illum non reassumunt, *ex cap. Contingit* 45. *de Sent. excomm.* (3). Simpliciter autem tonsurati, aut clerici tantum ad Ordines minores promoti sine beneficio, non peccant graviter, sed non gaudent privilegio fori, si actu habitum non deferant, nec ecclesiae inserviant, ut habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de Reform.* Gaudent vero semper ac habitum reassumunt, nisi hoc faciant in fraudem puta si fuerint in carcere iam coniecti pro criminalibus vel iam citati in foro laicali pro civilibus(4). Aliter tamen dicunt dd. de privilegio Canonis(5). An autem peccet qui tonsuram suscipit ad accipiendum beneficium, sine animo permanendi in statu clericali? V. opus nostrum morale (6), ubi dicitur suscipiens peccare, sed probabiliter tantum venialiter.

Hic iuvat adnotare id quod statutum habetur anno 1741, in Concordato inter sanctam Sedem et Carolum III. regem regnorum Neapolis et Siciliarum, circa ordinationem promovendorum ad statum ecclesiasticum. 1. *Niuno potrà esser da ora innanzi promosso alla Prima Tonsura se non che a titolo di Beneficio o Capellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi, ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sagro nella Diocesi del Promovendo.* 2. *Giudicando qualche Vescovo veramente utile, o necessario alla Chiesa, conferir la Prima Tonsura a qualche Giovane, benchè non abbia verun Beneficio, potrà farlo, ma nel solo caso che abbia il medesimo una Pensione Ecclesiastica perpetua della rendita che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sacro nella sua Diocesi, o l'intero Patrimonio; il quale, per evitare qualunque frode o inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente sopra beni stabili, o sopra annue rendite fisse; e dovrà regolarsi a tenore della tassa Sinodale di ciascuna Diocesi, purchè non sia esso Patrimonio nè in minor somma di ventiquattro ducati, nè in maggiore di quaranta.* 3. *Oltre al requisito del Beneficio, Capellania perpetua o Pensione Ecclesiastica perpetua, o dell'intiero Patrimonio, a niuno potrà conferirsi la Prima Tonsura, il quale dopo aver terminati dieci anni di sua età, non sia andato a dimorar almeno per un triennio in qualche Seminario o Convitto Ecclesiastico, e dove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre ann*

(1) l. 6. n. 825. (2) n. 826. (3) n. 827. (4) ibid. (5) ibid.

(6) vide l. 4. c. 113. v. dixi 1

l'Abito Clericale con licenza del proprio Ordinario, ed in tutto il triennio, o almeno per la maggior parte delle Feste di precetto di ciascun dei tre anni non abbia servito a qualche Chiesa nella maniera che gli sarà dal proprio Vescovo prescritta; computando questo servizio colla dimora, che avrebbe dovuto fare in qualche Seminario o Convitto Ecclesiastico, ec. Ultimo loco dicitur: *Chiunque sarà promosso alla Prima Tonsura, agli Ordini Minori, o agli Ordini sagri contro la forma prescritta nel presente regolamento, oltre alle pene di sopra accennate, rimarrà perpetuamente sospeso dall'esercizio dell'Ordine già conferitogli. E chi l'avrà così ordinato, o pure gli avrà a tal effetto concedute le Dimissorie, se sarà Vescovo, sarà sospeso per un anno dalla collazione degli Ordini e dall'esercizio de' Pontificali; e non essendo Vescovo, ma Prelato inferiore coll'uso dei Pontificali, sarà sospeso per sempre dall'esercizio de'medesimi; e non avendo l'uso di essi, come pure qualunque altra Persona costituita in dignità, per sempre sarà sospesa dall' esercizio dell' Officio e de' suoi Ordini.*

ART. II. *De Ordinibus minoribus.*

52. *Quot sint Ordines minores*
53. *Sect. I. De ostiariatu. Materia tradenda est ab ipso ordinante; et ab eo Missa celebranda.*
54. *Sect. II. De lectoratu.*
55. *Sect. III. De exorcistatu.*
56. *Sect. IV. De acolythatu.*

52. Ordines minores quatuor sunt: Ostiariatus, lectoratus, exorcistatus et acolythatus. Dicuntur ipsi *minores* propter minora officia, quae ab ordinatis exercentur circa Missam, aut in ecclesia.

Sectio I. *De ostiariatu.*

53. Ostiariatus *est Ordo, quo confertur potestas aperiendi, claudendi et custodiendi ecclesiam.* Officium ostiarii (praeter dicta) est etiam pulsandi campanas, nec non admittendi dignos in ecclesia, et expellendi indignos, scilicet infideles, haereticos et excommunicatos. Materia *remota* ostiariatus sunt claves ecclesiae, *proxima* clavium traditio; forma sunt verba ordinantis, et dicentis: *Sic age quasi redditurus rationes pro his rebus quae his clavibus recluduntur.* Ita tradunt aa., qui tenent singulos septem Ordines esse Sacramenta. Claves debent esse propriae ecclesiae, nec possunt aliae substitui, debentque tangi ab ordinando. Hic autem denuo adverte id quod notatum est superius *n.* 29., nempe quod in Sacramento Ordinis materia omnino tradenda est ab ipso ordinante, alias Sacramentum invalide ministratur, et ab eodem debet Missa celebrari (1).

Sect. II. *De lectoratu.*

54. Lectoratus est *Ordo, quo confertur potestas legendi Scripturas sacras in ecclesia.* Materia *remota* est liber prophetiarum, et epistolarum; *proxima* illius traditio; forma sunt verba: *Accipe et esto verbi Dei relator etc.* Officium igitur lectoris est legendi sacras Scripturas (intellige extra Missam, nam in Missa officium est subdiaconi): ac etiam catechumenos instruendi. Si loco libri epistolarum sive *lectionarii* traderetur Biblia aut Breviarium, valida quidem, et etiam licita esset ordinatio; secus si alius liber.

Sect. III. *De excorcistatu.*

55. Excorcistatus *est Ordo quo datur potestas expellendi daemones ab obsessis, ne eos impediant a Communione.* Materia *remota* est liber exorcismorum: *proxima* eius traditio; forma: *Accipe, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, etc.* Exorcismus autem est formula quaedam ab ecclesia instituta ad daemones fugandos in nomine Iesu Christi: ut possit autem exorcista solemniter exorcizare, requiritur etiam

(1) lib. 6. n. 744.

collatio iurisdictionis, sive licentia Episcopi. Id tamen non est ob ius commune, sed ob particulare praeceptum Episcoporum prohibentium exorcizare sine eorum licentia(1). Dictum est *solemniter*, cum quisque fidelis possit privatim imperare daemonibus, ne noceant, neque impediant fideles ab actionibus sacris (2).

Sect. IV. *De acolythatu.*

56. Acolythatus *est Ordo, quo datur potestas ferendi urceolos ad altare, et candelabra luminaque in ipso accendendi*. Materia *remota* sunt urceoli vacui; *proxima* eorum traditio; forma: *Accipe ceroferarium, etc.*, atque: *Accipe urceolos, etc.* Utraque materia est essentialis, sed nobilior sunt urceoli, quia vinum et aqua magis sunt ad Missam necessaria. Hae autem materiae sunt partiales, unam totalem constituentes. Character vero non in candelabri, sed in urceolorum traditione imprimitur, quia in ea principalior traditur potestas (3).

Art. III. *De ordinibus maioribus.*

Sectio I. *De subdiaconatu.*

57. Subdiaconatus *est Ordo quo traditur potestas, per quam ordinatus potest deferre calicem ad altare ministrare diacono, et legere epistolam in Missa*. Materia *remota* est duplex, nempe calix vacuus cum patena vacua, necnon liber epistolarum. Materia *proxima* est horum traditio. Calix autem probabiliter debet esse consecratus, ut plures dd. sentiunt: unde ipsorum sententia in praxi sequenda est (4). Sic etiam omnino requiritur traditio libri epistolarum (5). Forma autem sunt verba Episcopi: *Videte cuius ministerium vobis traditur, etc.* Et alia: *Accipe librum epistolarum, et habe potestatem legendi eas etc.* Duplici enim materiae duplex adhibetur forma partialis. Officium subdiaconi (ultra praedicta in altari) est deferre crucem, et lavare corporalia. Peccaret subdiaconus, si absque manipulo solemniter ministraret in Missa, nisi urgeret necessitas, ut dicit p. Suarez (6). An autem graviter peccet subdiaconus ministrans in mortali? Vide dicta supra n. 14.

(1) lib. 6. n. 745. et 805.
(2) v. l 3. n. 193. app. de adiur. ad 4.

(3) l. 6. n. 745. (4) n. 747. (5) n. 746.
(6) de cen. disp. 42. sect. 4. n. 17.

Clericus (vel etiam subdiaconus exercens officium subdiaconi sine manipulo, vel cum manipulo, sed non intendes ex officio actum illum exercere, non incurrit irregularitatem; quia tunc (ut ait Bonac.) exercet tantum officium cantoris. Secus si cum manipulo intenderet exercere officium proprium subdiaconi (1). Adverte hic Decretum S. C. Rituum editum 6. Iul. 1698. *Deficiente subdiacono pro Missa solemni, data necessitate potest permitti per Superiores, ut substituatur constitutus in minoribus Ordinibus ad cantandam epistolam paratus absque manipulo.* Apud *Meratum* in indice Decretorum *n.* 531. Et adverte hoc Decretum esse posterius ad alia contraria, quae affert Ferrar. Bibliot. verb. *Missae Sacr. art.* 12. *n.* 57. *et* 58.

58. Ut quis ad subdiaconatum possit promoveri, requiritur 1. ut sit ordinatus in minoribus. 2. Aetas 21. annorum completorum. 3. Titulus sustentationis (de quo vide supra dicta n. 37. ad 39.). 4. Ut bene sciat quae pertinent ad suum munus. 5. Examen quod debet quidem rigorosius esse in subdiaconis, ut recte advertit Homobonus (Poenitentiarius in Ecclesia Bononien.) et signanter circa subdiaconi obligationes, nempe servandi castitatem, recitandi officium, habendi titulum sustentationis; necnon refert subdiaconos examinare circa censuras et irregularitates, quarum singulatim hic principaliora rudimenta mox infra breviter recensebimus.

§. I. *De voto castitatis.*

59. Subdiaconus ex praecepto s. Gregorii Papae in *cap.* 2. *Dist.* 28. tenetur votum castitatis emittere. Hinc obligatio castitatis in ordinatis in sacris verius est ex vi voti Ordinibus annexi, quam praecepti Ecclesiae, ut satis colligitur ex *cap. Cum olim, de Cler. coniug.* Attamen si quis Ordinem suscipiendo expresse nollet castitatem vovere, tunc iste saltem ex praecepto Ecclesiae ad castitatem teneretur. Hocque dicendum etiamsi nesciret hanc obligationem, modo vellet vere Ordinem suscipere: et adhuc si inculpate nesciret, ut valde probabiliter plures doctores docent (2). Qui autem ordinaretur ante usum rationis, hic non teneretur ad castitatem. Qui vero ordinatur ante pubertatem, an ad castitatem teneatur? Adest duplex sententia, utraque probabilis (3). Qui ordinatur per metum extrinsecum iniuste incussum, et non habet animum suscipiendi Ordinem, non tenetur ad castitatem; et etiamsi animum haberet, probabilius nec teneretur, quia votum emissum ob metum probabilius est invalidum. Secus si metus fuerit iuste incussus, vel si ordinatus scienter suam Ordinationem ratificaret, nempe si ultro Ordinem exerceret (4).

§. II. *De Horis canonicis.*

60. Primo loco hic refert adnotare plures propositiones damnatas ab Alexandro VII., nimirum propos. 20. quae dicebat: *Restitutio fructuum non debetur ante sententiam.* Prop. 21. *Habens beneficium, si studio litterarum vacet, satisfacit recitando per alium.* Prop. 33. *Restitutio fructuum suppletur per eleemosynas ante factas.* Prop. 34. *Satisfacit dicens officium paschale pro officio diei Palmarum.* Prop. 35. *Cum uno officio potest satisfieri obligationi duorum dierum.* Item Innoc. XI. damnavit prop. 54. *Qui nequit recitare Matutinum non tenetur ad alias horas.*

61. Quaeritur 1. quinam teneantur ad Horas? Tenentur 1. omnes ordinati in Sacris, etiamsi sint excommunicati, suspensi et degradati. Ordinatus autem ad subdiaconatum in die Ordinationis tenetur ad Horam correspondentem horae qua ordinatur. Tenentur II. Religiosi professi utriusque sexus. Hoc habetur ex an-

(1) vide lib. 7. n. 359.
(2) vide l. 6. n. 809. dubit. 1. et 2.
(3) n. 810 (4) n. 811

tiqua consuetudine obligante sub gravi, ut tenet communis sententia contra aliquos. Nec valet dicere, quod non constat, an consuetudo recitandi officium sit introducta a Religiosis animo se graviter obligandi; nam respondetur, quod cum illa constanter et tamdiu cum magno incommodo ab omnibus Religiosis observata fuerit, praesumptio est pro parte affirmativa, pro qua autem parte stat praesumptio, pro ea stat etiam possessio, regula generalis est (1). Nullus autem Religiosus aut Monialis in particulari tenetur sub gravi Horas dicere in choro, ut communiter dicunt Suar. Salm. Conc., etc.; modo chorus non tollatur, ad quem requiruntur saltem quatuor expediti (2). Ad officium vero non tenentur Religiosi eiecti: sed tenentur profugi (3). Tenentur III. beneficiati; alias fructus omnes beneficii restituere debent, ex Concil. Later. V. *Sect.* 9. §. *Statuimus*, ubi dictum fuit: *Statuimus, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses, obtento beneficio, officium divinum non dixerit, fructus non faciat suos pro rata recitationis*. Et si talis post monitionem adhuc pergit omittere, potest etiam beneficio privari. Deinde sanctus Pius V. in *Constit.* 186. quae incipit *Ex proximo Lateranensi*, decrevit quod qui relinquit Matutinum, restituat dimidiam partem fructuum correspondentium illi diei: qui caeteras Horas aliam dimidiam; qui vero unam tantum ex parvis, sextam partem (4). Et idem dicendum, si quis per plures leves omissiones inter officium diei ad gravem materiam pertingit (5). Qui autem hodie supplere vellet officium heri omissum, minime liberatur a restitutione (6). Haecque restitutio debetur ante omnem sententiam, quia conditio recitationis est absolute necessaria ad lucrandos fructus, cum sine ipsa nequeat beneficiarius facere fructus suos, ut praefatum Concilium sancivit (7).

62. Restitutio autem tunc facienda est vel pauperibus (sufficit cuiuscumque loci), vel fabricae ecclesiae, vel domui beneficii, vel in augmentum agrorum ipsius. Potest etiam fieri in refectionem alterius indigentis ecclesiae, si propria non eget, vel si fabrica alienae ecclesiae redundaret in utilitatem pauperum. Potest etiam applicari in Missis pro defunctis; et potest beneficiatus adhuc applicare eam sibi ipsi, si vere pauper sit, modo non faciat in fraudem; Suar. Castrop. Navar. Tol. Less. etc. comm. (8). Si quis autem post omissionem dederit eleemosynas, immemor, vel forte ignorans obligationem restitutionis, probabiliter potest eas computare, ut dicunt Sanch. Suar. Lug. Laym. Salm. Croix (9).

63. Probabiliter dicunt etiam Sot. Less. Vasq. Bonac. Sanch. Salm. etc., quod si beneficiatus alia onera habet, quibus iam satisfecerit, non tenetur omnes fructus restituere. Secus tamen dicendum (quicquid dicant alii) de simplici beneficiato, qui nullum aliud onus haberet, nisi deferendi habitum (10).

64. An autem excommunicatus toleratus teneatur ante sententiam restituere fructus beneficii, si onera ipsius impleverit? Aliqui affirmant; sed probabilius et communius alii negant, prout pariter dictum est *Tr.* 19. *n.* 19. *in fine*, quia non tenetur reus nisi post sententiam subire poenam illam, quae actionem requirit; ex alia autem parte excommunicati tolerati valide iam Sacramenta ministrant, Horasque persolvunt; ita Laym. Tourn. Castrop. Salm. Bon. Coninch. et alii plures (11). Sic etiam probabiliter non tenetur ad restitutionem qui recitat sine attentione interna; cum opinio quod sufficiat ad satisfaciendum, si habeatur intentio

(1) vide l. 4. n. 142. (2) ib. n. 143.
(3) n. 142. dubit. 1. et 2.
(4) vide lib. 3. n. 663. (5) n. 668.
(6) n. 667. (7) n. 665. et l. 4. n. 145.
v. sed dices. (8) lib. 3. n. 672
(9) n. 700. quaer. 2. v. limitant.
(10) n. 673. (11) n. 670

et attentio externa, non sit improbabilis, iuxta dicenda *n.* 75. (1).

65. Praeterea notandum, s. Pium in praefata Constitutione declarasse, quod beneficiati, si intra primos sex menses officium omittant, licet non teneantur ad restitutionem, tamen non excusantur a peccato mortali (2). Hinc omnino dicendum, quod beneficiati, etiamsi vellent pro eo tempore fructus restituere, omittendo officium, graviter peccant, cum ipsos ad officium quovis tempore Ecclesia ex motivo religionis obstrinxerit (3). Graviter igitur peccat qui intra sex menses (ut dictum est) officium omittit, sed non tenetur ad restitutionem, ut docent Lessius Vasquez Conc. Viv. et communior sententia (contra paucos). Ratio, quia, iuxta communem sententiam, restitutio fructuum non iam debetur de iure naturali: fructus enim non dantur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione beneficiarii, cum onere tamen officii, imposito ab Ecclesia (ut diximus) ex motivo religionis, et ideo nulla ante Concil. Lateranense restitutio praecipiebatur. Concilium autem restitutionem praecipit tantum omittentibus post sex menses (4). Ob eamdem rationem non tenetur ad restitutionem, qui omittit officii recitationem sine culpa, quia, licet (ut dictum est *n.* 61. *in fin.*) restitutio ante omnem sententiam facienda sit, tamen cum ipsa in poenam praecepta sit, omnino culpam requirit, ut recte dicunt Less. Sanchez Conc. Viva, et alii communius, contra paucos (5). Pariter ob eamdem rationem subdiaconus beneficium habens, si officium omittit, unum tantum committit peccatum, cum ex uno motivo religionis ad illud teneatur (6).

66. Dubitatur 1. an teneatur ad officium beneficiarius, qui fructus non percipit? Minime tenetur, si ipse non negligenter se gesserit in illis exigendis. Excipe, nisi ipse in poenam alicuius criminis sit fructibus iuste privatus; vel nisi certam spem habeat percipiendi illos sequentibus annis (7). Quid si super beneficio lis vertatur? Resp. si beneficiarius nondum acceperit illius possessionem, non tenetur ad officium, nisi per ipsum stet quin statim possessionem adipiscatur. Si vero iam acceperit, tenetur, casu quo spem certam habeat vincendi litem; secus si sit in dubio (8).

67. Dubitatur 2. an teneatur ad officium habens beneficium tenue? Alii affirmant; sed alii plures negant, ut Less. Sanch. Malder. Arag. Rodr. Molfes. Pelliz. et alii, quia tenue beneficium, ex *c. Is cui, de Praebend. in* 6. ut verum beneficium non habetur. Dicunt autem, illud esse tenue beneficium, quod non pertingit ad tertiam partem sustentationis (9).

68. Dubitatur 3. an beneficiarius male expendens fructus beneficii teneatur ad restitutionem? Plures graves dd. probabiliter negant, ut s. Antoninus Less. Cabass. Sanch. Salm. et alii cum s. Thoma (10), qui ait, praebendas haberi ut bona patrimonialia. Alii tamen probabilius, ut Laym. Bon. Navar. Petroc. Concina etc. affirmant, quia beneficiarii ex iustitia tenentur fructus superfluos pauperibus, vel locis piis erogare; nam saltem Ecclesia non concedit ipsis dominium fructuum, nisi limitatum ad superfluos erogandos in pauperes (11). Vide dicta *Tr.* 10. *n.* 7. Hic autem sedulo advertendum, quod Papa Benedictus XIV. in Brevi ad Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquileiensem, emanato die 19. Ianuarii 1748., declaravit canonicos choro *non interessentes*, vel ibi *non canentes*, nedum distributiones quotidianas amittere; sed etiam ad re-

(1) l. 3. n. 669. et l. 4. n. 176.
(2) vide l. 3. n. 663. et 666.
(3) lib. 4. n. 145. quaer. 2.
(4) l. 3. n. 665. et 666. (5) cit. n. 665.
(6) l. 4. n. 145. quaer. 1.

(7) l. 3. n. 664.
(8) cit. n. 664. v. quid si.
(9) l. 3. n. 674. (10) 2. 2. q. 185. a. 7.
(11) lib. 3. n. 492.

stitutionem teneri fructuum suarum praebendarum (1).

69. Quaeritur 2. quanta sit obligatio officii? Certum est peccare graviter, qui omittit notabilem officii partem. Caeterum censetur parva materia omissio minoris partis, quam parvae Horae (2). Qui autem omnes septem Horas omittit, verius cum Less. Sanch. Concina Tournely, et communi, unum committit peccatum, quia omnes Horae integrum officium componunt (3). Qui officium proiiceret in mare, tot peccata committeret, quot omissiones dierum praevideret, quae singulae omissiones officii, ad quemlibet diem pertinentes, sunt singulae transgressiones, et hic, eas iam praevidendo, peccaret quidem in causa (4). An in dubio, utrum aliquid ex officio sit vel ne omissum, sit repetendum? Repetendum quidem in dubio negativo, scilicet si nullum prudens motivum habeas, quod iam dixeris; secus si dubium positivum, nempe si probabiliter credas dixisse; ita communiter Navar. Sanch. Lugo Tourn. Castrop. Salm. Roncagl. (5)

70. Quaeritur 3. quae requirantur ad Horas bene recitandas? Requiritur 1. ut recitentur iuxta *praescriptum Breviarii Romani*. Unde improbabilem censeo opinionem eorum qui dicunt non peccare mortaliter qui commutat officium in aliud notabiliter brevius (6). An autem sit mortale mutare in aequale, vel quasi? Adest hinc inde duplex plurimorum sententia. Aequius tamen videtur dicendum cum Sporer Ronc. Viva Laym. Elbel. esse mortale, si mutatio sit frequens; veniale si raro, puta ter vel quater in anno: et nullum, si id aliquando fiat cum causa, nempe itineris, studii, etc. Ratio quia licet officium recitandum sit iuxta formam individualem Breviarii, ut praecipit s. Pius V in Bulla *A nobis*, descripta in Breviario, dicendo: *Neminem satisfacere nisi hac sola forma*; tamen probabile est Pontificem in hac forma praescribenda magis respexisse ad formam substantialem, quae est quantitas officii, quam ad accidentalem, nempe ad illius qualitatem: et ideo commutatio non videtur culpam venialem excedere. Id tamen frequenter facere esset mortalis culpa, quia (ut recte ait Laym.) esset perversio ordinis; et gravis quidem, si frequens esset (7).

71. His positis, probabile est 1. quod si alio pergis, potes recitare officium illius loci, nisi fueris Religiosus, quia teneris tunc recitare officium Breviarii tui ordinis; ita Laym. Holzm. Bonac. Castrop. et alii. 2. Quod capellani, et commensales Cardinalium et Episcoporum possunt se eis conformare in officio; Holzm. cum communi, ex Decreto S. C. Rituum, et Clem. *Dignum*, *de cel. Miss*. Et idem dicunt dd. de capellanis Monialium, ut Croix Holzm. Gob. Stoz. etc.; et de iis qui obeunt exercitia spiritualia apud Religiosos, Laym. et Gobat. 3. Quod possis recitare officium socii; quia ipsa associatio excusat, modo officium non sit notabiliter brevius, Viva Ronc. Henriq. Quintanad. et alii (8).

72. Si quis advertit errasse, postquam multum processit in officio indebito, potest vel prosequi, vel recitare reliquum de proprio; sed melius erit recitare de proprio; nisi vellet alia die non impedita officium dicere de Sancto illo; quod satis probabiliter admittunt plures dd. (9). Ex consuetudine autem introducta gravis est obligatio recitandi Litanias s. Marci, et Rogationum, ac officium defunctorum etiam in privato (10).

73. Requiritur 2. *pronuntiatio vocalis*. Hic dubitatur, an recitans debeat se audire? Alii affirmant: alii tamen non improbabiliter negant, ut

(1) l. 3. n. 675. dubit. 3. (2) l. 4. n. 147.
(3) n. 148. v. hic igitur. (4) n. 149.
(5) n. 150. (6) l. 4. n. 160. et 161. v. quaer. 3. (7) n. 161. v. secunda igitur.
et seqq. (8) ib. v. iuxta autem.
(9) n. 161. quaer. 5.
(10) n. 160. quaer. 1. et 2.

doctissimus Sylvius Tournel. Laym. Azor. Spor. Salmant. Trull. Rodr. et alii; quia in recitatione officii non iubetur auditio, sed pronuntiatio, ad quam non oportet elevare vocem, sed sufficit formare aliquem externum sonitum, qui semper adest, cum verba proferuntur (1). Submisse recitans in choro bene satisfacit (2): sed non canonicus, qui tenetur canere, iuxta dicta *n.* 68. *in fin.* Recitanti autem in choro sufficit si audiat alteram partem in confuso, vel tantum unum ex ea. Quid si non satis percipis in materia notabili alteram partem, propter culpam chori, aut socii? Alii dicunt quod teneris repetere non auditum; alii plures negant, quia per ipsam societatem, et tuam applicationem moraliter iam communicas; ita non improbabiliter Sa Maior Roncagl. Elbel. Salm. Pelliz. Trull. et alii (3). Surdus autem non satisfacit, quidquid alii dicant: secus vero dicendum de surdastro, si audiat saltem in confuso (4).

74. 3. ***Pronuntiatio integra***, id est sine mutilatione, qua sensus verborum notabiliter varietur. Valet tamen officium, si aliqua saltem servetur significatio verborum (5). 4. ***Pronuntiatio continuata***, scilicet sine interruptione in qualibet hora; quae autem interruptio inducit veniale, nisi aliqua excuset causa (6). Matutinum autem etiam sine causa potest a Laudibus separari; et sic pariter tres Nocturni, saltem per tres horas (7). Facta tamen interruptione, adhuc culpabili, probabilius non teneris horam repetere, cum quilibet psalmorum versus suam habeat significationem (8). 5. *Horarum Ordo*, scilicet ne invertatur. Inversio tamen non erit nisi venialis, etiamsi fiat frequenter; et etiam in choro, ut probabilius aiunt Caiet. Gavant. Laym. Sanch. Bonac. etc. (9). Celebrare autem Missam ante Matutinum probabilius et communius non est nisi veniale cum Less. Castr. Conc. Tourn. Sot. Tolet. Bellarm. Croix Salm. et aliis pluribus (10). 6. *Tempus praefixum*. Tempus Matutini incipit ab hora Vesperarum diei antecedentis usque ad meridiem subsequentis (11). Idque probabiliter procedit etiam de officio defunctorum, extra tamen chorum (12). Et de hoc adest etiam Decretum S. C. Rituum apud p. Ferraris *Biblioth. tom.* 4. *verb. Litaniae, pag.* 594. *n.* 17. Non idem currit autem de Litaniis (13). An autem satisfaciat dicens Matutinum hora secunda post meridiem? Alii affirmant, uti Salm. cum Sanchez Trullench. etc., dicendo id hodie permitti ex consuetudine introducta; sed verius negandum cum Holzman. Croix et Concina; quia tunc nondum incoepta est hora Vesperarum, quae est media inter meridiem et occasum; dies enim ecclesiasticus non nisi ab hora Vesperarum incipit. Quod autem consuetudo undique iam introduxerit recitari Matutinum hora secunda post meridiem a maiori parte fidelium iuxta dicta de consuetudine *Tr.* 2. *n.* 79., hoc probandum esset; sed usquedum non probatur, possidet lex opposita (14). Tempus autem Horarum incipit a media nocte ad meridiem; Vesperarum et Completorii a meridie ad mediam noctem (15).

75. 7. ***Intentio et attentio.*** Requiritur *intentio* (scilicet recitandi) saltem virtualis; sufficit pro illa, si ab initio sumpseris Breviarium ad recitandum. Communissime autem, et probabilius, cum Suar. Castr. Less. Tournely Pontas Vasq. et Croix cum aliis, non requiritur intentio satisfaciendi obligationi: imo recitans implet, etiamsi positive intendat nolle implere, quia implens non potest non implere, cum satisfactio non pendeat

(1) l. 4. n. 163. (2) ib. v. an autem.
(3) ib. quaer. 2. (4) ib. quaer. 3.
(5) n. 165. (6) n. 166. (7) n. 167.
(8) n. 168. (9) n. 169. et seqq.

(10) vide l. 6. n. 347. v. quaer.
(11) lib. 4. n. 174. (12) ib. quaer. 2
(13) ib. quaer. 3. (14) ib. quaer 1.
(15) n. 173. v. tempus.

a sua, sed a voluntate legis, sive ecclesiae (1). Requiritur insuper *attentio*, saltem externa, scilicet ne apponatur actio incompatibilis cum attentione interna. An autem requiratur etiam interna? Alii affirmant requiri internam, quae fit vel ad Deum, vel ad sensum, vel saltem ad verba, nempe ut recte pronuntientur; quia alias, prout dicunt, non esset oratio. Alii vero plurimi negant, dicentes veram esse orationem, quae fit cum intentione orandi, et attentione externa; ita Lugo Palud. Coninch. Angl. Sylv. Croix et plures alii cum s. Antonino et d. Thoma (2). Ratio 1. quia si attentio interna esset de essentia orationis, ministrans Extremam-Unctionem sine attentione interna invalide ministraret, cum forma huius Sacramenti sit deprecatoria, *Indulgeat tibi Deus*, *etc.* ex illo s. Iacobi; *Orent super eum*, *ungentes*, *etc. Ep.* 5. 14. Sed id non potest dici, cum constet ex Florentino ad valorem Sacramenti tria tantum requiri et sufficere, nempe materiam, formam seu verba a ministro prolata, et intentionem ipsius faciendi quod facit Ecclesia. Ratio 2. quia si attentio interna de essentia orationis esset, etiam is qui cum involuntaria distractione Horas persolveret, nec etiam satisfaceret. Propter has rationes minime contemnendas, videtur haec secunda sententia non posse dici improbabilis. Caeterum conveniunt omnes quod, ut dicatur quis non implere, oportet ut non solum advertat distractionem, sed adhuc, ut plene advertat se distrahi ab officio; alias, licet voluntarie se distrahat, non tamen voluntarie se distrahit a recitatione. Scrupulosus autem propter distractiones nunquam tenetur repetere (3).

76. Quaeritur 4. quaenam causae excusent a recitatione officii? Excusat 1. *infirmitas* gravis, sive grave incommodum. Laborans autem tertiana vel quartana tenetur recitare, et etiam anticipare, si commode potest. Non tenetur tamen anticipare Matutinum in die praecedenti; nullus enim obligatur suo privilegio uti. Si quis commode potest, tenetur dicere officium cum socio. In dubio an ob recitationem graviter laedaris, non teneris; secus in dubio an excuseris, nisi habeas probabilem rationem: sed melius est tunc ut te remittas medico, aut Superiori, vel saltem viro prudenti. Quando autem urget morbus, si nequis recitare totum, nec teneris ad partem, quia alias magna superesset tibi scrupulosa anxietas, an pergere possis, vel ne, in reliquis recitandis; ita valde probabiliter Suar. Nav. Sanch. Lugo Cardenas Roncaglia etc. (4). 2. *Impedimentum* iustum, puta si quis occupetur in officio charitatis, quod non posset omittere sine scandalo, aut notabili detrimento proprio, aut alieno, v. g. si nequiret differre concionem sine nota, vel confessiones aliorum in magno concursu (5). 3. *Caecitas* (6). 4. *Carentia* Breviarii. Teneris tamen dicere quae mente retines, modo id, quod retines, pertingat ad quantitatem saltem parvae Horae. Et si cares officio proprio, teneris recitare ex communi. Item si absque magno incommodo potes socium adhibere, teneris. An autem beneficiarius teneatur etiam conducere socium ad Horas persolvendas, si nequit solus? Adest duplex sententia probabilis; sed affirmativa est communior et tutior: imo omnino sequenda, si ille velit fructus percipere; cum sola enim probabilitate opinionis oppositae nequit possessionem fructuum inchoare, ut recte aiunt Less. Soto Salm. Concina Tournely Bon. et alii communiter (7), iuxta dicta *Tr.* 10. *n.* 8. 5. Excusat *dispensatio* Pontificis; et etiam proprii Episcopi (ad breve tamen tempus), si adsit causa: puta si dubitetur de morali impotentia (8).

(1) l. 4. n. 176. (2) n. 177. v. tertia. (3) ib. v. caeterum. (4) n. 154. et 155. (5) n. 156. (6) n. 157.

(7) ibid. et 158. et vide lib. 3. n. 761. quaer. 2. (8) lib. 4. n. 159.

§. III. *De censuris in genere.*

(In hoc paragrapho ponuntur tantum definitiones, divisiones, et principia, relictis quaestionibus, aliisque notitiis, quae habentur *Tr.* 19. ubi fuse egimus de censuris).

77. Quaeritur 1. quid et quotuplex est censura? *Censura est poena spiritualis et medicinalis, per quam delinquenti et contumaci per ecclesiasticam potestatem aufertur usus quorumdam spiritualium bonorum.*

78. Dividitur censura 1. in excommunicationem, suspensionem, et interdictum. 2. In eam quae est *a iure*, nempe quae fertur per legem generalem et permanentem, et eam quae est *ab homine*, quae scilicet fertur a Praelato per particularem sententiam. 3. In eam quae dicitur *latae sententiae*, quaeque incurritur ipso facto; et *ferendae sententiae*, quae non incurritur nisi post sententiam, prout sunt censurae latae verbis futuri temporis: vide in *cit.* *Tr.* 19. *n.* 2.

79. Quaeritur 2. quis potest ferre censuras? Possunt omnes Superiores ecclesiastici habentes iurisdictionem in foro externo, vel ordinariam, prout Pontifex, Concilia, Episcopi, et ipsorum Vicarii, item Vicarii capitulares et Capitula religionum, eorumque Praelati; vel delegatam, ut sunt ii, quibus ab habente ordinariam facultas committitur; vide *Tr.* 19. *n.* 3. Quaeritur 3. quid requiratur, ut quisquis possit ligari censuris? Requiritur 1. ut sit homo. 2. Ut sit baptizatus. 3. Ut sit rationis compos. 4. Ut sit persona determinata. 5. Ut sit subditus. Quoad peregrinos vero vide *ibid.* *n.* 6. Quaeritur 4. quid requiratur ad incurrendam gravem censuram, puta excommunicationem maiorem, vel suspensionem totalem, aut ad longum tempus? Requiritur 1. peccatum grave, et ut materia sit etiam per se gravis, aut saltem valde conducens ad finem intentum; at in dubio Superioris praeceptum certe ligat. 2. Actus externus. 3. Actus consummatus. 4. Contumacia, ita ut delinquens sciat crimen, non solum vetitum esse iure divino, sed etiam ecclesiastico. Vide autem illationes quae ex his inferuntur *cit.* *Tr.* 19. *n.* 7. Quaeritur 5. quis possit a censuris absolvere? A censura lata per sententiam particularem ordinarie is tantum potest absolvere, qui eam tulit, vel eius Superior, aut successor, aut delegatus. Ab illa autem quae lata est a iure, vel ab homine per sententiam generalem (modo non sit reservata) potest absolvere quivis confessarius; vide *ibid.* *n.* 11.

80. Hic autem notandum 1. quod Episcopi ex *cap.* 6. *Liceat sess.* 24. in Trid. possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, et suspensionibus ex delicto occulto; exceptis iis quae oriuntur ex homicidio voluntario, et aliis deductis ad forum contentiosum. Item possunt absolvere a quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicae reservatis, quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum. De hoc vide *Tr.* 20. *n.* 29. *et seq.* Hanc autem facultatem potest Episcopus etiam generaliter aliis delegare; *ibid.* *n.* 34. Notandum 2. quod praedicta facultas verius sublata est Episcopis respectu ad haeresim, et alios casus reservatos in Bulla *Coenae*; *ibid.* *n.* 38. Si tamen quis sit impeditus adire Romam, bene potest absolvi ab Episcopo: absolute quidem, si impedimentum est perpetuum: sub iuramento vero adeundi Romam, si est temporale, exceptis semper mulieribus et pueris; vide *ibid.* *n.* 40. *ad* 45. Insuper hic obiter notandum 3. quod excommunicatio papalis in violantes immunitatem ecclesiasticam, a qua absolvenda Clemens VIII. etiam Regularibus facultatem abstulit, prout diximus in *Tr.* 20. *n.* 99., illa tantum incurritur ab iis, qui violenter et iniuste extrahunt ab ecclesia confugientes ad eam; Clemens enim in suo Decreto nullam aliam excommunicationem Re-

gularibus vetavit absolvere respectu ad violantes immunitatem, quam illam quae declarata fuit a Gregorio XIV. qui in Bulla 7. declaravit violantes immunitatem, per extractionem confugientis ad ecclesiam, incurrere ipso facto eamdem excommunicationem papalem, quae prius fulminata fuit in violantes libertatem ecclesiasticam a Paulo II. in *Extrav. Etsi Dominici, de Poenit. et Rem.* et a Sixto IV. in alia *Extrav. Etsi Dominici, eod. tit.* Qui Pontifices huiusmodi excommunicationem ita sibi reservarunt, ut in generali concessione absolvendi a casibus pontificiis, haec non comprehenderetur. Nec obstat textus in *cap. Cum pro tua Sent. exc.* ubi, cum aliquis in claustro cuiusdam monasterii quemdam clericum verberasset, dicitur in textu illum duplicem incurrisse excommunicationem, unam quia percussit clericum, alteram quia laesit immunitatem. Nam communiter notant dd. cum Fagnan. in cit. *cap. n.* 10. excommunicationem illam ob laesionem immunitatis impositam fuisse non a iure, sed ab ipso Episcopo: ita Abbas Cardinal. Ancharan. cum Innoc. qui verbo, *duplicem*, sic adnotavit: *Duplicem, id est ob iniectionem manuum ipso iure, et violationem claustri ab ipso* (Episcopo) *latam.* Hinc Fagnan. cum aliis in *cap. inter alia de Immun. eccl. n.* 102. ut certum habet nullam adesse excommunicationem latae sententiae Papae reservatam contra percutientes, vel furantes in ecclesia.

§. IV. *De censuris in specie.*

Et I. *De excommunicatione.*

81. *Excommunicatio est censura, per quam privatur homo communione ecclesiastica.* Est duplex; *minor*, quae privat tantum usu passivo, seu receptione Sacramentorum; vide *Tr.* 19. *n.* 27., et *maior*, quae privat etiam activo et omni communicatione, ut infra mox dicemus *num.* 83.

82. Excommunicatus potest esse vel toleratus, vel vitandus. *Toleratus* est quem fideles non tenentur vitare, ex Constit. *Ad evitandum*, Concilii Constantiensis, nec etiam in Divinis ut probabilius aiunt dd. vide Tr. cit. n. 15. Et idem dicitur de suspensis et interdictis toleratis. *Vitandus* est, quem fideles tenentur vitare. Et dupliciter quis potest esse vitandus, vel quia est nominatim excommunicatus et denuntiatus: vel quia est publicus percussor clerici, vel Monachi; ita tamen, ut factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari, ut dicitur in *can. Si quis suadente,* 17. *qu.* 4. Vide cit. *Tr.* 19. *n.* 16. Haec autem excommunicatio, si percussio est enormis, vel gravis, et publica, tantum a Papa absolvitur, nisi percussor sit mulier, aut impubes; hi enim possunt absolvi ab Episcopo, qui potest etiam absolvere a percussione levi adhuc publica: et adhuc a gravi, vel enormi, si sit occulta; vide *Tr.* 20. *n.* 46. *ad* 48.

83. Excommunicatus igitur excommunicatione maiori (esto sit toleratus) privatur 1. suffragiis Ecclesiae. 2. Beneficiis, ita ut collatio beneficii ipsi facta sit omnino nulla. 3. Susceptione et administratione Sacramentorum ac omni usu divinorum officiorum. 4. Omni communicatione spirituali et civili cum fidelibus. Ex alia parte peccant fideles, si communicant cum excommunicato vitando, sive in Divinis, nempe si cum eo Missam audiant, officium recitent, sive in civilibus, scilicet si illum alloquantur, cum eo habitent, societatem ineant, eum salutent, scribant ei; quae omnia comprehenduntur illo versu: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* Hi autem communicantes in tribus casibus peccant graviter. 1. Si communicent in Divinis. 2. Si in contemptum Ecclesiae. 3. Si in crimine criminoso, id est si communicant in eodem crimine (puta concubinatu) ob quod ille est excommunicatus, et in hoc tertio casu incurrunt etiam excommunicationem

maiorem; in aliis vero (regulariter loquendo) peccant tantum venialiter, et ligantur sola excommunicatione minori; a qua culpa et excommunicatione excusat necessitas, utilitas, lex coniugii, subiectio et ignorantia, quae alio versu continentur: *Utile*, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *necesse*. Vide de his *Tr.* 19. *Punct.* 2. *a n.* 23. *ad* 27. Dixi, *regulariter loquendo*, nam esto sit probabile quamcumque communicationem civilem cum vitando esse tantum venialem, probabilius tamen est esse mortalem, si sit frequens, cum proposito frequenter cum eo communicandi; vide *ibid. n.* 22.

II. *De suspensione.*

84. Suspensio *est censura, qua clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur.* Multipliciter autem dividitur suspensio. 1. Alia est a iure, alia ab homine. 2. Alia fertur ad certum tempus, quo elapso expirat: alia fertur absolute, quae manet donec per absolutionem auferatur. 3, Alia est ab officio, nempe Ordinis, vel iurisdictionis; alia a beneficio; et alia ab utroque, tam ab officio, quam a beneficio; vide quaestiones super hac censura *tr.* 19. *ex n.* 64. *ad* 67.

III. *De depositione.*

85. Depositio *est quae privat simpliciter omni usu officiorum et beneficiorum.* Depositio autem alia est *realis*, quae dicitur etiam degradatio. Alia *verbalis*, quae absolute dicitur depositio. Prima fit cum solemnitate, et privat privilegio tam fori, quam Canonis absque spe restitutionis. Secunda vero fit sine solemnitate, et utroque privilegio retento; vide *tr.* 19. *n.* 67.

IV. *De interdicto.*

86 Interdictum *est censura ecclesiastica prohibens usum tam divinorum officiorum, quam aliquorum Sacramentorum, et etiam ecclesiasticae sepulturae usum, quatenus talis est.* Dicitur *quatenus talis est*, quia excommunicatio etiam privat eodem usu, sed quatenus est communicatio cum fidelibus; suspensio autem non impedit proprie usum, sed exercitium potestatis ecclesiasticae. Interdictum aliud est *locale*, quod immediate afficit locum; aliud *personale* immediate afficiens personas. Potest esse etiam mixtum, quod afficit immediate tam locum, quam incolas. Vide alia *tr.* 19. *n.* 68. Adest etiam *cessatio a Divinis*, quae definitur: *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura.* Haec non est censura, nec imponitur per modum medicinae, sed tantum in signum moestitiae, ob aliquam gravissimam iniuriam Deo vel ecclesiae irrogatam. Ipsa imponi potest, a quibus imponuntur censurae.

V. *De irregularitate.*

87. Irregularitas *est impedimentum canonicum, Ordinum sacrorum susceptionem, et susceptorum usum impediens.* Dictum est *impedimentum*, non censura; quia sic vult communior et probabilior sententia; vide *tr.* 19. *n.* 73. Notandum hic 1. quod irregularitas non incurritur, nisi in iure sit expressa, ex *cap. Is qui, de Sent. excom.* Unde in dubio non incurritur, nisi dubium sit circa homicidium factum; in dubio enim, an quis ad illud concurrerit vel ne, habetur ut irregularis; *ibid. n.* 79. *et* 80. Notandum 2. quod ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur saltem scientia legis ecclesiasticae prohibentis. An autem etiam scientia poenae? Probabiliter adhuc affirmant Nav. Silvest. Sanch. Castrop. Ronc. etc. Vide *ibid. n.* 83. *et* 84. Irregularitas tollitur 1. per cessationem causae, si sit ex defectu aetatis, ignorantiae aut paupertatis, vel infamiae facti, quae tollitur etiam per mutationem loci, aut per emendationem; nam alias, si est iuris, scilicet per sententiam requiritur dispensatio. 2. Per Baptismum (si sit ex delicto).

3. Per dispensationem. 4. Per professionem religiosam; vide *ib. num.* 85. *ad* 87.

88. Irregularitas alia est ex *delicto*, alia ex *defectu*. Irregularitates ex *delicto* sunt sex: 1. ob Baptismum serio et scienter iteratum, et tunc fit irregularis tam baptizans, quam baptizatus; vide *tr.* 19. *n.* 88. 2. Ob violationem censurae, nempe si quis ea innodatus scienter exercet actum Ordinis solemniter; *n.* 89. 3. Ob peccatum, quo clericus scienter et serio actum Ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet; *n.* 90. 4. Ob aliquas furtivas susceptiones Ordinum, id est 1. si quis accipit Ordinem sine approbatione Episcopi, ex *cap.* 1. *de Eo, qui furt., etc.* 2. Si absque dispensatione eiusdem suscipit eadem die plures Ordines, quorum unus est sacer, ex *cap.* 2. *et* 3. *eod. tit.* 3. Qui post matrimonium contractum ante consummationem accipit Ordinem sacrum, uxore renitente, ex *Extr. Antiquae de Voto.* Vide *cit. tr.* 19. *n.* 91. Diximus autem *ob aliquas*, nam aliae furtivae Ordinum susceptiones (enumeratae in hac *app. n.* 46.) inducunt tantum suspensionem (Papae quidem reservatam, si est publica), sed non irregularitatem. Et idem probabiliter dicendum de eo qui censura irretitus sacrum accipit Ordinem, scilicet quod non fiat irregularis, nisi in ipsa ordinatione Ordinem ultro exerceat, iuxta dicenda hic *n.* 91. 5. Ob enormia crimina, si sint publica et notoria facto, vel iure, habeantque a iure annexam infamiam, ut sunt adulterium, incestus, sodomia, periurium in iudicio, haeresis, simonia, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, raptus mulierum, et similia. Haec tamen irregularitas, si est facti, tollitur per emendationem, si iuris per dispensationem; vide *tr.* 19. *n.* 92. 6. Ex iniusta mutilatione; et tanto magis ex homicidio voluntario ex *c. Si quis,* 1. *de Homic.*, et ex *Clement. unic. eod. tit.* Haecque irregularitas extenditur etiam ad mandantes, consulentes, aut aliter concurrentes, ex c. *Si quis viduam*, *Dist.* 50. Vide alia super hoc puncto *tr.* 19. *n.* 94. *et seq.*

89. Irregularitates autem ex *defectu* sunt octo. 1. Ex defectu *animae*, ex quo irregulares sunt 1. amentes, phrenetici, et epileptici. 2. Illiterati, iuxta dicta huius append. *n.* 35. 3. Neophyti, seu recenter conversi. 2. Ex defectu *corporis*, nempe si quis habet vitium, quod vel impedit congruum exercitium Ordinis, vel notabilem affert indecentiam. Ex primo capite *impedimenti* sunt irregulares caeci, surdi, muti, carentes manu, aut digitis omnibus, aut pollice, vel indice. Ex secundo autem capite *deformitatis*, sunt irregulares leprosi, carentes nasu, et aliter monstruosi, puta habentes gibbam valde enormem; vide *tr.* 19. *n.* 116. *ad* 125. 3. Ex defectu *natalium*, ex quo sunt irregulares omnes illegitimi; qui tamen legitimantur, vel per subsequens matrimonium, vel per professionem religiosam, vel per dispensationem Pontificis; vide *ibid. n.* 126. *ad* 129. 4. Ex defectu *aetatis*, de quo vide dicta huius append. *n.* 43. *et* 44. 5. Ex defectu *Sacramenti*, nempe ex bigamia: dicitur *Sacramenti*, eo quod duas ducens uxores nequit apte significare unionem Christi cum Ecclesia, quae fuit unica eius sponsa. Bigamia autem triplex est, quae impedit a susceptione Ordinum, scilicet 1. *Vera*, quando quis cum duabus successive verum contraxit matrimonium. 2. *Interpretativa*, quando quis sola fictione iuris censetur duas habuisse uxores, de quo vide *cit. tr.* 19. *n.* 131. *et seq.* 3 *Similitudinaria*, quae contrahitur ex attentatione matrimonii (quamvis invalidi) cum corrupta, vel cum virgine, post votum solemne emissum in religione, vel post susceptionem sacri Ordinis; vide *ibid. n.* 138. 6. Ex defectu *infaniae*; de qua vide dicta huius append. *n.* 88. ad 5., nam irregularitates ex de-

fectu et ex delicto ob infamiam in idem coincidunt. 7. Ex defectu *libertatis*: unde sunt irregulares 1. omnes servi, proprie dicti. 2. Coniugati. 3. Curiales obligati curiae propter iuramentum, aut stipendium. 4. Milites, saltem quamdiu iuramento tenentur: vide *tr.* 19. *n.* 140. *ad* 144. 8. Ex defectu *lenitatis*, scilicet ex licita mutilatione membri, quae fit a chirurgis cum incisione, vel adustione, vel ex licito homicidio in bello iusto offensivo, aut in iudicio per cooperationem activam, efficacem, proximam, et ad occisionem ordinatam; vide *ib. n.* 144. *ad* 147.

Sectio II. *De diaconatu.*

90. *Quid diaconatus et quae ipsius materia et forma?*

91. *Officia diaconi. Censura ligatus, etc. de poenitentia imposita ab Episcopo, an implenda sub gravi.*

90. Diaconatus est *Ordo, quo confertur potestas immediate assistendi sacerdoti in Missa, porrigendo ei patenam cum hostia, et calicem cum vino: item legendi Evangelium, et praedicandi.* Sententia nobis probabilior (iuxta dicta huius append. *n.* 29.) tenet unicam diaconatus materiam esse manuum Episcopi impositionem, unicamque formam esse verba Episcopi: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, etc.* Sed quia altera sententia etiam est probabilis, ideo tenenda, nempe quod porrectio instrumentorum etiam sit materia integralis partialis; ac propterea dicendum quod materia diaconatus est duplex, scilicet impositio manus dexterae Episcopi, cum forma: *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, et traditio libri Evangeliorum cum forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium, etc.* Ambo autem sunt materiae et formae partiales unum Ordinem constituentes. Valeret etiam traditio Bibliorum, quia ibi iam continentur Evangelia. Sed dices: ab initio quomodo ordinabantur diaconi, quando deerat liber Evangeliorum? Respondetur Christum Dominum reliquisse Ecclesiae potestatem determinandi in specie materias et formas Sacramentorum, quorum ipse non determinavit. Et iuxta hanc sententiam character imprimitur in *ipsa libri traditione*, ut dicit d. Thomas, sive in prolatione secundae formae (1), ita iuxta hanc sententiam; sed vide dicta *tr.* 17. *n.* 14. *ad* 16.

91. Officia diaconi (praeter dicta) sunt, 1. solemniter baptizare; sed nonnisi de licentia parochi, et in gravi necessitate: alias diaconus, qui baptizat solemniter sine commissione, etiam in necessitate, irregularitatem incurrit. 2. Ministrare Eucharistiam; sed pariter id non licet, nisi fiat ex commissione parochi, et in necessitate gravi, nempe si populus sit communicaturus, et desit sacerdos (2); alias si ministrat sine commissione, etiam fit irregularis (3). 3. Deferre pyxidem aut ostensorium cum Eucharistia. 4. Praedicare, et lavare corporalia in defectu subdiaconi. Diaconus autem censura ligatus irregularitatem incurrit, si ministrat, iuxta dicta *n.* 88. ad 2. Qui vero irretitus censura diaconatum suscipit, non fit irregularis, nisi in Missa ordinationis ultro Ordinem susceptum exerceat (4). Quaeritur an obliget poenitentia imposita diaconis et subdiaconis ab Episcopo recitandi Nocturnum diei currentis, et sacerdotibus tres Missas celebrandi? Alii affirmant; sed probabiliter alii (ut Soto, Valentia, Castr. Palliz. Gobat. etc.) dicunt dicendas tantum de decentia, non autem de obligatione, saltem non gravi, cum de ea non constet (5).

Sectio III. *De presbyteratu.*

92. et 93. § *I. Quid presbyteratus? et quae materia et forma?*

94. *De defectibus supplendis.*

95. § *II. De Sacrificio Missae. Quid Sacrificium, et quotuplex?*

(1) lib. 6. n. 748. (2) n. 237. quaer. 1. (3) n. 234. (4) n. 799. dub. 3. v. utrum.

(5) n. 820

§. I. *De ordine presbyteratus.*

92. Presbyteratus *est Ordo, quo confertur potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Iesu Christi, et absolvendi fideles a peccatis.* Ordo autem sacerdotii institutus fuit a Christo in coena, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et post resurrectionem, quando dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quaenam est materia presbyteratus? Iuxta nostram probabiliorem sententiam (ut diximus hic *n.* 29. et *tr.* 17. *n.* 16.) est unica, nempe secunda impositio manuum Episcopi una cum presbyteris. Sed probabilis est etiam sententia quod sit duplex, nempe traditio calicis cum vino, superposita patena cum hostia, cuius forma est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, etc.* Et tertia impositio manuum, cuius forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, etc.* Et haec sententia, cum sit probabilis, omnino in praxi tenenda est (1); vide dicta *tr.* 17. *n.* 16.

93. Hinc dicimus 1. quod in ordinatione sacerdotum una cum calice et patena, tradenda est utraque species, nempe panis et vini; aliter non daretur directa potestas ad integrum Sacrificium; et eodem tempore debet tradi, cum potestas sacerdotalis ad sacrificandum sit indivisibilis; ita probabilior sententia, quae omnino tenenda est (2). Item debet tradi ab eodem ordinante et celebrante, ut dictum est hic *n.* 53. *in fin.* Dicimus 2. quod non sufficit tangere tantum calicem, et non patenam, cum probabilis sit sententia utrumque esse tangendum (3). Dicimus 3. quod licet ex communi sententia valide ordinatus sit, qui tantum hostiam, et non patenam tetigit: quia hostia et vinum sunt materia substantialis; et calix ac patena tantum ob decentiam adhibentur; attamen consultum est, ut talis ordinatio repetatur, cum quatuor dd. de ea dubitent, et in Pontificali (ubi fit sermo de materia) dicitur: *Et cuppam calicis, et patenam simul tangant* (4): et idem videtur dicendum de eo qui tangit

(1) vide l. 6. n. 749. (2) n. 750.

(3) n. 753. (4) n. 751.

tantum patenam, et calicem, et non hostiam (1).

94. Quaeritur, quando defectus suppleri debeant in ordinatione presbyteratus? Si defectus est circa *essentialia*, nempe circa materiam vel formam, omnino ordinatio repetenda est; et quidem tota, si defectus, sive eius dubium vertitur quoad traditionem primae potestatis super Corpus Christi reale; si vero quoad secundam circa corpus mysticum, tantum secunda repeti debet. Si autem defectus est circa *accidentalia*, tunc si est de re levi, puta si ordinatus non dixerit canonem, talis caeremonia (aut similis) non oportet repeti; si autem in re gravi, quia si defuerit unctio manuum, vel si Neopresbyter non protulerit verba consecrationis cum Episcopo, tunc defectus quamprimum supplendus est, et ab eodem Episcopo (si fieri potest); alias graviter peccaret ordinatus id negligendo, aut in Ordine ministrando (2). Quonam autem tempore praefati defectus suppleri debeant? Respondetur quod si sint circa accidentalia, probabiliter quovis tempore suppleri possunt: si vero circa essentialia, idem dicunt Salmanticenses cum aliis: sed ex probabiliori et communiori sententia supplendi sunt temporibus statutis ordinationum, ut colligitur ex *c. Presbyter*, *de Sacr. non iter.*, nisi agatur de solo dubio validitatis ordinationis, ut probabiliter plures dd. opinantur (3).

§. II. *De Sacrificio Missae.*

95. Sacrificium (loquendo in genere) sic definitur: *Est oblatio rei sensibilis facta Deo per immolationem in signum eius supremi dominii.* Quadruplex autem potest esse Sacrificium: *latreuticum*, ad Deum colendum: *eucharisticum*, ad gratias agendas: *impetratorium*, ad beneficia impetranda: *propitiatorium*, ad veniam obtinendam.

(1) l. 6. n. 752. (2) n. 758. (3) n. 759. (4) n. 305. (5) n. 306.

96. Missa vero definitur sic: *Est Corporis et Sanguinis Domini Iesu Christi consecratio et oblatio.* Et est verum Sacrificium, omnium aliorum rationem complectens; eademque est hostia, quae in cruce oblata fuit, *sola offerendi ratione diversa*, ut docet Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. Essentiam Sacrificii alii dicunt consistere in *consecratione*, alii in *oblatione*, alii in *sumptione*, alii demum probabilius in *consecratione* simul et *sumptione*, ut Bellarm. Soto Bonac. Tournely (4). Ad essentiam autem Sacrificii probabilius requiritur consecratio utriusque speciei, nempe panis et vini, aliter non satis exprimeretur commemoratio Sacrificii cruenti Crucis (5).

97. Quaeritur 1. quae requirantur ad Missam perficiendam? Tria sunt necessaria: *intentio*, *materia* et forma. Requiritur *intentio* consecrandi, sive conficiendi Sacramentum, saltem virtualis, scilicet quae perseveret ex intentione actuali prius habita: quam certe habet qui paratur et accedit ad celebrandum, iuxta dicta hic *n.* 9. Plura nunc sunt notanda de materia et forma Missae. *Materia* est ipse Christus Dominus, realiter existens sub speciebus panis et vini. Panis consecrandus debet esse usualis et communis, ex farina triticea, et aqua naturali (saltem pro maiori parte) confectus, igneque coctus per modum panis, et non cum alia materia ex aequo vel quasi permixtus (ut ait d. Thomas), ac non corruptus, aut corruptioni proximus; alias non est materia apta. Ut autem sit materia licita, in Ecclesia Latina panis debet esse azymus, in Graeca fermentatus (6). Hic autem notandum 1. quod si Graecus transit per loca Latinorum (et sic Latinus per Graeciam), ubi non sit ecclesia, in qua ritus Graecus servetur, potest pro suo arbitrio in azymo et in fermentato celebrare; ita communiter dd. (7). Notandum 2. quod consecrare hostiam fractam, vel maculatam non

(6) n. 198. ad 205. (7) n. 203.

licet; sed non est mortale, nisi fractura vel macula esset valde enormis; ut dicunt Quarti Pasqual.; et La-Croix addit cum Gobat, quod si fractura deprehendatur post oblationem, talis hostia licite consecrabitur, secluso scandalo populi (1). Notandum 3. quod hostia debet esse figurae orbicularis, et maior pro sacerdote; si vero maior desit, ut dicunt Roncag. Quarti Elbel Gobat et Tamb., probabiliter potest sacerdos, etiam causa devotionis, consecrare minorem, modo (advertunt) absit populi scandalum; sed addunt quod hoc scandalum facile praecaveri potest, monendo populum de defectu hostiae maioris (2).

98. Vinum autem debet esse ex uvis expressum, cui ex gravi praecepto Ecclesiae modica aqua est in calice admiscenda (ad significandam unionem fidelium cum Christo), quae saltem non excedat tertiam vini partem; quamvis hanc opinionem aliqui dd. non admittant, nisi vinum sit generosum. Sufficit vero admiscere unam aquae guttam (3). Non est materia apta vinum ex agresta, nec acetum, nec vappa (id est vinum cuius vis evanuerit), nec lora (vulgo *Acquata*). Vinum autem cum alio liquore etsi modico mixtum, vel mustum de uvis tunc expressum, est quidem materia apta ad Sacramentum, sed graviter illicita, ut dicitur in Rubrica; ubi idem docetur de vino, quod *coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre.* Dicunt tamen la-Croix Gobat. et Sporer (4), quod deficiente alio vino, licet uti vino tantum parum acescente: ait enim Card. Lambertinus (*Notif.* 77. *n.* 2.) quod praefata Rubrica deducta est ex doctrina s. Thomae 3. *p. q.* 74. *a.* 5. *ad* 2. qui docet non posse quidem Sacramentum confici de aceto, *posse tamen de vino acescenti, quod est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Unde Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniae, sed tantum illos qui tam proxime incipiunt constituere vinum acescens, vulgo dictum: *vino colla punta*, sive *andato allo spunto.* Nec licet consecrare in vino congelato, nisi liquefiat dum consecratur (5). Quod autem vinum congelatum sit materia apta, nequit dubitari, dum dicitur in Rubrica (*de Defectu §. in hyeme*): *Si in hyeme Sanguis congelatur in calice, involvatur calix pannis calefactis, etc. donec liquefiat.* Ergo per congelationem non corrumpuntur species vini, alias desineret esse ibi Sanguis Christi (6). Quid si celebrans in sumptione adverteret vinum esse corruptum? Alii dicunt sufficere, ut sola fiat consecratio vini. Sed melius est iuxta Rubricam (nisi adsit scandalum) iterum vinum et novam hostiam consecrare, incipiendo a verbis: *Qui pridie, etc.* vide dicta *Tr.* 15. *n.* 54. Et in dubio an fuerit materia apta, etiam est repetenda consecratio vini sub conditione, ut verius aiunt Croix Pasqual. et Aversa (contra Tamb. et Spor.) quia possidet obligatio faciendi Sacramentum integrum (7).

99. Insuper ad validam consecrationem requiritur ut materia 1. sit sensibiliter (saltem moraliter) praesens; unde invalide consecratur materia tam valde modica, ut nequeat sensu percipi, aut valde remota, vel posita post tergum, aut parietem. Dicitur vero *saltem moraliter*, quia bene consecrat caecus, vel existens in tenebris, si aliunde certus sit moraliter de praesentia materiae (8). Requiritur 2. ut sit certa et determinata; saltem aliquo modo certo; tunc autem iam consecratur ex intentione virtuali; licet de ea sacerdos consecrando obliviscatur (9). Si autem ciborium tempore consecrationis remanserit extra altare, probabilius est ipsum rursus esse sub conditione con-

(1) l. 6. n. 204. (2) n. 205. (3) n. 208. et 210. (4) n. 206. et 207. quaer. 1. (5) cit. n. 207. quaer. 2. (6) ibid.

(7) n. 206. v. quoad. (8) n. 211. ad 213. (9) n. 214. ad 215.

secrandum, ut docet Card. Lambertinus (1), tunc enim dubium est an sit facta consecratio (2). Quoad guttas autem vini separatas, sed intra calicem existentes, ait La-Croix (3), expedire, ut sacerdos intendat ea consecrare, ne quid sit in calice non consecratum. Sed melius mihi videtur, id intendere de guttis proximis fundo, non vero de remotis (4). Si afferantur hostiae parvae paulo post oblationem, licite consecrantur, mentaliter oblatione suppleta; Gavant. Tanner. Possev. Aversa etc. Id probabiliter fieri potest etiam post canonem incoeptum, ut aiunt Gobat. Quarti Burghab. Possev. Diana Tamb. et Card. Lambertin. (5) saltem si aliter plures Communione carerent; aut etiam (censeo) si communicaturus non posset expectare, vel si persona gravis aut nobilis Communionem petat, dum propter huiusmodi causas permittunt s. Anton. Silv. Bon. Sa Barb. March. Possev. Gob. Dicastil. etc. dari posse etiam partem Hostiae magnae, vel dividi Hostias minores in plures particulas (6).

100. Forma autem Eucharistiae sunt verba, quae proferuntur in consecratione panis et vini. An autem in consecratione vini sola verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, sint de essentia, vel etiam alia? Utraque sententia est probabilis; sed certe graviter peccat reliqua omittens (7). An vero ad consecrationem requirantur de necessitate Sacramenti verba praecedentia: *Qui pridie quam pateretur etc.*? Communis sententia negat, sed Scotus dubitat, eiusque sententiam Du-Pasquier et Continuator Tournely dicunt non carere omni probabilitate; atque ego dicere improbabilem non audeo (8). Forma autem Eucharistiae debet proferri *recitative et significative*, id est referendo verba Christi, et applicando illa ad materiam praesentem, ut transmutetur ipsa in Corpus et Sanguinem Christi, ut aiunt Concina et Salm. cum d. Thoma (9). Si quis autem propter balbutiem diceret, *Hoc est colpus meum*, vel *copus meum*, vel *corpus meus*, vel *calis*, vel *sanguis*, valide consecrat, ut Suar. Lugo Croix, et alii communiter ex *cap. Retulerunt, de Cons. D.* 4. ubi baptismum collatum, *In nomine Patria, et Filia, etc.* validum declaratur: ratio est, quia voces ita sunt constitutae, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent, modo alium sensum non ingerant (10). Hic autem advertendum sedule id quod ait Rubrica (*tit.* 5. *n.* 2.): *Si celebrans non recordatur se dixisse quae in consecratione communiter dicuntur, non debet turbari* (scil. repetere). *Si vero valde probabiliter dubitat se aliquod essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.*

101. Quaeritur 2. quomodo Christus sit praesens in Eucharistia? Respondetur, Christum in Eucharistia non esse praesentem per *productionem*, *nec per adductionem* de coelo, sed per conversionem substantiae panis in substantiam Corporis Christi, cui conversioni convenienter aptatum est nomen *Transubstantiationis*. Christus autem sub panis et vini speciebus continetur sacramentaliter, et ineffabili modo, qui debet credi, sed intelligi non potest (*verbis exprimere vix possumus*, ait Trident. *sess.* 13. *c.* 1.); Salvator enim existit ibi sine extensione partium in ordine ad locum, et tamen est ibi totum Christi Corpus cum anima et Divinitate per concomitantiam: et unaquaeque pars Christi ibi extra aliam existit. Atque Christus est *totus et integer sub quavis ipsius speciei parte*, ut docet Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. Id tamen intelligendum, *separatione facta*, ut exprimitur ibidem *can.* 3.; nam licet sen-

(1) de Sacr. Miss. lib. 3. c. 18. n. 6. (2) l. 6. n. 217. (3) lib. 6. p. 1. n. 449. (4) vide opus nostrum l. 6. n. 215. v. quaer. (5) Lamb. de Sacr. Mis. l. 3. c. 18. n. 5. (6) vide opus nostrum l. 6. n. 217. v. 4. si parvae. (7) n. 223. (8) n. 222. (9) n. 220. in fin. (10) n. 224

tentia universe affirmans sit communior, non desunt tamen qui oppositum tuentur. In Eucharistia autem, licet non sumatur persona Patris, nec Spiritus S. prout sumitur persona Verbi, quae est hypostatice humanitati unita, tamen sunt in Eucharistia etiam personae Patris et Spiritus sancti ob naturalem unionem, sive naturae divinae identitatem, quam habent cum Verbo.

102. Quaeritur 3. quinam sint in Missa offerentes, et quinam effectus Missae? Offerentes sunt tres: Christus qui est principalis offerens, Ecclesia, et sacerdos, qui offert ut minister tam Christi, quam Ecclesiae; ita Bellarm. (1). Effectus autem Missae sunt quatuor. 1. Est *remissio peccatorum*, non quidem immediate et per se, sed mediate per auxilium quod in Missa impetratur ad poenitentiam, qua venia deinde obtinetur: ita communiter Bell. Suar. et alii cum d. Thoma (2), qui ait Missam *delere peccata, in quantum gratiam contritionis impetrat*. Idque recte docent et communissime aa. cum eodem s. Doctore (*loc. cit. art.* 2. *ad* 1.) contra Canum et Valentiam, procedere tam de mortalium, quam venialium culparum remissione (3). 2. Est *remissio poenarum*; hae per Missam immediate remittuntur homini iusto, pro quo Missa offertur, communiter Gonet Suar. Concina Salm. aliique cum d. Thoma (4) dicente quod hoc Sacramentum, *in quantum est Sacrificium, habet vim satisfactivam*. 3. *Est incrementum gratiae*, non iam ex opere operato et immediate, ut sentiunt aliqui, sed mediate per auxilia quae obtinentur ex Missa ad bonos perficiendos actus, quibus gratia augetur, ut docent Castropal. Vasq. Suar. Lugo etc. communiter. 4. Est *impetratio bonorum* tam spiritualium, quam temporalium, quatenus animae prosunt (5).

103. Hic quaeritur. pro quibus personis possit offerri Missa? Potest pro quibuscumque fidelibus, infantibus, obsessis, et aliis, etsi existant in peccato. An autem pro excommunicatis? Si ipsi sunt vitandi, nequit sacerdos pro illis offerre Missam nomine Ecclesiae, sive ut minister Christi, *cap.* 2. *de Sent. excom.* Si vero sunt tolerati, probabilius est cum Sanch. Navar. Lugo etc. contra alios (6), posse sacerdotem pro his offerre Missam etiam nomine Ecclesiae; licet enim etiam tolerati sint exclusi a communicatione suffragiorum; tamen aliis datum est a Concilio Constantiensi (ut habetur in *Extrav.* Martini V. *Ad evitanda*) libere posse eum ipsis communicare adhuc in Divinis, prout dictum est *Tract.* 19. *de Censur. n.* 15. Sic pariter probabilius licet offerre Missam pro infidelibus, ut docent Bellarm. Laym. Suar. Salm. etc. contra Sotum, quia Christus pro omnibus se obtulit; idque certe licitum fuit in Lege veteri: Iudaei enim pro Gentibus sacrificare iam consueverunt (*l.* 1. *Machab. c.* 12. 11.). Pro defunctis autem in purgatorio existentibus certum est, et de Fide, ut docet Trident. *sess.* 22. *c.* 22. et in *can.* 3. quod licite et utiliter Missa offertur; idque ex infallibili promissione Christi, ut communius et verius (contra Canum, etc.) docent Azor. Suar. Nav. Salm. etc. quia, cum certum sit quod Missa utiliter pro defunctis offeratur, hoc non potest esse nisi ex promissione Christi (7).

104. Quaeritur IV. quotuplex est fructus Missae? Respondetur; fructus Missae alius est *ex opere operato*, nempe ex merito Christi; alius *ex opere operantis*, scilicet ex merito sacerdotis. Item alius est *meritorius*, alius *satisfactorius*, alius *impetratorius*. Item alius *generalis*, qui obtingit omnibus fidelibus vivis et defunctis; alius *specialis*, sive *medius*, ob-

(1) de Sac. Missae c. 4. (2) in 4. dist. 12. quaest. 2. art. 2. quaest. 2. ad 4.
(3) l. 6. n. 311. (4) 3. p. quaest. 79. a. 5.

(5) l. 6. n. 311. v. 2. effectus
(6) n. 309. (7) n. 310.

tingens assistentibus Missae, et ei cui applicatur; alius *specialissimus* obtingens soli celebranti, qui pro illo nequit ullum stipendium accipere, ex prop. 8. damnata ab Alexand. VII.

105. An Missa sit infiniti valoris, tam intensive, quam extensive? Plures dd. negant; plures vero alii probabilius affirmant, ut Gonet Habert Iuven. Petroc. Pignatelli, Tourn. Concina Holzm. Wigandt La-Croix Canus Salm., etc., ac pro his est etiam d. Thomas; quia Missa est idem, quam crucis Sacrificium, quod fuit infiniti valoris. Licet autem valor sit infinitus, effectus tamen Missae finitus est, ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque percipit fructum iuxta suam capacitatem. Sed quia prima sententia est etiam probabilis, nequit sacerdos accipere duplex stipendium a duobus, applicando eis Missam ambobus, ut falso dicebat posse prop. 10. damnata ab eodem Alexandro VII. Nec potest eam danti eleemosynam applicare in generali cum aliis, nisi hoc faciat sub conditione si liceat (1).

106. Quaeritur V. quid de stipendio Missae? Stipendium accipere licet sacerdotibus, etiam opulentis, ut communiter docent Suarez Lugo Concina Tourn, cum Gers. et Thomasin. et aliis plurimis (contra Gennet. et alios paucos); quia *quisque operarius dignus est mercede sua* ex apostolo 1. Tim. 5. 18. (2).

107. Sacerdos peccat graviter, si differat Missam promissam sub stipendio ultra duos menses, ut dicunt Garcia, Philipp. Ripa et alii cum Lugo; item *Instructor Confess. Novell.* (3). ac Tourn. qui ait esse communem sententiam, *bene posse aliquem acceptare stipendia Missarum ad duos menses* (4). Item Concina, qui nil aliud dicit, nisi quod dilatio duorum mensium est gravis, ex Decreto S. C. Si vero Missa sit pro defunctis, dilatio unius mensis erit gravis, ut dicunt Castrop. Escob. et Salm. (5). Imo si Missa dicenda sit pro instanti necessitate, puta imminentis mortis, vel alterius damni, tunc etiam dilatio hebdomadae potest esse mortalis. Vide Cabrinum (6). Recte hic autem advertit *Continuator* Tourn., quod si quis multas daret Missas alicui communitati ad celebrandum, non praesumitur contentus esse quod Missae celebrentur cum tanta dilatione, prout si dedisset uni sacerdoti. Id vero non intelligendum, quod omnes illius communitatis sacerdotes occupare se debeant ad eas subsecutive dicendas, semper enim supponi debet communitas alias etiam habere obligationes; sed quod Missae distribuendae sunt maiori sacerdotum parti (aut saltem alicui eorum convenienti numero, si communitas est valde numerosa), et iuxta distributionem factam poterit deinde communitas satisfacere inter tempus illud, quod unicuique illius permittitur ad suam ratam satisfaciendam. Insuper hic obiter notandum, quod Innnoc. XII. in Bulla *Nuper.* ann. 1667. iussit omnibus ecclesiarum rectoribus ut in loco patenti exponant tabellam onerum Missarum temporalium, et perpetuarum, ad hoc ne onerentur novis oneribus, quibus satisfacere non valeant ut debent (7).

108. Nulli licet dare aliis Missas ad celebrandum, retenta parte stipendii, sub poena ipso facto incurrenda suspensionis Papae reservatae, si est clericus, et excommunicationis, si laicus. ut habetur in Bulla *Quanta cura*, Benedicti XIV. edita 30. Iunii 1741. Et pars retenta tunc debet restitui, et probabilius sacerdoti celebranti potius, quam pauperibus. Excipe nisi pingue illud stipendium detur alicui ratione personae, vel beneficii, aut capellaniae (etiam amovibilis), vel legati perpetui, quia tunc potest persona huiusmodi partem ex-

(1) l. 6. n. 312 (2) n. 317. qu. 1.
(3) part. 2. n. 406. (4) n. 317. qu. 2.

(5) ibid. (6) Cabrin. c. 34. n. 216.
(7) vide ao. cit. instruct. p. 2. n. 409.

cedentem retinere. Administratores autem ecclesiarum ex Decr. S. C. confirmato ab Innoc. XII. nil possunt retinere, nec etiam pro expensis in celebratione Missarum, nisi ecclesia alios non habeat reditus (1); vide haec et alia fusius dicta de stipendio Missae *Tr.* 15. *ex n.* 65.

109. Parochi ex Bulla, *Cum semper*, eiusdem Benedicti XIV. data 19. Aug. 1744. tenentur applicare Missam pro populo omnibus diebus festivis, etiamsi congruam non habeant sustentationem. Si vero pingues habeant reditus, non tenentur saepius Missas applicare, ut in eadem Bulla declaratur (2); vide dicta *Tr.* 7. *n.* 29. Hic autem obiter notandum, quod in eadem Bulla Pontifex decrevit, ut Missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero, pro benefactoribus applicetur, respiciendo benefactores in genere cuiuscumque ecclesiae, quavis consuetudine non obstante (3).

110. Applicatio debet fieri ante celebrationem, vel ante consecrationem. Verius autem (quidquid alii dicant) sufficit applicatio Missae habitualis, ut communiter docent Suarez Lugo Bonac. Tourn. Holzm. Conc. et alii plures (4). Si Missa nulli applicetur, fructus manet in thesauro Ecclesiae, applicatio autem sub conditione non impleta, valida est; si vero fiat primo qui offerret eleemosynam, non solum est illicita ex prohibitione Cl. VIII., sed etiam probabilius saepe erit invalida (5).

111 Quaeritur VI. an sacerdos teneatur aliquando celebrare in anno? Negant, praeciso scandalo, s. Bonav. Caiet. Lugo, et probabile putant Suarez Layman et Palaus. Alii tamen communius cum d. Thoma (quibus ego magis adhaereo) affirmant, cum verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, probabilius verum contineant praeceptum, ut satis declarat Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. dicendo. *Apostolis...., eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba*: *Hoc facite etc.* Praefati autem dd. dicunt, sacerdotes teneri ad celebrandum, saltem ter vel quater in anno, in festis solemnioribus. Parochi vero debent Sacrum facere quolibet die festo, quo tenentur oves illud audire (6); vide dicta *Tract.* 7. *num.* 29.

112. Quaeritur 7. an Rubricae Missalis sint omnes praeceptivae, vel an aliquae sint directivae, sive de consilio? Diversae in hoc sunt sententiae. Nos sequimur sententiam Quarti Merati et Tourn. qui dicunt Rubricas de agendis intra Missam omnes esse praeceptivas, et obligare iuxta gravitatem materiae; nam in Bulla s. Pii sic dicitur: *Districte praecipientes, ut Missam iuxta ritum, modum et normam in Missali praescriptam decantent, ac legant.* Nota tò, *districte praecipientes* (7). Rubricas autem de agendis extra Missam, probabiliter dicunt plures dd. aliquas esse tantum directivas, prout manuum ablutio post Missam, et orationes ante vel post Missam (8). Insuper hic notandum Rubricas praescriptas in Caeremoniali Episcoporum ubique obligare, cum in tribus Bullis ibi positis dicatur: *Caeremoniale praedictum in omnibus ecclesiis servandum, praecipue in Cathedralibus et Collegiatis.*

113. Quaeritur 8. quando Missa dici possit? Sic dicitur in Rubrica: *Missa privata saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Communiter autem dicunt dd. licere Missam terminare in aurora, et illam incipere parum ante meridiem. Imo Benedictus XIII. et Clemens XII. declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertiae partis horae, tum ante auroram, tum post meridiem (9). Praeterea communius et probabilius dicunt Sylvius Castr. Bonac. Ronc.

(1) vide l. 6. n. 321. et 322. (2) n. 325. qu. 2. (3) n. 326. (4) n. 335. qu. 1. (5) n. 337. v. dicunt. (6) n. 313.

(7) n. 399. (8) vide n. 409. et 410. (9) n. 341. v. omnes.

Viva Salm. etc. quod celebrans non peccat mortaliter, nisi incipiat Missam integra hora ante auroram, vel hora post meridiem; alias tantum veniale committit, a quo excusat quaevis causa rationabilis; imo causa gravior, prout esset dandi Viaticum, aut solemnitatis, itineris, vel funeris, omnino excusat, etiamsi dilatio sit per integram horam (1). Ministrare autem Communionem licitum est usque ad Vesperas exclusive: et etiam in Vesperis, si adsit aliqua specialis causa, modo non sit intempesta nocte, id est multo noctis tempore decurso (2). Celebrare autem ante Matutinum, et Laudes, alii dicunt esse mortale, alii nullum peccatum; alii autem verius et communius, ut Suarez Sotus Silvester Tourn. Bellarmin. etc. (quibus assentit etiam Benedictus XIV. *de Sacr. Missae l.* 3. *cap.* 13. *n.* 4.) aiunt non esse mortale, quia talis gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter est recepta ut gravis; sed non excusari sentiunt a veniali, cum in Rubrica iam inter defectus numeretur (3). Missam autem conventualem dicere ante Matutinum et Laudes non excusatur a mortali, ut communiter docent dd. contra Sanchez (4). Celebrare in die Coenae Domini, et Sabbati sancti (quidquid alii dicant) nullo modo licet nec etiam privatim, ut patet ex Decreto Clementis XI. quod refertur (5), quodque confirmatum fuit ab Innoc. XIII. apud Merat. *in Indice Decretorum num.* 495. 501. 504. *et* 637.

114. Quaeritur IX. ubi liceat Missam celebrare? Respondetur: in oratoriis ab Episcopo benedictis, et designatis ad usus sacros, sive in seminariis, conservatoriis et hospitalibus, et etiam in domibus privatis (modo oratorium habeat ianuam in via publica; item in oratoriis Religiosorum (*circa Regulares vide dicta Tr.* 20. *n.* 121. *et* 122.), necnon in erectis in palatiis Episcoporum, omnes possunt celebrare et quovis tempore, etiam in festis solemnibus, quia huiusmodi oratoria sunt verae ecclesiae. In oratoriis autem privatis, in quibus tantum ex privilegio pontificio celebrari potest, non licet Sacrum facere diebus in Indulto exceptis, scilicet Paschatis, Pent. Natal. Dom. Epiph. Annunt. Ascens. Assumpt. B. V. SS. Petr. et Paul. et omnium SS. Nec potest in eis celebrari, nisi intersit aliqua ex personis, quibus directe concessum est Indultum, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla, *Cum duo nobiles* (6). Nec possunt ibi plures celebrari Missae, si ibi dicitur (ut consuetum est): *una Missa quotidie celebretur*; declaravit enim Benedictus XIV. in Bulla, *Magno*, sub die 2. Iun. 1751. illud *una* idem esse ac unica (7). An autem in his privatis oratoriis possit ministrari Communio? Alii affirmant, alii communius negant; et Benedictus XIV. in *Ep. Encycl.* ad Episcopos Poloniae §. 23. sub eadem die 2. Iun. 1751. prohibuit dari Communionem in privatis oratoriis sine licentia Episcopi (8). Celebrare autem in mari nunquam licet, nisi ex licentia expressa Pontificis (9).

115. Celebrans in ecclesia polluta per notoriam effusionem sanguinis in notabili quantitate (nam in *c.* 10. *de Cons.* dicitur *sanguinis effusione*), vel seminis, aut per sepelitionem infidelis, haeretici, vel excommunicati, antequam reconcilietur ab Episcopo (vel a sacerdote ab Episcopo delegato, si ecclesia fuerit tantum benedicta), graviter peccat; sed nullam incurrit poenam, ut probabilius dicunt Suar. Laym. Lugo et alii cum Benedicto XIV. *de Sacr. Missae* (10). Sic etiam est mortale celebrare in ecclesia exsecrata, nempe si eodem

(1) lib. 6. n. 343. ad 346. (2) n. 352. (3) n. 347. (4) n. 348. (5) n. 350. (6) vide Bullar. Mech. t. 13. p. 220. et l. 3. n. 319. v. probabile.

(7) l. 6. n. 359. circa fin. (8) cit. n. 359. v. quaeres. (9) n. 356. (10) n. 361. ad 366.

tempore demoliti sint parietes pro maiori parte, vel crusta ablata (1). An autem liceat sacerdotibus celebrare in ecclesiis Regularium contra prohibitionem Episcopi? Vide dicta *Tr.* 20. *n.* 75. *et* 77.

116. Quaeritur 10. quae requirantur sub gravi praecepto ad rite Missam celebrandam? Requiritur 1. *altare*, sive *ara lapidea* ab Episcopo consecrata, cum sepulchro reliquiarum et sigillo, ubi omnino reponendae sunt Hostia et particulae consecratae (2). Exsecratur autem altare, ita ut mortale erit in eo celebrare, si mensa consecrata removetur ab inferiori structura, vel si ara notabiliter frangitur, aut ab ea auferuntur reliquiae, aut sigillum, prout habetur in Decreto S. C. Rituum (3). In altari requiruntur etiam tres mappae, nec sufficiunt duo, ut aliqui dicunt; sufficiunt tamen una separata et altera duplicata (4).

117. Requiritur 2. *calix* et *patena*, consecrata. Exsecratur autem calix, si notabiliter frangitur in cuppa, vel si in fundo perforetur; non vero si pereat eius inauratio, ut probabilius et communiter docent Lugo Suar Silvest. Tourn. Laym. etc. Hinc probabilius est, calicem de novo inauratum non indigere nova consecratione; hoc tamen intelligitur, si calix tantum superficialiter inauretur, nam si ad ipsum inaurandum tota eius superficies eradatur, tunc probabilius est cum Suarez Sylvio et aliis calicem rursus fore consecrandum; exemplo ecclesiae, quae (ut diximus *n.* 115. *circa fin.*) si eius crusta tota, vel in maiori parte pereat, vel auferatur, iterum consecranda est. Celebrare autem in calice nunquam deaurato, probabilius est esse illicitum, sed non nisi venialiter, ut dicunt Lugo et Tourn. Cum calix separatur a pede, amittit utique consecrationem, si cuppa est pedi fixa; secus si pes est tornatilis, et de se separabilis (5). Communiter autem docent Laym. Gav. Tourn. Bon. Ronc. etc. pyxidem non esse consecrandam (6). Dubitatur vero an saltem sit benedicenda? Negant communius Suarez Sylv. Azor. Sot., etc., idque non videtur improbabile; sed probabiliu affirmant Salm. Tourn. et alii cum Card. Lambertino (qui tamen omissionem non reputat plus quam venialem), quia hoc est conformius Rubricae Missalis, in quo dicitur quod sacerdos hostias pro communione *locat ante calicem, aut in aliquo vase mundo benedicto.* Et idem dicendum de lunula ostensorii, ubi in expositionibus Hostia collocatur (7).

118. Requiritur 3. *vestes sacrae*, benedictae ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem a Pontifice. Graviter peccat qui celebrat sine alba, aut stola, aut manipulo, aut cum ipsis non benedictis (nisi gravis excuset necessitas): secus tamen plures dd. non improbabiliter dicunt de celebrante sine cingulo, aut amicto (8). Quoad cingulum declaravit S. C. 21. ian. 1701. sacerdotem congruentius uti cingulo lineo, quam serico. Vestes autem exsecrantur, quando usum suum deperdunt, nempe si ab alba manica absciditur: cingulum, si ita rumpitur ut neutra pars cingere possit: stola, si non possit humeros operire; vel si pars eius ita scinditur, ut deperdatur forma: nec sufficit eam resarcire, destructa enim forma desinunt partes esse sacrae (9). Color autem vestium probabilius est quod sit de praecepto, non tamen gravi (10).

119. Requiritur 4. *corporale benedictum* ex lino, vel cannabe (11). Exsecratur autem corporale, si ita frangitur, ut non possit amplius decenter continere calicem et patenam cum hostia (12). Cavendum est ne corporale sit valde immundum, in quo dicunt Suarez Laym. et Tamb. posse

(1) l. 6. n. 367. et 368. (2) n. 372. et 373. (3) n. 369. (4) n. 374. et 375. (5) n. 370. (6) n. 384. (7) n. 385.

(8) n. 377. (9) n. 371. (10) n. 378. dub. 5. (11) n. 386. (12) n. 371

etiam graviter peccari; quamvis addat Tamb. ex eodem Suar. illud *valde immundum* difficulter evenire. Caeterum uti corporali, et aliis paramentis immundis, licet non valde, non excusatur a veniali, nisi alia haberi nequeant, ut Croix cum Suar. et Gobat. Imo ait Tourn., quod in necessitate, nempe si sacerdos aut alii deberent omittere Missam de praecepto, licitum est uti corporali etiam notabiliter immundo (1).

120. 5. *Palla* etiam debet esse benedicta et ex lino, vel cannabe, saltem ex parte interiori, ut ait Suar.; sed ex Decreto S. C. dictum fuit: *Non adhibenda est palla a parte superiori drappo serico cooperta.* Non autem improbabiliter dicunt Sotus et alii, quod celebrare sine palla, non est mortale, cum ipsas sacras species non tangat immediate (2). Requiritur etiam *purificatorium*, quod probabilius non oportet ut sit benedictum (3).

121. Requiritur 6. *Missale Romanum* continens saltem integrum canonem. Dicunt autem communissime et probabiliter Suarez Vasq. Laiman Palaus Lugo Salm. Croix, etc. non peccare celebrantem sine Missali, si memoriter bene sciat dicenda, et ob praeteritam experientiam non sit ei periculum errandi. Uti vero Missali Regularium (scilicet celebrando iuxta eorum ritum) est mortale etiam in ipsorum ecclesiis (4). Requiritur 7 *minister* sub gravi obligatione, saltem usque ad oblationem, nisi urgeret necessitas dandi Viaticum, vel etiam ne omittatur Sacrum in die festo. Minister debet esse masculus, nam foeminae sub gravi culpa prohibentur immediate ministrare in altari. Dicunt tamen communiter Laym. Suar. Tourn. Molf. Homob., etc. non peccare graviter qui celebrat respondente muliere. Imo dicunt Palud. Wigandt Tourn. Lugo Laym., etc. bene permitti, quod foeminae quandoque respondeant a longe, maxime si sint moniales, modo (ut diximus) non immediate in altari ministrent (5).

122. Requiritur 8. *crux cum Crucifixo*, etiamsi in altari expositum sit SS. Sacramentum, ut habetur ex Caeremoniali Episcoporum, et Decr. S. C. Utrum autem sit mortale celebrare sine cruce? Negant communiter Laym. Suar. Bonac. Tournely Concina Habert. Merati, etc. sed animadvertendum, quod Benedictus XIV. in Decreto directo ad omnes Episcopos sub die 16. iulii ann. 1746. incipiente *Accepimus* (vide in *Bullar. tom.* 2. *Decretum* 17., *et in edit. Mechl. t.* 4. *p.* 263.) sic ibi in fine vers. *Itaque*, praecipit: *Illud vobis praecipimus, ut nullo modo patiamini rem divinam fieri ad huiusmodi altaria, nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut sacerdos ac populus eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint, quod evenire nequit, si exigua solum crux minori tabulae defixa fidelibus exhibeatur.* Prius enim in eodem Decreto vers. *Equidem*, dixerat: *Illud permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his altaribus celebretur, quae careant imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat.* Hic etiam notandum ex Ceremoniali Episcoporum, quod si in altari adest statua Crucifixi, non oportet, ut alia crux apponatur. Idque confirmatur in praefato Decreto Benedicti, dum ibi dicitur ex sententia Pasqualigi, Quarti et Giribaldi, cui se conformavit S. C. Rituum in quodam Decreto (16. iun. 1663.) apud Meratum (*tom.* 1. *in indice n.* 400.) sufficere Crucifixum in maiori tabula altaris depictum, aut caelatum. Docet etiam Pignatellus (6) non esse opus ut crux, aut aliae sacrae imagines sint benedictae (7). Requiritur 9, *duplex candela* accensa ex cera; non

(1) l. 6. n. 371. (2) n. 388. (3) n. 389. (4) n. 390. (5) n. 391. et 392.

(6) Pignatell. t. 9. Consult. 186. n. 6. (7) l. 6. n. 393.

ex sebo, vel oleo, nisi celebrandum sit ex necessitate, non autem si ex devotione (1). Requiritur 10. et ultimo, *bursa*, *velum*, *pulvillus* (sive *legile*), et *manutergium*; at sine istis celebrare merito ait La-Croix, nullum esse peccatum (2). Celebrare capite cooperto per totam Missam est mortale, secus usque tantum ad canonem (3).

123. Notandum 1. quod Neo-Presbyteri consecrando cum Episcopo, vere celebrant, licet unum Sacrificium faciant; in quo autem primarius celebrans est Episcopus, et sacerdotes sunt etiam causae totales consecrationis, sed morales, quae unum effectum pariunt: ad differentiam causarum totalium physicarum, quae diversos causant effectus. Quisque autem ordinatus in sacerdotium debet tunc proferre verba consecrationis, cum intentione consecrandi, attamen sub conditione si conformentur sua eodem tempore cum verbis Episcopi, alias graviter peccaret (4).

124. Notandum 2. quod Episcopus Neo-Presbyteris tres iniungit Missas celebrandas, unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Virgine, tertiam pro defunctis. An autem sit obligatio gravis has dicendi Missas? Affirmant Suar. Laym. Azor. etc.; sed negant Sotus Palaus Val. Pelliz. etc. Caeterum duo videntur certa, 1. quod hoc Episcopi praeceptum transgredientes saltem venialiter peccent; 2. huiusmodi praeceptum non obligare ad applicandas Missas pro Episcopo, cum id non exprimatur, tanto magis quia ipse subdit: *Et etiam pro me orate*. Nota autem, quod illae tres Missae dicendae sunt primis diebus, in quibus Missae votivae dici possunt (5).

125. Notandum 3. quod, ut communiter traditur, Missa celebranda est alte, breviter, clare, devote, et exacte. *Alte*, ita ut non dicantur submisse, quae alte sunt dicenda: sed ita proferantur, ut saltem a *circumstantibus audiantur*, prout dicit Rubrica; alioquin celebrans non excusatur a culpa, sed tantum veniali. Idem dicendum de eo qui alte recitat, quae submisse dici debent. Imo Gavantus et Quarti putant esse mortale (sed non satis id ratione probant) dicere alta voce ea quae submisse sunt dicenda, et consentit La-Croix quoad verba consecrationis, dicens peccare mortaliter qui illa proferret ita elate, ut audirentur ad decem passus, ubi magna esset populi pars; sed merito p. Concina hoc non audet approbare (6). *Breviter*, id est ut, ordinarie loquendo, non excedatur media hora, monente Rubrica, ut Missa non dicatur *nimis morose*, *ne audientes taedio afficiantur*. Subdit autem Rubrica, *Nec nimis festinanter*; hinc sapienter ait Card. Lambertinus (7) cum aliis communiter, Missam non debere esse longiorem dimidia hora, nec breviorem triente, id est tertia parte horae. Qualiter autem peccent qui celerius celebrant, vide dicta *Tr.* 15. *n.* 84 *et seq.* ubi diximus Missam (etiamsi sit defunctorum) persolventem infra quadrantem non excusari a culpa gravi. *Clare*, id est sine verborum mutilatione: quae si sit notabilis, et sensus per ea varietur, erit mortalis (8). *Devote*, id est sine distractione, quae si voluntaria sit in canone, et praesertim in consecratione et sumptione, erit mortalis, ut vult Tamburinus, licet aliqui contradicant. Si autem habeatur extra canonem, dicitur idem quod dictum est de Horis canonicis (vide *huius append. n.* 75.). *Exacte*, id est ne omittatur aliquid de iis quae dicenda sunt. Hic autem notandum, quod si omittantur partes ordinariae, nempe quae in Missa semper dicenda vel agenda sunt, erit mortale, si materia sit notabilis, prout esset omittere in canone quamlibet orationem, vel *Pater noster*, vel fractionem Hostiae cum illius mixtione in calice, vel purificationem patenae et calicis

(1) l. 6. n. 394. (2) n. 395. (3) n. 397. (4) n. 232. (5) n. 829. (6) n. 415 et 416.

(7) notif. 34. n. 30. (8) l. 6. n. 407.

post sumptionem, vel octo, aut decem verba canonis. Sic pariter erit mortale extra canonem omittere totum introitum, vel duas ex collectis principalibus, vel epistolam, Evangelium, offertorium, vel infusionem aquae in vinum consecrandum. Veniale tamen erit omittere tantum psalmum, *Judica Kyrie eleison*, unam ex collectis, unam vel alteram crucem super oblata, tunsionem pectoris, vel ablutionem digitorum, et idem probabiliter dicunt de Lugo, et alii de Evangelio s. Ioannis (1). Sic quoque veniale tantum est omittere partes extraordinarias, uti sunt *Gloria*, *Credo*, *Sequentia*, *Tractus*, propriam praefationem, aut *communicantes*, et *Hanc igitur*, propria; ita communiter omnes, nisi tot partes omittantur, quae simul sumptae notabilem constituerent materiam, ut bene advertunt Concina et Wigandt, quicquid dicant Quarti et Pasqual. (2).

126. Notandum 4. prohiberi Missas votivas, vel de *Requiem* in Dominicis et festis duplicibus, atque in octavis privilegiatis; nisi graves urgeant causae, nempe si urgeat publica necessitas, si fiat expositio SS Sacramenti per 40. horas, item in die obitus praesente cadavere, etc.: haec autem intelligenda tantum de Missa solemni (3). An autem in praedictis festis vetentur Missae votivae sub gravi culpa? Negant communiter Lugo Suar. Bonac. Escob. Salm. Ronc. et alii plures: recte vero limitant Escob. et Roncaglia, si tunc occurrat festum solemne, saltem propter grave populi scandalum. Imo in festis duplicibus Missae *de Requiem* districte prohibentur in Decreto S. C. approbato ab Alex. VII.; in pluribus autem casibus cantari possunt Missae defunctorum in duplicibus etiam maioribus scil. 1. In die obitus praesente cadavere; et hoc etiam in Dominica, vel in aliis solemnioribus, modo non sint 1. classis. 2. Cum primum habita fuerit notitia obitus alicuius. 3. In anniversario relicto a testatore. Item in die tertio, septimo, et trigesimo: si vero hi dies accidant in festo de praecepto, transferantur in diem sequentem, vel anticipentur sub eodem ritu. 4. In festo duplici min. si petatur anniversarium pro aliquo defuncto, potest cantari Missa. Ita ex pluribus Decr. S. C. Rit. (4). Exceptis autem festis duplicibus, aliisque ut supra, de Missis votivis sic loquitur Rubrica: *Missae votivae in Missis privatis dici possunt pro arbitrio sacerdotum.* Sed deinde statim advertit: *Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, prout esset specialis devotio sacerdotis, vel petitio de votiva dantis eleemosynam.* Quapropter dicens votivam praeter has causas, vix excusabitur a veniali (5). Caeterum tenetur sacerdos Missas votivas celebrare, iuxta petitionem dantium eleemosynam, diebus quibus licite dici possunt. Hincque notandum cum d. Thoma (6), quod Missa *de Requiem* magis prodest defunctis propter orationes, quae in ea dicuntur.

127. Notandum 5. non licere pluries in die sacrificare, nisi in hisce casibus: 1. ad ministrandum Viaticum; 2. si die festo adveniant personae, quas non deceat Sacrum omittere, uti rex, aut princeps, aut episcopus: 3. si pastor habeat duas parochias dissitas, et aliter populus alter careret Missa in festo de praecepto (7). Advertit tamen Benedictus XIV. in Brevi, *Declarasti*, edito 16. martii an. 1746. (*in Bullar. t.* 2. *et in edit. Mechl. t.* 4. *p.* 32.) quod de hac re semper impetranda est facultas ab Episcopo, etiamsi necessitas intercedere videatur. Praeterea advertit, quod de casibus enuntiatis solus casus, cum parochiae sunt dissitae, in consuetudine est. Item advertendum olim licuisse parocho in die Dominica post Missam pro populo di-

(1) l. 6. n. 403. ad 406. (2) n. 409.
(3) n. 421. (4) ibid. (5) n. 419.
(6) suppl. q. 71. a. 9. ad 5.

(7) Cabr. c. 24 n 416 et vide Busemb. apud l. 6. n. 351. et 352.

cere alteram pro defuncto, praesente cadavere; sed idem Benedict. XIV. in Indulto *Quod expensis*, *etc.* dato 26. aug. 1748. in §. *Nova*, circa fin. (*in Bullar. t.* 2. *et in edit. Mechl. t.* 6. *p.* 241.), declaravit id hodie non amplius permitti, cum liceat parocho dicere Missam pro defuncto, et transferre Missam pro populo ad diem infra hebdomadam.

128. Notandum 6. quod si, dum celebratur, ecclesia polluitur, vel accedit excommunicatus vitandus, qui monitus nolit discedere, tunc sacerdos ante consecrationem Missam dimittere debet: postea vero pergat usque ad sumptionem, et statim discedat; vide dicta *Tr.* 19. *n.* 21. ad 2. Demum hic notandum, quod facta consecratione nunquam licet Missam interrumpere, nisi tantum ad baptizandum, vel absolvendum hominem iamiam moriturum; ita dd. communiter (1).

§. III. *De potestate sacerdotis*

129. Simplex sacerdos ex potestate Ordinis suscepti tantum Eucharistiae Sacramentum conficere potest, et etiam ministrare, excepta Communione paschali: nam ad illam requiritur potestas iurisdictionis. Hinc nequit sine licentia parochi baptizare, neque Extremam-Unctionem, aut Viaticum ministrare, nec matrimonio assistere; et sine licentia Episcopi expressa, aut saltem praesumpta de praesenti nequit extra casum necessitatis confessiones excipere, nec etiam venialium aut mortalium prius confessorum ex Decreto Innoc. XI. (vide dicta *Tr.* 16. *n.* 76.). Quia ut dicitur in Trid. ratio iudicii, quod exercetur in administratione Poenitentiae, exposcit, ut iurisdictio non exerceatur nisi in subditos, qui per licentiam Episcopi sacerdoti subiiciuntur.

130. Diximus autem superius *n.* 35. quod initiandi ad presbyteratum debent habere scientiam eorum, saltem quae communiter scienda sunt ad excipiendam confessionem moribundi. Quapropter refert hic adnotare pauca principaliora, et scitu magis necessaria. Notandum 1. quod sacerdos simplex nequit infirmum absolvere in praesentia confessarii approbati, exceptis sequentibus casibus: 1. Si approbatus nequeat vel nolit confessionem excipere. 2. si approbatus sit excommunicatus vel suspensus. 3. Si esset approbatus tantum in alia dioecesi. 4. Si infirmus ita horreret apud illum confiteri, ut esset in periculo occultandi peccata. 5. Si approbatus superveniat post incoeptam confessionem apud simplicem sacerdotem. 6. Si approbatus sit complex infirmi in peccato turpi (iuxta dicta *Tr.* 16. *n.* 94. *in fin. et* 95.). Notandum 2. quod si moribundus absolutionem postulat, vel signa dat poenitentiae sacerdoti praesenti, absolute est absolvendus: si vero est sensibus destitutus, et adsit alter qui testatur ipsum postulasse confessarium vel signum ostendisse doloris, tunc alii dicunt etiam absolute absolvi posse; sed tutius cum aliis dicimus absolvendum sub conditione. Et sic absolvendum censemus cum pluribus, etiamsi moribundus nullum dederit signum; imo etiamsi fuerit destitutus in actu peccati (vide *dicta cit. tract.* 16. *n.* 36. *ad* 39.). Notandum 3. quod sacerdos simplex, deficiente approbato potest absolvere fideles a quibusvis peccatis et censuris, non solum in articulo, sed etiam in probabili periculo mortis. Censetur autem in periculo mortis esse, non tantum qui laborat morbo proxime periculoso mortis, sed etiam qui longam navigationem aggreditur, vel mulier quae est in difficili partu; item qui est in periculo incidendi in amentiam; insuper qui est captivus apud infideles, carens spe libertatis, et habendi confessarium approbatum. Notandum 4. quod infirmus qui absolvitur a censuris reservatis, monendus est, quod si convalescat, tenetur se praesentare Superiori, alias in easdem censuras

(1) lib. 6. n. 354.

reincidat, secus vero si absolvitur tantum a peccatis reservatis sine censura. Ultimo notandum, quod quisque sacerdos, ut sit idoneus in necessitate ad excipiendas confessiones infirmorum, debet non ignorare saltem principia universalia scientiae moralis.

§. IV.

De munere docendi et praedicandi.

131. Cum autem sacerdotis etiam sit docere populos, et praedicare Evangelium, operae pretium est hic demum adnotare, quae docenda sint, et quomodo Evangelium explicandum. Quoad primum, docendum quatuor esse necessaria ad salutem, nempe Fidem, Spem, Charitatem, atque bona opera. Et 1. quoad Fidem, quia Deus veritas infallibilis revelavit Ecclesiae, tenemur explicite scire et credere Deum existere, et remuneratorem esse; ac Mysterium SS. Trinitatis, atque Incarnationis Filii Dei. Haec de necessitate medii. De necessitate autem praecepti quisque tenetur etiam scire et credere Orationem dominicalem, Salutationem angelicam, praecepta Decalogi, et Ecclesiae; item Sacramenta, praesertim ea quibus omnes indigent, nempe Baptismi, Eucharistiae, et Poenitentiae, et alia, saltem dum ea suscipiuntur. 2. Quoad Spem, quia Deus omnipotens, misericors et fidelis promisit propter merita Iesu Christi, tenemur sperare a Deo aeternam beatitudinem, et media ad eam consequendam, veniam nimirum peccatorum, et perseverantiam finalem. 3. Quoad Charitatem, quia Deus est bonitas infinita, tenemur eum super omnia diligere; huic autem praecepto alterum adiicitur charitatis, scilicet diligendi proximum, sicut nos ipsos. 4. Ad salutem demum obtinendam, sunt etiam necessaria bona opera, servando mandata Dei, et Ecclesiae, quae in Decalogi et Ecclesiae praeceptis continentur.

132. Quod autem spectat ad secundum munus explicandi Evangelium, sive Scripturam, sciendum duos ipsam sensus habere, *litteralem*, et *mysticum*. Ille est *litteralis*, qui per ipsa verba significatur. *Mysticus*, qui non significatur per verba, sed per rem ipsis verbis significatam, v. gr. cum dicitur: *Si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum, etc.* Hic non quidem praecipitur oculi abscissio, sed scandali, sive occasionis. Sensus autem *mysticus* in tres alios subdividitur. In *allegoricum*, scilicet spectantem ad res credendas. 2. In *anagogicum*, spectantem ad bona speranda. 3. In *tropologicum*, spectantem ad mores. Regulariter verba Scripturae in litterali sensu accipi debent, nisi adsit absurdum, prout cum dicitur: *Petra autem erat Christus*, et similia. Saepe autem Scripturae textus utrumque sensum habent, litteralem simul et mysticum. Mystico saepe convenit, ut sacerdotes in concionibus utantur, praesertim si est tropologicus, sive moralis. Licet etiam uti aliquando sensu vocato *accommodatitio*, modo id pie et prudenter agatur.

APPENDIX IV.

DE NONNULLIS MONITIS NOTABILIORIBUS AD CONFESSARIOS ET PAROCHOS: ADIECTA IN CALCE PRAXI ORATIONIS MENTALIS, QUAM EDOCERE POSSUNT EOS QUI IN EA VERSATI NON SUNT.

§. I. *Monita ad confessarios.*

Ex his omnibus quae superius diximus adnotanda hic sunt aliqua principaliora, quae confessarius attendere debet in officio suo exercendo.

1. Primum omnium curet ex una parte, ut quam maximam adhibeat charitatem in excipiendis peccatoribus, et in excitandis eorum animis ad fiduciam in Dei misericordia collocandam: sed ex alia parte caveant ne ob humanum respectum praetermittant illos ea qua opus est fortitudine admonere, simulque ante eorum oculos preponere infelicissimum in quo reperiuntur, statum, media opportuna praescribendo, quibus ex malis habitibus, iam male vivendo comparatis, se liberare possint. Et praecipue sit inflexibilis in differenda absolutione, quoties oportebit. Hoc primum monitum forsan, quinimo est quod maximum omnium habet momentum; quod si confessarius non exequatur, nec suam nec aliorum operabitur salutem.

2. Rudes et alios neglectae conscientiae non omittat interrogare, utrum sciant principalia Fidei mysteria, et caetera scitu necessaria ad salutem aeternam, ut dictum fuit *Tr. ult. n.* 18. Et insuper ne omittat eosdem interrogare de iis in quae frequentius labi solent, cum de illis se non accusant, iuxta dicta ex *cit. n.* 18. *ad* 30.

3. Cautissimus sit in interrogando de materia turpi, praesertim puellas et pueros, ne quod ignorant, isti addiscant, aut saltem ad curiositatem excitentur. Ex alia parte non omittat exquirere ab eis an in hac materia aliquid deliquerint, quod rubore celaverint. Et circa hoc non sibi satis habeat illos perfunctorie et in generali interrogare utrum in conscientia habeant aliquod peccatum ex rubore omissum; nam a quibusdam nimirum a rudibus, pecudum custodibus, puellis et iuvenculis opus est semel atque iterum solerter expiscari aliquod peccatum quod reticent, argutias et circumlocutiones adhibendo. Hoc maxime efficiendum, ut eis animus praebeatur, et dicatur ne timeant, quia ipse absolvet eos ab omnibus peccatis; et quod si omnes conscientiae sinus aperient, deinde maximam pacem, et consolationem conscientiae assequentur. Haec diligentia praesertim cum moribundis adhibeatur. Et non abs re erit si idem efficietur cum puellis quae devotionem profitentur: quot ex istis reperiuntur sacrilegiis gravatae, ob aliquod peccatum quod reticuerunt? Sed potissimum astutiis utendum cum pueris et puellis, qui spirituales non sunt. Prius interroget, utrum pravas cogitationes habuerint? si protulerint, aut audiverint verba obscoena, et deinde, si inter se manibus iocaverint? et an id egerint clanculum? Quod si affirmaverint, signum erit illos lusus fuisse illicitos. En celebrem regulam quam tradit s. Thomas (1): *Frequenter quae prae confusione poenitens taceret, interrogatus revelat, etc.* Et deinde: *In interrogationibus faciendis attendendum, ut non fiat explicita interrogatio, nisi de illis quae omnibus manifesta sunt; de aliis autem ita debet a longinquo* (nota) *fieri interrogatio, ut si commisit, dicat; si non commisit, non addiscat.* Item Sanctus monet confessarium, ne in peccatis turpibus *descendat nimis ad*

(1) D. Thomas in 4. d. 19. q. 2. in fin. Expos. text. v. et dicendum.

particulares circumstantias. Notandum illud *nimis*, quod significat regulariter loquendo non esse omittendas illas interrogationes, quae opus sunt ad cognoscendam substantiam peccati cum suis speciebus et numero. Praeterea hic iuvat animadvertere, quod si confessarius in excipiendis confessionibus sensuales tentationes pati solet, modo illis non assentiatur, et voluntarie eis causam non praebeat, nihil debet pavore concuti, nec propterea debet ab excipiendis confessionibus abstinere: nam hoc intendit daemon eum deturbando huiusmodi tentationibus, ipsum a bono, quod operatur, removere. Antequam confessionarium ingrediatur, protestetur se nullis suggestionibus velle assentiri, se commendet Mariae SS. et postea in confessionario mentem ad Deum elevet; et cum vehementius vexatur, se vertat versus aliquam imaginem devotam, et illi se commendet. Caeterum satis erit illi qui est timoratae conscientiae, invigilare ad non praestandum consensum illis suggestionibus, aut motibus sensualibus, quos patitur, ut iam dictum est *Tr.* 3. *n.* 40. *et seqq.*

4. Patres matresque familias interroget non modo in genere circa filiorum educationem, sed etiam in particulari, et maxime exquirat, utrum filios sicut oportet corrigant; an curent ut illi addiscant doctrinam christianam; ut consortium eorum qui pravo sunt exemplo, vel diversi sexus, vitent, et praesertim si puellae sunt, ne cum iuvenibus conversentur, et multo minus cum personis suspectis, scilicet cum uxoratis, Religiosis, et Ecclesiasticis.

5. Etiamsi valde frequens esset poenitentium concursus, non acceleret confessiones plus quam par est, ita ut ob audiendas plurium confessiones, deficiat, vel circa integritatem confessionis, vel circa debitam dispositionem, aut omittat illis necessaria monita suggerere.

6. Cum aliquis confitetur aliquod grave peccatum, et praesertim si pluries illud iteraverit, non sufficiet exquirere tantummodo speciem et numerum; sed interroget amplius, utrum ante in illud cadere consueverit, et insuper exquirat de qualitate personae cum qua peccaverit? et quo loco? ut cognoscat utrum sit habitus, aut occasio quae sit auferenda. Et in hoc desunt non pauci confessarii, et inde tot animarum ruina emanat: omittendo enim confessarius huiusmodi interrogationes, nequit dignoscere utrum poenitens sit recidivus, et consequenter nequit illi remedia opportuna exhibere ad extirpandum habitum, vel occasionem. Observetur quod dictum est *Tr. ult. ex n.* 2. *ad* 17. ubi vidimus *n.* 9. quod poenitens recidivus non potest absolvi, nisi post emendationis experientiam, vel post exhibitum suae dispositionis extraordinarium aliquod signum. Et cum agitur de occasione proxima forti magnoque sit animo, postposita omni personarum acceptione, in differenda absolutione quousque poenitens occasionem removeat, quando actu existit, ut explicavimus *n.* 7.; at si occasio est necessaria, saltem quousque ex proxima fiat remota adhibendo media sibi praescripta; *ibid. n.* 6. Potissimum sit inflexibilis in deneganda absolutione sponsis qui consuetudine invicem utuntur, sicut et parentibus qui id permittunt, neque credat illis asserentibus nihil inter se inesse mali: hoc enim est moraliter impossibile, ut docet experientia; vide *Tr. ult. n.* 3. ubi etiam sermo fit de iis, qui invicem se adamant.

7. Deneget absolutionem quoque illis, qui ad aliquem sacrum Ordinem promoveri cupiunt, dum adhuc aliquo vitioso habitu tenentur, nisi prius perspexerit illos positivam probitatem ad hunc gradum tantopere a sacris Canonibus requisitam adeptos fuisse, ut dictum est *ibid. n.* 16. *et* 17.

8. Caveat etiam ne a vocatione religiosa ob humanos respectus aliquem adolescentem dissuadeat; quod qui-

dem a peccato mortali excusari nequit, ut docet s. Thom. *Quodlib.* 3. *a.* 14. Quot imperiti confessarii sibi scrupulum non faciunt quod iuvenes, qui ad statum perfectiorem sunt vocati, a bono proposito avertunt, nulla alia ducti ratione. nisi ut eorum propinquis obsequantur, asserendo filios morem parentibus gerere debere! Docent communiter dd. cum s. Thoma in status electione unumquemque sua frui libertate: et Deo potius vocanti. quam parentibus parendum esse. E contrario advertat confessarius non posse absolvi quosdam qui non vocati ad sacros Ordines ascendere vellent, prout notatum est fusius *Append.* 3. *n.* 45.

9. In excipiendis sacerdotum confessionibus sit suavis atque urbanus; sed contra sit fortis in correctionibus debitis adhibendis, aut in deneganda absolutione, cum iudicii ratio sic exigit. Potissimum hac fortitudine agendum est cum sacerdotibus, qui in gravia peccata relapsi, quin se unquam emendaverint, ausi sunt tamen celebrare, aucupando absolutionem ab aliquo confessariorum qui hoc funguntur officio et laborant, ut damnentur. Hi sacerdotes pravis habitibus detenti palam solent in sacristia confiteri, ut absolutionem, quae eis deneganda esset, extorqueant sub praetextu scandali, quod eveniret (quemadmodum illi exponunt), si a celebrando desistere deberent. Sit constans confessarius cum huiusmodi sacrilegis in differenda absolutione, eos adstringat ad repetendas confessiones tamquam irritas, et ad confitendum de omnibus Sacrificiis celebratis: et interim ad abstinendum a celebratione, usquedum suae emendationis perspicua indicia praebebunt. Quod si quis diceret ob scandalum a celebrando abstinere non posse, respondeat quod deesse non possunt iusti praetextus, si vellet desistere a celebrando; caeterum si ipse id facere renuit, dicat quod celebrare potest, si est certus se habere contritionem, sed quod ipse pro tunc non potest eum absolvere, dum certus non est, ut oportet, de eius dispositione: imo iustum habet motivum credendi oppositum, cum observet tot relapsus sine emendatione. Et hoc modo agendo potest sperari, fore ut resipiscat, et salvetur ille miser sacerdos; secus ambo damnabuntur.

10. Generaliter autem loquendo, si accedat sacerdos conscientiae parum meticulosae, non omittat eum interrogare de tribus: 1. Si distulerit celebrationem Missarum per mensem, praesertim si sunt defunctorum (vide *App.* 3. *n.* 107.). Si festinanter celebravit, nam Missam persolvendo infra spatium horae quadrantis, etiamsi esset de defunctis, aut votiva de B. Virgine, non excusaretur quidem a peccato mortali (vide *Tr.* 15. *n.* 84. *ad* 86.), quia in tali spatio non poterit notabiliter non defici in multis caeremoniis, aut saltem in gravitate, quam tanti Sacrificii veneratio exposcit. 3. Si satisfecit obligationi divini officii, praesertim si est beneficiatus. Non omittat autem ei suadere, ut se habilem reddat pro sua capacitate, ad animarum salutem promovendam. Et cum gravis adesset confessariorum penuria in sua regione, potest etiam eum obligare ad se idoneum reddendum ad tale officium, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 126. *et* 127. Cum calore etiam insinuet, ut ad Sacrificium se praeparet, et debitas post celebrationem agat gratias. Quoad orationem mentalem, sine qua difficulter erit bonus sacerdos; vide quod dicitur §. 3. *circa principium.*

11. Cum agitur de rei alterius restitutione, non absolvatur poenitens, nisi prius (cum potest) restituat; quia accepta absolutione difficulter id efficiet. Advertat tamen, quod multi excusantur a restitutione ob praescriptionem in bona fide. Super quo notandum 1. quod mobilia, cum intercedit titulus praesumptus, praescribuntur spatio trium annorum, et sta-

bilia decem inter praesentes, et 20. inter absentes. 2. Probabile esse eam praescriptionem valere pro foro conscientiae, etiam ubi in foro externo non viget lex praescriptionis, quemadmodum est in nostro regno, ob difficultatem quae reperitur in probanda bona fide. Excipiuntur tamen illae praescriptiones quae expresse sunt prohibitae ab aliqua lege municipali, v. gr. in regno nostro reprobatur praescriptio haeredis, quando testator possedit mala fide. Vide doctrinas adnotatas *Tr.* 10. *n.* 10. *ad* 14.

12. Si poenitens aliqua affectus est iniuria, propter quam offensor in curia inquisitus existit, eum non absolvat (regulariter loquendo) nisi remissionem inimico faciat. Vide *Tr.* 4. *n.* 17.

13. Cum praevidet admonitionem non fore profuturam, ne intra quidem tempus aliquod, et poenitens existit in bona fide, confessarius eam omittere debet, vide *Tr.* 16. *n.* 108. *et seqq.*, praecipue si agitur de aliquo matrimonio nulliter contracto; alias erit causa mille peccatorum, quae facile committet poenitens in mala fide constitutus, cum perseverat in proxima occasione peccandi, si faciliter separari nequit ab existimata uxore. In eo casu quin poenitentem in mala fide constituat, potest ad S. Poenitentiariam pro dispensatione scribere, iuxta *formulam* adnotatam *Tract.* 18. *num.* 88. et poenitenti dicat, ut post tot dies iterum redeat ad confitendum. Sed si peccatum in commune damnum spirituale vergeret, non debet confessarius omittere poenitentem admonere, licet ille in bona fide existat, ut dictum fuit *Tr.* 16. *n.* 116. Excipitur praeterea obligatio denuntiandi confessarios sollicitantes in materia turpi, quia confessarii munus est talem obligationem imponere, licet praevideat poenitentem non adimpleturum esse, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 178.

14. Iuvat hic animadvertere, quod licet confessarius non teneatur, nec viri prudentis sit, ut ipse se immisceat in tales denuntiationes deferendas, nihilominus in aliquo raro casu potest teneri ad has partes suscipiendas, cum ageretur de consulendo damno communi religionis, aut communitatis. In eo casu potest ipse ab Episcopo expetere, ut sibi talem denuntiationem excipiendi facultatem impertiatur; et deinde eam sic excipiet (refert modum, qui tenendus est, cognoscere). Et notanda sunt sequentia. 1. Nomen sollicitantis. 2. Tempus quo illa accidit. 3. Locus nempe ecclesia, et confessionale ubi patrata est. 4. Circumstantiae personae sollicitantis, nempe aetas, statura, capilli, etc. Debet autem monere poenitentem, quod si illa innocentem accusaret sacerdotem de tali crimine subiaceret casui reservato Pontifici, ut habetur ex Bulla *Sacramentum* Bened. XIV. (1) iuxta dicta *Tract.* 16. *n.* 179. Item iureiurando eam adstringat, ne praefatam denuntiationem alicui communicet. Denique advertat, adnotanda tantum illa verba, et eas actiones sollicitantes, quae possunt manifestari Episcopo, quin manifestet culpam, si quam poenitens commisit.

15. Non sit difficilis ad excipiendas confessiones generales ab eo qui sic confiteri cupit, licet nulla adsit necessitas. Dicebat s. Carolus Borromaeus confessiones generales valde prodesse ad vitae novae perseverantem mutationem. Sed si magnus populi concursus fuerit, curet ad opportunius tempus eam differre: quod si nunquam ei vacabit tempus, quod occupationibus non praepediatur, ut accidit in Missionibus, curet saltem summatim excipere illam confessionem generalem (modo non sit necessaria) tantummodo exquirendo species et tempus peccatorum habituatorum, quin immoretur ad exquirendum numerum et circumstantias particulares.

16. Non praetermittat disponere

(1) Bullar. edit. Mechl. t. 1. p. 104 § 3.

quemlibet ad actum doloris, suggerendo ipsi motiva tam attritionis quam contritionis, eo modo quo dictum est *Tr.* 16. *n.* 117. dum illi actus doloris, quos eliciunt rudes sine motivis parvi aut nihili valent. Cum vero confessarius recte praesumere potest poenitentem actum doloris, uti debet, elicuisse, tunc satis erit ante absolutionem ei dicere, ut renovet dolorem. Et praecipue advertat, quod si poenitens accedit indispositus, ille pro viribus conari debet ad eum disponendum pro absolutione; vide *ibid.* *n.* 105. *et Tr.* 4. *n.* 3.

17. Illos poenitentes, qui afferunt tantum peccata venialia, sed habituata, non absolvat, nisi perspectum habeat illos vere poenitere, et verum propositum habere, saltem de aliquo illorum: aut nisi exhibeant pro materia certa aliquod gravius peccatum anteactae vitae, ut notatum est *Tr.* 16. *n.* 23. Quot confessiones invalidae (quae in se sunt vera sacrilegia) quotidie committuntur ob confessariorum socordiam!

18. Imponat tantum illas poenitentias, quas indicare potest a poenitente faciliter adimpletum iri, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 51. *et seq.*; sed curet ut illae sint medicinales, puta frequentia Sacramentorum, visitationes, se Deo commendare mane et vesperi, legere aliquem librum spiritualem, se ad aliquam congregationem adscribere, etc.

19. Personis spiritualibus, quae frequentant Sacramenta, insinuare non omittat orationis mentalis usum, rationem deinde exigendo de ea; saltem eas interrogando, an omiserint eam aliquando. Hac mediocri diligentia adhibita, quilibet confessarius poterit multas animas sanctificare. Nec sit difficilis ad Communionem frequentem concedendam, quoties cognoscit, aut prudenter iudicat poenitentem animae suae profectum consecuturum. Vide *App.* 1. *ex n.* 30.

20. Scrupulosis maxime suadeat obedientiam, et illis semper affirmet quod obediendo tuta via incedent, et non obediendo in periculum se perdendi coniiciunt. Sit fortis et rigidus in efficiendo, ut sibi obediatur; sermonem cum eis semper adhibendo constantem, quia si ancipiti sermone cum eis loquitur, eos magis confundet. Exhibeat regulas generales ad dubia deponenda, pro cuiusque dispositione: v. gr. scrupulum facienti circa praeteritas confessiones sub obedientia praecipiat ne confiteatur, nisi de peccatis a se certe pro mortalibus cognitis, et certe nunquam confessis. Et in hoc confessarius forti animo sit in eum non audiendo, nisi obediat; quia si aliquando cedit, et eum auscultat, poenitens semper animo erit deturbatus: nonnulli confessarii animas in miserrimum statum reddunt, eas audiendo. Illi vero, qui timet quamlibet actionem suam esse peccatum, imponat ut scrupulum vincat, et libere operetur ubi certum peccatum non animadvertit; vide dicta *Tr.* 1. *ex n.* 8.

21. Circa opinionum delectum, cum agitur de removendo poenitente a peccati formalis periculo confessarius non raro sequi debet benigniores, quantum christiana prudentia suggerit. Cum vero aliqua opinio proximius reddit peccati formalis periculum, tunc omnino suadere debet rigidiorem: vide dicta *Tr. ult. n.* 3. *circa fin.* Dico *suadere*, quia quando opinio est vere probabilis, et poenitens vult eam sequi, non potest ei absolutionem denegare, ob certum ius quod ille acquisivit ex confessione peccatorum suorum iam facta, ut dictum est *Tr.* 16. *n.* 119.

22. In excipiendis mulierum confessionibus, et in tractando cum eisdem, austeritate maiore quam potest utatur, prout prudentia suadet, ideoque recuset munera, familiaritatem, et quicquid causa animi adhaesionis esse potest, vitet. Quoniam hoc negligendo confessarii quot animas in exitium induxerunt proprias et poenitentium, vide *Tr. ult. n.* 54. 55.

23. Sit humilis, et de sua doctrina non sibi blandiatur: quare persaepe Deo fundat preces, ut per Iesu Christi merita sibi lumen de coelo impertiatur, praesertim in dubiis casibus, *Invocavi et venit in me Spiritus Sapientiae. Sap.* 7. 7 Ideoque confessarius qui orationi non vacat, difficulter recte incedet, et in dubiis magis implicatis, aut maioris consequentiae non omittat consulere alios viros doctos et maioris experientiae. Potissimum id faciat in dirigenda aliqua anima elevata, cui Deus gratiis supernaturalibus favet, cum ille in tali materia parum expertus est. Nonnulli, qui vix scientiae mysticae notitiam attigerunt, erubescent alios consulere: non ita agunt veri humiles: hi non solum alios consulunt, et non paucos cum oportet, sed etiam zelotypia non afficiuntur in dimittendo huiusmodi animas, ut dirigantur a magistris se peritioribus, aut saltem ut eorum iudicium auscultent. Has autem animas confessarius non auscultet die festo; festis enim praebeat locum aliis magis indigentibus, praesertim iis, qui laboribus dant operam, et nuptis.

§. II. *Monita ad parochos.*

Lubet hic breviter adnotare nonnulla onera magis praecipua, quibus parochi tenentur circa curam suarum ovium.

1. Parochus tenetur ad eas instruendas in mysteriis Fidei, et rebus ad salutem necessariis, ut sunt 1. quatuor mysteria principalia, nempe quod sit *Unus Deus*, et quod sit omnipotens, sapientissimus Creator et Dominus totius, misericors et amabilis super omnia bona: praesertim, quod sit iustus remunerator bonorum et malorum; item docere debet mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, et mortis Iesu Christi. 2. Sacramenta necessaria, nempe Baptismum, Eucharistiam et Poenitentiam; reliqua saltem cum suscipienda sunt. 3. Articulos symboli, et inter hos praesertim B. Mariae virginitatem, sessionem Iesu Christi ad dexteram Patris, nempe quod ille in coelo sit in aequali gloria cum Patre, resurrectionem corporum in iudició finali quod fiet a Iesu Christo; unitatem Romanae Ecclesiae in qua solum habetur salus, et deinde paradisi et inferni aeternitatem. Quae omnia quilibet fidelis sub gravi praecepto scire tenetur. 4. Praecepta Decalogi et Ecclesiae. 5. *Pater noster*, et *Ave Maria*, et actus Fidei, Spei, Amoris et contritionis. Igitur quemadmodum graviter peccat, qui haec scire negligit et quidem non solum verborum textus, sed etiam in quantum ad sensum), ita etiam graviter peccat parochus, prout communiter dicunt dd. si per se, aut per alium idoneum (eo legitime impedito, ut ait Trid. *sess.* 5. *cap.* 2.) negligit ea docere saltem quoad substantiam suos subditos, aut pueros et adultos qui illa nesciunt. Hinc fit quod cum ipse observat parentes aut dominos non mittere filios aut famulos ad doctrinam, tenetur expedientia media capere cum Episcopo, qui, ut ait Tridentin. *sess.* 24. *c.* 4., potest parentes etiam per censuras ecclesiasticas ad id compellere. Parochi vigilantes apud se adnotatos habent pueros, ut videant qui desunt. Imo dicit Croix (*l.* 2. *n.* 174. *et lib.* 3. *part.* 1. *n.* 767.), quod si adsunt ignorantes qui ecclesiam adire nequeunt, quia domos vel greges custodire debent, cum isti sunt in gravi necessitate spirituali, debet parochus privatim eos perquirere, ut *cum quantocumque suo incommodo*, sicut auctor loquitur, eos instruat. Saltem dicimus, quando hoc valde sibi erit difficile ob multitudinem huiusmodi ignorantium, curet saltem eos examinare et instruere tempore praecepti paschalis, aut cum accedunt ad petendas fides ut confirmentur, aut ut matrimonium contrahant. Expedit pariter ut parochus exploret magistros et magistras, ut possint pueros

et puellas doctrinam ac media in Dei timore vivendi docere.

2. Parochus per se ipsum tenetur Sacramenta ministrare, quoties iuste subditi ab eo id petunt. Et si forte habet oeconomum, debet bene illius vitam et scientiam explorare; secus de perturbationibus, quae postea accident, ipse Deo rationem redditurus est. Item tenetur assistere moribundis, si alius idoneus non reperitur. Et speciali attentione assistere debet peccatoribus habituatis moribundis; illi enim in gravi necessitate suae peculiaris assistentiae existunt. Et circa Extremam-Unctionem, advertat quod dicit Catechismus Rom. (*part.* 2. *n.* 18.): *Gravissime peccant, qui illud tempus aegrotos ungendi observare solent: cum iam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiant.* Tenetur etiam parochus se certum facere utrum subditi sui praecepto paschali satisfecerint, Barbos. *de Offic. Paroch. c.* 2. *n.* 7. et Segneri *Paroch. Instr. c.* 23. Et sit cautus ne schedulas Communionis committat cuilibet clerico.

3. Debet impedire quominus habitus clericalis conferatur illis iuvenibus aut pueris, qui in suis moribus spiritus ecclesiastici indolem non prae se ferunt. Debet cum diligentia clericos suos instruere, qui habitum deferunt clericalem, ut ad statum ecclesiasticum progrediantur, secus illi sine disciplina educati, cum effraenati reperiantur, sive per fas, sive per nefas ad Ordines promovebuntur, et evadent scandalum loci. Omitto sermonem facere de gravi illa ratione quam Deo redditari sunt parochi illi, qui fides exhibent ordinandis, quos ipsi iam aut cognoscunt Ordinibus indignos esse, aut eas exhibent antequam sedula praecedente diligentia de illorum probitate exquisiverint.

4. Parochus tenetur exquirere de iis qui vivunt in peccato, ut corrigantur. Item de inimicitiis et scandalis quae serpunt, praesertim inter sponsos, ut opportune illis occurrat, quantum potest. Dicit s. Thomas (2. 2. *q.* 15. *a.* 5.): *Qui habet specialem curam alterius, debet eum quaerere ad hoc, ut corrigat de peccato.* Cum vero aliquod scandalum ab aliquo potente (praesertim si est sacerdos) observat, cui ipse prospicere non potest, debet saltem rem ad Episcopum deferre, ut ipse consulat: et id quovis intuitu, aut timore negligere non debet; bonus pastor tenetur pro ovium suarum salute animam ponere.

5. Curet, ne sponsorum verba multo tempore ante matrimonium excipiat, quia initis sponsalibus, totum illud tempus, quod inter nuptias interfluit, in peccato tam sponsi quam eorum parentes perseverabunt.

6. Cum in regione notabiles audiuntur perturbationes, quibus parochus consulere nequit, tenetur illi conari ut Missio advocetur, nisi aliud reperiatur expediens, quo illis prospiciatur. Et semper expediens erit interdiu confessarios exteros arcessere pro animabus erubescentibus: praesertim si in suum oppidum non solet concionator quadragesimalis advenire. Ille autem parochus, qui Missiones respuit, non mediocrem suae probitatis suspicionem ingerit.

7. Parochus non solum debet malum avertere, sed etiam bonum promovere, quemadmodum boni pastores efficiunt, qui non desistunt hortari ad Sacramentorum et Congregationum frequentiam, ad Visitationes SS. Sacramenti et divinae Matris, ad Novenas, ad Venerabile, cum Viaticum circumfertur, associandum.

8. Curet persaepe, ut populus singulari studio Mariae SS. devotionem prosequatur, insinuando quanta sit eius potentia et misericordia erga suos devotos. Idcirco insinuet ut recitent Rosarium in communi quotidie una cum familia, ut ieiunent sabbato, et celebrent Novenas septem festivitatum, quas ex altari annuntiabit populo quoties aliqua Novena accidit. Expediet propterea, ut sabbato ille con-

cionculam faciat, narrando aliquod exemplum beatissimae Virginis, et semel in anno celebrare aliquam Novenam solemniorem cum sermone et expositione Venerabilis, et propterea uti poterit inter caeteros libro, quem typis edidi, cui titulus: *Glorie di Maria*, ubi collectam reperiet materiam et exempla. Felix ille parochus qui suas oves ferventes tenet erga devotionem Mariae! nam illae, Virgine opitulante, recte vivent, et ipse advocatam in vitae exitu potentem habebit. Vide dicta *Tr.* 7. *n.* 43., ubi locuti fuimus de rebus quae maioris sunt momenti, et quae parochus praedicando debet potius populo suadere.

Potissimum insinuet usum petitionis; nempe ut saepe se Deo commendent, ab eo praesertim sanctam perseverantiam postulando propter Iesu et Mariae amorem; saepius explicando, quod divinae gratiae, et praecipue donum perseverantiae, non obtinentur, nisi petantur, *Petite*, *et accipietis*. Et publicet saepe illam magnam Iesu Christi promissionem, quod quicquid Patrem petierimus in eius nomine, Pater dabit nobis: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Ioan.* 16. 23. Insinuet etiam instanter usum orationis mentalis, et curet faciendam in ecclesia una cum populo quolibet die, aut saltem quolibet die festo, docendo etiam modum, quo fieri potest domi. Ideoque hic subiungitur instructio sequens, ubi sermo fit de necessitate, et deinde de modo practico orationis mentalis.

§. III. *Brevis praxis orationis mentalis.*

Antequam de praxi et modo orationis mentalis sermo fiat, iuvat de orationis mentalis necessitate cognoscenda aliquid dicere. Duo sunt huius necessitatis momenta. Primum est quod innuit s. August., nempe quod incedenti clausis oculis impossibile est viam et suae salutis media intueri. Veritates aeternae sunt supernaturalia negotia quae oculis corporeis conspici nequeunt, sed oculis mentis, cogitatione nimirum et consideratione, assequi possumus. Igitur qui orationi mentali non incumbit, non considerat, et consequenter suae salutis aeternae negotium quanti intersit non videt, et viam quae tenenda est ut illac eat, non prospicit. Id quidem fuit quod scripsit s. Bernardus ad Eugenium Papam: *Timeo tibi, Eugeni, ne multitudo negotiorum, intermissa oratione et consideratione, te ad cor durum perducat, quod seipsum non exhorret, quia non sentit*, (*lib.* 1. *Consid. ad Eug. Pont.*). Ut quis suam aeternam curet salutem, oportet ut sit ei cor flexibile seu docile, et paratum ad divinarum inspirationum impressiones recipiendas, et ad eas exequendas. Hoc expostulabat Salomon a Deo: *Dabis ergo servo tuo cor docile.* 3. *Reg.* 3. 9. Dicit s. Ioannes quod animae illae sunt Dei, quae intendunt ad audiendas et exequendas divinas voces: *Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Ioan.* 6. 45. Cor nostrum in se durum est, quia totum pronum est ad carnis voluptates sequendas, et est spiritus legibus obstans. Illud autem flexibile redditur gratiae influxibus, quae per orationem illi infunditur: ibi anima ad divinam bonitatem et ad amorem Dei, qui erga eam est singularis, considerandum movetur, illa inflammatur, emollitur, et divinis vocationibus redditur obediens, quemadmodum experiebatur David, qui dicebat: *In meditatione mea exardescet ignis. Ps.* 38. 4. Aliter cor durum, obsistens, inobediens remanebit, et in die novissimo male habebit: *Cor durum habebit male in novissimo, et qui amat periculum in illo peribit. Eccli.* 3. 27. In sua duritie persistens, infortunium subibit, quod ne cognoscet quidem se talem esse: cor enim quod non meditatur, ait s. Bernardus *seipsum non exhorret, quia non*

sentit. Nam defectus suos et impedimenta quae suae saluti obiicit, non percipit. Et advertendum quod s. Bernardus scribebat ad Pontificem, qui quidem non omittebat orationem (si forte aliquando eam intermittebat) propter negotia mundana, sed propter negotia, quae omnia Ecclesiae, ac Dei gloriae momenta respiciebant. Opus est ut id praesertim animadvertant sacerdotes, qui maioribus oneribus cum premantur, maiori divinarum gratiarum praesidio indigent et consequenter oratione, ut robur assequantur quo illa sustinere possint: et non tantum illi qui orationem negligunt, ut in saecularibus negotiis incumbant, sed etiam illi qui ab ea abducuntur, ut opera spiritualia in proximi commoda promoveant, v. gr. ut confessiones audiant, concionentur, aut scribant.

Huic arridet quod scripsit s. Theresia (*Epist.* 8.) ad episcopum Uxamae, qui ceteroquin maximo zelo ovium suarum saluti, sed non multum orationi vacabat, dum interdum eam omittebat. Quare Sancta superno illustrata lumine particulari, aut etiam per revelationem cognito huiusmodi Praelati defectu, licet ipse esset suus confessarius, ut eum emendatum videret, sibi difficultas nulla fuit illum admonendi, eique ita scripsit, vertendo verba in latinum sermonem: *Cum referrem Domino nostro quas ipse contulit in te gratias, concedendo humilitatem, charitatem et zelum, petii ab eo, ut tibi omnium virtutum accessionem largiretur, nullam patefecit in te desiderari, nisi quod prae omnibus praecipuum est (et deficiente fundamento, opus ruit, et nutat). Desideratur igitur in te oratio et perseverantia in oratione cum constantia, disrumpendo unionis sustentaculum, nimirum Spiritus Sancti unctionem; ex cuius carentia oritur omnis siccitas, et disiunctio quam anima patitur.* Et postea subiungit: *Licet in nobis nullae videantur inesse imperfectiones, cum vero animae oculos Deus aperit, quemadmodum efficere solet in oratione, perspicue hae conspiciuntur imperfectiones.* Et hoc profecto est quod declaravit Spiritus Sanctus, nempe quod ex meditationis deficientia mundus peccatoribus scatet, et infernus animabus quotidie repletur. *Desolatione desolata est omnis terra quia nullus est qui recogitet corde.* Ierem. 12. 11.

Alterum principale fundamentum, et maioris momenti pro necessitate orationis mentalis, est quod animae, quae non meditantur, non orant, et ita pereunt. Virtutes in illo, qui orationi non vacat, licet reperiantur, nihilominus nec stabiles nec perseverantes se praestabunt, quia perseverantia nisi petitionibus, et quidem perseverantibus, non obtinetur. Hinc fit quod qui non petit perseveranter, non perseverabit. Propterea s. Paulus discipulos suos, ut sine intermissione orarent, hortabatur: *Sine intermissione orate.* 1. *Thess.* 5. 17. et ipse Salvator dicebat nunquam ab oratione cessandum esse: *Oportet semper orare et non deficere. Luc.* 18. 1. Et hinc oritur quod meditatio sit moraliter necessaria animabus, ut in Dei gratia persistant. Dico *moraliter necessaria*, quia licet ex se loquendo sine meditatione possit quis in gratia acquisita perdurare, attamen cum non meditatur est moraliter impossibile, nempe difficillimum, ne in gravia peccata labatur; et ratio est illa quam paulo superius innuimus, quia ille qui orationi non vacat, in alia animum distrahens, parum indigentias suas percipiet, parvi pericula sua faciet, parum curabit media suscipienda et exequenda, ut ab illis caveat, et parum denique orandi necessitatem, in qua reperitur, cognoscet; et ab orando desistet, et non orando utique peribit. Magnus ille Episcopus Palafox in adnotationibus ad praefatam epistolam s. Theresiae, quam ille vocat omnium maxime spiritualem inter alias Sanctae (*n.* 10.) sic scribit: *Hinc discere debemus nos Praelati,*

non satis esse zelum, nec charitatem sine oratione, quia virtutes, quae oratione non fulciuntur, deficiunt, et nos peribimus. Ratio patens est: quomodo durare potest charitas, si Deus perseverantiam non praestabit? Quomodo nobis perseverantiam praestabit Dominus, si eam ab ipso non expostulamus? quomodo eam expostulabimus sine oratione? quomodo hoc miraculum (nempe perseverantiam obtinere sine oratione) *fiet sublato aquaeductu coelestium influxuum in animas, nempe orationem? sublata oratione nulla cum Deo intercedit communicatio, ut virtutes conserventur, nec aliud medium , nec aliud remedium existit, ut a Deo bona consequamur.*

Contra nos monitos facit Dominus, quod qui veritates aeternas, nempe mortem, iudicium , et duas aeternitates felicem, aut infelicem, quae nos manent, meditaverit, immunem a peccatis se servabit: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis. Eccli* 7. 40. Dicebat David quod aeternitatis meditatio eum in virtutum exercitium incitabat, et ad spiritum a defectibus purgandum: *Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente habui.... et exercitabam et scopebam spiritum meum. Psal.* 76. 6. 7. Et dicebat quidam auctor, quod si interrogarentur damnati, cur vos in inferno reperimini? responderent maior eorum pars: nos in inferno reperimur, quia infernum non cogitavimus. Qui in spiritualibus exercitiis de veritatibus aeternis commonetur, impossibile est ut ad Deum non convertatur, si illas attente audit, et illas credit. Sanctus Vincentius de Paulo dicere solebat, quod si peccator Missionibus aut exercitiis spiritualibus ex animo adesset, et se non converteret, prodigio hoc simillimum erit, et tamen qui concionatur et loquitur in exercitiis, non est nisi homo, dum in oratione mentali est Deus ipse , qui animam alloquitur: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius. Osee* 2. 14. Deus utique omni concionatore sapientius loquitur. Omnes Sancti facti sunt sancti per meditationem. Et experientia docemur, quod illi qui orationi insistunt, cum difficultate in mortale peccatum decidunt, et si forte aliquando cadunt, orationi insistendo, statim resipiscunt, et ad Deum revertuntur. Oratio mentalis, et peccatum una simul cohaerere non possunt. Dicebat quidam Dei servus, quod multi recitant Rosarium, officium Virginis, ieiunant, et in peccato perdurant. Sed qui prosequitur orationem, impossibile est, ut pergat in Dei inimicitia esse; aut orationem omittet, aut a peccato discedet. Sed si orationem non relinquet, non solum a peccato avertetur, sed etiam a creaturarum amore dissolvetur, et amorem suum Deo dabit: *In meditatione mea exardescet ignis Psal.* 38. 4. Oratio est fornax, ubi in divino amore animae accenduntur. Possibile non est ex animo divinam bonitatem , meritum quod Deus habet ut ametur, amorem quo nos dilexit et diligit, considerare, et animam erga Deum non incendi. Dicebat idem regalis Propheta Deum cogitando et opera magna charitatis suae erga homines meditando, quod totum se inflammatum sentiebat ad illi obsequendum, et suum spiritum deficere, cum incapax esset ad consolationes superabundantes recipiendas quibus tunc Dominus se ei communicabat: *Memor fui Dei , et delectatus sum* , et *exercitatus sum et defecit spiritus meus. Psal.* 76. 4. Sed ad praxim descendamus.

Loquendo de loco orationi magis accommodato, commodior est ecclesia: sed illi qui eo adire, aut ibi commorari non possunt, in quolibet loco, domi, villa, etiam deambulando, etiam laborando, mente ad Deum elevata , orationi vacare possunt: quot ruricolae, cum alio modo non possint, orationem laborando et in itinere faciunt? Qui Deum quaerit, ubique et omni tempore eum invenit.

Quoad tempus, tempus matutinum est melius. Non bene diei actiones procedent cum mane orationi vacatum non est. Oratio deberet utique bis in die, mane nempe et vespere, fieri, sed cum vespere non vacat tempus, fiat saltem mane. Dicebat V. P. D. Carolus Caraffa piorum operariorum fundator, quod unus actus amoris cum fervore mane in oratione factus, potens erit ad animam per totum diem in fervore conservandam. Quantum ad tempus quo oratio durare debet, parochus aut confessarius pro sua prudentia se dirigat. Certum est quod, ut ad gradum aliquem perfectionis sublimem perveniatur, non sufficit mediae horae spatium. Caeterum hoc tempus sat erit pro incipientibus, sed maxime eis insinuet ne orationem omittant ariditatis tempore. Vide dicta *Append.* 1. *n.* 5.

Denique veniamus ad modum docendi orationem. Illa tribus constat partibus, praeparatione, meditatione, et conclusione. In praeparatione tres continentur actus, Fidei, nempe de Dei praesentia, humilitatis, et petitionis ut illustretur anima. Dicendo ita: 1. Deus meus, credo te esse mihi praesentem, et de abysso meae vilitatis te adoro. 2. Domine mi, propter peccata mea nunc in interno mihi esset morandum, me poenitet offendisse te, parce mihi propter tuam pietatem. 3. Pater aeterne, propter Iesum et Mariam praebe mihi lumen in hac oratione, ut ex illa animae meae profectum percipiam. Deinde dicatur *Ave* ad Mariam SS. ut hanc lucem sibi impetret, et *Gloria Patri* ad s. Iosephum, ad Angelum custodem, et ad sanctos advocatos. Hi actus fiant attente, sed breviter et statim ad meditationem procedatur.

Pro meditatione iuvat eum praesertim, si legere scit, aliquo libro uti, sistendo ubi animus motum se magis sentit. Dicit s. Franciscus Sales., quod in hoc faciendum est, ut apes faciunt, quae insident in flore donec mel exhauriant, et deinde ad alium transeunt. Qui vero legere nescit, meditetur Novissima, beneficia Dei, et maxime vitam et Passionem Iesu Christi: meditatio Passionis (dicebat s. Franciscus Sales.) debet esse nobis ordinaria. O quam perbellus liber est Passio Iesu pro animabus devotis! ibi melius quam in alio libro peccati malitia et Dei erga homines amor percipitur. Locuta fuit olim quaedam Redemptoris imago ad v. fr. Bernardum de Corlione, qui eum rogavit, utrum sibi placeret, ut ipse legere edisceret? Imago respondit: *Quid tibi cum legere? Quid tibi cum libris? Ego sum liber tuus, hic tibi sufficit.*

Hic advertendum est orationis mentalis profectum non solum nec tantum in meditatione consistere, quantum in affectus eliciendo, petendo, et deliberando; hi sunt tres fructus meditationis, prout innuimus *append.* 1. *n.* 3. Igitur postquam quis aliquam maximam aeternam meditatus erit, et postquam cor eius Deus allocutus fuerit, opus est, ut ipse Deum alloquatur per affectus, sive actus Fidei, gratiarum actionum, adorationis, humilitatis et potissimum amoris et contritionis, qui actus etiam amoris est. Amor est illud aureum vinculum quod animam cum Deo copulat. *Charitas est vinculum perfectionis.* Quilibet amoris actus est thesaurus qui de divina amicitia nos certos facit: *Infinitus enim est thesaurus hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei. Sap.* 7. 14. *Ego diligentes me diligo. Prov.* 8. 17. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo. Ioan.* 14. 21. *Charitas operit multitudinem peccatorum. I. Petr.* 4. 8. Vide dicta in Opere Morali *lib.* 6. *n.* 442. Venerabilis soror Maria Crucifixa vidit magnam flammam in quam nonnullas paleas proiectas vidit statim incendi; ex hoc sibi cognitum factum est, per quemlibet amoris actum ab anima abstergi ac destrui omnes culpas commissas.

Praeterea docet s. Thomas quemlibet actum amoris efficere ut nos gloriae aeternae gradum unum adipiscamur: quilibet actus charitatis meretur vitam aeternam. Actus amoris autem sunt dicere: *Deus meus, te omnibus praepono. Ex toto corde te diligo.* Aut se totum in voluntatem divinam committere, dicendo: *Domine, fac me cognoscere quid de me tibi placeat, quoniam paratus sum ad omnia.* Aut se sine ulla reservatione Deo offerre, dicendo: *Ecce me, fac de me, et de meis omnibus quod tibi lubet.* Et praecipue hae oblationes sunt actus amoris qui Deo maxime sunt cordi; quapropter s. Theresia quinquagies quotidie se Deo offerebat. Actus perfectissimus amoris est gaudere et sibi complacere de infinita Dei felicitate. Cum vero anima cum Deo se sentiret coniunctam per supernaturalem sive infusam animi recollectionem (ut explicatum est *App.* 1. *n.* 13.), ei nihil elaborandum est in aliis actibus eliciendis, nisi illis ad quos suaviter a Deo se sentit attrahi: cum debeat dumtaxat tunc attentione amatoria ad id, quod Deus in ea operatur, attendere; nam secus posset divinae operationi impedimento esse. Notandum insuper, ut advertit s. Franciscus Salesius, quod si unquam ante meditationem per Spiritum sanctum aliquis bonus affectus inspiratur, tunc omittenda est consideratio, et affectibus locus cedendus est; dum consideratio non inservit, nisi ad affectus movendos, quare fine assecuto media omittenda sunt.

2. Iuvat maxime in oratione petitiones repetere, cum humilitate et fiducia a Deo lucem suam, peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam mortem, paradisum, et prae caeteris donum sancti amoris sui expostulando. Hortabatur s. Franciscus Sales. inter caeteras gratias ad petendam cum fervore nimis vehemente gratiam divini amoris, quia (dicebat) obtento amore, omnes alias gratias consequimur. Summa haec est, quod si ob spiritus desolationem in qua forte anima reperiretur, si aliud efficere non potest, sibi satis erit Davidis petitionem repetere: *Deus, in adiutorium meum intende. Domine, adiuva me. Succurre mihi, mihi praesto sis.* Dicebat V. P. Paulus Segneri experientia se doctum fuisse, nullum utilius pro animabus exstare exercitium in meditatione, quam iterum atque iterum petere. Et opus est petere nomine, sive meritis Iesu Christi, qui nobis perspicue promisit, ut supra dictum est: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan.* 16. 23.

3. Necesse est, ut in oratione (saltem in fine illius) aliquod propositum sibi statuat, non tantum in generali, ut esset omnem culpam deliberatam, etiam levem, aufugere, et se totum Deo tradere; sed etiam in particulari, v. g. cum maiori attentione ab aliquo defectu se custodire, in quem frequentius lapsus est; aut meliori modo quam prius aliquam virtutem exercere, v. g. patientius talis personae sufferre molestiam, obedire diligentius tali Superiori, aut tali regulae, vigilantius in tali et tali re se mortificare. Ab oratione ne discedamus, nisi aliquod particulare propositum deliberaverimus.

Denique orationis conclusio tribus fit actibus, 1. Gratiae Deo agantur de inspirationibus in meditatione habitis. 2. Proponatur ad amussim deliberationes factas observare. 3. Petatur ab aeterno Patre propter Iesum et Mariam auxilium, ut fidelis servetur. Et terminetur Deo commendando animas purgatorii, Ecclesiae Praelatos, peccatores, et omnes nostros coniunctos, amicos et benefactores, recitando *Pater* et *Ave*, quae sunt preces omnium utilissimae, quas a Iesu Christo et sancta Ecclesia nos edocti sumus.

Oportet autem, cum ab oratione discedimus, 1. ut dicit s. Franciscus Sales. ut colligamus florum manipulum, ut quotidie odoratu de eo ob-

lectemur, nempe unum aut alterum punctum in quo anima magis mota est ad hoc ut in diei progressu illius recordemur.

2. Oportet curare ut statim deliberationes factas in occasionibus tam exiguis quam magnis, quae nobis occurrent, in praxim deducamus; v. gr. deliberationem cum suavitate sufferendi aliquam personam, quae in nos ira commota est: aut nos mortificandi in visu, auditu, loquela etc.; et praesertim cum silentio quantum possibile est oportet affectuum habitorum sensum servare; alias statim in actiones et sermocinationes inutiles nos distrahendo, statim evanescet ille devotionis fervor, qui in oratione conceptus est.

Prae caeteris denique director suos poenitentes incessanter hortetur ne orationem omittant, nec minuant tempore ariditatis, et ne unquam turbentur, licet per multum aut longum tempus desolatione videantur premi. Quot aulici; ait s. Franciscus Sales, eunt principem veneraturi, et contenti sunt simpliciter ab eo videri? Nos ad orationem eamus fine Deo obsequendi; si ipse velit nos alloqui, et suis consolationibus nobis favere, de tantis gratiis illi agamus gratias, sin minus, contenti simus coram divina praesentia adesse cum pace, eum adorando et nostras necessitates ei exponendo; et tunc si Dominus nos non alloquitur, certe nostra observantia et fidelitas ei grata erit, et pro nostra fiducia utique nostras preces exaudiet.

PRAXIS CONFESSARII

AD BENE EXCIPIENDAS CONFESSIONES

AD INSTRUCTIONEM TYRONUM CONFESSARIORUM

OPUS PAROCHIS, CONFESSARIIS, CETERISQUE ECCLESIASTICIS VIRIS APPRIME UTILE

INTRODUCTIO

1. Magna utique erit merces qua in aeternitate compensabuntur boni confessarii, et de sua praedestinatione ita securi sunt ii qui se ad animarum salutem occupant, ut Iacobus apostolus (*epist. c.* 5, *v.* 20) perspicue hoc testetur his verbis: ***Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius*** (nempe eius qui converti fecerit, ut loquitur textus graecus, ***animam suam***) ***a morte, et operiet multitudinem peccatorum.*** Sed luget atque lamentatur ecclesia, videns tot filios suos propter malorum confessariorum sive imperitiam sive incuriam sive impietatem, ad gehennam destinari; etenim ex illorum bono aut malo regimine potissimum populi pernicies aut salus pendet. Habeantur idonei confessarii (dixit s. Pius V), ecce omnium christianorum omnimoda reformatio. Non enim est dubitandum, quin, si omnes confessarii ea pollerent scientia, et morum bonitate, quas tantum ministerium exigit, nec mundus ita peccatorum coeno deturpatus esset, nec infernus tot baptizatorum animabus repleretur. Et cum ***bonitatem*** dico, non hic intelligo illam solam habitualem, quae simplicem gratiae statum, sed positivam bonitatem quae ministrum poenitentiae decet, cui tamquam nutrici duplex alimentum opus est, unum ad sui, alterum ad prolis sustentationem, quoniam cum confessarius aliorum conscientias dirigere debeat, maxime ei cavendum erit, ne nimia indulgentia aut immoderato rigore erret. Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin se deturpet: cum mulieribus et adolescentibus saepe versari, eorum confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipiendo, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat: cum personis praeclaris, abscisso omnium humanarum rerum respectu, magna fortitudine armari. Et, ut omnia unico verbo complectar, debet esse in caritate dives, in mansuetudine mellifluus, in prudentia gravis. Qua de re, ut hae omnes partes, ut par est, adimpleantur, non vulgari opus est bonitate; quam certe numquam assequetur ille, cui oratio non est perfamiliaris, nec meditatio est quotidiana; etenim alia via lucem, et gratias huic tanto muneri (etiam ipsis angelicis humeris, ut dici solet, formidando) necessarias, obtinere nemo potest. Sed deveniamus ad nostri laboris institutum, nempe ad praxim confessiones exci-

plendi, de qua dumtaxat hic fiet sermo. In hac praxi multas delibabo doctrinas ad ipsammet spectantes; sed ne repetam ea quae in opere morali fusius descripsi, hic tantum adnotabo loca operis, ad quae lectorem remittam, ut copiosius doctrinas rationibus et auctoritatibus confirmatas perlegat.

CAPIT. I. *De officiis confessarii.*

2. Quatuor sunt officia quae bonus confessarius exercere debet, patris nempe, medici, doctoris et iudicis. In hoc capitulo de quolibet istorum sigillatim sermo erit.

§. 1. *Circa officium patris.*

3. Confessarius, ut boni patris partes adimpleat, debet caritate esse plenus. Et primo caritatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis confessionibus aliquorum devotorum, aut personarum spectabilium, quia, ut has a se repellant, non est eis tantus animus; si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, aegre auditur, et conviciis oneratus arcetur; unde fit, ut ille miser, qui postquam sibi maximam vim intulerit, quo ad sua peccata confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in poenitentiae sacramentum concipiat, et desperans se posse invenire qui sibi opituletur, et se absolvat a peccatis, in perditae vitae lubricum laxis habenis praeceps ruat, et in salutis desperationem incidat. Secus boni confessarii agunt: cum ad se huiusmodi peccatores confluunt, bene hos excipiunt, et (*quasi victor capta praeda*) exultant, perpendentes sibi sortem contigisse, animam de manibus daemonis eripere. Sciunt, hoc sacramentum proprie non pro iustis fuisse constitutum, sed pro peccatoribus; etiam enim veniales culpae, ut remittantur, non indigent sacramentali absolutione; cum multis aliis modis deleri possint. Sciunt quoque, Christum protestatum fuisse his verbis: *Non veni vocare iustos, sed peccatores* [1]. Propterea confessarius caritatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, maiore caritate eas amplectatur, eisque animum praebeat his aut similibus verbis. *Eia frater, bono animo esto, noli timere; peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuae conscientiae sinus non introspexeris: sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias qui te hucusque ad poenitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Laetare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem; ideoque te expectavit, ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nihil involucris tegas.*

4. Caritatem deinde longe maiorem ostendere debet in confessionem excipiendo. Caveat ne se impatientem aut taedio affectum exhibeat, nec ostendat admiratione percelli de peccatis quae narrantur; modo poenitens non sit ita animo durus, aut petulans, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore, et sine ulla displicentia animique sensu exponeret, quia tunc opus habet pro viribus efficere, ut a poenitente quanta sit illorum deformitas et magnitudo percipiatur; ideoque tunc acrior requiritur correctio, ut ipse a lethali lethargo expergefiat. Verum quidem est, quod (ut dicunt dd.) in actu confessionis abstinere debent confessarii a correctione facienda, ne forte exterriti poenitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo; ceterum multoties expedit ad ulteriora non procedere, et statim poenitentem corripere, praecipue cum confitetur peccatum valde enorme, aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati gravitatem comprehendat. Advertat tamen, ne eum exasperet nec perterreat. Quapropter postquam eum, quantum opus fuerit, corripuerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, dicens: *Eia frater, vis ab hoc vitio resipi-*

(1) Marc. 2. 17.

scere? Non ita est? Et quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quaeso, ne sis aliquod sacrilegium commissurus; hoc enim esset maximum omnium peccatorum, quae hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti; vince teipsum: confitere omnia sincere: Deus enim paratus est tibi parcere.

5. Deinde in fine confessionis oportet, ut confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat, ut poenitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem eius peccatorum, ac miserum damnationis statum in quo reperitur; sed hoc semper maxima cum caritate fiat. Verumtamen est congruentius tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut poenitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore et commiseratione erga suam animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi: *Fili mi, considerasne vitam damnati quam duxisti? Percipisne malum quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contemsisti? Si Iesu Christo nullus tam fuisset tibi inimicitior, potuisses cum illo te gerere peiorem? Sed quaeso, animadverte quis sit hic Iesus. Hic est ille, qui, cum esset Deus nullius egens, factus est homo propter te: voluit mori in cruce, ut te de inferno redimeret. Ah fili, si interim mortuus esses, si in hac nocte, quo iturus fuisses? ubi nunc esses? esses in aeterno igne inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, quod nisi mores in melius mutes, iam es damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Non consideras, quod duplicem infernum tibi paras, unum hic angoris et miseriae, alterum illic poenarum? Age, fili, averte a malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quae ad te suscipiendum sunt extensa, committe: sufficit quantum ei peccasti. Ego totis viribus et toto corde te adiuvare volo, veni ad me semper ac tibi lubet, quoniam invenies patrem qui te benigne suscipiet. En firmiter nunc statue te sanctum velle effici. Per te stat; Deus enim semper paratus est, et ad hoc tibi hoc tempus impertitus est, ut avertas a malo et facias bonum. Oh quam bonum est amicum habere Deum! etc.* (S. Franciscus Salesius, ut Deo alliceret peccatores, potissimum curabat ut ipsi cognoscerent pacem qua fruuntur illi qui Deo adhaerent, et vitam infelicem quam ducit qui a Deo alienus est.) Postea adiuvabit eum ad doloris actum efformandum, et si dispositus est, eum absolvat; et remedia salutaria, quibus possit se a peccatis servare, suggerat, atque ei imponat (sed de his in §. sequenti agetur). Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens videbitur differendam esse absolutionem, assignet ei diem in quo regredi debeat, dicendo ei sic: *Eia frater, tali die te expecto, ne praetermittas ad me redire; animo forti magnoque sis, ut tibi dixi; commenda te quotidie beatae Virgini, et veni ad me. Si forte tunc invenies me aliorum confessiones excipientem, accede; te enim ante alios audiam. Si alibi ero, fac ut me arcessant, omnia deseram, ut tu confitearis.* Et sic dulcibus verbis a se dimittat. Haec est via qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maxima fieri potest caritate; alioquin, si ipsi in confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, a confessione horrebunt, confiteri negligent, et effraenate in perditionem ibunt.

§. 2. *Circa medici officium.*

6. Confessario, ut sui poenitentis infirmitabus remediis opportunis occurrat, cognoscenda est origo et causa omnium spiritualium eius morborum. Nonnulli confessarii, praeter species et numerum peccatorum, nihil aliud inquirunt. Si poenitentem dispositum vident, statim eum absolvunt: sin minus, quin unum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes

discede a me, quia te absolvere non possum. Aliter procedunt boni confessarii: hi enim prius investigare incipiunt morbi originem et gravitatem, interrogando de peccati consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis cum quibus, quo rerum concursu. Sic enim melius poterunt poenitentes corripere, eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria adiungere.

7. His interrogationibus adhibitis, et cognita morbi origine ac gravitate, confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas. Et quamvis ipse tanquam pater debeat cum caritate poenitentes auscultare, tamen ut medicus tenetur (quantum opus est) eos monere et corrigere, eos praesertim qui multis mortalibus gravati ad poenitentiae sacramentum raro accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si poenitens aliqua illustri qualitate fulgeat, nimirum si fuerit magistratus, princeps, sacerdos, parochus aut praelatus, si de aliqua sui muneris omissione sine nimio animi sensu se accusaret. Ait summus pontifex Benedictus XIV.[1] confessarii admonitiones concionibus ipsis esse efficaciores; et iure merito, quia concionatorem latent circumstantiae particulares, quae confessario aperte innotescunt, ideoque multo melius poterit debitas adhibere animadversiones, et remedia quae morbis expediunt, applicare. Nec confessarius tunc debet attendere alios poenitentes qui ipsum circumstant, nam, ut aiebat s. Franciscus Xaverius[2], melius est paucorum confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas, et sine fructu. Hic animadvertere oportet, quam perperam agunt illi confessarii, qui si poenitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, statim a se eum abire iubent. Sciant propterea istiusmodi confessarii, validis niti rationibus sententiam illorum doctorum[3], qui volunt pro viribus teneri confessarium poenitentem, licet accedat indispositus, ad absolutionem disponere; consideranda ei proponendo, v. gr., iniuriam maximam, qua Deum suis sceleribus affecit, periculum imminens eius damnationis etc. Et parum refert, quod alii expectent, aut inconfessi discedant; confessarius enim de hoc tantum qui sibi nunc confitetur, non vero de aliis in die iudicii rationem reddere debet.

8. Et ita etiam confessarius tenetur admonere poenitentem de aliqua illius ignorantia culpabili, sive haec sit iuris naturalis, sive positivi. Quod si poenitens teneretur ignorantia inculpabili, tunc si ea esset circa media scitu necessaria ad salutem, debet confessarius ab hac ignorantia eum removere; si erit circa alia, de quibus potest dari ignorantia invincibilis, licet sit iuris divini et prudenter confessarius existimet admonitionem non fore profuturam poenitenti, tunc abstinendum ab admonitione erit, et poenitens relinquendus in sua bona fide. Et in hoc conveniunt doctores rigidioris sententiae, ratio est, quia magis cavendum est a periculo peccati formalis, quam materialis, quia Deus tantum formale punit: siquidem hoc solummodo in sui offensam habet; hoc fuse probatum est in opere morali[4] cum communi dd. paucis exceptis. Qua de re hic etiam cum communi[5] infertur, quod si quis matrimonium contraxisset invalidum propter aliquod occultum impedimentum, et in bona fide maneret, et contra periculum subesset infamiae, scandali, aut incontinentiae, si manifestaretur matrimonii nullitas, tunc confessarius debet eum in sua bona fide relinquere, donec dispensationem a sacra poenitentiaria illi obtinuerit (excipe tamen, si dispensatio statim et facile obtineri possit). Et in hoc casu, nempe cum in bona fide vivitur, si forte poenitens se accusaret negasse debitum coniugale sine iusta causa, di-

(1) Bulla Apostolica §. 12.
(2) Tursell. In vita l. 6. c. 17.

(3) Lib. 6. n. 608. v. Hic adverte.
(4) Lib. 6. n. 610. (5) Num. 611.

cunt doctores [1], confessarium debere pariter ad hoc illum obligare, dicendo in generali, quod coniuges tenentur sub gravi invicem debitum reddere. Quomodo autem se gerere debeat confessarius cum sponsis, qui iam iam contracturi sunt matrimonium nullum, et timor prudens esset peccati formalis, aut scandali, si manifestetur eius nullitas; observentur resolutiones in opere scriptae [2], ubi fuse probatum est, communem esse et tutam sententiam, posse episcopum dispensare in impedimento dirimenti, stante illa urgenti necessitate. Et si aditus ad episcopum etiam esset difficilis, et nullo modo posset evitari gravissimum periculum infamiae aut scandali, retulimus [3] sententiam auctoris *Instruct. pro novis confess.*[4] ex Ronc., Surd., et Pignat. [5] qui ait, non improbabile esse, imo tutum in praxi, posse parochum, vel alium confessarium declarare, quod lex impedimenti tunc non obliget, atque cesset, utpote potius nociva quam utilis. Sed observa quae loco citato fusius dicuntur. Ita pariter omittenda esset correctio de restitutione facienda, si certe praevideatur futurum ut poenitens, qui nunc esset in bona fide, non pareat monitioni.

9. Nihilominus excipiendi sunt sequentes casus. I. Si ex ipsa ignorantia redundandum esset damnum contra bonum commune [6], quia tunc confessarius, cum ipse constitutus sit minister in bonum reipublicae, tenetur praeferre bonum publicum bono privato poenitentis, licet praevideat, correctionem huic non esse profuturam. Qua de re omnino admonendi sunt principes, praetores, confessarii, parochi et praelati, qui proprio officio desunt; quia horum ignorantia, etiam invincibilis, semper damno erit communitati, dum facili negotio alii putare possunt, sibi licere quod vident a superioribus factitari. Et, ut docet ss. pontifex Benedict. XIV. [7], eodem modo se gerere debet confessarius cum iis, qui frequentant sacramenta, ne licitum iudicetur ab aliis, quod impune ab his exerceri animadvertitur. Excipitur II. Si poenitens interrogasset, quia tunc confessarius teneretur pandere veritatem [8]; in eo enim casu ignorantia non esset omnino invincibilis, prout requiritur ad hoc, ut omitti possit admonitio. Excipitur 3. Si brevi esset poenitens admonitioni assensurus, licet in principio non acquiescat [9]. Quid autem faciendum sit in dubio an correctio sit profutura an nocitura. Vide in opere [10].

10. Post debitas correctiones, sive monitiones, praestat, ut laboretur ad disponendum poenitentem ad absolutionem per actus veri doloris et propositi; quocirca monitos esse volo confessarios, perpaucos esse illos poenitentes, praesertim rudes, qui praeposito actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat huiusmodi poenitentes sequenti modo interrogent: *Eja postulas ne a Deo veniam de omnibus his?* (quod revera non est verus actus doloris): *Te poenitet ex corde omnium peccatorum?* Et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Totum ab hoc aliud est bonorum confessariorum institutum; hi enim in primis elaborant, ut poenitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant. Et prius per attritionis actum eos praeparant, v. gr. *Fili mi, ubi nunc esse deberes in aeternum? In inferno? Ah in illo igne semper cruciandus esses! Nec tibi ulla spes amplius restaret*, *ut te illinc eripere posses! Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus*, *a Deo reiectus per totam aeternitatem! Igitur te poenitet Deum offendisse*, propter *infernum quem meruisti?* Advertendum hic est, non fieri actum attritionis si quis diceret,

(1) Lib. 6. n. 611. (2) N. 613. (3) Ibid. v. Infer. 2. (4) P. 2. n. 52. (5) T. 3. consult. 33. n. 5.

(6) Lib. 6. n. 615. (7) Bulla Apostol. §. 20. (8) L. 6. n. 616. (9) Ibid. v. Excipiendum 3. (10) Lib. 6. n. 616. v. Utrum autem.

se poenitere peccati commissi, quia meruit infernum, sed opus habet, ut dicat se poenitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum. Postea curet, ut eliciatur actus contritionis hoc modo: *Fili mi, quid egisti? peccasti in Deum summum et infinitum bonum: nullam illius rationem habuisti. Avertisti faciem tuam ab eo: proiecisti eum post tergum tuum: contemsisti amicitiam et gratiam eius. Eia ergo, quia offendisti Deum, bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te poenitet? Detestare et odio habe super omnia mala omnes iniurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne iam promtus es millies mori, quam haec in posterum committere?* Notandum hic 1. quod si poenitens, obtenta absolutione, etsi immediate post confiteatur aliud peccatum, ut denuo absolvatur, ei novus actus doloris eliciendus est, cum tunc novum fiat iudicium[1]. Notandum 2., esse probabile apud plures doctores[2], ad hoc, ut confessio sit sacramentalis, debere novo dolore informari: quare, cum aliquis confitetur, quin prius actus doloris praecesserit, non sufficit (cum agatur de valore sacramenti) si terminata confessione eliciatur dolor, sed requiri amplius, ut post dolorem elicitum replicetur confessio, saltem dicendo: *me accuso de omnibus iis quae modo confessus sum.*

11. Demum incumbendum est confessario, ut applicet ea remedia quae opportuniora iudicabit pro salute poenitentis, imponendo ei eas satisfactiones quae magis conveniunt eius morbo et eas quas prudenter iudicabit illum fore executurum. Advertatur hoc, quod licet satisfactiones debeant respondere culpae iuxta Tridentinum [3], quod declarat participes alienorum peccatorum eos confessarios, *qui levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungunt;* nihilominus iustis de causis potest confessarius minuere poenitentias, si nempe poenitens compunctione vehementi affectus sit, aut si iubilaei, aut indulgentiae plenariae curreret tempus, et praesertim si infirmitate aliqua, sive corporis, sive animae laboraret. Et denique (ut paucis me expediam) semper et quando prudens timor exoritur, quod ipse correspondentem culpae satisfactionem non sit adimpleturus. Ita communiter docent dd. cum s. Thoma[4]. Non negamus in Tridentino[5] haberi, iniungendas esse satisfactiones pro modo culpae; sed scimus etiam, ibidem subiungi, eas debere *esse pro poenitentium facultate salutares et convenientes. Salutares,* nimirum saluti poenitentium utiles: et *convenientes,* correspondentes nempe, non solum culpae, sed etiam viribus poenitentis. Unde fit, non esse salutares nec convenientes eas, quibus vires poenitentis, spectata spiritus debilitate, non sunt pares; tunc enim illis essent venenum potius quam remedium. Et in hoc sacramento potius intenditur vitae moderatio, quam omnimoda satisfactio; idemque rituale rom. [6] ait, a confessario habendam esse poenitentis rationem. S. Thomas[7] dicit: *Sicut medicus non dat medicinam ita efficacem, ut propter debilitatem naturae maius periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, iniungit, ne infirmus desperet, et a poenitentia totaliter recedat.* Et alibi[8]: *Sicut exiguus ignis extinguitur, si multa ligna superimponantur; ita accidere potest, quod parvus poenitentis contritionis affectus pondere poenitentiae deficiat.* Et subiungit: *Melius est quod sacerdos poenitenti indicet quanta poenitentia esset iniungenda, et iniungat nihilominus quod poenitens tolerabiliter ferat.* Et alibi [9]: *Tutius est imponere minorem debito, quam maiorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem, quia talis defectus in purgato-*

(1) Lib. 6. n. 448. (2) N. 445. (3) Sess. 14. c. 8 (4) L. 6. n. 509.

(5) Sess. 14. c. 8. (6) De sacr. poenit. (7) Suppl. q. 28. art. 4. (8) Quodlib. 3. a. 28 (9) Opusc. 64. §. 4.

rio supplebitur. Et idem docent Gerson, Caiet., et praecipue s. Antoninus, qui[1] ait, eam poenitentiam iniungendam esse, quam iudicatur poenitens postea verosimiliter executurus esse, et quam lubens acceptaturus. Et si poenitens protestetur, sibi tantas vires non esse, ut debitam persolvat poenitentiam, sic s. archiepiscopus concludit: *Tunc*, *quantumcumque deliquerit*, *non debet dimitti sine absolutione*, *ne desperet*. Cum sufficiat tunc (idem ait) imponere generalem poenitentiam, nempe totum quod boni egerit, usurpando eadem verba ritualis: *Quidquid boni egeris etc*. quae opera iniuncta in sacramento, ut docet angelicus[2] (virtute eiusdem sacramenti, maioris erunt valoris ad satisfaciendum pro peccatis. Item addunt probabiliter doctores multi [3], iustam esse causam diminuendi poenitentiam, si iudicetur poenitens hoc modo magis allici ad sacramentum. Oh quanti valet sapiens illud consilium s. Thomae de Villanova[4]: *Facilem unam iniunxeris*, *acriorem consulueris!* Expedit quoque ut poenitens cognoscat poenitentiam quam meretur; propterea potest valde prodesse, si indicentur poenitentiae canonum poenitentialium (quarum in libro notabiliores adnotantur [5]. Iuvabit pariter (ut dicit s. Thom. de Villan.) suadere graviorem; postea vero imponere eam quam prudenter iudicabit a poenitente adimplendam. Insinuat s. Franciscus Salesius [6], et idem confirmat rituale parisiense[7], prodesse idcirco poenitentem interrogare, si sibi ad illam poenitentiam sufficientes sint vires, alioquin in aliam commutabitur. Iuvabit quoque aliquando inter opera satisfactoria iniuncta imponere aliquam satisfactionem gravem, sed non sub gravi culpa [8], aut aliud opus aliunde praeceptum aut debitum [9].

12. Ex hoc quod dictum est colligitur, quam imprudenter operari quosdam confessarios qui poenitentibus imponunt satisfactiones eorum viribus impares. Quot istorum non dubitant absolvere recidivos indispositos, et eos pariter qui in proxima occasione peccandi versantur, et insipienter putant eos recuperare, si gravibus poenitentiis a se oneratos dimittunt, licet praevideant illas non fore executuros: v. gr. iniungunt illi qui vix semel in anno dudum confessus est, ut octavo quovis die per annum confiteatur; quindecim decades rosarii quolibet die recitandas illi, qui ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare: disciplinas, orationem mentalem illi, qui nec nomen unquam audivit. Et quid hinc eveniet? Eveniet, quod licet inviti acceptent quod imponitur, ut absolutionem aucupentur, nihilominus postea nihil horum executioni demandant; et credendo, iterum esse in peccatum delapsos, quinimo putando (praecipue rudes), nullius momenti fuisse confessionem factam, quia poenitentiae impositae non satisfecerunt, propterea ad pristinum perdite vivendi modum redeunt: et perterriti ob poenitentiae impositae pondus, a confessione horrent, et ita pergunt in peccatis tabescere Et hic est fructus qui in perniciem tot miserorum colligitur ex huiusmodi satisfactionibus, quas convenientes vocant, sed melius dicendae forent inconvenientissimae.

13. Caeterum extra casum infirmitatis et compunctionis extraordinariae, non bene ageret confessarius, si pro culpis gravibus adiungeret levem satisfactionem quae inducat levem obligationem; etenim, licet (cum expedit) possit adiungi opus, quod habita ratione peccatorum sit leve, attamen semper debet imponi satisfactio gravis quae obligat sub gravi. Et hic oportet adnotare aliqua pertinentia ad praxim circa poenitentias imponendas. Notandum 1. Cum poenitens oblitus fuerit poenitentiae, communis est sententia[10],

(1) Lib. 6. n. 509. et 510.
(2) Quodlib. 3. a. 28. (3) L. 6. n. 510. v. Idem.
(4) Serm. fer. 6. post Dom. Laetare.
(5) L. 6. n. 530. (6) Instruct. conf. c. 8.
(7) L. 6. n 509. (8) L. 6. n. 518. dub. 3.
(9) N. 513. dub. 1. (10) L. 6. n. 520.

ad nihilum amplius eum teneri, nisi facile esset sibi, ut posset a confessario qui eam imposuit cognoscere. II. Non potest imponi pro occultis peccatis publica satisfactio; tenetur autem confessarius has imponere, si alia via non possit occurri scandalo dato, vel honori alicuius palam detracto; sed non est adstringendus poenitens ad publicam poenitentiam faciendam, si ipse renuit, et alio modo possit scandalum reparare, nimirum sacramenta frequentando, ecclesias visitando, ad aliquam congregationem se aggregando, etc. [1]. III. Aliquando potest imponi aliqua poenitentia sub conditione, si poenitens reinciderit[2]. Sed animadvertendum, huiusmodi poenitentias forte multoties felicem non habere exitum, praecipue si per longum tempus duraturae erunt; quia faciliter postea in relapsu negliguntur, et peccata multiplicantur. IV. Si unquam poenitens sibi mutari poenitentiam ab alio confessario impositam petierit, volunt multi doctores, ei repetendam fore totam confessionem huic confessario, saltem in confuso, ut status suae conscientiae huic notitiam praebeat. Sed multi alii etiam probabiliter dicunt [3] hoc non esse necessarium, cum sufficiat quod confessarius iudicium faciat, ad hoc ut mutet poenitentiam, esse insufficientes poenitentis vires illi oneri ferendo; cum contra possit ex ipsamet poenitentia imposita arguere materiam peccatorum, pro quibus illa iniuncta erat, et ita se dirigere potest, aut in mutando, aut diminuendo. Et probabiliter potest id confessarius [4] ex se efficere, cum praevidet quod poenitens verosimiliter poenitentiam, ut antea, negligere perget. Attamen confessario inferiori non est permissum immutare poenitentiam impositam a superiore pro reservatis; extra casum quo poenitens difficulter posset regredi ad superiorem, et contra gravis causa urgeret, ut poenitentia mutetur, quia tunc rationabiliter praesumitur superioris conniventia [5]. V. Non potest mutari poenitentia extra confessionem, ne ab ipso quidem confessario; tantum potest hoc fieri ab illo immediate post datam absolutionem, et antequam poenitens a confessionali discedat [6].

(1) Num. 512. (2) L. 6. n. 524.
(3) N. 529. dub. 1. (4) Ibid.

14. Circa satisfactiones in particulari imponendas, advertendum, satisfactionem non solum debere esse medicinalem, sed etiam culpis praeteritis satisfactoriam. Regula harum requirit, ut imponantur opera carnem coercentia pro peccatis sensualibus, eleemosynae pro peccatis avaritiae, orationes pro blasphemiis, etc. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit poenitenti. Quamvis autem maxime utile sit imponere sacramentorum frequentationem, orationem mentalem et eleemosynas; nihilominus praxis habet, has reddi damnosas iis qui aut nihil aut parum habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hae solent esse, nimirum aggregari ad aliquam congregationem: quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum s. Philippo Nerio: *Domine, ne auferas hodie manus tuas a me, ne tui proditor efficiar:* visitare quotidie sanctissimum sacramentum et imaginem quoque Mariae sanctissimae, ab eis perseverantiae gratiam postulando: rosarii saltem tertiam partem, et ter salutationem angelicam mane et vesperi, dicendo: *Mater mea, adiuva me hodie, ne Deo peccem* (Hanc tamen poenitentiam ter recitandi salutationem angelicam cum praedicta supplicatione ego plerumque solitus fui iniungere, aut saltem consulere iis qui ea uti non solerent): cum cubitum iverint, dicere in lecto: *Nunc mihi morandum fuisset in inferni igne:* aut dicere: *Veniet dies quo mihi in hoc lecto moriendum erit.* Iis qui legere sciunt, et potissimum ecclesiasticis, quotidie legere aliquem librum de re-

(5) Dicto n. 529. dub. 2.
(6) Dicto n. 529. dub. 3.

bus spiritualibus agentem. Monet autem s. Franciscus Salesius [1], non esse gravandum poenitentem multis rebus ne confundatur et terrefiat.

15. Sermonem autem facturus de remediis, quae insinuari debent poenitentibus, dico, alia esse generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari. Generalia omnibus insinuanda sunt 1. amor erga Deum, cum ipse ad hunc solum finem nos creaverit. Et curetur pariter, ut poenitens cognoscat pacem interiorem qua donantur qui Dei amicitia fruuntur, et infernum quem ante tempus experiuntur, qui alieni sunt a Deo; addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum. 2. Saepe se commendare beatae Virgini, rosarium recitando, se commendare angelo custodi et alicui sancto peculiari protectori. 3. Frequentia sacramentorum, et si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim se confiteri. 4. Veritatum aeternarum consideratio, et prae caeteris consideratio mortis: et patribusfamilias insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem rosarium una cum filiis. 5. Dei praesentia, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt*. 6. Quolibet vesperi conscientiam scrutari, cum animi dolore et proposito. 7. Secularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant et sacerdotibus oratio mentalis, et gratiarum actiones post missam. Et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante et post missam.

16. Remedia autem particularia assignabuntur pro vitiorum diversitate; v. g. illi qui aliquo odio tenetur, insinuetur ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso orationem dominicalem et salutationem angelicam; et cum se turbari sentit memoria iniuriae sibi illatae, reminiscatur contumeliarum quibus ipse Deum affecit. Illi qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat; et illi qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili ad resistendum factae erunt proximae. Huic praecipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter salutationem angelicam in honorem puritatis beatissimae Virginis, mane et vesperi, repetendo semper coram eius imagine propositum non peccandi, et supplicationem, ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cum eucharistia dicatur *vinum germinans virgines*. Illi, qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur ut novies vel quinquies lingua signet crucem super terram, et ut quotidie saltem semel dicat orationem dominicalem et salutationem angelicam, in honorem sanctorum in quos execratus fuit; et ut quolibet mane dum e cubitu surgit renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat b. Virgini quolibet mane: *Domina mea, dona mihi patientiam;* et id non solum inserviet, ut Maria sanctissima sibi opituletur, sed etiam ut in occasionibus reperiatur habitus factus dicendi eadem verba. Aut adsuescat dicendo: *Maledictum sit peccatum meum; maledictus sit daemon, etc.* Alia remedia assignabit confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum et muniorum.

§. 3. *Circa officium doctoris.*

17. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius* [2]. Confessario, ut doctoris officio rite fungatur, opus est ut bene sciat legem; qui enim eam ignorat non potest alios docere. Sed hic advertendum est id quod scribit s. Gregorius, nempe officium dirigendi animas per viam salutis aeternae esse artem artium: *Ars artium regimen animarum*. Et s. Franciscus Salesius dicebat, officium audiendi confessiones esse omnium maximum et difficillimum. Revera ita est. *Est omnium maximum*, quia est o-

(1) Instruct. confes. c. 8. (2) Malach. 2. 7.

mnium scientiarum finis, qui nihil aliud esse debet quam salus aeterna; estque omnium *difficillimum*, dum primo, confessarii munus requirit omnium scientiarum, omnium officiorum atque artium notitiam; secundo, quia scientia theologiae moralis complectitur tot materias inter se diversas; tertio, quia in magna parte constat ex tot legibus positivis, et sacris canonibus, quorum intelligentia debet accipi secundum suam veram significationem: praeterea quaelibet harum legum redditur difficilis, cum ratione circumstantiarum quae casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandae sint. Quidam qui eruditos et theologos magnae notae se iactant, moralistas, quos *casuistas* (nomen ignominiae apud ipsos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt hi, sufficere ut confessiones rite excipi possint, principia generalia moralis callere; illis enim posse resolvi (aiunt) omnes casus particulares. Quis negare potest, omnes casus particulares esse his principiis resolvendos? sed totum opus et totus labor est in adaptando ad casus particulares, tantis diversis circumstantiis irretitos, principia huiusmodi, utque discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat, nequit id fieri sine magna discussione rationum quae pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud quod moralistae effecerunt, dum elaborarunt in explicando a quibus principiis multi casus particulares resolvi deberent. Praeterea, hac nostra tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivae, tot bullae, tot decreta, quae nequeunt sciri, nisi casuistae legantur, qui ea collegerunt, et prout materiarum varietas postulat, ibi opportune illa inveniuntur; ideoque, quo recentiores hi moralistae sunt, eo antiquis utiliores. Iusta ratione motus auctor instructionum pro novis confessariis [1], affirmat, multos theologos quanto profundiores in scientiis speculativis, tanto rudiores in scientiis moralibus, quae, ut scribit Gerson [2], omnium difficillimae sunt, et nemo doctus, quantumvis sit in his versatissimus, est, cui in dies nova non accidant; ex quo infert, nunquam confessario deserendum esse theologiae moralis studium. Doctissimus Sperelli [3] pariter dicit longe errare eos confessarios qui totos in scholasticae studio se applicant, aestimantes, tempus in morali frustra expendi: et postea nesciunt distinguere lepram a lepra; qui error (subiungit) confessarios simul et poenitentes in aeternam perditionem trahit.

18. Non negamus autem, minorem scientiam exigi in audiendis confessionibus simplicium et rusticorum, quam curialistarum, negotiantium, ecclesiasticorum, et similium. Minor item scientia requiritur, ut audiantur confessiones in oppido, quam in civitate: et praecipue si alicubi sit tanta confessariorum inopia, ut poenitentes deberent aut per longum tempus a confessione se abstinere, aut alio proficisci [4]. Sed hoc non sufficit ad excusandos aliquos confessarios, qui cursim, lecta aliqua brevi summa morali, temere ad excipiendas confessiones se intromittunt. Oportet saltem ut confessarius sciat I. ad quae sua iurisdictio se extendat. Advertat hic quisque, sacerdotes seculares et regulares alterius ordinis non posse audire confessiones religiosorum, sine licentia suorum praelatorum; exceptis casibus, si iter agant, si alibi morentur, et socium non habeant, aut alium sacerdotem idoneum eiusdem religionis. Et tunc religiosi possunt absolvi ab omni simplici sacerdote, dum superiores tunc, dando licentiam his subditis, intendunt eam dare iuxta consuetudinem, scilicet confitendi cuivis sacerdoti idoneo [5]. Item quivis confessarius scire debet casus et censuras reservatas, saltem eas in quas frequentius incurri solet, prout sunt excommunicationes

(1) Part. 1. n. 18. (2) Tract. de orat.

(3) De episcop. p. 3. c. 4.
(4) Lib. 6. n. 628. (5) N. 875.

papales, quae sunt in bulla *Coenae*, haeresis externata, lectio aut retentio aut venditio librorum haereticorum, qui ex professo de religione tractant, aut continent haeresim formalem: item quinque casus papales Clementis VIII., qui sunt, percussio enormis aut mediocris clerici aut monachi, simonia realis aut confidentialis, violatio clausurae monialium ad malum finem, violatio immunitatis ecclesiasticae, et duellum: item excommunicationes a pontifice Benedicto XIV. emanatae in absolventes complices in materia turpi[1], et in eos qui docent, posse a confessario exquiri nomen complicis, etiam per absolutionis sacramentalis negationem, si revelare recusent[2]; et aliae excommunicationes obviae, quae observari possunt in tractatu de censuris. Sciat II. distinguere peccatum veniale a mortali, saltem in suo genere, quod communiter occurri solet; et de aliis saltem dubitare sciat. III. Sciat interrogationes quas facere debet, circumstantias peccatorum saltem speciem mutantes: quid constituat occasionem proximam, quid inducat restitutionis obligationem; item qualis esse debeat dolor et propositum, et denique remedia ad emendationem efficaciora. Et ut brevibus me expediam, affirmo, in statu damnationis esse eum confessarium qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit. Deus ipse his verbis eum reprobat: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*[3]. Nec excusabit eum episcopi approbatio, si manifeste se noverit inhabilem: approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed supponit. Dico *manifeste*, dum qui tantum dubitaret, bene potest, imo debet quiescere in sui superioris iudicio confisus, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat. At nullus confessarius intermittere debet theologiae moralis studium, quia ex tot rebus tam diversis, et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare.

(1) Lib. 6. n. 553. (2) N. 491.
(3) N. 628. Oseae c. 4.

§. 4. *Circa iudicis officium.*

19. Postremum confessarii officium est iudicis, et hoc importat, ut sicut iudex tenetur prius rationes cognoscere, inde causae momenta discutere, et deinde sententiam proferre: ita confessarius prius debet conscius fieri poenitentis conscientiae, postea eius dispositionem inspicere, et postea absolutionem impertire aut negare. Et quoad primum munus, quod est peccata poenitentis cognoscere, quamvis debitum examinandi conscientiam sit praecipuum poenitentis, nihilominus (quicquid alii doctores[4] dixerint), non est dubitandum quin si confessarius cognoverit, poenitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, teneatur ipse eum interrogare, prius de peccatis in quae verosimiliter incidere poterat, et postea de eorum specie et numero, ut probatur ex c. *Omnis utriusque sexus, de poenit., et ex rit. rom.*[5].

20. Et hic multa animadvertenda sunt: I. perperam eos agere qui rudes dimittunt ut melius se examinent. Hoc p. Segneri[6] vocat errorem intolerabilem, et iure optimo; quia huiusmodi homines, quantum laborent, difficiliter se examinabunt ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse confessarius eos examinare; et contra, cum dimissi sunt, periculum erit, ut exterriti difficultate se examinandi, a confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant[7]: qua de re confessarius debet ipse ex huiusmodi poenitentibus peccata exquirere, eos interrogando secundum ordinem praeceptorum, praecipue si sunt famuli, aurigae, muliones, milites, satellites, caupones et a-

(4) Apud Lohner instruct. pract. p. 35.
(5) L. 6. n. 607. (6) Confes. inst.
(7) Ibid. v. Sed haec ad n. 1.

lii huius generis, qui vitam solent ducere aeternae salutis negligentes, et rerum divinarum ignorantes, procul a concionibus et ecclesiis. Et hoc peior error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, quamvis repetendae essent confessiones multorum annorum, propter maius periculum, quod tunc subest, nempe, quod, si non redeat, peribit [1]. Advertat nihilominus confessarius, se non teneri tam minute hos interrogare; interroget tantum de peccatis in quae faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate; imo cum poenitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus, et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, iuxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio rudis), tunc confessarius nihil aliud tenetur interrogare [2]. II. Notandum, melius esse si confessarius sigillatim examinet peccata statim ac ea exponit poenitens, quam ut differat examen usque ad finem; quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum quae audivit, aut obligandus esset poenitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa [3]. III. Errare eos confessarios qui volunt certum iudicium facere de peccati qualitate, an sit grave vel leve, exquirendo a rudibus istis si pro mortali habebant an pro veniali; hi enim multoties respondent, ut casus sibi verba suggerit; et hoc experientia testamur (ut ego millies observavi). Quod si confessarius paulo post iterum interroget, respondent modo toto a primo diverso. IV. Advertendum circa numerum peccatorum, quorum pravo habitu aliqui tenentur, cum non possit haberi numerus certus curet confessarius statum poenitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est, et deinde interroget de numero, interrogando poenitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense? proponens ei plures numeros, ex. gr., ter aut quater, octies vel decies, ut videat cui numero potius ille adhaeret. Et si poenitens numero maiori adhaeret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero maiori. Sed in hoc confessarius advertat ne formet de numero iudicium certum; notet frequentiam in genere, et in confuso iudicium faciat, apprehendendo peccata quotquot sunt coram Deo. Aliqui doctores dicunt quod circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum pravarum et desideriorum, sufficit plerumque interrogare de tempore, per quod duravit malus habitus; sed hoc mihi omnino non satisfacit, quia potest esse, quod aliquis magis sit intentus ad externa negotia, aut moretur ubi sibi occurrent pauciores occasiones cogitationum pravarum; alius erit magis alio animi passione allectus; ideoque opus est interrogationes generales adhibere, de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, etc., ut formet iudicium maioris vel minoris frequentiae actuum internorum. Caeterum post duas vel tres interrogationes, non debet angi confessarius, si ei iudicium quod facit videtur esse nimis confusum; nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est, maiorem claritatem sperare. V. Oportet animadvertere quod licet confessiones generales sint utilissimae, nihilominus non debet confessarius esse valde rigorosus ad efficiendum, ut confessiones iam factae repetantur [4]. Unde ait p. Segneri, non esse obligationem repetendi confessiones, *nisi in casu manifestae necessitatis, et in quo error sit evidens.* Neque relapsus sunt certa indicia, nullas fuisse confessiones factas, praecipue si per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet sibi aliquam vim fecerit. Aliud tamen iudicium fieri debet, si poeni-

(1) L. 18. (2) Ibid. ad n. 2. (3) Ibid. ad n. 4. (4) Lib. 6. n. 505.

tens plerumque statim ceciderit post duos nempe vel tres dies a confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit; tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.

CAPIT. II. *De interrogationibus faciendis poenitentibus rudibus.*

21. Non speret hic meus lector me sermonem facturum de omnibus doctrinis ad Dei et ecclesiae praecepta pertinentibus, quoad ea quae in ipsis permittuntur, aut prohibentur; de his enim satis actum in opere morali [1]. Hic tantum adnotabimus interrogationes a confessario plerumque faciendas poenitentibus rudibus, qui iudicantur non sufficienter suam conscientiam perquisivisse; et pauca alia quae praecipue notari debent, ad praxim maxime facientia, aliter quam speculative tractantur.

22. Circa I. *Praeceptum*. Interroget 1. poenitentem, an mysteria fidei calleat; nam, si quatuor mysteriorum principalium ignorantia teneatur, nempe Deum esse, remuneratorem esse boni et mali, mysteria sanctissimae Trinitatis et incarnationis ac mortis Iesu Christi, erit absolutionis incapax, iuxta propositionem 64. proscriptam ab Innocent. XI. Item an sciat symbolum fidei, praecepta decalogi, sacramenta, etc. saltem in substantia. Sed hic bene advertit celebris ille et doctus missionarius p. Leonardus a Portu Mauritio in suo *discursu mystico et morali, n.* 26. teneri confessarium instruere poenitentes rudes in mysteriis fidei, saltem in quatuor principalibus; quapropter sic subiungit: *Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis haec doceantur; quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est breviter eos docere praedicta mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum efforment actus fidei, spei, caritatis et contritionis, obligando tamen eos ut imposterum perfecte instrui se faciant circa caetera mysteria scitu necessaria de necessitate praecepti*. Et idem auctor loquens de personis urbanis salutis propriae negligentibus, quae sibi magno rubori et contumeliae habent se de iis interrogari, ait, decere confessarium, ut ipsis sic dicat: *Eia eliciamus una simul actus christianos; dic mecum, Deus meus, quia es veritas infallibilis, et quia sanctae ecclesiae tu revelasti, credo quidquid sancta ecclesia me docet credere; credo praecipue te esse unum Deum, et tres personas; credo Filium, cum Deus esset, se fecisse hominem, mortuum esse in cruce, resurrexisse, et ad coelos ascendisse, et illinc venturum esse omnes iudicaturum, ut boni paradisi gloria fruantur, et mali in aeterno igne crucientur*. Praeterea advertendum id quod dicit Bened. XIV. [2], nempe negandam esse absolutionem poenitenti qui culpabiliter neglexit addiscere res fidei scitu necessarias de necessitate tam medii quam praecepti. Sed circa res praecepti ait posse absolvi ignorantem, si vere promittat conari addiscere, his verbis: *Eo quandoque casu poenitens absolvi potest, quo se vincibilis huius ignorantiae reum agnoscit; et promittit operam se daturum addiscere necessaria necessitate praecepti*. 2. An superstitiones exercuerit, aut alios docuerit, et si in ipsis aliorum ministerio usus fuerit, quos ad suo peccato cooperandum induxerit; quocirca debet rudes admonere, superstitiones numquam esse licitas, quamvis ex caritate aut in necessitate fiant. Quae autem actiones sint nec ne superstitiones; vide in opere [3]. 3. An unquam olim rubore suffectus in confessione aliquod peccatum reticuerit. Et hac interrogatione ut plurimum curet sciscitari rudes et mulierculas, qui raro frequentant sacramenta, dicendo eis: *Forsan aliquis vitae anteactae scrupulus te mordet? cura nunc bene confiteri, dic omnia libenter, noli timere, omnem scrupulum ab anima tua depone etc.* Hac interrogatione aiebat quidam diligens

(1) Lib. 3. ex n. 14.

(2) In const. 42. de doctrina christ. §. 12. vide in Bullar. tom. 1.

(3) L. 3. n. 3.

operarius a se multas animas a confessionibus sacrilegis fuisse liberatas. Si autem reperiat iam huiusmodi sacrilegia fuisse patrata, ut de numero certus fiat, interroget quoties, intra hoc tempus a quo peccare cessavit, confessus sit, et communicaverit, et si quotiescumque confitebatur vel communicabat, ad sacrilegium advertebat; contigit enim aliquibus interdum sacrilege confiteri, praecipue in pueritia, et postea horum oblivisci; hi enim non tenentur ad repetendas confessiones oblivionis tempore factas. Item interroget utrum sciebant, se talibus confessionibus et communionibus etiam praeceptum paschale transgressos fuisse? expedit autem ut haec interrogatio de sacrilegiis fiat in principio confessionis, ne si postea fiat, et reperiatur iam commissum sacrilegium, tempus teratur inutiliter in repetenda confessione, quae forsan nihil habet dissimile a praeteritis. Oportet autem operam dare ut qui peccata reticuerunt, cognoscant quam maximum peccatum hoc sit, conculcare nempe pedibus sanguinem Iesu Christi. 4. Interroget, si poenitentiae satisfecerit; et si omiserit, an hoc acciderit propter oblivionem, aut quia noluit eam adimplere, aut quia distulit in posterum faciendam, aut ut sibi commutare faceret; et si in ea dilatione putabat peccare. 5. Circa scandala, si induxerit alios ad peccandum, aut si ut peccatum exequeretur abusus fuerit ministerio aliorum. Si cooperatus sit peccatis alienis. Tabernarios interroget, si ministraverint vinum illis qui soliti fuerunt ebriari [1]. Mulieres interroget, si verbis parum honestis, iocis, saltibus, risu, aut si fixis oculis aliquem inspiciendo, tunica nimis elevata, aut pectore aperto provocaverint viros ad malas cogitationes. Si munera ab illis ad malum finem data acceptaverint.

23. Circa hanc ipsam materiam scandali, potest interrogare insuper an poenitens cooperatus fuerit peccato alicuius; sed confessarius in hoc debet esse valde peritus, ut dignoscat quando cooperatio sit formalis, et quando materialis. *Formalis* est, cum cooperatur actuali peccato alterius, ut evenit in fornicatione, aut cooperatur malae voluntati alicuius, ut si in suam tutelam furem reciperet, quod vulgo dicunt *guardar le spalle*. *Materialis* autem est, cum operam suam exhibet actui alicuius ex se indifferenti, qui ea abutitur ad malum finem, ut est praebere vinum volenti se ebriare; et haec potest esse licita, cum adest iusta, et cooperationi proportionata causa. Hic punctus qui magni momenti est, et multa consideratione indigens, non mediocris mihi fuit laboris, ut veluti res exigebat expenderetur; observent ideoque rationes et resolutiones in opere [2] congestas.

24. Circa II. *Praeceptum* interroget de periuriis, de votis transgressis, et de blasphemiis. Quoad periuria interroget poenitentem, si falsum iuraverit, et an in iudicio, vel extra, quia peierando in iudicio, etiam iustitiam laesit. propter quod aliquando tenebitur aut se retractare, aut damnum reficere. 2. Interroget de modo quo iuravit, si *per Deum*, *per sanctos*, *per animam;* si enim iuravit per conscientiam aut *per fidem*, quin addiderit *fidem sanctam*, aut *Christi*, probabilissime potest excusari a periurio [3]. Advertatur hic, multos rudes non apprehendere ut peccatum grave, peierare per sanctos, cum alterius damnum non intervenit. Et plerumque cum in filios aut famulos irascentes dicunt, *per Deum*, *per sanctos*, *per Christum te occidam si iterum hoc facies*, non intelligunt tunc peierare, etiamsi revera minas exequi non intendant; saltem non advertunt.

25. Quoad vota facta pariter confessarius diligenter exquirat a poenitente, si illud quod emisit sit verum votum, quia vulgus saepe confundit desideria aut proposita cum votis. Ad

(1) Lib. 2. n. 69.

(2) Lib. 2. n. 63. v. Ad distinguendum et l. 3. n. 571 (3) Lib. 3. n. 138.

baec distinguenda parum iuvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato. Siquidem rudes sic interrogati facile negant; satius erit interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse, an non, si postea non satisfecisset: et ita melius cognoscetur, an sub gravi, vel sub levi se voto obligavit. Certus de hoc factus confessarius, hoc fuisse verum votum, exquiret, an si ob dilationem putavit peccare mortaliter, aut iudicabat se ab hoc excusari, quia sibi erat propositum illud adimplendi imposterum.

26. Hic iuvat adnotare aliqua circa votorum dispensationem et commutationem. Iam sciuntur quinque vota reservata religionis nempe, castitatis perpetuae, et trium peregrinationum, ad Romam, Ierusalem, et ad s. Iacobum Galleciae, non posse nisi a papa dispensari, dummodo sint absoluta, non autem poenalia, et conditionata [1]. His adde votum perseverantiae in aliqua congregatione vel communitate solitum emitti (prout fit in congregationibus missionariorum s. Vincentii a Paula, et ss. Redemtoris nostra), quod Benedictus XIV. in bulla *Convocatis* sub die 25. nov. 1749. §. 32. sibi reservavit [2]. Alia vota possunt commutari aut dispensari ab episcopis, qui possunt hanc facultatem aliis delegare [3]; aut a confessariis regularibus [4], aut ab aliis confessariis per facultatem iubilaei aut alterius privilegii sibi concessam. Loquendo autem de commutatione, confessarium monitum esse volo, ne sit scrupulosus circa causam, quia quodlibet rationabile motivum pro causa haberi potest. Sufficiens est ut ex commutatione voti sit minus periculum transgressionis [5]; nec circa materiam aequaliter subrogandam, etenim non requiritur aequalitas lance liberanda, sed sufficit, sit aequalis moraliter. Interroget poenitentem, quae opera soleat exercere praeter debita ex praecepto, aut ad quae maiorem habeat propensionem, et in ea commutet vota. Commutatio autem securior in omni votorum genere erit frequentia sacramentorum [6]. Advertat vota perpetua bene posse commutari in temporalia: dummodo adsit debita proportio; et sic etiam realia possunt commutari in personalia; et contra personalia in realia [7]. Loquendo autem de dispensatione, ad hanc requiritur causa gravior, nimirum periculum grande transgressionis, magna difficultas executionis, levitas, aut imperfecta deliberatio, qua votum emissum est [8]. Nihilominus semper laudabile erit adiungere huiusmodi dispensationibus aliquam commutationem. Hae autem dispensationes et commutationes possunt fieri extra confessionem, modo facultas non sit concessa sub tali conditione, ut in iubilaeo [9]; sed consilii est eas facere in confessione.

27. Quoad blasphemias interroget, si execratus fuerit in sanctos: et quibus verbis usus fuerit, an dixerit male habeat, vulgo *managgia*, vel *atta*, aut *potta*. Etenim dicere *managgia* certum est esse mortale: *atta* in se est veniale, quia tale verbum non continet contumeliam; sed aliqui rudes eundem concipiunt horrorem ac cum dicunt *managgia*, et tunc oportet accipi pro gravi blasphemia, et simul instruere poenitentem, tale effatum non esse blasphemiam. Dicere *potta* in se esset grave peccatum iuxta idioma hispanicum, sed in nostro blasphemia non est, cum nihil aliud significet quam interiectionem indignantis [10]. Nihilominus bonum erit exigere numerum, cum rudes horrorem notabiliorem ex hoc concipiunt. Sed cum tale verbum sit aequivocum et cum possit accipi in sensu meliori, bene potest animadverti poenitens, quod illud iuxta nostram

(1) Lib. 3. n. 261. (2) N. 255.
(3) N. 256. (4) N. 257. v. Immo.
(5) N. 241. (6) N. 243.
(7) N. 247. v. Notandum. (8) N. 252. et 253.
(9) N. 257. v. Immo.
(10) Lib. 3. n. 124. v. Neque.

loquelam non est blasphemia, quandoquidem nostri indigenae non intelligunt certe proferre illud in sensu peiore, idest hispanorum idiomatis, sed advertatur simul, ut caveat a scandalo, si unquam adesset.

28. Interroget 2., si execraverit in dies sanctos, nempe pascham, natalem, epiphaniam, sabbatum sanctum etc., quod excusari non potest a mortali; licet multi rudes clare non apprehendunt ut tale; sed quia est dubium, si apprehendunt, an non, investigetur de numero, et huiusmodi blasphemiae accipiantur ut sunt coram Deo. 3. Interroget, si postquam protulerit blasphemias in Deum, in sanctos, aut in dies sacros, immediate subiunxerit, *si ego feci*, aut *excepto Deo*. Etenim illi rudes qui dicunt ita unico actu, bene notat auctor instructionum pro confessariis pagorum [1], saltem excusari a gravi propter ignorantiam, dum non intendunt tunc blasphemiam proferre; et licet in opere [2] dixerim, tale effatum esse veram blasphemiam, quia ad blasphemiam non requiritur intentio execrandi, sed sufficit quod propositio sit in Deum, aut in sanctos contumeliosa; nihilominus melius mihi rem consideranti videtur esse probabile, hanc non esse blasphemiam, siquidem verus uniuscuiusque propositionis sensus ab ultimis verbis designatur; unde bene dici potest praefatam propositionem, integre acceptam, non importare contumeliam. Sed aliter dicendum, si ille postquam vere execratus fuerit, ut malo iam patrato mederetur, diceret *si ego feci etc.*

29. Notandum 4., quod cum rudes dicunt *maledicta sit fides tua*, vulgo *managgia la fede tua*, non accipitur ut blasphemia, quia non intelligunt fidem christianam, et nomine *fidei* potest quoque intelligi fides humana; aliter autem debet iudicari si execrarentur in *fidem sanctam*, *aut Christi*. Ita pariter non est mortale maledicere *mortuis*, nisi nominarentur aut intelligerentur praecise a proferente animae purgatorii, vel mortui in Christo, aut animae mortuorum. De hoc puncto iam in opere [3] locutus sum: sed quia hoc est punctum ab aliis auctoribus non discussum, refert illud hic ad trutinam revocare, ut clarius patefiat, utque praesertim alicui anonymo respondeatur, qui in quadam sua epistola mihi contradixit, aliqua obiiciens.

Dico autem maledictionem *mortuorum*, per se loquendo, non esse blasphemiam, neque in se, neque ex relatione illorum qui eam pronunciant. Non est in se, quia vox *mortui* proprie est terminus *privativus*, qui homines significat vita functos, nunc amplius non existentes; et in tali supposito verbum *mortui*, nec animam nec corpus importat. Quamobrem loquendo in philosophico rigore, qui mortuis maledicit nemini iniuriam irrogat: dum rem maledicit quae amplius non existit.

Dicet aliquis: sed hic vox *mortui* accipitur, non ut terminus *privativus*, sed ut terminus *analogus*, qui utrique tam animae quam corpori referri potest. Respondeo primum quod is qui hoc dicit, loquitur iam de relatione mentis; sed ego loquor de eo quod verbum *mortui* in se importat. Sed adhuc illum sumendo ut terminum *analogum*, respondeo secundo, quod sub voce *mortui* principaliter et *in recto* (ut dicunt philosophi) solum venit corpus quod solum mortuum dici potest, cum anima immortalis sit. Dumtaxat *in obliquo* anima queit intellecta venire, nempe anima mortui, eo quod olim ipsa forma fuit corporis illius, cui vitam praebuit. At supposito quod vox *mortuus* principaliter respicit corpus, et minus principaliter animam, cum aliquis *mortuos* nominat, per se loquendo, non de eorum animabus, sed de corporibus intelligitur: ut de animabus intelligatur, opus est ut ille aut speciatim in sua mente de animabus loqui intelligat, aut saltem quod alia sermonis verba animas denotent, prout

(1) Cap. 8. p. 141. (2) L. 3. n. 124. v. Sic quoque.

(3) Lib. 3. n. 130.

est illud quod scriptum est in Machabaeis [1]: *Sancta et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare.* Hic verbum *exorare* iam denotat, de animabus mortuorum fieri sermonem.

Per se igitur loquendo, maledictio *mortuorum* blasphemia non est. Videamus nunc, an blasphemia sit propter mentalem relationem eorum qui illam proferunt. Et dicimus secundo loco, nequaquam ex relatione blasphemiam esse; quoniam ii qui *mortuis* maledicunt, ordinarie a consideratione animarum ipsorum praescindunt. Hic autem auctor epistolae me improperat quod distinguere nesciam terminum *abstractum a concreto. Abstractus*, me instruit, ille est qui formam significat, a subiecto praecisam, prout est pulcritudo, albedo etc. *Concretus* vero significat subiectum cum forma coniunctum; ut est homo pulcher, charta alba etc. Hinc dicit, vocem *mortuus* significare hominem, qui olim anima et corpore constabat, sed nunc importat corpus et animam disiunctam. Et ex hoc concludit quod *mortuos* alicuius persona maledicens, non solum eorum corpora, sed animas etiam maledicit.

Respondeo. Ego non dico quod *mortuos* maledicens eos considerat tamquam abstractos. scilicet tamquam formas sine subiecto: sed dico quod praescindit a considerandis mortuorum animabus, quae nunc existunt. Aliud est abstrahere, quod est considerare aliquam formam sine subiecto: aliud praescindere, quod est considerare quoddam subiectum, praecisum ab aliqua circumstantia aut qualitate, quae respici potest. Certum est, homines vita functos nunc eosdem non esse, qui vivendo fuerunt. Tunc tot erant personae anima et corpore coniunctis compositae; nunc vero eorum animae et corpora existunt quidem, sed disiuncta existunt. Quapropter, cum *mortui* maledicuntur, non ideo necessario ipsorum animae maledictae veniunt, nisi cum illae specialiter exprimuntur vel intelliguntur.

Sed denique auctori epistolae concedamus quod ipse aggressus est sustinere, nimirum quod *mortuis* maledicere idem sit quam eis maledicere ac si viventes essent. Quaero: ergo qui hominem vivum maledicit, semper ne lethaliter peccat? Omnes dd. aiunt, Caietanus, Sotus, Molina, Grado, Azorius, Lugo et alii cum Salmant. [2] ex d. Thoma [3], tum maledictionem in proximum peccatum esse mortale, cum ipsa est formalis, scilicet (ut explicat Caietan.) cum proximo optatur damnum, et damnum grave, quod aliquis illi imprecatur; non vero cum maledictio est tantum materialis, nempe sine pravo animo prolata. Et quidem in vivente certe corpus et anima simul existunt. Et quare non est mortale? quia qui maledicit homini viventi non semper proximi animae intendit maledicere, et contumeliam inferre substantiae illi, in qua specialiter imago Dei splendet, sed praescindit ab anima respicienda, et ita gravem non committit culpam. Qui creaturis irrationabilibus maledicit (docent idem d. Thomas [4] et omnes) si eas respicit in quantum sunt creaturae Dei, mortaliter peccat, veramque patrat blasphemiam; non vero iam si praescindit ab eis considerandis ut tales, et tantum eis maledicit secundum se consideratis; et quidem omnes ipsae sunt creaturae Dei. En quod d. Thom. etiam praecisionem hanc admittit. Ita pariter qui *mortuis* maledicit, si maledicit in quantum ad animas eorum, graviter peccat; non autem si praescindit, et mortuis maledicit, quin specialiter animas respiciat. Dicere autem quod omnes qui maledicunt *mortuis*, omnes iam intendunt etiam eorum animabus maledicere, ego et tot alii confessarii, poenitentes interrogando, oppositum comperimus. Tanto magis quod ordinarie isti qui mortuis maledicunt, non iam eos laedere intendunt, sed vivos quibus ad instar contumeliarum

(1) Lib. 2.
(2) De restit. c. 4. n. 27. et 28.
(3) 2. 2. q. 86. art. 4.
(4) Loc. cit. a. 2.

huiusmodi maledictiones dirigunt. Verumtamen haec est materia facti; quisque confessarius in hoc, poenitentem diligenter interrogando, poterit se a dubio eximere.

Dicere autem, quod licet quis solis mortuorum corporibus maledicere intendat, nec etiam a culpa gravi excusari potest, propter respectum quem ecclesia habet corporum mortuorum. eis incensum praebendo, aqua lustrali aspergendo, et cum pompa sepeliendo; nescio quomodo quis ob hanc rationem id suadere sibi possit. Nolo in hoc immorari. Paucis me expediam, et dico quod praedictae functiones non sunt quidem exhibitiones alicuius cultus religiosi erga corpora mortuorum, sed tantum quaedam caeremoniae, quas ecclesia etiam erga viventes adhibet. Si igitur honor qui fit defunctis maior non est illo qui vivis exhibetur, nec contumelia maior erit. Sed cur (subdit auctor epistolae) leges gravius puniunt qui adversus cadavera saeviunt? respondeo; puniunt, non ratione contumeliae, sed ratione iniqui animi qui in tali actione manifestatur, et qui adhuc in occidente infidelem aut haereticum a lege mulctatur. Alioquin si hoc esset in se gravis cadaverum iniuria, eiusdem criminis essent rei qui ob usum anatomiae ipsa incidunt et laniant.

Caeterum id quod concludo est, maledictionem in mortuos, per se loquendo, nec blasphemiam nec culpam mortalem esse. Et invenio, quod tres auctores (iam in opere citati) qui soli de hoc punto scripserunt, idem pronunciarunt. Praeterea ego, pro maiori meae conscientiae pace, de hoc pluribus doctis viris Neapolim scripsi, et etiam tribus congregationibus presbyterorum secularium missionibus addictorum, ubi flos cleri neapolitani existit; et uno exemplo fuerunt responsa omnia meae sententiae conformia. Ac p. Sabbatinus (tunc temporis pius operarius, nunc dignissimus Aquilae praelatus) mihi respondit, cunctos pios operarios, tam praesentes, quam antiquos, idem uniformiter sensisse. Insuper, cum quamdam epistolam de hoc puncto typis dederim, adversus quam postmodum anonymi epistola prodiit, de quo supra mentionem iam feci, accepi tamquam certum, utramque scripturam a nuncio transmissam fuisse ad summ. pont. Bened. XIV., qui postquam curam dederit controversiam discutiendi r. p. d. Thomae Sergio pio operario, s. officii Romae consultori (qui nunc suum obiit diem), ipse pariter mecum sensit, maledictionem *mortuorum* non esse blasphemiam. Et ab alio p. pio operario mihi affirmatum deinde fuit, quod idem etiam pontifex, cognita p. Sergii sententia, ostendit eam approbare.

30. Dubitatur, an maledicere *mundo* sit blasphemia. Auctor ipsius instructionis negavit, sed ego contrarium ostendi [1]: nihilominus dixi, quod si pro mundo intelligeretur mundus qui Deo adversatur, certe non esset peccatum. Sed quia verosimiliter rudes non sic intendunt, sed potius ut creatum a Deo, et de hoc se accusant cum magno horrore, dico probabilius accipiendum esse pro culpa gravi. 6. Maledicere creaturis insensatis, ut vento, pluviae, annis, diebus, igni etc., non est blasphemia, nisi huiusmodi creaturae expresse Deo non referrentur, prout si diceretur, *maledictus sit ignis Dei*, *panis Dei*, *etc.* Maledicere autem paradiso, aut animae (quia in anima splendet specialiter potentia et imago divina) non est dubitandum quin sit gravis blasphemia [2]. 7. Maledicere daemoni, non est mortale, quia maledici solet ut auctor mali, et Dei inimicus: ideoque in se ne veniale quidem est, praescindendo ab actu impatientiae, qui tamen facile comitatur [3]. Dicere autem diabolum *sanctum*, aut *omnipotentem*, est vera blasphemia, ac gravis, sed imo haereticalis, si proferretur cum intellectus errore, qui quidem regulariter loquendo non praesumitur. Sed non

(1) Lib. 3. n. 129. v. Sed hic.

(2) Lib. 3. n. 129. (3) Ib. v. Maledicere.

est blasphemia appellare daemonem *potentem* aut *sapientem*, quia ille natura sua talis est; dummodo hoc non diceretur, ut ei honor praestaretur; aut dicere vulgo, *santo Dia...., santo Diana* [1]. Interroget 8. Quoties et qua occasione blasphemaverit; si in ludo, aut in caupona, aut venatione? et a quanto tempore versetur in hoc vitio? ut cognoscat si est recidivus, aut si sit in occasione proxima, quam poenitens teneatur auferre.

31. Interroget etiam si blasphemavit coram filiis aut famulis: tunc enim praeter blasphemiae peccatum, peccavit etiam scandali. Demum hic addo cum quodam docto auctore, blasphematores non excusari a peccato gravi, eo quod propter vim habitus mali, aut vehementem animi commotionem ad iram, non adverterint ad id quod dicebant; quia hi male habituati, licet habeant cognitionem minus vivacem aliis qui usum blasphemandi non contraxerunt, tamen semper habent eam actualem cognitionem sufficientem ad hoc, ut actus sit deliberatus et graviter peccaminosus. Cum enim ipsi tanti mali non faciunt peccatum, ideo in suo animo nullum huius sceleris sensum experiuntur, sicuti perciperet alius, qui esset conscientiae non tam depravatae: et hinc oritur quod in eorum mente ne signum quidem remaneat actualis cognitionis, quam in peccato habuerunt: aut si vestigium aliquod cognitionis relinquitur, est ita leve, ut interrogati faciliter respondeant, se non animadvertisse: sed diligens confessarius nullam in hoc debet eis praestare fidem; et neque debet ab his sciscitari, an adverterint nec ne, sed accipiendae sunt omnes ut verae blasphemiae actuales, semper ac ipsi sciebant tales esse.

32. Circa III. *Praeceptum*. Quoad obligationem audiendi sacrum diebus festis, interroget poenitentem, si aliquoties sacrum omiserit, et si advertit ad omissionem; an dubitaverit tempore quo sacrum audire poterat; etenim multoties poenitens ad horam tardam sacrum audire differens, licet casu repererit sacrum, et illi interfuerit, nihilominus sine iusta causa in periculum illud omittendi se iniecit, et de hoc rudes non se accusant. Item si poenitens se accusabit sacrum omisisse, interroget de causa, an propter necessitatem, ut accidit famulis qui non possunt gregem derelinquere, aut matribus quae domi non possunt relinquere pueros, aut coniunctis qui non possunt relinquere infirmos, aut itinerantibus qui non possunt a comitatu disiungi sine gravi incommodo, ut esset subire periculum, quod expolientur a latronibus, aut viam errent, si soli pergant etc. [2]: ut accidit alicui qui vestes se decentes non habeat, quibus in ecclesia decenter compareat [3].

33. Quoad opera autem servilia quae in die festivo prohibentur, interroget si laboravit die festivo; et si ille affirmat, interrogetur I. quantum temporis laboravit; et quodnam laboris genus exercuit; nam secundum communiorem doctores [4] excusant a gravi laborantem duas horas; imo alii admittunt quid amplius, saltem si labor est de se levis, aut adest aliqua causa notabilior. Si autem poenitens confitetur laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit iudicans laborare in materia gravi; sed opus est ut eum doceat, laborare per longum tempus etiam occulte, et animi solatio ac gratis, etiam esse peccatum. 2. Interrogetur quare laboravit, an per regionis consuetudinem, an ob necessitatem. Verum est quod paupertas potest excusare, ut plerumque excusantur pauperes qui si non laborant, non possunt se aut familiam suam sustentare [5], ut etiam excusantur illi qui die festo vestes resarciunt, cum non possint diebus ferialibus [6]. Sed oportet rudes ab errore dimovere, qui falso putant, posse laborare die festivo, cum

(1) L. 3. n. 124. v. Insuper. (2) N. 326.

(3) N. 330. (4) N. 305. (5) N. 297. (6) Ibid.

laboratum pro familia sua et sine mercede. Multi dd. excusant eos qui laborant, ut fugiant otium, ob quod in probabili peccandi periculo essent; sed haec opinio non admissa est, nisi in casu rarissimo, in quo tunc vexarentur tentatione ita molesta, ut superari non possit, nisi laborando. Nonnulli servi aut famuli, aliquando coacti sunt a dominis ad frequenter laborandum in festo, et etiam ad sacrum omittendum; hi tenentur discedere ab huiusmodi dominis, dummodo non se obligarint chyrographo servire; aut dummodo iusto timore non incutiantur, ne repugnando grave incommodum subituri sint. Et pariter hac sola ratione possunt excusari filii et mulieres ad laborandum in festis coacti a parentibus aut viris [1]. Interroget etiam, si in vigiliis, quadragesima, feria sexta, et sabbato comederint cibos vetitos.

34. Circa IV. *Praeceptum*. Si confitentur filii interrogentur. 1. Si oderint parentes, quia tunc duplex peccatum peccaverunt, contra caritatem nempe et contra pietatem. 2. Si aliquid grave fecerint contra eorum praeceptum expressum, et in re iusta, sicuti esset ne a domo de nocte egrederentur, ne ludis damnosis luderent, ne cum malis sociis, aut cum personis diversi sexus, et similibus, versarentur. Dixi *in re iusta;* quia circa status electionem filii non tenentur parentibus obedire; imo parentes graviter peccarent, si sine iusta causa filios ad statum matrimonialem, aut ad statum ecclesiasticum aut religiosum cogerent; aut modis iniustis retraherent eos a statu religioso, quem illi eligere velint [2]. 3. Interroget, si reverentiam adversus parentes non adhibuerint, factis aut imprecationibus aut iniuriis gravibus coram irrogatis: ut esset eos appellando ebrios, bestias, fatuos, latrones, veneficos, scelestos: aut gestus eorum contumeliose exprimendo, aut aliis verbis proferendo, quibus gravem molestiam eis exhibuissent. Vocare autem eos senes, ignaros, stupidos etc., non debet absolute condemnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter offenderentur. Notetur quod cum filii parentum debitam rationem non habuerint, tenentur laesum honorem eis restituere, veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem confessarii parum cauti in eo casu pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint, pedes parentum deosculentur, et absolutos dimittunt; sed illi postea hoc adimplere non curant, et novum peccatum admittunt. Satius est curare ut ante absolutionem hanc veniam poscant, sed quin eis imponatur ut pedes aut manum deosculentur: quia illi filii, quibus hoc faciendi consuetudo numquam fuit, difficillime hoc exequuntur. Si autem non possit commode hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione, sed potius ut consilium insinuetur, dum certe praesumuntur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant.

35. Si contra confitentur parentes, interrogetur ab eis 1. Si negligentes fuerint in filiis educandis, non curando, ut doctrinam christianam illi docerentur, ut sacro interessent, sacramenta frequentarent, pravos socios et personas alterius sexus vitarent. Item eos interroget, si scandalo fuerunt illis, in eorum praesentia blasphemando etc. Si de excessibus eos non corripuerint, et praecipue si aliquid furati sint. Si permiserint, ut sponsi suarum filiarum domum accederent. Et potissimum si filios secum in eodem lecto retinuerint; aut permiserint, pueros et puellas simul dormire. Item si omiserint alimenta necessaria filiis ministrare. Si modis iniustis coegerint filios ad statum matrimonialem suscipiendum, vel ut sacris initiarentur, aut aliquam religionem inviti ingrederentur, nam hoc

(1) Lib. 3. num. 296.

(2) N. 355. v. Praeterea et l. 4. n. 77.

agentes graviter peccant. Sed de hoc parentes plures nullum sibi scrupulum faciunt, et hinc filiis pernicies, et ecclesiae maximum detrimentum evenire solet. Interroget etiam dominos, si famulos suos corripuerint, cum blasphemabant, aut praecepto paschali non satisfaciebant, aut sacro non intererant, aut inhoneste loquebantur, praecipue messis et vindemiae temporibus; domini enim cum possunt tenentur impedire scandala quae tunc committuntur. Interroget etiam viros, si familiae alimenta ministraverint. Uxores, si viros ad blasphemias provocaverint, et si eos debito matrimoniali defraudaverint. Plerumque de hoc interrogentur uxores, quia multoties propter hoc solum damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui cum observant sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effraenati decidunt. Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utetur, v. gr.: *Es obediens tuo viro etiam in rebus ad matrimonium spectantibus? aut habes forsan aliquem scrupulum qui te mordet circa matrimonium?* sed haec interrogatio, ut plurimum, omittatur cum uxoribus quae vitam spiritualem profitentur.

36. Circa V. *Praeceptum* interroget poenitentem, si aliquod grave damnum proximo appetiverit, aut de illius damno se oblectaverit. Et hic notetur quod si aliquis suo inimico diversa mala exoptaverit, ex. gr. mortem, infamiam, paupertatem etc., tenetur omnia declarare, et sunt diversa peccata numero distincta, cum ea voluit efficaciter illi inferre: aut si speciatim et in particulari optavit, ut haec illi acciderent. Aliter autem, ut dicunt probabiliter multi dd. [1], si optaverit mala illa sub uno genere mali, nempe ut media ad ruinam appetitam inimico. Et hic est confusio confessariorum, in discernendo an imprecationes, quae rudibus esse solent usuales, fuerint peccata mortalia, an venialia. In hoc oportet interrogare in primis poenitentem, an in illo actu desideraverit deliberate, ut illae succederent; sed hoc non sufficit ad certum iudicium faciendum: qua de re opus est ut postea interroget, imprecatusne fuerit in extraneos, an in propinquos, quia in hos (praecipue in filios, coniuges aut parentes) raro animus pravus adest. Postremo oportet interrogare de causa, cur eas imprecationes protulerit; dum si causa gravis, aut fervens ira intercesserint, facile est tunc etiam pravum desiderium interfuisse. Ceterum non sufficit poenitenti ad excusandas imprecationes dicere quod tantum in illo actu ut evenerint cupiebat; quia hoc iam sufficit ut in illo actu commissa sit culpa gravis; unde confessarius tunc perquirat de numero, et iudicet de eis saltem ut coram Deo sunt: et quem recidivum in eo vitio repererit, non absolvat, nisi prius resipuerit, aut extraordinarium doloris signum dederit.

37. Interroget 2. Si in proximum intulerit iniurias graves, et an coram aliis: quia tunc tenetur coram ipsismet restituere illi honorem ablatum, veniam ab eo petendo, aut aliis reverentiae signis; dummodo prudenter non praesumatur iniuriis affectus totum remisisse [2]: aut quod ab illa publica satisfactione recuset, ne apud se rubor, et apud alios memoria iniuriae acceptae renovarentur: aut nisi timeretur, ne illo satisfactionis actu iterum odium excitaretur [3]. Si autem iniuria fuit secreta, etiam secrete tenetur veniam postulare, secundum veram sententiam [4]. Attamen advertendum est, iniurias, quibus ad invicem se onerant rudes, licet in se essent graves, nihilominus non esse semper graves inter huius generis personas, ut cum se appellant latrones, veneficas, meretrices, quia ipsaemet non multi haec faciunt, nec qui eas audit, fidem praestat; excipe si nominarent res particulares, et complices. Interroget item si discordias excitasset, zizania disseminando,

(1) Lib. 5. n. 50. v Quaer. 5.

(2) Lib. 3. n. 984 (3) N. 988. (4) N. 985.

et referendo uni quae ab alio audivit.

38. Denique interroget, si odio aliquem habuerit, et ei signa communia amicitiae negavit: et hic expedit illius dubii, quod inter doctores movetur, meminisse, utrum offensus offensori teneatur remissionem facere. Salmanticenses dicunt [1], offensum teneri quidem ad remissionem iniuriae, non autem publicae poenae, quia haec in reipublicae bonum redundat. Speculative loquendo, sententia vera est; sed in praxi numquam mihi fuit animus absolvendi aliquem istorum, qui dicebant, se parcere inimico, sed velle ut iustitia suum locum haberet, ut scelesti digna factis suis reciperent; numquam enim mihi suadere potui, quod huiusmodi qui quandoque peccatis onerati accedunt, tam ament bonum commune, et iustitiam (non iam in alios delinquentes, sed solum in suos offensores), ut animus eorum sit penitus ab omni vindictae affectu alienus. Unde in istis facillimum est, ut dicunt multi alii dd. [2], eorum affectum ad bonum commune esse speciosum praetextum simulandi desiderium propriae vindictae. Attamen puto, posse absolvi iniuriis affectum, primo, si vellet iam remissionem facere, sed praetenderet iuste satisfieri in damnis, quae passus est, dummodo offensor non ita esset pauper, ut omnino solvendo non esset; secundo, si remissionem faceret sub conditione, ut offensor longe abesset a regione, quia filios aut fratres aetate provectos et vividos habet; aut quia offensor esset ita insolens et ad rixas proclivis, ut prudenter timeret, propter sui animi imbecillitatem, illius petulantiam non posse sufferre.

39. Circa VI. et IX. *Praeceptum*. I. Interrogentur de cogitationibus, num desideraverint, aut morose delectati fuerint de rebus inhonestis; et an plene ad eas adverterint et consenserint. Deinde, num concupierint puellas, aut viduas, aut nuptas; et quid mali cum illis se facturos intenderint. In quo advertendum quod rustici, communiter loquendo, existimant maius peccatum stuprum, quam simplicem fornicationem; e contrario nesciunt malitiam adulterii; ideo cum iis qui huius vitii consuetudinem habent, non expedit eos monere de adulterii malitia, cùm praevidetur monitio parum profutura, sed tantum effectura ut poenitens duplici peccato peccet, si carnis concupiscentiis non resistet. De his autem cogitationibus, quibus assentiti sunt poenitentes, sumendus est numerus certus, si haberi potest; sin autem exquiratur, quoties in die, vel hebdomada, vel in mense cogitationibus consenserint. Sed si nec etiam id explicare possint, interrogentur num concupierint singulas mulieres quae sibi occurrerunt, vel in mentem venerunt, aut num habitualiter turpiter de aliqua in particulari cogitarint, numquam pravis consensibus resistendo; et an semper illam concupierint, vel an tantum quando ipsam aspiciebant. Demum interrogentur etiam, num media apposuerint ad malas cogitationes exequendas; nam, ut diximus in libro [3], tunc illa media, etsi indifferentia, a malitia interna informantur, et ideo explicanda ut peccata externa, sive opera incoepta.

40. II. Circa verba obscoena interrogentur 1. coram quibus et quoties ita locuti sunt, ratione scandali; an coram viris aut foeminis uxoratis aut non; pueris vel adultis: facilius enim scandalizantur puellae et pueri, quam adulti, praesertim qui in hoc vitio sunt habituati. 2. Quae dixerint verba; an v. gr. nominarint pudenda sexus a suo diversi: hoc enim difficulter excusatur a mortali. 3. Num verba protulerint ex ira vel ioco: nam ex ira difficilius aderit complacentia et scandalum. Caveat confessarius ab absolvendis huiusmodi recidivis in colloquiis turpibus, quamvis dicant ea protulisse ex ioco, nisi prius emendentur, vel signum extraordinarium doloris afferant.

(1) Tract. 22. c. 6. n. 18.

(2) Lib. 2. n. 29. v. Licet. (3) L. 5. n. 42.

4. Num iactaverint se de aliquo peccato: tunc enim tria peccata frequenter concurrunt, scilicet magnum scandalum audientium, iactantia de malo commisso, et complacentia de peccato narrato; ideoque interrogandi sunt, de quo peccato in specie se iactarint [1]. Interrogentur etiam an delectati sint audire alios inhoneste loquentes, et an tunc adverterint ad correctionis praeceptum, putantes eam profuturam.

41. III. Circa opera; interrogentur, cum qua rem habuerint; num alias cum eadem peccarint; ubi peccatum fuerit patratum (ad occasiones removendas); quoties peccatum consummatum, et quot actus interrupti adfuerint, seorsim a peccato; num peccato multum ante consenserint; nam tunc actus interni interrumpuntur, iuxta dicta [2]; et tum expedit formare iudicium, toties multiplicata fuisse peccata, quot morulae somni, distractionis, etc. adfuerint, prout sunt coram Deo, tantum interrogando de temporis duratione in peccato. Secus si malum propositum fuerit conceptum per duos vel tres dies ante consummationem peccati, et intra illud tempus non fuerit retractatum, quia tunc sumitur pro uno numero peccatum; vide dicta ibid.

Se polluentes interrogentur etiam de tactibus impudicis separatis a pollutionibus, et moneantur eos esse mortalia. Item interrogentur an concupierint, vel an delectati fuerint de copula cogitata cum aliqua, vel pluribus mulieribus aut pueris; tunc enim tot peccata distincta committunt. Item adverte, quod si quis coiret inter crura aut brachia mulieris, praeter peccatum contra naturam, committeret fornicationem inchoatam, sive affectivam, ut dicunt communiter Filliuc. Tamb. Holz. Spor etc. [3]; unde hic duo patraret peccata diversae speciei, unum contra naturam in effectu, alterum fornicationis in affectu. Circa peccata coniugum respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo, confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint. modestiori modo quo possit, puta, *an fuerint obedientes viris in omnibus*. De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit. Quae autem liceant et quae vetentur inter coniuges circa idem debitum, vide quae fuse dicta sunt in libro [4].

42. Circa VII. *Praeceptum*. Interroget, si aliquid ab alio surripuerit; et a quo, et an ab uno aut pluribus; an solus an cum aliis, et an semel an pluries; quia si qualibet vice materiam gravem sumserit, qualibet vice peccavit mortaliter. Si vero materiam parvam sumserit singulis vicibus, tunc non peccavit graviter, nisi ad gravem materiam advenerint; dummodo a principio animum non habuerit perveniendi ad materiam gravem; sed cum materia iam facta est gravis, licet ille graviter non peccavit, tamen sub gravi tenetur ad restitutionem [5], saltem illius ultimae quantitatis, quae materiam gravem constituit [6]. Notandum tamen plus materiae ad constituendam gravitatem in furtis minutis, et maiorem requiri, si a diversis sumantur; unde dicitur quod in furtis minutis quae pluribus vicibus diversis facta sunt, duplum requiritur [7]. Et si inter ea notabile intercessit tempus, duorum nempe mensium, tunc furta probabiliter non coalescunt in materiam gravem [8]. Probabiliter autem qui fructus ederent in aliorum vineis, dummodo non sint rari et magni pretii, possunt excusari saltem a peccato gravi, si foras non exportant in magna quantitate [9]: in hoc enim rerum genere, quae nimis sunt expositae, maior quantitas ad gravem materiam constituendam requiritur [10]. Et hac ratione faciliter possunt excusari famuli et famulae, quae sibi a dominis sumunt res comestibiles; modo non sint in magna quantitate et extraordinariae [11]. Neque con-

(1) Lib. 5. n. 26. (2) N. 36.
(3) Lib. 5. n. 466. v. Primam infra ad n. 3.

(4) L. 6. ex n. 900. (5) L. 3. n. 533.
(6) Ibid. (7) N. 530. (8) Ibid.
(9) N. 529. Qu. 2. (10) N. 529. (11) N. 548

demnari debent de peccato gravi, qui ligna incidunt aut pecora ad pastum ducunt in agros communitatis, licet prohibitum sit; quia tales prohibitiones censentur esse pure poenales [1]. Gravitas autem materiae commensuratur a qualitate personae, cui illatum est damnum; sed hoc fusius discussum est in opere [2]. Cum autem furta fiunt a filiis aut ab uxoribus, requiritur multo maior quantitas, ut sint grave peccatum; et raro hi tenentur sub gravi obligatione ad restitutionem [3].

43. Certus factus de gravi poenitentis obligatione confessarius, inspiciat si poenitens valeat restituere, licet cum aliquo incommodo: et eum non absolvat, nisi prius restituat, licet ille signa extraordinaria emendationis exhibeat[4]. Bona enim sunt quidam sanguis qui a venis non eruitur nisi cum magna vi et dolore. Unde si restitutio non fit ante absolutionem, cum difficultate maxima fiet postea, ut experientia admodum docemur. Potest excipi tantum aliquis poenitens, qui ita meticulosae conscientiae esset, ut de eo nullus dubitandi locus superesset. Dixi *cum aliquo incommodo;* quia si ille restituendo non esset, quin in gravem necessitatem se coniiceret, idest quin a statu suo, quem iuste acquisivit, decidat, tunc ille potest differre restitutionem, dummodo creditor non sit in gravi necessitate. Imo, licet creditor sit in gravi necessitate, probabiliter nec etiam tenetur debitor ad restitutionem, cum ipse pariter in gravi necessitate reperitur, et per restitutionem constituendus esset in necessitate quasi extrema. Hoc tamen intelligitur modo res ablata non extet in specie; et modo creditor praecipue non redactus fuerit ob illud furtum in eam gravem necessitatem [5]. Curetur saltem tunc, nempe cum potest differri restitutio, suadere poenitenti, ut identidem paulatim restituat, aut aliquem laborem faciat, aut aliquod donum aliquando creditori offerat.

44. Possibile hic non est omnes doctrinas scitu circa hanc materiam restitutionis necessarias, quae est ita late patens et implicita, iterum repetere. Observetur propterea quod fusius in opere actum est. Solummodo hic lubet pauca adnotare, quae frequenter accidunt, et quae magis ad praxim pertinent. Et 1. cum aliquis in comitatu aliorum furatum ivit, ad iudicium formandum si ipse ad totum damnum teneatur, an non, distinguendum est: si ille mere a sociis inductus fuit, et sine ipso iam furtum accidisset, eodem modo quo accidit, non tenebitur ad aliud restituendum, quam quod ille surripuit. Si autem concorditer (alternis sibi animos incitantibus) ad furandum iverint; tunc quisque tenetur in solidum ad restitutionem [6]. Ita in theorica; sed in praxi rudes, praesertim illi qui parum sunt meticulosae conscientiae, difficulter suaderi possunt teneri ad restituendum quod ab aliis acceptum est: et contra, domini ipsi contenti sunt de portione illorum ob idipsum, quod si obligantur ad totum, faciliter restituere omittent, nedum quod alii acceperunt, sed etiam quod accepit ipse. Propterea confessarius ei scire faciat, se teneri ad restitutionem, quin explicet quantitatem, restituere faciens quantum sua illius conscientia dictat[7]. 2. Advertendum, neminem teneri ad damnum illatum restituendum, si nihil sibi utilitatis evenit, si illud damnum saltem in confuso non praevidit [8]; aut nisi per iudicis sententiam ad damnum reficiendum multatus fuerit[9]. 3. Si furtum est incertum, nempe si incerta est persona cui illatum est damnum, obligandus est poenitens ad restituendum, aut missas celebrare faciendo, aut eleemosynas pauperibus, aut piis locis elargiendo [10]; et si ipse pauper est, potest sibi aut suae familiae applicare [11]. Sed si persona est

(1) Lib. 3. n. 529. et n. 614. v. 2. In loco.
(2) N. 529. (3) N. 539. et 545. (4) N. 682.
(5) N. 705. (6) N. 579. v. Quaer.
(7) Ib. et Auct. instruct. pro conf. Pagorum c. 8.
(8) N. 613. (9) L. 1. n. 100. et l. 3. n. 554.
(10) L. 3. n. 589. (11) N. 672.

certa, debet huic fieri restitutio; quare mirum quidem est tot reperiri confessarios tam imperitos, qui, cum sciatur quis sit creditor, poenitentibus imponunt, ut de re restituenda eleemosynas erogent, aut missas celebrare faciant. In eo casu ego hanc defendi sententiam [1], poenitentem iterum teneri ad restituendum, quia fur in omnibus casibus, etiam fortuitis, debet reddere dominum indemnem, nec acquiescere potui opinioni adversae. Dixi dumtaxat [2], quod si furta essent minuta, licet simul unita ad magnam summam advenerint, et etiamsi domini essent certi, sed diversi, tunc excusarem a peccato gravi eum qui vellet restituere pauperibus, propter rationem ibi allatam; et etiam a veniali, si rationabilis causa adesset, prout si restitutio fieri non posset dominis sine notabili incommodo, aut si aliqui pauperes in ea essent necessitate, ut praesumerentur domini consentire, ut illis fieret restitutio[3]. Si quis fraudem multis civibus, sed incertis, fecerit per furta minuta, ex. gr. vendendo vinum, oleum etc. mensura detracta aut pondere imminuto, ego defendi teneri ad restituendum ipsismet civibus (aut pretium minuendo, aut pondus vel mensuram augendo), et non iam pauperibus loci, ut alii permittunt; licet, iam supra dixi, si pauperibus daret non peccaret graviter, et ne venialiter quidem si iusta causa accederet [4]. 4. Notandum quod si quis rem alienam sumserit, aut retineret cum praesumtione, quod si a domino eam peteret, libenti animo eam ipsi donaret, is non debet obligari ad restitutionem[5]. 5. Neque debet obligari ad restitutionem, qui, immemor debiti, suo creditori donum mere gratuitum praebuit[6]. 6. Advertendum quod ut poenitens teneatur ad restitutionem sub culpa gravi, cum res ablata iam consumta est, et ille ditior non est factus, opus est primo, ut intercesserit culpa gravis interna contra iustitiam commutativam [7]. Praeterea requiritur ex sua parte, ut actio externa, sive influxus, sit damni causa efficax[8]; et insuper, ut hic influxus sit completus, sive graviter iniustus [9]; et ut habeatur moralis certitudo, quod ille talis fuerit[10]. Hoc est id quod ad acceptionem pertinet. Circa autem retentionem rei, cum poenitens pro se habet probabilem opinionem cum legitima possessione, non potest a confessario obligari ad restitutionem [11]; imo qui incoepit possidere in bona fide aliquam rem, post diligentiam factam ad veritatem inveniendam, non tenetur ad aliquid restituendum, nisi certus fiat de iure, quod proximo competit, ut pluribus locis probavi. Quod si restitutionis obligatio esset certa, sed poenitens maneret in bona fide, et confessarius certe praevideret, correptionem non profuturam, tunc debet eam omittere, ne per ipsum fiat ut quod est peccatum materiale evadat formale cum pernicie illius animae, ut dicunt dd.[12]; vide dicta *cap.* 1. *n.* 8. *et* 9. Denique quoad obligationem restitutionis ratione contractus, oportet alios consulere, libris studere et postea decidere. Reliquum est, ut hic advertatur, quod si repeariantur aliqui contractus usu per longum tempus recepti in aliqua regione, ubi praecipue missiones factae sunt, confessarius non debet eos condemnare, nisi prius omnibus inspectis circumstantiis, siquidem primo aspectu multi contractus apparent usurarii aut iniusti, sed postea melius rebus perpensis tales non sunt habendi. Circa autem bonorum praescriptionem observa librum [13].

45. Circa VIII. *Praeceptum* 1. Interrogetur poenitens, si aliquem infamaverit; et si id effecerit, falsum delictum ei imponendo, aut verum patefaciendo; et cum delictum est verum si illud erat occultum, aut publicum iu

(1) Lib. 3. n. 704. v. Quid si.
(2) L. 3. n. 534. Qu. 2. (3) N. 595.
(4) Dict. n. 595. (5) N. 700. v. Quaer. hic 1.
(6) Ib. v. Quaer. 2. (7) N. 550. (8) N. 584.
(9) N. 551. (10) N. 562. (11) L. 1. n. 35.
(12) L. 6. n. 614. v. Infer 2. (13) L. 3. ex n. 504

aliquo loco, fama, aut iudicis sententia; item interroget, si infamaverit coram uno an pluribus, et coram quot; item si divulgaverit factum, ut a se cognitum, an ab aliis auditum, circa autem famae restitutionem, si delictum quod est patefactum erat falsum, qui infamiam intulit tenetur se retractare. Si vero delictum est verum, debet infamiae illatae prospicere meliori modo quo potest, sine mendacio: dicat ex. gr. *Allucinatus sum, me fefellit, erravi*. Alii etiam admittunt, posse dici, *mentitus sum*, aequivocando, dum omne peccatum est mendacium, ut dicitur in Scripturis. Ego soleo dare consilium, ut dicant: *E capite meo hoc erui*, vulgo (*me l'ho cacciato di capo*), etiam aequivocando, quia omnia verba e mente (pro qua accipitur caput) procedunt. Quod si unquam famae restitutio probabiliter iudicaretur maius damnum quam utilitatem infamato allatura, quia praesumitur res ab hominum memoria effluxisse (ut praesumitur cum famae obtrectatio multo ab hinc tempore accidisset, et inde de hac nulla amplius facta est mentio), tunc satius est occasiones captare infamia notatum laudandi in aliqua eius virtute, ut eum in bonam aliorum opinionem ponat, quam in memoriam revocare res praeteritas hac famae restitutione. Confessarius procuret, ut huiusmodi famae compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplentur: licet hae minus difficultatis habeant, quam pecuniae restitutio. Denique hic advertatur quod proximi delictum patefacere, tunc proprie detractio dicitur, et est peccatum, cum intenditur, ut ait s. Thomas [1], famam alterius denigrare, non autem cum intenditur aliquod damnum vitare, ut esset parentes, dominum, praelatum certiores facere, ut reus emendetur, aut aliorum damno consulatur. Modo illius damnum esset magni momenti, aut longe minus damno infamia notati. Observetur id quod habetur in opere [2].

46. Circa debitum restituendi alicui honorem ablatum, propter contumeliam ei irrogatam, iam actum est in praecepto V. *num.* 36. In hoc praecepto VIII. dd. etiam agunt de iudiciis temerariis. Multi rudes se accusant, se male de aliquo sensisse. In hoc opus est advertere. 1. Quod cum motiva sufficientia adsunt sic iudicandi de aliquo facto, iudicium non est temerarium, sed iustum, et propterea culpa caret. 2. Quod plerumque haec non sunt iudicia, sed suspiciones, in quas domini, patresfamilias aliquando tenentur induci, ut aliquod peccatum impediant, ex. gr. ne servi furentur, ne filiae peccent cum viris versando etc. Tantummodo eos de hoc moneat, ne huiusmodi suspiciones sine necessitate cum aliis conferant.

47. Reliquum esset sermonem facere de praeceptis ecclesiae; sed de iis, nempe de obligatione audiendi missam, et de non laborando die festo, iam satis supra diximus *num.* 32. *et* 33. Circa ieiunium autem, tria in confessarii memoriam revocamus. I. Non omnes labores excusare a ieiunio, sed eos dumtaxat, qui multam corporis agitationem causant [3]. II. Operarios iis solis diebus excusari a ieiunio, in quibus actu laborant, aut cum sperant crastina die laboraturos, et non posse nisi die praecedenti comedant [4]. III. Non sufficere ad ieiunium satisfaciendum extra prandium et coenam non comedere, aut vespere minus solito coenare, ut falso multi credunt; ieiunium enim importat unicam comestionem facere in die, et vesperi aliud non permittitur quam simplex collatiuncula octo unciarum iuxta communem consuetudinem, aut ad plus decem unciae possunt concedi illi, qui ob maiorem exigentiam usus fuisset maiori quantitate ordinariam excedente [5]. Pauperes vero, quibus mane non fuisset cibus sufficiens, et non possunt substen-

(1) 2. 2. q. 73. a. 2.
(2) Lib. 3. n. 969.

(3) N. 1041. (4) N 1044. (5) N. 1025.

tari sola collatiuncula serotina, hi excusantur [1]. Quod si vespere hi haberent sufficientem cibum, dicunt dd., hos teneri ad ieiunium, antevertendo coenulam ad meridiem; sed multi alii hoc negant, quia huiusmodi ieiunium incommodo extraordinario esset illis. Observentur quae in opere habentur [2].

Postquam tale examen a rudibus exegerit, quomodo postea confessarius se gerere debeat, ut disponat poenitentem ad dolorem, et adiungat poenitentiam, iam supra actum est (*n.* 10 *et* 11.) Sed ante omnia advertat, tale examen non negligendum, ubi cognoscitur opus esse, dum invenitur confessariorum maior pars in hoc puncto deesse.

CAPIT. III. *De interrogationibus adhibendis cum personis diversi status aut conditionis, quae sunt conscientiae parum meticulosae.*

48. Hic advertitur quod circa obligationes proprii status, aut officii, non semper sufficit confessario poenitentem interrogare tantum an suam obligationem impleverit, cum poenitens videtur esse conscientiae parum meticulosae, aut confessarius aliunde habet rationabilem suspicionem quod ille suis obligationibus desit; tunc oportet ut ipsum interroget in particulari, saltem circa eius obligationes principaliores.

49. Et primo, si est sacerdos qui ad confitendum accedit, interrogetur 1. an satisfecerit horis canonicis, et oneribus missarum, vel an has per multum tempus distulerit celebrare? 2. an negotiationem exercuerit? 3. an nimis festinanter missam absolvat? nam si infra quadrantem horae illam terminat, ipse a culpa gravi nequit excusari, etiamsi missa sit de requiem, ut non sine magno fundamento plures dd. docent [3]: infra enim tam breve spatium non est possibile missam absolvere sine magna verborum et caeremoniarum negligentia; saltem nequit missa celebrari cum ea gravitate et decentia, quae tanto sacrificio convenit. Insuper ex missa nimis festinanter celebrata oritur etiam grave scandalum laicorum, quibus, ut ait Bellarminus [4], videntur huiusmodi sacerdotes non credere quod in missa realiter sit praesens divina Christi Domini maiestas.

50. Praeterea, non erit improprium sacerdotes interrogare, an in ipsorum patria magna sit penuria confessariorum. Eo enim casu posset aliquis sacerdos teneri ad se reddendum idoneum ad confessiones excipiendas, ut validis rationibus probavimus [5]; quibus addatur doctrina d. Thomae, qui [6] inquit, Deum ad hoc instituisse in ecclesia ordinem presbyterorum, ut ipsi aliis sacramenta ministrarent: *Et ideo* (verba s. doctoris) *posuit ordinem in ea, ut quidam aliis sacramenta traderent.* Idcirco sacerdotes appellantur lux mundi, sal terrae, et coadiutores Dei. Cum igitur finis sacerdotis sit sacramenta ministrare, quomodo ipse poterit a culpa excusari, si viderit suos conterraneos carere confessariis, et ideo plures eorum in peccato manere, cum magno damnationis periculo; et ipse Domini finem, ob quem ad sacerdotium fuit evectus a Deo, frustraneum reddit, negligendo ex pigritia idoneum effici ad ministrandum poenitentiae sacramentum, quod saluti animarum, excepto baptismo, prae aliis necessarium est? Nimis verenda sunt verba Domini adversus eos sacerdotes qui salutem proximorum parum curant. *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem eius de manu tua requiram.* Ezech. 3. 18. Si autem sacerdos ille se excuset adducendo suam insufficientiam, audiat s. Franciscum Salesium, qui falsam vocat humilitatem eorum sacerdotum, qui renuunt animarum saluti incumbere, sub titulo suae imbecillitatis. Ista (ait sanctus) malitiosa est humilitas et inventus amoris proprii, qui sub hoc specioso praetextu propriam quaerit tegere socordiam. Subdit, quod Deus, cum aliquod nobis talentum donaverit, iuste

(1) Lib. 3. n. 1033. v. Secundo. (2) N. 1034.

(3) Lib. 6. n. 400. (4) Ibid.

(5) N. 625. (6) Sup. qu. 34. art. 1.

petit a nobis, ut illud exerceamus; quapropter qui eo utitur et paret, ille magis humilem se ostendit. Superbi quidem causam habent, ut nullum suscipiant opus, quia tales in seipsis fidunt. Humilés contra magnanimi sunt, quia non proprias perpendunt vires, sed in Deo confidunt, cui placet in nostra infirmitate suam omnipotentiam extollere; unde concludit quod humiles omnia aggredi possunt.

51. Secundo, si accedit ad confitendum aliquis confessarius, de cuius idoneitate prudenter dubitatur, interrogetur an studio sufficientem operam dederit, et an studere pergat; nam ut diximus *n.* 18. *in fine*, ad bene exercendum officium excipiendi confessiones non satis est aliquando studuisse. Item, an absolverit eos qui manebant in occasione proxima peccati, aut erant recidivi, nec extraordinaria signa suae dispositionis afferebant. Si unquam talis confessarius aliquam poenitentem sollicitasset ad turpia, interrogetur, an sciat, eum non posse sacrum facere, dum a ss. p. Benedicto XIV. sollicitantibus imposita est inhabilitas perpetua, et papae reservata, quae ut ostendimus in opere [1], ante omnem sententiam incurritur. An autem haec incurratur etiam ab ignorantibus, observa quaé dicuntur in eodem opere loco citato.

52. Tertio, si accedit parochus, interrogetur 1. an attendat ad debitas correctiones erga subditos; praecise erga eos qui aliquo tenentur odio, aut cum aliqua turpiter conversantur, aut domos sponsarum frequentant. Et de hac materia loquendo, huiusmodi parochus valde advertatur ad non accipiendas promissiones mutuas matrimonii, nisi parum ante quam nuptiae sint contrahendae, ut prudentes parochi agunt, alioquin omne tempus illud usque ad matrimonium, peccatorum tempus erit. 2. An invigilet ut subditi absque exceptione personarum paschale impleant praeceptum. Quot personas in missionibus invenimus praesertim maioris existimationis, quae per multos annos praeceptum implere omiserunt, quin parochus eas admonuerit, et opportuna adhibuerit media ad ipsorum resipiscentiam? 3. An sacramenta ministraverit (praecipue poenitentiae) in periculo mortis, aut cum requisitus fuerit per seipsum [2]. Dico per *seipsum*, quia, cum ipse potest, non satisfacit illa per alios ministrando [3]. 4. An moribundis debitam praestiterit assistentiam. 5. An in dominicis conciones habuerit; etenim parochus cum non est legitime impeditus, omittendo concionari per mensem continuum, aut per tres menses discontinuos intra annum, a dd. non excusatur a gravi culpa [4]: 6. An debitas largitus sit eleemosynas habens beneficium pingue, congruam excedens. 7. An attenderit ad instruendos in doctrina christiana pueros et rusticos circa mysteria fidei, et media ad salutem. Praesertim an instruerit rudes circa dolorem peccatorum necessarium ad obtinendam absolutionem; nec non pueros circa communionem aetate qua iam ad eam sunt idonei, nimirum ordinarie loquendo ab anno decimo usque ad duodecimum, vel ad summum ad decimum quartum [5]. Sciendum enim, s. Carolum Borromaeum suis parochis praecepisse quod ad communionem idoneos redderent pueros statim ac ad decimum annum pervenissent [6]. At quidam parochi renuunt etiam pueris qui ad annum pervenerint duodecimum, eucharistiam ministrare, et cur? ut incommodum effugiant illos instruendi. 8. Interroget sedulo, an facile et ob humanos respectus attestationes in scriptis dederit initiandis, necessarias ut illi possint ordines suscipere; in hoc enim oportet quod parochi non sola notitia negativa sint contenti, cum debeant habere positivam de ipsorum probitate, et sa-

(1) Lib. 6. n. 705.
(2) N. 623. v. Resp. 2. et Resp. 3.
(3) Lib. 4. n. 127. v. Hinc.
(4) Lib. 3. n. 269. v. Hic obiter.
(5) Lib. 6. n. 301. v. Sed hic. (6) Ibid.

cramentorum frequentia; et ideo tenentur particulariter de his omnibus certiorari. Quandoque inveniuntur ordinandi mille culpis onerati, qui vix semel in anno communionem acceperint, imo qui etiam praeceptum paschale omiserint, et deinde audacter attestationes parochi praesentant de morum honestate, et sacramentorum frequentia. Isti iam postea ordines suscipiunt et scandalum fiunt populo, et de omnibus ipsorum flagitiis parochus equidem rationem Deo reddere debet, nam episcopi in hoc parochis credunt: sed episcopi seduliores fidem non praestant parochis in hac materia tam gravi, a qua salus pendet populorum.

53. Quarto, si accedit episcopus negligentis conscientiae, confessarius interroget 1. An debitam adhibeat diligentiam (praeter scientiae examen) in se certiorando de positiva probitate ordinandorum, prout sacri canones, Tridentinum et Apostolus imponunt, minime acquiescendo parochorum attestationibus, quae (ut diximus) ut plurimum aut falsae sunt, aut suspectae. 2. An approbet ad confessiones sacerdotes sat in moribus et doctrina expertos. Aliter illi plus damni quam utilitatis afferent. 3. Quomodo reditus mensae expendat, et applicet? Ut enim probavimus [1], episcopi, demta honesta sua sustentatione, reliqua tenentur pauperibus elargiri. 4. Quomodo residentiae obligationi satisfacit; etenim nec etiam per tres menses a Tridentino concessos ipse a sua dioecesi potest abscedere, ut pontifex Benedictus XIV. declaravit, si ex futili causa sive ob meram oblectationem abesset. 5. Quomodo invigilet ad inquirenda suarum ovium scandala, ut ipsa reparet meliori modo quo poterit implorando etiam subsidium brachii secularis, si oportet. 6. Interroget quomodo se gerat in bono exemplo exhibendo; certe enim praelatus speciali modo tenetur exemplarem se praebere; alioquin quomodo poterit suos ecclesiasticos corripere, puta ne cum mulieribus versentur, neque ludos vetitos frequentent, si de his malum ipse tribueret exemplum.

(1) Lib. 3. n. 492. (2) L. 4. n. 141.

54. Quinto, si confitetur monialis, interrogetur 1. An aliquem defectum commiserit circa vota, praesertim paupertatis, accipiendo vel largiendo sine licentia. 2. An satisfecerit horis canonicis. Opinio enim, quod moniales in privato non teneantur officium recitare, non est satis probabilis, ut ostendimus [2]. An erga aliquem mutuam nutrierit benevolentiam periculosam, puta si adfuerint saltem verba aut literae amatoriae. Et eo casu, si monialis familiaritatem illam nollet relinquere, constans sit confessarius in neganda ei absolutione: in huiusmodi enim familiaritatibus, licet finis positive pravus absit, semper tamen periculum urget: saltem adest scandalum, et malum exemplum respectu aliarum [3]. 4. An aliquo teneatur odio in suas sorores. 5. Si monialis aliquod exercet officium, interroget de illo in particulari; puta *rotariae*, an afferat literas aut nuncia de malo suspecta. *Portinariae*, an oscitanter ianuam reseratam teneat; cum periculo scandali monialium aut aliorum. *Abbatissis*, an debitam adhibeant diligentiam, cum viri in monasterium ingrediuntur, aut morantur, aut an novis abusibus conniveant. Advertendo, quod licet particulares moniales peccent leviter, levem regulam transgrediendo, superiores tamen, quae non curant impedire cum possint observantiae relaxationem, peccant in re gravi [4].

55. Sexto, si accedit quis iudicis officio fungens, interrogetur 1. An fuerit personarum acceptor. 2. An causas expediverit. 3. An in iudicando conveniens studium praemiserit, omiserit, vel ex aliqua animi affectione motus erga alteram ex partibus sententias dixerit.

56. Si autem accedit tabellio, interrogetur. 1. Quomodo se gerat in ca-

(3) Diana part. 5. tr. 7. r. 21. et 22.
(4) Lib. 4. n. 13.

piendis informationibus. 2. An intermiserit interrogationes suggestivas. 3. An testium depositiones diminuerit vel auxerit.

57. Septimo, si accedit medicus interrogetur 1. An satis fuerit versatus in studio medicinae et in praxi medendi. Necnon an studium adhibeat (ut tenetur) in casibus difficilioribus qui occurrunt. 2. An alicui impertierit licentiam edendi carnes ob merum humanum respectum, sine iusta causa. 3. An aliquod periculosum remedium applicaverit infirmo, non adhuc de vita desperato [1]. 4. An fuerit causa ut remedia acciperentur ab aliquo pharmacopola suo amico, quem tamen noverit parum esse fidelem vel peritum, aut ineptas vendere medicinas. 5. An attenderit ad curandos pauperes, si ad hoc stipendium exegerit, vel sine stipendio, si pauperes fuerint in gravi necessitate [2]. 6. An curaverit suos monere infirmos, ut tempore debito confiterentur, iuxta praecepta pontificia. De hoc puncto in pluribus operis locis sermonem fecimus [3], ubi dictum est, quod Innocentius III. medicis praecepit, ne alicuius infirmi curam susciperent, nisi prius ille confessus fuerit; et s. Pius v. confirmans tale praeceptum, insuper iussit, ut medicus post tertium diem relinquat infirmum, nisi sciat, ipsum fuisse confessum; item mandavit, quod omnes medici, antequam gradum doctoratus assumant, dent iuramentum observandi hoc praeceptum: idque mandatum est omnibus collegiis. Sed dubium fit, quomodo huiusmodi praeceptum et iuramentum intelligantur. Plures dd. tenuerunt, ea procedere, cum infirmitas est periculosa, vel saltem cum dubitatur an sit periculosa; et in hoc sensu dixerunt bullam s. Pii receptam fuisse. Sed communior sententia vult, quod praefatum praeceptum, quamvis non obliget in quocumque morbo levi, tamen non intelligendum sit tantum urgere in morbis actualiter periculosis, sed etiam in illis qui prudenter iudicantur posse in posterum fieri periculosi. Et ratio est, quia Innocentius praecipit ut medicus imponat infirmo confessionem antequam eius curationis onus medicus suscipiat, ad hoc ne infirmus (sic loquitur pontifex) de confessione monitus, de salute desperans, facilius in mortis periculum incurrat: igitur intendit effici, ut infirmus confiteatur antequam morbus fiat mortalis. Haec sententia mihi videtur vera. Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis medicorum, etiam timoratae conscientiae, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter iam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus iuramentum praestitum iuxta bullam s. Pii, innixi doctrinae plurium auctorum [4] sentientium, quod praefatum iuramentum non obligat, nisi pro illa parte, pro qua a consuetudine receptum est. Ceterum non dubitandum, quin mortaliter peccent saltem medici illi qui omittunt monere infirmos de confessione, cum infirmitas est iam periculosa. Oh quam miserum est videre tot infirmos (et praesertim eos qui spectatae sunt dignitatis) ad incitas mortis reduci, ut rationes vitae Deo mox reddituras parent tempore quo sunt quasi exanimes, cum vix possint verba tunc modulare, vix alios audire, vix statum concipere propriae conscientiae, suorumque peccatorum dolorem. Et totum hoc evenit culpa istorum medicorum, qui ne displiceant infirmis, aut eorum propinquis, illos certiores non faciunt de periculo; imo eis blandiri pergunt usque dum omnino ipsi de vita desperantur. Cum igitur accedit medicus negligentis conscientiae, curet confessarius praecipue eum interrogare et monere, non obiter, sed cum calore de hac obligatione intimandi confessionem infirmis, saltem quando advertit, morbum iam es-

(1) Lib. 1. n. 46. et lib. 4. n. 291.
(2) Trullench. t. 1. l. 4 c. 1. dub. 11.
(3) Lib. 3. n. 182. et melius l. 6. n. 664.
(4) L. 6. n. 664. v. Circa autem.

se gravem, aut dubitat, quod sit iam gravis, ut communiter dicunt dd. qui in hoc non discrepant. Dico *cum calore;* nam ex hoc puncto pendet salus spiritualis, non tantum medici poenitentis, sed omnium etiam infirmorum qui sub eius cura erunt.

58. Octavo, si accedit pharmacopola, interrogetur 1., an praestiterit remedia praegnantibus ad abortum procurandum 2. An vendiderit unum pharmacum pro alio, et carius quam res valebat [1]. Hic adde, Gregorium XIII. in const. 19. *Officii nostri* omnem vetuisse societatem pharmacopolas inter, et medicos aut chirurgos.

59. Nono, si accedit mercator, interrogetur 1. an deceperit in pondere et mensura · 2. An res vendiderit ultra pretium supremum; praesertim dando merces ad creditum, cum emtores essent securi, et nihil damni ipse esset passurus: an autem pretium augeri possit, vendendo ad creditum, eo quod tale est pretium currens in venditionibus ad creditum iuxta communem aestimationem; et an res quae venduntur minuatim, carius possint vendi; observa doctrinas in libro adnotatas [2].

60. Decimo, si accedit sartor, interrogetur 1., an in diebus festivis per notabile tempus laboraverit sine extraordinaria causa, ut vestes compleret, et dominis afferret [3]. 2. An ieiunia impleverit ab ecclesia praecepta? nam sartores ob sarciendi laborem minime a ieiuniis excusantur [4]. 3. An si alii commiserint ei pannos emere, ipse pretium maius exegerit, sub colore quod mercator ob peculiarem amicitiam pretio minori pannos ei dederit. Si revera pars illa pretii fuisset ipsi donata, tunc poterit eam exigere, modo moralem praemiserit diligentiam apud alios mercatores, aut certo sciat quod alii communiter mercem illam minori non vendunt pretio [5], hoc tamen debet esse omnino certum, alioquin nihil amplius potest exigere quam solvit. 4. An sibi retinuerit frustula, sive resegmina vestium, quae iniuste retinet, nisi adsit consensus dominorum, aut nisi illi aliquid iniuste detraherent ex pretio debito, adhuc infimo communiter aestimato 5. An sibi occasio proxima peccandi esset ex accipiendis regulis bene formandi vestes mulierum per ipsarum corporum commensurationem (vulgo ut dicitur. *in pigliar la misura),* aut esset ex aptandis vestibus foeminis, quod nequit fieri nisi cum ipsarum mulierum attrectatione, idque esset sartori occasio proxima incidendi in pravas delectationes aut desideria, prout non raro accidit improbae conscientiae viris.

61. Undecimo, si accedit aliqua venditrix sive proxeneta (intellige de his quibus traduntur a dominis res ad vendendas licitantibus) interrogetur 1., an aliquid retinuerit pretii ab emtoribus exacti; tenuimus enim [6], quod venditrix nequit illud superans sibi retinere, etiamsi traderet domino pretium ab eo designatum, quia talis determinatio fit, ut res non vendatur minoris, non autem ut proxeneta illud quod superest sibi retineat: idque procedit, etiamsi a domino fuerit locus designatus, ubi res venderetur, et proxeneta adhibita ibi debita diligentia, in alio loco multum distanti pluris deinde vendidisset: etenim tunc etiam dicimus quod ipse nequit omne superfluum retinere, sed tantum id quod ipsi spectare potest ob illum extraordinarium laborem; nam res semper domino fructificat. Excipimus [7] 1. Si proxeneta rem meliorem reddidit, et ideo pluris vendidisset quam res prius valebat. 2. Si proxeneta cum domino convenerit, amplius ei non tradere, nisi pretium ab eo determinatum: et hoc sive expresse sive tacite, prout esset si dominus nullum pro eius labore stipendium assignasset. 3. Si quod

(1) Lib. 3. n. 821. (2) N. 809.
(3) N. 303. v. Sartoribus.
(4) N. 1041. v. Barbitonsores.
(5) N. 826. v. Caute.
(6) N. 825. v. Quaer.
(7) N. 825. v. Bene autem.

superest esset parvi momenti, ita ut praesumeretur dominus condonare. 4. Si proxeneta, facta ordinaria diligentia, ipse sibimet emeret rem pretio ab aliis oblato, et postea eam pluris venderet. Idem dicendum, si quis tibi commiserit aliquam rem emendam pretio designato, et tu minoris emisses; tunc enim nihil amplius exigere potes, nisi extraordinarium laborem adhibuisses ut impensae parceres; aut si rem tuo nomine emisses, periculum in te assumendo; hoc tamen intelligitur, si iam praemisisses moralem diligentiam, nec invenisses a quo rem minoris emere potuisses [1].

62. Duodecimo, si accedit barbitonsor, interrogetur an alios tondeat in diebus festivis, et ubi huiusmodi consuetudo non adsit. Dum contra id ei non est vetitum, ubi consuetudo iam introducta est: aut si ibi nequeunt viri tonderi nisi in festis, eo quod in aliis diebus labori operam navare debent, ut se suosque sustentare possint. Praeterea interrogetur an comam mulieribus componat iuxta improbum usum hoc tempore a Satan inventum. Ordinarie loquendo, puto, id esse viris proximam occasionem peccandi lethaliter turpibus delectationibus, aut saltem desideriis, unde dico, minime permittendum id alicui qui in se contrariam non habuisset experientiam. Quod si unquam quis per notabile tempus expertus fuisset in huiusmodi actione se immunem a peccato, hic revera damnari nequit de mortali; sed hoc non obstante non omittat confessarius eum removere quantum potest ab huiusmodi officio, quod certe in se periculum continet. Hinc nolo dubium aliud discutere, an foeminae possint vel ne tuta conscientia viros accersere, ut illi suas componant comas. Audio quod ipsae pluribus in locis hoc faciunt: et confitentur et communicant; videant ipsae et ipsarum confessarii. Saltem confessarius eis imponat, ut non utantur viro aliquo iuniori, ex cuius actionibus perceperint malitiose se gerere. Ceterum censeo quod mulieres purioris conscientiae non quidem utentur viris, sed contentae erunt foeminis, a quibus coma componatur meliori modo quo potest.

(1) Lib. 3. n. 823. v. Bene autem.

CAPIT. IV. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi.*

(Vide pag. 627. a n. 1. ad 7. inclus.)

(Cum inutile prorsus videretur ea repetere, quae iam in hoc ipso volumine impressa inveniuntur, ideo praesens caput, et aliquot alii *Praxis Confessarii* omittuntur).

CAPIT. V. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum habituatis et recidivis.*

(Vide pag. 632. a n. 8. ad 17. inclus.)

CAPIT. VI. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum poenitentibus qui contraxerunt aliquam censuram, aut casum reservatum, vel obligationem denunciandi, vel impedimentum dirimens aut impediens matrimonii.*

80. Et 1. quod pertinet ad censuras, si quis accedat irretitus a censura, aut casu reservato, super quo confessarius facultatem non habeat, iam supra diximus, actum esse caritatis, ut confessarius adeat episcopum pro facultate obtinenda. Episcopus autem vi *cap. Liceat sess.* 24. Tridentini[2] absolvere potest omnes casus papales occultos. Et hanc facultatem potest delegare aliis confessariis, etiam generaliter, dummodo eos specialiter deputet ad huiusmodi casus absolvendos[3], excepta haeresi, et aliis casibus bullae *Coenae* [4]; nisi poenitens esset impeditus adeundi Romam; tunc enim episcopus absolvere potest ab omnibus papalibus, etiam publicis[5], et adhuc ab haeresi et aliis bullae *Coenae*[6]. Insuper episcopi absolvere possunt ab excommunicatione ob percussionem levem clerici vel monachi, et etiam ob gravem, si percutiens est mulier, ex *c. Ea noscitur*, et *c. Mulieres*, *de sent. excomm* Item ab excommunicatione propter abortum foetus animati, virtute bullae Gregorii XIII., quae incipit *Romana sedes;* item ab excommunicatione ob communicationem in eodem crimine cum

(2) L. 7. n. 78. (3) N. 93. (4) N. 82.
(5) L. 7 n. 84. (6) Ibid.

excommunicatis ab eisdem episcopis; item ab excommunicatione quam incurrunt fratres minores admittentes in suis ecclesiis ad divina officia fratres tertii ordinis; item ab excommunicatione qua ligantur ii qui absoluti in articulo mortis ab aliqua censura ab episcopo reservata, non se praesentant eidem postquam convaluerint; et demum ab omnibus censuris quas episcopi sibi reservant [1].

81. Regulares autem etiam absolvere possunt laicos a papalibus occultis[2], Exceptis sex casibus Clementis VIII. a quibus tamen bene possunt absolvere episcopi, quando sunt occulti), scilicet 1. Percussionis clerici. 2. Duelli. 3. Violationis immunitatis ecclesiasticae. 4. Fracturae clausurae monialium. 5. Simoniae realis. 6. Simoniae confidentialis. Facultas enim quoad casus praefatos respectu ad regulares degentes extra Romam, et intra Italiam, a praedicto pontifice est eis expresse ablata[3]. Quamvis autem nequeant regulares absolvere laicos a casibus reservatis ab episcopis [4], possunt tamen ex probabiliori sententia absolvere a papalibus reservatis episcopis [5], exceptis semper vero sex casibus Clementis, ut supra. Quoad subditos vero possunt eos absolvere ab omnibus casibus papae reservatis, etiam publicis, etiamque a casibus bullae *Coenae*, exceptis *Relapsu in haeresim, falsificatione litterarum apostolicarum, et delatione prohibitorum ad infideles*, ex concessione facta praelatis ordinis praedicatorum, et per communicationem aliorum ordinum in bulla *Pretiosus*, 79. edita ann. 1727., ubi insuper concessum est generali ordinis, *ut ipse solus possit ab irregularitate huiusmodi* (scilicet orta ex homicidio) *dispensare cum fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum, et intra claustra extiterit consummatum* [6].

82. Notandum hic quod si quis ignorat censuram papalem, nec ipsam, nec casus reservationem incurrit, quia casus papales principaliter ob censuram reservantur[7]. Ad differentiam casuum episcopalium, quorum nesciens censuram, etiam incurrit casum; quia episcopi principaliter casum reservant [8]: et hoc etiamsi ignoretur casus reservatio, ut probavimus[9]. Ceterum nulla incurritur censura ab eo qui invincibiliter eam ignorat[10]. Item notandum, quod cum quis sacrilege in iubilaeo confessus fuerit, tunc reservatio non aufertur, ut probatum est, praesertim ex declaratione n. ss. papae Benedicti XIV.[11]. Idemque tenuimus[12], si confessio fuerit invalida, loquendo de iubilaeo; sed extra iubilaeum, si quis invalide confessus fuerit apud aliquem confessarium, qui facultate pollebat super peccatis reservatis, communis et probabilior est sententia, quod absolutus a reservatione maneat[13]. Estque etiam communior et satis probabilis opinio, poenitentem solutum esse a reservatione, quamvis confessio fuerit sacrilega, modo ipse culpabiliter non tacuerit praesertim peccatum reservatum [14].

83. II. Quod pertinet ad obligationem denunciandi, advertat confessarius, quod ipse tenetur sub culpa gravi imponere poenitenti obligationem denunciandi superioribus aliquem, qui serio protulerit propositionem aut blasphemiam haereticalem, cum errore intellectus, et pertinacia, non iam ob ignorantiam, incuriam, aut lapsum linguae; nam eo casu sufficit quod poenitens eum de suo errore moneat[15]. Praeterea debet imponere mulieribus aut pueris, ut denuncient confessarios, qui eos sollicitaverint ad turpia, vel cum eis inhonestos tractatus habuerint. Observa librum, ubi distincte est haec materia discussa [16]. Sed circa praxim advertat confessarius, 1. in hac sollicitationis materia non esse nimis festi-

(1) L. 7. n. 213. (2) L. 6. n. 96. (3) N. 99.
(4) L. 7. n. 98. (5) N. 99. (6) N. 101. et 104.
(7) L. 6. n. 580. (8) Ibid. (9) N. 581
(10) L. 7. n. 43. (11) L. 6. n. 537. Q. 2.
(12) Ibid. v. Si autem. (13) N. 598. Qu. 4.
(14) Ibid. (15) L. 4. n. 254. v. Not. 2.
(16) Lib. 6. ex n. 675.

num in imponendo poenitenti onus denunciationis; nam in dubio, an illa fuerit vel ne sollicitatio, tale onus iniungi non debet [1]; nisi cum verba aut actus ex se sollicitationem importarent, et tantum dubium verteret de intentione sollicitantis; aut si adessent vehementia indicia, esto non evidentia, sollicitationis, sine indiciis in oppositum; tunc enim illi quodammodo moralem fundant certitudinem[2]. Advertat 2., ne sit facilis ad suscipiendum in se onus denunciationis, nisi in aliquo casu raro, in quo caritas id sibi proponeret, ob magnam difficultatem quam forte poenitens haberet adeundi superiores. Advertat 3., quod ipse numquam omittere debet imponere poenitenti sollicitato hanc obligationem denunciationis, quamvis praevideret, poenitentem illam non impleturum; nam directe confessario iniunctum est a pontifice onus, ut talem obligationem intimet[3]. Unde donec poenitens eam non adimpleat, expedit quod absolutionem ei differat. Atque si confessarius dubitat, quod ille difficulter eam adimplebit, tunc omnino absolutionem illi differre debet. Bene tamen potest eum absolvere, si poenitens est pro tunc impeditus, et firmum habet propositum denunciandi, statim ac commode potest[4]. Huiusmodi denunciationes fieri debent saltem intra mensem [5]: item notandum, quod a n. ss. p. Benedicto XIV.[6] cuique impositum est onus denunciandi confessarium, quem sciret obligasse poenitentem ad manifestandum complicem, nisi ex mera simplicitate aut imprudentia id egisset. Ultimo notandum circa sortilegia laicorum, quod hodie in nostro regno Neapolis, propter insinuationem nostri regis Caroli III., non adest obligatio illa denunciandi, nisi cum interveniat abusus ss. eucharistiae aut olei sancti [7].

84. III. Demum quod pertinet ad impedimenta matrimonii, cum poenitens aliquod impedimentum habet, et matrimonium nondum est initum, plura distinguere oportet: si impedimentum est consanguinitatis, aut cognationis spiritualis, aut affinitatis ex copula licita usque ad quartum gradum, aut publicae honestatis, etsi esset occultum, confessarius adstringere debet poenitentem vel ad denunciandum impedimentum, vel ad dispensationem obtinendam a dataria. Si autem impedimentum est affinitatis ex copula illicita cum consanguinea sponsae usque ad secundum gradum, modo adfuerit copula consummata cum seminatione perfecta [8], aut est impedimentum criminis, nimirum homicidii coniugis utraque parte conspirante, aut homicidii cum adulterio, aut adulterii cum fide matrimonii aut matrimonii attentati, prout fuse declaratum est in libro[9]; in his casibus, semper ac impedimentum est occultum, impetranda est dispensatio a s. poenitentiaria. Idemque currit, si poenitens impedimentum habeat voti castitatis aut religionis. Si vero aliqua urgentissima adesset causa in aliquo casu raro, nempe scandali, rixarum aut infamiae imminentis, et tempus aut modus deesset recurrendi ad poenitentiariam, posset etiam tunc episcopus dispensare[10]. Et si neque adesset modus adeundi episcopum, observa quod dictum est in libro[11], et supra *cap.* 1. §. 2. *n.* 8.

85. Si autem poenitens iam contraxisset matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, tunc si impedimentum provenit ex copula licita, etiam observandus est liber [12]; si autem ex copula illicita aut ex crimine, et poenitens est in bona fide, et contra adesset periculum mortis, scandali aut incontinentiae, si ipsi manifestaretur impedimentum, eo casu confessarius impedimentum ei occultare debet, et interim procurare a s. poenitentiaria dispensationem, qua obtenta, debet pa-

(1) Lib. 6. n. 702. (2) Ib. v. Excipiendum. (3) N. 694. (4) N. 695. (5) Ib. v. Hoc tamen. (6) N. 491. (7) L. 4. n. 253.

(8) L. 6. n. 1036. et 1075. (9) Ex n. 1033. (10) N. 1122. (11) N. 612. v. Sed hic. (12) N. 1124

tefacere impedimentum, debetque tunc diligenter secum consulere de modo quo reconvalidatio matrimonii facienda est. Ad hanc autem reconvalidationem non quidem est necessaria assistentia parochi et testium, ut probatum est[1]; sed, ut diximus[2], tenetur pars conscia impedimenti alteram certiorare de nullitate matrimonii iuxta solitam clausulam s. poenitentiariae: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata etc.* Et ideo per se loquendo ad hanc clausulam exequendam non sufficit id quod aliqui dd. admittunt, scilicet dicere: *Si me non duxisses, duceres nunc?* Aut: *Dic mihi, te volo.* Aut: *Pro mea consolatione renovemus consensum.* Semper enim talis consensus est dependens a priori, qui fuit nullus. Nec sufficit copula, ut alii dicunt, etiam affectu maritali habita. Bene tamen satis erit dicere: *Nostrum coniugium invalidum fuit ob quandam circumstantiam* (dum non est obligatio manifestandi qualitatem impedimenti), *renovemus consensum.* Aut: *Quando te duxi, non habui verum consensum* (nam consensus nullus non est verus consensus). Aut: *Ego dubium habeo de valore nostri matrimonii, unde iterum contrahamus.* Quia tunc consensus qui praestatur iam a priori non dependet. Verum, quando prudens timor esset, quod praefatos modos adhibendo patefieret crimen, et pericula instarent rixarum, infamiae aut scandali; et viceversa coniux impedimenti conscius non posset excusari a debito reddendo, tunc, executa iam dispensatione, sufficit, quod ipse utatur aliquo ex modis supra relatis; etiamque sufficit, quod ipse solus consensum ponat, cum possit in tali necessitate sequi sententiam, quae docet, bene coniungi ad matrimonium convalidandum consensum suum cum consensu ab initio praestito a parte ignorante, qui per continuationem usus matrimonii, aut cohabitationis, virtualiter perseverat[3].

86. Si autem poenitens haberet impedimentum impediens, scilicet ad non petendum debitum, causa copulae habitae cum consanguinea in secundo gradu suae uxoris, hic a tali impedimento solvi debet, vel a s. poenitentiaria, vel ab episcopo aut ab aliquo confessario regulari qui facultatem habeat a praelato sui monasterii[4]. Sed si poenitens ignoraret legem ecclesiasticam, quae, ultra divinam, huiusmodi incestum prohibet, tunc non incurrit impedimentum[5]. Quin imo etiamsi legem sciret, sed talem ignoraret poenam; etiam est probabile, quod eam non incurrat[6]. Saltem si periculum extet incontinentiae, relinquendus est poenitens in sua bona fide.

87. Notemus hic formulas ad obtinendam a s. poenitentiaria dispensationem in praefatis impedimentis, necnon votis aut irregularitatibus.

Circa impedimenta matrimonii intus sic scribatur: *Eminentissime et Reverendissime Domine.*

N. N. Rem habuit cum quadam muliere, et postea sponsalia contraxit cum eius sorore. Impedimentum est occultum, et si coniugium non fieret, plura evenirent scandala. Supplicat ideo Eminent. V. ut dignetur ei dispensationem concedere. Favebit responsum mittere Neapolim (aut Aversam per viam Neapolis) ad N. N. (hic exprimatur nomen et cognomen) *confessarium approbatum* etc.

Si autem matrimonium est iam initum scribatur sic: *N. N. ignarus (aut conscius) impedimenti matrimonium contraxit cum aliqua foemina, cuius matrem (aut sororem) prius carnaliter cognoverat. Ideo, cum impedimentum sit occultum, et non possit separatio sine scandalo fieri, supplicat Eminent. V. pro absolutione et dispensatione etc.*

Circa vota castitatis: *N. N. votum emisit castitatis, sed nunc est in gravi et imminenti periculo incontinentiae; ideo supplicat eminent. v., ut dispensare dignetur in dicto voto, ut possit orator matrimonium inire etc.* Eodem modo

(1) Lib. 6. n. 1110. (2) N. 1115. (3) Ibid.

(4) N. 1076. v. Insuper. (5) N. 1072. (6) N. 1074.

fere scribendum pro dispensatione in voto religionis. Et notandum, quod ad dispensandum in voto castitatis non sufficit quodvis commune periculum incontinentiae, sed requiritur grave et imminens, prout innuimus.

Circa irregularitates: *N. N. sacerdos contraxit irregularitatem causa homicidii* (*aut violationis censurae etc.*); *et cum adsit periculum infamiae, si abstinet a celebrando, ideo supplicat etc.*

Foris in epistola ponitur: *Eminentissimo et reverendissimo domino colendissimo*

Domino cardinali poenitentiario maiori

Romam.

88. Confessarius, aut is cui dispensationis executio commissa erit, in dispensando post sacramentalem absolutionem impertitam, sequenti formula uti poterit: *Et insuper auctoritate apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi* (*seu secundi, seu primi et secundi*) *gradus proveniente ex copula illicita. a te habita cum sorore mulieris cum qua contraxisti* (*aut contrahere intendis*), *ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies* (*vel suscepisti*), *legitimam declaro. In nomine Patris etc.* Si dispensatio autem est in voto castitatis, dicet: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, in opera quae tibi praescripsi dispensando commuto. In nomine etc.* Et si quis, non obstante voto castitatis, matrimonium contraxisset, dicet: *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum coniugale exigere possis, auctoritate apostolica tecum dispenso. In nomine etc.*

89. In quibus autem casibus s. poenitentiaria absolvere possit, aut dispensare a casibus papalibus, censuris, irregularitatibus, votis, iuramentis, restitutionibus incertis etc., observa librum [1]. Et in quibus casibus dispensare possit in impedimentis matrimonii vide [2]

CAPIT. VII. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum personis diversi generis.*

§. 1. *Quomodo cum pueris, adolescentibus et puellis.*

(Vide pag. 648. n. 37. ad 41. inclusive.)

§. 2. *Quomodo se gerere debeat cum scrupulosis.*

95. Doctores plures assignant regulas pro scrupulosis; sed certum est, pro his post orationem remedium maximum (ne dicam unicum, ut recte ait p. Segneri) ad eos curandos est obedientia suo directori. Hinc ante omnia incumbat confessarius, et suadeat poenitenti huiusmodi duas principales regulas: primam, quod ipse tuta coram Deo incedit via patri spirituali obediendo, ubi evidenter peccatum non apparet; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo qui dixit: *Qui vos audit, me audit.* Sic docent omnes doctores et spirituales magistri cum s. Bernardo, s. Antonino, s. Francisco Salesio, s. Philippo Nerio, s. Theresia, s. Ioanne a Cruce, s. Ignatio de Loyola, b. Dionysio Carthusiano, b. Umberto, ven. p. m. Avila, Magno Gersone, etc. Alteram regulam, quod nullo alio scrupulo debeat angi quam si non obediat, propter magnum periculum cui se exponit amittendi, non tantum pacem, devotionem, et in virtutibus progressum, sed etiam mentem, sanitatem, et insuper animam; nam possent scrupuli eo progredi, ut eum ad desperationem reducerent, mortem sibi inferendo (prout pluribus accidit), vel habenas ad vitia relaxando. Praeterea confessarius huiusmodi poenitenti scrupuloso insinuet, prout recte dicit doctus Auctor instructionis pro novis confessariis [3], cum Deo non ineundas esse rationes (ut dici solet) dati et expensi. Dominus propter nostrum bonum voluit ut nos incerti de salute vivamus; quapropter, cum moralem adhibemus diligentiam ne ipsum offendamus, in eius misericordiam totam nostram curam proiicere debemus; et confitentes, nos salvari non posse sine eius gratia, hanc ab eo semper petere debemus cum perseverantia, fiducia et animi

(1) L. 7. n. 170. (2) L. 6. n. 141. (3) Part. 1. n. 76

quiete: *Hoc melius est*, dicebat s. Franciscus Salesius [1], *clausis oculis, incedere sub divina providentia inter tenebras et perplexitates in hac vita. Expedit, ut contenti simus si a patre spirituali sciamus, nos bene incedere, quin causam investigemus. Nunquam periit vir obediens.* S. Philippus Nerius affirmabat, quod qui paret confessario, securus fit de non reddenda actionum suarum Deo ratione[2]. Et contra s. Ioannes a Cruce aiebat, non inniti dictis confessarii, superbia est, et fidei inobservantia [3].

96. Denique confessarius curet 1. saepe saepius colloqui cum huiusmodi poenitente de nimia confidentia, quam habere debemus in Iesum Christum, qui propter nostram salutem mortuus est: et in eius ss. Matrem, quae tam potens est, et pia cum iis qui ei se commendant; unde eum hortetur ad vivendum securum de sua salute, semper ac ad Iesum Christum et Mariam confugit; certe enim ipsi exaudiunt. 2. Ei prohibeat, quominus legat libros qui scrupulos excitant, et quominus versetur cum scrupulosis; et si quis erit nimis angustiis affectus, ei vetet, ne concionibus terrore plenis interveniat, et ne conscientiam examinet de iis rebus de quibus scrupulum, sed irrationabiliter, habet. 3. Si scrupulus consistit in timore malis cogitationibus assentiendi (v. gr. contra fidem, puritatem aut caritatem) confessarius sit liber et intrepidus in parvipendendo eum, et in asserendo poenitenti, has cogitationes esse sibi poenas, non autem consensus, nec peccata. Et in hoc praecipue ut confessarius utatur illa regula quam assignant dd. [4], quod cum persona est timoratae conscientiae, si non est plus quam certa de peccato mortali, debet iudicare illud non admisisse: siquidem, ut ait p. Alvarez, tantum monstrum possibile non est in animam aditum habere quae ab illo horret quin patenter illud videat. Unde prodest, scrupulosis interdum imponere, ne penitus de talibus cogitationibus se accusent, nisi certi sint, et cum iuramento testari possint, se consensum praestasse. Et hic notandum, quod scrupulosi non sunt regendi regulis particularibus, sed generalibus: etenim particularibus regulis scrupulosi nunquam deveniunt, ut se expediant, dubitando semper, an illa regula valeat vel non pro praesenti casu, qui semper sibi videbitur alius ab illo qui a confessario supponitur.

97. Si 4. scrupulus est circa praeteritas confessiones, nempe quod in eis non satis explicaverint omnia peccata aut circumstantias, vel quod defecerint in dolore, confessarius, cum advertat, poenitentem fecisse confessionem generalem, aut per aliquod notabile tempus pluries repetisse res anteactas, huic imponere debet, ne illas amplius deliberate recogitet, et ne verbum faciat de culpis vitae praeteritae, nisi cum iurare possit, eas fuisse certe mortales, et praeterea certe nunquam in confessione eas dixisse; dum docent dd. [5], scrupulosos, etiam si ex inadvertentia omisissent aliquod grave peccatum, non teneri (saltem cum de hoc non sint certi) cum tanto incommodo et periculo ad servandam confessionis integritatem, a qua minus quidem incommodum quam hoc iam excusare valet [6]. Curet in hoc confessarius, ut poenitens exacte obediat, et si non obedit, eum increpet, privet communione, et rigorose coerceat. Scrupulosi ordinarie cum dulcedine tractandi sunt, sed circa obedientiam magnus rigor cum ipsis est adhibendus, si enim hanc obedientiae anchoram amittunt, certum incurrunt naufragium, nam aut amentes evadent, aut habenas in vitia relaxabunt.

98. Si 5. scrupulosus pavet peccare in omni re quam agit, huic prae-

(1) In vita circa fin. massima 27. etc.
(2) In vita lib. 1. cap. 20.
(3) Tratt. delle spine coll. 4. §. 2. n. 8.

(4) Lib. 6. n. 479.
(5) Lib. 1. n. 16.
(6) Lib. 6. ex n. 488.

cipiat confessarius, ut libere operetur, et scrupulum superet; eique dicat, imo ipsum teneri ad scrupulum vincendum, semper ac evidenter non advertit, actionem illam esse certum peccatum; ita cum p. Segneri dd. docent [1]. Nec obest quod agat cum actuali timore, quin scrupulum deponat (quod est quasi impossibile a scrupulosis exigere); etenim huiusmodi pavor non est verum conscientiae dictamen, sive formata conscientia, ut Gerson bene distinguit, nec verum dubium practicum; nec aufert iudicium ante formatum (quod virtualiter perseverat, licet tunc ob impetum timoris non advertatur), nimirum quod ipse non peccat quicquid agendo quod certum peccatum non agnoscit; tunc enim non contra conscientiam, sed contra vanum illum timorem operatur. Firmiter igitur confessarius huiusmodi poenitenti praeceptet ut scrupulum vincat et despiciat, libere agendo id quod scrupulus ei vetat; et insuper iniungat, quod postmodum de illo nunquam nec omnino confiteatur.

§. 3. *Quomodo se gerere debeat cum personis devotis.*

(Vide pag. 680. n. 42. 43.)

§. 4. *Quomodo debeat se gerere confessarius cum mutis et surdis.*

102. Si mutus esset etiam surdus, ut ordinarie evenit, ad eius confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum quoddam signum suorum peccatorum, et doloris, meliori modo quo potest. Sed prius quam eum audiat, curet confessarius instrui ab eius familiaribus de ipsius vitiis, et de modo tenendo, ut eum percipiat, et ab eo percipiatur; et cum aliquod iam perceperit eius particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere. Sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quandam moralem certitudinem haberem de sua dispositione.

103. Mutus si sciret scribere, iuxta nostram sententiam [2], ipse tenetur ad confitendum per scripturam; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria. Dico *ordinaria*, quia scriptum non esset muto ordinarium medium, si alioquin magnum ille deberet laborem subire ad suam confessionem explendam, aut si manifestationis periculum esse posset.

104. Si unquam accederet ad confessarium aliqua mulier surda, aut surdastra, et confessarius in progressu confessionis interrogans de circumstantiis peccati confessi, adverteret eam esse surdam, dubium fit, an confessarius possit illi alta voce dicere, ut redeat alio opportuno tempore et loco; casus hic saepe in missionibus accidit, et valde quandoque missionarios angit. Ego sic agendum puto: si illius surditatem sub initio confessionis noverit, tunc libere potest ei imponere ut redeat. At si in progressu confessionis id adverteret, eo quod poenitens minime adaequate interrogationibus respondet, tunc nequit confessarius ei iniungere alta voce ut redeat, ita ut circumstantes hoc audiant, quia suspicionem quidem illis ingereret, quod poenitens confessa sit de aliqua gravi culpa, aut saltem dubie gravi; quapropter eo casu, etiamsi ipsa de aliquo mortali fuerit confessa, eam absolute absolvat, si dispositam agnoscat; alioquin absolvat sub conditione; etenim, ne sigillum frangat, tunc nequit certiorari de illius dispositione, neque (ut dixi) potest ei iniungere, ut redeat; et tunc levem ei imponat poenitentiam; cum satisfactio illa ob surditatem etiam ab aliis audienda esset [3].

§. 5. *Quomodo se gerere debeat cum moribundis.*

(Vide pag. 652. n. 46. 47.)

§. 6. *Quomodo se gerere debeat cum capite damnatis.*

(Vide pag. 683. n. 48. 49.)

§. 7. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum infestatis a daemone.*

110. Aliqui obsessi a malis spiritibus vexantur spectris horribilibus aut corporalibus cruciatibus. Horum facilis est cura; insinuetur eis oratio, patientia,

(1) L. 6. n. 476.

(2) L. 6. n. 479. v. Quaer. (3) N. 644. v. Pet.

et super omnia divinae voluntati uniformitas. Confessarius non sit ita incredulus, quod iudicet omnes has invasiones aut infestationes daemonum esse phantasias aut corporales infirmitates; quia non negandum, veros obsessos etiam inter christianos existere. Ecclesia enim adversus invasiones istas tot instituit exorcismos, quorum exercitium testatur nobis concilium Tridentinum [1] semper in usu fuisse apud ecclesiam. Praeterquamquod, si obsessi non existerent, inutiliter ordo exorcistatus institutus fuisset, quo super energumenos et catechumenos potestas confertur (quod certe non potest supponi); et quidem hic ordo est unus ex septem, qui semper in ecclesia Dei fuerunt, ut idem concilium declaravit. Ceterum consilium est, semper de talibus invasionibus suspicionem habere; non enim negandum, maiorem earum partem esse aut fictiones, aut imaginationes, aut infirmitates, praesertim in mulieribus.

111. Qui tamen magis solent confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, sunt ii qui turpibus visionibus, motibus ac etiam tactibus vexantur a daemone, qui non solum fomitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis carnale commercium sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *succubus* vel *incubus* appellatur. Quidam hos daemones incubos, vel succubos dari negarunt; sed communiter id affirmant auctores; ut Martinus Delrio[2] p. Hyeronim. Menghi [3], cardinalis Petrucci [4] et Sixtus Senensis [5] ex s. Cypr., s. Iust., Tertull. etc. Et maxime hoc confirmat s. Aug.[6] qui sic scribit: *Apparuisse hominibus angelos in talibus corporibus, ut non solum videri, verum etiam tangi possent, et verissima scriptura testatur, et multos (quos vulgo incubos vocant) improbos saepe extitisse mulieribus, et earum appetiisse ac peregisse concubitum. Quosdam daemones hanc assidue immunditiam, et tentare et efficere, plures talesque viri asseverant, ut hoc negare imprudentia videatur.* Equidem possunt daemones ad hunc improbum usum defunctorum corpora assumere, vel de novo sibi assumere ex aëre et aliis elementis ad carnis similitudinem, ac palpabilium, et calidorum corporum humanorum species effingere, et sic ea corpora ad coitum aptare. Imo tenet praefatus Delrio, citans d. Thomam, d. Bonavent., Scotum, Abulens., aliosque plures, quod daemon potest etiam verum semen afferre aliunde acceptum, naturalemque eius emissionem imitari, et quod ex huiusmodi concubitu vera proles possit nasci, cum valeat daemon semen illud accipere, puta a viro in somno pollutionem patiente, et prolificum calorem conservando, illico in matricem infundere; quo casu proles illa non erit quidem filia daemonis, sed illius cuius est semen, ut ait d. Thomas apud citatum auctorem. An autem inspectis legibus a divina providentia constitutis pro propagatione generis humani, haec aliquando evenisse aut evenire posse credendum sit, sapientiorum iudicio remittimus. Hic autem fit dubium, an possit daemon, permittente Deo, absque hominis culpa manus illius admovere ad se tactibus polluendum. Affirmat pater Gravina dominicanus, et quidem probabiliter; si enim valet daemon totum corpus alicuius movere, ut narratur de Simone Mago, ope daemonis in aërem sublato, cur non poterit et manum? praeterea si daemon potest alicuius commovere linguam, ut invitus proferat obscoena verba, aut blasphemias contra Deum, quidni manus ut turpia patrentur? Idem sentit card. Petrucci[7], qui sic inquit: *Non semel compertum fuisse, quod daemon aliquam partem in humano corpore coeperit quodammodo possidere, puta oculos, linguam, vel etiam verenda. Hinc fit, linguam obscoe-*

(1) Trid. sess. 23. c. 2. (2) In opere disquis. mag. (3) Lib. 1. c. 15.

(4) Epist. part. 2. l. 2. opusc. 5. c. 15. n. 5.
(5) L. 5. bibl. sacr. annot. 77.
(6) L. 15. de civ. Dei c. 23. (7) Loc. cit. n. 8

nissima verba proferre, licet mens talia tunc non advertat. Hinc impetus et affectus quandoque se turpiter denudandi proveniunt. Hinc foediora, quae me conscribere pudet. Idque satis confirmatur a s. Thom. [1], qui sic docet: *Daemones facere possunt, ut homines non discernant species a rebus, in quantum Deo permittente perturbant interiores vires sensitivas, quibus perturbatis, ligatur usus rationis humanae, quae indiget praedictis viribus ad suum actum, sicut patet in arreptitiis. Ligato autem usu rationis, nihil imputatur homini ad peccatum, sicut nec bestiae. Unde secundum hoc diabolus non erit causa peccati, etiamsi sit causa actus, qui alias esset peccatum.* Potest igitur iuxta s. Thom. daemon esse causa actus turpis, et simul ita ligare usum rationis, ut actus minime imputetur homini ad culpam.

Huic autem opponi possunt duae propositiones Michaelis Molinos proscriptae ab Innoc. XI. Prima *n.* 44. dicebat: *Iob blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex daemonis violentia.* Altera *n.* 49., quae magis ad casum pertinet, dicebat: *Iob ex violentia daemonis se propriis manibus polluebat eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces.* Sed respondetur 1., hasce propositiones esse patenter falsas; nam prima innititur textui illi: *Pereat dies in qua natus sum et nox in qua dictum est: conceptus est homo* [2]. Hunc textum varie explicant interpretes: Estius dicit, quod Iob optabat illic nullam fieri in futurum suae nativitatis mentionem propter suam infelicitatem. *Pereat dies, idest*, (verba Estii) *sum infelicissimus, itaque pereat dies, nec anniversaria recolatur.* Alii autem cum Tirino aiunt, quod Iob inculpabiliter naturales maledicebat aerummas tamquam suorum cruciatuum causas. Quid igitur ad haec pertinent blasphemia, et violentia daemonis? Caeterum non repugnat, ait cardin. Petruccius *loco supra cit.*, quod daemon possit linguam hominis movere ad turpia verba proferenda. Refertque p. Ioannes Baptista Scaramelli (in vit. ven. sororis Mariae crucifixae Satellico), quod daemones ipsam ad blasphemandum cogebant hoc modo: *Dopo averla commossa ad empj affetti, le moveano velocemente la lingua alle maledizioni delle cose più sante; ed alle volte si servivano delle sue mani per gittare a terra medaglie e libri sagri.* Deinde refert verba eiusdem sanctimonialis, quae suam enarrans poenam sic suo directori scribebat: *Con questa lingua consagrata ogni mattina dal contatto di Gesù Cristo io abbia poi a maledirlo? mi sento morire, benchè fossi senza peccato.... Le maledizioni variano secondo le solennità, proferendo bestemmie ereticali, negando i misterj sacrosanti ecc.* Idem dicendum de altera propositione 49. Michaelis Molinos; nempe quod sit falsa, et insuper scandalosa, dum Iob non loquitur de pollutione, sed tantum dicit: *Haec passus sum absque iniquitate manus meae, cum haberem mundas ad Deum preces. Iob.* 16. 18. Explicat Malvenda: *Quasi dicat; haec venerunt mihi praeter culpam meam.* Et Menochius: *Cum manus supplices ad Deum elevarem, quas neque rapina neque alio scelere contaminaveram.* Repeto, quid ad haec pertinet pollutio et violentia daemonis? en quam falsae erant duae propositiones relatae!

Sed quoad propositiones istas responsio magis propria et convincens haec est. Propositiones proscriptas nemo ignorat intelligendas esse iuxta sensum auctoris qui eas protulit. Quaedam Quesnelli propositiones videntur primo intuitu aequae et sanctae; attamen iuxta illius sensum sunt perversae. Ex. gr. propos. 30. sic dicit: *Omnes quos Deus vult salvare per Christum salvantur infallibiliter.* Haec propositio in sensu recto et catholico tenetur ab omnibus, qui propugnant pro gratia efficaci ab intrinseco; sed damnata est in sensu Quesnelli, nempe

(1) De malo quaest. 3. a. 3. ad 9. (2) Iob. 3. 3

quod Deus velit tantum salutem praedestinatorum. Et sic dicendum damnatas etiam esse propositiones relatas 44. et 49. Michaelis Molinos. Huius impii systema hoc erat, quod cum persona libertatem suam Deo donaret, non debet amplius resistere malis commotionibus, nec ullum exercere conatum ad actus malos impediendos; quoniam illi imputandi sunt, non iam propriae voluntati, sed violentiae daemonis, aut sensualis passionis. En propositio sua fundamentalis (quae est *n.* 17.) quomodo loquitur: *Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria. Et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.* Adest alia sua propositio (*n.* 47.), quae magis individualiter ad casum nostrum pertinet, et dicit: *Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque conatum, etiamsi sequantur pollutiones etc.* Notentur verba, *sinere oportet, nullum adhibendum conatum, etc.* Sed quomodo potest esse sine culpa omittere resistentiam in huiusmodi commotionibus, et sinere ut daemon operetur, etiamsi pollutiones sequantur? Nonne patenter hic apparet concursus propriae voluntatis? Hoc quidem erat quod aiebat Molinos, et ita intelligendae sunt omnes aliae ipsius damnatae propositiones.

Caeterum cur, permittente Deo, non potest demum cogere hominem sine ullo ipsius voluntatis sensu ad faciendum aliquem actum malum? Nequimus autem nos, ait s. Augustinus, per rationes philosophicas et humanum ratiocinium scire, ad quid extendatur vel ne potentia naturalis angelorum; quapropter in hac materia plusquam philosophicae rationes movere nos debent ad iudicandum auctoritates theologorum, qui iuxta lumina ex sacris scripturis accepta loquuntur. Habemus in evangelio Matthaei, quod daemon usum linguae bene potest impedire: *Obtulerunt ei* (sic ibi dicitur) *hominem mutum daemonium habentem, et eiecto daemone locutus est mutus* [1]. Inquit Chrysostomus apud Cornelium a Lapide: *Hinc videtur, quod daemon fecerit eum mutum, impediendo usum linguae.* Sicut igitur daemon humanorum usum membrorum impedire potest, sic illa commovere sine hominis voluntate. Item in eodem Matthaei evangelio habetur, quod daemon transtulit ipsum Christum super templi pinnaculum: *Tunc assumsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: si Filius Dei es, mitte te deorsum*[2]. Si igitur potuit daemon movere, et totam transvehere ipsius Domini personam, tanto magis linguam aut manus alicuius hominis poterit movere. Praeterea habemus apud Danielem, quod Habacuc fuit ab angelo translatus in lacum leonum: *Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius, et portavit eum capillo capitis sui; posuitque eum in Babylone super lacum in impetu spiritus sui* [3]. Animadvertantur verba, *in impetu spiritus sui*, quae clare denotant naturalem angeli potentiam.

Hinc merito dicunt theologi, sat posse daemonem sua naturali vi, Deo permittente, membra hominis agitare. Praeter s. Thomae et s. Bonaventurae auctoritates supra relatas, idem scribunt plures auctores neoterici. Id scribit card. Gotti: *Diabolus quidem potest cogere ad actum, qui ex genere suo est peccatum, ut in energumenis, quos cogit ad enuncianda verba blasphema, vel etiam ad alios actus ex obiecto malos. Sed tunc, ratione ligata, id non imputatur homini ad peccatum, quia deest libertas arbitrii* [4]. Idem scribit Wigandt [5]. Idem scribit Calmet (auctor, quem omnes sciunt, quam sit ponde-

(1) Matth. 9. 32. et 33. (2) Matth. 4. v. 5. et 6.
(3) Dan. 14. 35.

(4) Theol. tom. 2. tr. 4 de vitiis quaest. 6.
(5) Tract. 4. eod. tit. exam. 2. n. 69.

ratus in suis effatis): ipse in dissertatione quam apponit in evangelio s. Lucae de energumenorum veritate[1] postquam suam exposuit sententiam de praefata potentia daemonis, hanc sibi obiicit oppositionem: *Si daemon de se operaretur in homine, adessent eodem tempore duo principia activa, nempe duo spiritus; sed hoc repugnat, quia unus posset agere in contrarium ad id quod alter vult.* Sed respondet, quod cum daemon, permittente Deo, operatur in humano corpore, tunc eodem tempore (prout docet etiam s. Thomas) impedit et ligat in homine usum rationis. Nec dubitat, quin Satan sua vi naturali possit libertatem hominis ligare, eumque cogere contra ipsius voluntatem, etiam ad blasphemias proferendas. Deinde Calmet ait, signum esse, quod sit opera daemonis, si *homo alio veluti spiritu animatur, angitur invitus, plura admittit ab insita sibi indole longe aliena, sed ita admittit, ut singularia omnia videantur et violenta.*

Idem scribit laudatus p. Ioannes Scaramelli[2], sic dicens: « (Ciò ben può succedere senza peccato formale della persona, se il demonio nel mentre che opera esternamente, internamente impedisce in tutto l'uso della ragione, e toglie ogni libertà a resistere (secondo parla s. Tommaso), movendo con tal veemenza l'appetito sensitivo, e perturbando di tal fatta la mente, che cessi ogni lume di ragione. Che per ciò il confessore dee esaminare il penitente, se in quelle cose che patisce avverte alquanto la malizia del peccato, e se ha qualche sentimento che lo ritrae da quell'azione. Se egli dice che allora talmente se gli offusca la mente, che niente conosce, e non ne sente alcun rimorso, allora potrà giudicarsi esente dal peccato. Altrimenti poi, se allora ha qualche lume di ragione, e la ragione non è totalmente legata, sicchè ben possa resistere) ». Insuper praedictus auctor monet confessarios ad curandum, ut illi qui patiuntur turpes commotiones, patefaciant in confessione huiusmodi actus; isti enim difficulter erunt ab omni culpa saltem levi immunes, ratione alicuius advertentiae imperfectae, vel defectu resistentiae, quae erat adhibenda.

112. Si quis unquam advenit infestatus ab hoste huiusmodi genere tentationis (dictae *spiritus fornicationis*, a quo s. Ecclesia nobis praecipue iniungit petere a Domino, ut ab eo nos liberet), debet confessarius multum satagere ad praemuniendum poenitentem in tam horrendo conflictu; nam ait doctus cardinalis Petruccius, has animas in magno periculo versari, si remedia non adhibeant multum efficacia, et aliquando si oportet etiam extraordinaria; cum enim ad resistendum requiratur ingens subsidium ex parte Dei, et magna violentia ex parte patientis, difficulter ab huiusmodi pugnis victor egredietur, qui perseveranter non adiiciet magnam mortificationem, et super omnia validam orationem, centies et millies se commendando, gemendo, et misericordiam petendo ad Crucifixi et Deiparae pedes. Alioquin si anima tepescit et deficit in orando, aut se mortificando, dicit Petruccius, quod ipsa in magno erit periculo ruendi saltem indirecte in aliquam occultam illarum turpium delectationum complacentiam. Itaque, ut deveniamus ad remedia, si confessarius iudicare potest, nullam omnino adesse culpam in hac tentatione ex parte poenitentis, ipsum ante omnia moneat haec adhibere: iugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando ss. nomina Iesu et Mariae: se diligenter avertat a sensuum voluptatibus: communionem frequentet: protestetur saepe, nolle consentire cuicumque tentationi, aut delectationi, quam opera daemonis sentiret: saepe utatur signo crucis (illam ferendo quoque secum), et aqua benedicta, cum ipsa lectum et cubiculum aspergendo: afferat etiam secum aliquam reliquiam sanctorum et evan-

(1) Art. 2 pag. mihi 587.

(2) In suo directorio myst. tr. 5. c. 11. n. 124

geliorum librum: secum pariter adhibeat exorcismos privatos, dicendo: *Spiritus nequam, in nomine Iesu Christi praecipio tibi, ut a me discedas, et ne me amplius vexes:* hortetur praeterea, quod vexatus ille saepe humilietur, et in huiusmodi humilitatis actibus saepe se exercitet; cum Deus aliquando, ad aliquam internam superbiam ab anima removendam, huiusmodi tentationes permittit.

113. Si quis autem in his tentationibus misere cadit, aut earum occasiones magis quaerit quam effugit, huius curatio est valde difficilis; nam huiusmodi peccatores qui cum daemone commercium habent, difficillime ex corde convertuntur. Ex una parte enim erga hos daemon dominium quoddam acquirit super eorum voluntates, et ex altera ipsi remanent nimis debiles ad resistendum; indigeret extraordinaria gratia Dei, sed difficillime solet hanc Deus huiusmodi impiis concedere. Verumtamen confessarius, si quis eorum accesserit, non diffidat, sed curet cum ipso summam adhibere caritatem, confortetque dicendo, quod ubi non est voluntas, non est peccatum; hinc si ipse voluntate resistit, minime peccat. In his casibus ante omnia confessarius adversus daemonem praemittat exorcismum, saltem privatum, qui certe licitus est [1], hoc modo: *Ego ut Dei minister praecipio tibi, aut vobis, spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei.* Deinde poenitentem interroget, an unquam hostem invocaverit, et cum eo aliquod inierit pactum; an aliquando fidem negaverit, aut contra ipsam actum aliquem exercuerit. Interroget, qua forma ipsi daemon appareat, an hominis, mulieris, aut belluae. Tunc enim, si cum illo coit, praeter peccatum contra castitatem et religionem, reus erit peccati fornicationis, aut sodomiae, aut incestus (intellige affectivi), adulterii, aut sacrilegii. Item interroget, quo loco et tempore hoc commercium habuerit. Ostendat ei postea huiusmodi criminis immanitatem, quaeratque eum inducere ad veram conversionem, et confessionem integram faciendam; isti enim perditi homines, etiamsi confiteantur, de facili peccata omittunt. Eadem demum remedia supra annotata illi praescribat, nempe quod saepe ad Deum et b. Virginem recurrat: frequenter nomina Iesu et Mariae invocet: aquam lustralem et crucis signum adhibeat: aliquam reliquiam et evangelium secum ferat: saepe etiam privatum proferat exorcismum, prout dictum est supra. Differat deinde eum absolvere, sed hortetur ut saepe redeat, ut sic cognosci possit, quomodo se gerat in resistendo hostis invasionibus, et in remediis adhibendis: nec eum absolvat, nisi post longum experimentum; tales enim conversiones, ut diximus, raro sunt verae, et rarissime perseverantes.

CAPIT. VIII. *De prudentia confessarii, 1. in seligendis opinionibus, 2. in corrigendis erroribus a se commissis, 3. in custodiendo sigillo sacramentali, 4. in excipiendis confessionibus mulierum, illisque tractandis.*

114. I. Confessarius summam adhibere debet prudentiam in seligendis opinionibus. Hic non loquar de quaestione tam hodie controversa, utrum sequi liceat opinionem minus probabilem et minus tutam in concursu probabilioris. Satis de hac passim loquuntur auctores, et praecipue tot docti scriptores, qui nuper de ea scripserunt, in quibus profecto desiderassem, ut potius rationibus, quam mordacibus insectationibus veritatem nos docuissent. Tantummodo hic repetam quod superius dixi *num.* 65. *et* 69., cum egimus de occasione proxima, quod scilicet quando agitur de vitando peccato formali, regulariter confessarius sequi debet (quantum licet) sententias benigniores; cum solum peccatum formale sit Dei offensa: at quando opiniones benignae exponunt poenitentem periculo peccati formalis, tunc confessarius sequi debet opiniones rigidiores; quoniam istae in

(1) L. 3. n. 193. de adiuratione.

hoc casu sunt magis poenitentibus salutares. Verumtamen quando poenitens uti vellet aliqua opinione probabili, et aliunde iam foret dispositus, tunc tenetur confessarius eum absolvere; quoniam ratione confessionis iam factae habet poenitens ius certum et strictum ad absolutionem, ne cogatur eam recipere ab alio sacerdote cum gravissimo onere repetendi confessionem. Haec opinio est communis, illamque admittunt etiam multi auctores rigidioris sententiae, ut sunt Pontassus, Cabassutius, Victoria, et praecipue s. Antoninus. Videatur liber, in quo hoc probatum est [1].

115. Tanto magis hoc currit in casu quo confessarius vellet obligare poenitentem ad aliquam restitutionem, ad quam iste probabiliter non teneretur[2]. Immo hoc currit, etiamsi confessarius non haberet tamquam solide probabilem opinionem poenitentis, et poenitens non esset rudis, eamque cum aliis gravibus doctoribus tamquam probabilem teneret, ita ut poenitens rectam iam sibi formet conscientiam bene operandi. Hoc tamen intelligendum est, quando opinio poenitentis haberet aliquam (ut dixi) probabilitatem saltem apparentem: nam si confessarius haberet eam ut omnino falsam, ex eo quod haberet contra eam principium aliquod certum, seu rationem convincentem, contra quam existimaret, nullum esse responsum quod posset inducere ad dubitandum de certitudine propriae sententiae; tunc enim non debet neque potest absolvere poenitentem, qui illi non vult acquiescere [3]. Attamen si praevideret confessarius, suam monitionem non esse poenitenti profuturam, sed potius redderet formale peccatum illud quod in poenitente est tantum materiale, tunc debet dissimulare, exceptis aliquibus casibus; videatur quod dictum est supra *num.* 8. *et* 9.

116. II. Si aliquando confessarius commiserit aliquem errorem circa valorem sacramenti sine sua culpa, non tenetur ex iustitia monere poenitentem, sed solum ex caritate, quae non obligat cum gravi incommodo [4]; dummodo confessarius non sit eius parochus, qui teneretur reparare grave damnum subditi; et dummodo poenitens non sit in mortis periculo, aut in periculo amplius non confitendi, quia tunc caritas obligat etiam cum gravi incommodo. Quod si confessarius in hoc gravem culpam commiserit, tunc semper tenetur, etiam cum gravi incommodo, resarcire errorem (et praecipue si reliquit poenitentem in aliqua occasione proxima); nisi poenitens aliis confessus non fuerit, aut saltem sacram eucharistiam susceperit. At sine licentia poenitentis numquam debet neque potest fieri praefata monitio extra confessionem, quotiescumque posset illi aliquod afferre gravamen. Si vero error fuerit solum circa integritatem confessionis, puta quia poenitentem non interrogavit de speciebus, aut numero peccatorum, etiam cum sua culpa; non tenetur confessarius errorem illum emendare extra confessionem, quia in hoc adest semper erubescentia poenitentis, dum audit rursus ibi sua peccata rememorari. Si vero ex sua malitia vel ignorantia culpabili exemerit poenitentem a restitutione, aut ad illam iniuste obligaverit; tunc tenetur eum monere, obtenta prius licentia; alias tenetur ipse ad restitutionem. Si autem in hoc gravem culpam non commiserit, non tenetur monere cum gravi suo incommodo; verum, si absque suo gravi incommodo posset reparare errorem, et non faceret, tunc etiam tenetur ad restitutionem. Denique si confessarius omiserit admonere poenitentem de restitutione, non tenetur ipse restituere, quamvis esset parochus, et etiamsi gravem culpam in hoc commisisset. Vide librum [5], in quo discussa sunt haec omnia cum suis rationibus, et auctoritatibus doctorum.

117. III. Debet quoque confessarius

(1) Lib. 6. n. 604.

(2) L. 3. n. 669. (3) L. 6. n. 604.
(4) N. 619. 620. (5) N. 621.

esse summe prudens in custodiendo sigillo sacramentali. Iam notum et certum est, quod confessarius numquam potest loqui de iis quae in confessione audivit, quoties adest periculum revelationis sigilli (directe vel indirecte), aut gravaminis poenitentis; et hoc currit etiamsi tantummodo dubitet, utrum ea in confessione audierit, vel non, aut in ordine ad confessionem [1]. Verumtamen non prohibetur confessarius sermocinari (generaliter loquendo) de aliquo peccato in confessione audito, quoties alii non possent venire in cognitionem poenitentis, aut quoties haberet expressam licentiam a poenitente. Nihilominus etiam in hoc cautissime est procedendum: et 1. Nunquam loquendo de peccatis in confessione auditis, coram simplicibus personis, quae possent suspicari de revelatione confessionis. 2. Numquam dicendo e suggestu in concionibus, regnare in ea urbe aliquod vitium, quod ipse, excipiendo confessiones, intellexerit ibi magis frequentari (Hoc tamen intelligitur [2] quando id aliunde non scivit, et quando locus est parvus); et praesertim si concionetur in aliquo monasterio, in quo non debet vehementius invehere contra aliquem defectum, quem in confessione audivit ibi esse communiorem. 3. Non sit confessarius nimis importunus in obtinenda licentia a poenitente, quoniam ea licentia quae non est omnino spontanea et plene libera, ipse nequaquam uti poterit. Unde sit parcissimus, quantum fieri poterit, in exquirendis huiusmodi licentiis sine speciali necessitate; et tunc tutius erit insinuare poenitenti, ut de eo, quod est necesse, loquatur extra confessionem. Nemo autem ignorat, quod extra confessionem non potest confessarius nec etiam cum ipso poenitente loqui de rebus in illa auditis, sine eiusdem expressa licentia: in ipsa vero confessione bene potest de illis loqui, quoties existimat hoc ipsi poenitenti expedire [3]. 4. Nequit exquirere nomen complicis, et si negaverit absolutionem ei qui dicere recusaverit, incurrit suspensionem *ferendae sententiae;* et qui docuerit hoc fieri posse, incurrit excommunicationem papalem *ipso facto* [4].

118. Casu vero quo poenitens teneatur sub gravi manifestare nomen complicis ad reparandum puta aliquod damnum commune [5], contra aliorum opinionem, nec etiam tunc posse a confessario obligari poenitentem ad manifestandum sibi nomen complicis: sed tantum posse et debere imponere poenitenti ut manifestet complicem iis qui possunt scandalum impedire. Quod si poenitens ex se vellet complicem confessario manifestare, tunc bene potest illum audire, et, quemadmodum oportet, damnum reparare. Insuper advertendum est, ex hoc non prohiberi confessariis exquirere a poenitente circumstantias, quas scire oportet, ut intelligat, an adsit species peccati diversa, vel ut consulat saluti poenitentis: hinc bene potest interrogare, an complex sit coniunctus; an ligatus voto castitatis; an cohabitet in sua eadem domo; an sit ancilla, et his similia: etiamsi per istas interrogationes indirecte manifestari debeat persona complicis; numquam tamen exquiratur illius nomen [6].

119. IV. Summe cautus debet esse confessarius in excipiendis confessionibus mulierum. Et primo notandum, quod in decr. s. c. episcoporum 21. ian. 1610. dicitur: ***Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram.*** Loquendo autem de prudentia confessarii, ipse regulariter in confessionario cum iunioribus sit potius rigidus quam suavis; nec permittat illas ante confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multo minus ut manus deosculentur. In actu confessionis non ostendat eas agnoscere; aliquae enim, quae religiosae haberi volunt, aliquando advertentes se

(1) L. 6. n. 636. (2) N. 634. (3) N. 632.

(4) N. 491. (5) N. 294. (6) Ibid.

nosci a confessario, non faciunt integram confessionem. Imprudentia quoque est coniicere oculos in poenitentes, cum e confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intueri. Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. Abstineat etiam a recipiendis munusculis; et praecipue ad illarum domos numquam accedat; uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc nonnisi vocatus accedat; tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum confessionibus, unde ianuam apertam relinquat, sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem poenitentis numquam defigat. Et hoc praesertim currit, si sint personae spirituales, cum quibus est periculum maioris adhaesionis. Dicebat ven. p. Sertorius Caputus, diabolum ad coniungendas inter se personas spirituales, ab initio uti praetextu virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad personam: unde ait s. Augustinus apud s. Thomam [1]: *Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores, ideo minus cavendae; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt*. Et idem angelicus doctor addit: *Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, ipsis tamen magis perniciosa, quando conversantur cum persona quae spiritualis videtur; nam quamvis principium videatur purum, tamen frequens familiaritas domesticum est periculum; quae quidem familiaritas quanto plus crescit, infirmatur principale motivum, et puritas maculatur*. Et subiungit quod tales personae hoc non statim advertunt; quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo quae aliquantulum feriunt, et augent affectum. Sed brevi huiusmodi personae eo deveniunt, ut non amplius agant secum tamquam angeli, quemadmodum coeperant, sed tamquam carne vestiti; vicissim se intuentur, mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quae adhuc a prima devotione videntur procedere; hinc alter alterius praesentiam incipit appetere; *sicque* (concludit) *spiritualis devotio convertitur in carnalem*. Et quidem oh quot sacerdotes, qui antea erant innocentes, ob similes adhaesiones quae spiritu coeperant, Deum simul et spiritum perdiderunt! Advertatur hic quod ex decr. s. c. episcop. sub 21. ian. 1610. *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram*.

120. Deinde confessarius non adeo mulierum confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset. Oh qualis miseria est cernere tot confessarios, qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *bizocas;* et cum postea vident ad se accedere homines aut foeminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis et molestiis, et qui aegre domos et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos, dicendo: *Habeo aliud quod agam; ite ad alios:* unde fit ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses et annos sine sacramentis et sine Deo! Hoc non est audire confessiones, ut Deo placeamus, sed potius ut genio serviamus; quare nescio quale meritum apud Deum sint habituri confessarii illi, qui hoc modo suum ministerium exercent. Scio ego, immo et contra aliorum opinionem, qui asserunt esse tempus frustra impensum, teneo esse opus valde Deo carum dirigere animas ad viam perfectionis; ideoque de hoc fusius loquar capite ultimo; sed assero, probos confessarios, qui tantum ut Deo placeant confessiones excipiunt (quemadmodum facere consueverunt s. Philippus Nerius, s. Ioannes a Cruce, s. Petrus Alcantara, aliique), quando cernunt aliquam animam indigentem, praeferunt eam animabus devotis, quibus audiendis auxiliandisque, quando confessarius vult, tempus non deerit.

(1) Opusc. 64. de famil. Dom. etc.

CAPIT. IX. *Quomodo se gerere debeat confessarius in dirigendis animabus spiritualibus.*

(Vide Append. 1. a pag. 659. ad 687.)

CAPIT. X. *De quibusdam monitis magis notatu dignis ad confessarios et parochos: cum praxi docendi orationem mentalem.*

(Vide append. 4. a pag. 741. ad 753. excepto §. 2. quod erit sequens.)

§. 2. *Monita ad parochos.*

195. Expedit hic breviter adnotare quasdam particulares parochorum obligationes circa curam suarum ovium.

196. I. Parochus tenetur eas instruere circa fidei mysteria, et res alias ad salutem necessarias, ut sunt. 1. Quatuor mysteria principalia; scilicet quod existat unus Deus, qui est omnipotens, sapientissimus, Creator et Dominus omnium, misericors et amabilior quocumque bono; et praecipue quod tam bonorum, quam malorum sit iustus remunerator; insuper mysterium ss. Trinitatis, incarnationis et mortis Iesu Christi. 2. Sacramenta necessaria, ut baptisma, eucharistia, poenitentia, et alia saltem quando sunt suscipienda. 3. Symboli articuli, inter quos praesertim virginitatis Mariae sanctissimae: sessio Iesu Christi ad dexteram Patris, scilicet quod ipse in coelis sedeat cum Patre in gloria coaèquali: resurrectio corporum in iudicio finali faciendo a Christo Domino: unitas romanae ecclesiae, in qua sola reperitur animae salus: et denique aeternitas paradisi et inferni. Quae omnia unusquisque fidelis tenetur scire sub gravi. 4. Praecepta decalogi et ecclesiae. 5. *Pater noster* et *Ave Maria*, et actus fidei, spei, amoris et contritionis. Sicuti graviter peccat ille, qui scire haec negligat (quae scienda sunt non modo in quantum ad nomina, sed etiam in quantum ad sensum), ita etiam graviter peccat parochus, ut aiunt communiter doctores, si per se, vel per aliam idoneam personam (quoties ipse fuerit legitime impeditus; ut habetur in concilio tridentino [1]) omiserit docere saltem in substantia suos paroecianos, pueros et adultos qui ea ignorant. Unde ipse quoties videt patres aut dominos non curantes mittere filios aut servos ad doctrinam, tenetur apprehendere media opportuna apud episcopum, qui, ut habetur in Tridentino [2] potest cogere genitores etiam in ecclesiasticas censuras. Parochi probi retinent notam puerorum ut sciant eos qui desunt. Immo dicit Croix [3] si extent personae aliquae rudes, quae nequeant ad ecclesiam venire, ex eo quia debent custodire domos aut greges, si illae existant in gravi necessitate spirituali, debet parochus privatim accedere ad eas instruendas *cum quantocumque suo incommodo*, ut loquitur idem auctor. Saltem, quando hoc difficillimum esset ob magnum numerum harum rudium personarum, procuret eas examinare et instruere tempore praecepti paschalis; vel quando veniunt ad petendas fides pro susceptione sacramenti confirmationis, vel matrimonii. Operae quoque pretium est, ut parochus exploret magistros et magistras, ut bene instruant pueros et puellas, circa doctrinam, et media bene vivendi in sancto Dei timoro.

197. Parochus tenetur per se ministrare sacramenta, quoties paroeciani iuste exposcunt. Et si forte oeconomum constituerit, eius vitam et scientiam diligenter examinet; alias omnium inconvenientium, quae postea eveniunt, ipse Deo redditurus est rationem. Insuper tenetur assistere morientibus, nisi adsit alius idoneus. Peccatoribus autem habituatis morientibus specialem tenetur praestare assistentiam, quoniam isti existent in gravi necessitate suae assistentiae. Et circa extremam unctionem, attendat id quod habetur in catechismo romano [4]: *Gravissime peccant qui illud tempus aegrotos ungendi observare solent, cum iam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiant.* Tenetur quoque se informare, utrum sui subditi prae-

(1) Sess. 24. cap. 4. (2) Ibid.

(3) L. 2. quaest. 149. et l. 3. p. 1. n. 767.
(4) Part. 2. c. 6. n. 9.

cepto paschali satisfecerint; Barb.[1], et Segneri[2]. Et diligentissime caveat nunquam committere cuicumque clerico schedulas communionis.

198. III. Cavere quoque debet parochus, ne concedatur habitus clericalis illis pueris aut adolescentibus, qui moribus suis non praeseferunt indolem ecclesiasticam. Diligenter postea erudire debet circa statum ecclesiasticum clericos suos iam habitum deferentes; aliter illi sine instructione relicti, et moribus depravatis, aut per fas aut per nefas ad ordines inde non sine magno suae urbis scandalo et detrimento ascendent. Praetermitto hic loqui de maxima ratione, quam Deo reddituri sunt parochi illi, qui exhibent fides ordinandis, quos ipsi bene noscunt indignos, aut exhibent illas priusquam se reddant securos, praevia diligenti informatione, de ordinandorum bonitate.

199. IV. Tenetur parochus se informare de iis, qui vivunt in peccato lethali, ut eos corrigat: de inimicitiis et scandalis praesertim inter sponsos, ut quantum possibile est illis afferat remedium. Inquit s. Thomas [3]: *Qui habet specialem curam alterius, debet eum quaerere ad hoc, ut corrigat de peccato.* Et quando scandalum est alicuius personae potentis (et praecipue sacerdotis), cui ipse non valet remedium afferre, debet saltem de hoc episcopum certiorare pro remedio opportuno: et ob quemcumque respectum, aut timorem, hoc non potest omittere. Bonus pastor tenetur dare vitam pro ovibus suis.

200. V. Curet, ne sponsalia celebrentur longe priusquam celebretur matrimonium: perfectis enim sponsalibus, toto tempore quod nuptias praecedet, tam sponsi, quam eorum genitores, in mortali peccato existent.

201. VI. Quando in aliqua urbe cernuntur notabilia inconvenientia, quibus parochus nequit afferre remedium, ipse tenetur omnem curam adhibere ad missionem obtinendam. Et semper expediens erit, ut quandoque advocet etiam aliquos presbyteros exteros pro bono animarum verecundiorum: et multo magis si ad suum oppidum non solet concionator quadragesimalis accedere ad audiendas confessiones: parochus vero ille qui reiicit missiones, magnam ingerit suspicionem suae probitatis.

202. VII. Non modo parochus debet auferre malum, sed etiam bonum promovere, quemadmodum faciunt omnes boni pastores, qui numquam omittunt exhortari ad frequentiam sacramentorum, et congregationum, ad visitandum sanctissimum sacramentum et divinam Matrem: ad novenas, ad associationem Venerabilis, quando datur tamquam viaticum, et ante omnia ad orationem mentalem, de qua in §. III., ubi exponemus praxim, et methodum facilem, quae parochis et confessariis poterit inservire ad caeteros in ea erudiendos.

203. VIII. Parochus tenetur ad concionandum diebus dominicis, et festis principalioribus: ex quo doctores [4] affirmant graviter peccare parochum qui per mensem continuum, aut per tres menses discontinuos concionare omittit, exceptis duobus mensibus, in quibus permittit Trid. parochis, ex iusta causa ab episcopo approbanda, posse licite abesse. Et hic notandum est, Tridentin. [5] praecepisse, ut parochi gregem suum verbo divino pascant, sermones faciles pro eius captu habentes, quo possit populus capere, quae illi concionantur: cum enim expertum habetur, fidem sicut ipsa diffunditur praedicatione, ita per eandem conservari (*fides ex auditu*); parum utilitati erunt populis eae conciones, quae similes non erunt illi concionandi rationi, quam tenuerunt Christus et Apostoli, qui praedicabant non in *persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et veritatis*, ut Apostolus ait. Ideoque iure merito v. p. magister Avila non Iesu Christi mi-

(1) De off. par. c. 2. n. 7.
(2) Par. instr. c. 25. (3) 2. 2. q. 33. ..
(4) L. 3. n. 269. et 300.
(5) Sess. 5. c. 2. de ref.

nistros, sed proditores appellabat eos, qui inanis gloriae cupiditate conciones habent. Et p. Gaspar Sanctius aiebat, his nullos esse crudeliores in ecclesiam Dei insectatores; dum sic concionando causa suntcur pereant multae animae, quae, si illis iuxta apostolorum normam praedicaretur, utique salvae fierent. Verba inania, periodos sonoras, descriptiones inutiles, dicebat s. Franciscus Salesius, esse pestem concionis, cuius unicus finis esse debet, auditorum voluntates erga bonum movere, non autem intellectum inutiliter pascere. Experientia iam docemur, per huiusmodi conciones tot figuris, et tropis, et dicendi fucato artificio adornatas, animas ad bonam frugem non redire. quia auxilium suum Deus vanitati non confert. Et hoc omnium concionatorum gratia, qui ex vanitate concionantur, dictum sit, sed potissimum eorum, qui curam animarum habent, quibus Tridentinum loco citato sic praescribit: *Archipresbyteri quoque, plebani, et quicumque curam animarum obtinent per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis.* Notentur illa verba, *pro earum capacitate;* unde certe Concilio controveniunt illi pastores qui sublimi stylo utuntur populi audientis capacitatem excedente.

204. Hic quoque iuvat animadvertere quaedam magna consideratione digna, quae parochus, conciones habens, populo sibi commisso inculcare debet. Et 1., quod ad emendationem non sufficit proponere peccata vitare, sed etiam debent occasiones peccandi removeri. Et loquendo de sponsis, qui domos sponsarum frequentant, dicat, tam ipsos, quam illarum parentes, qui hoc permittunt, non posse absolvi, nisi praefatas occasiones auferant.

205. Instet 2. in homines qui cauponas frequentant, eis patefaciendo plurima peccata, quae ibi praeter ebrietates committi solent, blasphemias nempe, contentiones, scandala, obscoenitates, discordias cum domesticis, defraudationes victus a familia etc.

206. Increpet 3., atque invehatur saepe contra vitium (quod est generale, praecipue in campis et in officinis) inhoneste loquendi: et tanto magis si haec verba inhonesta proferantur coram pueris, puellis, aut personis diversi sexus. Ob hos turpes sermones, quot pueri perversi fiunt! Et de hoc admoneat parentes, dominos, et opifices officinarum, ut vigilantes sint in corripiendis et castigandis filiis aut famulis, qui hos sermones effutiunt, praecipue messis et vindemiae temporibus.

207. Instet 4., in ostendendo sacrilegii enormitatem, quod committunt illi, qui confitentur et communicant, aliquod peccatum propter erubescentiam reticentes. Et ut horrorem concipiant adversus tantum scelus, curet saepe narrare aliquod formidabile exemplum ex illis, qui, erubescentes de aliquo peccato, sacrilege confessi sunt; et ad hoc potest uti praecipue illo libello p. Vega, cui titulus: *Casi della confessione etc.*

208. Saepe insinuet 5. necessitatem doloris et propositi ad confessionem requisitorum, etiam pro venialibus, exhortans, ut nemo ad absolutionem recipiendam accedat, nisi saltem de aliquo peccato veniali eorum, quibus se accusat, verum habeat dolorem; aut nisi exponat pro materia certa aliquod peccatum vitae praeteritae, iam alias confessum, cuius vere se poeniteat ut valida sit confessio. Et quoniam rudes parum intelligunt, quomodo debeat esse dolor, saepe ostendat, quod poenitentes, ut valide confiteantur (sive contritionis, sive attritionis sit dolor), debent eam concipere displicentiam de suo peccato, ut illud odio habeant et abhorreant plus quam cetera mala.

209. Hortetur 6., ut in iracundiae motibus, vice blasphemiarum aut imprecationis, assuescant dicere: *Maledictum sit peccatum meum, maledictus*

vit daemon; aut dicere: *Maria ss., adiuva me. Domine, concede mihi patientiam*

210. Inducat 7. in horrorem superstitiones aut vanas observantias, quae in usu sunt apud plures ad finem morbi medendi aut latrones dignoscendi.

211. Instet 8. In parentes, ut in filios animadvertant, praecipue cum sunt pueri, tunc quando blasphemant aut furantur etc. Item, ut invigilent ad observandum et inquirendum, cum quibus illi versantur, et interdicat eos versari cum pravis sociis et cum personis diversi sexus. Item, ut filios non admittant in lectum suum cubandos; aut enim sunt nimis parvuli, et timetur ne illi suffocentur; aut grandiores, ut si sextum annum iam excesserint, et timetur ne illis aliquod praebeatur scandalum. Et tanto minus permittant simul dormire pueros et puellas.

212. Moneat 9. iugiter suos parochianos, ut internas tentationes (praecipue contra castitatem) superent, invocando nomina sanctissima Iesu et Mariae; hoc enim est maximum contra tentationes remedium.

213. Moneat 10. iugiter quoque, ut si quis in peccatum mortale labatur, statim se conterat cum proposito quantocius confitendi, quo amissam gratiam recuperet; et hanc daemonis fraudem ab eis eripiat, Deo idem esse unum, quam duo peccata remittere; nam potest contingere, quod Deus post unum peccatum ad poenitentiam expectet, post secundum vero eos derelinquat.

214. Doceat 11. actus, in quibus quisque mane, die et vespere se exercere debet; et ut hos in promptu habeat, breviter illos hic describimus — Actus faciendi de mane. Signet se signo crucis et postea dicat I.: *Te adoro, Domine Deus, et ago tibi gratias de omnibus beneficiis in me collatis, et praecipue, quia hac nocte me custodire dignatus es.* II. *Amo te ex toto corde, et quidquid mihi hodie patiendum contigerit, et quidquid faciam, tibi offero in unione operationum et cruciatuum Iesu et Mariae; cum intentione lucrandi omnes indulgentias, quotquot possum, in animarum purgatorii suffragium.* III. *Propono evitare hodie quodlibet peccatum ac omnem occasionem; et obsecro te propter amorem Iesu Christi ut concedas mihi perseverantiam. Propono, praecipue in rebus adversis, obsequi voluntati tuae, dicendo semper: Domine, fiat voluntas tua. Iesu mi, ne removeas hodie manus tuas a me. Maria sanctissima, custodi me: Angele custos, et sancti advocati, praesto mihi estote.* Deinde recitet *Pater, Ave et Credo*, et ter Ave puritati Mariae sanctissimae. — Cum laborare incipit dicat: *Domine Iesu, in unionem perfectissimorum operum tuorum commendo tibi hoc opus meum, secundum tuam voluntatem regendum.* — Ante comestionem: *Benedic, Domine, cibum istum et me quoque, ut in comedendo nullum committam defectum, et hoc totum sit ad gloriam tuam.* — Post comestionem: *Ago tibi gratias, quod bona tribuisti mihi inimico tuo.* — Ad sonitum horologii: *Iesu mi, amo te; ne permittas me offendere te.* — Si urget aliqua tentatio, replicet: *Iesus et Maria.* — Si lapsus sit in aliquod peccatum: *Deus meus, me poenitet offendisse te; nolo amplius hoc facere.* Et si peccatum fuerit grave, statim confiteatur. Vesperi, dum cubitum se confert, agat gratias de bonis sibi collatis. Examinet conscientiam et postea eliciat actum doloris. Deinde eliciat actus christianos, quorum exemplum habebis infra *n.* 286. Hortetur omnes matres, ut quotidie hos actus practicari faciant a filiis suis. Praeterea ostendat, parentes teneri operam dare ut filii sacramenta frequentent; nam si ad ea frequenter non accedunt, facile Dei gratiam perdunt; et parentes huic damno prospicere debent. Insuper eosdem moneat, quod peccant, si, causa iusta non accedente, impediant filios quominus matrimonio coniungantur, aut eos invitos ad matrimonium cogant [1]. Sicut con-

(1) L. 6. n. 849. v. Conveniunt ad 6.

tra peccant filii, qui parentibus iuste invitis matrimonia ineunt[1].

215. Item 12., cum pro comperto habeatur, ut supra ostensum est, quod parochus nedum tenetur ad mala impedienda, sed etiam ad bonum promovendum, populum hortetur ad quotidianam sanctissimi sacramenti ac b. Mariae Virginis visitationem. Haecque visitatio potest fieri vespere ab ipso in communi, una simul cum populo sibi commisso, designando horam populo magis accommodatam, prout usus in multis regionibus cum magno fructu introductus est. Et hortetur, ut quibus commoditas ecclesiam adeundi non est, ex domo propria eam faciant. Prae caeteris insinuet hominibus, ut frequentent congregationem. Et omnibus, ut saepe communicent, praecedente debita animi praeparatione, et gratiarum actionibus eam consequentibus, per exercitium actuum fidei charitatis, oblationis, et petitionis, eos docendo practicum modum, quo hi actus fieri debeant.

216. Invigilet 13., saepe reddere suas oves erga devotionem Mariae Virginis studiosas, declarando quanta sit potentia et misericordia huius divinae Matris in suis devotis adiuvandis. Ideoque insinuet, ut in communi cum familia quotidie recitent quinque decades Rosarii, ut sabbato ieiunent, et celebrent novenas in festivitatibus nostrae Dominae, quas ipse ab altari annuntiet, quotiescumque illae incident. Valde laudabile erit, si in sabbato ille conciunculam taceret de b. Virgine, semper narrando aliquod exemplum, et semel in anno celebrando novenam aliquam solemnem nostrae Dominae cum sermone et expositione ss. sacramenti; et ad hoc uti posset inter ceteros illo libro, quem ego ad hunc finem typis dedi, cui titulus, *Glorie di Maria*, ubi congestas reperiet materias et exempla. Felix ille parochus, qui suos parochianos fervidos tenet in beatissimae Virginis devotionem; nam illi cum eiusdem Virginis auxilio vitam morigeram ducent, et ipse in vitae exitu ipsam fidelem et potentem advocatam habebit. Denique insinuet ante omnia, ut assuescant saepius se Deo commendare, ab eo sanctam perseverantiam per merita Iesu Christi et Mariae postulantes. Saepius quoque praedicet, gratias, et praecipue perseverantiae donum non concedi nisi petentibus: *Petite, et accipietis*. Notamque faciet illam promissionem Iesu Christi, quidquid a Patre postulabimus in nomine eius, id omne Patrem daturum nobis: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabitur vobis*[2]. Insinuet etiam orationis mentalis usum, et curet in ecclesia cum populo quotidie, aut saltem diebus festivis, ut illa fiat; docendo etiam modum, quem domi in ea facienda tenere possunt; ideoque hic subiungitur sequens instructio, ubi exponitur necessitas, et modus practicus orationis mentalis.

CAPIT. XI. *Et ult. brevis praxis assistendi infirmis.*

(Vide append. 2. a pag. 681. ad 699.)

(1) L. 6. dict. n. 849. (2) Ioan. 16. 23.

INSTITUTIO CATECHISTICA

AD POPULUM IN PRAECEPTA DECALOGI ET SACRAMENTA

MONITUM AD INSTRUCTOREM

Ut instructiones reddat fructuosiores.

1. Tres sunt catechismi partes: introductio, explicatio mysterii, praecepti aut sacramenti de quo agitur, et moralitas cum usu mediorum remediorumque adversus vitia. Et primo, quoad *introductionem*, proponenda est materia de qua in ea instructione verba facimus, et capita ad rem facientia sunt dividenda. Si materia cum illa antecedentis instructionis colligata est, catechista potest incipere complectendo paucis verbis capita in anteacta instructione explanata. Si autem erit diversa, incipere potest exponendo pondus ac momentum illorum quae in illa die erunt tractanda.

2. Secundo, quoad *explicationem* mysterii, praecepti aut sacramenti de quo erit agendum, plura considerare oportet. 1. Mysterium illud, praeceptum aut sacramentum quod explicatur opus est ut ab instructore confirmetur auctoritatibus, rationibus, similitudinibus aut certis factis atque probatis. Dixi: *auctoritatibus*. Hae tamen sint paucae, paucique sint loci latini, quos rudes, qui saepenumero in istis catechismis auditorium componunt, parum aut nihil intelligunt: ne verbum quidem unum de scholasticis quaestionibus, quae cathedram magis quam pulpitum decent; praesertim cum ad ignarum populum dicitur, qui, huiusmodi audiens quaestiones, facile perturbatur, et quandoque ab illis erroneam aliquam sententiam potest inferre.

3. — 2. Doctrinae quaedam quae possunt auditores inducere ad perniciosam aliquam conscientiae relaxationem minime proponantur. Aliud est loqui in exedra ad excipiendas confessiones, ubi circumstantiae omnes et casus et personae perpenduntur; aliud est loqui ex pulpito, ubi quaecumque opinio, non recte percepta ab illis qui ad dilatandam conscientiam inclinant, ita obesse potest ut laxas inde improbabilesque hauriant consequentias. Hoc tamen haud impedit ne illuminentur quaedam erroneae conscientiae, credentes esse peccata quae revera peccata non sunt: exempli gratia, quidam rudes existimant esse suspiciones aut temeraria iudicia vel illas pro quibus adest sufficiens fundamentum ita suspicandi aut iudicandi. Huiusmodi iudicia aut suspiciones nec temerarium aliquod esse nec peccatum explicare oportebit. Alii existimant grave peccatum esse exsecrari simpliciter creaturas, diem nempe, ventum, pluviam, aliaque id genus: iudicant alii gravem esse detractionem parentibus filiorum peccata manifestare, licet hoc esset necessarium ut illorum vitiis parentes medeantur: alii demum arbitrantur peccare cum alicui ecclesiae praecepto non obediunt, ut esset si in die festo sacro non adessent aut laborarent, licet legitimas causas, quibus excusentur, haberent. In omnibus his aliisque id genus oportet explicare quod non peccatur.

4. — 3. E contrario opus est ut instructor patefaciat illa quae certa sunt peccata, quamvis aliqui ea peccata esse non credant, praesertim cum probabile est quod eis consuescant; quumque postea peccata esse noscant, propter consuetudinem a dictis peccatis animum abstinere non poterunt. Verbi gr. credunt aliqui levia peccata esse maledicere dies sanctos, sabbatum sanctum, pascha, pentecostem: et opus est eos monere quod huiusmodi maledictiones vere sunt iniuriosae in Deum et sunt peccata lethalia. Tenent alii non esse grave peccatum se exponere occasioni proximae peccandi: explicare oportet quod qui non fugit aut non amovet oc-

casionem proximam, quando est voluntaria, graviter peccat, licet animum habeat non committendi peccatum illud cuius se periculo committit. Oportet amplius instruere illos qui quibusdam utuntur superstitionibus aut vanis observantiis ad ligandum canes vel ut ex aliquo morbo quis convalescat, quod in his et similibus graviter peccant. Eum quoque qui animum habet paratum ad ultionem, si forte aliqua afficeretur iniuria, oportet edocere quod versatur in continuo lethali peccato, et si ita moritur, aeternis poenis addicetur. Ita pariter instruere opus est mulieres quod peccant quoties delectantur ab hominibus desiderari, non matrimonii caussa, sed ob meram vanitatem.

5. — 4. Instructores sunt qui gloriantur suos catechismos implere nugis et curiosis factis, atque asserunt hoc esse necessarium ut populus veniat frequens, praebeat se attentum et taedio non afficiatur. Hoc unum autem ego scio, quod sancti in suis instructionibus fletum, non risum, ciebant. Cum s. Ioannes Franciscus Regis suos in missionibus faciebat catechismos, populus sine intermissione plorabat, ut in ipsius vita legitur. Facetias illas quae naturaliter a materia de qua agitur oriuntur non reprobo, sed quaedam facta vel fabulas ridiculas, ut populus rideat, dedita opera narrare, idem est ac facere ut instructio concedat in fabulam, quod inconveniens est ecclesiae in qua loquitur, et pulpito ex quo verbum Dei profertur et ubi instructor fungitur munere legati Iesu Christi, quemadmodum scribit apostolus: *Pro Christo enim legatione fungimur* [1]. Verum est homines delectari cum facetias audiunt et rident; sed quem fructum inde percipiunt? Post cachinnos auditorium talem habebit attentionis et pietatis vacuitatem ut sine maximo instructoris labore animum ad se iterum non advocabit; et pro attentione ad moralitatem (quam aegre a facetiis illis inferre quaeret lepidus noster instructor, ne circulator habeatur) revolvet animo facetias illas aut illa ridicula facta, et parum aut nihil ad instructionis moralitatem attendet. Si nil aliud eveniret, huiusmodi christianae instructionis doctor lepidi nomen acquiret, non sancti, quod nomen necessarium est pro eorum qui audiunt utilitate. Falluntur qui credunt quod sine huiuscemodi facetiis populus aut non praebebit se attentum aut ad catechismum non confluet. Dico ego quod se populus attentiorem praebebit et magis confluet ad catechismum cum agnoscet quod catechismum auscultans non terit tempus, sed ex eo fructum percipit atque pietatem.

6. — 5. Instructor opus est attentior sit ad dicendi genus quod debet in instruendo adhibere. Catechismi stylus esse debet omnino simplex et popularis, sine sermonibus elegantibus atque periodis concinnatis. Hae res etiam concionibus, uti s. Franc. Salesius aiebat, pestilentiam afferunt. Concionatores qui sunt Dei hos flores et folia minime quaerunt: ex his enim verbi Dei amittitur fructus, et animae implent infernum. Dei verbum non eget ornamentis: quo est simplicius, eo fructum affert uberiorem. Heu quot concionatores aeternis videbimus cruciatibus addictos quod tam eleganter de divinis rebus ad populum dixerint, divinumque verbum adulteraverint! Si enim omnes ut apostoli faciebant concionarentur, infernus stragem certe illam non ederet animarum quam hodie nunc edit prae dictis elegantibus concionibus atque elatis. Panegyrici quoque, ait magnus ille vir Ludovicus Antonius Muratorius, debent esse simplices, ut impellant homines ad sanctorum virtutes imitandas, non vero ut ab iis parum fumi aut inanis gloriae concionatores ipsi percipiant. Sed de hoc libellum edidi, in quo cum Muratorio probavi quod conciones omnes et panegyrici esse debent simplices ac populares. In concionibus enim pars maxima au-

(1) 2. Cor. 5. 20.

scultantium constat hominibus plebeiis; ideoque si dicendi modus non est popularis atque ad ipsorum capacitatem accommodatus, nullum aut paucissimum ex eis fructum percipient. Hoc de concionibus quibuscumque: in missionibus autem magnus error est concionari stylo eleganti, praesertim in catechismo, quo docendi sunt rudes circa quid credere aut observare debent aut quomodo debent sua peccata aperire Deumque precari: unde, si dicendi genus non erit omnino populare et pro eorum capacitate, frustra instructor concionabitur et frustra audient ipsi. Dixi: *genus dicendi populare*, non ineptum, uti praeter modum faciunt aliqui: ineptum enim pulpitum non decet. Dixi quod *dicendi genus ad capacitatem eorum accommodatum esse debet*. Utatur ergo instructor brevibus periodis; nam hoc modo attentiorem populum habebit. Expedit quoque plures facere petitiones, pluraque dare responsa, prout multa in hac instructione de eis dabimus exempla, ut auditorum firmiter animo insideant.

7. Tertio, quoad *moralitatem*, instructor non solum debet instruere mentem, sed etiam, imo maiori diligentia, movere debet auscultantium voluntatem ut effugiant peccata, et media, ne incidant in eadem, adhibeant. Plura sunt peccata quae prae voluntatis perversitate, quam quae prae ignorantia intellectus committuntur. Moralitates instructionum moralitatibus concionis breviores esse debent: cum fervore dici debent, sed sine stylo concionis et sine clamoribus. Quandoque in instructione iuvat exclamare adversus aliquod communius vitium aut contra falsum aliquod quod circumfertur effatum vel contra quasdam futiles excusationes quae a scelestis hominibus, ut aliorum misericordiam concitent, solent adduci. Dicere enim solent: *non omnes debent sanctescere: carnei sumus: Deus misericors est*: *ita et alii faciunt*. Ad huiusmodi excusationes multo ardore respondendum, ut quaedam auferantur praeiudicia, quorum ad normam actiones suas plures componunt, ideoque numquam resipiscunt: hae tamen exclamationes rarae esse debent, ne instructio, ut aliqui perperam faciunt, cum concione confundatur.

8. Curet itaque instructor non solum penitus extinguere falsa isthaec effata, verum etiam in animis hominum infundere, quod plurimum iuvat audire, quaedam vera salutis effata. V. gr.: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? - Rebus omnibus finem dat mors* : *aeternitas nullum finem habet. Omnia amittantur*, *et non amittatur Deus. - Unum peccatum est pertimescendum. - Omnia possidet qui possidet Deum. - Illi qui meritus est tartara parum est quaelibet poena. - Passiones omnes domare oportet*, *ut anima salva fiat. - Quid didicit christianus, nisi sciat iniuriam pati pro Deo? - Precibus et oratione quicquid optamus obtinemus a Deo. - Quicquid a Deo est, bonum sane est et summa utilitas. - Sanctitas nostra in Dei amore sita est. Diligere Deum est eius voluntatem in omnibus adimplere.* Huiusmodi veluti moralis christianae praeclara effata, prout occasio fert, pluries repetere praestat, ut animo insideant et altiores in nobis agant radices.

9. Curet amplius saepe repetere quaedam pro animarum salute magis necessaria. Et 1. ne sacrilegia populus admittat, peccata sua prae verecundia non aperiendo. Detestabili hac verecundia plures animae intereunt. Adeo aliqui rubore afficiuntur ut, quamvis confessionem eorum missionarii excipiant, sacrilegia committant. Unde hoc saepe opus est urgere, praesertim in missionibus; si enim illi in missione tale suum peccatum non aperiant, numquam amplius aperient. Et ad rem facit referre populo plura exempla animarum aeternis suppliciis addictarum propter sacrilegas confessiones; ideo in fine huius libelli multa id genus exempla adnotabo.

10.-2. Saepius insistat instructor fugam improbarum occasionum; si enim proximae occasiones, lascivae praesertim, non vitantur, omnia alia media ad salutem nihil penitus conducent.

11.-3. Precationem urgere oportet, scilicet ut saepe a Deo omnes homines auxilium quaerant, ne in peccatum incidant, praesertim tempore tentationis; nam, si tum se Deo non commendant, procul dubio intereunt: unde saepe repetere oportet in instructione quod in tentationibus praesertim immundis quisque invocet Iesum et Mariam, et invocet usque dum tentatio persistat. Qui precatur in peccatum incidere non formidat; habet enim auxiliatorem Deum. S. Theresia dicebat quod montem ascendere voluisset et illinc nil aliud dicere quam: *Animae, precamini, precamini, precamini!*

12.-4. Inculcet quoque pluries instructor amorem Dei. Qui Deum minime amat, sed a peccatis timore tantum inferni abstinet animum, est in gravi periculo in peccata reincidendi statim ac timor ille cessaverit: sed qui ad amandum pervenerit Iesum Christum, in posterum in lethale peccatum incidet difficulter. Cui plurimum conducit Iesu Christi passionem attente cogitare. Dicit divus Bonaventura quod Iesu Christi vulnera sunt *vulnera corda saxea vulnerantia, et mentes congelatas inflammantia.* Propterea opus est quotidie facere paulisper orationis mentalis, et continuos facere amoris actus erga Iesum Christum, et a Deo amorem frequenter postulare.

13.-5. Saepenumero frequentiam inculcet confessionis et communionis, a quibus recipit robur populus ut se Dei amicum possit praestare: hoc semel dicere non sufficit; pluries oportet repetere; tum quia non omnes auditores huiusmodi instructioni praesto sunt, tum quia prodest ea repetere ut magis cognoscatur quam necessarium sit confessionis et communionis sacramenta frequentare. Sed taedio afficiuntur homines quando eandem rem audiunt pluries repetere. Quid tum inde? Fastidientes aliqui molestia afficiuntur, proderit tamen omnibus aliis auscultantibus, et praesertim rudibus, qui nisi eandem rem pluries audiunt repetere, statim ea obliviscuntur.

14. Curet denique instructor in catechismo res practicas, quotiescumque conveniet, insinuare, ponens in ore auscultantium eadem verba quae, cum opus erit, dicere debebunt: ex. gr. cum aliquis iniuriam aliquam aut aliquam recipit offensionem ab alio, ei dicat: *Deus te faciat sanctum: tibi Deus lucem praebeat.* Sed si adhuc ira aestuat, libenter taceat. Cum contrarium aliquod evenit dicat: *Fiat voluntas Dei: Domine, pro peccatis meis hoc libenter patior.* Haec et alia id genus pluries instructor repetet, ut ea hominum menti bene infixa remaneant, qui facile obliviscentur quibuscumque textibus latinis et omnibus peregrinis eruditionibus, tantumque meminerunt illorum quae in usu habere eos docuit instructor. Omnia haec monita quibusdam cerebrosis spiritibus vulgaria videbuntur, sed revera plurimum animas iuvabunt.

INTRODUCTIO PRACTICA
Ad populi instructionem.

1. Ut homo suum faciat officium opus est ut ante omnia sciat quis sit ultimus suus finis et in quo integram felicitatem suam possit adinvenire. Ultimus finis est amare et servire Deo in hac vita, et postea in alia in aeternum ipso frui. Deus itaque creavit nos non ut acquiramus divitias, honores, voluptates, sed ut praeceptis suis obtemperemus atque ita aeternam beatitudinem lucrifaciamus.

2. Ad hunc finem Deus creavit Adam, eique dedit Hevam in uxorem ut humanum genus propagaretur. Creavit eos sanctos, eosque posuit in paradiso voluptatis, significans eis quod illinc transferret eos in coelum ad absolutam aeternamque felicitatem habendam. Interim in hoc orbe terrarum ipsis permisit ut fructibus omnibus amoeni il

lius viridarii vescerentur; sed, ut ipsorum obedientiam probaret, vetuit ne unius arboris fructu, quem eis indicavit, vescerentur. Adam tamen atque Heva, Deo non auscultantes, vetito fructu vesci voluerunt: et ob huiusmodi peccatum privati fuerunt gratia divina, et illico fuerunt a paradiso voluptatis eiecti et tanquam rebelles maiestatis divinae cum tota ipsorum progenie in mortem temporalem atque aeternam fuerunt damnati; atque ita pro ipsis atque pro omnibus ipsorum descendentibus clausum coelum remansit.

3. Hoc fecit originale peccatum, in quo omnes nascimur filii irae et inimici Dei, tanquam rebellis parentis filii. Cum vassallus a suo principe desciscit, principi odio veniunt et sunt exules a regno omnes illius rebellis descendentes. Itaque originale peccatum, prae Adam contumacia, gratia divina nos privat.

4. Tantum Maria ss., iuxta piam et communem sententiam obtinuit ut a culpa originali esset immunis. Indubitatum est quod illa fuit a quocumque actuali peccato immunis: sic tenet ecclesia, uti declaravit Tridentinum[1] ubi dicitur quod *nemo potest in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet ecclesia.* Hoc magnum illud est argumentum quo probatur quod Maria fuit ab originali culpa immunis; quia si ab ea immunis non fuisset, ne potuisset quidem immunis esse a quacumque culpa actuali. Sed quoniam ss. Virgo nullam culpam, a qua redimenda esset, contraxit, non fuit igitur, uti omnes alii filii Adam, a Christo redempta? Fuit utique, sed nobiliori modo: caeteri homines postquam originalem contraxerunt culpam redempti fuerunt: Maria autem antequam illam, a qua erepta fuit, contraxisset: et singulare fuit privilegium merito concessum illi benedictae mulieri quam matrem Dei ipse destinaverat.

(1) Sess. 6. can. 23. (2) Ezech. 18. 20.

5. Caeterum, omnes nos nascimur peccato Adam infecti, in cuius poenam habemus mentem obscuratam ad veritates aeternas cognoscendas et voluntatem in malum inclinatam. Sed, propter Iesu Christi merita, cum sancto baptismo divinam gratiam et miseriarum nostrarum remedium adipiscimur; et hoc modo evadimus filii adoptivi Dei et haeredes paradisi, dummodo sciamus usque ad mortem praestare nos eos qui fuimus postquam Dei gratiam in baptismo acquisivimus: si autem illam lethali aliquo peccato amiserimus, in aeternum addicemur ignem, et tantummodo prae poenitentiae sacramento nobis peccata illa quae post baptismum commisimus possunt remitti.

6. Quod attinet tamen ad actualia quae committimus peccata, lethale peccatum est a levi distinguendum. Et quoad lethale, opus est intelligere quod sicut anima largitur vitam corpori, ita gratia Dei vitam animae largitur; quapropter quemadmodum corpus sine anima moritur, et ei debetur sepulcrum, ita anima ob peccatum moritur gratiae Dei, eique sepulcrum inferni debetur. Ideo ergo peccatum grave appellatur mortale quia morti animam dat: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur etc.*[2]. Dixi: *ei debetur sepulcrum inferni.* At hic infernus quid est? Locus est subterraneus in quem omnes qui in peccato moriuntur ibunt, scelerum suorum aeternas poenas expensuri: *Ibunt hi in supplicium aeternum*[3]. Quam vero poenam in inferno tolerabunt? Omnes poenas: ibi damnatus vexabitur in pelago ignis a tormentis omnibus cruciatus, desperatus et ab omnibus in tempus sempiternum derelictus.

7. Sed qua ratione anima propter unum lethale peccatum poenas dabit aeternas? Qui ita loquitur non intelligit quid sit peccatum mortale. Lethale peccatum, uti definitur a d. Thoma et a d. Augustino, est *aversio ab incommutabili bono*[4]. Unde dicit pec-

(3) Math. 25. 46. (4) S. Thom. p. 1. q. 24. a. 4.

catori Deus: *Tu reliquisti me ... retrorsum abiisti*[1]. Lethale peccatum est contemtus quem peccatores inferunt Deo: *Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me*[2]. Est dedecus quod divinae infertur maiestati: *Per praevaricationem legis Deum inhonoras*[3]. Est dicere Deo: tibi obedire nolo: *Confregisti iugum meum ... dixisti: non serviam*[4]. In hoc lethale peccatum consistit: qua de causa parum est unus infernus, et non sufficiunt neque centum neque mille inferni ad unum lethale peccatum puniendum. Si quis immerito cuidam rustico infert iniuriam, poenam quidem meretur; tanto magis si infert viro nobili, principi, regi. Sed quid sunt ante Deum omnes reges terrae et vel omnes sancti qui sunt in coelo? *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo*[5] Ergo quam poenam meretur iniuria facta Deo? Et Deo qui pro nobis mortuus est?

8. Sciendum tantum est quod ad constituendum peccatum mortale tria concurrere debent, scilicet plena advertentia, perfectus consensus et materia gravis; quorum uno deficiente, peccatum non erit mortale, sed aut erit veniale aut non erit penitus peccatum.

9. Peccatum veniale animam morti non dat, sed vulnus ei impingit. Non gravi iniuria, sed iniuria aliqua afficit Deum. Non est illud grave malum, ut est lethale peccatum, sed omnibus aliis malis quae creaturis accidere possunt maius est malum. Gravius malum est simplex mendacium, levis quaedam imprecatio quam si in aeternum supplicium mitterentur omnes sancti et omnes angeli. Horum tamen venialium peccatorum alia sunt deliberata, indeliberata alia. *Indeliberata*, nempe quae committuntur absque plena advertentia aut absque perfecto consensu, minus culpabilia sunt, et in haec omnes homines incidunt, Maria ss. tantummodo excepta. Culpabiliora sunt venialia *deliberata*, quae scilicet plena voluntate et considerate committuntur, et magis si nimis desiderantur, ut evenire solet in quibusdam odiis, ambitionibus et in quibusdam radicatis affectibus. S. Basilius dicebat: *Quis peccatum ullum leve audeat appellare*[6]*?* Sat est intelligere quod est offensio Dei, ut illud plusquam quodcumque aliud malum vitetur. S. Catharina a Genua, ut venialis peccati turpitudinem vidit, mirabatur quomodo non esset prae horrore mortua. Sciat qui venialia parvi pendet quod, si non resipiscit, parum abest quin incidat in mortale. Quo plura venialia anima committit, eo imbecillior evadit, et eo magis daemon augetur iuribus in illam, et eo magis Deus suum ab ipsa resecat auxilium. *Qui spernit modica, paulatim decidet*[7].

10. Vitemus itaque peccata, quae dumtaxat tum in hac vita, quum in alia possunt nos reddere infelices, et bonitati Dei gratias assidue referamus, quia propter scelera nostra non adhuc nos ad ignem aeternum damnavit; et ex nunc curemus aeternam animae nostrae salutem, atque intelligamus semper parum esse quidquid pro animae nostrae salute facimus.

11. Narrat d. Augustinus[8] quod quum imperator Gratianus Treveris moraretur, duo eius amici quadam die iverunt in coenobium aliquorum religiosorum extra civitatem situm. In illam sanctam solitudinem ingressi, vitam d. Antonii abbatis legere incoeperunt. Unus ipsorum divino lumine afflatus alteri dixit: *Amice, post tot sollicitudines atque labores quos in hoc orbe terrarum toleramus, ad quid unquam possumus pervenire? Quamdiu in aula regia manebimus, maximum quod sperare poterimus est gratiam imperatoris aucupari. Haec illa maxima est fortuna quam consequi possumus. Et esto quod eam assequamur; fortuna istaec quamdiu durabit? Sed si amicitiam Dei volo, nunc illam habere possum.* Socius respondit quod ipse etiam eius persequi vesti-

(1) Ierem. 15. 6. (2) Isa. 1. 2.
(3) Rom. 2. 23. (4) Ierem. 2. 20.
(5) Isa. 40. 17. (6) In reg. brev. instr. 4.
(7) Ecc. 19. 1. (8) Confes. l. 8. c. 6.

gia volebat, uti fecerunt; et prae eorum exemplo duae puellae quae cum ipsis sponsalia contraxerant, ipsorum mutatione audita, dereliquerunt mundum, virginitatemque suam Deo consecrarunt.

12. Sed, ut in tuto nostram aeternam salutem collocemus, non sufficit incipere, sed oportet perseverare; et ut perseveremus, opus est ut praestemus nos humiles, de viribus nostris semper diffidendo, et confidendo in Deo, utque ab ipso continue suum auxilium ad perseverandum postulemus. Vae illi qui in seipso fidit aut suis bonis operibus superbit! Palladius refert[1] quod quidam solitarius, vitam in solitudine ducens, diu noctuque orationem faciebat, vitamque agebat asperrimam, ideoque pluribus erat honori. Infelix de se bene existimare incoepit, et prae suis virtutibus credebat se certe perseveraturum aeternamque beatitudinem consequuturum. Sed quum ei postea daemon sub mulieris imagine apparuerit, cumque eum ad peccandum tentasset, nesciit miser resistere et incidit in peccatum. Statim ac cecidit, daemon evanuit in cachinnos erumpens. Post hoc solitudinem ille dereliquit, rediit ad saeculum omnibusque vitiis sese subiecit, et hoc modo, quam sit periculosum propriis viribus confidere, demonstravit. Formidabilior fuit casus celebris fratris Iustini, qui, reiectis magni honoris officiis quae ei obtulerat Hungariae rex, in d. Francisci familiam sese recepit atque adeo in spiritu et sanctitate profecit ut a sensibus alienatus in mentis excessum saepe raperetur. Quadam die accumbens ad mensam in coenobio *Aracoeli* in aerem fuit raptus et, aspicientibus omnibus, extulit se ad venerandam beatae Virginis imaginem quae erat supra parietem. Qua de causa Eugenius IV. accersivit et osculatus fuit eum; cumque eum sedere fecisset, diuturnum cum eo habuit sermonem. Huiusmodi gratia superbiit infelix; unde s. Ioannes a Capistrano ut eum vidit dixit ei: *Frater Iustine, ivisti angelus et rediisti daemon*. Ex tunc enimvero adaugens vitia et superbiam, cultro alium religiosum morti dedit. Postea transfugit in hoc Neapolis regnum et hic plura alia scelera patravit atque apostata in carceribus diem clausit extremum.

PARS PRIMA

DE PRAECEPTIS DECALOGI

CAP. I. *De primo praecepto.*

Non habebis Deos alienos coram me.

1. Hoc primum praeceptum iubet dari Deo debitum cultum et honorem. Qui Deus iste sit, impossibile est intelligere. Sufficiat tamen nobis scire quod est *independens*. Omnia dependent a Deo; Deus vero a nemine dependet, ideoque omnes possidet perfectiones, quas nemo poterit ei limitare. *Deus omnipotens est;* quicquid enim vult facere potest. Uno suae voluntatis nutu mundum creavit. Prius coelos et angelos creavit, qui sunt puri spiritus, et eos in gratia. Sed lucifer, iussus ut Dei Filium, qui homo debebat fieri, adoraret, noluit prae superbia obedire. Et a Deo deficiens etiam angelorum partem secum traxit; qui rebelles angeli illico ab arcangelo Michaele fuerunt expulsi a coelo et ad infernum damnati. Hi sunt daemones qui ad peccandum nos tentant, ut suarum poenarum socios nos habeant atque consortes. Nos infelices, si Deus nobis non auxiliaretur! tantum roboris non haberemus ut tentationibus eorum possemus resistere. Deus vero, ut hoc nobis praestet auxilium, cum tentamur, vult ut ad ipsum statim confugiamus auxiliumque suum petamus; si secus egerimus, ab inimicis superabimur. Angelos autem Deo fideles statim ipse Deus admisit ad paradisi gloriam fruendam; et ex his angelis destinavit Dominus illos qui nos debebant custodire: *Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Quotidie itaque angelo nostro custodi ma-

(1) Histor. c. 44.

ximas gratias referamus, eumque rogemus ut nobis semper assistat et numquam nos deserat.

2. Deinde Dominus terram omniaque quae videmus creavit: demum vero creavit hominem, Adam scilicet atque Hevam. Deus itaque rerum omnium est Dominus; ipse enim res omnes creavit, et quemadmodum uno suae voluntatis nutu omnia creavit, ita potest, si vellet, uno alio nutu omnia destruere. Deus praeterea est *sapientissimus;* creata enim omnia absque labore et incommodo gubernat. Praeterita et futura videt et perspicit, et omnes nostras cogitationes ipse cognoscit. Est *aeternus;* semper enim fuit semperque erit, absque eo quod aliquod habuisset principium aut finem aliquem esset habiturus. Est *immensus,* in coelo enim et in terra et ubique adest. Est *sanctus* in omnibus operibus suis et cuiuscumque malignitatis incapax. Est *iustus;* nullum enim actum malum sine ultione, et nullum bonum absque praemio relinquit: nimis misericors erga peccatores, poenitentia ductos, et nimis benevolus erga animas quae ipsum amant. Deus itaque est bonitas infinita, ita ut nec melior nec perfectior esse potuerit.

3. Hunc Deum creatorem et servatorem nostrum amare debemus atque honorare, praesertim actibus virtutum theologicarum, fidei, spei et caritatis. *Deus*, aiebat divus Augustinus, *fide, spe et caritate colendus.*

§. 1. *De fide.*

4. Fides est virtus sive donum animabus nostris a Deo cum baptismo infusum quo veritates a Deo ipso ecclesiae revelatas et nobis ab ecclesia propositas credimus. Nomine *ecclesiae* venit unio hominum omnium sacris lustralibus aquis ablutorum (nam non abluti extra ecclesiam sunt), veram fidem sub visibili capite, romano scilicet pontifice, profitentium. Dicimus *veram fidem:* haeretici namque, licet sacris lustralibus aquis sint abluti, membra sunt ab ecclesia separata. Dicimus praeterea: *sub visibili capite*, ut instruamur non comprehendi schismaticos, pontifici minime obedientes, qui ob eam causam facile e schismaticis fiunt haeretici. Opportune scripsit s. Cyprianus: *Non aliunde haereses obortae sunt aut nata schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur* [1].

5. Revelatas omnes veritates scimus a sacris scripturis et a traditionibus paullatim a Deo servis suis communicatis. Quo tamen pacto certe sciremus quae verae sint traditiones, quae verae scripturae, et qui verus eorum sensus, nisi id nos doceret ecclesia? Ecclesiam hanc constituit Iesus Christus veritatis columnam et firmamentum: *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis* [2]. Huic ecclesiae idem Iesus Christus promisit quod numquam ab inimicis suis superabitur: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* [3]. *Portae inferi* haereses sunt haeresumque auctores, qui tot animabus, quas a recta via abduxerunt, iter aperuerunt. Haec illa est ecclesia quae docet nos veritates quas credere debemus. *Ego*, scripsit s. Augustinus, *evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas* [4].

6. Causa itaque quae me impellit ut veritates fidei credere debeam est quia Deus veritas infallibilis eas ecclesiae revelavit, et ecclesia nobis credendas proponit. En itaque ut actus fidei faciendus est: *Deus meus, quia tu, qui es veritas infallibilis, ecclesiae veritates fidei revelasti, omne quod mihi ecclesia credendum proponit credo.*

7. Haec est causa quae me, ut revelatas veritates credam, impellit. Quae vero credenda sunt videamus. Inter fidei articulos quatuor sunt principales. Primus est quod adsit Deus. Secundus, quod remunerator sit et suae legi obtemperantem aeterna paradisi gloria

(1) L. 1 e. 3. (2) 1 Tim. 3. 15.
(3) Matth. 16. 18. (4) Epist. fund. c. 5.

remuneretur, violantem autem illam poenis puniat aeternis. Tertius quod in Deo sint tres personae, Pater, Filius et Spiritus sanctus, et hae tres personae, quanquam sint inter se distinctae, non sunt nisi unus Deus. Sunt enim eadem essentia, eademque divinitas. Unde quemadmodum Pater est aeternus, omnipotens, immensus, ita pariter est aeternus, omnipotens, immensus et Filius et Spiritus sanctus. Filius a Patre mente est genitus. Spiritus sanctus procedit a voluntate Patris et Filii prae amore quo vicissim ad invicem amantur. Quartus principalis articulus est incarnatio Verbi aeterni, secundae scilicet personae, quae, operante Spiritu sancto, in Mariae virginis utero carnem assumpsit; Verbum enim ita humanitatem assumpsit ut duae naturae, divina et humana, coniunctae fuerint in persona Iesu Christi, qui fuit pro nobis passus et mortuus. Cur vero necesse erat ut Iesus Christus pro nostra salute passus fuisset? Audite. Peccaverat homo; ut veniam ergo impetraret, opus erat ut Deo de patratis peccatis condigne satisfaceret. Sed quo pacto poterat homo infinitae maiestati Dei condigne satisfacere? Quid fecit ergo Deus? Pater misit Filium ut humanam carnem sumeret, et Filius, qui fuit Iesus Christus, quum esset verus Deus, et verus homo, iustitiae divinae pro homine satisfecit. En igitur obligatio et amor quem Iesu Christo debemus. Narrat Carthusianus quod quidam iuvenis cum sacro interesset, non curvavit genua ad illa verba: *Et homo factus est;* tunc apparuit ei daemon baculum in manu habens, dixitque ei: *Ingrate, Deo, qui pro te homo factus est, gratias non agis? Si ipse quod pro te fecit fecisset pro nobis, nos semper cernui ei gratias referremus; et tu ne ipsum quidem agnoscis?* Indeque baculo praedicto immaniter caecidit illum, quem pene mortuum reliquit.

8. Praeterea, scire opus est quod alios articulos necessitate medii credere debemus, alios autem necessitate praecepti. Necessitas *medii* facit ut si nos aliquos fidei articulos non credamus, salvi esse non poterimus. Necessitas autem *praecepti* facit ut quosdam alios articulos credere debeamus; sed si forte isti a nobis ignorantia invincibili ignorarentur, a peccato excusabimur et salvi esse poterimus. Primos duos superius relatos articulos, nempe quod adest Deus et est iustus remunerator, scire et credere debemus *necessitate medii*, uti scripsit apostolus: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit* [1]. Duos alios articulos, trinitatis personarum et incarnationis Verbi; tenent quidam auctores quod debemus credere *necessitate praecepti* non vero *medii necessitate*, ita ut si quis eos inculpabili ignorantia nesciret, poterit esse salvus. Communior tamen sententia et verior docet quod explicite credi debent necessitate medii. De reliquo certum est, quemadmodum declaravit Innocentius XI. in propositione damnata 64., quod non potest absolvi ille qui haec duo mysteria, scilicet ss. Trinitatis et incarnationis Iesu Christi, ignorat.

9. Tenemur vero tantummodo *necessitate praecepti*, sed sub culpa gravi, scire et credere symboli apostolorum articulos, saltem principaliores: nempe quod Deus creavit coelum et terram, et omnia servat atque gubernat: quod Maria sanctissima est vera Dei mater atque semper fuit virgo: quod Iesus Christus tertia die post suam mortem propria virtute surrexit, ascendit ad coelum ibique sedet ad dexteram sui aeterni Patris. Intelligitur quod Iesus Christus etiam uti homo sedet ad dexteram Patris, possidet nempe gloriam gloriae Patris aequalem, uti explicat Bellarm. in suo catechismo [2]. Dictum est: *etiam uti homo*. Iesus Christus enim uti Deus Patri est omnino aequalis, tamen uti homo est minor Patre; sed quia Salvator noster Deus et homo est et est una persona, ideo in coelis Iesu Christi humanitas gloriam et maiesta-

(1) Hebr. 2. 6. (2) Cap. 3. a. 6.

tem Patri habet aequalem, non ob propriam dignitatem sed quia personae Filii Dei est coniuncta. Quando rex super solium assidet, assidet etiam purpura regia qua indutus est rex. Ita Iesu Christi humanitas ex se aequalis Deo non est, sed quia est divinae personae coniuncta, ideo in idem Dei solium assidet et cum gloria Dei aequali.

10. Tenemur praeterea scire et credere quod in ultimo die mundi omnes homines resurgent atque erunt a Iesu Christo iudicandi. Amplius, credere debemus quod unica vera ecclesia est haec nostra catholica: unde illi qui aut extra eam sunt aut sunt ab ea separati, salvi esse non poterunt, sed omnes aeternis addicentur suppliciis, exceptis pueris qui sacris lustralibus aquis abluti moriuntur. Debemus credere communionem sanctorum, scilicet quod quisque fidelis, dummodo sit in gratia, meritorum sanctorum omnium, tam vivorum quam mortuorum, est particeps. Remissionem amplius peccatorum, nempe quod in poenitentiae sacramento peccata nobis remittuntur, dummodo veram eorum agamus poenitentiam. Vitam denique aeternam, scilicet quod qui salvatur, in gratia Dei moriendo, in beatorum sedibus collocabitur aeternumque Deo fruetur. E contrario qui in peccato moritur mittetur in infernum poenasque dabit aeternas.

11. Omnes praeterea christifideles scire debent decalogi atque ecclesiae praecepta propriique status obligationes principales, uti ecclesiastici, uxorati, doctoris, medici etc.

12. Unusquisque scire et credere debet septem sacramenta eorumque effectus, praesertim baptismi, confirmationis, poenitentiae et eucharistiae, et aliorum cum ea recipiet. Scire amplius debet orationem dominicalem. Quid est dominicalis oratio? Oratio est quam ipse Iesus Christus composuit nobisque reliquit ut gratias ad salutem nostram magis necessarias petere sciamus. S. Hugo episcopus Gratianopolis, quum infirma esset valetudine, quadam nocte trecenties orationem repetiit dominicalem: eius cubicularius illum monuit ut dictam orationem toties non repeteret, ex hoc enim caperet detrimentum. Respondit sanctus quod quo pluries illam repetebat, eo magis e morbo convalescebat. Iuvat praesertim pluries repetere illa verba : *Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra*. Hoc enim maximum est beneficium quod conferre in nos Dominus potest, ut hic in terra suam sanctam voluntatem faciamus; nec non illa alia verba: *Et ne nos inducas in tentationem* ut Dominus nos servet ab illis tentationibus in quas praevidet quod facile incidere poterimus. Omnes pariter scire debent *angelicam salutationem*, ut sese sciant Matri Dei commendare, qua mediante, uti divus Bernardus ait, quascumque a Deo gratias recipimus. Scire quoque debent quod vere existit locus expiandis post mortem peccatis destinatus, in quo illae temporales poenae persolvuntur quas homines pro commissis criminibus non omnino in hac terra dederunt; ideoque opus est ut recordemur orare et suffragium aliquod pro sanctis illis animabus purgantibus offerre, et recordemur nos teneri aliquo modo illas a poenis quas patiuntur reficere. Earum namque poenae sunt acerbissimae (quarum poena minima dolores omnes praesentis vitae superat et excedit), et se ipsae iuvare non possunt. Si in hac terra proximus noster gravem pateretur poenam quam nos sine gravi nostro incommodo mitigare possemus, nonne teneremur? Ita pariter tenemur, saltem orationibus, animabus illis sanctis ferre auxilium.

13. Amplius, scire debemus multum nobis prodesse, si sanctorum intercessionem, praesertim Mariae ss., nobis comparemus. Id est de fide, ut declaravit Tridentinum [1], adversus impium Calvinum, prohibentem quominus ad sanctos confugiamus. Imo, iuxta doctrinam d. Thomae, nos mortales pro-

(1) Sess. 25. in decr. de invoc. sanct.

cul dubio ad sanctos recurrere tenemur ut pro eorum intercessione divinas gratias obtineamus, quae, ut salvemur, nobis sunt omnino necessariae. Non quia Deus absque sanctorum intercessione salutem nobis donare non possit, sed quia ita requirit ordo a Deo stabilitus, ut nos usque dum in hac terra vivimus prae sanctorum precibus convertamur ad Deum. *Hoc divinae legis ordo requirit*, *ut nos*, *qui manentes in corpore peregrinamur a Domino*, *in eum per sanctos medios reducamur* [1]. Quod confirmant et alii doctores. Cont. Tourn. [2] cum Sylvio. Ita quoque sanctorum reliquias, cruces atque sacras omnes imagines venerari debemus.

14. Antequam sermone progrediar, respondere opus est ad id quod aliqui mihi poterunt obiicere, dicentes: Asseritur quod nostrae fidei veritas clara et evidens est; sed quomodo est clara atque evidens, si tot fidei mysteria (quemadmodum sunt illa ss. Trinitatis, incarnationis Verbi, eucharistiae etc.) sunt nobis obscura, nec ea possumus comprehendere? Respondeo: mysteria fidei sunt obscura, sed non fidei veritas. Veritas fidei, scilicet quod fides nostra vera sit, prae evidentibus quae habemus argumentis nimis clara est. Fidei mysteria obscura nobis sunt, et Deus ipse vult ut sint obscura: hoc enim modo vult a nobis honorari, scilicet ut quicquid ipse dixit credamus quin comprehendamus, et etiam quia hoc modo meritum acquirimus credendo quod non videmus. Quid meriti haberet ille qui quod videt, ut comprehendit, crederet? *Fides amittit meritum*, inquit s. Gregorius, *cum humana ratio praebet experimentum*. Sed si nos ne has quidem materiales res comprehendimus. Quis enim comprehendit quomodo magnes ferrum ad se trahat? quomodo frumenti granum terrae commissum producat mille grana? Quis lunae aut fulminum effectus comprehendet? Quid mirum si divina mysteria non comprehendimus?

(1) In 4. sent. dist. 45. art. 2.

15. Res itaque fidei sunt nobis occultae, sed fidei veritas probationes habet adeo evidentes ut illam non amplectens stultus erit dicendus. Hae probationes plures sunt et praesertim sunt prophetiae in sacris litteris ante tot saecula notatae et postea exacte comprobatae. Praenunciata fuit iam pridem mors Redemtoris nostri a pluribus prophetis, a Davide, Daniele, Aggaeo et Malachia, qui et tempus et circumstantias eius praedixerunt. Praenunciatum quoque fuit quod iudaei, in poenam mortis cui Iesum Christum dedere, amittere debebant et templum et patriam, et in proprio peccato remansuri erant excaecati, et per totam terram erant dissipandi; quod, ut scimus, confirmatum est. Praedictum quoque fuit quod post Messiae mortem mundus a falsorum deorum cultu ad veri numinis cultum transiret; quod et factum fuit per sanctos apostolos, qui sine litteris, sine nobilitate, sine pecunia et sine patrociniis, imo terrae principibus contradicentibus, mundum ad veri numinis cultum revocarunt, inducendo homines ad derelinquendos suos deos suaque vitia inveterata, et ad amplectendam fidem docentem quod credi debent tot mysteria quae comprehendi nequeunt totque leges observatu difficiles, quippe quia nostris pravis desideriis sunt penitus contrariae, uti est amare inimicos, se a voluptatibus abstinere, contemptus tolerare, totum nostrum amorem collocare non in his bonis quae videmus, sed in illis vitae futurae quae minime videmus.

16. Sunt amplius nostrae fidei evidentes probationes tot miracula facta a Iesu Christo, ab apostolis aliisque sanctis coram ipsius fidei inimicis, qui, quum ea noscere non possent, dicebant quod illa prodigia diaboli arte eveniebat. Sed vera miracula quae vires naturae superant, ut est mortuum ad vitam revocare, oculorum visum caeco restituere, et similia, a daemonibus, huiusmodi potestatem haud ha-

(2) Tom. 1. de relig. c. 2. de orat. n. 4. §. 1.

bentibus, nequeunt fieri. E contrario Deus non potest aliquod permittere miraculum, nisi in verae fidei confirmationem; nam si Deus miraculum aliquod permitteret in confirmationem fidei falsae, ipsemet nos deciperet: ideoque vera miracula, quae inter nos videmus (pro omnibus d. Ianuarii miraculum sufficiat) nostrae fidei certae sunt probationes.

17. Amplius, magna probatio nostrae fidei est martyrum constantia. Primis ecclesiae saeculis tempore tyrannorum fuerunt tot decies centena millia hominum, et inter hos tot puellulae totque pueri, qui, ne a Iesu Christo deficerent, hilariter supplicia et mortem pertulerunt. Severus Sulpitius scripsit[1], quod Diocletiani tempore martyres suis se iudicibus sistebant maiore martyrii aviditate illa qua homines mundi dignitates atque divitias huius terrae desiderant. Nimis celebre in historiis est martyrium s. Mauritii totiusque suae thebanae legionis. Iusserat imperator Maximinus ut milites omnes assisterent ad quoddam impium sacrificium quod ipse quadam die suis inanibus diis offerebat. S. Mauritius eiusque milites, quia christiani erant, assistere recusarunt. Quod ut scivit Maximinus, imperavit ut in talis contumaciae poenam decimus quisque eorum sorte ductus necaretur. Unusquisque necari desiderabat; unde qui non fuerunt interfecti invidebant illis qui pro Iesu Christo necati fuerunt. Hoc intelligens imperator iussit ut denuo decimus quisque eorum sorte ductus necaretur; sed ex hoc quam maxime mori desideraverunt. Tyrannus denique iussit ut omnibus caput amputaretur; et tunc omnes laeta fronte arma deposuerunt et ad instar tot placidorum agnorum, laetanter et quin se defenderent, caput sibi amputare fecerunt.

18. Refert etiam Prudentius[2] quod quidam puer septennis, nomen cuius ignoratur, quum christianus esset, tentatus fuit a praefecto Asclepiade ut a fide deficeret; sed cum ille id facere recusaret, asseverans quod talem fidem a propria matre didicit, tyrannus matrem accersivit et coram illa adeo puerum flagellare fecit ut totum eius corpus unum vulnus evaserit. Prae commiseratione praesentes omnes plorabant; mater vero, filii fortitudinem aspiciens, exultabat. Filius, antequam moreretur, quum sitiret. parum aquae petiit a matre. *Fili*, mater respondit, *sustine aliquantisper, brevi in coelo, omni dulcedine satiaberis.* Praefectus denique, ira excandescens pro tam magna filii et matris constantia, iussit ut illico caput puero amputaretur, quem iam mortuum mater in suo sinu recepit et magno gaudio gaudens extrema oscula ei dedit, quia eum pro Iesu Christo cerneret mortuum

19. Ex hoc quod diximus deducere debemus quod maximas tenemur gratias referre Deo quia nos vera fide donavit. Quot infideles, quot haeretici quotque schismatici nunc adsunt! Eorum plenus est orbis terrarum. omnesque damnantur. Catholici decimam humani generis partem non componunt; et inter eos nos Dominus posuit, quia in gremio s ecclesiae nos nasci fecit. De hoc tam magno beneficio pauci Deo gratias agunt. Nos saltem quotidie grates ei referre curemus.

§. 2. *De spe.*

20 Spes est virtus etiam a Deo in nobis infusa, per quam certa cum fiducia aeternam beatitudinem a divina misericordia expectamus per Iesu Christi merita et vel prae bonis operibus quae, auxiliante Deo, faciemus. Itaque obiectum primarium spei christianae est vita aeterna. scilicet Deus ipse fruendus: secundarium vero sunt media ad eam assequendam, scilicet divina gratia et opera nostra bona quae gratiae auxilio exsequemur. Motivum sive formale obiectum spei est omnipotentia Dei, qua potest nos salvos facere, eiusque misericordia, qua vult nos salvare, et fidelitas Dei in promissione nobis facta per Iesu Christi me-

(1) [illegible] 2. c. 4?. (2) Lib. Peristeph.

rita nos salvandi, dummodo nos per Iesu Christi merita nostram aeternam salutem petierimus ab eo: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* [1]. Absque hac promissione nullam securitatem haberemus qua salutem a Deo auxiliumque ad illam consequendam sperare possemus.

21. Sed si Deus nostra spes est, qua ratione s. ecclesia vult ut nostram spem beatam Mariam virginem vocitemus, *Spes nostra, salve?* Distinctione opus est. Deus principaliter est nostra spes utpote gratiae et cuiuscumque boni auctor; Maria vero est nostra spes, quippe quae est nostra mediatrix apud Iesum. Unde ei dicit divus Bonaventura: *Per te accessum habemus ad Filium, o inventrix gratiae, mater salutis: ut per te nos suscipiat qui per te datus est nobis* [2]. Quibus verbis significare vult quod sicut nos accessum non habemus ad Patrem, nisi per filium Iesum Christum, qui est iustitiae mediator; ita accessum ad filium non habemus, nisi per matrem, quae gratiae est mediatrix et sua deprecatione impetrat nobis gratias quas Iesus Christus nobis comparavit. Ideoque d. Bonaventura de Maria dicebat: *Haec est tota ratio spei meae* [3]. Ideoque etiam vult ecclesia ut Maria nuncupetur a nobis: *Vita, dulcedo et spes nostra, salve.*

22. Quomodo peccatur in spem? Peccatur, primo, de divina misericordia desperando. Ita peccavit Cain postquam morti dedit suum fratrem Abel, dicens: *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear* [4]; tamquam si Deus culpam ei condonare non potuisset, quamvis eum peccati sui poeniteret; cum Dominus dixit: *Convertimini ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus* [5]. Peccatur, secundo, quando praesumimus aut consequi sine divino auxilio salutem aut, quin peccatum vitemus, misericordiam obtinere. Quare, si sanctam perseverantiam obtinere velimus, opus est ut semper diffidamus de nobis et in Deo confidamus. Qui propriis viribus fretus resistere sperat tentationibus nullum a Deo recipiet auxilium, et incidet in peccatum. Qui vero vult tentationem superare, opus est ut statim fidenter recurrat ad Deum: *Non derelinquet omnes qui sperant in eo*, aiebat David [6]. Et ipse Deus dicit: *Quoniam in me speravit, liberabo eum* [7].

23. Quomodo ergo fit actus spei? Eccum ipsum: *Deus meus, tuis fidendo promissionibus, propter merita Iesu Christi spero a te, quia es potens, misericors et fidelis, gloriam paradisi et media ad eam assequendam.*

24. Necessaria est spes ut salvi esse possimus: sed sola spes non sufficit; opus est ut cum nostris bonis operibus etiam cooperemur ut aeternam salutem acquiramus. Sancti, ut salutem aeternam acquirerent, quicquid est in mundo dereliquerunt. Narrat s. Ioannes Damascenus in vita Iosaphat monachi [8], quod hic iuvenis Iosaphat filius erat regis regnique successor; sed, coelesti monitu illustratus, ut salutem suam confirmaret, delicias omnes terrenasque divitias spernens, aufugit a regio palatio et occulte in desertum se contulit, ubi in assiduis orationibus et poenitentiis reliquum suae vitae egit. In eius morte angeli apparuerunt, suam ipsius animam in paradisum portantes. Audite quid quaedam mulier, ut paradisum lucrifaceret, operata fuit. Refert Socrates [9], quod quum Valens imperator arianus iussisset urbis praefecto ut morti traderet catholicos omnes qui in quodam loco, ut ibi orarent, congregabantur, et cum iret praefectus ut crudeli imperio obsequeretur, obviam habuit quamdam iuvenem mulierem secum ducentem filiolum et iter accelerantem; a qua quum quaererent quo iret, respondit: *Eo quo et alii catholici eunt. Sed nescis*, dixit ei

(1) Io. 16. 23.
(2) Serm. in dom. infr. oct. Assumpt.
(3) Serm. de aquaed.
(4) Gen. 4. 13.
(5) Zach. 1. 3.
(6) Ps. 33. 23.
(7) Ps. 90. 14.
(8) Cap 30.
(9) Hist. eccl. l. 4. c. 18.

praefectus, *quod omnes isti morti dabuntur? - Et hanc ob causam*, replicavit mulier, *cum hoc meo filiolo gradum accelero, ut nobis sorte detur mori pro Iesu Christo et postea ad fruendum eum penetrare.* Quod ut praefectus audivit, rediit ad imperatorem eique factum retulit; cui quum pudor esset illius mulieris animus praesens, iussit ut illa impune relinqueretur.

§. 3. *De charitate.*

25. Caritas est virtus a Deo in nobis infusa propter quam Deum super omnia amamus quia est bonitas infinita, et proximum uti nosmetipsos, quia sic Deus iubet. Motivum itaque amandi Deum est ipsius bonitas infinita, propter quam ex seipso amari meretur, quamvis nec praemium amantibus ipsum, nec ultio esset non amantibus. Dum s. Ludovicus Galliae rex iter faciebat, quaedam apparuit mulier in una manu facem incensam habens et in alia aquae situlam; interrogata quid hoc significaret: *Vellem*, respondit, *hac cum face paradisum urere, et cum hac aqua inferni ignem extinguere ut Deus amaretur non prae paradisi praemio neque prae poenis inferni, sed solum quia amari meretur.*

26. Videamus nunc quomodo actus fidei, spei et caritatis exercere debemus. Hi actus semper sunt eliciendi; virtutes enim actibus conservantur. Amoris vero actum debemus saepius exercere: Deus enim dicit in Scripturis[1] quod debemus semper meditari praeceptum amandi Deum: et cum sumus domi et cum iter facimus, et quando somnum capimus et cum vigilamus, et in manibus et prae oculis illud tenere debemus et in liminaribus et soliis nostrae domus scribere illud. Totum hoc significat quod assidue actibus amoris erga Deum est vacandum. Difficulter enim observare poterit legem divinam qui crebro se non exercet in amore Dei. S. Theresia dicebat quod actus amoris sunt ligna quae sanctum ignem divini amoris in corde nostro servant accensum. Volunt quidam doctores quod nos tenemur actum amoris singulis diebus festivis elicere aut singulis hebdomadis, ut volunt alii: saltem ego in singulos menses esse faciendum dico. Ceterum convenit ut quisque christifidelis hos actus fidei spei et caritatis quotidie exerceat.

27. Ita pariter singulis mensibus actum amoris formalem facere debemus erga proximum; quia nisi actum hunc saepe exercuerimus, difficulter caritatem quam erga proximum adhibere debemus, servabimus. Quod ad hunc amorem erga proximum attinet, scire opus est propositionem decimam damnatam ab Innocentio XI. dicentem: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.* Isthaec propositio damnata fuit quia non solum externo sed etiam interno, corde et actu formali amare proximum debemus. Peccat igitur qui aut de malo proximi delectatur aut de eius bono cruciatur. Hoc denotat praeceptum illud: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*[2].

28. Si quis tamen gauderet vel desideraret aliquod malum cuidam obstinato peccatori ut resipisceret aut ut desisteret aliis esse malo exemplo aut innocentes opprimere, utique non peccaret, uti opportune docet s. Gregorius: *Evenire plerumque solet ut, non amissa caritate, et inimici nos ruina laetificet et rursum eius gloria contristet; cum et ruente eo quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque iniuste opprimi formidemus*[3]. Peccat e contrario qui ob aliquod suum temporale bonum, de morte aut quovis alio malo proximi delectatur. Advertendum tamen quod aliud est gaudere de causa utilitatem afferente, hoc minime licet; nam damnata fuit ab Innocentio XI. propositio decimaquinta asserens: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consequutas;* aliud est gaudere de effectu causae illius, scilicet de

(1) Deut. 6. 5. (2) Matth. 22. 39.

(3) Mor. l. 2. c. 11.

haereditate prae parentis morte consequuta, et hoc licitum est.

29. Tenemur itaque interno amore proximum amare; ideoque singulis saltem mensibus, ut superius innuimus, facere debemus erga proximum certum actum amoris. De externis vero caritatis actibus erga proximum propediem verba faciemus.

30. Videamus nunc quomodo unitim faciendi sunt actus omnes de quibus fuimus locuti. *Actus fidei:* « Deus meus, quia tu, qui es veritas infallibilis, fidei veritates ecclesiae revelasti, ego credo quicquid ecclesia credendum proponit: et praecipue credo quod tu es meus Deus, creator et dominus omnium, quod in aeternum iustos in paradiso remuneras, et peccatores punis in inferno. Credo quod es unus in essentia et trinus in personis, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, tres personae et unus Deus. Credo quod secunda persona, nempe Filius, ut nos peccatores salvaret, factus fuit homo, crucifixus fuit et resurrexit. »

Haec sunt quatuor principalia mysteria quae necessitate medii sunt credenda. Actum quoque fidei circa veritates illas quae necessitate praecepti sunt credendae faciamus: « Etiam credo quod Maria sanctissima est vera Dei mater fuitque semper virgo. Credo quod Iesus Christus tertia die post suam mortem propria virtute resurrexit et post quadraginta dies ascendit ad coelos, ubi sedet ad dexteram sui aeterni Patris, scilicet in maiestate et gloria Patri aequali. Credo quod Iesus Christus in ultima mundi die, cum omnes homines resurgent, venturus est iudicare. Credo quod unica vera ecclesia est catholica romana, extra quam nemo salvus esse potest. Credo communionem sanctorum, scilicet quod quisque fidelis, dummodo in gratia Dei sit, meritorum omnium iustorum est particeps. Credo quod Deus remittat peccata peccatoribus statim ac eos illorum poenitet. Credo septem sacramenta et quod per ipsa Iesu Christi gratia nobis communicatur. Credo decem decalogi praecepta. Credo demum totum id quod sancta ecclesia credit. Gratias tibi ago, Deus meus, quod fecisti me christianum, et protestor quod in hac sancta fide vivere volo atque mori. »

Actus spei: « Deus meus, fidens promissionibus tuis, quia fidelis es, potens et misericors, per Iesu Christi merita spero gloriam paradisi et media ad eam assequendam, scilicet peccatorum meorum remissionem et finalem in gratia tua perseverantiam. »

Actus amoris et contritionis: « Deus meus, quia es bonitas infinita et infinito amore dignus, ego toto corde meo et super omnia amo te; et propter amorem tuum amo etiam proximum meum. Et quia deliqui in te summum bonum, me poenitet et toto corde doleo. Propono potius mori quam iterum in te peccare, tua mediante gratia, quam nunc et iugiter a te petam. Propono pariter et in vita et in morte sancta sacramenta recipere ».

Quoties actus istos quis exercet, toties lucratur indulgentiam a Benedicto XIV. concessam. Et qui per mensem quotidie eos exercebit, indulgentiam plenariam lucrabitur.

31. Actus hos quisque christifidelis facere tenetur et cum ad rationis usum pervenit et cum est in periculo mortis et dum vivit, saltem semel in anno, excepto actu amoris erga Deum et proximum, quem saltem semel in mense, uti diximus, facere debemus. Tenemur tamen quandoque hos actus exercere indirecte aut per accidens, nempe cum urget necessitas eos eliciendi, ut cum sacramenta recipimus aut cum tentamur contra fidem, spem aut caritatem aut contra castitatem: et aliquem ex dictis actibus faciendo tentationem possumus superare. Caeterum, actus hos semel saltem in die eliciamus, et saepius amoris actum erga Deum. Suadeamus nobis quod qui vere Deum diligere non pervenit, difficulter in gratia Dei perseverabit. Unico enim poenarum metu peccatum vitare perdifficile

est. Assidue ideo Deum rogemus ut suum nobis largiatur amorem, et nos assidue amoris actus, qui adeo Deo arrident, elicere curemus.

§. 4. *De oratione sive de precatione.*

32. Consideremus amplius onus quod habemus commendandi nos Deo ut auxilium suum ad superandas tentationes nobis praestet et ad perseverandum in gratia. Finalis perseverantiae gratiam mereri non possumus, uti declaravit Tridentinum[1]. Donum enim est quod Deus gratis dat cui vult, sed certe dat humiliter et confidenter illud petenti. Communiter theologi dicunt quod oratio, scilicet se Deo commendare, cuicumque necessitate medii est necessaria. Hoc denotat quod impossibile est posse perseverare in gratia Dei aut salvari illum qui Deum non precatur. Et concludunt gravem culpam committere qui per integrum mensem se Deo non commendat.

33. Dominus suas gratias nobis concedere desiderat, sed vult ut eas ab eo petamus; *Omnis enim qui petit accipit*[2]. Attendite verbum *omnis*, quod denotat vel peccatorem petentem gratias a Deo obtinere: *Omnis*, dicit imperfecti operis auctor, *sive iustus*, *sive peccator*. Indubitatum est quod peccator gratiis est indignus: docet tamen d. Thomas quod precationis virtus non est stabilita super precantis dignitate sed super misericordia et fidelitate Dei. Ipse enim dixit: *Petite et accipietis*[3]. Hoc est verbum Dei, quod praeterire non potest.

34. Notare nihilominus oportet quod isthaec promissio pro spiritualibus tantum, non pro temporalibus gratiis, facta fuit. Pluries bona temporalia, ut sunt res, honores, corporis sanitas etc., Dominus negat quia nos amat: praevidet enim quod animae nostrae nocumento esse poterunt. Quare, cum a Deo gratias petimus temporales, opus est ut petamus ad ipsius voluntatem nosmetipsos conformantes et conditione si animae nostrae erunt profuturae. Bona vero spiritualia petere debemus absolute et sine ulla conditione, sed cum fiducia, humilitate et perseverantia.

35. *Cum fiducia.* - *Credite quia accipietis, et evenient vobis;* dixit Iesus Christus[4]. *Cum humilitate.* - *Deus superbis resistit*, *humilibus autem dat gratiam*[5]. *Cum perseverantia:* mille enim nobis opus sunt gratiae ut ad aeternam felicitatem perveniamus. Gratiarum catenam tribuere nobis debet Deus: sed huic gratiarum catenae opus est ut ex parte nostra precationum catena respondeat; si precationes nostrae cessaverint, deficient quoque auxilia Dei, et numquam salvi erimus. Quare quemadmodum nos quotidie ad peccandum tentamur, ita oportet quotidie Deum, ut suum nobis auxilium praestet, rogemus. Opus est ut assidue apud Deum mendicorum personam geramus, dicentes semper: *Domine*, *adiuva me; Domine*, *adesto mihi ; perseverantiam et amorem tuum mihi largire.* Et oportet ut ita facere incipiamus mane, statim ac surgimus e lecto; et ita in diem facere pergamus, cum sacro intersumus, cum templa adimus ss. sacramentum veneraturi, antequam lecto corpus imponamus, et praesertim quando tentamur, dicentes : *Deus meus*, *adiuva me; Mater Dei*, *adiuva me*. Denique, si salvi esse volumus, opus est ut rogemus semper Iesum Christum et Matrem nostram Mariam quae quicquid vult a Filio suo obtinet.

§. 5. *De caritate erga proximum.*

36. Amor erga Deum amori erga proximum coit. *Qui diligit Deum*, *diligit et fratrem suum*, scripsit s. Ioannes[6]. Qui non amat proximum, ne Deum quidem amat. Caritas tamen est ordinata: unde tenemur praeferre omnibus Deum; proximum autem uti nosmetipsos amare debemus. *Sicut te ipsum*; uti nosmetipsos, sed non plusquam nosmetipsos : quaproter non tenemur praeferre bonum proximi bono nostro, nisi quando proximi bonum est ordinis su-

(1) Sess. 6. can. 13. (2) Matth. 7. 8.

(3) Io. 16. 24. (4) Marc. 11. 24.
(5) Iac. 4. 6. (6) Epist. 1. c. 4. v. 21.

perioris et proximus in extrema necessitate versatur. Ordo bonorum hic est. Prae omnibus vita est spiritualis, post hanc vita temporalis, inde fama, et ultimo loco sunt bona temporalia. Itaque, cum proximus est in extrema necessitate, bonum proximi maioris ordinis nostro bono tenemur praeferre; scilicet eius salutem spiritualem vitae nostrae temporali, eius vitam nostrae famae, eiusque famam bonis nostris. Hoc, ut diximus, tantum locum habet cum proximus in extrema est necessitate; secus proximi bonum, licet ordinis superioris, bonis nostris praeferre non tenemur. Quare si quis immerito aliquem, quem vult occidere, ferro invaderet, hic optimo iure (dummodo nullus alius suppetat modus) potest se contra illum vindicare, eum etiam occidendo, licet iniustus ille aggressor, moriens, spiritualem vitam amitteret et damnaretur: quia tunc iniustus ille aggressor non est in necessitate privandi me mea vita ut animam suam salvet.

37. Caeterum, prae caritatis praecepto nos debemus quoscumque in gratia Dei mortuos amare: nam illos qui sunt aeternis poenis addicti amare non possumus, sed eos, uti Deo nostro inimicos, aeterno debemus odio habere. Vivos autem, quamvis peccatores et nostros quamvis inimicos, diligere debemus. Dico *quamvis peccatores;* nam etsi ipsi actu sint in offensa apud Deum, possunt nihilominus in gratiam cum Deo redire et salvi esse. Dico *quamvis inimicos;* lex enim Iesu Christi lex amoris est. Vult Deus ut nos ab omnibus et vel a nostris inimicis diligamur, et pariter vult ut nos illos qui in nos odium habent diligamus. Infideles diligentes se diligunt: nos autem christiani etiam odientes nos debemus diligere: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* [1]. Cum quis culpam inimico suo remittit, pro certo habere potest quod ei Deus peccata remittat; dixit enim Dominus: *Dimittite, et dimittemini* [2]. E contrario qui proximo ignoscere non vult, nec ignoscet ei Deus: *Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* [3]. Iustum est ut Deus non misereatur illius qui proximi sui non miseretur. *Qua fronte*, ait d. Augustinus, *indulgentiam peccatorum obtinere poterit qui praecipienti dare veniam non acquiescit?* Tu vis ulcisci quas a proximo tuo recepisti iniurias? et Deus quoque ulcisci vult iniurias quas a te recepit.

38. Non ita operantur sancti. Sancti enim bonum pro malo retribuunt. Divus Ambrosius cuidam sicario qui contra suam vitam paraverat insidias tantum pecuniae qualibet die constituit, quantum ad commode vivendum esset satis. S. Catharina senensis cuidam mulieri quae ei famam abstulerat fuit multo tempore famulata. Narratur amplius in vita s. Ioannis eleemosynarii quod quidam caupo Alexandriae quum plurimas dixisset iniurias cuidam qui sanguine sancto erat coniunctus, quumque hic de illo apud sanctum esset conquestus, d. Ioannes dixit: *Quoniam caupo iste adeo fuit temerarius, ego volo debitum suum eum docere, et agere cum eo ita ut tota civitas obstupescat.* Quid vero fecit? Iussit suae domus ministro ut numquam amplius exigeret quod quolibet anno caupo ille solvere debebat. In hunc modum ulti sunt sancti, atque hoc modo evaserunt sancti. Contra infelices illi qui odium in aliquem habent! Narrat *Bibliothecae parochorum* auctor quod duo aderant inimici qui se mutuo odio habebant. Quum tamen unus eorum morti esset proximus, qui eius excipiebat confessionem voluit ut cum inimico in gratiam rediret. Consensit aegrotus. Accessit alter, et facta fuit pax. Hic vero, ab aegroti cubiculo discedens, ait: *Modo exspectabat meeum in gratia reverti quum de me amplius ulcisci non possit.* Quod ut moribundus audivit, respondit: *Si consa-*

(1) Matth. 5. 44.

(2) Luc. 6 37 (3) Iac. 2. 13.

nuero, *ultionem utique videbis*. Sed tali fuit rabie stimulatus ut brevi de vita migraverit. Et promissam ultionem exsolvit: nam, dum inimicus ille erat in platea, terribilis quaedam umbra apparuit baculum ferreum in manu habens eique dixit: *Ego veni ut ultionem exsolverem; et quia fuimus inimici in vita, volo ut inimici quoque aeternum simus in inferno.* Et dicto baculo eum morti dedit.

39. Ergo primum debitum charitatis est diligere proximum nostrum actu non solum externo sed etiam interno. Quare tenemur cuilibet ex proximo, licet inimico, ostendere omnia benevolentiae signa communia quae amicis nostris ostendere solemus, scilicet resalutare cum salutamur. Sed si inimicus esset superior aut conditionis melioris, tenemur praevenire salutationem. Imo si quis esset eiusdem conditionis meae, et ego absque gravi incommodo eum salutare possem et hoc modo liberare eum a peccato odii quo ab illo habeor, praevenire quoque debeo salutationem. Amplius si quis iniuriam aliquam aut vulnus recepit et diceret quod offensori ignoscit, sed iniuriam ei remittere non vult, asserens expedire ut puniantur facinorosi, ego difficulter eum absolverem; mihi enim suadere non possum (nisi aliae adsint caussae eum excusantes) quod ab ultionis desiderio sit immunis.

40. Secundum debitum est dare eleemosynam proximo quando est pauper, praesertim si sit verecundus, et nos superflua bona habeamus. *Quod superest, date eleemosynam;* praecipit Iesus Christus [1]. Distinguere tamen opus est. Quando pauper est in extremo periculo vitae, tunc tenemur ei succurrere de bonis vitae nostrae superfluis; scilicet ad vitam non necessariis. Quando vero in gravi est necessitate, tum ei succurrere tenemur bonis statui nostro superfluis. Quot bona nobis provenient, si pauperibus succurremus! Dixit archangelus Raphael Tobiae: *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quae purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam aeternam* [2]. Itaque eleemosyna *liberat a morte;* scilicet aeterna, temporali enim omnes sumus obnoxii. *purgat peccata;* idest obtinet nobis auxilia divina, quibus nosmetipsos expiemus: *et facit invenire misericordiam et vitam aeternam;* Deus enim, prae misericordia quam proximo impertimur, nostri miseretur, vitamque nobis largitur aeternam. Dicit s. Ambrosius [3]: *Foeneratur Domino qui miseretur pauperis.* Si nil aliud poterimus dare, saltem subveniamus, eum Deo commendando; saltem pro eius anima, si nil aliud ei praestare poterimus, unam salutationem angelicam recitemus.

41. Narratur in vita s. Francisci Xaverii quod quadam die sanctus petiit a Petro Veglio locuplete ut quandam puellam, quae erat in periculo peccandi, dotaret: Petrus, qui latrunculis ludebat, ioco respondit: *Sed quomodo meum tibi dare possum dum alienum lucrari laboro?* et illico addidit: *Ecce clavis pecuniae; sume tibi quantum vis.* Sanctus sumsit trecentos nummos. Posteaque amico dixit: *Petre, scito quod Deus gratam habuit eleemosynam tuam: et tibi eius nomine polliceor quod in vita tua tot tibi erunt bona ut commode vixeris, et antequam ex hac vita discedas, ut te ad bene moriendum accingas, erit tibi nuncium vinum, quando amarum tibi sapiet.* Et ita se res habuit. Quadam die vinum Petro amari fuit saporis; unde statim se ad moriendum accinxit, et hoc modo feliciter vixit, et obiit feliciter. Eleemosyna igitur *facit adinvenire misericordiam.* Intelligitur quod facit invenire misericordiam pro peccatis iam patratis, non vero ut impune peccetur. Nam, ait divus Augustinus, qui sua eleemosyna vellet corrumpere divinam misericordiam, sua eleemosyna non obstante, damnabitur et divinam iustitiam experietur.

(1) Luc. 11. 41. (2) Tob. 12. 9. (3) De Tob. c. 16.

42. Tertium debitum est *correptio fraterna.* Proximum enim nostrum corripere debemus cum aut iam in mortale peccatum incidit aut in illud lapsurus est, et speratur quod correptio sit profutura. *Vade et corripe eum*, dicit evangelium [1]. Etiamsi qui peccavit vel peccat superior noster sit et vel pater noster. Et quoties a correptione speratur fructus, dicit d. Thomas[2] quod oportet pluries correptionem, si prima vice non profuit, iterare. Hoc debitum tamen locum habet 1. quando peccatum proximi est certum, non quando est dubium. 2. Quando deest alius qui eum correpturus sit, et non speratur quod alius corripiet illum. 3. Quando correptio potest fieri sine gravi nostro incommodo; si enim nobis gravi esset incommodo, quum haec obligatio sit caritatis, minime tenebimur. Patres tamen atque matres, licet cum gravi incommodo, tenentur filios corripere: sed de hoc fusius in quarto praecepto. Multoties tamen expedit expectare tempus aut occasionem opportuniorem, ut magis correptio proficiat.

43. Quartum debitum caritatis est afflictos consolari, et praesertim aegrotos, cum possumus. Dicit Iesus Christus quod quicquid boni fit pauperibus, tanquam sibi factum, recipit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*[3]. Dicebat s. Maria Magdalena de Pazzis quod magis delectabatur quando suam operam in pauperes impendebat quam quando in mentis excessum rapiebatur. Et hanc rationem adducebat: *Quando rapior in mentis excessum, Deus adiuvat me; sed quando subvenio pauperibus, ego adiuvo Deum.* Unde qui suo proximo subvenit, *Deum computat debitorem*, uti scripsit s. Cyprianus[4]. Ad rem facit actus ille caritatis quem erga proximum s. Didymus adhibuit, ut in ecclesiastica legitur historia. S. Theodora virgo fuerat a tyranno in odium fidei missa in quoddam lupanar, quod meretricum locus est. Eo se contulit s. Didymus ut eam inviseret, eique dixit: *Theodora, ne a me opprobrium timeas; veni enim ut honorem tuum ponerem in tuto. Accipe vestimenta mea eisque induere. Et tua da mihi: et in hunc modum intacta ex hoc loco exibis.* Et ita se res habuit. S. Theodora, militis vestibus induta, ex illo infami loco, quia non cognita, exiit intacta; sed s. Didymus remansit ibi indutus vestibus muliebribus: qua de causa sanctus iuvenis fuit a tyranno capite damnatus. Quod ut s. Theodora scivit, d. Didymum invisit eique dixit: *Consensi ego ut honorem meum in tuto tu poneres, sed non ut martyrii coronam a me eriperes: hoc ad me spectat; quod si furari intendisti, decepisti me.* Iudex, sanctam hanc altercationem auscultans, ambos capite damnavit, et ambo consolationem habuerunt moriendi pro Iesu Christo martyres.

44. Quintum caritatis debitum est bonum, non malum, exemplum proximo praebere. Malum exemplum sive scandalum definitur: *Dictum vel factum minus rectum, praebens alteri ruinam.* Potest esse directum et indirectum. *Directum* cum quis directe inducit proximum ad peccandum; *indirectum* cum quis aliquod profert verbum aut aliquid mali facit quod sit aptum ad adducendos alios in peccatum: sed quoties ad grave peccatum committendum inducitur proximus, tam scandalum directum quam indirectum erit peccatum mortale. Est praeterea scandalum quod dicitur pusillorum, et illud quod pharisaicum appellatur. Scandalum *pusillorum* est quando quis aliquem bonum aut indifferentem actum facit ex quo proximus, prae sui spiritus infirmitate, occasionem peccandi capit. Scit, exempli gratia, quaedam puella quod, si ad ecclesiam aut viridarium se confert, inveniet quemdam dissolutum iuvenem ibi morantem ut ipsius pulchritudine delectetur; tali casu tenetur, dummodo

(1) Matth. 18. 15.

(2) De verit. quaest. 3. a. 2. ad 24.

(3) Matth. 25. 40. (4) De eleem.

absque suo gravi incommodo possit, occasionem auferre, abstinendo illuc ire. Sed quanto tempore? semper? Minime, sed quantum suggeret prudentia christiana; secus grave esset incommodum, ad quod caritas non obligat. Scandalum vero *pharisaicum* illorum est qui propria malitia et sine ratione labuntur. Scandalum hoc, quia scandalum verum non est, non tenemur auferre.

45. Maximum tamen scandalum est illud quod praebent ii qui, quum quidquam mali audiunt de aliquo dicere, ei renunciant; unde tot odia et iurgia oriuntur. Horum peccatorum debent Deo reddere rationem. Ad rem facit Spiritus sancti monitum : *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te* [1]. Alii, absque matrimonii fine, nuncii sunt amoris alicui mulieri aut nuptae aut innuptae. Alii proprium daemonis officium agunt, proximum ad peccatum positive tentando. Eo perversitatis procedunt alii ut peccatum et modum quo potest fieri doceant, quo ne ipse daemon quidem processit. Alii denique (et hoc est scandalum ordinarium) inhoneste loquuntur coram mulieribus, iuvenibus et quandoque vel coram pueris innocentibus. Et heu quam ruinam faciunt! Scripsit Guillelmus Garaldo quod verba obscoena sunt *sputa diaboli mentes necantia. - Unus loquitur*, inquit d. Bernardus, *et unum verbum profert, et multitudinis animas interficit.*

46. Infelix tamen qui aliis est malo exemplo! Dicit Dominus: *Qui... scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris* [2]. Quae spes vitae effulget illi qui demergeretur in mare cum mola asinaria in collo? Eadem salutis spes, ut videtur dicere evangelium, erit illi qui scandalum praebet. D. Ioannes Chrysostomus scribit quod Dominus miseretur potius aliorum gravium peccatorum quam peccati scandali. Quid? dicit Deus: non satis habes in me peccare, etiam alios vis inducere ut in me peccent? Narratur in *speculo exemplorum* quod Iesus Christus dixit cuidam homini mali exempli: *Maledicte, tu contemsisti quae ego sanguine acquisivi.*

47. Peccant graviter scandali mulieres illae quae pectore immoderate denudato aut nudis cruribus se ostentant. Graviter quoque peccant illi qui elucubrant aut agunt comoedias obscoenas. Pictores quoque qui turpes pingunt imagines, et etiam illi patresfamilias qui domi huiusmodi imagines retinent. Multo magis parentes illi qui coram filiis obscoena loquuntur aut impia in sanctos evomunt; et illae matres quae admittunt domi, ubi cum suis filiabus degunt, iuvenes filiarum aut amatores aut sponsos aut alias suspectas personas. Dicunt quaedam matres: *Sed ego nil mali suspicor*. Et ego respondeo quod opus est ut malum suspicentur; nam, si secus egerint, peccatorum omnium quae accidunt rationem Deo reddere debebunt.

48. *Vae homini illi per quem scandalum venit* [3]*!* Audite horrendum hoc factum quod accidit in civitate Savona anno 1560., quodque ego legi in chronicis capuccinorum, et narratur quoque a p. Ardia [4]. Fuit quaedam mulier nupta quae non desinebat esse aliis malo exemplo. Quoddam symptoma invasit illam, et, amittens sensum, vidit Dominum ipsam aeternum in ignem addicentem. Ad se cum rediit, nil aliud quam clamare faciebat, dicens: *Heu! sum damnata, sum damnata.* Accessit confessarius ad eam consolandam; sed illa respondit: *Quid confessionis? sum damnata.* Accessit etiam filia; et illa magis furens dixit ei: *Proh maledicta! quod propter te etiam damnor; nam prae te aliis fui malo exemplo.* Quod ut dixit, videntibus omnibus, elevaverunt eam daemones in aërem usque ad trabes, et postea proiecerunt eam in terram; et tunc infelix periit.

(1) Eccl. 19. 10. (2) Matthaei 18. 6. (3) Matth. 18. 7. (4) T. 2. instr. 41. n. 6

49. Refert auctor *bibliothecae parochorum*[1], quod quidam adolescentulus quum se comitem addiderit cuidam iuveni dissoluto, hic ei scandalum dedit fecitque ei innocentiam amittere. Postero mane, cum adolescentulus accersisset socium ut insimul cum eo se ad gymnasium conferret, socii parens introivit cubiculum eius adhuc dormientis ut eum de tanta desidia increparet; sed, ianuam aperiens, propulsatus fuit a quadam umbra horribili. Accurrit mater, fenestram aperuit, et viderunt filium infelicem mortuum in ora lecti capite deorsum, nigrum tamquam carbonem ignisque spatiosis signis notatum. Sciverunt postea ab adolescentulo scandalum quod pridie ei ille dedit, atque in hunc modum poenas, quas Deus ab infelice filio sumsit, animadverterunt.

50. Ergo quicumque mali exempli homo salvus esse non poterit? Minime quidem. Dei misericordia est infinita: sed qui scandalum praebuit opus est ut magnam agat poenitentiam, veniamque semper petat a Deo, atque dato scandalo medeatur dando bonum exemplum, frequentando sacramenta, vitamque ducendo religiosam. S. Raymundus, cogitans quod scandalum praebuisset quia cuidam homini vocationem religiosam dissuasit, dereliquit mundum et in praedicatorum ordinem fuit ingressus.

51. Refert cardinalis de Vitriaco quod quaedam puella vexata a quodam homine, qui oculorum eius amore ardebat, oculos sibi eripuit et illi misit dicens: *Habe tibi oculos meos, et noli amplius me vexare.* Alia puella nasum et labia, ne amplius ab hominibus tentaretur, sibi amputavit. S. Euphrasia a quodam milite tentata, ei dixit: *Si tu me deseris, quarumdam herbarum aperiam tibi secretum, prae quo numquam amplius ensium offensionem timebis:* quod ut in suo collo experiretur concessit. Unde miles, credens quod illam secretum a morte servaret, magno ensis falcati ictu caput ei amputavit. En quod hae magnae mulieres operatae fuerunt ut omnem scandali auferrent occasionem.

§. 6. *De religione.*

52. In primo decalogi praecepto virtus etiam religionis iubetur observari. Quid est religio? Est *virtus debitum cultum Deo exhibens.* Quod obligationem quoque comprehendit venerandi divinam Matrem, angelos atque sanctos, quorum venerari debemus reliquias sacrasque imagines: in illis enim non veneramur metallum, lignum aut telam imaginum, uti faciebant deorum cultores, sed sanctos, qui ab imaginibus illis nobis repraesentantur.

53. Opponuntur religioni superstitio et irreligiositas. *Superstitio* est cum falsus cultus Deo exhibetur, uti si quis vellet sanctam Virginem pro Deo colere, quemadmodum quidam haeretici faciebant, aut exponere vellet sanctorum reliquias falsas, aut falsa miracula pervulgare. Superstitio quoque est atque gravissimum crimen dare creaturis quod Deo debetur. Superstitio continet quatuor peccatorum species, idololatriam, divinationem, magiam et vanam observantiam. *Idololatria*, qualis est illa gentium quae pro diis venerabantur homines mortuos, animalia, simulacra et creata alia. *Divinatio* est cum futurum aliquod aut occultum scire volumus ope daemonis cum pacto expresso aut tacito; ut esset illorum qui faciunt ut incerniculum in gyrum agatur, ut sciant qui furtum commisit. *Magia* est cum quis ope daemonis vellet agere aliquid quod humanas vires superat. Omnia haec sunt scelera gravissima pro quibus gravissimas poenas Deus minatur: *Anima quae declinaverit ad magos et ariolos, ... ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui*[2]. *Vana observantia* est quum quis, ut ad id quod desiderat perveniat aut ut ab aliqua infirmitate aut dolore liberetur, quibusdam utitur mediis vanis et improportionatis, uti esset dicere talia

(1) P. 120. (2) Lev. 20. 6.

verba aut orationem aliquam humeris conversis, flavis candelis aut tot numero candelis (sed neque plus, neque minus), clausis oculis, signans se signo crucis sinistra manu etc. Omnes hae vanae circumstantiae nullatenus possunt adhiberi. Aut gratiam a Deo petis, et non opus est istis: aut petis a daemone, et hoc gravissimum scelus est; cum Dei enim inimico commercium habere non licet.

54. Cavete ideo vobis ab omnibus his superstitionum speciebus, uti a signis, chartis et verbis designatis, quibus aliqui utuntur ut malis artibus sistant et illaqueent vermes ne noceant, ligent canes, ut dolor submoveatur, ut sanguinem cohibeant, ut excidant *caudam* ventorum in tempestatibus aut ut ab aliqua persona amentur. Omnia haec gravia imo gravissima sunt peccata. Peccat quoque et incurrit excommunicationem qui libros de huiusmodi superstitionibus tractantes legeret aut retineret. Scire opus est quod omnia ista sunt mendacia, doli et furta. Qui eis fidem habet, animam et pecuniam perdit. Cum miseriis et aerumnis premeris, recurre ad ss. sacramentum, ad Crucifixum, ad Mariam virginem, ad d. Antonium Paduanum, ad d. Vincentium Ferrerium; lampadum eorundem adhibe oleum; utere chartulis Mariae Immaculatae aut alicuius sancti figuris: et in hunc modum, quin pecces, poteris gratiam obtinere. Si secus egeris, gratiam non obtinebis et peccabis.

55. De superstitione verba iam fecimus, loquamur modo de *irreligiositate*, quae tendit contra reverentiam Deo debitam, et tres continet species, tentationem Dei, sacrilegium et simoniam. *Tentatio Dei* est si quis proiiceret se in puteum ut experiretur an Deus potens sit eum liberare: hoc est tentare Deum, et grave est peccatum. *Sacrilegium* tribus modis committitur. 1. Cum contumelia afficitur aliqua persona sacra, scilicet cum clericus aut religiosus percutitur: percussor incurrit etiam excommunicationem eritque excommunicatus vitandus; ita ut, exceptis uxore, filiis, fratribus, nepotibus et famulis, nemo alter ei alloqui poterit; quique alloquitur excommunicationem incurrit minorem, quae non secum fert peccatum mortale, sed privat illum sacramentorum receptione. Sacrilegium quoque est si cum persona voto castitatis obstricta agitur turpiter. 2. Est sacrilegium cum sacer locus polluitur, ibi externe peccando vel operibus vel verbis, furando, obscoena loquendo aut impia in Deum vel sanctos evomendo etc. 3. Cum sacris rebus infertur iniuria, uti esset cum peccato mortali sacramentum aliquod recipere, spernere sanctorum reliquias, crucem, imagines sacras, coronas et similia. Peius sacrilegium esset uti rebus sacris ut ad aliquod committendum peccatum perveniatur. *Simonia* denique est cum temporali pretio spirituale aliquod emitur aut venditur. Ideoque peccat contra religionem qui pecunia, famulato aut qualibet re temporali pretio aestimabili emere vellet sancti aliquam reliquiam, confessarii absolutionem aut aliquem ecclesiasticum ordinem, ecclesiae beneficium et alia id genus.

Cap. II. *De secundo praecepto.*

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

Hoc secundum praeceptum tres continet obligationes: non pronunciandi blasphemias; non peierandi et vota observandi. De his distincte verba faciamus. Sit itaque

§. 1. *De blasphemia.*

1. Laudibus atque orationibus Deus honoratur, blasphemiis autem inhonoratur. Committitur blasphemia cum attribuitur creaturae divinum aliquod attributum, ut si vocaretur daemon sanctus, omnipotens, sapientissimus etc. Unde peccat qui credit quod sciat daemon futura contingentia: ut numeros qui certo ex urna prodibunt ludo qui vulgo dicitur *beneficiata*. Deus solus scit futura: daemon res tantum externas quae iam acciderunt scire potest,

et tantummodo a praesentibus rebus futurum aliquem eventum potest conii- cere. Committitur quoque blasphemia cum aliquod Deo attribuitur quod est Deo convicio, ut dicere (loquens de Deo): *Maledictus sit Deus*, aut: *male habeat Deus*, aut dicere : *in contumeliam etiam Dei*. Dicere autem: *Deus non operatur iuste; creat homines, posteaque eorum obliviscitur*, esset blasphemia haereticalis; et qui sic diceret cum iudicio formato et pertinacia papalem incurreret excommunicationem. Committi potest blasphemia etiam facto, v. g. cum quis exspueret in coelum, aut cruces. coronas vel sacras imagines conculcaret. Gravis quoque blasphemia est maledicere sanctis et rebus sanctis, uti sacro, ecclesiae; aut diebus sanctis, paschati, nativitati Domini, sabbato sancto etc. Blasphemia quoque est maledicere animabus hominum, et gravior si mortuorum malediceretur animabus, dummodo non intelligerentur animae damnatae.

2. Dicere autem non - *male habeat sanctus N.* -, sed alia verba quae gravem non inferunt iniuriam, non erit blasphemia gravis: sed quia in vanum sancti nomen acciperetur, erit ideo peccatum veniale. Neque est blasphemia dicere: *Male habeat sancta Agatha*, *sanctus Felix*, cum intelligitur tantum locus, non sanctus.

3. Maledicere creaturis, nimirum annis, diebus, pluviae et similibus, non est blasphemia neque peccatum grave, sed veniale; modo huiusmodi maledictiones ad Deum non referantur, uti si quis dixerit: *Maledico vento Dei, diei Dei etc.;* aut nisi essent eae creaturae in quibus peculiari modo relucet potentia et magnitudo divina, ut si quis coelo aut animae humanae malediceret, aut si malediceret mundo, dummodo non intelligeret mundum malignum, uti intelligebat d. Ioannes: *Mundus totus in maligno positus est* [1].

4. Ne blasphemia quidem erit, si quis in generali alterius fidei malediceret, modo non addat aliud sacrum verbum, ut si diceret: *Maledico fidei christianae, fidei sanctae:* primo enim casu intelligi potest fides humana aut fidelitas civilis.

5. Ita ne blasphemia quidem est maledicere mortuis, dummodo non addatur aut intelligatur maledicere mortuis sanctis aut animabus mortuorum. Ratio cur neque sit blasphemia neque grave peccatum in generali mortuis maledicere, est, quia verbum *mortui* proprie est terminus privativus, qui aliud non significat quam homines vita privatos: eo magis quod verbum *mortui*, per se loquendo, non ad animas sed ad corpora proprie refertur; corpora enim, non animae, moriuntur. Si maledicere homini viventi, corpus habenti et animam, grave peccatum non est, dummodo malum quod ei precatur non desideretur, uti communiter dicunt dd. cum d. Thoma [2] ne peccatum quidem erit homini mortuo maledicere. Insuper, ordinarie loquendo, qui mortuis maledicunt non intelligunt mala animabus eorum imprecari, imo fere semper ne intelligunt quidem iniuriam mortuis inferre, sed potius viventibus quibus irati sunt. Haec non est mea unica opinio, sed trium aliorum doctorum hominum qui de hoc facto egerunt. Praeterea, quamplurimos Neapoli doctos viros consului, et vel omnes illos qui addicti sunt congregationibus p. Pavone, archiepiscopatus et s. Georgii; qui omnes ab opinione mea fuerunt.

6. Nescio quo pacto quis audeat iudicare quosdam actus esse peccata mortalia, quando et prisci et hodierni theologi docent actum nullum peccatum mortale esse iudicandum nisi cum certum est actum illum vere esse mortale. En quomodo s. Raymundus cuidam suo scripsit amico: *Unum tamen consulo, quod non sis nimis pronus iudicare mortalia peccata ubi tibi non constat per certam scripturam* [3]. Et divus Antoninus docuit: *Nisi... habeatur au-*

(1) 5. 19. (2) 2. 2. q. 76. a. 1.

(3) Lib. 3. de poen. §. 21.

ctoritas expressa scripturae sacrae aut canonis ecclesiae vel evidens ratio, nonnisi periculosissime determinatur. Nam si determinet quod sit ibi mortale, et non sit, mortaliter peccabit contra faciens etc [1]. Et alibi, loquens de quovis actu poenitentis qui confessario esse certum peccatum mortale non videtur, dicit: *Si vero* (confessarius) *non potest clare percipere utrum sit mortale, non videtur tunc ut illi faciat conscientiam de mortali*[2]. Ceterum, maledicere mortuis peccatum est veniale omnibusque aliis venialibus gravius. Aliqui semper mortuos habent in ore: quod vitium turpe!

7. Sed paucis cuiuslibet blasphemiae enormitatem complectamur. Iussit Deus in veteri lege: *Educ blasphemum extra castra, et lapidet eum universus populus* [3]. Venetiis non ita pridem quidam blasphemavit, iussu magistratus fuit domi captus eique abscissa fuit lingua. In regno Neapolis nuper rex mandavit ut blasphematores ferro ignito in fronte signarentur posteaque ad triremes mitterentur: quod tamen perraro adhibetur; testes enim id deponentes non inveniuntur. Auditam blasphemiam prae odio deponere bonum non est; sed deponere eam ut, animadversione in blasphemos, auferatur exsecrandum hoc vitium et scandalum quod audientibus praebetur, bonum et sanctum est.

8. Dixi *scandalum;* quia pueri audientes blasphemare maiores, ipsi etiam discunt blasphemare. Quid infelicitatis! aspicere tot pueros res Dei nescientes, scientes vero dicere: *Male habeat s. Petrus, s. Marcus*. S. Petrus! s. Marcus! quid mali fecerunt tibi sancti isti, in quos impia evomis? Tu iratus es tuae uxori, tuo domino, tuo famulo, et inclamas sanctos? Sancti semper pro nobis orant, et impia tu vis in eos proferre? Nescio quomodo blasphematori terra non dehiscit. Sunt qui vel ei a quo servantur maledicunt: maledicunt Deo, cui maximas gratias referre deberent; ab ipso enim servantur, et in ignem non mittuntur aeternum.

9. Ceterum, quaecumque blasphemia cuiuscumque sancti aut diei sancti gravissimum est peccatum. *Omne*, inquit d. Hieronymus, *quippe peccatum comparatum blasphemiae levius est*. Blasphematori *da alapam, contere os eius;* dicit s. Ioannes Chrysostomus. Blasphemator animabus aeternis suppliciis addictis peior est: illae saltem maledicunt ei a quo puniuntur, tu vero ei qui benefacit tibi maledicis.

10. Heu quam sunt atrocia supplicia quae pluries sumpsit de blasphematoribus Deus! In hoc Neapolis regno quidam qui crucifixo cuiusdam loci maledixerat, cum per locum illum iter faceret, ut coram illo crucifixo fuit, ibi cecidit fuitque repentina morte defunctus. In Vallo Dianae paucis ab hinc annis (et ego loquutus sum cum quodam qui facto interfuit) quidam auriga, quum sancto maledixisset, cecidit in aquam cum collo subtus rhedae vectem et ita periit suffocatus. Si vero in hac vita blasphemator aliquis poenas non dabit, sciat quod maiores dabit in alia. Dominus ostendit d. Franciscae romanae tormentum speciale et horrendum quo in lingua excruciantur blasphematores in inferno.

11. Frater mi, si tempore praeterito blasphemare fuisti solitus, omnibus nunc tuis viribus cura hoc maledictum vitium penitus abiicere. Quid tibi ex blaphemiis erit bonum? Nullum inde capies lucrum, sed perpetuam paupertatem: nullam percipies delectationem; et quae delectatio in maledicendis sanctis? nullum inde denique honorem hauris, sed turpitudinis notam; blasphematores vel ab ipsis blasphematoribus taxantur et odio habentur.

12. Scias tamen volo quod, si in hac missione te a tali vitio non liberas, numquam amplius ab eo te liberabis; crescentibus annis augetur hoc vitium, quia crescentibus annis increscunt mala et infirmitates, et ita increscunt impatientiae, itaque usque ad mortem du-

(1) P. 2. t. 1. c. 11. §. 28.

(2) P. 2. tit. 4. c. 5. (3) Lev. 24. 14.

rabit. Quidam damnatus ad furcam, eodem temporis momento quo fuit e scala proiectus, prae consuetudine blasphemandi quam habebat, cuidam sancto maledixit et in hunc modum e vita discessit. Quidam auriga qui blasphemiis consueverat, iam iam moriturus, quandam protulit blasphemiam et ita de vita migravit. Aperi nunc cum vero dolore et proposito peccata tua, et in hac missione numquam amplius blasphematurum esse firmiter delibera; et in posterum mane, cum surgis e lecto, semper recita tres salutationes angelicas ut Dei mater te ab hoc vitio liberet; et cum occasionem habes irascendi, assuesce maledicere peccato, daemoni, neque amplius profer verbum illud - *male habeat* -, sed dic: *Domina mea, adiuva me: Maria virgo, da mihi patientiam, da mihi robur*. In principio opus est ut, sed non sine magno labore, teipsum vincas ad amovendum usum quem blasphemandi habes: sed, dicto usu amoto, facile, Deo dante, te ab hoc vitio liberabis.

13. Sed ut blasphemiam multo magis detesteris, audi quas de quodam blasphematore poenas sumsit Deus. Cardinalis Baronius refert in tomo 6. suorum annalium, anno 493., quod quum quidam Constantinopoli blasphemasset, ingressus fuit in balneum, ubi se lavit, sed illico exiit clamans atque dicens quod sentiebat se iam iam moriturum, eodemque tempore unguibus et dentibus brachiorum femorumque suorum carnes auferebat. Ut aliquam ei recreationem praeberent, posuerunt eum in sindone albo: sed maiore conflictabatur dolore; unde sindonem ab eo abstulerunt: sed cum sindone pellis quoque eius ablata fuit, et hoc modo infelix periit in manibus daemonum, qui duxerunt eum in infernum, ut ibi poenas daret aeternas.

14. Refert amplius d. Gregorius in dialogis suis[1] quod quidam puer quinquennis, nobilis romanus, famulorum blasphemias audiens, blasphemare assueverat, et a patre non corripiebatur: quodam sero, postquam in die pluries blasphemaverat, quum prope patrem esset, extemplo clamare incoepit: *Heu! quidam nigri homines volunt me secum ducere;* et ita clamans in brachia patris se coniecit, sed prae consuetudine blasphemare pergebat, et ita blasphemans animam efflavit. Vae vobis, genitores, si filios non corripitis cum ipsi blasphemant, magis, magisque si, coram ipsis blasphemando, malo illis eritis exemplo!

§. 2. *De iuramento.*

15. Iuramentum est invocatio nominis divini in veritatis testimonium. Iuramentum est quotiescumque aliquid asseritur, et dicitur *per Deum*, *per sanctos* aut *per aliquam rem sacram*, *ut per sacramentum*, *per evangelium*, *per ecclesiam*, *per crucem*, *per missam* aut *per creaturam aliquam in qua peculiari modo effulget bonitas aut potentia Dei*, ut si quis iuraret *per animam*, *per coelum*, aut *per terram*. An vero sit iuramentum quando dicitur: *Vivit Deus*, *Deus hoc videt*, distinctione opus est. Si vocetur Deus invocative, idest in testimonium illius rei quae tunc asseritur, utique verum est iuramentum; secus si verba illa asseveranter tantum dicuntur, quin Deus in testimonium eorum vocetur. Iuramentum non est dicere: *per conscientiam meam* aut *per fidem meam*, quin denotetur aut intelligatur fides divina: ne iuramentum quidem est, si quis simpliciter diceret: *iuro hoc ita esse;* nisi esset quod alia persona iam exposceret ut iuraret per Deum, per sanctum aliquem aut per aliquam rem sanctam.

16. Iuramentum quadruplex est: *assertorium* cum quis asserit rem aliquam et iurat ita se habere: *promissorium* cum quis aliquid promittit aut iurat adimplere promissum: *execratorium* sive *imprecatorium* est cum dicitur v. gr. *Deus in me animadvertat*, *nisi fecero hoc: comminatorium* denique iuramentum est quando quis diceret: *Nisi hoc facias*, *per Deum efficiam*

(1) Lib. 4. c. 18.

ut te poeniteat. In iuramento assertorio graviter peccat qui falsum asserit. In promissorio qui iurat sine animo standi promissis. Sed si quis iuraret animo standi promissis cum iurat, sed postea non servaret, et res parvi esset momenti, valde probabile est, ut plures dd. dicunt, quod mortaliter non peccaret: in iuramento enim vocatur Deus in testimonium voluntatis praesentis, qua promittitur, non vero executionis promissionis.

17. Circa hoc promissorium iuramentum duae sunt attendendae regulae. Prima, quod iuramentnm numquam obligat ad illicitum: secunda, quod quotiescumque res promissa est licita, semper obligat iuramentum. Iuramentum servari debet semper ac servari potest. V. g. si quis furi, quia eius minas timet, iuramento promittat mittere quicquid quaerit, tenetur servare promissum, licet iniuste a fure ad promissionem illam faciendam fuisset coactus; promissis enim eiusmodi stare licita res est: posset nihilominus promittens facere ab episcopo iuramentum illud sibi relaxari, et hoc casu dictae promissioni ob timorem factae stare non tenebitur. Utrum cum quis promittit, iurare possit sine animo iurandi; minime quidem: damnata enim fuit ab Innocentio XI. propositio 25., quae dicebat: *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive sit gravis.*

18. Iuramentum vero aut execratorium aut imprecatorium, tunc tantum obligat cum invocatum est nomen Dei aut alicuius rei sanctae, quod et in iuramento comminatorio locum habet. Si vero poena quam quis minatur esset iniusta, iuramentum non obligat; unde non obligant iuramenta illa quae patres iniuste in filios emittunt: *Per Deum, morti te do, nisi cito redeas, nisi opus hoc perficias*; et his similia.

19. Iuramentum ut sit licitum, tres conditiones requiruntur, nempe veritas, iustitia et iudicium. *Veritas*, ut res quae cum iuramento asseritur certa sit: unde peccat qui pro re dubia iurat. *Iustitia*, ut iurata res iusta sit: qua de re dupliciter peccat qui iniustam sive illicitam rem facere iuraret. *Iudicium* ut propter aliquam rationabilem causam iuretur. Sed qui sine rationabili causa iuraret, veniale tantum committeret peccatum.

20. Admonendum praeterea, quod qui falsum in iudicio iurat, dupliciter peccat et excommunicationem reservatam incurrit; et si quod deponit esset damno proximo, damnum restituere teneretur: testis tenetur verum dicere quotiescumque a iudice legitime interrogatur. *Sed ego, pater, si veritatem dicebam, damnum proximus capiebat; et ut ei misericordiam adhiberem, dixi quod nihil sciebam.* Pulcra misericordia! proximo misericordiam hoc modo adhibendo, gravissimum committis peccatum, animamque tuam damnas ad infernum. Ita augentur delicta: testes quod viderunt negant; rei absolvuntur; et furta, homicidia aliaque mala increscunt. Si castigarentur rei, tot delicta non evenirent.

21. Quomodo obligatio iuramenti tollitur? Tollitur pluribus modis: irritatione, dispensatione aut commutatione et relaxatione. Et 1. tollitur *irritatione*, quae a quolibet, cui est potestas dominativa, fieri potest, ut a patre, marito, tutore, praelato, abbatissa; et ad hanc irritationem faciendam nulla opus est causa. 2. *Dispensatione* aut *commutatione* in aliud opus; et haec dispensatio aut commutatio fieri potest a pontifice aut ab episcopo, sed iusta opus est causa. 3. *Relaxatione*, quae fieri potest ab episcopo et ab omnibus illis qui facultatem habent episcopalem.

§. 3. *De voto.*

22. Circa voti obligationem peccata sunt quae populum docere debeo quaeque ab omnibus scienda sunt. Alia enim scire debent superiores aut confessarii. Quid est votum? *Est promissio facta Deo deliberata de bono possibili et meliori.* Dicitur 1. *promissio*, quae cum animo se obligandi facta in-

telligitur; si enim animus se obligandi deesset, nullum esset votum. In dubio vero quis vere animum se obligandi habuisse praesumitur; quia quilibet actus praesumitur rite factus. Si autem dubitaretur an quod fuit promissum, fuerit votum, an simplex propositum, videndum est utrum ille qui tale votum emisit credebat se graviter peccaturum, si quod promisit non adimpleret; hoc casu pro vero voto erit tenendum.

23. Dicitur 2. *deliberata;* ad voti enim obligationem perfectus rationis usus et libera voluntas requiritur. Quare puerorum vota, praesertim ante septennium emissa, non obligant, nisi de eorum rationis usu constet: ita pariter non obligat votum emissum ex metu ad extorquendum votum incusso.

24. Dicitur 3. *de bono possibili et meliori:* si enim esset de re impossibili, votum non teneret. Si autem tantum in parte possibile est, et materia esset divisibilis, esset validum votum quoad partem tantum possibilem, dummodo huiusmodi pars sit principalis. Dicitur quoque de *bono meliori:* nam si de re esset aut inferiori aut indifferenti, utique votum non obligaret; nisi accideret quod prae circumstantiis melius redderetur.

25. Si quis votum emisit, posteaque eius satisfactionem differret, quanta temporis dilatio, ut graviter peccet, requiritur? Dicunt aliqui doctores quod si differt per duos aut ad summum per tres annos, grave committit peccatum. Hoc intelligitur cum votum non est perpetuum sed ad tempus; ut si votum emitteret sanctuarium adeundi aut faciendi ut aliqua Deo offerantur sacrificia, aliaque id genus. Cum vero perpetuum est votum, dicunt quod si satisfactionem illius per sex menses differt, graviter peccat. Quaeso tamen rogo omnes, mulieres praesertim, ordinarie loquendo, ne unquam amplius voveant. Tot emittuntur vota, et per plures annos non adimplentur. Cum Deo aliquid offerre vultis, non emittite votum sed sine obligatione propositum. Quique cognoscit quod difficulter votum adimplebit, faciet ut sibi ab episcopo aut a confessario facultatem habente commutetur.

26. Quando tollitur voti obligatio? Tollitur 1. ob *materiae mutationem*, prout si talis circumstantia eveniret, quae si praecognita fuisset, numquam fuisset votum emissum. Tollitur 2. *per irritationem*, quae, ut in iuramento diximus, fieri potest a patre, marito aut qualibet alia persona dominativam potestatem habente: et ad hoc nulla opus est causa. Pater et maritus propria voluntate et sine causa votum ab uxore aut a filio emissum irritare possunt; et tali casu filius aut uxor a voti obligatione liberantur. Tollitur 3. *dispensatione* aut *commutatione*, quae et a pontifice et a proprio episcopo fieri potest: sed pro dispensatione aut commutatione iusta opus est causa. Dispensatio tamen quinque votorum, nempe castitatis, religionis, trium peregrinationum ad Terram sanctam, Romam ad limina apostolorum ss. Petri et Pauli et Compostellam ad s. Iacobi templum, uni pontifici est reservata. Haec dicuntur quinque vota reservata. Hoc intelligitur quando dicta vota amore virtutis sunt emissa, non vero si poenalia aut conditionata fuerunt: v. g. si quis religionem voveret in poenam si iterum ludit aut si ex aliquo morbo convalescit, tale votum, quia non est reservatum et quia religionis amore non fuit emissum, dispensare aut commutare potest episcopus.

Cap. III. *De tertio praecepto.*

Memento ut diem sabbati sanctifices.

1. Praeceptum hoc duas comprehendit obligationes: ut in omnibus diebus dominicis et festis a servilibus operibus abstineamus, et ut dictis diebus sacro intersimus. In prisca lege sabbatum erat dies festus; apostoli vero illud in diem dominicum transtulerunt: dies pluries a Deo sanctificatus, ut animadvertit s. Leo; in dominica enim Deus creavit mundum, Iesus Chri-

stus resurrexit, et super apostolos Spiritus Sanctus descendit. Hoc praeceptum festum sanctificandi, inquit s. Thomas[1] cum communi doctorum, *morale est quantum ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis; caeremoniale vero quantum hoc praecepto determinatur speciale tempus:* et tanquam caeremoniale in praesentiarum, quia lex antiqua cessavit, non obligat. Observare itaque tenemur festa ecclesiae praecepta, quae dies statuit quos debemus observare.

2. Quare, sciscitor, Deus festa constituit? Instituit ut unusquisque, quum omnibus aliis hebdomadae diebus bonis corporis vacaverit, in die festo bonis animae vacet; et non sufficit sacro tantum interesse, sed opus est ut concionem audiat, visitet ss. sacramentum, se Deo commendet, aliosque pietatis actus exerceat. Sed tot personae in die festo ad quid habent animum intentum? Ad ludendum, ad intemperanter bibendum et ad inhoneste loquendum. Audite tamen quid Surius narrat[2]. In civitate Dea Vocontiorum sanctus aderat episcopus qui Stephanus vocabatur, qui, quum temeritati sui populi, collocantis festa in ludis, saltationibus et ebriositatibus, mederi non posset, a Deo obtinuit ut quadam die plures horribilium figurarum daemones apparerent, qui talem produxerunt terrorem ut omnes misericordiam exposcerent. Sed cum populus vitam suam meliorem facere promiserit, prae sancti episcopi orationibus ab illorum horribilium monstrorum fuit aspectu liberatus.

§. 1. *De abstinentia ab operibus servilibus.*

3. Tria operum genera, servilium nempe, liberalium et communium, sunt distinguenda. Opera *servilia*, uti docet divus Thomas[3], mystice sunt peccata, sed, loquendo ad litteram, illa sunt opera quae a servis exerceri solent. Vocantur quoque opera corporis, et sunt fabricare, fodere, secare, laborare ferrum aut lapides aut ligna, et alia id genus quae exercentur a corpore. Et haec usque ab antiqua lege sunt vera opera prohibita: *Omne opus servile non facietis in eo*[4]. Opera *liberalia*, quae et animae opera nuncupantur, illa sunt quae a liberis exercentur, uti studere, docere, sonare, scribere et similia; haec licent in die festo, etiamsi lucri caussa exerceantur. Communiter doctores inter liberalia opera admittunt transcribere scripturas, quia etiam transcribere scripturas ad mentis instructionem ordinatur. Opera denique *communia*, quae et *media* appellantur, sunt quae promiscue tam a liberis quam a servis exercentur.

4. In die festo tantum opera servilia, non vero liberalia et communia, sunt prohibita, ut dicunt dd. cum d. Thoma scribente: *Opera . . . . corporalia, ad spiritualem Dei cultum non pertinentia, in tantum servilia dicuntur in quantum proprie pertinent ad servitutes; in quantum vero sunt communia et servis et liberis servilia non dicuntur*[5]. Et antea sanctus explicaverat quod in hoc praecepto tantum opera servilia prohibentur. Unde die festo non prohibetur iter facere, et ita ne venari quidem scopleto aut reti; hoc enim saltem est opus et liberis et servis commune. Servile opus potius videtur piscari, cum magna adesset defatigatio, uti infertur e *cap.* 3. *de feriis*, in quo pro halecium piscatione pontifex dispensavit.

5. In festis amplius quaecumque forensia opera sunt prohibita, scilicet omnia illa quae ad forum spectant, ut citatio partium, compilatio processus et proferre aut executioni mandare sententiam: modo id necessitas aut pietas non expostularet, uti habetur in *cap. ult. de feriis*. Prohibitum quoque in festis est vendere res in publicis officinis: hoc tamen permittitur in nundinis et mercatibus, qui ex consuetudine iam permittuntur. Conceditur quoque res illas vendere quae usui quotidiano

(1) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1. et 4.
(2) Tom. 5. c. 9. die 7. septemb.
(3) 3. sent. dist. 37. q. 2. a. 5. ad 7.
(4) Lev. 23. 7. (5) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.

sunt necessariae, ut essent res cibariae, vinum, cervisias, aliaque id genus.

6. Sunt tamen caussae opera servilia permittentes. Prima est *dispensatio* episcopi aut etiam parochi, modo iusta caussa adsit. Secunda est *consuetudo* quae aliquo in loco viget, dummodo sit praescripta et ab episcopo non reprobata. Tertia est *charitas*, quum e. g. quis proximo qui in necessitate est opitulari deberet. Quarta est *necessitas*, ut esset quum quis quid comedere in aliquo die, nisi laboret, non haberet, aut si laboret ad aliquod grave damnum evitandum: ideoque permittitur frumenta decidere, vindemiare, ut etiam colligere fruges, foenum, olivas, castaneas aliosque etiam fructus ut e periculis serventur. Permittuntur quoque in festis illa omnia quae in diem humanae vitae sunt necessaria, uti epulas exstruere, concinnare domum, verrere pavimenta, lectos parare et similia. Quinta est *pietas*, uti agros pauperum ecclesiarum colere, aut ecclesias per eleemosynam aedificare, quod caeteroquin, sine episcopi licentia aut nisi gravis et actualis concurreret necessitas, admitti non debet. Sexta est *parvitas materiae*. Sed quaenam in hoc est gravitas materiae? Alii ponunt horam unam, alii etiam duas. Parvitas tamen materiae, cum nulla alia caussa intercedit, a veniali peccato non excusat.

7. Sunt qui laborare nolunt cum licet, sed in festis medios dies laborare non erubescunt, imo filios et servos cogunt laborare. *Sed, pater, sumus pauperes*. Sed non quaelibet paupertas in festo laborare permittit. Talis debet esse paupertas aut necessitas ut, nisi labores, quomodo te aut familiam tuam alas non habeas. Caeterum, quisquis laboribus vivit pauper est et in aliqua est necessitate; sed isthaec necessitas a peccato minime excusat. Sciant filii quod, cum patres eis iubent ut in die festo contra Dei legem laborent, obedire non tenentur, imo peccant si laborant. Excusabuntur tamen, si, laborare nolentes, grave aliquod damnum aut grave incommodum essent perlaturi. Ecclesiae enim praecepta cum tanto incommodo non obligant: ii vero qui famulantur illis dominis a quibus laborare in festis obligantur, respondere debent: *Sed hodie est dies festus; ego sum christianus, laborare nolo*. Si vero domini eos ad laborandum compellunt, tenentur in posterum desciscere ab eis, et alios dominos qui legem christianam observant, adinvenire.

8. Audite quomodo Deus punit illos qui in festis laborant. In dioecesi Fani festum divi Ursi episcopi et protectoris Fani celebrabatur. Rusticus quidam in illo die ad arandum se dedit: interrogatus quo pacto reverentiam b. Ursi festo non adhibebat, respondit: *Si ille est Ursus, ego ille sum qui pane egeo*. Quod ut dixit, statim a terra insimul cum aratro et bobus haustus fuit; et in illo loco qui hodie dicitur *Villa Rossani*, etiam nunc voraginis signa aspiciuntur.

9. Bone vir, quid cogitas? cogitas forsan quod labores illi quos in festis exerces in meliorem fortunam te adducant? Falleris: a laboribus illis in maiores miserias adduceris. Duo erant calceolarii: unus eorum cum tota sua familia commodam vitam ducebat, alter quamvis continue et quoque in festis laboraret, ipse et filii fame extimulabantur; qui de ea re quum conquereretur primo festa observanti, dixit: *Amice, quo modo facis? ego laboro sine intermissione, patior, et ad me meosque alendos pervenire non possum*. Respondit ille: *Mihi quotidie mane res est cum quodam amico, qui quidquid mihi opus est subministrat*. Replicavit primus: *Fac ut tuum istum amicum ita benignum cognoscam*. Pollicitus fuit ille: et quodam mane duxit eum ad ecclesiam in qua sacro interfuerunt. Quum ab ecclesia egressi fuerunt, dixit primus: *Et ubi est amicus qui quicquid tibi opus est subministrat?* Respondit secundus: *Non vidisti Iesum Chri-*

stum super altare? hic ille amicus est qui mihi subministrat. Intelligamus itaque, fratres, quod solum Deus, non peccatum, ille est qui nobis omnia suppeditat; suppeditat tamen observantibus, non violantibus legem suam.

10. Bonum est omnes scire (sed iam plures scient) pontificem Benedictum XIV. usque ab anno 1748., dominicis solemnibusque festis exceptis, concessisse in utriusque Siciliae regno ut in aliis festis quisquis laborare possit, dummodo tamen missam audiat. Festa autem in quibus laborari nequit sunt dominicae omnes, primus dies nativitatis Domini, dies circumcisionis, idest primus dies anni, epiphaniae, ascensionis et corporis Christi; amplius, quinque festivitates Mariae ss., idest conceptio, nativitas, aununciatio, purificatio et assumtio; denique festa dd. Petri et Pauli et omnium sanctorum et protectoris principalis cuiuscumque civitatis aut terrae aut oppidi dioecesis.

§. 2. *De obligatione audiendi sacrum.*

11. Quid est missa? *Est sacrificium quod offertur divinae maiestati, corporis et sanguinis Iesu Christi sub speciebus panis et vini.* Ad huius praecepti satisfactionem duo requiruntur, intentio scilicet et attentio. Requiritur 1. *intentio*, scilicet ut quis audire missam intendat; quare non satisfacit qui assisteret vi detentus aut fine visendi ecclesiam aut animo amicum praestolandi aut alio fine quam illo missam audiendi. Sed si quis sacrum ob devotionem audiret credens diem illum non esse festum, posteaque sciret esse festum, an sacrum aliud audire teneretur? Minime; quia sufficit praecepto satisfecisse, licet praeceptum audiendi sacrum observare non cogitaverit.

12. Requiritur 2. *attentio*, nempe ut sacrificio quod peragitur attendatur. Attentio isthaec potest esse externa et interna. Procul dubio non satisfacit qui absque *externa* attentione sacrum audit, uti esset si, dum celebratur sacrificium, qui assistit dormiret aut ebrius esset aut scriberet aut cum aliis confabularetur aut in alias exteriores operationes se occuparet. Quaestio autem est inter doctores an satisfaciat qui sine *interna* attentione assistit sacro, scilicet si, tempore sacrificii, quod peragitur videt, sed postea se distrahit interne, alias res, non Deum cogitando. Multi dicunt tantum venialiter hunc peccare quoties voluntarie distrahitur, sed non graviter, et satisfacere in substantia obligationi audiendi sacrum; assistit enim praesentia morali. Sententia tamen communior cum d. Thoma vult quod hic minime satisfacit: intelligitur quando cognoscit quod distrahitur a missa, et positive vult se a missa distrahere. Unde vos moneo ut, dum sacro assistitis, tam magnum sacrificium quod tunc peragitur recogitetis. Meditamini passionem Iesu Christi; missa enim quaedam est renovatio sacrificii quod Iesus Christus obtulit in cruce: aut meditamini aeternum aliquod effatum, nempe mortem, iudicium, infernum. Qui scit legere, liberculum aliquem pium aut officium b. Mariae Virginis legat. Qui legere nescit, si meditari non vult, dicat rosarium aut vocales alias orationes. Saltem ad sacerdotis actiones attendat. Satisfacitne qui, dum sacrum audit, confitetur? Minime quidem: quia tunc assistit tanquam reus qui peccata sua patefacit, non vero uti sacrificans, et certum est quod qui sacro interest, una cum sacerdote sacrificat.

13. Quare bonum esset fines in missa propter quos instituta fuit adimplere. Missa instituta fuit 1. ut Deus honoraretur; 2. ut ei gratias agamus; 3. ut peccatorum satisfactio obtineatur; 4. ut gratiae quae nobis opus sunt impetrentur. En quid tempore missae nobis erit faciendum. Primo offerre debemus Deo illud Filii sui sacrificium in honorem suae divinae maiestatis. Secundo de omnibus acceptis beneficiis gratias ei referre. Tertio in nostrorum peccatorum satisfactionem missam illam offerre. Quarto petere a Deo per Iesu Christi merita gratias quae, ut sal-

vi esse possimus, nobis sunt necessariae. Praesertim vero cum elevatur hostia, a Deo, propter Iesu Christi amorem, ut peccata nobis remittat quaeramus: et cum elevatur calix, quaeramus a Deo propter merita divini illius sanguinis suum amorem et sanctam perseverantiam: et cum sacerdos corpus Christi sumit, spiritualem faciamus communionem, dicentes: *Iesu mi, ego te desidero, te amplector; ne permittas me separari a te.*

14. Plura praeterea sunt animadvertenda; et 1. qui partem aliquam missae omittit, graviter peccat, si materia est gravis. Sed quae pars missae gravis est? Alii dicunt quod ad grave peccatum vitandum sufficit assistere et adesse offertorio, illi scilicet orationi quam post evangelium recitat sacerdos; missa enim, uti dicunt iuxta s. Isidorum, ab offertorio olim incipiebat. Communior tamen sententia vult esse peccatum grave non assistere a principio usque ad evangelium inclusive : conveniunt tamen omnes dicentes non peccare graviter illum qui aut omittit assistere a principio missae usque ad epistolam, aut quod post sumtionem dicitur omittat. Qui vero aut consecrationi aut sacerdotis sumtioni non assisteret dico quod non satisfacit : teneo enim quod sacrificii essentia tam in consecratione quam in sumtione consistit.

15. Animadvertendum 2. quod damnata fuit propositio 53. ab Innoc. XI., quae dicebat quod satisfacit qui eodem tempore duas medias missas a duobus audit sacerdotibus. Sed si quis successessive duas medias missas audiret, mediam scilicet missam ab uno sacerdote et mediam ab alio? Multi admittunt quod satisfaceret, dummodo assistat (et ita intelligendum est) consecrationi et sumtioni eiusdem sacerdotis.

16. Animadvertatur 3. quod satisfacit qui audiret missam ex choro post altare maius, aut si esset post parietem aut columnam ecclesiae, aut extra ipsam ecclesiam, quin sacerdotem videat, modo coniunctus sit populo manenti intus ecclesiam, ita ut saltem per alios quid in missa fit comprehendere possit.

17. Animadvertatur 4. quod respectu illorum qui domi privata habent oratoria, praecepto non satisfaciunt, nisi soli domini qui privilegium obtinuerunt, familiae eorum, scilicet eorum consanguinei aut affines usque ad quartum gradum, dummodo (quod notandum) eandem domum habitent et expensis privilegiati vivant, et dummodo, cum sacrum peragitur, unus ex illis cui privilegium concessum est assistat. Respectu autem servorum, non omnes servi satisfaciunt, sed illi tantum qui a dominis aluntur et, uti loquitur indultum, domino missae tempore sunt necessarii; scilicet aut ut sacerdoti celebranti serviant, aut ut domino, ut genua flectat vel sedeat, praebeant auxilium , aut ut meditationem legant et similia.

18. Quaeritur quae a sacri auditione excusent. Excusat impotentia tam realis quam moralis. Impotentia realis est quum quis infirmus esset in lecto aut in carcerem esset inclusus aut esset caecus, et neminem, a quo ad ecclesiam deduceretur, haberet. Impotentia moralis est cum quis non potest petere ecclesiam sine timore gravis damni spiritualis aut temporalis: ideoque excusantur qui custodiunt civitatem aut exercitum aut gregem aut domos aut pueros aut infirmos, quum nullos alios habeant quos in locum suum possint sufficere. Excusat quoque omne grave incommodum: ideoque excusantur infirmi qui non possent ad ecclesiam se conferre sine poena aut timore in eundem morbum reincidendi: ita pariter excusantur servi, si dominorum domus sine eorum aut proprio gravi incommodo derelinquere non possunt; e. g. si domum deserentes timerent ne dimitterentur, et difficulter novum dominum possint adinvenire.

19. Excusat notabilis ab ecclesia di-

stantia, ut si distaret tria milliaria, iuxta id quod tradunt dd., et etiam minus si tempus esset nivosum aut pluvium, aut persona esset debilis, aut via nimis incommoda. Excusat et consuetudo aliquorum regionum, in quibus mos est a domo non egrediendi post partum aut post alicuius propinqui mortem. Sed sunt qui ecclesiam non petunt, in plateas tamen se conferunt: hi minime excusantur. Amplius, excusari possunt aliquae personae, ut illae quae vestes non habent aut comitatum decentem : si tamen aliquod remotum esset sacellum in quo primo mane sacra peragerentur, illuc ad audiendam missam ire tenerentur.

20. Caeterum, christiani mei, missam audire quotidie curate : oh quam magnus thesaurus est missa pro unoquoque qui eam pie sancteque audit! Praeter indulgentias (Innocentius VI. concessit termille, et plures annos indulgentiae in qualibet missa quae auditur), magnae gratiae obtinentur. Sacrum enim audienti fructus passionis Iesu Christi applicantur; nam, ut superius diximus, quicumque assistit insimul cum sacerdote sacrificat et Deo tam pro se quam pro aliis mortem et merita omnia Salvatoris offert.

21. Audite quot bona spiritualia et temporalia percipit qui sacrum audit. Tres mercatores quadam die a civitate Eugubii insimul discedere volebant : sed quia eorum unus prius sacro interesse cupiebat, alii duo illum expectare noluerunt et sine illo discesserunt; sed cum ad fluvium *Corfuone* pervenerunt, qui plurimam ob pluviam, quae noctu cecidit, increverat, dum in medio pontis erant, pons pessum ivit, et ipsi perierunt suffocati. Pervenit eo tertius ille qui, ut missam audiret, vestigia presserat, et invenit duos socios mortuos in ripa, et recognovit gratiam quam, quia sacro interfuit, accepit.

22. Horribilius hoc factum praeterea audite. Fertur quod in aula cuiusdam principis aderat quidam puer adeo pius ut numquam sacro interesse praetermitteret. Puer alter prae invidia principi illum accusavit, dicens quod nimiam familiaritatem cum eius uxore habebat. Princeps propterea iratus, quin aliud examinaret, aliquibus, qui tunc fornacem quandam, calceariam fortasse, habebant accensam, iussit ut, statim ac quidam suus puer ad eos veniret, illico in fornacem illam eum iniicerent, et illico ipsum facerent certiorem. Postea misit infelicem accusatum puerum sub quodam praetextu ad locum fornacis; qui dum ambulabat, audiit tintinnabulum quod ad audiendam missam evocabat, et gradum sistit sacroque interfuit. Princeps, quum nuncium, quem expectabat, statim non recepit, puerum alium, falsum accusatorem scilicet, eo misit ut quid factum erat sciret. Ut infelix eo pervenit, quia pervenit primus, captus fuit et combustus. Supervenit inde puer innocens, et reprehensus a principe quia statim non obedivit, respondit quod sisterat ad sacrum audiendum. Princeps tunc de accusationis falsitate suspicans, de ea inquisivit, piique pueri innocentiam detexit.

23. Sed antequam praeceptum hoc absolvamus, aliquid de malo usu quem de festis christiani faciunt dicemus. Instituit Deus dies festos ut in eis ipsum honoremus et pro paradiso merita acquiramus, eundo ad congregationem aut ad ecclesiam ad audiendam concionem, ad rosarium dicendum, ad visitandum ss. sacramentum, ad Mariae virgini et sanctis advocatis nos commendandum: plures tamen utuntur festis, ut magis Deum inhonorent, et maiora pro inferno merita acquirant. Ad quid plures dies festos adhibent? aut ad altercandum, aut ad rixandum (quot homicidia in festo accidunt!) aut ad dandam amori operam, ne ecclesias quidem reverendo, aut ad sistendum in aliqua via ad male cogitandum, aut cum sociis ad inhoneste loquendum, aut in aliqua taberna ad ludendum, blasphemandum aut ad vinum ad e-

brietatem usque bibendum. Sacram parochus facit concionem, et aliqui data opera nolunt sacro parochi interesse, ut concionem eius non audiant. *Luctus animae dies festivus*, dicebat Ieremias[1]. Ita quoque nostris hisce temporibus est dicendum *luctus animae*. Ad quid nunc festum? ut magis intus infernum, augendo peccato, anima sepeliatur.

24. Dixi, quod aliqui, ne concionem audiant, ecclesiam ingredi nolunt. Dicit tamen s. Ioannes Chrysostomus quod pro aliquibus melius esset, si ecclesiam numquam ingrederentur, quia ingrediendo maiora committunt prae tot tantisque irreverentiis peccata, quam si ab ingrediendo abstinerent. En sancti verba: *Non tam crimen fuisset non venire ad templum quam sic venire.* Heu quam magnus horror est aspicere tot irreverentias quae in praesentiarum in ecclesiis committuntur! et postea de Dei punitionibus conquerimur! Multi scribunt auctores quod Cypri regnum in turcarum manus venit propter irreverentias quae in ecclesiis adhibebantur. Scribit Eugenius Cistenius, qui a Ferdinando I. fuit ad Solimanum legatus, quod circa Mahumeti sepulcrum turcae non loquuntur, non exspuunt, non tussiunt neque umquam se vertunt ad rem aliquam quamcumque propter curiositatem aspiciendam: christiani vero quid faciunt in ecclesia? alta voce confabulantur, undique oculos movent, circumspiciunt, ut videant quae est pulcra, quae turpis; mala cogitant, ad ecclesias, ut ad mulieres animum adiiciant, audent venire, ne adversus quidem Iesum Christum sacramentatum reverentiam adhibendo. Deus meus, qua ratione non corruunt ecclesiae! qua ratione nos Iesus Christus, uti non semel accidit, non deserit! Narrat Verme in sua instructione quod in quadam ecclesia, quia ibi irreverentiae admittebantur, dum sacerdos sanctam hostiam elevabat, quaedam horribilis vox audita fuit quae dixit: *Popule, ego hinc discedo.* Immediate post visa fuit hostia elevata in altum in medio ecclesiae et repetiit vocem: *Popule, ego hinc discedo*. Cum ad tectum denique pervenit, iterum vocem repetiit: *Popule, ego hinc discedo*. Inde evanuit, et illico corruit ecclesia super toto illo populo infelici. Fratres mei, quo pacto potest nos Deus tolerare, videns nos ad ipsum offendendum ingredi ecclesiam ubi ipse gratias nobis dispensat?

25. Antequam praeceptum hoc absolvamus, quaedam pauca dicamus quae sancta ecclesia iubet ut observemus in vigiliis, ut ita festa quae subsequuntur honorentur, et in quadragesima, ut ad paschae celebrationem nos accingamus. Tria iubentur in ieiunio: primum, abstinentia a cibis prohibitis; secundum, unica comestio, scilicet quod semel in die manducari potest; tertium, ante debitam horam non manducare. Quoad abstinentiam prohibentur carnes et lacticinia, illis locis exceptis in quibus lacticiniis et ovis vescendi viget consuetudo. Sed hoc locum tantum habet in vigiliis: nam in quadragesima nulli dubium quod prohibita sunt lacticinia ob proposit. 32. damnatam ab Alexandro VII. Declaravit postea Benedictus XIV. quod dispensatus licentia medici et insimul parochi aut confessarii ad vescendum carnibus in quadragesima aut sanctorum vigiliis mane non potest manducare carnes et pisces: debet relinquere pisces si vescitur carne, non vero si lacticiniis vesceretur.

26. Secunda obligatio est semel in die manducare, et tantum sero permittitur prandiculum quod octo uncias excedere non debet. Quidam sero excedunt decem, quindecim et etiam viginti uncias: quid ieiunii! *Sed, pater, facio ut fames adhuc mihi remaneat.* Sed hoc non sufficit. Antiquitus primi christiani rigorose semel in die et sub vesperum manducabant; postea ecclesia collationem permisit, sed octo uncias (ut dixi) non excedentem, iuxta

(1) Cap. 17. v. 21.

communiter introductam consuetudinem. Et si quis hoc pondus in materia gravi, idest plusquam duas alias uncias, praetergreditur, graviter peccat. Excusantur tantum a ieiunii obligatione iuvenes nondum uno et viginti annis nati et senes qui sexagesimum annum iam compleverunt et pluries in dies cibis egent. Excusantur quoque illi qui artes laboriosas exercent, ut fossores, textores, fabricatores, fabri ferrarii et similes. Excusantur etiam mulieres praegnantes aut lactantes. Pauperes denique qui mane tam parum cibi habent ut ad eos sustentandum non sufficiat.

27. Tertia ieiunii obligatio est quod, iuxta morem praesentem, prandium aut coena non fiat ante meridiem: unde per integram horam illud antevertere a gravi culpa excusari non potest, quemadmodum recte dicunt plures dd. contra opinionem aliorum, cum d. Thoma qui [1] docet quod frangit ieiunium qui notabiliter horam prandii antevertit.

28. Praeterea, animadvertendum est quod declaravit Benedictus XIV. et clarius declaravit regnans pontifex Clemens XIII. quod etiam dispensati ad carnes aut ad lacticinia in quadragesima et in vigiliis semel in die manducare tenentur: et in collatione aliis cibis vesci non possunt, nisi illis quibus ieiunantes et non dispensati vescuntur, idest in collatione neque carnibus neque lacticiniis vesci possunt.

CAP. IV. *De quarto praecepto.*
Honora patrem tuum et matrem tuam.

Quartum hoc praeceptum principaliter filiorum obligationem erga parentes comprehendit: sed minus principaliter comprehendit quoque parentum erga filios obligationem, necnon et obligationem dominorum, servorum, virorum et uxorum.

§. 1. *De filiorum erga parentes obligatione.*

1. Filius tenetur erga parentes amorem, reverentiam et obedientiam praestare. Ergo primo loco tenetur praestare amorem. Quare peccat 1. graviter contra hunc amorem, si grave malum patri aut matri optet; et peccat dupliciter, contra caritatem et contra pietatem patri debitam. Peccat 2. si de suorum parentum fama detrahat; et tunc tria peccata committit, unum contra caritatem, secundum contra pietatem et tertium contra iustitiam. Peccat 3. si eis non subveniat in necessitatibus tum temporalibus, tum spiritualibus, uti esset si pater graviter aegrotaret, tunc filius tenetur eum de periculo monere atque curare ut sacramenta suscipiat. Quando pater aut mater in gravi sunt necessitate, filius tenetur eos suis sumptibus alere. *Fili, suscipe senectam patris tui*[2]. Ipsi nobis cum parvuli eramus alimenta subministrabant; iustum est ut nos ipsis iam senibus praestemus alimenta. Dicit d. Ambrosius[3] quod ciconiae quando vident patres suos iam senes et ad victum quaerendum inhabiles, ipsae eis victum comparant. Quid ingrati animi crimen aspicere filium in taberna manducantem eo ipso tempore quo mater fame perit!

2. Audite magnum amoris actum quem quidam filii propriae matri ostenderunt. Anno 1601. erant in Iapone tres fratres elaborantes ut victum matri subministrarent; quem cum procurare non potuerint, quid fecerunt? Iusserat imperator ut qui furem vinctum ad iustitiam adduceret, magnam summam in praemium habuisset. Inter se fratres conspirarunt ut unus fingeret se furem et alii duo eum ad iustitiam ducerent, ut praemio inde accepto matrem alere possent. Sortem inde miserunt ut cui sorte daretur, se furem fingere et mori deberet: poena enim mortis in fures erat constituta. Super iuniore sors cecidit, qui vinctus ductus fuit ad carceres; sed cum duo illi fratres ab incluso in carcerem discesserunt, hunc amplecti et omnes plorare visi fuere. Hoc iudici fuit renunciatum, qui quo illi irent inspicere fecit: ut do-

(1) In 4. dist. 15. q. 3. a. 4. q. 1

(2) Eccl. 3. 16. (3) L. 1. exem. c. 16.

mum pervenerunt, et mater factum audivit, dixit velle potius mori quam videre quod filius ille sua pro causa moreretur. *Ite*, dicebat, *reddite pecuniam, et filium meum mihi restituite*. Iudex, factus certior de hoc, imperatori renunciavit, qui pietate commotus pinguem annuum redditum tribus fratribus constituit, et in hunc modum amorem et pietatem, quam erga matrem habuerunt, Deus eis remuneravit [1].

3. E contrario audite qua poena quendam ingratum filium Deus affecit. Refert episcopus Abelly in sua Instructione[2] casum ab antistite Thoma cantipratense relatum [3] qui eius tempore accidit. Dives homo in Gallia erat qui unicum filium habebat, et optans ut hic matronam quandam sua conditione multo nobiliorem duceret in uxorem, voti compos factus fuit hac adiecta conditione ut quicquid habebat filio donaret, a quo postea alimenta reciperet. Ita factum fuit. In principio filius bene patrem tractavit; sed postea, ut uxori obsecundaret, ab aedibus patrem alienavit atque parum ei subveniebat. Quadam die quum plures pro amicis epulas extruxisset, quumque auxilium ab eo petere pater venisset, eum filius acriter expulit. Sed quid ei accidit? Audite. Ut mensis accubuit, in faciem eius rubeta insiluit eique tam stricte se adstrinxit ut inde evelli non potuerit. Tunc de ingrato animo suo adversus patrem doluit, ivit ad episcopum ut a tali peccato absolveretur; et episcopus pro poenitentia ei imposuit ut facie detecta omnes regni provincias peragraret, peccatum suum propter aliorum filiorum exemplum narrans. Scribit praefatus antistes hoc scivisse a quodam patre ordinis praedicatorum, qui, quum esset Parisiis, propriis oculis infelicem illum cum rubeta in faciem viderat et ab illo factum audiverat.

4. Attendite igitur, filii, parentes vestros amare eisque, si sunt pauperes aut carceribus detenti aut infirmi, subvenire: nam si secus egeritis, magnas a vobis poenas sumet Deus. Permittet saltem Dominus ut postea filii vestri eodem modo vos tractent quo vos parentes vestros tractatis. Audite. Refert Verme in sua Instructione quod quidam filius patrem de domo expulit, qui, quum aegrotaret, ad xenodochium se contulit, unde ad filium pro duobus linteis misit. Filius per proprium filiolum illa patri misit. Parvulus unum avo tulit. Interrogatus a patre quare unum linteum avo portaverat, respondit: *Linteum aliud servavi pro te quum ad xenodochium ibis*. Intelligite: quo modo filii suos patres habent, ita et ipsi a propriis filiis habebuntur.

5. Secundo tenetur filius patri et matri habere reverentiam: *In opere, sermone et omni patientia honora patrem tuum;* dicit Deus [4]. Opus est igitur ut parentibus habeatur reverentia *opere et sermone:* ideo peccatum est respondere ad eos irate aut voce alta. Maius peccatum est eis deridere, eos affingere, imprecationes aut contumelias in eos dicere, vocando eos *amentes*, *bestias*, *latrones*, *ebrios*, *veneficos*, *scelestos* et alia id genus. Verba haec, si coram ipsis proferantur, sunt peccata mortalia. In antiqua lege cautum fuit ut *qui maledixerit matri suae vel patri morte moriatur*[5]. Nunc vero non damnatur ad mortem temporalem, sed maledicitur a Deo: *Et est maledictus a Deo qui exasperat matrem*[6] et ad mortem damnatur aeternam.

Gravius peccatum esset extollere manus aut extendere velle, patrem aut matrem percutere. Fili qui in matrem tuam manus iniecisti, breves erunt dies tui. Dicit enim Scriptura: *Honora patrem tuum et matrem ..... ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra*[7]. Ergo sicut qui parentes honorat vivit longo tempore et bene est ei in terra, ita qui parentes inhonorat brevi vivet tempore, et male ei erit in terra. Nar-

(1) Biblioth. pro parochis t. 5. p. 91.
(2) N 28 (3) L. 2. c. 7.

(4) Eccl. 3. 9. (5) Exod. 21. 17.
(6) Eccles. 3. 18. (7) Deut. 5. 1.

rat d. Bernardinus senensis quod cum quidam iuvenis vitam suspendio finivit, visa fuit in eius facie barba incipiens et canuta. Episcopo pro illo infelice oranti fuit revelatum quod, si quia parum genitores observavit, non meruisset deseri a Deo ad illa delicta patranda quae suae mortis causa fuerunt, usque ad senium vixisset.

6. Casum tamen audite horribiliorem, relatum a d. Augustino[1]. In Cappadociae provincia mater erat plures habens filios. Quadam die primogenitus, postquam eam iniuriis affecit, verberavit eam; et reliqui filii, uti debebant, primogenitum non impedivere. Mater tunc, pro contumelia illa irata, aliud commisit peccatum; se enim in ecclesiam contulit, et ante baptisterium in quo eius filii fuerunt sacris lustralibus aquis abluti omnibus illis maledixit, rogans Deum ut poenam quae toti mundo terrorem ferret, ab illis sumeret. Eodem tempore filios omnes magnus tremor invasit. Inde filii per diversa loca erraverunt, illius maledictionis signa secum ferentes; mater, dolore illius flagelli desperatione mota, seipsam strangulavit. Scribit d. Augustinus quod quum in quadam ecclesia esset in qua d. Stephani aderant reliquiae, illic venire vidit duos ex dictis filiis, quos quisque contremiscere inspiciebat; quo tremore illi ante reliquias, s. Stephani intercessione, liberati fuerunt.

7. Hoc aliud factum audite. Quidam pater crudeliter a proprio filio per pedes reptabatur; cum ad quendam locum pervenerunt, dixit pater: *Satis sit, fili, non ultra; quia usque huc ego patrem meum reptavi, et Deus iuste in poenam permisit ut ego raperer a te.* Audistis, mei filii, quomodo Deus punit illos qui vexant genitores? Dices: *Sed patrem habeo qui tolerari nequit.* Audi tamen quid dicit Deus: *Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius* [2]. Fili, dicit Deus, nonne vides quod parentes tui sunt senes, senectutis morbis excruciati; opus est ut non affligas eos in illis paucis annis qui eis supersunt. Subiungit scriptura[3]: *Et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua.* Senes quandoque rationem amittere videntur; sed in hoc filiorum virtus consistit, scilicet ut eorum tolerent impatientias.

8. Tertio oportet obedientiam erga genitores praestare in omnibus illis rebus quae iustae sunt: *Filii*, inquit s. Paulus, *obedite parentibus vestris in Domino* [4]. Unde filii parentibus suis obedire tenentur et circa servitutem domus et praesertim circa mores: e. gr. cum parentes iubent ne ludant, ne cum malis sociis versentur aut ne in suspectas domos se conferant; et peccant si non obediunt. Refert Theophilus Raynaudus quod in finibus Galliae quidam nobilis aderat iuvenis, sed suae matri viduae non obediens; nam cum haec pluries ei iussisset ut ante vesperum, et non ad mediam noctem, uti solebat, ad domum rediret, filius non obedire perrexit. Quadam noctē mater portam claudere fecit: quam quum clausam filius reperiisset et a nemine, licet clamaret, auditus fuisset, iniurias et maledictiones in matrem evomuit, posteaque cum famulo et fratre, qui secum erant, in aliam domum se recepit: sed ut corpus in lecto imposuere, magnus rumor fuit prius auditus, posteaque visus fuit ingredi in idem cubiculum horribilis gigas, qui per pedes eum accipiens super tabulam eum extendit, posteaque ense falcato eum caecidit et quatuor horribilibus canibus qui illic apparuerunt, devorandum dedit: frater et famulus corpus eius quaesiverunt; sed invenire non potuerunt. Frater postea in carthusianorum ordinem se adscripsit, ubi sanctam vitam egit et diem extremum sancta morte confecit.

9. En quomodo punit Deus filios genitoribus non obedientes. Notare tamen oportet unum verbum textus d. Pauli superius relati. Dicit apostolus

(1) De civ. Dei l. 22. c. 8. (2) Eccl. 3. 14.

(3) Ibid. v. 15. (4) Eph. 6. 1.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino [1]. Notate verbum illud *in Domino*, quod significat quod genitoribus obedire debemus in illis quae placent Deo, non vero in illis quae Deo displicent: ideoque si e. gr. mater iubet filio ut furetur aut ut aliquem percutiat, filius obedire teneretur? minime quidem; et peccat si obedit. Ita quoque circa electionem status aut matrimonii aut circa vitam coelibem aut ad sacerdotalem statum aut religiosum sumendum, filius, uti dd. cum d. Thoma docent, non tenetur parere genitoribus. Quod tamen ad matrimonium facit, peccat filius si matrimonium quod familiae esset dedecori contrahere vellet. Ad religiosum statum tamen quod attinet, si parentes in gravi essent necessitate, et filius opera sua his subvenire posset, eos nequit derelinquere. E contrario graviter peccant illi patres et matres cogentes filios ut sacris ordinibus initientur aut ut alicui religiosae familiae dent nomen, aut filias ut monasterium aliquod ingrediantur aut ibi vota emittant; et hoc casu incurrunt excommunicationem impositam a Tridentino [2].

10. Peccant quoque genitores, si filios, coelibem vitam ducere volentes, uxorem ducere cogant, aut impediant ut alicui ordini religioso dent nomen. Quibusdam patribus religio non est filios a vocatione distrahere; sed scire debent quod mortaliter peccant. Nos debemus nosmetipsos salvare secundum vocationem quam nobis dat Deus: et ille ideo filius, si ordinem religiosum, in quem a Deo vocatur, ingreditur, salvus erit; sed si patris aut matris instigatione remanet in mundo, malam vitam aget et damnabitur. Et pater non curat quod filius damnetur, dummodo domi remaneat! Tales patres, ait s. Bernardus, filiorum *non parentes, sed peremtores sunt dicendi.* De eis tamen poenas sumit Deus non solum in alia sed etiam in hac vita, et sumet per ipsos filios, qui, quum vocationem amiserint, vitiis indulgebunt domumque suam vastabunt. Heu quot funesta exempla habemus quae domibus acciderunt ex eo quod parentes filiis suis vocationem amittere fecerunt! Unum saltem audite.

11. Narrat p. Alexander Faia societatis Iesu [3] quod Tudelae in Hispaniis Castellae veteris loci quidam valde divus unum habebat filium, quem ad conservandam domum destinaverat. Filius tamen, ad societatem vocatus, adeo superiores eius rogavit ut in illa tandem receptus fuerit. Quod ut pater scivit, venit ad novitiatum et tales querelas et strepitus fecit ut filius, ut patri indulgeret, exierit e societate. Domum regressus, iterum a Deo, ut mundum relinqueret, fuit vocatus. Ille tamen, non audens ad societatem redire, in d. Francisci familiam fuit ingressus: sed pater tantum fecit ut etiam ab ea illum eripuerit. Pater inde voluit ad suum arbitrium filio uxorem dare; filius vero aliam in uxorem volebat ducere, et propterea taliter altercari et unus in alium odium habere coeperunt ut quadam die, dum contendebant, patrem filius interfecerit: qua de caussa fuit captus et in furca suspensus de hac vita migravit. Patres atque matres, estote attenti a filiis aut filiabus vestris vocationem, quam habent, non auferre. Quod maius solatium possunt habere genitores quam habere filium aut filiam quae se Deo dat et vult salva fieri? S. Aloysii Gonzagae mater, Castilionis marchionis uxor, licet ille primogenitus et unicus esset, videns quod ad societatem Iesu erat vocatus, ut in eam ingrederetur, suum praebuit auxilium. Hoc proprium genitorum est, adiuvare et inducere filios ad vitam sanctam ducendam. Et si te umquam impedire vellent genitores, ne in meliorem vitae statum, ut melius Deo vaces, te recipias, fac quemadmodum fecit quidam iuvenis nomine Theodorus, qui, uti in s. Pachomii vita, cap. 20., memoratur, erat in Aegypto eratque u-

(1) Eph. 6. 1. (2) Sess. 25. cap. 18.

(3) In exposit. ad ps. 4. et 25.

nicus et valde dives. Quodam die festo domi suae magnum celebrabatur convivium: ille tunc a Deo illuminatus congnovit quod omnes suae divitiae nihil sibi in hora mortis possent prodesse. Unde eodem ipso die se clausit in cubile et effusis lacrymis Deum oravit ut patefaceret qui vitae status, ut suam aeternam salutem tutam efficeret, erat sibi assumendus: inspiratus a Deo fuit ut in s. Pachomii coenobium se reciperet: unde ille, omnia derelinquens, in fugam se coniecit. Mater, imperatoris litteris, s. Pachomium, ut sibi filium redderet, quaesivit; sed Theodorus adeo Deum rogavit ut Deus ipse ad mundum relinquendum et matrem adduxerit, quae etiam in quodam monialium conventu se clausit.

§. 2. *De parentum erga filios obligatione.*

12. Duae potissimum sunt genitorum erga filios obligationes, scilicet filiis alimenta subministrare, bonamque educationem ipsis praebere. Quoad *alimenta*, tenetur pater alere filios etiam discolos, imo etiamsi portionem suam dilapidaverint et etiamsi indignum contraxissent matrimonium. Et quare? quia semper sunt filii: ergo peccat pater si sine iusta caussa filium de domo expellit; si eum in morte privat legitima, aut dotem neget filiae quae digno viro vult nubere. Quid autem de inhumanis illis patribus dicendum qui lautitiae student et in taberna ludendo amittunt pecuniam, et filii interim parum panis desiderant, et panem non habent? Belluae omnes filios alere curant; inter homines tantum feritas isthaec invenitur ut filii fame pereant! Animadvertatur hic quod etiam fratres, cum possunt, tenentur suos fratres alere, sororibusque quae in gravi necessitate sunt dotem constituere. Ita docent communiter doctores.

13. Quoad *educationem* autem, certum est quod filii in bonos homines evadunt, si bonam a genitoribus habuerint educationem; in malos, si malam. Ad hunc finem Deus matrimonium instituit, ut filii, directione et monitis parentum, Deo vacent et salventur: secus remanerent derelicti, quum nullus esset qui illos in iis, quae facere debent, admoneret, aut qui illos puniret, si a vitiis ad meliorem frugem se non recipiant; saepe enim quo admonitio non pervenit, poenae timor pervenit. Experientia compertum est quod genitores sancti filios sanctos faciunt. S. Catharina Sueciae, quum s. Brigidae filia esset, fuit sancta. Sanctus Henricus imperator fuit sanctus quia filius fuit s. Stephani Hungariae regis. S. Aloysius rex Galliae fuit filius illius servae Dei, scilicet reginae Albae. Haec bona mater filio, dum puer erat, dicebat: *Fili, potius super feretro te mortuum videre volo quam lapsum in peccatum mortale.* Quaedam alia bona mater (memini) omnem operam dabat ut filii vitam ducerent sanctam, dicens: *Nolo esse mater filiorum damnatorum.*

14. E contrario parentes quidam curare non videntur si filii boni sint vel mali; si salventur aut damnentur. Ad rem scripsit Origenes: *Omnia quaecumque deliquerint filii de parentibus requiruntur.* Indubitatum est quod mala vita filiorum ordinarie a genitoribus dependet, qui tamen Deo rationem reddent. Sunt genitores qui, ne filios tristitia afficiant eos reprehendendo et puniendo, exitii eorum sunt caussa. Genitores crudeles! respondete mihi: si quis pater esset qui aspiciens quod unus ex suis filiis in flumen cecidit, et, quum posset eum a morte liberare crinibus eum trahens, eum sineret suffocari, ne sit caussa illius doloris quem filius, dum crinibus trahitur, haberet, nonne crudelis esset? Crudelior pater ille est qui non corripit et non punit filium vitiosum, ne eum affligat. Nonne crudelis esset pater ille qui puero daret tonsorium cultrum quo inexpertus puer se totum feriret? Crudeliores sunt illi patres qui filiis suis dant pecuniam ut illi eam ad libidinem impendant; aut permittunt ut conversentur cum improbis sociis aut in aliqua periculosa domo. In hoc potissimum de-

bent parentes incumbere, ut a pravis occasionibus, a quibus omnia mala proveniunt, filios removeant.

15. Quando bona verba et correptiones non sufficiunt, ad poenas venire oportet, praesertim cum filii in adolescentia adhuc sint; nam, quando firma erunt aetate, impossibile est eos comprimere: *Qui parcit virgae odit filium suum* [1]. Odit filium qui, cum opus est, eum non punit: et eum postea puniet Deus. Sacerdos Heli, uti legitur in scripturis [2], quia, quemadmodum debebat, filios non castigavit, ipse una cum filiis suis eodem die, Deo iubente, fuit mortuus. Sed puniendi sunt cum moderatione, non cum furore, uti quidam parentes faciunt, qui propterea nullum percipiunt fructum, quia tunc filii magis furunt Ante omnia oportet monere, postea minari, demum castigare, sed uti pater, non ut remigum moderator, et cum discretione et absque imprecatione et noxiis verbis: sufficiet eos in aliqua cella claudere, victum minuere, elegantiores vestes eis prohibere et cum opus erit ferulam etiam adhibere; ferulam, non baculum; filios itaque non verberate quando animi impetus adhuc viget: impetum prius comprimite et postea castigate.

16. Peccant itaque genitores circa filiorum educationem 1. si eos res fidei et aeternae salutis non docent. Saltem singulis dominicis mittere eos debent ad parochiam ut doctrinam christianam discant, et non mittere eos ut quidam faciunt, ad opus aliquod faciendum, ex quo accidit ut filii nesciant confiteri, et res quoque principaliores nesciant; nesciunt quid significant ss. Trinitas, Iesu Christi incarnatio, peccatum mortale, iudicium, infernus, paradisus, aeternitas: et prae tali ignorantia damnantur; de quibus tamen parentes Deo reddent rationem.

17. Peccant 2. nisi corripiant filios, quemadmodum superius dictum est, quando illi blasphemant, furantur aut inhoneste loquuntur. Sciant genitores quod tenentur quoque inquirere quam vitam filii ducant, quo eunt, quibus personis familiariter utuntur: hoc ad patris spectat officium. Quomodo igitur excusari possunt illae matres quae permittunt ut filiae cum suis amatoribus conversentur ut videant statim eas nuptas, et nihil penitus obturbat quod illae sint in peccato? Hae sunt illae matres de quibus David loquebatur, quae propter utilitatem domus daemoni filios immolant: *Immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis* [3]. Aliquae matres faciunt in domos suas ingredi iuvenes ad iocandum cum filiabus suis ut illi obligati remaneant ad ducendas eas in matrimonium et peccati catenis devincti: sed infelices non vident quod tot inferni catenis devinctae ipsae quoque remanent, quot sunt peccata quae committunt amatores: *Pater*, dicunt, *nil mali est*. Nil mali est? uti si stuppa igni imposita poterit non comburi: heu in die iudicii quot matres, quia voluerunt simili modo videre filias nuptas, damnatas videbimus!

18. Peccant 3. si non curant ut filii tempore debito sacramenta suscipiant, et festa et alia ecclesiae praecepta observent. Peccant 4. (et hoc duplex est peccatum) si eis scandalum afferant, blasphemias aut verba obscoena aut quid aliud mali coram ipsis proferentes aut facientes. Patres enim bonum exemplum praebere filiis tenentur, qui praesertim quum sunt parvuli, sunt veluti simiae, quae quod vident faciunt, hoc tamen discrimine potius quod malum exemplum, ad quod nostra vitiata natura est proclivis, imitantur quam bonum, cui natura resistit. Quomodo bonam vitam incipere possunt filii audientes saepe patres suos blasphemare, de alicuius fama detrahere, iniuriis proximum afficere, imprecari, de ultione et obscoenitate loqui, et quaedam pestifera effata repetere, ut cum pater dicit filio: *Opus est ut a nemine duriter habearis: Deus misericors est; quaedam tolerat peccata;*

(1) Prov. 13. 24. (2) 1. Reg. 2. 4.

(3) Ps. 105. 37.

aut cum mater dicit filiae: *Opus est conversari et rudem non esse?* Quid boni a filiis illis expectari potest qui vident patrem tota die in taberna morari, posteaque ebrium ad domum reverti? ad domum aliquam parum honestam ire? vix in pascha et raro confiteri? Dicit s. Thomas quod tales patres filios *ad peccatum*, *quantum in eis est*, *obligaverunt in eis* [1]. Hinc tot animarum oritur exitium, quae damnantur, quia filii malum exemplum a parentibus capiunt, quod postea filiis suis praebent, et in hunc modum patres, filii nepotesque damnantur. Quidam genitores queruntur quia eorum filii sunt improbi: *Numquid*, dixit Iesus Christus, *colligunt de spinis uvas* [2]? Vidistisne umquam uvas a spinis colligi? Quomodo igitur boni esse poterunt filii quando mali sunt genitores? Miraculo opus esset.

19. Et propter hoc videmus quod patres improbam ducentes vitam filios de peccatis non corripiunt; quia, quum filiis sint malo exemplo, illa filiorum peccata quae ipsi quoque committunt reprehendere verentur; et si umquam correptionem faciunt, eam filii parvipendent. Dicitur quod cancer videns filios oblique ambulantes, eos corripuit dicens: *Cur ita oblique ambulatis?* Responderunt filii: *Pater*, *fac ut quomodo tu ambules videamus.* Pater obliquius ipsis ambulabat: unde amplius loqui non fuit ausus. Idem est dicendum de omnibus genitoribus malum praebentibus exemplum: prae rubore enim corripere filios, qui malis undique premuntur, non audent. E contrario certum est quod peccant si illos non corripiunt. Quid itaque eis erit faciendum? Dicit d. Thomas quod huiusmodi pater debet saltem rogare filium ut suum malum exemplum non imitetur. Sed ad quid valet, ego dico, haec tam turpis correptio, si pater malum pergat praebere exemplum? Hoc unum dico: quando malum parentes praebent exemplum, non suffragantur neque correptiones neque preces neque punitiones.

(1) Ps. 16. (2) Matth. 7. 16.

Regula pro patrefamilias.

20. Pater qui familiam suam bene vult administrare prius debet incumbere ad malum a domo removendum et postea ad promovendum bonum. Quod de patre dico, et de matre dictum intelligatur. Quod ad malum removendum attinet, debet 1. impedire quominus filii versentur cum scandalosis aut cum servis perditis aut cum aliquo magistro bonitatis suae specimina non praebente 2. A sua domo removere debet famulum aut famulam quae facile filios aut filias tentare possit. Patres boni vigilant ne domi famulas iuvenes admittant cum filii grandiusculi sunt. 3. Debet a domo sua exstirpare libros de rebus obscoenis aut de amore loquentes, ut sunt quaedam fabulae, vulgo *romanzi*, *Ariostus*, *Pastor fidus* et similes: hi libri infelicium iuvenum sunt pernicies. Refert Videumaun [3], quod in quadam civitate quidam aderat iuvenis qui erat omnium exemplum: casu obscoenum librum legit, et adeo se improbavit ut omnium scandalum evaserit, ita ut magistratus eum in exsilium mittere fuerit coactus. Iuvenis alter, cum ad peccandum cum aliqua muliere pervenire non potuisset, quid fecit? Fecit ut in eius manus liber amatorius perveniret: et hoc modo animam et honorem illa amisit. Eo magis si liber ille unus ex iis esset qui iuxta praesentis temporis morem circumferuntur et errorem aliquem contra fidem aut contra ecclesiam contineret.

21. Debet 4. etiam auferre a domo picturas immodestas, eo magis obscoenas. Legitur apud p. Rho [4], quod venerabilis cardinalis Bellarminus domum cuiusdam civilis viri introivit et, quasdam immodestas picturas aspiciens, dixit illi: *Amice*, *rogo te ut pro amore Dei eleemosynam facias*, *quasdam nudas personas vestibus induendo.* Promisit ille: tunc ei picturas illas car-

(3) Acr. 7 (4) Exemplo 1. p. 57

dinalis ostendit. Heu quomodo delectantur daemonia in alicuius domo inhonestas picturas videndo! Narratur in vita p. Ioannis Baptistae Vitelli [1], quod visa fuit turma diabolorum in nobilis viri atrium ingredi et ibi dare thura inhonestae picturae quae ibi erat suspensa, propter lucrum quod faciebant animarum.

22. Debent 5. vetare filiis ne personam inducant, ne in domus in quibus choreae exerceantur se conferant aut comoediam agant. Prohibere debet filiabus ne ab extraneis litteras discant. Heu quid periculi in hoc est! Pro litteris addiscendo, peccare addiscunt. Discant litteras ab aliqua muliere aut ab aliquo fratre parvulo. Dico *parvulo;* quia, si fuerit grandis, etiam erit timendum. Attendant quoque patresfamilias numquam permittere quod in eodem lecto maneant mares simul cum foeminis, et tanto minus una cum ipsis genitoribus. Invigilare amplius debent ut eorum filiae non loquantur remotis aliis et familiariter cum quovis homine, licet sancto. Sancti qui sunt in coelo in peccata ruere non possunt, sed sancti qui sunt in terra carnei sunt ut reliqui homines, et si occasiones non fugiant, daemones evadunt. Ad hunc finem committere iuvat uni ex filiabus quae melior sit ut secreto renunciet, si domi huiusmodi familiaritatem aut perversitates alias videt.

23. Quoad bonum vero quod paterfamilias debet promovere, 1. faciat ut mane omnes a Deo gratiam quaerant ut erga Deum ipsum illo die non delinquant, dicendo ad hunc finem Deiparae tres *angelicas salutationes*. Optimum esset, si efficeret ut tota familia per mediam horam in communi meditationem faceret, et familiae unus aliquod meditationis caput legeret, uti pluribus in domibus fieri solet.

24. Efficiat 2. ut filii suo tempore sacramenta suscipiant, scilicet sacramentum confessionis cum septennes erunt, et illud communionis cum decem erunt annorum, quemadmodum divus Carolus Borromaeus iubebat. Et tunc faciet ut confirmationis quoque sacramentum suscipiant: inde curet ut saltem bis in mense confiteantur et corpus Christi sumant, quin tamen eos cogat; neque ad confitendum tali confessario obliget illos, prae timore ne sacrilegium committant. Caeterum, ut filii obligationibus suis satisfaciant, plurimum iuvat eos consuescere facere illa quae obligationis non sunt, ut ieiunare in sabbato, quotidie in b. Virginis honorem rosarium cum litaniis recitare, conscientiam sero examinare et actus fidei, spei et caritatis facere, ss. sacramentum visitare, ante septem b. Virginis festivitates novenas peragere: ideoque mittant eos ad concionem, ad venerabilis expositionem et ad alios pietatis actus qui in ecclesia exercentur. Dicit Spiritus sanctus: *Curva eos a pueritia eorum* [2]. S. Aloysius Galliae rex in cuiuslibet actionis initio se signo crucis signare solebat dicens: *In hunc modum me mea mater, quum parvulus eram, docuit.* Oh si omnes patres in hunc eumdem modum assuescere filios curarent! Incumbunt tamen genitores (quod vere malum est) potius bona temporalia filiis comparare quam spiritualia, et postea utraque filii amittunt.

25. Curet 3. pater saepe in filiorum animos inducere christiana effata, improbos socios periculosasque occasiones fugiendi, ad Dei voluntatem seipsos conformandi et in adversis patientia utendi. Ante eorum oculos ponat infelicitatem illorum qui in peccato vivunt, quam maximi ponderis sit salvum esse, mundi vanitatem, horam mortis, quae rebus omnibus finem facit, necessitatem commendandi se Deo tempore tentationum, devotionis erga Mariam virginem valorem et efficaciam. Haec in animo puerorum imprimuntur; incipiunt ea adhibere, et hoc modo bene morati usque ad mortem erunt.

(1) Lib. 1. c. 8. (2) Eccl. 7. 25.

§. 3. *De obligatione dominorum, servorum et coniugum.*

26. Quod ad dominos attinet, hi peccant 1. si caussa sunt ut servi laborando festa non observent, missam non audiant; tenentur imo domini invigilare ut servi praecepto paschali caeterisque christianis obligationibus satisfaciant: 2. si eos non corrigant cum Deum offendunt blasphemiis, verbis obscoenis, scandalis etc.: 3. si eis denegent aut differant salarium.

27. Peccant e contrario servi 1. si famulati desint aut si, ut debent, domino non obediant. 2. Si domini damnum, quum illud commode impedire possint, permittant: imo, quando damnum provenit non a conservis sed ab extraneis, si non impediunt, ad restitutionem quoque tenentur. 3. Si ante statutum tempus discedant. 4. Si velint occulte compensare sibi operas suas, quas maiori pretio salarii dignas existimant: damnata enim fuit ab Innoc. XI. propositio 37. dicens: *Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario quod recipiunt.* Peccant 5. si ad aliquod Domini peccatum, licet inviti, cooperentur. Excusari quandoque poterunt, si, obedire nolentes, magnum inde damnum essent passuri, et eorum cooperatio intrinsece mala non foret.

28. Quoad coniuges peccat vir 1. si negligat culpabiliter victum et vestes uxori procurare. Peccat 2., si male habet uxorem verberibus, alapis aut contumeliis gravibus. Uxor socia est, non mancipium: quidam viri ante matrimonium tam magna uxoribus promittunt dicentes: *Eris domina domus, domina mea;* sed paucis mensibus elapsis ut mancipia eas tractant. *Quid? uxorem meam, quum se non bene gerit, castigare non possum?* Maxime, quum aliqua iusta adesset causa, honestatis praesertim, et uxor pluries admonita ad meliorem vitam se revocare noluisset, tunc potes eam, sed moderate, punire: illicitum tamen est propter frivolos defectus uxorem verberare; ut e. gr. si iracundum aliquod proferret verbum aut si in aliquibus parvi momenti non obediret. Peccat 3. vir si impedimento uxori sit quominus satisfaciat rebus praeceptis, ut missam audiendi, praeceptum paschale adimplendi et etiam pluries in anno confitendi; quia difficulter potest conservari in gratia Dei persona illa quae est in mundo quaeque semel tantum in anno confitetur: *Sed, pater, quotidie vult illa confiteri et Christi corpus sumere.* Si iusta, respondeo, adest caussa, uti esset si illa, frequentans sacramenta, domesticae gubernationi deficeret, tunc prohibere potes: non vero si uxor non deficiat, nec aliud inconveniens adsit.

29. Peccat graviter uxor 1. si viro non obediat in eo quod iustum est, praesertim in reddendo debito; et quoties non obedit, peccat. Peccat 2. si, invito viro, de bonis communibus impendat plusquam solent sui ordinis uxores; huiusmodi enim bonorum non uxor, sed vir est dominus: impendere tantum aliquid posset pro familiae necessitate quando vir familiae subvenire non curaret. Peccat 3. si iniuste renuit sequi virum mutantem domicilium: uxor enim tenetur illuc commeare quo vir commeat quotiescumque conditio inita in sponsalibus contraria non esset, aut si aliquod damnum aut grave periculum eius non adesset. Peccat 4. si in causa esset cur, irate respondendo, vir blasphemaret. Queruntur quaedam uxores quod semper verberantur a viris. Sed, quando eum vides iratum, quare ad indignationem eum excitas et non taces? In quodam loco quercus erat et arundo: furens consurrexit ventus; quercus resistere voluit, et tota fracta remansit, arundo se inclinavit, fecit transire ventum, et nullum detrimentum cepit. Intellexisti? tace quando vir tuus furit, fac ut ille irae ventus concidat, et non vapulabis. Ita accidit cuidam uxori semper querenti quod a viro verberabatur: quidam probus homo dixit ei: *Age, volo tibi*

praebere aquam quam si habueris in ore dum vir tuus furit, numquam amplius te vir tuus duriter habebit.

30. Refert d. Augustinus quod mater sua s. Monica, licet vir eius valde molestus et iracundus esset, cum eo in pace vivebat, ita ut propinquae, quae cum viris suis saepe dissidebant, ab ea quadam die petierint qua arte uteretur ad quiete vivendum cum viro. Respondit sancta: *Sorores, vexationes quas a viris vestris habetis non tam ab eorum vitiis proveniunt quam a vitiis vestris. Vos respondetis et replicatis et ita eorum animos exasperatis, et ideo estis semper inquietae Ego, quando virum meum iratum video non loquor, eum tolero et pro eo Deum rogo, et hoc modo in pace vivo. Ita etiam vos facite, et ita etiam vos vivetis in pace.*

Cap. V. *De quinto praecepto.*

Non occides.

1. Prohibet Deus ne proximo quodcumque damnum inferatur aut in persona aut in bonis aut in fama. De damno in bonis aut in fama in septimo et octavo praecepto verba faciemus: hic tantum de damno in persona loqui debemus.

2. Principaliter in hoc praecepto prohibetur occidere hominem aut quodcumque aliud damnum ei inferre, ut eum ferire aut percutere. Dicit ille vindictae cupidus: *Volo eum e medio tollere.* E medio tollere? Et tu es dominus vitae proximi? Deus solus vitae nostrae dominus est. *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem* [1]. Heu in quod odium Deo veniunt sanguinolenti! a Deo etiam in hac vita puniuntur. David dicit [2] quod *viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Scriptura dicit quod Cain, postquam morti dedit fratrem suum Abel, *habitavit profugus in terra* [3]. Ita evenit homicidis, qui, homicidio patrato, huc illuc semper discurrunt prae timore aut iustitiae aut consanguineorum occisi; eo magis in praesentiarum, quia ecclesiarum non habent asylum.

(1) Sap. 16. 13. (2) Ps. 54. 24.

3. Et si nemo eos persequeretur, eorum ipsa conscientia ipsos persequitur. In *Tabula geographica historica*, tom. 2. narratur quod Constanti II. postquam Theophilum fratrem suum fecit interficere, quotiescumque lecto sero corpus suum imponebat, videbatur prope lectum fratrem aspicere, calicem sanguine plenum in manu habentem atque dicentem: *Bibe, frater, bibe.* Propter visionis huius horrorem Constans mundum peragravit, usquedum infeliciter obiit, semper prae oculis usque ad mortem terrorem hunc habens. Quidam fur puerum morti dedit: postea videbatur ei puerum aspicere sibi exprobrantem: *Inhumane, cur me interfecisti?* Infelix homicida religiosorum familiae nomen dedit, sed puer ei dicere pergebat: *Cur me interfecisti?* et haec visio per novem annos perseveravit. Fur demum, quum exprobrationem hanc amplius audire non posset, ultro delictum suum iudici patefecit et fuit supplicio affectus [4].

4. Unus Deus vitae nostrae est dominus; ne nos quidem nos interficere possumus. Si umquam aliquis sanctus seipsum interfecit, uti dicitur de s. Apollonia quae proiecit se in ignem a tyranno praeparatum, id evenit ex Spiritus sancti inspiratione, et ideo non peccavit. Ceterum, stultitia fuit et error haereticorum donatistarum, qui ultro se interficiebant, dicentes quod hoc modo moriebantur martyres: martyres tamen daemonis; corpus enim una cum anima amittebant. Peccant quoque illi qui, plus nimio bibendo aut edendo cibos sanitati noxios, advertenter sibiipsis aliquem afferunt morbum; nos enim vitam nostram servare, et mortis pericula vitare tenemur. Peccatum quoque est mortem sibi optare. Si quis mortem optaret ut paradisum ascendat et cum Iesu Christo maneat (quemadmodum cupiebat d. Paulus: *Coarctor .... desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* [5]), ut liberet se a

(3) Gen. 4. 16. (4) Prat. spirit. c. 166.
(5) Phil. 1. 23.

periculo Deum offendendi aut ab aliqua magna afflictione, quae eum adduceret ad desperationem aut ad aliud peccatum patrandum (uti faciebat Elias, cupiens mori ut se a reginae Iezabelis vexatione liberaret), tunc liceret; non tamen licet prae rabie aut impatientia sibi mortem optare.

5. Praeterea, mortale peccatum est se inebriare usque ad privandum se usu rationis: idest ex homine ad belluam procedere. Quid hoc quorumdam vitium est, qui lagenam non deserunt nisi quando amplius se sustinere non possunt et quasi omni vestigio cadunt et amplius non vident? Iterum dico hoc mortale esse peccatum, imo plura esse peccata mortalia: ebrio enim imputantur ad culpam peccata omnia quae praevidet et quae praevidere debet se commissurum dum durat ebrietas, blasphemiae nempe, actus inhonesti, et proximi damna. Si nil aliud mali esset, adest illud quod ebrius voluntarie sensibus se privat, quod a peccato mortali excusari non potest. Nec valet dicere: *Dormitum eo, et hoc modo vinum digero*. Quid hoc? ad peccatum committendum satis est ut tantum vini bibas quantum iuxta transactas experientias ad privandum te sensibus sufficiat. Circa hoc legatur opus nuper editum a r. p. d. Agnello Cyrillo congregationis s. Petri Caesarani, in quo mala quae ab ebrietate proveniunt enumerantur.

6. Hoc quoad nos ipsos. Quoad proximum vero nostrum tribus de causis hominem occidere licet: ob publicam auctoritatem, ob propriam defensionem, ob bellum iustum. *Ob publicam auctoritatem* licet, imo tenentur principes et iudices damnare reos ad eam quam merentur mortem; et tenentur quoque carnifices damnationem executioni mandare. Deus ipse vult ut puniantur rei.

7. Secundo loco *ob propriam defensionem* iniustum licet aggressorem occidere cum alius modus vitam servandi non suppetat. Communis est haec sententia apud omnes theologos cum s. Thoma [1] cum catechismo romano [2] cum textu canonico[3] ubi dicitur: *Vim vi repellere omnes leges permittunt*. Ita pariter dicunt communiter dd. cum s. Antonino [4] et cum divo Thoma [5] licere interficere furem qui, monitus furtum derelinquere, obstinate recusat; quod probant ex textu Exodi[6] ubi dicitur: *Si effringens fur domum seu suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis*. Quod tamen intelligitur quando furtum esset rei magni momenti; imo, ut dd. dicunt, etiam quando furtum tale esset ut dominus, aut quoad se aut quoad suos, in gravi necessitate relinqueretur. Ita quoque dicunt licere pudicitiae aggressorem, cum nullum aliud medium ad eam tutandam subest, interficere.

8. Tertio loco licitum est interficere inimicos in *bello iusto*, et etiam dubie iusto, cum proprio principi est obediendum [7]. In duellis tamen et pugnis privatis tam a principalibus quam a patrinis excommunicationis incurritur poena: et qui in duello moritur sepultura quoque ecclesiastica privatur: et qui duellum suadent eandem incurrunt excommunicationem.

9. Tribus hisce casibus exceptis, proximum interficere, verberare, ferire, peccatum semper est. Prohibitus est quoque abortus, licet foetus inanimati: quando autem foetus erit animatus, incurritur nedum casus reservatus, verum etiam excommunicatio tam ab illo qui abortum procurat quam ab illis qui opera aut consilio cooperantur. Quod grave scelus est hoc, efficere ut infans ille sine baptismo moriatur et damnetur! Quod inhumanum remedium, velle patrato peccato cum alio maiori peccato mederi! Et hic pensetur magnum illud periculum in quod matres exponunt infantes quos in eo-

(1) 2. 2. q. 64. a. 18. (2) De 5. praec. n. 8. (3) In c. Si vero 3. de sentent. excom.

(4) 3. par. tit. 4. c. 3. §. 2. (5) Loc. cit. (6) 22. 2 (7) Can Quid culpatur 23. quaest. 1.

dem suo cubili collocant: hoc est peccatum reservatum quando infans annum unum adhuc non expleverit; saepe enim accidit quod plures infantes sub dormientis matris brachio mortui reperti sunt.

10. Quemadmodum peccatum est malum proximo facere, ita quoque malum ei optare. Unde quotiescumque quis grave malum proximo imprecatur atque ut ei eveniat cupit, mortaliter peccat. Et non est necesse ut malum illud desiderium diu perseveret: sufficit quod uno temporis puncto deliberate mortem aut aliud grave malum alicui personae optet, ut peccatum committat mortale. Nolite itaque amplius exsecrabiles illas imprecationes proferre; et dicere assuescite: *Deus te sanctum faciat. Sis benedictus.* Et cum quis aliquam in te evomit indignationem, illo utere remedio quod te Spiritus sanctus docet: *Responsio mollis frangit iram* [1]. Uno grato verbo: *Me excusatum habe; miserere mei*; *utere patentia; non animum intendi*, illico eum placabis, et nihil amplius erit. Si quis dicat tibi: *Mors veniat tibi*, tu responde ei: *Et tu bene vale;* et hoc modo eius iram extingues. Sed quando iratus es, tace et non loquere: quia tunc tui animi motus credere tibi faciet necessarium fore ut tali modo respondeas; sed, motu illo compresso, videbis quod male locutus fuisti et plura commisisti peccata, si non mortalia, saltem venialia. Quando contumeliam aliquam recipis, illico te Deo commenda, et cum in mentem venit ultio, recogita quas Deo intulisti iniurias. Deus toleravit te: quid magni est si tu contumeliam illam pro amore Dei toleres?

11. Sanctam audite ultionem cuiusdam patris in sui filii interfectorem. Refert p. Gisolfi in vita equitis Caesaris de consulibus, cuius unicus filius fuit ille qui interfectus fuit. Ad Caesaris domum, quin sciret, confugit interfector: sed Caesar scivit illum esse filii sui interfectorem, et quid fecit? benigne eum excepit, et pecuniam et equum ei dedit ut fugeret et in tuto se poneret. En quomodo veri christiani ulciscuntur.

CAP. VI. *De sexto praecepto.*
Non moechaberis.

1. De hoc praecepto parum loqui possum. Dicit d. Franciscus Salesius quod castitas, ut nominatur, maculatur. Quare quisque in suis circa hanc materiam dubiis suum consulat confessarium. Hic tamen in generali moneo quod non solum confessario patefaciendi sunt omnes actus consummati, sed etiam omnes tactus sensuales, omnes aspectus impuri, omnia verba obscoena; et praesertim cum delectatione vel cum audientium scandalo prolata, omnesque cogitationes inhonestae. Quidam ignari credunt quod patefacere debent tantum actus impudicos: nequaquam; etiam malae cogitationes, quibus assensi fuerunt, patefaciendae sunt confessario. Leges humanae opera prohibent tantum externa: homines enim quod exterius agitur vident; sed Deus qui intuetur cor, omnes improbas quoque cogitationes damnat. *Homo videt ea quae patent : Dominus autem intuetur cor* [2]. Et hoc dictum sit de cogitationibus in omni peccatorum specie, quibus suum quis praebuit assensum. Denique, quicquid peccatum est si fiat, ante Deum etiam peccatum est si desideretur.

2. Dixi : *cogitationes quibus aliquis suum praebuit assensum:* qua de causa distinguere oportet quando prava cogitatio est peccatum mortale, quando veniale et quando penitus peccatum non est. In peccato cogitationis tria concurrunt: impulsus, delectatio et consensus. *Impulsus* est illa prima cogitatio faciendi malum illud quod in mentem venit: hoc non est peccatum, imo cum voluntas statim respuit illam, meritum acquirit. Scribit d. Antoninus: *Quoties resistis, toties coronaris.* Etiam sancti a pravis cogitationibus fuerunt vexati. D. Bernardinus, ut tentationem huiusmodi vinceret, in spi-

(1) Prov. 15. 1. (2) 1. Reg. 16. 7.

nas se proiecit; s. Petrus de Alcantara iecit se in gelatum stagnum. Scribit s. Paulus [1]: *Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me.* Dominus autem noluit eum liberare; sed dixit ei: *Sufficit tibi gratia mea.* Et quare eum liberare noluit? ut sanctus, tentationi resistendo, magis magisque mereretur· nam *virtus in infirmitate perficitur* [2]. Dicit d. Franciscus Salesius quod cum fur ab extra ostium pulsat, certum est argumentum quod intus domum non reperitur: ita pariter quando daemon tentat, evidens signum est quod anima est in gratia. S. Catharina senensis semel fuit per tres dies impuris tentationibus a daemone plurimum vexata; post triduum apparuit ei Dominus ut consolaretur eam. Tunc sancta Domino dixit: *Salvator mi, ubi his tribus diebus fuisti?* Respondit Dominus: *Fui in corde tuo ad praebendum tibi robur ut tentationibus resisteres.* Et postea fecit ut Catharina suum proprium cor magis purificatum aspiceret.

3. Post impulsum sequitur *delectatio:* cum persona non est cauta ad expellendam statim tentationem, tentatio illico delectare incipit, et hoc modo personam trahit ad praestandum consensum. Usquedum tentatus non consentit, nullum erit peccatum mortale, sed veniale tantum: si autem anima tunc ad Deum non recurrit et tentationi resistere non conatur, faciliter consensum praestabit. *Nisi quis repulerit delectationem, delectatio in consensum transit, et occidit animam,* inquit d. Anselmus [3]. Quaedam mulier pro sancta habita, ad peccandum cum suo famulo tentata, tentationem statim repellere neglexit; et ideo mente tantum incidit in peccatum. Postea gravius aliud commisit peccatum; erubuit enim delectationem illam confiteri, et n peccato e vita migravit: sed quia pro sancta habebatur, episcopus in suam aediculam sepelire eam fecit. Mane post circumdata igne episcopo defuncta apparuit eique aperuit, sed sine fructu, quod damnata erat ob illam, cui assenserat, pravam cogitationem.

4. Praestito iam *consensu,* anima Dei gratiam iam amittit; et ad infernum remanet damnata, statim ac consentit desiderio committendi peccatum aut delectatur ad inhonestum actum, illum cogitando, uti si tunc eum committeret; et haec vocatur *delectatio morosa,* quae a desiderii peccato differt. Christiani mei, attendite ad repellendas malas cogitationes statim ac menti se offerunt, recurrentes illico pro auxilio ad Iesum et ad Mariam. Qui inhonestis cogitationibus assentire assuescit, in grave discrimen in peccato moriendi se coniicit. Primo quia haec cogitationis peccata facilius committuntur: homo in uno quadrante mille prava desideria habere potest, et pro quocumque pravo, cui assentitur, desiderio meretur infernum. In hora mortis moribundus peccata operae non potest committere, quia tunc se movere nequit. Sed pravi desiderii peccata committere valet, et daemon ad prava desideria moribundum vehementer tentat. Sanctus Eleazarus, quemadmodum refert Surius, in hora mortis tot tantasque pravarum cogitationum tentationes habuit ut exclamaverit: *Heu quam grande est in hora mortis daemonum robur!* Sanctus daemonia superavit, quia pravas cogitationes expellere assueverat: vae tamen illis qui cogitationibus pravis assentire assueverunt! Narrat pater Segneri quod quidam fuit qui saepe in vita cogitationibus pravis assensus fuit: in morte magno cum dolore peccata sua confessus fuit; unde eum pro sancto omnes habebant. Sed post mortem apparuit, dixitque quod erat damnatus: dixit confessionem suam fuisse bonam, et Deum ei iam pepercisse, sed quod, antequam e vita discederet, daemon ei dixit quod, si viveret, ingrati animi vitium esset

(1) 2. Cor. 12. 7. (2) Ibid.

(3) De simil. c. 40.

mulierem illam, a qua adeo amabatur, derelinquere. Primam hanc tentationem ipse expulit: successit secunda, et ipse tunc aliquantisper in illa institit; sed eam quoque expulit: successit tertia, cui ipse assensus fuit; et dixit hoc modo esse mortuum atque damnatum.

5. Frater mi, noli amplius dicere, ut aliqui dicunt, peccatum inhonestum parvum esse peccatum a Deoque tolerari. Quid dicis? Parvum est peccatum? Sed est peccatum mortale; et si peccatum mortale est, unum solum, licet pravi sit desiderii, satis est ad mittendum te in infernum: *Omnis fornicator non habet haereditatem in regno Christi*, dicit s. Paulus [1]. Vel ipsi gentiles hoc vitium peius omnibus esse, prae infelicibus effectibus quos producit, dicebant. Seneca [2]: *Maximum saeculi malum impudicitia;* et Cicero [3]: *Nullam esse capitaliorem pestem quam voluptatem corporis.* Ex sanctis autem scripsit s. Isidorus: *Quodcumque peccatum dixeris, nihil huic sceleri aequale reperies* [4].

6. Narratur in antiquorum patrum vitis [5], quod quidam solitarius ambulans propter divinam gratiam una cum angelo, putridum canem plurimum foetentem invenerunt in itinere. Angelus illius foetoris nullum displicentiae signum dedit. Obviam postea habuerunt quemdam iuvenem, omnino ornatum et fragrantem; tum angelus sibi nares obturavit: quare sic fecisset a solitario interrogatus, respondit quod ille iuvenis, propter impudicitiae vitium quod habebat, magis quam putridus ille canis putebat. Scribit Lyranus: *Luxuria est ipsis daemoniis exosa;* adeo ut quidam magus qui solebat commercium cum daemone habere, quum semel inhonestum commisisset peccatum, daemonem vocavit: daemon a longe et versis humeris ei apparuit. Quid significaret, magus quaesivit; respondit daemon: *Tua libido non sinit me ad te accedere.* Caeterum, ut ait s. Thomas, *diabolus dicitur maxime gaudere de peccato luxuriae, quod difficile ab eo homo potest eripi* [6].

7. Et quare? Primo, quia vitium hoc peccatorem excaecat et facit ut neque iniuriam quam Deo irrogat, neque infelicem damnationis statum in quo vivit et dormit, agnoscat. Dicit propheta Osea quod huiusmodi peccatores etiam desiderium revertendi ad Deum amittunt: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum.* Et quare? *Quia spiritus fornicationis in medio eorum* [7]. Secundo, quia hoc vitium indurat cor et reddit illud obstinatum. Tertio, quia daemon plurimum de huiusmodi vitio gaudet, ex hoc enim centum alia peccata oriuntur, nempe furta, odia, homicidia, periuria, detractiones etc. Noli itaque amplius dicere, christiane mi, hoc vitium parvum esse peccatum.

8. Dicis: *Deus tolerat illud.* Deus tolerat illud? Scias velim quod pro nullo alio vitio tales Deus ab hominibus sumsit poenas, quales pro vitio sumsit inhonesto. Scripturas lege, et videbis quod propter hoc vitium Deus misit e coelo ignem, et quinque civitates earumque habitatores combussit. Propter hoc vitium universale misit diluvium: *Omnis quippe caro corruperat viam suam* [8]. Homines omnes erant hoc vitio polluti; et Deus quadraginta diebus et quadraginta noctibus pluere fecit; et ita fecit ut omnes homines morerentur, octo exceptis personis quae se in arca servaverunt: *Venit diluvium, et tulit omnes.* Legitur amplius in scripturis quod hebraei quum ingressi fuerint in Setim Moabitarum civitatem, incoeperunt cum illius civitatis mulieribus peccare, et Moyses iussu Dei vigintiquatuor millia eorum ad internecionem usque caedere fecit: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab.....: occisi sunt viginti quatuor millia hominum* [9]. Vel

(1) Ephes. 5. 5. (2) Comp. ad Helv. (3) Lib. de senect. (4) Tom. 1. orat. 21.

(5) Part. 2. c. 8. (6) 1. 2. q. 73. a. 5. (7) 5. 4. (8) Gen. 6. 12. (9) Num. 25. 1. 9.

nunc videmus quod Deus etiam in hac vita vitium hoc castigat. Incurabilium xenodochium ingredimini; sciscitamini quam ob caussam ita torquentur tot infelices iuvenes (homines et mulieres) incisionibus et ignitis globis; quare? Respondebunt propter inhonestum peccatum: *Quia oblita es mei*, dicit Deus, *et proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum et fornicationes tuas* [1]

9. Et hoc quoad poenam in hac vita: quid autem erit de inhonestis in alia? Tu dicis a Deo peccatum hoc tolerari: sanctus vero Remigius dicit *quod ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur* [2]. Et p. Segneri dicit quod ex illis qui damnantur tres partes damnantur propter huiuscemodi peccatum.

10. Refert s. Gregorius[3] quendam nobilem virum inhonestum commisisse peccatum. Principio magnis conscientiae stimulis punctus fuit, sed, pro illud statim confessario patefaciendo, de die in diem patefacere neglexit, usquedum, pro nihilo putans peccatum illud et vocem Dei, a qua ad poenitentiam faciendam vocabatur, improvise mortuus fuit quin aliquod poenitentiae signum dedisset: cum postea sepultus fuerit, visa fuit per tres dies continuos a sepulcro quaedam exire flamma, quae in cinerem redegit non solum illius carnem et ossa sed etiam totum sepulcrum.

11. Aliud horribile factum audite relatum a celebri Fortunato episcopo Thierii in vita s. Marcelli episcopi Parisiorum. Quaedam matrona hoc se vitio coinquinavit, et postquam e vita migravit, sepulta fuit. Inde magnus serpens visus fuit qui quotidie sepulcrum petebat ut defunctae carnibus vesceretur. Habitatoribus magnum terrorem intulit tale spectaculum: unde sanctus Marcellus suo pastorali baculo serpentem percussit, eique iussit ut numquam amplius illuc veniret; et ex tunc serpens numquam amplius apparuit.

Remedia contra inhonestas tentationes.

12. Illis qui nesciunt se ab hoc vitio continere aut in periculo sunt in idem reincidendi praebuit Deus remedium, coniugalem scilicet statum, uti d. Paulus dicit: *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri* [4]. *Sed pater*, aliquis dicet, *magnum onus est matrimonium*. Quis inficiatur? Melius tamen est nubere et onus hoc tolerare quam uri in inferno. Sed non credite quod pro personis illis quae nubere aut nolunt aut nequeunt nullum aliud ad castitatem servandam adsit remedium: qui enim se Deo commendat, Dei gratia omnes potest inferni tentationes superare. Sed quae isthaec sunt remedia? Ecce ipsa.

13. Primum remedium est submisso ac supplici animo esse ante Deum. Castigat Deus aliquorum superbiam, permittendo ut illi in peccatum aliquod contra castitatem incidant. Oportet igitur ut humiles simus, et de nostris viribus diffidamus. Profitebatur David quod, quia humilis non fuit et nimis suis viribus nisus fuit, cecidit in peccatum. *Priusquam humiliarer, ego deliqui* [5]. Oportet itaque ut semper contremiscamus atque in Deo, ut ab hoc peccato nos liberet, spem omnem ponamus.

14. Secundum remedium est statim ad Deum pro auxilio recurrere, quin tentationem alloquamur. Cum menti aliqua impura species sistit, illico cogitationem deflectere ad Deum aut ad opus aliquod indifferens oportet. Sed optimum est illico invocare Iesum et Mariam, et tantum invocare usquedum tentatio discedat aut saltem defervescat. Et quando vehemens est tentatio, iuvat propositum renovare: *Deus meus, mori potius quam in te peccare volo;* et statim auxilium quaerere: *Bone Iesu, adiuva me; Maria, adiuva me.* Iesus et Mariae nomina ad expellendas daemonis tentationes robur habent speciale.

(1) Ezech. 23. 35.
(2) Apud s. Cypr. l. 1. de bono pudicitiae.
(3) Dial. l. 4. c. 33.
(4) 1. Cor. 7. 9.
(5) Psal. 108. 67.

15. Tertium remedium est confessionis et communionis sacramenta frequentare, et in confessione inhonestas tentationes confessario detegere plurimum prodest. Dicit s. Philippus Nerius: *Tentatio patefacta est pro medietate superata*. Et quando quis in aliquod huiusmodi incideret peccatum, statim confiteatur. Hoc modo d. Philippus Nerius iuvenem quendam ab hoc vitio liberavit; ei enim iussit ut, si quandoque in tale peccatum incideret, illico confiteretur. Communio autem ad huiusmodi tentationibus resistendum valde roborat. Ss. Sacramentum vocatur *Vinum germinans virgines*. *Vinum:* intelligitur vinum illud quod prae consecratione in Christi corpus abit. Terrenum vinum castitati contrarium est, sed coeleste servat illam.

16. Quartum remedium est pietas in Dei matrem Mariam, quae virgo virginum appellatur. Quot iuvenes prae hac pietate puri et casti uti angeli fuerunt! Refert p. Segneri quod quidam pater societatis Iesu quadam die confessionem excepit cuiusdam iuvenis adeo hoc inhonesto vitio lutati ut eum absolvere nequiverit: sed ei dixit ut quotidie mane tres salutationes angelicas recitaret puritati beatae Mariae virginis, ut eum a tali peccato liberaret. Rediit post plures annos, et post alicuius venialis peccati confessionem confessario dixit: *Pater, me non cognoscis? Ego ille sum quem ob impuritatis peccatum, multi sunt anni, absolvere non potuisti; sed quia quotidie mane tres illas salutationes angelicas recitavi, a dicto peccato sum Dei gratia immunis*. Et confessario potestatem dedit ut ita in generali factum hoc publicaret. Quod quum quidam miles, qui carnale commercium cum quadam muliere habebat, audierit, incepit tres *angelicas salutationes* recitare, et hoc modo se a dicto commercio liberavit: quem postea quadam die daemon tentavit ut in illius mulieris domum rediret, sed fine illius mores quoque mutandi; sed quid accidit? Iamiam domum erat ingressurus, cum invisibili et valenti manu fuit propulsus, quae valde longe ab illa domo eum transportavit. Tunc magis magisque Mariae virginis cognovit patrocinium: si enim in illam domum ingressus fuisset, facile prae vicina occasione in peccatum iterum incidisset. Unusquisque igitur quotidie mane in Mariae virginis honorem dictas tres angelicas salutationes recitet; addendo post singulas earum: *Propter tuam puram et immaculatam conceptionem, o Maria, fac purum corpus et animam meam*.

17. Quintum remedium, magis in hac materia necessarium, est fugere occasionem. Generaliter loquendo inter omnia media quae castitatem servare possunt primum est pravarum occasionum fuga. Sunt etiam media, sacramenta frequentare, in tentationibus ad Deum confugere, pietatem in Deiparam habere: sed horum omnium primum est occasionem fugere. Dicit scriptura: *Et erit fortitudo vestra quasi favilla stuppae...; et non erit qui extinguat* [1]. Fortitudo nostra est ad instar fortitudinis stuppae; quae igni superimposita statim ardet et extinguitur. Si quis stuppam in ignem proiiceret, et stuppa non arderet: nonne prodigium esset? Prodigium quoque esset se occasioni exponere et non peccare. Scribit d. Bernardinus senensis: *Maius miraculum est in occasione non peccare quam mortuum resuscitare*. D. Philippus Nerius dicebat quod in hoc sensus bello vincunt pavidi, idest qui occasionem fugiunt. Tu dicis: *Spero quod Deus adiuvet me*. Sed Deus dicit: *Qui amat periculum peribit in illo* [2]. Deus non adiuvat illum qui voluntarie et sine necessitate occasioni exponitur. Intelligere est opus quod qui exponit se occasioni proximae peccandi iam peccat, quamvis illud principale peccatum non committere penitus intelligat.

18. Occasione vicina etiam sancti ceciderunt, et etiam moribundi damnati

(1) Isa. 1. 31. (2) Eccl. 3. 27.

sunt. Refert p. Segneri in suo *Cristiano istruito* [1], quod quaedam mulier quae cum iuvene inhoneste peccaverat, quum morti esset proxima, confessarium vocavit eique profusis lacrymis totam vitam suam patefecit. Inde iuvenem illum vocare fecit, sed fine ut ille, quemadmodum ipsa fecerat, ad serviendum Deo se daret: sed quid evenit? Audite quantum prava occasio potest. Ut iuvenis ille pervenit, eum intueri illa incepit, et postea affectu impulsa ei dixit: *Care mi, ego semper amavi te, et nunc quoque te amo. Iam video quod propter te eo in infernum, sed propter amorem tuum non curo quod damnor.* Et hoc modo loquens e vita migravit.

19. Ergo, si salvi esse velimus, occasionem fugere debemus. Et 1. oportet numquam aspicere personas illas a quibus ad turpiter cogitandum tentari possumus. Scribit sanctus Bernardus: *Per oculos intrat in mentem sagitta impuri amoris.* Per oculos intrant in animam illae sagittae quae postea eam occidunt. Et Spiritus sanctus dicit: *Averte faciem tuam a muliere comta*[2]. Quid? peccatum est mulieres aspicere? Maxime: cum sunt iuvenes, aspicere eas peccatum est veniale; et si replicantur aspectus, mortalis quoque peccati adest periculum. Dicit s. Franciscus Salesius quod aspicere parit damnum, sed maius damnum parit iterum aspicere. Priscus quidam philosophus, ut se ab impudicis impulsibus liberaret, voluntarie se excaecavit. Nobis christianis non licet physice nosmetipsos excaecare; debemus tamen nos moraliter excaecare, alio oculos vertendo, et personas quae tentare nos possunt non aspiciendo. S. Aloysius Gonzaga numquam mulieres aspiciebat; etiam cum propriam matrem alloquebatur, ad terram demissos oculos habebat. Quod dictum est de hominibus mulieres aspicientibus, idem et de mulieribus homines iuvenes aspicientibus dictum intelligatur.

(1) Part. 1. p. 24. (2) Eccl. 9. 8.

20. Oportet 2. vitare socios malos omnesque conventus illos in quibus, uti dici solet, laeta verba homines inter et mulieres dicuntur. *Cum sancto sanctus eris, cum perverso perverteris*[3]. Si cum bonis consuescis, eris tu quoque bonus; si consuescis cum inhonestis, inhonestus eris et tu. Dicit d. Thomas quod homo *talis erit, qualis est conversatio qua utitur.* Et si quandoque cum quibusdam reperiris a quibus discedere non vales, dicit Spiritus sanctus: *Sepi aures tuas spinis*[4], ut obscoena illa verba quae proferuntur non intelligas. S. Bernardinus senensis, cum adolescens erat et aliquod obscoenum verbum audiebat, pudore se cooperiebat. Quam ob caussam socii coram illo quodcumque verbum obscoenum dicere non audebant. S. Stanislaus Kostka, cum verbum aliquod inhonestum audiebat, adeo horrescebat ut animo deficeret et sensus amitteret. Puella, cum aliquem sic alloquentem audis, verte terga et fuge. Ita s. Edmundus faciebat, uti in eius vita legitur; qui quadam die, quum socios inhoneste loquentes dereliquerit, obviam habuit pulcherrimum iuvenem qui dixit ei: *Deus te salvet, dilecte mi.* Sanctus ab eo, quis esset, petiit. Respondit: *Aspice me in fronte, et nomen meum lege.* Oculos levavit et legit: *Iesus nazarenus rex iudaeorum.* Evanuit tunc Iesus Christus, sed sanctum consolatione plenum reliquit. Saltem, quando cum aliquibus ita alloquentibus iuvenibus es, et discedere nequis, illis tunc aures non praebe, faciem verte, et ostende quod tibi ea verba displicent.

21. Sed hic narrare volo quomodo duo obscoene loquentes fuerunt castigati. Refert Turlot quod quadam die s. Valericus, ad coenobium suum hyemis tempore rediens, quum ante noctem pervenire non potuisset, in cuiusdam domum se recepit. Ut ingressus fuit, audivit quod ille obscoena cum alio loquebatur. Eos sanctus corripuit: sed

(3) Ps. 17. 27. (4) Eccl 28. 28.

illi ita loqui perrexerunt. Ideo s. Valericus, magno frigore non obstante, in fugam se dedit. Vix sanctus discesserat, dominus domus caecus remansit, et socium foedus morbus invasit. Unde sanctum sequuti fuerunt et oraverunt eum ut domum rediret; sed sanctus redire noluit, et dominus caecus remansit, et socius mortuus fuit dolore illo consumtus. Heu quid damni a verbis inhonestis! Unum inhonestum verbum efficere potest ut omnes qui illud audiunt, damnentur. Excusant se aliqui, dicentes quod ioco talia verba proferunt. Ioco? et interim, ea proferens, delectaris illis? Et scandalum quod praebes aliis? Te miserum! prae huiusmodi iocis tota aeternitate in inferno plorabis.

22. Sed ad fugam occasionum redeamus. Picturas amplius parum honestas oportet non aspicere. S. Carolus Borromaeus omnibus patribusfamilias prohibebat ne domui huiusmodi picturas haberent. Amplius, opus est improbos libros penitus non legere, et non tantum illos qui ex professo de obscoenis rebus loquuntur, sed illos quoque qui de profanis amoribus loquuntur, uti sunt quidam poetae, Ariostus, Pastor fidus etc. Et vos, patres, filiis vestris legere heroicorum facinorum fabulosas narrationes prohibete. Hae quandoque maius quam obscoeni libri damnum parturiunt. In infelices iuvenes infundunt scelestos quosdam effectus, qui pietatem auferunt ab eis, et eos, ut se in vitia immergant, impellunt. *Vana lectio*, dicit d. Bonaventura, *vanas generat cogitationes, et extinguit devotionem*. Facite ut legant filii vestri libros spirituales, historias ecclesiasticas sanctorumque vitas. Et hic repeto: prohibete filiabus vestris quin litteras discant ab hominibus, licet homo ille esset s. Paulus aut s. Franciscus assisiensis.

23. Ita pariter prohibete filiis vestris quominus comoedias agant aut comoedias audiant obscoenas. Scribit s. Cyprianus: *Quae pudica ad spectaculum processerat, impudica revertitur*. Filiis vestris pariter prohibete quominus ad quaedam festa se conferant, quae sunt festa daemonii, in quibus habentur choreae, amores, cantus parum honesti, ioci et peccatorum colloquia. S. Ephrem dicebat: *Ubi tripudia, ibi diaboli festum celebratur*. Dicunt: *Sed genio indulgere quid mali est?* Quid mali est? *Non sunt haec ludicra, sed crimina*, dicit s. Petrus Chrysologus. Quidam socius servi Dei p. Ioannis Baptistae Vitelli voluit, dicto patre invito, se conferre in quoddam huiusmodi festum quod Nurciae celebrabatur; ibi ante omnia Dei gratiam amisit posteaque ad male vivendum se dedit atque demum a proprio fratre fuit interfectus.

24. Demum circa hanc materiam a me aliquis sciscitabitur utrum sit peccatum mortale amori operam dare. Quid erit mihi dicendum? Ordinarie loquendo, dico quod qui dant operam amori, difficulter ab occasione proxima in peccatum incidendi sunt immunes. Experientia docet quod ipsorum pauci sunt illi qui a gravibus culpis immunes remanent. Nisi principio eas committunt, progressu temporis facile incidunt in illas; quia in principio loquuntur prae voluntate, sed postea voluntas abit in affectum, et quando affectus invalescit, excaecat mentem eamque ruere facit in sexcenta peccata pravorum desideriorum, verborum obscoenorum et demum etiam operum. Cardinalis Picus de Mirandula episcopus Albani confessariis iussit ut illos qui amori operam darent non absolverent, si, postquam correpti fuerint, insimul conversari etiam volunt, praesertim si loquantur soli aut longo tempore aut clam aut nocte. *Sed, pater, nullum malum finem et ne cogitationes quidem malas habeo*. Effugite, iuvenes, effugite, puellae, hos amatorios sermones cum personis diversi sexus. In principio daemonium non curat ut menti nostrae pravae sistant cogitationes; sed postquam affectus invaluit, tunc efficiet ut quid facies non videas, et quasi, quin

scias, amittes Deum, animam et honorem. Heu quot infelices iuvenes daemon hac via lucrifacit!

CAP. VII. De septimo praecepto. Non furtum facies.

1. Quid est furtum? *Est occulta et iniusta rei alienae ablatio, invito rationabiliter domino.* Dicitur *iniusta:* si quis enim in extrema esset necessitate aut nullo alio modo creditum suum recuperare posset, tunc rem alienam invito domino surripere poterit. Quod dictum est de necessitate, intelligitur quando necessitas est extrema, scilicet quando quis esset in proximo periculo mortis aut alterius gravissimi mali, nisi rem illam accipiat: et intelligitur modo tantum accipiat, quantum necessarium est ut periculum illud evitet. Ceterum, qui in gravi sed non extrema esset necessitate alienam rem invito domino auferre non potest propter propositionem 36. ab Innocentio XI. proscriptam. Quod ad compensationem tamen attinet, haec fieri nequit, nisi cum creditum est certum, et satisfactio nequit alio modo obtineri; unde, ut superius diximus in quarto praecepto[1], famulus non potest occulte compensare sibi opus suum, si illud existimet valere plus illo quod ei fuit a domino solutum, ob propositionem 37. ab eodem Innocentio XI. damnatam. Dictum est *invito domino;* quia cum domini consensus adest, aut huiusmodi consensus pro certo praesumitur, tunc furtum non est rem alienam accipere.

2. Furtum quando est in materia gravi respectu personae cui factum est, certum est peccatum mortale, et qui illud committit ad infernum damnatur: *Neque fures, neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt*[2]. Et hoc tale est peccatum ut quoque a terrae iustitia castigetur etiam poena mortis. Furta enim omnium rerumpublicarum pacem evertunt.

3. Quodcumque furtum itaque, si ad materiam gravem perveniat, peccatum mortale est. Et nihil refert quod pluribus vicibus fuerit factum: parva enim furta coalescunt, et magnum constituunt furtum. Et quando furtum factum fuit non clam sed vi, duplex est peccatum, quia duplex est iniustitia; et si furtum est rei ecclesiae aut committitur in ecclesia, sacrilegium quoque est.

4. Non solum autem furatur qui rem alienam surripit, sed ille quoque qui salaria famulis non solvit, aut non solvit quod debet artificibus aliisve personis. Haec vocantur *furta honorata*, *furta nobilium*, qui id parum habent religiosum. Quot tamen prae hoc peccato damnantur! *Panis egentium*, dicit Scriptura, *vita pauperis est; qui defraudat illum homo sanguinis est*[3]. Qui pauperi non satisfacit, ei vitam aufert; ita enim ille vivit. Dicit d. Iacobus: *Ecce merces operariorum quae fraudata est clamat ad Dominum*[4]. Nos propterea docet Spiritus Sanctus ut quicquid pauperi debemus statim solvamus: *Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum*, *quia pauper est*[5]. Tu dicis: *Crastina die solvam* et interim pauper fame perit. Iusurannus filius Luderici comitis Belgii tempore penuriae canistrum fructuum, quos mulier quaedam ei vendiderat, solvere distulit; prae tali dilatione tres filii dictae mulieris fame perierunt. Pater ob hoc delictum caput filio amputare fecit, uti refert Verme[6] *Pudeat*, scribit Cassiodorus, *illis tollere quibus iubemur offerre.*

5. Peccant pariter et damnantur illi qui legata pia a maioribus relicta non solvunt. Horum animae in purgatorio ardent et non loquuntur. Rectores sive ecclesiarum administratores respectu humano ne loquuntur quidem; et interim neque peraguntur sacra, neque eleemosynae distribuuntur. Heu quid exitii tot familiis, quia pia legata non solvuntur, evenit!

6. Peccant quoque illi qui decimas non solvunt. Obligatio decimas solven-

(1) Cap. 4. §. 3. (2) 1. Cor. 6. 10.

(3) Eccl. 34. 25. (4) 5. 4.
(5) Deut. 24. 15. (6) Catech. 2.

di provenit tam ab humana quam a divina lege; decimae enim parochis pro ipsorum substentatione dantur. Parochi concionari, sacramenta administrare, moribundis assistere et vel cum vitae periculo correptionem facere tenentur. Servus, qui tuo corpori servit, ut eum substentes meretur; et illi qui animae tuae servit non vis tantum dare quantum ei ad vivendum satis est, ut te salvum faciat?

7. Quid autem dicemus de illis qui laicas aediculas administrant? Pro ipsis facit quod dixit David: *Comederunt sacrificia mortuorum; et multiplicata est in eis ruina* [1]. *Comederunt sacrificia mortuorum*. Redditus a defunctis relictos pro missis, pro dotibus aut pro aliis piis operibus impendunt in convivia, in epulas et in crapulas; et quid inde? *Multiplicata est eorum ruina*. Ruina super ruinam: damnantur patres; damnantur filii, nepotes, pronepotes et familiae integrae.

8. *Sed, pater mi, habeo domum, uxorem, filios; magna mihi est necessitas: quid faciendum est?* Et pro domo itaque, pro filiis vis damnari? Audi quid accidit patrifamilias qui alienis rebus, ut filiis subveniret, conscientiam suam spurcaverat. Hic morti proximus tabellionem ut testamentum faceret vocavit. Ut pervenit tabellio, ei dixit: *Scribe: relinquo animam diabolis*. Domestici tunc clamare coeperunt: *Iesu, Iesu! delirat infirmus*. Ille replicavit: *Non deliro, non deliro; scribe tabellio. Animam diabolis relinquo, ut eam ad infernum ducant prae furtis quae commisi. Item relinquo diabolis animam meae uxoris, quae me ad furandum animavit ut in vanitates impenderet. Item relinquo daemoniis meos filios, qui ut furarer caussa fuerunt*. Qui confessiones eius exceperat, tuncque ei assistebat, illum, ut de seipso non desperaret et in Deum fideret, hortabatur. Moribundus autem testamentum conclusit dicens: *Item relinquo daemoniis confessarium meum, qui in vita me semper absolvit meque ad restitutionem non obligavit*. P. Ardias [2].

9. Furatur etiam qui committit usuras, scilicet qui pecuniam mutuatur cum obligatione aliquid singulis annis vel singulis mensibus solvendi. Hoc verum est furtum. *Sed sponte aliquid mihi ille dat*. Sponte tibi dat, sed necessitate coactus. Quid damni tibi est summam illam proximo mutuando? Si inde aliquid est damni aut lucrum aliquod certum tibi deficeret, tunc quod amittis accipere potes, et tunc caussam proximo, propter quam illud accipis, debes explicare. Sed si nil amittis, qua iustitia poteris aliquid accipere? Si accipis, verum est furtum: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, dicit Evangelium[3]. *Nihil inde sperantes:* propter benevolentiam, non vero propter lucrum illud quod speras, pecuniam mutuari debes; et hoc sit satis. In hac enim instructione de pluribus dubiis quae in hac materia evenire possunt non loquor, quia instruo et non moralem theologiam doceo. Dico tamen quod cum dubia insurgant, quisque ea ipse solus non solvat; proprius enim amor decipit atque facit ut res viridis coloris perspicillo videantur, sed consulat confessarium vel alios doctos homines, posteaque operetur.

10. Sciant publici usurarii quod excommunicati sunt, Christi corpus sumere non possunt et quando moriuntur, extra ecclesiam sunt sepeliendi, uti constitutum fuit a concilio lateranensi [4]. Praeterea, consideretur quod quandoque usura clara non est sed simulata, cum quis lucrum sub aliquo praetextu accipit; sed hoc lucrum quoque est restituendum. Heu quot infelices animae prae his detestabilibus usuris damnantur! Qui super hac materia aliquem scrupulum habet statim confiteatur, et nunc, cum tempus habet, debitum afferat remedium; aliter in infernum, ubi nulla est redemptio, condemnabitur. Quidam bonus iuve-

(1) Ps. 105. 28. et 29.

(2) Instr. t. 2. instr. 48. n. 8.

(3) Lucae 6. 35. (4) Clem. unic. de usur.

nis cuidam religiosorum ordini nomen dedit; quum in coenobio esset, vidit patrem atque fratrem qui prae commissis usuris ad infernum fuerant damnati. Ab ipsis moestus religiosus petiit an eis auxilium aliquod dare posset? Responderunt: *Minime; quia in inferno nulla est redemptio* [1].

11. Peccat quoque ille qui proximo iniuste in re damnum infert, et ad restitutionem tenetur uti si rem illam furatus fuisset, semper ac damnum, quod infert, animadvertit. Ita pariter peccat et damnum restituere tenetur qui aliquem a consecutione boni illius quod ei ex iustitia debetur impedit, aut si ei ex iustitia non deberetur, potest tamen donum aliquod aut legatum recipere, et tu malis artibus, vi aut calumniis impedis ne recipiat.

12. Peccant insuper et ad restitutionem tenentur illi omnes qui cooperantur ad furtum aut ad damnum proximi mandato, consilio aut non impediendo proximi damnum, cum possunt; ut tenentur omnes illi famuli qui a dominis habentur ut domum custodiant, et omnes alii famuli qui furem aliquem non impediunt, qui socius eorum non est, sed est extraneus et bona domini surripit: at quisquis qui parvo incommodo damnum aliquod impedire potest, et non impedit, restituere non tenetur; contra iustitiam enim non peccat, sed peccat graviter contra caritatem.

13. Furatur etiam qui casu alienas res reperit et eas domino non restituit, aut, si dominum nesciat, non vult diligentiam, ut dominum inveniat, adhibere. Res casu inventae servandae sunt quotiescumque adest spes dominum inveniendi. Imo subiungo quod cum sunt bona magni valoris, vestis nempe pretiosa, annulus magni valoris, crumena nummis plena, semper inveniendi dominum spes adest, si non pro tunc, saltem cum tempore; dominus enim spargere in vulgum quod amisit non desinet per omnia loca in quibus fuit, et hoc modo rei illius dominus detegetur.

14. Peccat quoque, qui rem furatam emit; nec dicere iuvat: *Nisi emo ego, emet alius*. Audite. Narratur in *Silva instructiva* apud Verme quod miles cuiusdam mulieris vitulam accepit. Infelix illa plorabat, dicebatque militi: *Quare vitulam hanc accipere vis?* Respondit miles: *Nisi eam accipio ego, accipiet alter*. Et vitulam illam hoc modo tulit. Miles hic postea interfectus fuit, et visus fuit damnatus a quadam persona daemonium proxime habens quod crudeliter eum flagellabat; et dicens damnatus: *Quare me flagellas?* Daemonium respondit: *Nisi ego flagello te, alius te flagellabit*. Itaque facite ut daemonium vos non decipiat, ut dicatis: *Si ego rem illam non accipio, accipiet alter;* si accipit alius, ille damnabitur, si accipis tu, tu damnaberis. Sed dices: *Eam ego solvi*. Nescis forsan rem illam rem esse furatam? quomodo igitur eam retinere potes? Male egisti, dum emisti eam, et nunc debes eam restituere.

15. Peccant quoque furti illi qui committunt fraudes aut iniustitias in vendendo aut emendo aut qui pactis non stant. Volo hic distincte fraudes explicare quae a quibusdam artificibus committuntur (*Instructor tamen de illis artibus quae in loco, ubi instructionem facit, non existunt minime loquatur*). Peccant sartores qui secant duas partes panni pro una, aut faciunt emere nimiam rem, quam postea sibi retinent, aut retinent panni segmina, aut rei pretium, quam pro vestibus emunt, augent. Sutores qui exteriores soleas, ut firmiores videantur, glutine collinunt, interiores vero adhibent ex villosis pannis, crassioribusque chartis confectas, aut pellibus utuntur ut plurimum obsoletis, quas forcipum vi iteratisque mallei ictibus distendunt. Fabri lignarii qui in tabulis partes cariosas glutinant aut scope cooperiunt; aut pauciores clavos illis quos apparere faciunt imponunt. Tabernarii qui pondera aut mensuras mancas adhibent. Dicit Deus:

(1) Matiol. l. 6. exempl. 10.

Non erit in domo tua modius maior et modius minor. Abominabitur Dominus qui facit haec [1]. Huiusmodi homines abominabitur Deus. Sciscitor: tabernarius qui multo tempore mancum pluribus dedisset, restituere tenetur; quomodo tamen tot personis fraudatum restituet? Melior restituendi modus, quin famam amittat, est dare quid amplius personis illius urbis aut terrae aut regionis quae ad res emendas venient. Restituere quoque tenentur illi qui pannorum artem exercent, et carminant contra initum pactum. Qui artis est me equidem intelliget. Cauponae qui, aquam vino imponentes, pretium meri vini exigunt aut tesserae signa augent. Carbonarii qui aquam in carbonibus non coctis, aut intus saccum purgamentum aut terram imponunt, aut in ponderando decipiunt, funem pedibus tenendo. Quae nent aut texunt quando filum humido exponunt, aut illud mutant, aut intus illud saponem, arenam aut furfurem ponunt. Venditrices quae res vendendas accipiunt, et partem pretii sibi retinent; totum illud pretium domino debetur, ipsae retinere sibi non possunt, nisi illud solum quod earum labori respondet. Ergo omnes hi damnantur? Ecquis erit qui hoc inficiabitur? Qui rem alienam accepit et non restituit damnatur.

16. O vos omnes qui negotiamini, vultis lucrari multum? Veritatem dicite. Narrat Caesarius [2] de duobus mercatoribus qui in confessionibus mendacia in negotiando dicta continue profitebantur quin umquam ad bonam frugem se reciperent, et pauperes semper erant. Iis dixit confessarius: *Agedum, nolite amplius mentiri, et ego promitto vobis quod magnum lucrum facietis.* Et ita evenit. Quum enim semper in ore haberent veritatem, nomen virorum integrorum meruerunt, et in hunc modum maius in uno anno cum veritate fecerunt lucrum quam decem annis fecerant cum mendaciis. Sed de restitutione edisseramus.

(1) Deut. 25. 13. (2) L. 3. C. 37.

§. 1. *De restitutione.*

17. Aliquibus qui alienas res acceperunt, cum confessarius eis dicit ut restituant, videtur restitutio tamquam poenitentia nimis dura a confessario imposita. Minime: non est poenitentia; est iustitiae obligatio, a qua nec confessarius nec episcopus nec papa dispensare potest: *Reddite..... omnibus debita*, dicit divus Paulus [3]. Restituenda est res, aut pretium illius, si res fuit consumta, domino qui eam amisit; et si umquam dominus e vita migraverit, ipsius haeredibus est restituenda. Et si dominus sciri non posset, aut nullus haeres esset, pauperibus est restituenda, aut pro domini anima ad celebrandas missas pretium est impendendum.

18. Et statim restituendum est. Sunt qui rem alienam tenent, restituere eam volunt, sed dicunt: *Quando moriar, tunc restituam.* Ergo restituere vis quando rem tecum ferre non potes! Quando aliquis restituere potest, et tempore notabili restitutionem differt, lethaliter peccat, quamvis animum restituendi habeat. A mortali tamen peccato excusabitur, si pauco tempore differat, scilicet per decem aut quindecim dies, sed non ultra. Et cum creditor damnum patitur pro hac parva dilatione, debitor damnum reficere tenetur; certum enim est teneri furem ad restituendum domino totum damnum quod ille furti caussa patitur. Et qui restituere potest, et non vult statim restituere, absolvi nequit; restitutio enim dura res est: unde qui restituere potest, et statim non restituit, in periculo amplius non restituendi remanet. Vir quidam nobilis centum nummos aureos ablatos habebat, eosque servabat; in confessione eum ad restituendum obligavit confessarius, et forsan eum, nisi prius restitueret, absolvere nolebat. *Pater*, respondit nobilis, *statim ac domum concedam, restituam.* Sed postea non restituit. Unde quia huiusmodi promissionem fecerat, et eam numquam

(3) Rom. 13. 7.

adimpleverat, ei demum dixit confessarius: *Age, si absolutionem vis, nunc domum concede et crumenam mihi exhibe; secus te non absolvam.* Ivit vir nobilis et rediit cum crumena. *Age, crumenam mihi da*, dixit confessarius. Respondit nobilis: *Pater, manum extende et eam accipe:* et ita restituit. Ex hoc videte, fratres mei, quam difficile sit ut quis restituat, si ante restitutionem absolvatur. Et indubitatum est quod *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, uti dixit d. Augustinus [1]. Ideo recte monet s. Antoninus: *Nullum peccatum periculosius furto: nam in aliis homo dolendo salvatur; de isto oportet ut etiam satisfaciat.*

19. Infelix qui alienas res habet! Factum hoc a pluribus relatum auctoribus audite. Usurarius quidam morti proximus ad restituendum a confessario fuit obligatus. Infirmus quatuor accersivit personas, et tradidit illis pecuniam et res male acquisitas ut illas restituerent. Ad coenobium ut rediit confessarius, daemonem vidit plorantem quia illius usurarii animam amiserat: sed aliud postea vidit daemonium, quod ploranti daemonio dixit: Stulte, quare ploras? Nonne vides quod unam animam amisisti, et quatuor alias acquisisti? Quatuor his assiste, quia faciliter tuae erunt.

20. Iterum dico: infelix persona illa quae alienas res retinet! quia difficulter postea restituet et facile damnabitur. Et dum erit in vita, alienas res illas, quas retinet, aliquando fruetur? minime, quia a conscientiae stimulo continue torquebitur. Quidam fur d. Medardo bovem rapuit: hic bos in collo tintinnabulum habebat: fur bovem domum duxit, et bos non movebatur, et titinnabulum aliud quam sonare non faciebat. Quid fecit? tintinnabulum a bove abstulit atque in capsa clausit, et tintinnabulum sonare non desinebat: posuit illud sub terra, et etiam sonare non desinebat. Fur denique deterritus accepit bovem et d. Medardo restituit; et tunc tintinnabulum sonare cessavit. Age, ad rem deveniamus. Qui alienas res habet, habet intus se tintinnabulum assidue sonans atque dicens: *Nisi restituis, damnaris.* Quomodo igitur cum hoc assiduo conscientiae stimulo pacem habebis?

21. *Sed pater, non possum.* Qui revera nil penitus restituere potest, dum vix habet quo modo cum filiis vivat, procul dubio excusabitur. Sufficit ei ut animum restituendi habeat statim ac potuerit, aut parum id quod poterit; quia si quis totum restituere non potest, quod potest tamen restituere tenetur, deponens e. gr. (cum potest) carolenum aut quinque obola singulis hebdomadis. *Sed ego numquam restituere potero:* nihil interest; satis est, si quod potes restituas.

22. Quid vero dicendum de illo qui, quum restituere possit, dicit: *Sed si restituam, quomodo facient filii mei?* Et si in infernum damnaberis, quid facies? Narratur in vita p. Aloysii La-Nuza celebris missionarii Siciliae, qui anno 1656. ab hac vita migravit quod quum cuiusdam equitis confessionem excepisset, quumque eum alieno aere gravatum reperisset, ad restituendum obligavit. Sed infirmus eques respondit: *Pater mi, si restituo, filius meus ut alii sui aequales vivere non poterit.* Pater Aloysius eum rogavit, obiurgavit, sed demum, videns illum obstinatum, ab eius domo discessit. Mane post quum ad rebus suis prospiciendum egressus fuisset, per solitarium iter ambulans, quatuor aethiopes obviam habuit, vinctum hominem super iumento conducentes; sciscitatus est quo infelicem illum ducebant. Responderunt: *Ad ignem.* Pater aspexit vinctum, et cognovit equitem quem obstinatum reliquerat: urbem postea ingressus, scivit quod nuper infelix ille mortuus fuit. En quem finem faciunt qui, ne filios pauperes relinquant, restituere nolunt.

23. Quae dementia, ut filii commodam vitam possint vivere, velle ad infernum damnari! Factum hoc a Petro

(1) Epist. 54. ad Maced.

de Palude relatum audite. Quidam paterfamilias, ne filios pauperes relinqueret restituere repugnabat. Confessarius, ut ille resipisceret, hoc excogitavit. Ei dixit quod, si a morbo convalescere cupiebat, aliquem ex filiis vocaret ut pauco adipe igne ex propriis carnibus extracto eius corpus ungeret. Tres filios infirmus habebat; sed nemo illorum voluit talem ignis poenam, ut patrem sanaret, tolerare. Tum pater resipiscens dixit: *Vos igitur non vultis tolerare parum ignis ut me a morte liberetis; et ego debeo ad infernum ire et ibi in aeternum ardere, ut faciam ut vos commodius vivatis? si sic facerem, demens essem.* Et totum id quod habebat restituit.

24. *Et si, pater mi, de aere alieno missas celebrare facio?* Non sufficit: quando certus est dominus, licet aliquis ignarus confessarius (sed nunc gratia Dei huiusmodi non inveniuntur confessarii) pro restitutione missarum celebrationem tibi imponeret; celebratis missis non obstantibus, quicquid domino debebas, semper restituere teneris. *Sed ego iam pecuniam pro missis dedi.* Sed dominus rem suam, quam accepisti, vult Quando autem dominum nescires, et nullus suppetit modus quo eum scire possis, hoc solo casu illius rem aut in missas celebrandas aut in eleemosynas pro illius anima poteris erogare.

25. Paucissimi tamen sunt qui restituunt. Hoc experientia probatur; quot furta in diem eveniunt, quot vero sunt restitutiones? Uti dici solet: *Caro cocta ad lanienam non redit.* Refert Verme in sua instructione quod quidam solitarius vidit luciferum in throno sedentem, ante cuius conspectum astitit daemon qui a terra venit. Petiit lucifer quare tantum ad redeundum moratus fuisset? Respondit daemon quod cunctatus erat ad tentandum quendam furem ut non restitueret. *Eho*, dixit tunc lucifer, *fatuum hunc castigate;* et postea ad eum conversus dixit: *Nescis, fatue, quod qui alienas res accipit, numquam restituit? et tu tantum temporis amisisti ut ille non restitueret? Cito, animadversio.* Rationem habet lucifer, et quare? quia *caro cocta ad lanienam non redit.*

26. Praeceptum hoc absolvamus. Qui advertit itaque quod rem alienam accepit, distinguere opus est an bona vel mala fide acceperit? Si bona fide accepit et adhuc eam retinet, certe illam restituere tenetur. Si vero bona fide sumserit, debet restituere totum id quo factus est *ditior*, scilicet quod a bonis suis reservavit quodque impendere debebat et adhuc servat. Si vero totum bona fide consumsit, tunc ad nihilum tenetur. Sed si quod accepit, mala fide accepit, totum restituere debet, et amplius omnia damna quae ob tale furtum domino, quamvis fortuito, acciderunt. Ad hoc, si salvus esse vult, tenetur. Si vero restituere non vult, et vult ad infernum damnari, in eius arbitrio est: sciat tamen quod poenitebit, et poenitebit non solum in alia vita in inferno; sed etiam in hac vita.

27. Dicit propheta Zacharias quod in domum illam in qua res aliena ingreditur, ingreditur quoque maledictio: *Haec est maledictio quae egreditur super faciem omnis terrae et veniet ad domum furis et consumet eam*[1]. Unde ait d. Gregorius nazianzenus: *Qui opes inique possidet, etiam opes suas amittet.* Res alienae sunt ignis quae et seipsas et propriam rem in ignem mittunt. Hoc facit maledictio Dei. Ah! exclamat divus Gregorius, faciamus quod a nobis *terrenae res possideantur, non vero istae possideant nos.* Sunt qui adeo rebus inserviunt ut pro ipsis misere damnari velint. O miseri! Quot infelices animae pro alienis rebus in infernum damnantur! Audite quomodo sapientes agunt, qui suas animas plusquam res alienas amant. Henricus Castiliae rex haeredem regni filium instituit, sed, quia filius puer erat, regni gubernationem proprio fratri commendavit. Frater postea quia magna cum

(1) 5. 3. et 4.

rectitudine gubernare incepit, vassalli volebant quod ipse absolutum regni dominium acciperet. Sed quid ille fecit? Quadam die in publicum se contulit cum nepote in brachiis dixitque quod regnum ad nepotem spectabat, et quod ipse ad regnum illi servandum sanguinem et vitam spargeret. Quae pulcra actio! Regnum, ne in Deum peccaret, renunciavit. Deus tamen fidelitatem eius remuneravit; fecit enim ut celtiberii regni rex eligeretur, ubi cum pace regnavit, et eius familia divinis benedictionibus fuit repleta.

28. D. Augustinus simile factum refert [1]. In civitate Mediolani pauper homo reperit crumenam cum biscentum libellis in circa. Ei dictum fuit quod illis uti poterat, quia dominum nesciebat: ille vero, qui timorem Domini habebat, per loca publica plures chartulas situare fecit quae crumenam illam ab eo repertam renunciabant. Venit dominus; et quum omnia signa dederit, pauper crumenam ei tradidit. Dominus eum remunerare voluit, dando ei viginti libellas; sed pauper eas noluit. Ille dixit quod saltem accepisset decem, saltem quinque; sed pauper eas semper recusavit, dicens quod tota res ad dominum suum spectabat. Tunc dominus quasi iratus crumenam ad pedes eius iecit, dicens: *Quia tu nihil a me vis, ego nihil a te volo.* Et tunc pauper quasi vi donum illud recepit: sed ne sibi quidem retinuit, nam aliis pauperibus distribuit.

Cap. VIII. *De octavo praecepto.*
Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

1. Ante omnia in hoc praecepto prohibetur ne in iudicio falsa deponantur. Qui a suo legitimo iudice interrogatur veritatem dicere tenetur, et si veritatem non deponit, dicitque se nihil scire, peccat. *Sed ego veritatem tacui, ne proximo damna eveniant.* Haec excusatio ad nihilum valet, ut iam de secundo praecepto loquens dixi: quod scis, deponere debes; et nihil refert quod proximo damnum eveniat. Iustum est hoc damnum: pro bono enim publico est necessarium ut puniantur facinorosi, sed puniri nequeunt, si testes, quod sciunt, non deponant.

2. Peccat e contrario et gravius qui in iudicio falsum in proximi damnum deponit. Mendacium semper est peccatum; quamvis ioco dicatur aut ob alicuius utilitatem, quamvis aliquis mortem propter illud mendacium vitare possit, non licet. Refert auctor *bibl. pro par., pag.* 179., quod Maximianus imperator misit ut carceribus manciparetur s. Antimus Nicomediae episcopus. Milites, quum eum conquirerent, casu ipsius sancti domum ingressi fuerunt, victumque quaesierunt. D. Antimus eis indulsit, eosque bene habuit. Petierunt postea ab eo ubinam episcopum Antimum possent invenire. Respondit sanctus: *Eccum ipsum; ego sum Antimus.* Milites prae gratitudine dixerunt ei: *Nolumus nos te ducere; dicemus quod te non invenimus.* Sed sanctus respondit: *Minime, filii mei, nolo quod vos mendacium dicatis; potius mori acquiesco quam vobis mendacium suadere.* Et, ut ad imperatorem iret, ipsis se comitem addidit.

3. Ergo semper peccatum est mendacium: cum sine proximi damno profertur, veniale peccatum est, sed quando cum gravi damno proximi profertur est peccatum mortale. Et ita intelligitur scriptura illa dicens: *Os quod mentitur occidit animam* [2]. Et quando coram iudice mendacium dicitur, duplex peccatum est mortale, et si iuramentum addatur, quemadmodum in iudicio semper adhibetur, sacrilegium est prae falso iureiurando, quod gravissimum et reservatum est peccatum. Iussit Tenesius legislator ut ad iudicis dexteram carnifex semper cum secure assisteret, ut quemcumque qui in iudicio mentitus fuisset vita privasset. *Maledictus qui pervertit iudicium; et respondit omnis populus: Amen.* [3]. Refert Eusebius [4], quod fuerunt tres te-

(1) Serm. 19. de verb. apost. (2) Sap. 1. 11.

(3) Deut. 27. 19. (4) Hist. l. 6.

stes qui in iudicio false Narcissum episcopum accusaverunt. Primus dixit: *Si accusatio mea vera non est, comburi acquiesco.* Dixit secundus: *Ictericus mori acquiesco.* Tertius dixit: *Acquiesco amittere aspectum.* Paullo post hae tres imprecationes ipsis evenerunt; unus aspectum amisit, alter mortuus fuit ictericus, tertius fuit a fulmine combustus.

4. Secundo loco detractio hoc praecepto prohibetur. Peccatum hoc commune est. *Raro invenies*, dixit d. Hieronymus, *qui non libenter reprehendant vitam alienam* ...[1]. Et d. Iacobus dixit: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* [2]. Pessimum in illis infirmis signum est in quibus lingua nigra videtur. Saepe in infirmis morbi gravitas non tam a pulso quam a lingua arguitur: pulsus aliquando magnam esse febrim non denotat; sed lingua, quando est nigra et virulenta (uti dicit Hippocrates) denotat mortem. Plures ecclesiam conveniunt, missam audiunt, rosarium recitant; sed lingua nigra, quam in detrahendo proximo adhibent, aeternam denotat mortem. Inquit d. Bernardus quod detractio est ensis trium cuspidum, quae uno ictu tria vulnera facit: ferit illum qui detrahit; ferit illum cui detrahitur, quia famam amittit; et ferit quoque audientes, quia qui audiunt et detractionem audire delectantur peccant.

5. Sed ad huius praecepti explicationem veniamus. Bifariam est detractio: infamatio et diffamatio. *Infamatio* est quando falsum proximi delictum dicitur aut quando augetur; et si est in materia gravi, mortale peccatum est, et fama restitui debet. *Diffamatio* autem est quando occultum proximi peccatum nescientibus illud dicitur: et hoc mortale quoque est peccatum; infamia enim notatus, si peccatum suum occultum erit, adhuc suam bonam famam possidet.

6. Multi detractionis sunt modi. Primus est cum alicui aperte detrahitur, dicendo: *Talis hoc commisit peccatum etc.* Secundus est cum indirecte detrahitur, dicendo, e. g.: *Talis saepe confitetur, sed ... loqui non possum.* Quandoque satius est malum explicare; quia dicendo tantum illud *sed* ... forte auditores maius esse malum quam quod vere est credent. Tertius est cum intentio reprehenditur: non poterit aliquis actionem carpere, quia bona est, et quid facit? reprehendit intentionem, dicens: *Sed sic operatus est ut alios deciperet.* Quartus modus est signis detrahere; qui in hunc modum detrahit vocatur a scriptura *vir linguosus. Vir linguosus non dirigetur in terra* [3]. *Vir linguosus* qui scilicet plures linguas habet, et detrahit non solum lingua verum etiam manibus, pedibus et oculis. Quidam iuvenis qui loqui nesciebat quin proximo detraheret, in huiusmodi vitii poenam amens evasit; post propriis dentibus sibi linguam abscidit; demum, magnum foetorem ex ore emittens, e vita migravit. Utinam et plures huiusmodi vitium non haberent! *Venenum aspidum sub labiis eorum* [4]. Videntur veneno plenum os habere; nesciunt enim loqui, nisi nunc isti, nunc illi detrahant.

7. Alii autem audiendi et referendi vitium habent. Audit aliquem de alio detrahere, et statim huic renunciat. Hi appellantur *sussurrones*, qui maledicti sunt a Deo, quia daemonis faciunt officium, familiarum et regionum pacem perturbantes, et sunt caussae tot odiorum et iurgiorum. Circa hoc vitium iam verba fecimus de praecepto caritatis loquentes. Estote attenti, christiani mei, quando loquimini; cavete ne lingua vestra mittat vos in infernum. In *Exemplorum speculo* narratur quod comparuit quidam damnatus lingua ulcerosa et exusta, quam dentibus lacerabat, dixitque: *Haec maledicta me misit in infernum.*

8. Si vero proximi peccatum publicum esset, illud sine iusta caussa nescienti patefacere peccatum mortale non

(1) Epist. ad Celant. (2) Iac. 3. 2. (3) Psal. 139. 12. (4) Ps. 13. 3.

erit, sed veniale contra caritatem. Sed animadvertite quod, licet factum fuerit quondam notorium, si in praesentiarum est occultum, illud manifestare grave est peccatum, quia in praesentiarum infamia notatus bonam possidet famam.

9. Age tamen, ad remedia deveniamus. Qui proximo famam abstulit non sufficit ut confiteatur, sed necesse est quoque ut ablatam famam restituat. Sed in hoc consistit difficultas; famam enim auferre facile est, difficillimum autem eam restituere. Quando falsa est infamia, detractor palinodiam canere, et calumniam suam manifestare tenetur: sed hoc est illud quod difficile est. Refert Menochius[1] quod quidam eques, postquam cuidam nuptae matronae detraxerat, confessus fuit apud P Victoriam ordinis praedicatorum. Pater dixit ei: *Opus est ut quod dixisti revoces*. Respondit eques: *Hoc facere nequeo, quia famam meam amittere non possum*. Confessarius respondit quod alias eum absolvere non poterat; sed ille obstinatus respondebat quod sic facere non poterat. Pater demum videns quod verba amittebat, ei dixit: *Discede, damnatus enim es;* et terga ei vertit.

10. Si tamen proximi peccatum verum esset sed occultum, quemadmodum superius dixi, fama quoque restitui debet: et in hoc casu maior est difficultas: si enim verum fuit peccatum, dici nequit quod verum non est; mendacium enim esset, et mendacium numquam dici potest. Quomodo igitur faciendum erit? Debet tunc detractor alio modo, et opportuniori uti, aliquo scilicet aequivoco, dicendo e. g.: *Quod de tali dixi, ioco dixi*, aut *e meo capite eduxi*. Aliquando melius erit tantummodo bene de illa persona dicere, praesertim cum praesumitur quod persona illa magis de hoc contenta sit, ut apud alios peccati sui memoria non renovetur.

11. Animadvertatur et scitu necessarium est quod cum detrahitur alicui apud eius superiores, genitores, tutores aut magistros eo fine ut isti mederi possint damno publico aut innocentis aut ipsius delinquentis damno, tunc non erit neque detractio neque peccatum: e. gr. si puella aliqua familiariter cum quodam iuvene versatur, aut si aliquis iuvenis suspectam domum frequentaret, et tu patri id renuncias ut remedium praestet, non peccas: imo quandoque, si sine gravis tui damni periculo facere id potes, facere teneris. Neque hoc est detrahere: inquit d. Thomas[2] quod detractio tunc est peccatum cum fit ut fama proximi denigretur, sed non cum fit ut peccatum eius aut damna alterius impediantur.

12. Dixi quod peccatum est detrahere: sed estne peccatum detractionem auscultare? Maxime, cum qui audit, detractorem provocat ad dicendum aut gaudet aut ostendit quod gaudeat in detractione audienda. Si quis tamen voluptatem in audiendo non ostenderet et quodam timore detractorem non corriperet, tunc dicit d. Thomas[3] quod, quum certus non est quod corripiendo detractionem impediret, non peccat mortaliter. Sed hoc intelligendum est de eo qui superior non est; superior enim detractorem corripere, et detractionem impedire tenetur. Ceterum, quum quis detrahere audit, et videt detractionem gravis et occultae rei esse, aut corripere debet aut sermonem alio transferre aut discedere aut saltem ostendere debet quod detractio illa ei displicet.

13. Tertio loco contumelia in hoc praecepto prohibetur. *Contumelia* est iniuria quae infertur proximo coram ipso. Detractione aufertur fama, contumelia honor proximo aufertur. Inquit d. Paulus esse *Deo odibiles contumeliosos*[4]. Et quando iniuria res infamiae comprehendit, duplex est peccatum: quia sic honor et fama proximi aufertur. Ideoque ut adest proximo famam restituendi obligatio, ita quoque

(1) P. 4. (2) 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1.

(3) 1. 2. q. 71. a. 4. (4) Rom. 1. 30.

honor est restituendus, veniam a proximo petendo aut alium humilitatis actum erga eum adhibendo; et quando dictae aut factae contumeliae (iniuria enim verbo et opere fieri potest) aliae interfuerunt personae, coram illis honor est restituendus. Aliorum litteras reserare quaedam est contumeliae species, ideoque peccatum est, nisi praesumatur quod litteram mittens aut ille cui mittitur non curat quod litterae reserentur. Ita quoque secretum commissum aut promissum manifestare peccatum est, nisi iusta caussa illud manifestandi adsit; quae autem sit iusta haec caussa, cum casus occurrerit, a confessario sciscitamini.

14. Peccatumne est iudicium temerarium? Maxime, quando iudicium est rei gravis et vere temerarium, idest sine ratione factum; nam quando aliquod est fundamentum sic iudicandi, peccatum non est. Male de proximo suspicari sine fundamento est peccatum veniale; et difficulter ad mortale perveniet, nisi quando quis sine aliqua ratione de gravissimo proximi peccato vellet suspicari. Dixi: *sine aliqua ratione;* quando enim aliquod adest suspicandi motivum, peccatum non est. Boni semper bene de proximo cogitant, mali semper mala: *Stultus ... cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat* [1].

15. De octavo praecepto verba fecimus: de nono et decimo erit nunc edisserendum, in quibus prohibetur quominus res aut mulier aliena desiderentur. Sed de peccato inhonesto et de furto iam in sexto et septimo praecepto fuimus locuti. Hic desideria tantum huiusmodi committendi peccata prohibentur: qua de caussa, quin aliud dicamus, pro nunc scire sufficiat quod quum peccatum est si aliquid fiat, peccatum quoque est si illud desideretur.

Omitto quoque verba facere de ecclesiae praeceptis, quia de rebus magis necessariis ad ipsa spectantibus iam locuti sumus in explanatione praeceptorum decalogi.

(1) Eccl. 10. 3.

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS

Cap. I. *De sacramentis in genere.*

1. Iesus Christus ille fuit qui sacramenta instituit, quibus meritorum suorum nos facit participes. Sacramenta itaque sunt veluti tot sacri canales per quos nobis Iesus Christus suas communicat gratias, quae sunt suae passionis fructus. Scire opus est quod quodlibet sacramentum duas confert gratias, sanctificantem scilicet et sacramentalem. Gratia *sanctificans* seu habitualis illa est quae divinam gratiam producit in anima quae sacramentum recipit, dummodo sufficienter sit disposita. Gratia *sacramentalis* est ea quae auxilium confert speciale ad consequendum finem propter quem sacramentum illud fuit institutum. Et ideo baptismus specialem confert gratiam lavandi animam, eamque a peccatis purgandi. Confirmatio sive chrismatio confert fortitudinem ad Christi fidem confitendam et ad inimicorum tentationes superandas. Eucharistia nos servat, et gratiam, quae est vita animae, adauget. Poenitentia amissam gratiam recuperare facit. Extrema unctio confert auxilium ut in morte inferni aggressionibus possit resisti. Ordo auxilium praebet ut ministri ecclesiae obligationes recte adimpleant. Matrimonium demum sponsis auxilium praebet ad onera matrimonii sustinenda et ad sancte filios educandos.

2. Tria tamen horum sacramentorum, baptismus nempe, confirmatio et ordo, specialem effectum characterem imprimendi habent, qui quoddam spirituale est signum quod imprimitur in anima et numquam deleri potest: quare haec tria sacramenta semel recipi possunt; sed alia possunt iterari.

3. Meus principalis finis est loquendi de poenitentiae sacramento sive de confessione, ut quilibet peccata sua sciat bene confiteri; nolo tamen aliorum sacramentorum omnem praeterire notitiam, ut quisque noscat essentiam et effectus eorum atque dispositiones

quae, cum talia sacramenta suscipi debent, sunt necessariae.

CAP. II. *De sacramento baptismi.*

1. Quatuor breviter de baptismo attingamus: necessitatem, effectum, ministrum et requisita. Quoad necessitatem sciendum est quod baptismus non solum sacramentorum omnium est primus, sed omnium quoque est magis necessarium. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei* [1]. Est praeterea magis necessarium quia nemo alia sacramenta recipiendi est capax, nisi prius baptismum receperit; ideoque baptismus omnium sacramentorum ianua appellatur.

2. Ergo si quis realiter baptismum non recepit, salvus esse nequit? Respondeo: salvus esse potest, si illum cum desiderio percipit, baptizari desiderans et in Iesum Christum credens, uti evenit pluribus, qui, quum realiter baptismum accipere non potuerint, desiderio receperunt.

3. Effectus baptismi est animam lavandi et a peccatis omnibus purgandi, et tam a peccato originali quam ab actualibus, eamque a poenis omnibus prae huiusmodi peccatis debitis liberandi.

4. Minister baptismi est parochus, a quo ordinarie est administrandus, aut alius sacerdos de parochi licentia. In casu tamen necessitatis, cum puer in periculo moriendi esset, quilibet homo aut mulier, licet haereticus aut infidelis, baptismum administrare potest.

5. Veniamus modo ad baptismi requisita. Loquens de persona quae illum recipere debet, si est adulta et iam ad rationis usum pervenit, habere debet recipiendi baptismum intentionem et peccatorum quae commisit dolorem. Sunt qui volunt dolorem hunc debere esse contritionem; sed communius dicunt sufficere attritionem, et huius sententiae est d. Thomas dicens: *Ad hoc ut homo se praeparet ad gratiam in baptismo, praeexigitur fides, non caritas; quia sufficit attritio praecedens, etsi non contritio* [2]. Quid autem significet attritio vel contritio, cum de confessione loquemur, explicabimus. Pro adultis itaque intentione opus est, sed pro illis qui ante rationis usum baptizantur ecclesiae supplet intentio. Et ita quoque salvantur prae Iesu Christi meritis omnes illi parvuli qui in odium fidei interficiuntur, uti in sanctis innocentibus evenit.

6. Praeterea, pro baptismo requiritur materia, forma et intentio ministri. *Materia* est aqua naturalis. *Forma* sunt verba quae profert minister tribus illis vicibus quibus aquam super baptizandi caput infundit: sed in casu necessitatis, si aqua ad infantis caput pervenire non posset, sufficit aquam infundere super pectus aut super humeros aut super quamcumque aliam partem, quando principalis pars haberi nequiret. Verba formae sunt: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Attendite, obstetrices, quod non sufficit dicere: *In nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*, sed dicendum est: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Minister amplius intentionem habere debet conferendi baptismum aut saltem faciendi quod facit ecclesia, ut definivit Tridentinum: *Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, anathema sit* [3].

7. Requiruntur insuper in baptismo patrini, idest compater et commater; sed sufficit unus eorum, nec plures quam duo, et quidem diversi sexus, esse possunt. Hi patrini in rebus fidei et in bonis moribus tenentur puerum instruere, quando nemo alius esset qui illum instrueret. In regionibus tamen catholicis, in quibus parochi in proprio officio sunt diligentes, hanc non habent obligationem. Sciendum amplius est quod ipsi patrini cognationem contrahunt spiritualem cum baptizato et cum eius patre et matre; ita ut inter ipsos matrimonium contrahi nequeat.

(1) Io. 3. 3. (2) In 4. dist. 6. q. 1. a. 3. ad 5.

(3) Sess. 7. can. 11.

Baptismus in ecclesia est conferendus; et domi, absque praecisa necessitate, illud conferre grave esset peccatum. Necessitas esset, si mors infanti immineret, aut si infans absque matris infamia ad ecclesiam afferri non posset. Filii tamen regum aut principum, uti dicitur in *clement. unic.*, *de baptism.*, domi possunt ex privilegio baptizari. Notetur amplius quod ultra decem aut undecim dies baptismum differre, iuxta communiorem sententiam, grave est peccatum, nisi aliqua extraordinaria caussa sic exposceret.

CAP. III. *De sacramento confirmationis.*

1. De confirmatione parum erit nobis dicendum. Unum est ex septem sacramentis, ut declaravit Tridentinum[1], et antea declaraverat concilium constantiense[2], et florentinum[3] et gratiam in baptismo receptam auget.

2. Confirmationis materia est sacrum chrisma ex balsamo, ex olearum oleo confectum per episcopi benedictionem. Oleum denotat abundantiam gratiae Spiritus sancti quae in confirmandum effunditur. Et balsamum virtutum denotat odorem quem praebere debet ex quo maiores vires per hoc sacramentum acquisivit. Forma autem sunt verba quae profert episcopus quando confirmandi frontem sacro chrismate et crucis signo linit. Verba sunt: *N. N.*(confirmandus nempe), *signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* et respondetur: *Amen*. Postea eum leviter in gena percutit episcopus in signum quod paratus esse debeat ad quamcumque poenam et iniuriam pro Iesu Christo tolerandam; et demum eum dimittit, pacem ei tribuens: *Pax tecum*. Verbis - *Signo te signo crucis* - significatur quod confirmatus in Christi militiam notatur. Illis autem verbis - *confirmo te chrismate salutis* - significatur quod confirmatus virtutem recipit ad fidei inimicis et inferni aggressionibus resistendum.

(1) Sess. 7. can. 1. (2) Can. 78.
(3) In decr. fid. p. 2.

3. Qui hoc sacramentum recipit fidei mysteria scire debet, debetque esse in gratia Dei; secus sacrilegium committeret. Ideoque bene est ut confirmandus antea confiteatur et Christi corpus sumat. Antiquitus etiam pueris dabatur confirmatio, sed declaravit Benedictus XIV. in sua constitutione 129. *Eo quamvis*, anni 1745.[4], quod nunc confirmari non debet nisi ille qui usum rationis habet; saltem non ante septennium, uti catechismus romanus loquitur. Idem nihilominus pontifex[5], admisit cum aliis doctoribus confirmari posse puerum quum aliqua adsit caussa notabilis, ut si puer in periculo esset moriendi aut episcopus deberet multo tempore procul a dioecesi manere.

4. An autem non solum ordinandi sed et omnes christifideles sub gravi teneantur confirmationem recipere, fuit quondam dubitatum; sed hodie certum est quod tenentur. Benedict. enim XIV. in sua constitutione: *Etsi pastoralis*[6], declaravit quod fideles omnes *monendi sunt ab ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt, ad confirmationem accedere renuunt ac negligunt.*

5. In hoc sacramento, necessario quoque et sub culpa gravi, requiritur patrinus, qui debet esse unicus et confirmatus sub culpa gravi et eiusdem sexus confirmandi et in actu confirmationis tenere debet manum dexteram super dexterum humerum confirmandi. Talis patrinus cognationem quoque contrahit spiritualem eodem modo quo baptismi patrini. Religiosi tamen et moniales patrini esse non possunt, uti habetur ex rituali romano, *de patrinis in baptismo.*

6. Ut autem intelligatur quam efficax sit hoc sacramentum ad fortitudinem spiritus fidelibus conferendam, satis est scire factum illud quod narrant d. Gregorius nazianzenus et Pruden-

(4) T. 1. bull. §. 6.
(5) De syn. l. 7. c. 10. n. 5.
(6) To. 1. bullar. n. 57. §. 3. n. 4.

tius [1]. Quadam die Iulianus apostata suis falsis diis offerre sacrificium volebat; iamque erant omnia parata: sed, in illo temporis puncto quo sacrificium erat offerendum, accidit quod cultri non incidebant, ignis illico extinctus fuit, et ministri evaserunt immobiles uti lapides. Sacerdos sacrificans tunc dixit: *Baptizatus aliquis aut confirmatus hic est*. Imperator interrogavit an inter astantes huiusmodi vir esset; et tunc in medium se protulit quidam iuvenis nuper confirmatus, qui animose imperatori dixit: *Domine, ego sum confirmatus; et quia Deum rogavi ut sacrificii huius impietatem impediret, Deus me exaudivit*. Iulianus attonitus et confusus a tali prodigio, sacrificium dereliquit et exivit e templo.

CAP. IV. *De sacramento eucharistiae.*

1. Plura de eucharistiae sacramento sunt mihi dicenda. In hoc sacramento Iesus Christus sub panis et vini speciebus nobis donat corpus et sanguinem suum, ut servetur in nobis, utque gratia sua et suus sanctus amor in nobis augeatur. Credendum itaque nobis est quod, propter verba consecrationis quae in missa sacerdos dicit panis et vinum propriam amittunt substantiam et in corpus et sanguinem Christi convertuntur, nil aliud de pane et vino remanens, nisi solae species apparentes, color nempe, sapor et figura, ita ut de fide sit quod in ss. altaris sacramento realiter adsit totus Iesus Christus cum suo corpore, anima et divinitate.

2. Credere consequenter debemus quod Iesus Christus, dum est in coelo, reperitur etiam realiter et integre in omnibus terrae locis ubi adest panis consecratus, et quod quando sacrosancta hostia dividitur, non dividitur Iesus Christus, sed integer in qualibet parte hostiae remanet, uti declaravit Trid. [2] et antea declararunt concilium nicaenum, apud Bellarm. [3], et concilium lateranense sub Innocentio III. [4].

3. Principalis huius sacramenti effectus est servare et perficere in nobis vitam animae spiritualem. Quemadmodum terrenus panis nutrit corpus, ita panis coelestis nutrit animam, facitque ut in divino excrescat amore. *Est quoque antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur*, uti dicit Trid. [5]. Effectus quoque huius sacramenti est nostrorum corporum resurrectio et glorificatio, quam in finali iudicio speramus iuxta id quod dixit Iesus Christus: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* [6]. Sed effectus quem nos magis desiderare debemus est quod coniungit nos Deo: *Qui manducat meam carnem.., in me manet, et ego in illo* [7].

4. Ut autem sanctos hos consequamur effectus, opus est ut in gratia Dei simus; nam qui cum peccati mortalis conscientia Christi corpus sumit, recipit Iesum Christum, sed non recipit gratiam, imo recipit suae damnationis sententiam, uti loquitur apostolus: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit*, enormissimum committens sacrilegium. Fertur quod quum quis in peccato mortali esset, ivit ut Christi corpus sumeret: sed quid accidit? Sacrosancta hostia evasit ut gladius qui ei gulam transverberavit; et illico ante altare occubuit. Horribilius hoc audite factum quod legitur in chronicis theresianis [8]. Puella quoddam commisit peccatum quod prae rubore noluit confiteri, et postea ter Christi corpus sumsit; post tertiam communionem illico infelix obiit ante altare. Sed quid? facies eius non nigra sed omnino resplendens apparuit: unde omnes vocabant eam *sanctam sanctam;* ideoque fuit per totam regionem circumlata. Audite quid postea evenit, et timete corpus Christi semel cum peccato mortali sumere. Dum pius theresianus religiosus in sua cella erat, apparuit ei

(1) S. Gregor. or. 1. ad Iul. Prud. l. adv. Iud.
(2) Sess. 13. can. 3.
(3) De euch. c. 20.
(4) Can. 1.
(5) Sess. 13. c. 2.
(6) Io 6 55
(7) Ibid.
(8) To. 1.

angelus eadem nocte qua cadaver illius puellae erat adhuc in ecclesia et nondum sepultum. Angelus secum ad ecclesiam duxit religiosum, eique iussit ut illius defunctae puellae os aperiret. Obedivit religiosus, et reperiit in ore illius tres parvas hostias quas infelix illa in peccato receperat, easque posuit in pyxide: inde defunctae facies non amplius resplendens, sed nigra atque horribilis apparuit.

5. Sed ad rem nostram redeamus. Qui in peccato esset mortali, si Christi corpus sumere velit, non sufficit si contritionis actum eliceret, uti in recipiendis aliis sacramentis satis esset, sed prius confiteri debet et absolutionem recipere: si quis tamen grave commisisset peccatum eiusque oblitus fuisset, iamque ad altare pervenisset; ibique dicti peccati recordaretur, tunc, ad scandalum evitandum quod daret surgens ut ad confessarium rediret, sufficit ut contritionis actum eliciat, et postea Christi corpus sumat.

6. Haec quoad animam necessaria est dispositio. Quod vero ad corporis dispositionem attinet, opus est ut persona usque a media nocte sit ieiuna, scilicet ut nihil digestibile cibi aut potus deglutiverit: excipe si infirmitate aliqua mortis periculosa laboraret: quia tunc, quamvis non ieiuna, ss. viaticum recipere potest.

7. Hae sunt dispositiones omnino necessariae: sed ut quis maiori cum fructu Christi corpus sumat, necesse est habere animam etiam a peccatis venialibus purgatam, saltem ab illis quae sunt deliberata. Quare illae animae frigidae que continue venialia committunt non sunt dignae ut Christi corpus saepe suscipiant. Ad summum eis concedi potest ut singulis hebdomadis sumant, ut per sacramentum vim, ne in mortalia incidant, recipiant. E contrario personae illae quae venialia peccata deliberata non committunt et in Dei amore progredi desiderant, Christi corpus sumere saepius possunt, prout eis confessarius suadebit. Dicebat s. Franciscus Salesius quod Iesus Christus prae amore tantum se nobis donat, et ideo tantum prae amore illum suscipere debemus. Maior itaque dispositio est communionem recipere ut in amore erga Iesum Christum progrediamur.

8. Omnibus est notum, quemcumque christifidelem teneri sub gravi semel saltem in anno Christi corpus sumere, adimplendo praeceptum paschale intra dies quindecim, qui a dominica palmarum usque ad dominicam post octavam paschae computantur; et hoc sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae et privationis ecclesiasticae sepulturae post mortem. Unusquisque pariter, cum mortis urget periculum, Christi corpus et sanctum Viaticum sumere tenetur: dico *periculum*, quia tempus exspectari non debet quando infirmus est ab omni spe derelictus; qui enim tale tempus exspectant facile iniicere possunt infirmum in discrimen moriendi quin Viaticum sumant, uti iam pluribus evenit.

9. Hisce itaque duobus temporibus, idest in paschate et in mortis periculo ad Christi corpus sumendum christianos teneri declaravit ecclesia. Sciendum tamen est quod difficulter in Dei gratia perseverat qui semel in anno sumit corpus Christi, sicuti faciunt aliqui suae aeternae salutis negligentes. Id experientià docet; et ratio probat quod diu hoc cibo divino anima carens difficulter resistendi tentationibus vim habebit et facile incidet in peccatum. Ss. sacramentum vocatur panis coelestis; quia quemadmodum panis terrenus corporis vitam servat, ita panis hic coelestis animae vitam servat. Quare unusquisque in singulas hebdomadas Christi corpus sumat. Illi autem qui vitam ducunt spiritualem, faciunt orationem mentalem et etiam a venialibus deliberatis abstinent, pluries in hebdomada, confessario annuente, possunt Christi corpus sumere. Reliqui qui vitam tepidam agunt, ut saltem possint in gratia Dei se servare, bonum

est ut sumant corpus Christi singulis dominicis aut saltem bis in mense.

10. Pueri autem debent sumere corpus Christi statim ac intelligere possint, uti dicit s. Thomas[1], differentiam quae est inter panem coelestem et terrenum. Aliqui citius, serius aliqui intelligunt. Caeterum, ordinarie loquendo, hoc onus communionis non incipit in pueris, nisi post nonum aut decimum aetatis annum, et differri nequit ultra annum duodecimum aut ad summum decimumquartum. Scimus tamen s. Carolum Borromaeum parochis iussisse curare ut pueri, statim ac ad decimum pervenissent annum, Christi corpus sumerent. Quod tamen ad moribundos pueros attinet, communiter dicunt doctores cum Benedicto XIV. [2], quod talis aetas non requiratur, sed sufficit si sint capaces confessionis.

11. Necesse est Christi corpus sumere, sed sumere (uti dictum est) in gratia Dei; secus communio evadet venenum aut, ut melius dicam, laqueus strangulans. Refert s. Cyprianus[3], quod quaedam christiana mulier, quum prae persecutionis timore actionem fidei contrariam fecisset, ut se celaret, ad ecclesiam venit et quin peccatum confiteretur, Christi corpus sumsit. Sed quid evenit? Sacra hostia remansit in gula, quae statim adeo intumuit ut infelix magno sui corporis tremore animam exhalaverit.

Cap. V. *De sacramento poenitentiae.*

1. Poenitentiae sacramentum illud est per quod peccata post baptismum commissa per confessarii absolutionem remittuntur. Facultatem enim remittendi peccata sacerdotes a Iesu Christo receperunt prae illis verbis : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* [4]. Ideoque concilium tridentinum excommunicat dicentes quod hoc sacramentum virtutem remittendi peccata non habeat. Peccator hoc sacramento non solum divinam gratiam recuperat, verum etiam merita bonorum operum quae fecit in gratia, quaeque per peccatum amiserat. Anima amplius maiorem vim ad tentationibus resistendum recipit: dicit enim tridentinum [5], quod cum iustificatione *renovamur spiritu mentis nostrae*. Hasque omnes gratias propter Iesu Christi passionis merita recipimus.

2. Ut hoc recipiatur sacramentum tria principaliter ex poenitentis parte requiruntur: nempe 1. peccatorum cum proposito ea amplius non committendi dolor; 2. integra commissarum culparum confessio ; 3. satisfactio poenitentiae a confessario impositae. Ut tamen poenitens omnia sua peccata confiteri de eisque verum dolorem concipere possit, opus est ut antea diligenter suam examinet conscientiam.

§. 1. *De examine conscientiae.*

3. Examen hoc consistit in diligenter inquirendo peccata quae post ultimam confessionem bene factam commisimus. In hoc examine plures quia nimium inquirunt, plures alii quia inquirunt parum, deficiunt. Primi sunt scrupulosi, qui se semper examinant et numquam acquiescunt et ita deficiunt in curando ut suorum defectuum verum dolorem concipiant verumque propositum se ad meliorem frugem reducendi: amplius, pro scrupulosis odiosum redditur hoc sacramentum ita ut, cum ad exedram ad confessionem exsequendam se conferant, videatur eis ire ad martyrium. Hoc confessionis examen non necessarium est ut sit diligentissimum, sed sufficit quod sit diligens : satis est igitur ut persona attento animo consideret, ut peccatorum omnium quae post ultimam confessionem commisit recordetur. Haec tamen diligentia poenitentis conscientiae accommodata esse debet. Si multo ab hinc tempore confessus non fuit et in plura mortalia incidit peccata, maiori opus est diligentia; minori vero, si nuper

(1) 3. p. q. 80. n. 9. ad 3.
(2) De syn. l. 7. c. 12. n. 3.
(3) Serm. de lapsis.
(4) Io. 20. 23.
(5) Sess. 6. can. 7.

confessus fuit et pauciora commisit peccata. Et si, diligenti examine peracto, alicuius quis non recordaretur peccati omniumque peccatorum quae commisit dolorem habuit generalem, peccatum illud oblitum ei quoque remittitur; tantumque tenebitur confiteri illud quando illius meminerit et iterum confiteri vult. Quando confessarius huiusmodi animabus scrupulosis dicit quod amplius seipsas examinare non opus est aut quod amplius eadem in confessione non repetant, debent ipsae tacere atque obedire. Dicebat s. Philippus Nerius: *Illi qui in via Dei proficere desiderant obediant confessario, qui in loco Dei est: qui ita facit pro certo habeat quod suarum actionum Deo rationem non reddet* [1]. Et s. Ioannes a Cruce dicebat: *Non contentum esse de eo quod confessarius dicit est superbia et fidei defectus* [2]. Maxime quia Dominus, de suis loquens ministris, dixit: *Qui vos audit, me audit.*

4. Sed utinam et omnes essent scrupulosi! plerumque tales homines delicatae sunt conscientiae; obediunt et sunt in tuto. Malum est quod plerique tot scrupulos non faciunt, mortalia peccata sine numero committunt, eorumque obliviscuntur, et postea vix confitentur illa sola quae in ipso confessionis actu in eorum mentem veniunt; unde quandoque ne medietatem quidem eorum dicunt. Huiusmodi confessiones nil penitus valent; imo melius est eas non facere. Refert quidam historicus, Nicius Erithraeus, quod quidam iuvenis qui simili modo confessus fuerat, morti proximus, confessarium vocavit; sed, antequam confessarius veniret, venit daemon eique videre fecit longum indicem peccatorum quae in transactis confessionibus prae examinis defectu dereliquerat; unde infelix de sua salute desperavit et, quin confiteretur, ab hac vita migravit.

5. Boni christiani quotidie sero conscientiam examinant actumque faciunt doloris. Pius quidam religiosus, quem, quia morti proximum, monuit superior ut confiteretur, respondit: *Benedictus sit Deus quia usque a triginta annis quotidie conscientiam meam examinavi et quotidie confessus fui uti si in aliquo ex illis diebus mori debuissem.* Saltem, filii mei, quando aliquis vestrum confiteri debet, in aliquo ecclesiae remoto loco se collocet; ante omnia gratias agat Deo, a quo usque ad illam horam fuit exspectatus; inde Deum roget ut numerum et pondus peccatorum quae commisit faciat ut cognoscat: incipiat postea considerare loca in quibus mansit, personas cum quibus consuetudinem habuit, occasiones in quibus fuit usque ab ultima confessione; et in hunc modum peccata omnia cogitationum, verborum et operum, quae tali tempore committere potuit, animadvertet. Praecipue se examinet super omissionis peccatis, praesertim si est paterfamilias, magistratus etc., qui omissiones plerumque non confitentur. Sed, ut quis distinctius suam examinet conscientiam, si plures peccatorum species commiserit, optimum erit si, Decalogi praecepta prae oculis habendo, consideret in quod ipsorum peccaverit.

6. Si quis in aliquod cecidit peccatum mortale, statim confiteatur; omni enim temporis momento mori potest et ad infernum damnari. *Confitebor postea in paschate aut in Domini nativitate.* Et si intra hoc tempus improvisa morte morieris? *Spero in Deo quod non.* Sed si morieris? Quot dicebant: *Postea, postea,* et nunc sunt in inferno! venit enim mors, et confiteri non potuerunt. Refert d. Bonaventura in vita s. Francisci [3], quod, quum sanctus per diversa loca concionabatur, a quodam viro nobili in domum fuit receptus. D. Franciscus prae gratitudine eum Deo commendavit, eique Deus revelavit quod nobilis ille erat in peccato, et mors prope erat. Sanctus illico vocavit eum fecitque ut socio suo sacerdoti confite-

(1) Vita l. 1. c. 20.

(2) Tract. spinar. t. 3. coll. 4. §. 2. n. 28.
(3) Cap. 10.

retur: inde ut ad mensam nobilis ille accubuit, primo bolo quem sumere volebat, subitanea morte fuit interfectus.

7. Refert ven. Beda quod quidam vir, antea Deo devotus, sed postea refrigescens, in mortale peccatum incidit, quod de die in diem confiteri protrahebat. In gravem delapsus fuit morbum, et etiam protrahebat, dicens quod postea cum maiori dispositione confiteretur. Sed ultionis hora iam venit; etenim mortale symptoma ei supervenit in quo videbatur ei sub pedibus infernum habere. Postquam rediit illi animus, circumstantes suadebant eum ut confiteretur. Respondit ille: *Tempus amplius non est; ego sum damnatus.* Illi animare eum pergebant; sed ipse dixit: *Tempus vos amittitis: ego sum damnatus: en infernus apertus, in quo video Iudam, Caipham illosque qui Iesum Christum interfecerunt, et prope ipsos video locum meum; quia ego, ipsorum ad instar, sanguinem Iesu Christi sprevi, tanto tempore confessionem protrahendo.* Et hoc modo, quin peccata confiteretur, obiit infelix, ita ut sepultus fuerit, tamquam canis, extra ecclesiam, quin pro eius anima oraretur [1].

8. De peccatis vero venialibus loquendo, bonum est ea confiteri, quia per confessarii absolutionem etiam venialia remittuntur. Sed obligatio ea confitendi non adest; venialia enim remitti possunt, quemadmodum dicit Tridentinum, prae aliis remediis, uti per contritionis aut amoris actus aut per orationis dominicae recitationem.

9. Et prae aqua benedicta remittuntur peccata venialia? Maxime, non directe per se sed indirecte per impetrationis modum; quia ecclesia aquae benedictione fidelibus eam sumentibus impetrat actus poenitentiae et amoris, quibus postea peccata delentur. Unde post sumtam aquam sanctam prodest illico elicere amoris et doloris actus, ut prae istis actibus Dominus omnia nobis venialia peccata remittat. Prodest quoque aqua benedicta ad disponendum nos ad pietatem, et ad expellendas daemonis tentationes, praesertim in hora mortis. Narrat Surius quod quidam monachus morti proximus priorem suum rogavit ut nigram avem quae in fenestra erat expelleret. Prior fenestram aqua sancta aspersit, et avis, quae erat daemonium, aufugit. Idem narratur a patre Ferrerio de quodam monacho cluniacensi, qui morti proximus cubile suum plenum daemoniis vidit, sed benedictam aquam aspergens, statim illa evanuerunt [2].

10. Sed sermone progrediamur. De examine circa mortalia et circa venialia iam locuti fuimus. Sed si quis cum dubio operaretur, an actus ille quem facit mortale sit vel veniale peccatum, quod peccatum committit? Mortale committeret peccatum, quia exponit se in periculum graviter in Deum delinquendi. Unde opus est ut, antequam operetur, dubium deponat: et si de praeterito ita non fecit, opus est ut confiteatur saltem ut est ante Deum. Pro scrupulosis tamen, qui in omni re dubitant, aliter est dicendum; hi enim debent confessario obedire, quando eis iubet ut omnia dubia deponant, et contra scrupulum operentur: exacte obediant, secus reddentur inutiles et inhabiles ad quamcumque rem spiritualem.

11. Antequam sermone progrediamur, unumquemque hortor ut, nisi adhuc fecerit, peccata omnia quae umquam in sua vita commisit confiteatur: et non solum pro illis loquor qui sacrilege confessi sunt aliqua peccata omittentes, aut qui invalide confessi sunt quia debitum examen non fecerunt aut verum non habuerunt dolorem; verum etiam de unoquoque qui ad bonam vitam se recipere velit. Ad hoc confessio generalis plurimum prodest. S. Margarita de Cortona, postquam se Deo dedit, omnia peccata sua confessario aperuit, et adeo cara Deo evasit ut Dominus eam alloqueretur vocaretque eam: *Peccatrix mea, paupercula mea.* Quadam die illa humiliter a

(1) Hist. anglic. c. 13. (2) Instruct. p. 128.

Deo petiit, dicens: *Domine, quando vocabis me: filia mea?* Iesus Christus respondit: *Quando totius vitae tuae generalem peregeris confessionem, tunc vocabo te: filia mea.* Margarita tunc omnia quaecumque fecit peccata confessario aperuit, et usque ab eo tempore Iesus Christus eam semper *filiam* vocavit.

§. 2. *De dolore.*

12. Peccatorum dolor est adeo ad remissionem necessarius ut sine eo ne Deus quidem (saltem iuxta providentiam ordinariam) peccata nobis remittere possit: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* [1]. Dari potest ut quis salvetur quin suam examinet conscientiam et quin peccata confiteatur, quemadmodum esset quando actum contritionis vere haberet, et tempus aut sacerdos cui confiteretur deesset; sed dari non potest ut sine dolore salvus esse possit. Et hic quorumdam est error, qui, dum ad confessionem se praeparant, incumbunt tantum ut peccatorum recordentur, et nil penitus incumbunt ut verum concipiant dolorem. Dolorem hunc instanter a Deo petere debemus, et antequam ad exedram ad confessiones exequendas nos conferamus, unam *angelicam salutationem* dicamus Mariae virgini dolenti, ut veram peccatorum nostrorum nobis impetret poenitentiam. Ut vero dolor potens sit ut peccata nobis remittantur, quinque opus est habeat conditiones, scilicet ut sit verus, supernaturalis, summus, universalis et fiducia factus.

13. Et 1. dolor debet esse *verus*, scilicet ut non sit dolor tantum oris sed cordis quoque. En qualis debet esse dolor, uti Tridentinum docet: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero* [2]. Opus est ut anima verum concipiat dolorem, veram displicentiam, veram amaritudinem de peccato commisso, atque illud detestetur et abhorreat, uti dicebat poenitens rex Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae* [3].

14. — 2. Debet esse dolor *supernaturalis*, idest ut a supernaturali et non a naturali motivo oriatur, uti esset quum peccati sui aliquem poeniteret quia damnum suae sanitati aut rei aut famae suae attulit: hoc motivum esset naturale, quod ad nihilum valet. Ergo doloris motivum supernaturale debet esse; poenitere debemus peccati aut prae eiusdem turpitudine, aut quia infinitam Dei bonitatem offendimus, aut quia promeruimus infernum, aut paradisum amisimus, eritque aut dolor perfectus contritionis aut imperfectus attritionis, quemadmodum inferius dicemus.

15. — 3. Dolor debet esse *summus:* non ideo intelligitur quod debet esse dolor sociatus lacrymis et sensibilitate positiva; sufficit enim ut sit cum voluntate appretiativus, scilicet ut nobis displiceat offensio facta Deo plusquam quodcumque aliud malum quod nobis evenire potuisset. Animadvertant hoc timidae illae animae quae moleste ferunt quod peccatorum dolorem sensibiliter non sentiunt. Satis est ut eas poeniteat, cupientes potius omnia amisisse quam in Deum peccavisse. S. Theresia normam praescripsit qua cognosci potest an anima verum suorum peccatorum dolorem habeat. Si enim verum habet propositum et vult potius amittere omnia quam gratiam Dei, tunc peccatorum suorum procul dubio verum habet dolorem.

16. — 4. Dolor debet esse *universalis* omnium gravium peccatorum, ita ut nullum sit mortale peccatum quod anima super omne malum non detestetur. Dixi *peccatum mortale;* quia quoad venialia necesse non est ut ad unius venialis peccati remissionem assequendam debeat homo venialium omnium poenitere; potest enim unum sine alio remitti, dummodo illius verus dolor habeatur. De caetero, quodcumque peccatum, mortale sit vel ve-

(1) Luc 13. 3 (2) Sess. 14. c. 4.

(3) Isaiae 38. 15.

niale, a Deo remitti nequit, nisi illius verum homo habeat dolorem. Considerent hoc illi qui sola venialia absque dolore confitentur; eorum enim confessiones sunt invalidae: unde quando volunt absolutionem recipere, opus est ut alicuius saltem ex venialibus illis quae confitentur eos vere poeniteat, aut aliam certam materiam ponant, confitendo nempe aliquam praeteritae vitae culpam, cuius verum habeant dolorem.

17. Hoc in venialibus locum habet; sed quod ad mortalia peccata attinet, necesse est ut omnium verus dolor, verumque habeatur propositum; si secus factum fuerit, nullum remittetur peccatum. Ratio est quia nullum mortale remittitur peccatum sine infusione gratiae in anima: sed ista gratia cum peccato mortali esse non potest; ideoque nulla culpa gravis potest alicui remitti quin omnia remittantur. Dicitur de s. Sebastiano martyre, qui infirmitates signo crucis sanare solebat, quod quadam die croatium infirmum adiit, eique sanitatem promisit, dummodo idola, quae habebat, ureret. Idola croatius ussit, sed unum sibi carius servavit, ideoque non convaluit; postea querebatur sancto, qui ei dixit quod nihil ei profuit idola alia ussisse, quippe quia unum sibi reservavit. Et ita animae non prodest plura alia peccata detestari, nisi omnia detestetur. Necessarium tamen non est ut qui plura mortalia peccata commisit, unum post aliud detestetur: sufficit enim, si omnia mortalia, uti gravem offensam Dei, generali cum dolore detestetur; et hoc modo oblitum etiam remittitur peccatum.

18. — 5. Dolor debet esse *cum fiducia factus*, scilicet una cum spe remissionem obtinendi: alias similis esset dolori damnatorum in infernum, quos etiam suorum peccatorum, sed sine spe remissionis, poenitet; eos enim poenitet non quia sua peccata sunt offensae Dei, sed quia caussa sunt poenarum quas perferunt. Iudam quoque suae proditionis poenituit: *Peccavi tradens sanguinem iustum* [1]. Sed quia in remissione non confidit, desperatus arboreque suspensus occubuit. Cain quoque peccatum quod commisit, Abel suum fratrem interficiendo, cognovit, sed de remissione desperavit, dicens: *Maius est peccatum meum quam ut veniam merear* [2]. Ideoque fuit ad infernum damnatus. Inquit s. Franciscus Salesius quod verorum poenitentium dolor pace et consolatione plenus est; quia quo magis verus poenitens dolet in Deum peccavisse, eo magis sibi culpas condonari confidit, eoque magis eius consolatio augetur. Hinc dicebat s. Bernardus: *Domine, si tam dulce est flere pro te, quid erit gaudere de te?*

19. Conditiones has igitur debet habere dolor ut ad remissionem a Deo in confessione obtinendam disponat. Scire tamen opus est bifariam hunc dolorem esse, perfectum scilicet et imperfectum. Dolor *perfectus*, *contritionis* dolor vocatur: *imperfectus* vero vocatur dolor *attritionis*. Contritio est quando quis dolet de peccato, quia fuit offensa Dei. Dicunt theologi contritionem esse actum formalem perfecti amoris Dei. Qui enim contritionem habet, ab amore quo Dei bonitatem amat, movetur ut doleat se in Deum peccavisse: ideoque ante contritionis actum iuvat amoris actum erga Deum elicere hoc modo: *Deus meus, quia infinita es bonitas, super omnia te amo*; *et quia te amo, in te peccavisse super omnia doleo.*

20. *Attritionis* autem dolor est quando quis dolet offendisse Deum prae minus perfecto motivo, scilicet propter peccati turpitudinem aut propter damnum quod sibi intulit peccatum, scilicet propter infernum quem assequutus est aut propter paradisum quem amisit. Contritio itaque est peccati dolor propter iniuriam Deo factam: attritio vero est dolor offensionis factae Deo propter malum quod nobis evenit.

21. Prae contritione illico recipitur gratia antequam sacramentum per con-

(1) Matth. 25. 4. (2) Gen. 4. 13.

fessarii absolutionem suscipiatur, dummodo poenitens intentionem habeat saltem implicitam sacramentum recipiendi. Ita habemus ex concilio tridentino: *Docet* (s. synodus), *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur etc.* [1]. Attritione autem non recipitur gratia, nisi quando actu absolutio recipiatur, uti ex eodem concilio habetur: *Quamvis* (attritio) *sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit* [2]. Illud *disponit* intelligitur uti communissime explicat p. Gonet et alii, de dispositione proxima cum qua gratia in sacramento recipitur, nec de remota dispositione intelligi potest: attritio enim etiam extra confessionem actus est bonus et ad gratiam disponit. Sed concilium de illa loquitur dispositione quam habet attritio in sacramento (*poenitentiae*); unde necessario de proxima dispositione est intelligendum.

22. Quaeritur an ad peccatorum absolutionem recipiendam necesse sit ut attritio coniuncta sit cum amore *inchoato*, qui quoddam est amoris principium. Nulli dubium est quin ad iustificationem hoc amoris principium requiratur. Ipsum enim concilium docet unam ex dispositionibus quam habere debent peccatores ut in gratiam cum Deo redeant, esse ut Deum diligere incipiant: *Deum tanquam iustitiae fontem diligere incipiunt* [3]. Quale tamen hoc amoris principium esse debeat dubitatur. Volunt aliqui quod esse debet actus amoris praedominantis, ita ut Deum super omnia amet peccator: sed non bene ratiocinantur; qui enim Deum amat super omnia, amore perfecto Deum amat, et amor perfectus peccatum remittit et destruit. Proscripta fuit ab Alexandro VIII. propos 27. Michaelis Baij dicens quod amor erga Deum una cum peccato esse potest: *Caritas illa quae est plenitudo legis non semper est coniuncta cum remissione peccatorum*. Sed quis amor est ille quo lex adimpletur? amor est praedominans quo Deus super omnia diligitur. Docet s. Thomas quod, amando Deum super omnia, adimplemus Iesu Christi praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* [4]. En sancti verba: *Cum mandatur quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi quod Deum super omnia debemus diligere* [5]. Qui ergo Deum super omnia diligit nequit esse in peccato. Quod probat Angelicus alio in loco [6] ubi dicit: *Actus peccati mortalis contrariatur caritati, quae consistit in hoc quod Deus diligatur super omnia:* unde docet quod *caritas non potest esse cum peccato mortali*. Pluribus praeterea Scripturae textibus affirmatur quod amans Deum a Deo amatur: *Ego diligentes me diligo* [7]. *Qui autem diliget me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* [8]. *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* [9]. *Caritas operit multitudinem peccatorum* [10].

23. Hinc est quod quaelibet contritio (quae quoque, ut superius diximus, est caritatis actus) quamvis in gradu remisso, dummodo ad esse contritionis perveniat, gravia omnia peccata remittit: unde scripsit idem magister angelicus: *Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet* [11].

24. Hinc colligere est quod pro amore *inchoato* attritioni coniuncto praedominans amor intelligi nequit; quia licet sit amor remissus et non intensus, etiam perfectus esset amor, ideoque non esset attritio sed contritio. Unde si talis amor esset necessarius, quicumque poenitens ad confessionem iam absolutus accederet, et hoc modo poenitentiae sacramentum non amplius

(1) Sess. 14. c. 4. (2) Loc. cit.
(3) Sess. 6. c. 6. (4) Matth. 22. 37.
(5) 2. 2. q. 44. a. 8. ad 2.
(6) 2. 2. q. 24. a. 12. (7) Prov. 8. 17.
(8) Io. 14. 21. (9) Io. 4. 16.
(10) 1. Petr. 4. 8. (11) Suppl. q. 5. a. 3.

esset sacramentum mortuorum sed vivorum, et absolutio non esset vera absolutio, sed potius absolutionis iam factae simplex declaratio, quemadmodum Lutherus volebat, quod dici nequit iuxta id quod declaravit Tridentinum [1]. Qua de caussa, quoad amoris principium quod attritionem debet comitari, necesse non est ut sit amor praedominans, sed sufficit ut simplex sit amoris principium, prout est timor poenarum aeternarum: *Timor Dei initium est dilectionis* [2]. Principium quoque amoris est voluntas Deum deinceps non offendendi, nec non spes veniae bonorumque aeternorum, quae Deus poenitentibus pollicetur, quemadmodum dicit s. Thomas: *Ex hoc quod per aliquem speramus bona, incipimus ipsum diligere*[3]. Ideoque bonum est, cum ad exedram ad aperiendas confessiones accedimus, cum doloris actu actum spei coniungere, quo speramus quod propter Iesu Christi merita peccata nobis condonentur. Dicit etiam Tridentinum quod cum hac spe debet se poenitens praeparare ad peccatorum suorum remissionem a Deo obtinendam: *Fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore* [4].

25. Animadvertatur tamen quod ad attritionis dolorem non sufficit timor suppliciorum temporalium, quibus etiam in hac vita peccatores Dominus punit. Dicunt enim dd. quod quemadmodum peccati mortalis aeterna est poena, ita doloris motivum poenarum aeternarum supplicium esse debet. Animadvertatur amplius quod in doloris attritionis actu non sufficit ut peccatorum tantummodo poeniteat quia infernum promeruit, sed poenitere etiam debet offendisse Deum per infernum quem promeruit. Animadvertatur denique id quod Tridentinum dicit, quod attritionis actus sociatus esse debet non solum cum spe veniae, sed etiam cum voluntate amplius non peccandi: *Cum spe veniae excludens voluntatem peccandi* [5]. Unde est quod si quis peccatorum suorum propter infernum, quem promeruit, poeniteret, sed tali dispositione ut, si infernus non esset, peccare non desineret, dolor hic ad nihilum valeret, imo prae sua mala voluntate culpabilis esset. En igitur quomodo attritionis actus est eliciendus: *Deus meus, quia meis cum peccatis paradisum perdidi, infernumque promerui per totam aeternitatem, supra omne malum me poenitet te offendisse.* Contritionis vero actus sequenti modo fit: *Deus meus, quia tu es bonitas infinita, te super omnia ego amo; et quia te amo, offensionum omnium quas tibi summo bono feci me super omnia poenitet: Deus meus, numquam amplius: potius mori volo, quam te denuo offendere.* Et hic consideretur quod quamvis sola attritio, uti dictum est, ad gratiam in hoc sacramento obtinendam sufficiat, quisque tamen poenitens qui vult confiteri peccata, contritionis actum etiam debet addere et pro maiori sua securitate et pro maiori sua utilitate.

§. 3. De proposito.

26. Dolor necessario semper proposito coit. *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* [6]. Verum peccatorum dolorem nemo habere potest, nisi insimul propositum verum amplius Deum non offendendi habeat. Ut tamen verum sit hoc propositum, necesse est ut tres habeat conditiones, scilicet ut sit firmum, universale et efficax.

27. – 1. Et primo debet esse *firmum*, ita ut poenitens omne malum potius pati quam in Deum peccare firmiter proponat. Dicunt aliqui: *Pater, Deum amplius offendere nollem, sed occasiones et debilitas mea faciunt me relabi.* Fili mi, tu verum non habes propositum, ideoque dicis: *Vellem, vellem.* Scito tamen quod huiusmodi hominum plenus est infernus. Non est propositum hoc quod habes, sed inanis est velleitas. Verum propositum, ut superius dixi,

(1) Sess. 14. can. 9. (2) Eccl. 25. 16

(3) 2. 2. q. 40. a. 2. (4) Sess. 6. c. 6.
(5) Sess. 14 c. 4. (6) Trid. sess. 14. c. 4

est voluntas firma et deliberata, quodcumque malum potius tolerandi quam iterum in peccatum relabendi. Verum est quod adsunt occasiones, nosque debiles sumus, praesertim si in aliquo peccato assueverimus, et e contrario daemon potens est; Deus tamen daemone est potentior, et cum Dei auxilio omnes inferni tentationes debellare possumus. *Omnia possum in eo qui me confortat*, dicebat s. Paulus [1]. Verum est quod debemus de nostra debilitate timere, de nostris viribus diffidendo; debemus tamen in Deo fidere, prae eius enim gratia impetus omnes inimicorum nostrorum superabimus: *Laudans, invocabo Dominum*, dicebat David, *et ab inimicis meis salvus ero* [2]. Qui in tentationibus se Deo commendat numquam in peccatum incidet: *Sed, pater me Deo commendavi, attamen tentatio sequitur*. Et tu insiste in quaerendo a Deo auxilium usquedum tentatio persistit, et nusquam incides in peccatum. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* [3]. Pollicitus est Deus auxilium suum petentibus praebere: *Omnis enim qui petit, accipit* [4]; et pollicitus est omnibus, tam iustis quam peccatoribus: *Omnis qui petit, accipit*. Unde qui peccat excusari nequit; quia, si se Deo commendaret, suam ipsi Deus manum porrigeret, eumque, ut in peccatum non incideret, substineret. Qui ergo in mortale peccatum incidit, propter propriam culpam incidit, aut quia a Deo auxilium quaerere non vult, aut non vult Dei auxilio uti.

28. - 2. Propositum debet esse *universale*, vitandi scilicet quodcumque peccatum mortale. Sauli iussit Deus ut interficeret omnes amalecitas eorumque pecora, greges et armenta et omnes res eorum ureret. Quid tamen fecit Saul? Plures homines pluraque armenta interficere, pluresque res urere fecit; regis tamen vitam resque pretiosiores servavit, et ob hanc imperii detrectationem a Deo promeruit maledici. Uti Saul fecit, ita quamplures faciunt poenitentes; aliqua proponunt peccata vitare, non tamen periculosas quasdam amicitias, quaedam bona quae religio eis est quominus retineant, et quaedam odia in proximum. Hi volunt cor dividere medium Deo mediumque daemoni; acquiescit daemonium, Deus tamen non acquiescit. Notum est quod fecit Salomon, qui, quum duae mulieres contenderent cuius esset parvulus ille qui vivus remanserat, dixit: *Dividite infantem vivum* [5]. Tunc illa quae vera mater non erat tacuit et acquievit; sed quae vera mater erat dixit: *Nequaquam; si filius meus mori debet, acquiesco quod potius eum illa habeat*. Et ex hoc cognovit Salomon quae esset vera mater, eique tradidit puerum. Ita daemon, quia pater noster non est sed noster inimicus, partem aliquam cordis nostri habere contentus est; Deus tamen, qui verax noster pater est, non acquiescit, nisi totum habeat. *Nemo potest duobus dominis servire*, dixit Iesus Christus: hos qui duobus dominis servire volunt Deus non admittit: unicus dominus noster esse vult, et cor nostrum insimul cum daemonio possidere iure merito recusat.

29. Ad rem tamen redeamus Propositum debet esse *universale*, omnia scilicet mortalia peccata vitandi. Dico *mortalia;* quia quoad venialia aliquis propositum habere potest unum veniale peccatum vitandi, et aliud non, et cum tali proposito bona potest esse confessio. Animae vero quae Deum timent, propositum habent fugiendi omnia venialia deliberata; et quoad venialia indeliberata, scilicet sine plena voluntate commissa, attinet, proponunt pauciora quo possunt committere: omnia enim venialia indeliberata vitare prae naturali nostra debilitate est impossibile. Maria ss. tantum (uti in principio diximus) ab omni peccato veniali etiam indeliberato fuit immunis,

(1) Philip. 4. 13. (2) Ps. 17. 4.

(3) 1. Cor. 10. 13. (4) Matth. 7. 8. (5) 3. Reg. 3. 25.

quemadmodum declaravit Trid.[1] ubi dixit impossibile esse *in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet ecclesia*. Et hoc unum est ex validioribus argumentis quo probatur quod divina Mater a culpa originali fuit immunis; si enim ea contaminata fuisset, naturaliter a quocumque veniali peccato etiam indeliberato immunis esse non potuisset. Sermone tamen progrediamur.

30. - 3. Propositum debet esse *efficax*, nempe ut homo omnia media ad peccata vitanda eligat; et magis necessarium medium est occasiones, in quibus in peccata relabi quis posset, fugere et removere. Hoc est maxime considerandum; si enim homines pravas occasiones vitare curarent, a pluribus peccatis abstinerent, pluresque animae non damnarentur in infernum. Daemon sine occasione parum lucratur: sed quando quis ultro se occasioni exponit, praesertim cum de inhonestis est peccatis, est moraliter impossibile quod in peccatum non incidat.

31. Distinguendum tamen est inter proximam et remotam occasionem. Occasio *remota* illa est quae invenitur undique sive in qua homines raro incidunt in peccatum. Occasio *proxima* ea est quae per se ordinarie ad peccandum inducit; uti esset in iuvenibus qui saepe absque necessitate cum mulieribus mali odoris conversantur. Occasio proxima vocatur etiam illa in qua aliquis saepe incidit in peccatum: occasiones quaedam quae pro multis proximae non sunt, erunt proximae pro aliquo qui prae sua prava inclinatione aut prae sua mala consuetudine pluries in idem prolapsus est peccatum. Sunt itaque in occasione proxima 1. illi qui domi aliquam foeminam, cum qua rem habuerunt, retinent; 2. qui in aliqua taberna aut domo saepe se inebriaverit vel ceciderit in rixas, actus, verba aut cogitationes obscoenas; 3. qui in ludo saepe in fraudes aut in rixas aut blasphemias prorupit: omnes hi absolvi nequeunt, nisi occasionem fugere firmiter proponant; quia sese talibus obiicere occasionibus, licet aliquando non peccarent, grave est peccatum. Et quando occasio est voluntaria et est acto in *esse*, uti in sua instructione docuit s. Carolus Borromaeus, poenitens absolvi nequit, nisi prius auferat occasionem; quum enim opus occasionem auferendi sit maxime arduum, si poenitentes, antequam absolutionem recipiant, eam non auferunt occasionem, post absolutionem difficulter auferent.

32. Eo minus capax est absolutionis ille qui occasionem auferre nollet, et tantum in peccatum illud amplius non incidere promitteret. Dic mihi, frater mi: efficere potes ut stuppa igni superposita non ardeat? et quomodo confidere potes te in occasionem coniicere et non peccare? *Et erit fortitudo vestra*, dicit propheta, *ut favilla stuppae.....: et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat*[2]. Semel coactus fuit daemon dicere quae sacra concio ei magis displicebat; respondit: *Sacra occasionis concio*. Dummodo non removeatur occasio, nil quicquam daemonem deturbant proposita, promissiones et iuramenta; usquedum enim non aufertur occasio, peccatum non cessabit. Occasio, praesertim in inhonesta materia, est veluti quoddam velum quo obtenduntur oculi, ita ut neque Deum, neque infernum, neque paradisum videamus. Denique occasio excaecat; et cum quis caecus est, quomodo per paradisi vias incedere poterit? In inferni viam se dabit, quin sciat quo eat: et quare? quia non videt. Opus est igitur ut qui in occasione est eam auferre conetur; secus erit semper in peccato.

33. Et hic monere oportet quod pro aliquibus magis propensis aut consuetis magis in aliquo vitio, praesertim in inhonesto, sunt proximae aut quasi proximae occasiones quaedam quae pro aliis erunt remotae; unde, si eas non

(1) Can. 23. sess. 6.

(2) Isa. 1. 31

auferant, in eadem semper scelera relabentur.

34. Sed, *pater* (dicet aliquis), *non possum ab illa persona discedere; domum illam sine gravi meo damno derelinquere non possum.* Ergo vis dicere occasionem tuam non voluntariam sed necessariam esse? Et si necessaria est, oportet ut saltem, nisi eam derelinquere velis, cures ut e proxima evadat remota prae mediis quae adhibebis. Ecquae sunt ista media? Tria sunt: sacramentorum frequentia, oratio et fuga familiaritatis cum illa cum qua rem habuisti. Sacramentorum confessionis et communionis frequentia optimum esset remedium; scire tamen opus est quod in proximis necessariis incontinentiae occasionibus magnum remedium est absolutionem suspendere, ut poenitens in aliis mediis exequendis omnem adhibeat diligentiam, scilicet ut frequenter se Deo commendet et illius personae familiaritatem devitet: opus est ut usque diluculo, quando surgit e lecto, propositum non peccandi renovet. Et non solum mane, sed pluries in die roget Dominum ante ss. sacramentum aut ante crucifixum, et roget etiam Mariam ss., ut auxilium, ne in peccatum iterum incidat, recipiat. Aliud in quod maxime debet incumbere est ut quamcumque familiaritatem cum complice auferat. Numquam cum illa remotis aliis conversetur, numquam faciem eius intueatur, et numquam cum ea loquatur; et si ob meram necessitatem cum illa conversari sit opus, invitissime faciat; fastidiosissimum se ostendendo: et hoc est illud quod maioris est ponderis, nempe ut efficiatur ut occasio quae erat proxima evadat remota. Sed hoc difficulter exequitur qui iam absolutus fuit; ideoque in huiusmodi casibus absolutionem protrahere expedit, usquedum occasio e proxima evadat remota: sed ut tales occasiones reddantur remotae, non sufficiunt neque octo neque quindecim dies, sed maiori tempore est opus.

35. Sed si umquam cum omnibus his remediis poenitens semper in peccata relaberetur, quodnam remedium erit? Tali casu remedium ab evangelio praebetur: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te*[1]. Melius est, dicit Dominus, oculum non habere, quam habere eum et ire in infernum. Ergo tali casu aut opus est omnino ab occasione discedere aut in infernum certissime damnari.

§. 4. *De confessione.*

Ad peccatorum tandem confessionem progrediamur. Confessio, ut sit bona, esse debet integra, humilis et sincera.

Sectio I. *Confessio debet esse integra.*

36. Qui Deum peccato mortali offendit nullo alio remedio damnationi suae mederi potest quam confitendo peccatum. Et si eius toto corde doleo? si in tota mea vita poenitentiam ago? et si in solitudinem me confero ibique herbis tantum vescar et in terra dormiam? Quicquid vis, facere potes; nisi peccatum quod tibi in mentem venit confitearis, illud tibi nequit condonari. Dixi: *peccatum quod in mentem venit;* si enim sine tua culpa esses eius oblitus, quotiescumque peccatorum omnium generalem habuisti dolorem, peccatum illud tibi indirecte condonatum est. Debes tamen confiteri illud cum eius memineris. Sed si illud ultro tacuisti, tunc non solum peccatum illud confiteri debes, sed omnia alia; quia confessio illa nulla fuit atque sacrilega.

37. Proh maledicte rubor! quot infelices animae prae rubore hoc in infernum mittuntur! Hoc illud erat quod s. Theresia concionatoribus inculcabat: *Dicite* (aiebat), *sacerdotes mei*, *dicite ad populum quod prae pravis confessionibus maior christianorum pars damnatur in infernum.*

38. Quidam Socratis discipulus quadam die ingressus erat in domum cuiusdam mali odoris mulieris: quum vero ex illa egredi vellet, magistrum suum transeuntem vidit; unde, ne ab illo videretur, in illius domum se denuo re-

(1) Matth. 5. 30

cepit. Socrates autem, qui eum iam viderat, faciem suam exerens intus illius domus ianuam, ei dixit: *Pudor est in hanc domum ingredi, sed pudor non est ab hac domo egredi*. Simili modo peccatoribus ego dico: fili mi, pudor est peccatum committere, sed pudor non est se a peccato liberare confitendo illud: *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam* [1]. Confusio illa fugienda est quae nos reddit Dei inimicos, non vero illa quae ob peccati confessionem facit ut Dei gratiam et gloriam paradisi recuperemus.

39. Quid pudoris? quid pudoris? Fuitne pudor tot personis, tot sanctis poenitentibus, s. Mariae Magdalenae, s. Mariae aegyptiacae, s. Margaritae de Cortona propria confiteri peccata? Earum confessiones eis acquirere fecerunt paradisum, ubi nunc tamquam illius regni reginae Deo fruuntur, et in aeternum fruentur. S. Augustinus, cum ad bonam frugem se recepit, non solum malam suam vitam fuit confessus, sed librum etiam edidit in quo omnia peccata sua, ut totus mundus ea sciret, notavit.

40. Narrat d. Antoninus quod praelatus quidam vidit semel daemonium prope mulierem quae iam iam peccata sua confiteri volebat: quaesivit praelatus a daemone quid faceret; respondit daemon: *Praeceptum restitutionis observo. Quando mulierem istam ad peccandum tentavi, pudorem ab ea abstuli; nunc pudorem ei restituo ut peccatum non confiteatur*. Haec inimici ars est, quemadmodum scripsit s. Ioannes Chrysostomus: *Pudorem dedit Deus peccato, confessioni fiduciam. Invertit rem diabolus; peccato fiduciam praebet, confessioni pudorem*. Lupus ovem ex gula apprehendit ut illa clamare nequeat, et hoc modo ducit atque devorat illam. Hoc idem cum quibusdam infelicibus animabus facit diabolus. Apprehendit eas a gula, ut peccatum non confiteantur, hocque modo eas ad infernum trahit.

41. Narratur in vita p. Ioannis Ramirez e societate Iesu quod, quum in quadam civitate sacram haberet concionem, ad cuiusdam moribundae puellae confessionem excipiendam accersitus fuit. Nobilis illa erat et speciem sanctae vitae praesetulerat; Christi enim corpus saepe sumebat, ieiunabat, aliasque mortificationes exercebat. In morte profusis lacrymis peccata sua p. Ioanni confessa fuit, ita ut pater ille fuerit plurimum gavisus. Sed ut pater ad collegium suum pervenit, socius ei dixit quod, dum puella illa peccata confitebatur, nigram manum stringentem illi gulam viderat: quod ut p. Ioannes audivit, ad infirmae domum rediit; sed, priusquam domum introiret, puellam mortuam esse intellexit. Unde in collegium se recepit, ibique, orans, defunctam horribili forma vidit flammis circumdatam atque catenis, quae dixit quod, propter unum inhonestum cum iuvene peccatum quod prae rubore nunquam confiteri voluit, erat ad infernum damnata; quodque peccatum in morte confiteri volebat, sed diabolus pro ipsomet rubore ipsam ad illud quoque tacendum induxerat. Quod ut dixit, statim evanuit, terrificos ululatus non sine magno catenarum strepitu emittens.

42. Filia mea, peccatum commisisti? quare illud confiteri non vis? *Me pudet*. Te infelicem! dicit s. Augustinus: pudorem tantum cogitas, et non cogitas, quod, si peccatum illud non confiteris, ad infernum damnaberis? Te pudet; sed quare? *O insania!* (replicat sanctus) *de vulnere non erubescis, de ligatura vulneris erubescis?* Dicit Trident.: *Quod ignorat medicina non curat* [2]. Medicus nisi vulnus videat et agnoscat, illud sanare nequit.

43. Heu quae pernicies pro illa anima quae confitetur et prae rubore grave aliquod tacet peccatum! *Remedium fit ipsi diabolo triumphus*, ut inquit d. Ambrosius [3]. Milites in bello cum victoriam obtinent, plurimum se iactant,

(1) Eccli. 4. 25. (2) Sess. 14. c 6. (3) L. 2. de poenit.

arma ab inimicis ablata ostendendo. Simili modo se iactat diabolus de huiusmodi sacrilegis confessionibus; ab animabus enim abstulit ea arma quibus illae ipsum poterant debellare. Vae tamen huiusmodi animabus! quia sic faciendo remedium in venenum transmutant. Infelix illa mulier unum habebat peccatum, sed, quia illud in confessione tacuit, sacrilegium commisit, ideoque diabolus triumphavit.

44. Dic mihi, soror mea: si, peccatum illud non confitendo, in liquefactae picis caldario esses comburenda viva, posteaque peccatum tuum scire deberent omnes propinqui et conterranei tui, tuum ne taceres peccatum? Minime quidem: quippe quia, illud confitendo, occultum remaneret, et tu non combureretis. Sed certissimum est quod si peccatum illud non confiteris, in aeternum in inferno ardebis, et in die iudicii tale tuum peccatum scient non solum propinqui et concives tui, sed omnes homines terrae: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi* [1]. Dicit Dominus: Nisi peccata quae commisisti confitearis, *ego revelabo pudenda tua in facie tua et ostendam regnis ignominiam tuam* [2].

45. Peccatum commisisti? illud nisi confitearis, ad infernum damnaberis: ergo, si vis salva esse, illud aliquando debes confiteri: et si *aliquando*, *cur non modo?* inquit s. August. Quid expectare vis? ut veniat mors, post quam nequis amplius confiteri illud? Scias tamen volo quod quo magis protrahis peccatum confiteri, et sacrilegia multiplicas, eo magis pudor tuus et obstinatio tua augentur. *Ex retentione peccati nascitur obstinatio*, scripsit Petrus Blessensis. Quot infelices animae, quia peccatum tacere consueverunt dicendo - *Cum morti ero proxima*, *illud confitebor* -, neque in hora mortis confessae fuerunt illud!

46. Scias amplius volo quod, si peccatum quod commisisti non confiteris, numquam in vita tua pacem habebis. Proh Deus, quem infernum intra se habebit infelix illa poenitens quae ab exedra ad confessiones excipiendas, quin peccatum aliquod confessa fuerit, discedit! secum semper viperam continue cor ei laniantem ducit. Infelix! Et in hac et in alia vita infernum tolerabit.

47. Eia igitur, dilecti mei, si quis vestrum in hoc exitium forte inciderit, nempe si peccatum aliquod prae rubore confessus non fuerit, statim illud confiteatur. Satis est dicere confessario: *Pater*, *me pudet quoddam confiteri peccatum;* aut: *A quodam stimulo meae transactae vitae exagitor*. Hoc sufficit: curabit enim confessarius spinam quae te occidit, eripere et hoc modo conscientiam tuam a peccato illo liberare. Et quam magna erit laetitia illa quam, postquam viperam illam e tuo corde eripueris, habebis!

48. Quot personis debes hocce tuum peccatum manifestare? Sufficit, si illud semel uni confessario dicas. Et ne te diabolus decipiat, scito quod nos tantum peccata mortalia confiteri tenemur. Qua de re si illud peccatum tuum mortale non erit, aut quando commisisti illud pro mortale non habebas, illud non teneris confiteri: e. g. aliquis erit qui in iuventute sua aliquem impudicum actum commisit, sed tunc actum illum peccatum mortale esse non credebat neque dubitabat, huiusmodi peccatum confiteri non tenetur. Sed si, e contrario, quando peccatum illud commisit, an mortale peccatum esset, dubitabat, opus est ut illud confiteatur; alias damnabitur ad infernum.

49. *Sed*, *pater*, *potest esse quod confessarius peccatum meum aliis manifestet.* Quid dicis? quid dicis? Ausculta. Si confessarius vivus esset comburendus caussa non manifestandi unum tantum veniale peccatum a poenitente auditum, debet se facere comburi et illud haud manifestare. Confessarius de rebus in confessione auditis ne cum ipso quidem poenitente extra confessionem loqui potest.

(1) 2. Cor. 5. 10. (2) Nahum 3. 5.

50. *Sed timeo ne confessarius, audiendo peccatum meum, me increpet.* Quid dicis? quid increpare? Hae sunt falsae illae suspiciones quas suggerit daemon; confessarii ad exedras ad confessiones excipiendas se conferunt non fine audiendi extases et revelationes, sed peccata: et maiorem consolationem habere non possunt quam quando aliqua poenitens ipsis suas aperit miserias. Si tu sine tuo incommodo reginam ab inimicis vulneratam posses a morte liberare, quam consolationem non haberes illam a morte liberando? Hoc confessarius facit quando poenitens malum quod patravit manifestat: tunc enim per absolutionem, quam ei impartitur, animam eius a peccato vulneratam liberat, et liberat a morte aeterna.

51. Narrat s. Bonaventura in vita s. Francisci quod quaedam matrona iam iam moritura, postquam visa fuit animam afflare et antequam sepeliretur, illico e lecto surrexit atque prae terrore contremiscens dixit quod anima sua, iam e corpore egressa iamque in infernum ruitura quia unum in confessione tacuerat peccatum, propter s. Francisci orationes ad hanc vitam redierat. Unde confessarium vocavit profusisque lacrymis peccata sua confessa fuit: posteaque omnibus qui aderant dixit quod curarent ne quodcumque in confessione peccatum tacerent; Deus enim non omnibus eamdem misericordiam adhiberet quam ipsi adhibuit. Quod ut dixit, iterum animam afflavit.

52. Cum diabolus te tentat ne aliquod peccatum quod commisisti, confitearis, responde ei quomodo respondit quaedam mulier nomine Aleydis, quae carnale commercium cum quodam iuvene habuerat. Accidit quod amicus suis propriis manibus sibi spiritum praecluserat, et damnatus erat ad infernum: tunc illa in quoddam se recepit monasterium ut ibi poenitentiam ageret; et quum quodam die iret ad exedram ad aperiendas confessiones ut peccata sua confiteretur, diabolus ei dixit: *Aleydis, quo pergis?* Quae respondit: *Vado ut, peccata mea confitendo, me atque te confundam.* Ita quoque opus est ut tu daemonio respondeas quando diabolus te tentat ut peccatum non confitearis: *Vado ut me atque te confundam.*

Advertat instructor quod malum hoc tacendi prae rubore peccata in confessione in omnibus locis et praesertim in parvis oppidis accidit: unde, cum catechismum facit, debet pluries de hoc verba facere ad populum eique ostendere exitium quod animabus inferunt sacrilegae confessiones; et quia homines magis moventur exemplis, ideo in fine huius opellae transcribentur exempla aliquarum personarum quae, quia in confessione prae rubore peccata tacuerunt, fuerunt ad infernum damnatae.

Sectio II. *Confessio debet esse universalis.*

53. Poenitens qui accedit ad exedram ad confessiones excipiendas ut peccata sua confiteatur fingere debet esse reum morti damnatum tot catenis devinctum quot sunt peccata quae habet in conscientia; sistit confessario qui est in loco Dei et potest ipsum ab illis nexibus solvere et ab inferno liberare. Unde opus est ut confessarium tota cum humilitate alloquatur. Ferdinandus imperator volens in cubili, in quo erat, peccata sua confiteri, ipse sedem, in qua confessarius sederet, accepit; quem actum tam humilem quum qui aderant obstupescerent, respondit: *Pater, nunc ego sum subditus, et tu es meus superior.* Quidam cum confessario contendunt, et tanta loquuntur superbia ac si confessarius esset subditus, et ipsi superiores; et hoc modo faciendo, quem fructum ab his confessionibus percipere possunt? Opus est igitur ut reverentiam omnem confessario adhibeatis. Eum semper humillime alloquimini, humiliterque omnibus praeceptis eius obtemperate; et quando vos corripit silete, atque humiliter eius accipite admonitionem, et humiliter illud remedium acceptate

quod confessarius vobis praebet, et sic vos in meliorem frugem redibitis. Nec confessario irascimini, habendo illum loco iniqui et sine caritate. Quidnam vos diceretis si infirmum aspiceretis qui, dum ei chirurgus apostema incidit, tamquam crudelem et sine caritate illum tractaret? Nonne eum dementem appellaretis? *Sed dolorem mihi affert*. Sed dolor hic ille est qui vos sanat; secus enim moriemini.

54. Confessarius tibi dicit quod te absolvere nequit, nisi prius alienam rem restituas. Acquiesce, neque absolutionem contende; nonne scis quod qui iam absolutionem obtinuit, amplius non restituit? Iubet confessarius ut infra octo vel decem dies pro absolutione redeas atque interim occasionem removeas, te Deo commendes, sis in non reincidendo constans, omniaque alia remedia quae tibi praescripsit adhibeas; acquiesce, et hoc modo a peccato liberaberis. Nonne vides quod tempore praeterito, quia semper absolutus fuisti, vix paucis elapsis diebus, in eadem fuisti scelera relapsus? *Sed si interim veniat mihi mors?* Sed Deus non abstulit tibi vitam toto illo tempore quo in peccato mansisti et ad meliorem vitam teipsum reducere non cogitabas; et nunc volenti tibi ad meliorem te frugem revocare Deus vult vitam auferre? *Sed potest esse ut interim veniat mihi mors*. Et si potest esse, continuos interim elice contritionis actus. Iam superius dixi quod qui peccata sua animum confitendi habet et aliquem facit contritionis actum, illico Deus ei peccata remittit.

55. Quid tibi prodest accipere statim absolutionem semper ac pergis ad exedram ad confessiones excipiendas ut peccata tua confitearis, quando peccatum non tollis? Omnes illae absolutiones magis magisque te in inferno cruciabunt. Audi. Quidam nobilis habituatum habebat peccatum, et confessarium sibi elegerat qui semper eum absolvebat, non obstante quod semper ille in eadem peccata relabebatur. Nobilis hic obiit, et visus fuit damnatus super humeris alterius ad infernum damnati qui eum ducebat. Interrogatus fuit quis ille alter erat; respondit: *Hic est meus confessarius, qui, quia me, semper ac peccata confitebar, absolvebat, me duxit ad infernum. Ego damnatus sum, sed damnatus est ipse quoque, qui ad infernum me duxit*. Itaque, frater mi, noli irasci quando confessarius absolutionem tibi differt et videre vult quomodo te interim geris. Si tu semper in eadem peccata relaberis, licet illa confessus fuisti, te non potest absolvere confessarius absque aliquo extraordinario et manifesto signo tuae dispositionis, et si te absolvit, damnaberis tu, et damnabitur confessarius. Ideoque acquiesce et fac quod tibi confessarius dicit: quia, quando redibis quodque tibi confessarius imposuit feceris procul dubio te absolvet, et hoc modo a peccato illo poteris te liberare.

SECTIO III. *Confessio debet esse sincera.*

56. Confessio debet esse sincera, scilicet sine mendaciis et sine excusationibus. *Sine mendaciis:* mendacia dicta in confessione, semper ac levia sunt, sunt peccata graviora, sed non mortalia: sunt tamen mortalia quando sunt in materia gravi, scilicet quando poenitens peccatum mortale quod non patravit confiteatur; aut mortale quod fecit aut quod nunquam confessus fuit negaret; aut si negaret habitum factum in aliquo peccato: esset enim dolus gravis quem Dei ministro faceret.

57. Sine mendaciis et *sine excusationibus*. In tribunali quippe poenitentiae reus ipse suus debet esse accusator: accusator, non advocatus, qui peccatum excusat. Qui melius se accusat, quin culpam diminuat, absolutionem et maiorem a Deo obtinebit misericordiam. Ad rem narratur quod dux Hostunii quum quadam die in triremibus esset, a damnatis illis sciscitabatur quodnam crimen commisissent. Omnes se innocentes esse respondebant; unus tantum respondit se peius mereri. Tunc prorex dixit: *Ergo hic non bene mora-*

ris tu, qui es scelestus, inter tot innocentes; eumque libertate donavit. Eo fortius Deus peccata condonat illi qui in tribunali poenitentiae confitetur se reum, et excusationes non adfert.

58. Quot tamen peccata sua male confitentur! Sunt qui confessario dicunt id parum boni quod faciunt, et de peccatis non loquuntur. *Pater, ego quotidie missam audio, coronam recito, non blasphemo, non iuro, rem alienam non accipio.* Et bene? Quid inde? ut a confessario lauderis? Peccata tua confitere: teipsum examina, et mille in te peccata reperies quibus mederi debes; detractiones, verba obscoena, mendacia, imprecationes, odia atque inhonestas cogitationes. Alii, pro seipsos excusando, propria defendunt peccata et cum confessario contendunt: *Pater, ego blasphemias profero quia dominum habeo qui tolerari nequit. Odio habui quamdam vicinam quia malum in me protulit verbum. Cum hominibus peccavi quia quid manducarem non habebam.* Et quid tibi prodest huiusmodi confessio? Quid intendis? Vis ut confessarius peccata quae commisisti approbet? Audi quid s. Gregorius dicit: *Si te excusas, Deus te accusabit; si te accusas, Deus te excusabit.* Plurimum Dominus conquestus fuit cum s. Maria Magdalena de poenitentibus illis qui in confessione, propria excusantes peccata, alios criminantur: *Occasionem mihi dedit persona illa; ille alter me tentavit;* ita ut in confessione plura committant peccata: qui enim sua excusant peccata proximum sine necessitate infamant. Agere oporteret cum huiusmodi personis quemadmodum quidam fecit confessarius cui quaedam mulier, ut propria peccata excusaret, peccata viri narrabat. *Age* (ei dixit confessarius) *pro peccatis tuis recita unam* Salve regina: *sed pro viri tui peccatis per mensem ieiuna.* Sed cur peccatorum viri mei poenitentiam agere debeo? Et cur tu viri tui peccata confiteris, dicendo quicquid mali ille fecit ut peccata tua excuses? Ideoque, sorores meae, ex nunc in antea tantum peccata vestra, et non aliena, confitemini, atque dicite: *Pater, non fuit socius, non fuit occasio, non fuit daemonium, sed ego fui quae prae mea malitia Deum offendere volui.*

59. Verum est nihilominus quod quandoque etiam peccatum proximi est manifestandum, aut ut peccati species declaretur, aut ut confessarius periculum in quo poenitens est intelligat, ut quid tunc faciendum sit consulere possit; sed si ad alium confessorem, qui personam illam non cognoscit, ire possetis, ad illum ite. Caeterum, si mutando confessarium notabile vobis esset incommodum tolerandum, aut si iudicatis quod ordinarius confessarius, quia melius de vestra instructus conscientia opportunius vobis dare potest consilium, confessarium mutare non tenemini. Curate tamen complicem, quantum potestis, occultare; e. g. sufficit nominare statum illius personae, si sit virgo, si nupta, si castitatis votum habeat, quin nomen eius dicatis.

60. Monet amplius s. Franciscus Salesius ne in confessione quaedam inutiles et prae consuetudine fiant excusationes: *Totis viribus Deum non amavi; sacramenta, uti debebam, non recepi, parum doloris de peccatis meis habui.* Verba inutilia, amissio temporis. *Accuso me super septem peccatis mortalibus, super quinque corporis sensibus, super decem legis Dei praeceptis.* Cantiones has missas facite. Satius est confessario aliquem explicare defectum in quem multo ab hinc tempore labimini et non adhuc resipiscitis. Ideoque defectus illos de quibus vos corripere vultis confitemini. Quid dicere prodest: *Accuso me de mendaciis omnibus quae dixi, de omnibus detractionibus quas feci, de imprecationibus omnibus quas misi,* quando non vis huiusmodi vitia auferre? Quid prodest ea confiteri? Hoc est Christum et confessarium deludere. Curate itaque, filii mei, quando vitia haec, licet venialia sint, confitemini, ut verum propositum in ea non relabendi habeatis.

§. 5. *De poenitentia quam imponit confessarius.*

61. Satisfactio quam nos *poenitentiam* vocamus, etiam pars est necessaria confessionis: non *essentialis*, quia sine ipsa confessio valida esse potest, uti si poenitens esset in mortis periculo debitamque poenitentiam agere non posset; sed est pars *integralis*, ita ut si poenitens animum poenitentiam faciendi non habeat, confessio est nulla; quia poenitens, dum peccatum confitetur, animum habere debet poenitentiam, quam ipsi confessarius imponet, adimplendi. Sed si animum habet illam non adimplendi, et postea eam adimplet, confessio valida remanet, sed grave committit peccatum, quando poenitentia imposita est materiae gravis.

62. Intelligere opus est quod cum homo peccat culpam contrahit, contrahitque poenam culpae debitam. Prae confessarii autem absolutione remittitur culpa et remittitur insimul poena aeterna; et quando poenitens intensam habet contritionem, remittitur etiam tota poena temporalis: sed cum haec tam grandis non adest contritio, remanet temporalis poenae satisfactio, quae satisfacienda est aut in hac vita aut in purgatorio, quemadmodum docet Tridentinum [1] ubi dicitur quod prae sacramentali poenitentia non solum persolvitur poena quam nos promeruimus, verum etiam pravi affectus quos peccatum reliquit, passiones, pravi habitus et cordis durities curantur. Amplius, robur, ne in eadem crimina relabamur, acquiritur. Ideo, filii mei, in singulis hebdomadis aut saltem bis in mense, aut denique semel saltem in mense, peccata vestra confitemini.

63. Quodnam peccatum committit qui poenitentiam non adimplet? Si poenitentia est levis, venialiter peccat; si gravis, mortaliter. Sed casu quo poenitentiam adimplere redderetur poenitenti valde difficile, efficere potest ut ille idem aut alius confessarius poenitentiam illam mutet.

64. Infra quod tempus adimplenda est poenitentia? Adimplenda est intra illud tempus quod statuit confessarius: et si confessarius tempus non statuerit, statim est adimplenda; quia quando gravis est poenitentia, et praesertim si sit medicinalis, grave peccatum esset longo illam tempore differre. Et si poenitens post confessionem in aliquod grave relaberetur peccatum, poenitentiam adimplere tenetur? Maxime quidem. Et satisfacit, si illam in peccato adimplet? Maxime satisfacit.

65. Sed heu! multi confitentur peccata, poenitentiam acceptant, posteaque illam non adimplent. *Sed, pater, robur non habeo faciendi totum id quod mihi imposuit confessarius.* Et quare huiusmodi poenitentiam, quam agnoscebas quod adimplere non poteras, accepisti? Auditores mei, hoc illud est quod vobis commendo: quando confessarius aliquam vobis poenitentiam imponit quam videtis quod difficulter adimplebitis, clare loquimini atque confessario dicite: *Pater, timeo non adimplere quod mihi imposuisti; leviorem da mihi poenitentiam.* Quid valet dicere: *Pater faciam, pater faciam*, posteaque nihil facere?

66. Ceterum, scitote quod, poenitentiam in hac vita non adimplendo, maiorem adimplere debebitis in purgatorio. Audite. Narrat Turlot quod quum quidam infirmus per annum multis doloribus vexatus iaceret, rogavit Deum ut ipsi mortem inferret. Deus per angelum ei dixit ut eligeret aut ire per triduum in purgatorium, aut dolores illos per alium annum tolerare. Elegit infirmus tres illos dies purgatorii; in quod quum pervenisset, eum angelus invisit; cum quo fuit infirmus conquestus quia ipsum deceperat, dum, pro tribus diebus, iam plures erant anni ex quo in purgatorio cruciabatur. Tunc ei dixit angelus: *Quid dicis? vix unus dies transiit, et tu dicis quod hic pluribus annis cruciaris?* Unde infirmus rogavit angelum ut potius in mundo suam primam infirmitatem per annum toleraret, et exauditus fuit: et quum

(1) Sess. 14. c. 8.

in vitam rediisset, quotquot ipsum invisebant animabat ut potius omnes poenas in hac vita quam illas in alia acceptarent.

67. Utinam et poenitentes omnem illam poenitentiam quam pro peccatis suis merentur scirent satisfacere! Ordinarie loquendo quasi omnes partem aliquam illius poenae temporalis quae ipsis debetur debent post mortem satisfacere. Legitur quod plures animae quae vitam sanctam duxerunt, per aliquod tempus in purgatorio fuerunt. Curemus itaque ut, ultra poenitentiam, alia bona opera faciamus, scilicet eleemosynas, orationes, ieiunia atque mortificationes: et quotquot indulgentias possumus lucrari curemus: sanctae indulgentiae faciunt ut poenae quas in purgatorio luere deberemus imminuantur. Itaque volo hic vobis indicare multas indulgentias quas lucrari potestis.

68. Et 1. qui audit missam lucratur 3800. annos indulgentiae. 2. Qui vesticulam B. M. V. de monte Carmelo defert et castitatem iuxta suum statum observat et die Mercurii a carnibus abstinet et quotidie recitat septem *Pater*, *Ave* et *Gloria*, cito a purgatorio liberabitur, uti in officio beatae Virginis dicitur. Ita quoque plures lucrantur indulgentias qui deferunt alias vesticulas beatae Virginis septem dolorum, Conceptionis atque Mercedis. 3. Qui dicit *Angelus Domini* quando sonat tintinnabulum, multas lucratur indulgentias. 4. Qui dicit: *Benedicta sit sancta et immaculata conceptio beatae virginis Mariae*, lucratur 100. annos indulgentiae. Qui dicit *Salve*, *regina*, 40. dies. Qui Virginis recitat litanias, 200. dies. Qui invocat nomina Iesu et Mariae, 25. dies: et qui flectit caput dictis nominibus, 20. dies. Qui denique dicit quinque *Pater* et *Ave* passioni Iesu Christi atque Mariae virginis doloribus decem mille annos indulgentiae lucratur.

69. Insuper Benedictus XIII. septem indulgentiarum annos concessit omnibus illis qui faciunt actus christianos fidei, spei et caritatis, cum proposito in vita atque in morte sancta sacramenta recipiendi. Qui per mensem continuat actus illos plenariam lucratur indulgentiam; et Benedictus XIV. plures indulgentiae dies concessit quotiescumque dicti actus, licet eodem die, repetantur.

70. Insuper idem Benedictus XIV. concessit plures dies indulgentiae omnibus qui faciunt mediam horam orationis mentalis, et plenariam illi qui eam per mensem continuaverit, dummodo in eodem mense confiteatur et Christi corpus sumat. Qui viaticum sociatur quinque annos lucratur indulgentiae, et sex qui illud cum lumine sociatur; et qui viaticum sociari non posset centum indulgentiae lucratur dies si unum *Pater* et *Ave* iuxta pontificis recitet intentionem. Qui ante sacratissimum Sacramentum genuflectit, centum dies. Qui crucem osculatur, annum unum et dies quatuor. Qui caput *Gloria Patri* flectit, triginta dies. Qui religiosorum habitum osculatur, quinque annos. Sacerdotes denique qui ante missam recitant: *Ego volo celebrare missam etc.*, quinquaginta dies indulgentiae lucrantur. Hae atque aliae indulgentiae legi possunt apud p. Viva [1].

71. Rogo tamen vos ut quotquot indulgentias potestis pro sanctis purgatorii animabus applicetis; neque timeatis ne, dictas indulgentias pro sanctis illis animabus applicando, remaneatis vos debitores poenarum quas satisfacere debetis. Audite. Narrat p. Rosignoli [2] quod s. Geltrudes iam iam moritura dolebat quod nihil pro anima sua fecerat; nam quicquid boni fecerat, pro animabus purgatorii applicaverat. Apparuit Iesus Christus eique dixit: *Geltrudes, consolare te; ego enim hanc tuam caritatem, quam cum animabus purgatorii habuisti, gratam habui, ut, cum ex hac vita discedes, eris*

(1) In trutina prop. damn. app. indulg. §. ult.

(2) Mira Dei part. 1. n. 34.

a purgatorio libera, *et faciam sociari te ad paradisum ab omnibus illis meis dilectis sponsis quae propter suffragia tua e purgatorio exierunt.*

CAP. VI. *De extrema unctione, ordine sacro et matrimonio.*

1. Reliquum est ut de his tribus ultimis sacramentis loquamur: quod tamen ad haec attinet, parum nobis erit dicendum pro saecularium instructione. Extrema unctio sacramentum est in quo prae unctione facta a sacerdote infirmus mortis tempore recipit gratiam ut sic daemonum tentationibus resistat, utque aegrotationis poenas patienter toleret, et etiam ut ab ea, si ipsius animae expedit, convalescat. *Oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus*, *et si in peccatis sit*, *remittentur ei;* scripsit d. Iacobus apostolus in sua epistola, *cap.* 5. *Salvabit infirmum.* Hoc sacramentum animam principaliter salvat et sanat: sed, quemadmodum docet Trid. [1] aliquando, cum animae expedit, quoque corpus sanat; *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedit* (infirmus) *consequitur.* Ex hoc intelligere opus est quantum sanitati corporis prodesse potest extremam unctionem, quo citius fieri potest, suscipere; scilicet quando aegrotatio a medicis gravis et mortis periculosa declaratur; quin expectetur quod infirmus vivere desperetur. Tunc enim quasi impossibile est (naturaliter loquendo) ut infirmus reconvalescat; quia Deus miraculum facere deberet: sed quando infirmus potest adhuc naturaliter consanescere, virtus sacramenti corporis ei obtinebit sanitatem, quotiescumque ea saluti animae sit profutura. Itaque, ut sacramentum hoc praeberi possit infirmis, sufficit ut infirmitas eorum sit gravis: *qui gravi morbo laborant*, uti declaravit Benedictus XIV. in sua bulla 53., §. 46; eiusdem vide bullarium *t.* 4. Et monet catechismus romanus [2] quod *gravissime peccant parochi qui illud tempus aegrotos ungendi observare solent cum, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiunt.*

2. Sed principaliter hoc sacramentum salutem animae respicit. *Et alleviabit eum Dominus;* explicat Tridentinum haec verba, dicens: *Aegroti animam alleviat*, *in eo divinae misericordiae fiduciam excitando*, *qua infirmus sublevatur*, *morbi incommoda levius fert et tentationibus daemonis facilius resistit.* Unde accommodo me ad dd. illos dicentes quod qui in hora mortis extremam unctionem recipere nollet difficulter a peccato mortali excusari potest; dum magno ultro se privat auxilio, quo facilius daemonis tentationibus resistat, quae in illa hora validiores erunt. S. Eleazarus infirmitatem habuit mortalem; a qua quum consanuisset, pro instructione omnium dixit quod comprehendi nequit quam terribiles sint aggressiones quibus nos, ut ad infernum damnemur, daemones urgent.

3. *Et si in peccatis est*, *remittentur ei.* Sacramentum hoc, ut explicat Tridentinum, *delicta*, *si quae sint adhuc expianda*, *et peccati reliquias abstergit.* Extrema enim unctio a temporalibus poenis, quas nondum pro commissis peccatis solvimus, nos liberat. Amplius abstergit a nobis peccatorum iam remissorum reliquias, idest mentis obscuritatem, duritiem cordis, rerum sensibilium amorem, diffidentias et similia, quae omnium patratorum peccatorum reliquiae sunt atque effectus; haecque extrema unctio abstergit.

4. Sed, ut sacramenti huius omnes hi fructus recipiantur, necessarium est ut in gratia Dei simus: ideoque infirmus debet ante omnia peccata sua confiteri, et inde ss. viaticum recipere (nam, uti dicit catech. rom., haec est antiqua praxis ecclesiae) posteaque extremam unctionem recipere.

5. Ut autem, auditores mei, ardenter, cum aliqua gravi infirmitate laboratis, et quo citius fieri potest hoc sacramentum suscipiatis, ut ad corporis

(1) Sess. 14. c. 2. (2) De extr. unct. §. 2.

quoque sanitatem, si animae vestrae saluti expediat, veniatis, audite quid scripsit s. Bernardus in vita s. Malachiae episcopi Hiberniae. Narrat sanctus quod quum s. Malachias quamdam piam matronam iam iam morituram invisisset, quumque reperiisset quod aliquantisper convaluerit, distulit ideo extremam unctionem usque ad sequentem diem illi praebere. Sed vix ex illa domo egressus fuit, et infirmam mortuam esse audivit. Quare sanctus, summopere dolens quod matrona illa ipsius caussa sine extrema unctione occubuisset, quid fecit? Instanter Dominum rogavit ut illam ad vitam faceret redire; et tantum rogavit usque dum defuncta in vitam rediit. Tunc sanctus illico ei hoc praebuit sacramentum, et infirma sanitatem perfectam recuperavit et per plures alios annos vixit.

6. Sequitur sacramentum ordinis. In hoc sacramento datur aliquibus potestas consecrandi corpus Iesu Christi, a peccatis absolvendi aliasque functiones in Dei honorem faciendi, et illi qui tale recipit sacramentum, ad dicta sacra munera sancte exercenda gratia confertur. In hoc duo sciant laici. Unum, quod, ut quis bonus evadat ecclesiasticus, divina opus est vocatione: et ut videatur utrum veram vocationem habeat, tria concurrere debent. 1. Bona vita; 2. Deo in illo statu serviendi intentio; 3. consilium atque approbatio patris spiritualis. Et qui sine his tribus requisitis sacros ordines suscipit, peccat et suam aeternam salutem magno periculo exponit. Et eo fortius peccant parentes illi qui filios, ut domui opitulentur, ad sacros ordines suscipiendos cogunt. Sacerdotis officium a Christo Domino institutum non fuit ut sic quis domui suae opitularetur, sed ut suam divinam maiestatem honoret, atque animas a Iesu Christo redemtas salvas faciat. Heu quot patres et matres aeternis poenis videbimus addictas in die iudicii, quia filios ad sacros ordines sine Dei vocatione suscipiendos coegerunt!

Alterum quod scire debent laici est reverentia quam exhibere debent sacerdotibus, qui sunt ministri Iesu Christi et propter quos nos omnes salvi esse debemus: homines enim non salvantur nisi prae sacramentis; et sacramenta nisi a sacerdotibus nequeunt administrari: ideoque oportet honorare tam eorum personas quam famam illorum: *Nolite tangere christos meos* [1]. Et alio in loco sacerdotes Dominus alloquens, dixit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* [2]. Timete igitur male habere aut detrahere sacerdotibus; Deus enim huiusmodi peccatum severe castigat. Narrat Theodoretus episcopus Cyri quod s. Iacobus Nisibis episcopus, antequam consecraretur, quum in Persiam, ut illius regni christianos inviseret, se contulisset, dum prope quemdam fontem habebat iter, quaedam puellae vestes lineas lavantes ei irridere coeperunt. Tunc s. Iacobus, ut se Deo commendaret, oculos elevavit ad coelum, posteaque divino afflatu fonti maledixit, qui illico assuduit; et inde quum puellarum illarum arrogantiae maledixisset, capilli earum statim adeo albi evaserunt uti si decrepitarum senum essent, et sic in tota earum vita remanserunt in signum reverentiae quae sacerdotibus debetur.

7. Denique, quod ad sacramentum matrimonii pertinet, hoc est sacramentum per quod homo et mulier, stante quem praebent consensu quo homo mulierem pro uxore et mulier hominem pro viro acceptat coram parocho et duobus testibus, remanent perpetuo devincti gratiamque recipiunt ad bene filios educandos atque ad coniugalis status onera toleranda; sed, ut ista gratia recipiatur, opus est ut ambo sint in gratia Dei cum matrimonio iunguntur; ideoque necesse est ut, antequam matrimonio iungantur, peccata quae habent confiteantur; et optimum esset si mane Christi corpus sumerent. Debent pariter scire res fidei. Quomo-

(1) Par. 16. 22. (2) Luc. 10. 16.

do enim eas filios docebunt, si ipsi nesciunt? Ideo Benedictus XIV. iussit ut in omnes sponsos, antequam matrimonium contrahant, parochi diligenter inquirant, ut cognoscant an res fidei sciant; quas si nesciunt, non permittat parochus ut matrimonium contrahant, sed efficiet ut prius res fidei ediscant, posteaque eos in matrimonium iungat.

8. Liberum est matrimonium: sciant tamen filii familias quod perraro a peccato mortali excusari possunt, si invitis parentibus matrimonium contrahant, et eo magis si iis insciis. Ab huiusmodi matrimoniis sexcenta oriuntur mala; altercationes, odia, iurgia etc. Patres filios, quominus in matrimonium eant, sine iusta caussa impedire non possunt. Filii e contrario nubere volentes parentum suorum consensum quaerere et habere debent: excipe, nisi constet quod parentes iniuste negent consensum. De virorum vero et uxorum obligatione in quarto praecepto verba fecimus.

9. Sed antequam rem absolvamus, servemus in exemplo filii Tobiae (uti legitur in Scriptura [1]) modum quo iuvenes contrahere debent matrimonium. In civitate Rages in Media quaedam erat puella cuius nomen erat Sara filia Rachelis, quae erat valde moesta quia septem iuvenes sui sponsi in prima nuptiarum nocte fuerunt a daemone Asmodaeo strangulati. Post hoc destinatus fuerat sponsus Sarae filius Tobiae, qui infelicem aliorum mortem intelligens, tale matrimonium contrahere timebat. Angelus tamen Raphael, qui eum comitabatur, ut talem ab illo expelleret timorem, ei dixit: *Scito quod illi, super quibus potestatem habet daemonium, sunt qui matrimonium contrahunt non ut Deo placeant sed ut sensui more belluarum faciant satis. Tu tamen non hoc modo age. Saram duc in uxorem non ut concupiscentiae satisfacias, sed potius ut filios inde habeas qui Deo serviant et ipsum benedicant: et in hunc modum daemonium non timebis.* Ita sanctus iuvenis fuit operatus; ideoquae eius matrimonium fuit benedictionibus plenum. Animadvertite amplius quatuor monita quae Sarae dederunt parentes eius, cum dimiserunt eam. Dixerunt ei enim: 1. reverentiam et amorem omnem tuae socrui et socero tuo adhibe; 2. coniugem tuum ama; 3. ad familiae gubernationem attende; 4. talis esto in omnibus operibus tuis ut nihil in te quod reprehendi possit reperiatur. Monita haec puellae omnes quae nubent observare debebunt.

APPENDIX. *Exempla funesta illorum qui sacrilegas peregerunt confessiones.*

I.

Narratur in chronicis s. Benedicti, quod quidam solitarius nomine Pelagius, a pauperibus suis parentibus ovium custodiae addictus, exemplarem vitam ducebat, adeo ut ab omnibus *sanctus* appellaretur, sicque pluribus annis vixit. Parentibus defunctis, paucas illas res, quas ipsi parentes reliquerant vendidit, et in quamdam se recepit solitudinem. Semel inhonestae cogitationi praebuit assensum: cum in tale inciderit peccatum, in magnam incidit melancholiam; illud enim, ne famam, quam habebat, amitteret, confiteri nolebat. In tali statu quum esset, quidam illinc peregrinus transiit qui ei dixit: *Pelagi, peccatum tuum confitere, quia Deus illud tibi remittet, et recuperabis pacem:* indeque evanuit. Pelagius de peccato suo, quin illud confiteretur, poenitentiam agere statuit, falsissimam illam spem habens quod Deus forsan peccatum illud sibi sine confessione remitteret. In quoddam introivit monasterium, in quo statim, prae suo bono nomine fuit receptus, ibique asperam vitam egit, ieiuniis et poenitentiis seipsum crucians. Demum venit hora mortis, et confessus fuit. Sed quemadmodum prae rubore in aliis confessionibus numquam peccatum illud aperuerat, ita et in morte quoque non aperuit. Viaticum inde suscepit, et animam efflavit, et tamquam san-

(1) Tobiae c. 6

ctus fuit sepultus. Nocte sequenti aedituus corpus Pelagii extra sepulturam reperiit: illud denuo sepeliit; sed tam in secunda quam in tertia nocte illud extra sepulcrum invenit. Unde abbati renunciavit; qui religiosis aliis accersitis, dixit: Pelagi, tu in vita semper fuisti obediens; post mortem quoque obedi. Dic mihi ex parte Dei: est ne divina voluntas quod corpus tuum in peculiari loco reponatur? Defunctus magnos emittens ululatus: *Heu*, dixit, *ego sum ad infernum damnatus propter unum peccatum quod non fui confessus: aspice, abbas, corpus meum*. Et illico ipsius corpus apparuit tamquam ferrum ignitum, scintillas undique mittens. Omnes in fugam se dederunt: Pelagius tamen abbatem vocavit, ut consecratam hostiam, quam in ore habebat, auferret; et ita factum fuit. Dixit postea Pelagius quod ab ecclesia suum corpus auferrent et, tamquam putridum canem, in sterquilinium proiicerent; quod quoque factum fuit.

II.

Legitur in annalibus pp. capuccinorum de quodam religioso (cum tamen factum hoc populo narrabitur, de *quodam homine* dicetur) qui sanctus existimabatur, sed male peccata sua confitebatur. Cum in gravem incidit infirmitatem, monitus fuit ut peccata quae habebat confiteretur. Quendam alium religiosum vocare fecit, cui dixit: *Pater mi, tu dicis ut ego peccata mea confitear, sed ego illa confiteri nolo. - Et quare?* respondit pater. *Quia*, dixit infirmus, *ego sum damnatus : peccata enim mea numquam integre fui confessus: et Deus in poenam nunc facit ut non possim illa bene confiteri*. Quod ut dixit, ululare et linguam sibi dilaniare coepit, dicens: *Lingua maledicta, quae, cum poteras, peccata confiteri noluisti*. Et hoc modo linguam sibi concidens ululando in manu daemonis animam afflavit. Et ut obiit, illico evasit niger tamquam titio, atque horribilis rumor cum intolerabili foetore fuit auditus.

III.

Narratur a p. Seraphino Razzi quod in quadam Italiae civitate quaedam fuit matrona quae extrinsecus sancta habebatur. Morti proxima sacramenta omnia suscepit, bonamque de se famam reliquit. Ut tamen obiit, eius filia, quae semper matris animam Deo commendabat, quadam die, dum orabat, magnum strepitum prope ianuam audivit; oculos tunc vertit, et vidit figuram horribilem suis omnino igniti magnum emittentem foetorem, ex quo adeo contremuit ut iam quasi vellet se a fenestra proiicere. Sed sibi dicere intellexit: *Siste, filia, siste; ego sum infelix tua mater, quae sancta habebar, sed prae peccatis quae cum patre tuo commisi, quaeque numquam fui prae rubore confessa, a Deo fui ad infernum damnata: unde noli amplius pro me Deum rogare; quia sic poenas mihi augeres*. Quod ut dixit, aliquos emittens ululatus, evanuit.

IV.

Refert celeber doctor f. Ioannes Ragusino quod quaedam erat mulier spiritualis; frequentabat enim orationem ac sacramenta, adeo ut proprius eius episcopus sanctam illam crederet. Quadam die, proprium aspiciens famulum, pravae cogitationi praebuit assensum; sed, quia peccatum fuit tantum cogitationis, non teneri ad illud confitendum false credebat: nihilominus a conscientiae stimulis continue vexabatur, et praesertim cum morti fuit proxima: sed ne tunc quidem prae rubore illud confessa fuit peccatum; et sic obiit. Episcopus, qui confessarius eius erat eamque sanctam habebat, eius cadaver per totam civitatem circumducere fecit, posteaque prae sua devotione illud in suo sacello sepelire iussit. Postero tamen mane, cum dictum sacellum ingressus fuerit episcopus, super sepulcro quoddam corpus magno igni super impositum vidit; et parte Dei adiuravit ut, quidnam esset, manifestaret. Re-

spondit quod erat illa sua poenitens, quodque propter illam pravam cogitationem fuerat ad infernum damnata; et ululans pudori suo, qui causa suae aeternae ruinae fuerat, maledicebat.

V.

Refert p. Martinus Del Rio quod in provincia Peruviae quaedam erat puella nomine Catharina, quae erat cuiusdam piae matronae famula, a qua ad baptismum suscipiendum et ad sacramenta frequentanda fuit redacta. Saepe inde peccata confitebatur, sed quaedam eorum tacebat. Morti proxima peccata sua novies, sed semper sacrilege, confessa fuit; et confessionibus absolutis, dicebat sociis quod peccata tacebat. Quod sociae dominae renuntiarunt, quae a moribunda famula soivit quod peccata quae tacebat quaedam erant impuritates. Quare confessarium certiorem fecit, qui ut rediit, poenitentem, ut peccata omnia confiteretur, hortabatur. Catharina tamen obstinavit animo illa sua peccata confessario non patefacere, atque ad talem pervenit desperationem ut demum dixerit: *Pater, me desere, et noli amplius laborare, quia tempus teris.* Et faciem confessario vertens, quasdam profanas cantilenas canere incoepit. Et quum esset iam iam moritura, a sociis monita ut crucifixum acciperet, respondit: *Qui crucifixus? Eum ego non cognosco, neque cognoscere volo.* Et ita animam afflavit. Et ex tunc tales rumores audiri coeperunt ut domum derelinquere domina coacta fuerit: posteaque uni ex sociis apparuit, eique dixit quod prae malis suis confessionibus ad infernum fuerat damnata.

VI.

Narrat p. Franciscus Rodriquez quod in Anglia, cum illic catholica religio vigebat, rex Augubertus filiam habebat magnae pulchritudinis, quae a pluribus petebatur principibus. Quam quum rex, an vellet nubere, interrogasset, respondit quod perpetuae castitatis votum emiserat. Pater dispensationem a Roma ei obtinuit, sed illa dispensationem noluit acceptare, dicens se nolle alium sponsum nisi Christum Iesum. Tantum a patre petiit ut solitariam vitam in aliqua domo ducere posset; et pater qui eam amabat, indulsit ei, et quod pro eiusdem famulatu erat conveniens, ipsi concessit. Ut in solitariam vitam se recepit, vitam sanctam agere incoepit orationum, ieiuniorum et poenitentiarum; sacramenta frequentabat, atque saepe infirmis xenodochii cuiusdam inserviebat. Sic vivens, dum adhuc puella esset, aegrotavit ac obiit. Quaedam matrona, quae educatrix eius fuerat, quadam nocte orans, magnum strepitum audivit, posteaque vidit quamdam animam speciem mulieris praeferentem in medio ignis et inter plura daemonia detentam, ex qua hoc audivit: « Scito quod ego sum infelix filia Auguberti. » – « Et quomodo, respondit educatrix, tu post tam sanctam vitam ad infernum damnata? » Dixit anima: « Ego iure merito sum propter culpam meam damnata. – Et quare? – Scire debes quod, quum essem puella, delectabar quod quidam puer (quem amabam) librum aliquem mihi legeret: semel iste puer postquam legerit, manum a me petiit, eamque fuit osculatus; incoepit tunc me daemon tentare, usque dum cum dicto puero in Deum peccavi. Ad exedram ad confessiones excipiendas accessi, peccata confiteri incoepi, sed confessarius meus illico mihi dixit: *Quomodo? talia regina commisit?* Tunc ego prae rubore dixi quod fuerat somnium; postea incoepi poenitentias agere atque eleemosynas, ut Deus peccatum illud, quin confiterer, remitteret. Iam iam moritura dixi confessario quod magna fueram peccatrix: mihi confessarius respondit quod tamquam tentationem huiusmodi cogitationem expellerem: animam illico afflavi, et nunc damnata sum ad infernum. » Quod ut dixit, evanuit; sed tanto cum strepitu ut totus mundus concidere videretur, non

sine magno foetore, qui pluribus diebus in illo cubili perduravit.

VII.

Narrat p. Ioannes Baptista Manni e societate Iesu quod quaedam nobilis mulier pluribus annis in confessionibus quoddam inhonestum peccatum tacuerat. Transierunt illinc duo religiosi dominicani; mulier, quae exterum expectabat confessarium, rogavit unum eorum ut suam exciperet confessionem. Et ita factum fuit. Ut pp. discesserunt, socius dixit confessario se vidisse quod ab ore illius nobilis, dum confitebatur, plures egrediebantur serpentes, sed quod unus magnus serpens tantum capite egressus fuit et iterum fuit ingressus, et tunc omnes alii serpentes qui egressi fuerant in os et corpus eius redierunt. Unde confessarius, quid esset suspicans, rediit in illius mulieris domum, et audivit quod, ut in domum intravit, illa morbo perierat repentino. Post hoc oranti huic religioso apparuit nobilis illa mulier dixitque: *Ego sum illa infelix cuius tu confessionem excepisti: peccatum ego habebam quod confessariis meis concivibus confiteri nolebam. Deus misit te; sed ego quoque pudori succubui. Deus tunc illico me, ut in domum meam intravi, vita privavit et iure merito ad infernum damnavit.* Et hoc dicto, visa fuit terra dehiscere, in quam illa praecipitem se dedit et evanuit.

VIII.

Narrat s. Antonius quod quaedam vidua sanctam vitam ducere coepit; sed postea cum quodam iuvene familiariter agens, cum eodem peccavit. Peccato commisso peragebat poenitentias et eleemosynas, in quoddam monasterium se recepit, sed numquam peccatum suum confitebatur. Facta fuit abbatissa. Demum obiit, et obiit ab omnibus habita pro sancta. Quadam nocte quaedam monialis quae erat in choro magnum strepitum audivit, et umbram flammis cinctam vidit: quid esset interrogavit. Respondit umbra: *Ego sum anima abbatissae, et sum in inferno. - Et quare? - Quia in saeculo peccatum commisi quod numquam confiteri volui. Hoc caeteris monialibus renuncia, et noli tu pro me amplius Deum rogare.* Et non sine magno strepitu evanuit.

IX.

In capuccinorum annalibus legitur quod quaedam mulier, quia sacrilegas peregit confessiones, in hora mortis ululare incoepit quod ob tot sua peccata suasque sacrilegas confessiones erat damnata. Inter alia dicebat quod quasdam debebat facere restitutiones quas semper neglexerat. Tunc dixit filia: *Mater mea, quicquid habes, restituatur; acquiesco quod omnia vendantur nostra bona, dummodo salva sis.* Mater tamen respondit: *Heu, maledicta filia, quia etiam pro te sum damnata: nam meis malis exemplis scandalum tibi praebui.* Et hoc modo ululare pergebat. Capuccinum quemdam accerserunt, qui, ut venit, eam, ut in Dei misericordia fideret, hortabatur. Sed illa infelix dixit: *Quae misericordia? Ego sum damnata: iam pro me facta est sententia, iamque inferni poenas sentire incoepi.* Tunc corpus eius elatum fuit in aerem usque ad cubiculi trabes, et postea in terram repente proiectum; et illico animam afflavit.

EPITOME

DOCTRINAE MORALIS ET CANONICAE

EX OPERIBUS BENEDICTI XIV.

ABBATES. Abbates regulares, nullam animarum curam gerentes, ad synodum dioecesanam accedere nequaquam tenentur, ut ex decr. s. c. de synod. dioec. l. 3. c. 1. n. 8. iterumque l. 12. c. 1. n. 2.

Abbates, priores, praepositi, et alio quocumque nomine nuncupati; cardinales etiam, spiritualem iurisdictionem quasi episcopalem in monasteria seu ecclesias cum territorio separato habentes, debent iurare in manibus alicuius episcopi seu nuntii apostolici aut legati, eorum arbitrio eligendi, se visitaturos sacra limina apostolorum personaliter ac per seipsos, atque romano pontifici relationem afferre ecclesiarum suarum. Ex his vero qui itali fuerint vel insularum Italiae, tertio quoque anno; reliqui vero quinto quoque anno a die captae possessionis. Id vero si ex legitimo impedimento non possint per se, tenentur per nuntios praestare. Ita in bulla *Quod sancta n.* 7. Si vero ante publicationem huius bullae signatae ann. 1740. die nono kal. decemb. possessionem pacificam illarum ecclesiarum iam habuissent, intra annum, si fuerint in Italia et insulis; intra biennium vero si extra, a die latae constitutionis tenentur eam relationem mittere; dein singulis trienniis ad limina se conferre. Haec omnia si praetermiserint, ipso facto ab ingressu ecclesiae interdictum et ab administratione tam spiritualium quam temporalium suspensionem incurrunt, tum etiam perceptione fructuum privantur: qui fructus cedant episcopo viciniori in sacros usus eius arbitrio erogandi. Ibid. num. 9.

ACTUS FIDEI non debet comprehendere tantum in genere quidquid fides dictat, sed debent etiam credi explicite ea mysteria, quae scire debent. Inst. eccl. 72.

ADVOCATUS. Rescripta, et brevia pro exercendo advocati munere monachis, etiam canonicis regularibus, numquam conceduntur, quod conforme est canoni, *Ex parte tua*, de postulando. De syn. Dioec. l. 13. c. 10. n. 12.

Saecularibus vero clericis, etiam beneficiatis, tum et sacris ordinibus initiatis conceditur, ut advocaturam exerceant in tribunalibus ecclesiasticis, in laicalibus, et coram iudice saeculari, cum agitatur causa propria ipsorum, vel ecclesiae suae, vel miserabilium personarum. Quamquam in brevibus libere conceditur sacerdoti saeculari pauperi, ut libere causas civiles et criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur, quin et tamdiu munus illud exercere ei permittitur, donec certos ecclesiasticos reditus ad congruam sustentationem sufficientes, vel beneficium residentiale obtineat. De synod. dioeces. l. 13. c. 10. n. 12.

ALIENATIO. Alienationes rerum immobilium, et mobilium pretiosarum, vetitae sunt quoque regularibus, etiam speciali commemoratione dignis, ex decret. Urb. VIII. sub die 7. sept. 1624. Haec tamen intelligenda sunt de bonis ecclesiae incorporatis. Quae vero non sunt incorporata et debent alienari, ut sunt res relictae pp. reformatis s. Francisci, non possunt eorum syndici procedere ad earum venditionem, nisi praefixo edicto, ut magis offerenti vendantur. Ita ex decr. sacr. congr. Inst. eccles. 19. n. 8.

Alienationes etiam rerum inferioris valoris, quae comprehenduntur in cap. *Terrulas*, debent etiam a regularibus fieri de licentia episcopi. Inst. eccles. 69. n. 9.

Alienantes, et recipientes bona alienata contra extrav. *Ambitiose* incurrunt excommunicationem pontifici reservatam. Ibid. n. 10. Regulares vero ultra hanc incurrunt ipso facto poenam privationis officiorum ex decreto Urbani VIII. Ib.

Quamquam ex can. Bona 12. quaest. 2. ius sit episcopo molienti novum

monasterium in sua ecclesia, donandi illi quinquagesimam partem redituum ecclesiae suae; cum tamen episcopi in sua consecratione iurent se non alienaturos possessiones ad mensam suam pertinentes; hinc optime intulit s. c. interdictam esse episcopo hanc, et aliam quamcumque alienationem. De synod. dioeces. l. 12. n. 13.

ALTARE. Sacerdotibus latini ritus in Russia Polonica degentibus, tam praesentibus, quam futuris conceditur, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis, missam celebrent super antimensis ruthenorum unitorum. Ritu tamen latino sacrum agere illis iniunctum est. Sunt antimensia lintei quidam episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis sanctorum reliquiae reconditae sunt. Constit. *Imposito nobis*.

ALTARE PRIVILEGIATUM. In brevibus pro altari privilegiato solet definiri numerus missarum, quotidie in ecclesia celebrandarum: si forte accidat, ut aliquibus diebus numerus iste missarum desit, dummodo saepius in hebdomada tot missae celebrentur, quot privilegium illud exigit, id non sufficere, declaravit s. c. die 11. sept. 1694. Decretumque illud approbavit Innoc. XII. ex quo resultat necessarium esse singulis diebus numerum missarum definitum. Instit. eccles. 56. n. 16.

Indulgentiae altaris cum definito numero missarum, si forte contingat tempore adventus et quadragesimae, ut in ecclesiis regularium impleri non possit numerus, remanent suspensae. Reliquis anni diebus, si forte id raro contingat, non remanent suspensae, sicut nec remanent, si ob infirmitatem sacerdotum tam saecularium, quam regularium raro tamen id contingat. Ita sacrosancta congregatio die 30. iulii 1706. Ibid. n. 17.

APPELLATIO. Appellationes omnes, et inhibitiones, per quas retardetur executio, aut impediatur processus ad ulteriora in iis, quorum executio a Tridentino, vel constitutionibus apostolicis commissa est locorum ordinariis, addita clausula, *appellatione vel inhibitione quacumque postposita*, ne a tribunalibus recipiantur, statuit pontifex in bulla *Ad militantis*. Quae appellationes, inhibitionesque si concedantur, praeterquam quod hoc eius statutum violetur, nullae sint. Ibid. n. 38.

Excipiuntur tamen casus, qui forte occurrerint, singulares ab hac regula eximendi; tunc vero ne dentur monitoria citationesque vetat, nisi prius in supplici libello ad hoc porrigendo facti circumstantia peculiaris clare exponatur cum aliquo documento semiplene saltem eamdem circumstantiam verificante. Ibid. n. 39.

ASPERSORIUM. Episcopo ingredienti aliquam ecclesiam collegiatam porrigi debet aspersorium non ab archidiacono, seu aliis de capitulo, sed a digniori illius ecclesiae. Si vero cum suo capitulo cathedralis capitulariter cum indumentis canonicalibus ad aliquam ecclesiam suae dioecesis procedat, porrigi illi debet a digniori de capitulo cathedralis. Instit. eccles. 105. v. 128. ex decr. sacrae congr. Rit.

BAPTISMUS. Natis infantibus baptismus conferri quamprimum debet, peccantque graviter qui diu illum differunt: tempus autem indefinitum est, latoque edicto mandatum fuit Romae anno 1723. ut intra triduum infans lavetur. Inst. eccles. 98. n. 3.

Non licet absque necessitate baptismum conferre in privatis domibus. Instit. eccles. 98. n. 9.

Nihil officit validitati baptismi error privatus baptizantis, dummodo in materia et forma nihil innovetur. De synod. dioec. l. 7. c. 6. n. 9.

Infans, cuius corpusculum nondum e matris utero prodivit, sed materno utero iam reserato mox proditurus est, et moriturus timetur, debet inducta aqua instrumento aliquo baptizari; sed sub conditione baptizandus est. De synod. dioeces. l. 7. c. 5. n. 6.

Si vero infans aliqua sui corporis parte, non vero capite prodierit, baptizandus est sub conditione in ea parte, quaecumque illa fuerit, quemadmodum rituale romanum praescribit; (quidquid in contrarium theologorum plures sentiant, quando pars illa est ex principalioribus, ut pectus, scapulae, brachia, etc.) iterumque sub conditione in capite baptizandus est, si totus exierit. Si vero caput unice detectum fuerit, baptismate absolute tingendum est. Ibid. n. 7.

Baptismus cum conditione adiecta non confertur absque lethalis culpae

crimine, nisi prudens dubitandi ratio suppetat, an antea validus baptismus collatus sit. Ib. c. 6. n. 3.

Si de administrato baptismate unus tantummodo testis affirmet, ut obstetrix, cum illa tunc testificetur de facto proprio, ex hoc tantummodo non est hoc sacramentum reiterandum; si quidem illa interrogata, materiam et formam huius sacramenti probe se scire demonstrat. Idemque praestandum est in locis, ubi obstetrices antequam ad munus istud admittantur, de ratione administrandi rite baptismum edoceri solent. Ib. n. 4.

Testis unicus, etiamsi mulier sit, sufficit ad probandum baptismum. Can. *Parvulos*, et can. *Cum itaque* de consecr. Dist. 4. Inst. eccles. 98. n. 13.

At si testimonium sit ab homine incerto, in re adeo gravi ignoto testimonio deferre non possumus: quare tunc rebaptizandus est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto baptismate e collo suspensam ferat, uti pro expositis in hospitali de s. Spiritu in Saxia de urbe, respondit sacr. congreg. conc. die 15. ian. 1724. De synod. Dioec. lib. 7. c. 6. n. 5.

Si vero agatur de baptizatis ab haereticis, qui ad fidem romanam venire petunt, tunc oportet investigare, numquid in secta illa haereticorum innovatum sit aliquid circa materiam et formam baptismi. Quod si ex ista investigatione nihil certi resultet, tunc ac in dubio baptismate agendum est. Hoc dubium rationabile censendum est in baptismate haereticorum Hollandiae, apud quos mos invaluerat, ut alter aquam funderet, alter formam pronuntiaret. Quare et nunc pariter, ut in re dubia cum illis agendum est, uti et cum haereticis Angliae, quemadmodum ex Sylvio aliisque statuitur. Ibid. n. 8.

Irregularitas ex iteratione baptismi contrahitur etiam si baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex catechismo romano multo probabilius deducitur. Inst. eccles. 84. n. 18. Hanc vero poenam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut et ea affecti non tantum ad altiores ordines ascendere vetantur, sed et ab exercitio iam susceptorum ordinum absterrentur, quae tamquam magis cohaerens auctoritati catechismi romani opinio praefertur alteri neganti. Ib. n. 18.

Admittendum esse ad baptismum infantulum hebraeum, postulante avia paterna christiana, licet reclamet mater hebraea defuncto marito, et tutores testamentarii, censet pontifex in epistola ad r. p. Hieronymum Guglielmi congregationis s. officii assessorem, ex eo, quod avia comprehendi possit sub appellatione parentum, et favore religionis facile praevaleat matri, et caeteris tutoribus testamentariis: sicut mater christiana postulans baptismum pro filio praevalet patri infideli reclamanti: et si quid dubii superesse possit, in dubio favendum est religioni. Hanc epistolam habes in bullario Benedicti XIV.

Baptizari infideles invitis parentibus vel tutoribus licite non possunt, nisi infantes fuerint in mortis extremo, vel expositi tamquam a parentibus derelicti. Si vero expositum quis baptizandum assumpserit, potest illi lavacrum salutare impertiri, etiam synagoga, vel parentibus reclamantibus. Si vero pater infidelis offerat infantem suum, dein facti sui poeniteat, et nolit baptizari, tunc puer ante usum rationis est baptizandus; qui vero sui compotes sunt, in domo catechumenorum explorandi sunt, si velint.

Tandem si qui pueri baptizati sunt etiam parentibus invitis, tunc ille qui baptizavit, peccavit graviter, sed baptizatus restitui parentibus non debet; at penes christianos educari. Porro in eo casu baptismus vel unico teste idoneo probatur, etiamsi foemina sit, vel etiamsi sit ille, qui baptismum contulit, in quo casu puer nec sub conditione rebaptizandus est.

Haec de pueris ante usum rationis, qui vero rationis capaces sunt, uti sunt communiter post septimum aetatis annum, si sese sponte obtulerint baptismo, possunt baptizari; quod verum est, etiamsi non certo constet, sed dubitetur de capacitate rationis post septennium. Si vero hoc dubium praecedat septennium, tunc debet puer retineri apud christianos, suspenso interim baptismo, quoadusque certus usus rationis superveniat.

Si adulti illi careant intentione recipiendi baptismi, adeo ut illam nec ipso aotu, nec antea habuerint; tunc baptismus est invalidus. Validus autem est, si antea fuerit habita; et numquam interim retractata. Quod si neutra fuerit voluntas in suscipiente, tunc in eam sententiam inclinandum est, quae invalide baptizatum pronuntiat.

Si post baptismum affirmet neophytus, se caruisse intentione sufficienti, nec afferat dicti sui idoneas probationes, retinendus est, et denuo tingendus sub conditione. Vicissim si illas afferat, negetque iterum baptizari se velle, remittendus est. Haec omnia late disputat pontifex in epistola ad vicesgerentem *Postremo mense*.

Si mulier gravida decedat, potest episcopus iniungere, ut per sectionem caesaream extrahatur ex utero infans, qui forte vivus reputatur, ad hoc, ut sacrum baptisma conferatur. Non enim id est impossibile, ut extrahatur vivus. De synod. dioeces lib. 11. cap. 7. n. 13.

Baptismum ministrare tempore pestis eo morbo obstrictis per se non tenetur episcopus, cum ille sit tanquam causa universalis, quae non per se, sed per particulares, id est per parochos operatur; si tamen alius adsit qui praestare id possit. De synod. dioeces. lib. 13. cap. 19. n. 6.

In baptismate conferendo possunt presbyteri graeci loco latinae formae adhibere eam quam habent in suo euchologio: *Baptizatur servus Dei N. in nomine, etc.* sicut et adhibere trinam aquae immersionem seu aspersionem cum omnibus unctionibus erga baptizatum, ubi tamen non est contraria consuetudo. Presbyteri tamen graecorum vetantur consignare chrismate in fronte suo baptizatos. Licet vicissim uti in baptismate aqua calida, sicut et licet parochis graecis suos subditos baptizare aqua per ipsos graeco more benedicta. Vetantur insuper, ne baptizatis pueris communionem sub utraque specie vel sub una administrent, sicut, neque eisdem pueris conferant in missa eucharistiam.

Filiis patris latini et matris graecae latino ritu baptisma conferatur. Si vero pater sit graecus et mater latina, liberum erit patri ritum eligere.

Baptizari ritu graeco subsunt iurisdictioni parochi graecorum, nec possunt latini absque dispensatione sedis apostolicae transire ad ritum graecum. Vicissim graecus ex concessione episcopi latini potest ad latinum transire. Qui vero clerici sunt in quocumque ordine etiam minori constituti, a ritu graeco ad latinum sine licentia transire nequeunt.

Fas est graecis sacerdotibus peracta iam consecratione, et ante communionem, suam aquam calidam in sacrum calicem infundere.

Non licet graecis sacerdotibus asservare sacramentum eucharistiae toto anno

Non licet graecis in Italia et insulis degentibus eucharistiae particulam suspensam ad collum, seu in privatis domibus retinere.

Quae servanda sint a graecis in sacramentis conficiendis et recipiendis diligenter prosequitur Benedictus XIV. in eadem bulla *Etsi Pastoralis*, ex quibus nonnulla hic etiam a nobis excerpta sunt et sparsim in suos titulos distributa.

In bulla *Quam provinciale*, mandat pontifex, ut servetur canon concilii III. Provincialis Albanensis, quo sancitur, ne Christi fidelibus sub mahumetica ditione degentibus imponantur baptizandis nomina turcica seu mahumetana, neve eadem nomina etiam extra baptismum sibi imponant, quacumque tandem ratione id agant.

BARBITONSORES. In dioecesi, ubi adest consuetudo exercendi artem barbitonsoriam etiam die festo, permitti potest; sed tantummodo definitis diebus, non vero omnibus. Instit. Eccles. 43. per totum. Opus est tamen servile, nec nisi ex consuetudine tolerandum. Ibid. n. 2.

BENEDICTIO. Benedictio sacrarum vestium utrum ab episcopo simplici sacerdoti committi possit, quaestio est anceps inter scriptores. Insignes tamen episcopi facultatem hanc plerumque a congregatione petunt. Inst. Eccl. 21. n. 9. et 10.

Utrum benedicendum sit cingulum, pluviale et sacra pyxis, quaestio est inter doctores. Probabilior tamen censetur opinio, quae benedictionem exigit, cum pro pyxide sit peculiaris be-

nedictio in rituali. Ibid. n. 12.

Si ex veteri sacro vestimento novum aliud diversae formae conficiatur, ut si ex stola manipulus etc., benedictio iteranda est. Ibid.

Episcopi titulares ius nullum habent consecrandi sacro chrismate vasa sacra, quia cum in his adhibendus sit usus pontificalium, non datur illis hisce uti in aliena dioecesi. Ibid. n. 15.

Abbates regulares benedicere posse campanas et calices pro usu alienarum ecclesiarum (possunt enim pro suis) negavit Alex. VII. in suo decreto diei 27. sept. 1659. Consulta s. congregatione, num potuerint indumenta sacra benedicere pro alienis ecclesiis, ex eo quod obtinuerint indultum apostolicum? responsum fuit, exhiberi debere illud indultum authenticum, ex archivio apostolico desumptum ac interim abstineri. Ibid. n. 19.

Benedictiones et unctiones campanarum cum capitularibus Caroli Magni indicentur, antiquissimae sunt; Inst. eccl. 47. n. 30. eisque nomen alicuius sancti imponi consuevisse ex Alcuino discimus. Inst. eccl. 47. n. 32.

Benedictiones campanarum ad nimbos depellendos approbantur, neque id tribui posse impressioni aeris a campana impulsae asseritur. Ibid. §. 37.

Solus episcopus ius habet campanas benedicendi, cum sacra unctio adhibenda sit, nec potest facultatem alteri subdelegare. Ibid. n. 38.

Ex praecepto pontificalis romani campanae ecclesiarum benedici debent. Ib.

Potest episcopus suspendere sonum campanarum, quae ab episcopo benedictae non fuerint, ut ex decretis sacrae congregationis. Ibid.

Benedictionum equorum et aliorum animalium die festa s. Antonii abbatis formula habetur. Inst. eccl. 47. n. 12.

Benedictiones in vermes et insecta habentur. Ib. n. 20.

Benedictiones, cum reliquiis, non esse improbandas, quidquid dicant nonnulli, ex praxi etiam Romae recepta probatur. Ibid. n. 26.

In benedictione pontificia super populum, quae quibusdam regularibus aliquoties in anno ex privilegio datur, unicum tantum crucis signum formandum est more sacerdotali, non tria more episcopali. Encycl. *Exemplis.*

Facultatem benedicendi morituros cum plenaria indulgentia, quam antistites ecclesiarum cum epistolis in forma brevis ad triennium obtinuerunt, ad totum illud tempus, quo in ea dioecesi perseverabunt, prorogat Benedictus XIV. in encycl. ad omnes antistites *Pia Mater etc.* ac imposterum ita esse expediendas facultates illas denuntiat, easque pariter communes esse vult praelatis inferioribus territorium separatum habentibus cum qualitate *nullius*, et activa in populum et clerum iurisdictione. His omnibus dat facultatem subdelegandi, ut ipsis quomodocumque impeditis, etiam diurno tempore possint hanc benedictionem per delegatos elargiri. Hanc delegationem fieri maxime vult per dioecesim, ut omnibus praesto esse possint, quae delegatio morte delegantis non expiret, sed perseveret usque ad superventum novi praesulis, cuius in arbitrio est eos confirmare vel removere. Quare novus quidem praesul poscere debet a pontifice eamdem facultatem, non vero delegati illi, quia perseverat in illis prioris episcopi delegatio; ita pontifex. Ibidem.

Si tamen praesul ex una ecclesia transferatur in aliam, nova indiget facultate, quia prior illi data fuit praecedentis dioecesis intuitu.

Ritus huius benedictionis impertiendae habetur descriptus in eadem encyclica.

Tres benedictiones impertiunt abbates regulares ex decretis Alexand. VII. in missis, vesperis et matutinis solemnibus. In missis privatis nihil supra reliquos sacerdotes illis concessum est. Ex iisdem decretis. Inst. eccles. 34. n. 19.

BENEFICIUM. Beneficium si quis fundaverit de suis bonis cum pacto, ut ipse tamquam beneficiatus illis fruatur, tum post obitum suum ius patronatus transeat ad haeredes, quamquam simoniacum id audiat apud multos; attamen ab ea labe immune censeri potest; neque enim satis esse discriminis apparet inter eum qui fundat beneficium cum pacto, ut conferatur filio suo etc., et illum qui vult sibi conferri; utrimque enim pactum adest, ita ex Pitonio. Instit. eccl. 95. n. 7.

Si quis vero offerat bona in augmen-

tum beneficii iam erecti, nec tamen patronatus ius acquirat, tunc pacisci non potest, ut sibi beneficium illud conferatur, ut ex cap. *Tua nos*, de simonia. Ibid. n. 12.

Patronus non potest se praesentare ad beneficium, ut ex cap. *Per nostras*, de iure patronatus, sed potest rogare episcopum, ut si inveniatur dignus, sibi illud conferat; sive debet ius patronatus suum alteri donare donatione sincera, ex qua ipse perpetuo expolietur iure patroni, quando donationem approbaverit episcopus, vel saltem episcopus conferat eidem absque praevia praesentatione beneficium, et beneficiatus illud acceptet, tum post collationem ipse praestet consensum suum. Instit. eccl. 95. n. 5.

Beneficia resignantes sub pensione, si clam pactum iniverint cum resignatario de cedenda illi pensione, seu commodo exigendi fructus eiusdem pensionis, soluta anticipata pecunia, pactum istud irritum, et inane declaratur. Item resignatarii et resignantes decidunt ab omni iure beneficii ipso facto absque ulla iudicis declaratione, et pecunia soluta restitui debet sub peccato gravi, quae ab ordinario applicanda est locis piis. Eisdem poenis subiacent haec eadem pacta inita intra sex menses a die receptae per resignatarium beneficii possessionis. Bull. *In sublimi*.

In Bull. *Ecclesiastica ministeria*, mandat pontifex in resignationibus beneficiorum, ut resignatis in manu pontificis beneficiis, et ab illo admissis, atque vicissim admissis super eo provisionibus, dispositionibus, etc. litterae gratiae signatae intra sex menses ita perficiantur, ut intra eosdem menses a novo proviso possessio beneficii capiatur; si vero beneficia illa sunt ultra montes, prorogat terminum istum usque ad novem menses a data concessionis gratia numerandos. Ubi vero iustis de causis prorogatio aliqua postulatur, permittit, ut docto prius officii subdatario de apostolicis litteris expeditis, fiat prorogatio prima et secunda vice, ulteriores omnes tollit. Et si legitimum impedimentum perseverare concludentes apud datarium probatum sit, facultas sit datario tot ulteriores prorogationes concedendi ad exequendum litteras apostolicas, quot necessariae sunt ad impedimenti remotionem. Sublato vero sic impedimento, si nihilominus perseveretur in differenda executione litterarum, apostolica tunc gratia nulla et irrita censetur.

Si beneficium obtinens religionem ingrediatur, beneficium tamen non vacat nisi per professionem, tempore vero illo intermedio inter ingressum et professionem quoad beneficia curata debet episcopus idipsum agere, quod praestaret, cum parochus impedimento aliquo detineretur. Quoad beneficia vero choralia relictis tyroni religioso ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut iura praescribunt. Si forte beneficiatus religionem ingressurus, beneficium suum dimitteret, quae renunciatio admitti ab episcopo posset ex constit. 58. s. Pii v. sive eam renuntiationem faceret ad tramites capitis XVI. sess. 25. Conc. Trid. de regul., nihilominus in suspenso remanere debent ea beneficia, nec posset illa alteri conferre episcopus, nisi post factam a renuntiante solemnem professionem. Ita in litteris ad card. Quirinum, *Ex quo dilectus*.

Vetitum est etiam beneficiariis, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, et nullitatis actus, vendere, ac distrahere reditus suorum beneficiorum ad vitam vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel per plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per spatium eiusdem temporis vel totius vitae probabiliter consequi potuissent. Bulla *Universalis ecclesiae*.

Titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate vel alio occulto vitio vel etiam in concursu male obtentorum convalidare fas est maiori poenitentiario, Bulla *Pastor bonus;* sed in convalidatione titulorum, et condonatione fructuum abstinendum est illi cum episcopis, qui de ecclesiis cathedralibus provisi, munus consecrationis intra praefinitum tempus non susceperint. Ib. §. 21.

Neque etiam condonet fructus beneficialium et episcopalium ecclesiarum quovis modo male perceptos in casibus non occultis. In occultis vero cum italis, hispanis, lusitanis, et insulis adiacentibus compositionem facere pot-

est; cum aliis reliquis non potest. Haec tamen omnia debent esse sine praeiudicio illorum, quibus distributiones accrescere debent. Ibid. §. 24.

Si quis iam obtineat beneficium, et iniuste vexetur ab alio, potest pecunia iniustam vexationem redimere, ut ex canonistis omnibus firmatur. Inst. eccl. 93. n. 4.

Si vero quis habeat ius ad beneficium, et ab alio illi lis moveatur, non potest dare litiganti pecuniam, ut acquiescat, neque etiam titulo solvendi expensas in lite hucusque factas, nam tunc pararet sibi viam ad beneficium per pecuniam. Ibid. n. 7.

Beneficium obtinenti iure certo et manifesto, ut nullus sit quaestioni locus, permittitur redimere iniustam vexationem, ut ex cap. *Dilectus* 27. de simonia; idque fieri potest nulla interposita episcopi auctoritate; fas est tamen episcopo praecipere in synodo ne id fiat absque suo assensu ob periculum simoniae. De synodo dioecesana, l. 12. c. 6. n. 9.

Si patronorum beneficii scissa suffragia fuerint in partes, ille est praeficiendus, qui a pluribus eligitur, uti definitum est in cap. *Quoniam*; de iure patronatus. Si tamen ille, quem praesentat pars maior, non reperiatur idoneus, poterit alter praesentari a paucioribus, ut ex Lambertino traditur. De syn. dioec. l. 12. c. 7. n. 6. Valere tamen iudicata est constitutio synodalis episcopi pampilonensis, quae vetuit admitti praesentatum a minori parte, ob rationes in tractatu de synodo dioecesana ponderatas, l. 12. cap. 7. n. 6.

Beneficium simplex si quis obtineat, nec sufficiat ad honestam sui sustentationem, potest ab episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Si vero nec istud secundum sufficiat, ut tertium obtineat, debet a sede apostolica dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberae collationis, sive de iure patronatus etiam laici; nam conc. trid. permisit, ut habens *beneficium insufficiens* possit unum aliud simplex obtinere, et nihil dicit de tertio. Atque ita in praxi tenere sacr. congregationem constat. Instit. eccles. 91. n. 7.

Haec tamen non valent in capellaniis de iure patronatus laicorum, neque in legatis piis, ut ex alio decreto sacrae congregationis. Ibid. n. 8.

Ex alio decreto sacrae congregationis, de quo ibidem eruitur, non esse inquietandos illos, qui bona fide tria vel quatuor beneficia insufficientia ex episcopi auctoritate obtinuissent. Ibid.

Cum beneficium resignatum fuerit in manus episcopi vel collatoris, non possunt isti providere de eisdem beneficiis consanguineis, affinibus vel familiaribus suis, ut ex bulla 68. s. Pii v. Ibid. n. 9.

Quia neque affines, consanguinei et familiares resignantis admitti debent, etiam cum beneficium conferendum est in concursu; primo quia bulla s. Pii, quae legit *Admittentium consanguineis*, mendose excusa est, cum legendum fuerit *Dimittentium consanguineis*, ut monet Fagn. in cap. *Non sine*, *de arbitris*. Secundo, quia sacr. congreg. disposuit, ut in eo casu neque familiares episcopi, neque consanguinei resignantis admitterentur. Ibid. num. 11. De synod. dioec. l. 13. cap [illegible]. n. 2.

Bene tamen omnes isti admitti ad beneficium possunt, quando illud cecidit in manus episcopi per obitum prioris beneficiati; neque enim tantum mali timeri potest, cum beneficium conferendum est ex obitu beneficiati, quantum subesse potest, cum dandum est ex resignatione prioris beneficiati. Ita de synod. dioec. ibid. n. 6. ex decr. s. congr.

Consuetudines ecclesiarum reservandi haeredibus beneficiati iam defuncti fructus primi anni obtenti beneficii valent; nihil enim derogat iuri illius qui in beneficium recens invectus est, cum et ipse post mortem iure isto potiatur. Quare in favorem huius consuetudinis saepius a sacra congregatione decisum est. De syn. dioeces. lib. 12. c. 7. n. 3.

Beneficiorum parochialium, et vicariarum tam saecularium quam regularium capaces esse canonicos regulares praemonstratenses, etiam non intercedente apostolica dispensatione, definit pontifex in bulla *Oneroso*, etc.

De filiis illegitimis clericorum circa beneficia parentum in eadem ecclesia qui possint et non possint, etc. Vide irregularitas.

Filius legitimus consequi prohibetur beneficium a patre praehabitum, esset enim species haereditariae successio-

nis. Nihil tamen vetat quominus pater possit obtinere beneficium a filio praehabitum. Quod verum est etiam de patre respectu beneficii a filio illegitimo obtenti, ut ex responsione sacr. congr. De synodo dioecesana lib. 13. cap. 24. n. 15.

Illegitimi autem filii quoad hoc illi etiam censentur, qui postmodum legitimati sunt, non vero illi, qui post subsequens matrimonium legitimati habentur, ut partim ex decretis sacr. congregationis, partim ex Fagnano. Ibid. n. 15.

Num vero filio obtinere beneficium fas sit, quod pater quidem habuit, sed ab eo transivit in tertium, et ab isto in eumdem filium? respondetur, filio legitimo id quidem non prohiberi, ex cap. *Ad extirpandos* de fil. presb.; illegitimis vero non licet, ut ex bulla Clementis VII. et respons. s. congr. Ibid. n. 18.

Nepos vero legitimus ex patre illegitimo natus obtineri avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente, ut ex responsis s. congregationis, et rotali decisione. Ibid. n. 19.

Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse, et omnes ad patronatum ius habentes, illud amittunt, ex cap. *In quibusdam*, de poenis. Ibid. n. 21.

Beneficii permutatio, quae fit coram ordinariis, interdum potest esse prohibita constitutione s. Pii V. incipiente *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istae, sed quae sint canonicis sanctionibus consonae; ex quo fit, ut cum vetitae sint provisiones beneficii resignati factae in favorem affinium, et familiarium episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam censeantur vetitae permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, et sit iam effoetae aetatis cum altero, quod est tenue, et obtinetur sive a suis, sive ab episcopi consanguineis; vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque non est iuxta canonicas sanctiones. De syn. dioec. l. 13. c. 24. n. 10.

Beneficia obtinentes a s. r. e. cardinalibus ordinariis collatoribus in mensibus s. sedi reservatis valorem 24. ducatorum camerae excedentia tenentur intra praefixum in reg. cancellariae tempus novam eorumdem provisionem a sede apostol. obtinere, ordinariis taxis solutis, non obstante in contrarium quocumque exemptionis privilegio. Motus prop. Benedicti XIV. bullar.

BULLA *CRUCIATAE*. Facultas concessa in bulla *Cruciatae* de absolutione a censuris obtinenda, valet tantummodo pro foro interno, ut ex constitutione Urbani VIII. eruitur; quare constitutiones hispanicae aliter statuentes reiiciendae sunt. De syn. dioec. lib. 12. c. 1. n. 7.

CADAVER. In sectione cadaverum anatomiae addiscendae causa, si quis adhibeat cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bonifac. VIII. de qua in cap. I. *de sepulturis in* 6. cum illa feratur tantum in eos, qui exhumantes cadavera, ea lacerant, et alio sepelienda transferunt. Ita ex sensu dd. instit. eccles. 74. n. 10.

Si instituta processione et praecedente cruce, associandum sit cadaver ad sepulturam, et transitus fiat per agrum, vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset convinci, nihil aliud volunt, nisi quod monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum; quin et leges illae a iure canonico abolitae sunt, ut ex dd. demonstratur. Inst. eccles. 89. n. 9.

Si cadaver tumulandum sit in ecclesia regularium, non potest parochus exigere, ut apportetur prius ad parochialem, et ibi exponatur, dein in sepulturam in ecclesia regularium inferatur, ut ex Lucana funerum censuit sacr. congr. concilii. Inst. eccles. n. 25.

Ex decretis sacr. congr. concilii firmatum est non esse levandum cadaver e domo absque praesentia ac facultate parochi loci, ubi domus sita est. Ibid.

Cum distinguitur ecclesia tumulans a parochiali, processio funebris debet incedere sub cruce ecclesiae tumulantis, nec potest praecisa consuetudine parochus propriam crucem levare, nisi in casu quo interveniat capitulum cathedralis, tunc cathedralis crux sola praecedit. Ita ex decretis sacr. congregationis. Ibid. n. 26.

Societates funus comitantes, si procedant cum sacco, tenent locum ante

feretrum, et ante clerum tam saecularem, quam regularem: si sine sacco, eant post feretrum, uti ex statutis cleri romani. Ibid. n. 30. 31.

Laici regulares non debent comparere cum capellanis conductis in processione funebri, ut multis firmatur. Ibid. n. 32. At si invitatus sit conventus regularis, qui certe constat ex laicis, conversis et sacerdotibus excludendi non sunt. Ibid.

Regulares cogi non possunt ut associent pompam funebrem cum cadaver in eorum ecclesia sepeliendum est, sed possunt ad ianuas ecclesiae suae expectare. Ita ex decis. sacrae congreg. Ibid. n. 38.

Si quis habitator urbis decedat ruri non electa sepultura, cadaver eius sepulturae mandandum est non in ecclesia rurali, sed in sua paroecia, vel in ecclesia ubi sita est sepultura maiorum ipsius, ut decisum cap. *Is qui;* de sepulturis in 6., dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat pontifex intercedere si obitus accidat in loco ultra tria milliaria distante a paroecia. Id vero ex paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. Ibid.

Cum rure transferendum est cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto praecedente cruce a clero delata, et associantibus geminis sacerdotibus, altero ecclesiae tumulantis, altero se tenente ex parte parochi illius loci, ubi mors accidit. Ibid. n. 46.

In extractione vel intratione cadaveris in portas urbis, gabella minime solvenda est, ut ex dd. Ib. n. 46.

Pro transitu processionis funebris ex una paroecia in aliam, nulla petenda est licentia a parocho illius loci, per quem transitus fieri debet, ut ex bulla Leonis x. 22. et decretis s. congregationis firmatur. Ibid. n. 49.

Pro sepultura et exequiis cadaveris exigi nihil potest, ut ex sacris canonibus firmum est. Instit. eccl. 105. n. 58. Verum si consuetudo obtinuit ut aliquid detur, quamquam circa hoc nulla sit actio iudiciaria, attamen recurri potest ad officium ordinarii, ut est in textu cap. *Ad aures* 24. de simonia. Ibid. n. 58.

CAECUS. Caecus non obtinet dispensationem neque ad primam tonsuram, ad effectum obtinendi beneficium ecclesiasticum, ut ex decreto s. congregationis in una Pampilonensi die 28. martii 1735. Inst. eccles. 34. n. 5.

Si tamen ordinato iam sacerdoti accidat, ut oculorum lumen amittat, non tamen ita, ut nihil videat, datur illi a s. congr. facultas celebrandi diebus quidem festis, et duplicibus, missam B. Virginis votivam, ferialibus defunctorum, dummodo non omnia memoriter recitet; mandando insuper episcopis, ut celebrationem omnino vetent statim ac caecum penitus evasisse comperint. *Ib.*

CAMBIUM. Cambium locale et per litteras, quando revera litterae mittuntur, vel transmittitur in alio loco pecunia eo modo, quo apud theologos describitur, admittitur a pontifice in tractatu de synod. dioec. l. 10. c. 5. n. 7.

Cambium vero obliquum, quo mutuatarius se obligat ad negotiandum in cambiis tantumdem pecuniae, quantum mutuo accepit a cambista in favorem ipsius cambistae, vel eidem cambistae dat facultatem, ut nomine suo accipiat sive a seipso sive ab alio tantumdem pecuniae, quantum sibi mutuo data est; accipiat, inquam, eam per cambii contractum; atque interim mutuatarius se obligat ad solvendum quantum necesse est pro ratione huius secundi cambii: hoc, inquam, cambium, quamvis non reprobetur a nonnullis, et revera fortasse in foro fori sustineri posset, adhuc tamen in conscientia reprobandum est. Ibid. n. 9. 10. Interdum vero mutuatarius in se suscipit onus negotiandi per cambium tantumdem pecuniae, quantum a cambista mutui nomen recepit; tunc vero quidquid lucratur vel lucrari potest in isto cambio nomine mutuantis facto, totum illi solvit; quae solutio etiam facienda est, etsi istud negotium cambii revera factum non sit, quia cambistae intererat ut fieret. Id etiam perinde ac prius a pontifice reprobatur. Ibid.

Haec omnia cambia, quamvis per se, saltem quoad nonnulla, licita laicis, interdicta esse clericis, canones magno consensu demonstrant et evincunt. De syn. dioec. l. 10. c. 6. n. 1.

CANONICI REGULARES. Canonici regulares, quamquam sunt capaces be-

neficii curati ex textu cap. *Quod Dei timorem*, *de statu monachorum*, non sunt tamen beneficii simplicis, ut ex pluribus decr. s. c. conc. approbatis a Greg. XIII. firmatur. Inst. eccl. 97. n. 2. Sicut nec beneficiorum residentialium non parochialium, ut ex sensu multorum canonistarum. Ibid. n. 5.

Nec possunt parochias laicas recipere cum sola licentia abbatis generalis, sed requiritur facultas summi pontificis. Ibid. n. 5.

Canonici regulares ex sola facultate superioris sive abbatis generalis non possunt curam animarum in ecclesiis saecularium assumere et exercere; sicuti neque ad canonicatus, praebendas dignitates, neque ad alia officia aut beneficia residentialia in ecclesiis saecularibus obtinenda assumi, et propter hoc ex religiosis claustris exire. Sunt etiam incapaces beneficii ecclesiastici saecularis sive simplicis sive residentialis, sicut etiam pensionum ecclesiasticarum. Ita in Bulla *Quod inscrutabili*. Quare exigunt ad haec obtinenda facultatem sedis apost. Si vero de sedis apost. facultate beneficium aliquod simplex obtinuerunt, non ideo tamen facultatem habent e claustro religionis suae exeundi. Id vero quod hic statutum est, intelligitur pariter de canonicis ss. Salvatoris.

Si quis vero ex illis extra concursum a patrono beneficii ecclesiastici, quod habeat curam animarum annexam, nominatus fuerit, haec nominatio fieri debet cum expressa praeservatione beneplaciti apostolici. Ultra quod a nominato debeat acceptari nominatio cum clausula de obtinendo beneplacito superioris generalis sui ordinis. Quid vero respectu illorum servandum sit, in voce *Concursus* annotavi. Ibid.

In eadem Bulla declarat Benedictus, canonicos illos, sic provisos de beneficio residentiali, absolutos esse ab obligatione deferendi vestem sui ordinis. Monet tamen non ideo exemptos esse ab onere servandi vota in iis, quae coniungi possunt cum novo suo statu. Cum vero cura pastoralis et canonicatus sit incompossibilis cum actuali obedientia praestanda superiori regulari, ideo declarat n. 27. non posse cogi ab iisdem superioribus ut ad religionis claustra redeant: posse tamen episcopum, cui submittuntur, legitima ex caussa privare illos per sententiam illo beneficio, seu declarare perpetuo suspensos ex inhabilitate. Tunc autem declarat teneri eos ad claustra redire, sicut et n. 28. ad redeundum obligat eosdem beneficiarios si beneficio renuntient. Ceterum n. 28. etiamsi habeant coadiutorem, vel impetraverint iubilationem, cum tunc teneantur residere in loco parochiae aut canonicatus, ideo ad claustra redire in eo casu nequaquam tenentur.

CANONICI. Canonici cathedralis non emittentes professionem fidei ex praescripto s. conc. trid. *non faciunt fructus suos*, fructus tamen praebendae, non vero distributionum, uti saepe respondit s. congr. inst. eccl. 60. n. 11. Nec ad eam poenam incurrendam requiritur sententia declaratoria, ut ex synodo Farfensi firmatur. Inst. eccl. 57. n. 15.

Professio fidei a canonicis emittenda ex constitutione Pii IV., non obligat canonicos aliarum collegiatarum, sed cathedralium tantummodo. Instit. eccles. 60. n. 1. ex pluribus decretis s. c.

Haec fidei professio personaliter praestanda est, non vero per procuratorem, ut ex decreto s. c. ibid. n. 3., quod adeo verum est, ut si quis Romae existens obtinuerit facultatem professionem hanc emittendi coram cardinali vicario, teneatur illam repetere coram ordinario simul ac in locum residentiae pervenerit, ut in eadem facultate exprimi solet. Ibid. n. 3.

Canonici et beneficiati tenentur ex iure ecclesiastico recitare officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere; canonici vero cathedralium vel collegiatarum praestare id in choro teneantur. Instit. eccl. 107. n. 7.

Canonici tenentur recitare divinam psalmodiam in choro, adiungentes sese eidem choro, nec sufficit si tantum assistant, alioquin non faciunt fructus suos, nisi tamen adfuerit privilegium apostolicum non praesumptum, nec abrogatum. Ita in encyclica ad episcopos Italiae, *Cum semper*.

Nec solum tenentur assistere, sed etiam alta voce recitare et associare cantum horarum canonicarum, [illegible] in

contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione s. c. trid. sess. 24. c. 12. de reform. evincitur. Inst. eccl. 107. n. 16. Idcirco tenentur canonici et alii addicti choro cantum gregorianum addiscere, ut in folio exhibito s. congr. in causa Murana Mansionariae die 13. nov. 1735., a secretario eiusdem congregationis demonstratur. Instit. eccl. 107. n. 16.

In Tridentino quidem iniunctum est, ut omnes *Divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia*, sed ut censuit s. c. non est sublata capitularibus facultas *sese invicem substituendi, dummodo substituens et substitutus eidem servitio adscripti non sint*. Cavendum est tamen ne nimis frequentes sint istae substitutiones. Non possunt uti hac facultate illi canonici qui extra civitatem, vel suburbia consistunt. Nec ea uti potest nisi canonicus vel mansionarius, non vero coadiutores eorum, ut ex pluribus decretis s. congr. Ibid. n. 17. 18.

Si chorus ecclesiae efficiatur incommodus, puta hyemali tempore, potest adaptari eidem muneri praestando aliqua capella eiusdem ecclesiae, ut ex decreto s. c. Ib. n. 19.

In ordine ad recitationem horarum praefertur illa sententia, quae docet, eos, qui horis admiscent iocos, risus et cachinnos et cetera, et confabulationes in choro, reos esse peccati gravis, et ad restitutionem teneri. Ib. n. 25.

In decretali *Dolentes* de celebr. miss. poena in eos, qui haec aut similia agunt, suspensio indicitur; haec tamen suspensio est ferendae, non latae sententiae, ut explicavit Honorius III., in cap. 3. *de vita et honest. clericor.* inserto in quinta compilatione decretalium edita a Cironio. Ibid. n. 29.

Mos non mulctandi canonicos, nisi cum supervenerint in choro post absolutum primum nocturnum cum lectionibus vel post sex priores psalmos in matutinis de feria, etiamsi consuetudo adsit, reprobatur a s. congr. conc. in Interramnensi visitationis die 24. maii 1674. Ib. n. 23.

Quamquam in choro teneantur recitare semel in hebdomada officium defunctorum; extra chorum tamen non tenentur, quod etiam de officio B. M. Virginis, psalmis poenitentialibus et gradualibus definivit s. Pius V. in sua const. LXIV. Inst. eccles. 107. n. 9.

Missa conventualis, quamquam non veniat nomine horarum canonicarum, venit tamen nomine divini officii; quare si cathedralis et collegiatarum canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem eiusdem missae. Ibid. n. 11.

Immemorialis consuetudo non excusat canonicos cathedralium et collegiatarum insignium a residentia; bene tamen in collegiatis non insignibus et ruralibus, in quibus adeo tenues sunt reditus, ut canonici aliunde non habentes, unde vivant non habeant. Instit. eccles. 107. n. 2. ex decreto s. c.

Absentia a choro per tres menses non intelligitur permissa a Tridentino, si ecclesiae constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant, ut explicatum est in decreto s. c. Instit. eccl. 107. n. 31. Qua in re nulla contraria consuetudo etiam immemorabilis admittitur, ut censuit s. c. in suo decreto. Ibid.

Ad vacationem trium mensium concessam a Tridentino non requiritur licentia episcopi, si tamen intra dioecesim consistant; requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab episcopo negari; ita ex decreto s. congr. Ibid. n. 36.

Canonici vigore trimestris a Conc. Trid. sibi concessi non possunt simul abesse a choro ultra tertiam partem uno et eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore quadragesimae et adventus et in festis solemnioribus. Ita ex decreto s. congreg. Ibid. n. 34.

Pro absentibus habentur, qui absunt ab ecclesiae servitio tot vicibus, ut praescripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Ita ex decr. s. c. Ib. n. 32. Hinc s. congregatio in aliis decretis ibid. n. 33. relatis decidit plus quam trimestrem valere, ut censeantur absentes. Nec approbavit eadem s. congregatio illos, qui calculum conficiebant ab hora in horam, et non a die in diem. Ibid.

Absentes a servitio tempore vacationis non lucrantur distributiones quotidianas, nisi concessae sint illis a constitutionibus confirmatis a ss. pontifi-

cibus ante conc. trid. Ita ex decreto s. congregationis. Ibid.

Canonici qui abfuerint ultra trimestre non sunt citandi, ut veniant ad servitium ecclesiae; qua in re differunt a curatis non residentibus, qui ex concilii praescripto citandi, vel admonendi sunt, ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur canonici, ut deducant causam cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus iuxta praescriptum s. concilii. Ita ex decreto s. c. Ibid. n. 37.

Porro ut tunc procedatur ad privationem canonicatus, praecedere debet trium annorum absentia, tum expediendae sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex decreto s. c. Ib.

Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delinquentis iuxta dispositionem cap. *Ex tuae*, *de cleric. non resid.* Quod etiam fieri potest inchoata iam via procedendi a concilio praescripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis. Ita ex d. s. c. ibid. n. 38.

Quoad distributiones conc. trid. sess. 21. c. 3. *de ref.* mandat, ut separetur e missa capitulari tertia pars fructuum, quae dividatur inter praesentes divinis officiis assistentes. Addit vero idem concilium, quod si dignitates, et personatus ecclesiarum parochialium, et collegiatarum muneribus suis defuerint, amittant distributiones, quae applicentur *fabricae ecclesiae*, *vel alteri pio loco*, *arbitrio ordinarii*. Quod postremum intelligitur de dignitatibus reditus suos habentibus a mensa capitulari discretis; illae, quae participant ex eadem mensa, distributiones amittunt, sed quae accrescunt praesentibus. Instit. eccles. 107. n. 41.

Vetat insuper sacrum concilium sess. 24. c. 12. *de ref.* ne chorales secum invicem paciscantur, ne mulctentur absentes. Vetat etiam ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint, cui decreto insistens s. c. conc. semper negavit valere istas condonationes. Ib. n. 42.

Hoc tamen non obstante fas est episcopo transgressores istos ulterius punire, ut saepius respondit s. c. Ib. n. 44.

Caeterum cum sacrum concilium exceptos iudicet ab ea distributionum amissione illos quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusat; hinc s. c. censuit, in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin et si quis discedens a civitate sanus, proponens reditum ad civitatem post legitimam vacationem, si interim aegritudine afficiatur, nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si praesens esset in civitate, ut ex decreto s. c. Ib. n. 46.

Verum non omnis aegritudo excusat, nec omnes semper; nam si quis, cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc etsi aegritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit s. c. Ibid. n. 47.

Accidere tamen posset, ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed aegritudine, qua afficitur, adesse choro ei non permitteretur. Hinc caecus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in choro non recitet, ut censuit s. c. Ib. n. 48.

Deberi caeco distributiones ex ea die qua lumine captus est, et non solum ex ea, qua se admitti ut praesentem postulavit, censuit s. c. Ibid.

Quin nec teneri illum substituere alium pro onere missarum in collegiata, eadem s. c. alio decreto censet. Ib.

Quando pestis grassatur (quod iudicium episcopo remittitur) canonici qui se absentant ab urbe, vel oppido, distributiones lucrantur, ut ex decr. s. c. Ibid. n. 50.

Nec privantur etiam, qui assueti alias interesse choro, vexationibus iniustis coacti se e loco seducunt, ut ex decreto s. c. Ibid. n. 51.

Cuiusmodi sunt etiam detenti iniuste in carceribus, quae iniustitia tunc iudicanda est ex sententia in eius favorem lata, quae in iudicatum transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus eius appellationis expectandus est; quae omnia ex decretis s. c. Ibid. n. 52.

Sententia in favorem rei illa dicitur hic, qua reus ut innocens absolvitur

per sententiam definitivam, sicut etiam qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens; ac tandem ea, qua absolvitur cum clausula *non molestetur*. Non vero ea, qua absolvitur cum *quo satis*. Haec omnia ex decretis s. c. Ib. n. 53.

Ex evidenti ecclesiae utilitate absentem ad distributiones admittit Bonifac. VIII. in cap. unic. *de cleric. non resid. in sexto*. Quare absens a choro causa negotiorum ecclesiae suae, vel capituli, distributiones percipit, ut saepe censuit s. congr. Ib. n. 8.

Itaque canonicus theologus, qua die legit, potest non amissis distributionibus a choro abesse, etsi vacare illi posset, ut censuit sacr. congr. Ib. n. 55.

Hinc etiam canonicus poenitentiarius, vel alius canonicus ab episcopo deputatus in eum locum, dum actu audit confessiones, tuto abest a choro, et distributiones obtinet, ut pluries censuit s. c. Ib. n. 55. Si vero absit dum actu non audit confessiones, distributiones minime percipit, ut ex aliis decr. s. c. Ibid.

Lucratur etiam fructus praebendae, non vero distributionem, etsi absens ille, qui habet canonicatui suo annexam, sed extra civitatem, curam animarum; tenetur enim in paroecia residere pro eo tempore, quo in parochiali ecclesia residet, et sacramenta administrat. Ita ex conc. trid. sess. 22. cap. 3. *de reform.* addita bulla 65. s. Pii v

Qui vero habet curam animarum in ea ecclesia, in qua est canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum, quae spectant ad curam animarum, distributiones quotidianas obtinet, Ibid. n. 56.

Fas est episcopo servitiis suis adiungere saltem geminos canonicos cathedralis, seu etiam collegiatarum; attamen non potest seligere canonicum, seu dignitatem, neque etiam coadiutorem. Hos vero lucrari fructus praebendae, non vero distributiones constat. Ita ex pluribus s. c. b. n. 57. 58.

Canonici, quos episcopus mittit Romam invisuros sacra limina suo nomine, vel illum ea occasione comitantes, distributiones quotidianas non amittunt, ut pluries censuit s. congr. Ibid. n. 59.

At si illum comitentur in visitatione dioecesis, si omnes fructus sui beneficii in distributionibus quotidianis consistant, tunc lucrantur duas tertias partes earum, tertia amissa, quae inservientibus accrescit. Ita ex decr. s. c. Ibid. n. 59.

Ex lege conc. trid. sess. 24. c. 12., possunt cogi canonici ab *episcopo celebranti*, *vel alia pontificalia exercenti assistere et inservire*. Porro ex decr. s. congr. dicimus, episcopo in cathedrali celebranti in pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationibus absunt. Tenentur vero etiam praestare illi munus subdiaconi; quod verum est, etiamsi episcopus celebret, seu ordines ministret extra cathedralem, intra dioecesim, et suburbia; tenentur enim etiam tunc praestare munus diaconi, subdiaconi, presbyteri assistentis, et duorum illorum canonicorum, qui episcopo ordines ministranti cum archidiacono adsunt. Ita ex pluribus decr. s. c. ib. n. 60.

Porro haec assistentia locum habet etiam cum episcopus in sua cathedrali praesens est missae, et divinis officiis diebus dominicis et festis etiam non solemnibus et in diebus ferialibus quadragesimae. Quod verum est etiam, quando episcopus in aliis ecclesiis civitatis pontificaliter celebrat; vel paratus assistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa divinis officiis, et missae solemni, alia pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia cathedrali remaneat. Ita ex decr. s. congr. Ibid.

Valent etiam haec dum episcopus in ecclesia cathedrali adest concioni diebus quadragesimae, et aliis intra annum. Non vero si cum cappa assistit concioni, quae habetur in aliis ecclesiis civitatis, etiam exemptis. Ib. n. 60.

In his omnibus rerum circumstantiis canonici, qui episcopo inserviunt, si actu debeant choro interesse, non semper tamen obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt pontificaliter celebranti, non vero episcopo dioecesim visitanti, vel missam privatam celebranti. Ib. n. 61.

Animadvertendum est, canonicos non praesentes, de quibus supra diximus non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis anniver-

sariorum, quae ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter praesentes, ut ex decr. s. c. Ibid. n. 62.

Demum distributiones quotidianas obtinent canonici et beneficiati, qui interdum intra annum intra domum religiosam clausi exercitia spiritualia praestant cum licentia episcopi, non tamen si in adventu, quadragesima et festis solemnibus id agunt, et ita agunt, ut servitio chori nullum detrimentum inferatur. Ita ex encycl. Clementis XI. Ib. n. 63.

Distributionibus etiam quotidianis non privantur canonici, et mansionarii emeriti, sive si coadiutorem habeant. Ibid. Debent tamen indultum hoc obtinuisse a s. c. vi cuius nec loci residentia astringuntur; quamquam possint ab episcopo compelli ad assistendum choro, si cultus divinus detrimentum patiatur. Ita ex decretis s. congr. Ib. n. 64.

Porro si coadiutor sive intra civitatem aegrotet, sive extra, non tenetur coadiutus assistere choro, et nihilo secius lucratur distributiones, quae ipsi omnino debentur, etiam cum iis emolumentis, quae praesentibus accrescunt. Ibid. n. 65.

Distributionibus privatur vicarius generalis episcopi, canonicus examinator, quique in tribunali s. officii munus suum praebet, ministri camerales, scilicet subcollectores spoliorum et decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre a Tridentino concessum. Denique nec magistri iuris canonici et sacrae theologiae in publicis universitatibus docentes; qui tamen si recurrerint ad sacr. congregationem obtinent fructus praebendae; et si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum, quod etiam postremum conceditur illis, qui causa studiorum in publicis universitatibus absunt. Ib. n. 72.

Absentes vero causa studii ex decr. Innoc. XII. si indultum sibi concessum non exhibuerint ordinario loci, et in actis cancellariae non registretur intra tempus in indulto praefixum, perinde est ac si non adfuissent. Ibid.

Coadiutoribus non conceditur indultum absentandi sese causa studii. Ibid.

Studium vero praestari debet in publica universitate, ac prodest pro eo pariter tempore, quo lector privatam lectionem habet, et non in aula publicae universitatis, ut ex decr. s. c. Ib.

Si eo tempore, quo officia persolvuntur in choro, capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, canonici non possunt absentare sese, absque subtractione distributionum pro eo tempore, quo absunt, ut ex decr. s. c. Ib. n. 73.

Nec etiam deserere possunt chorum, ut missas celebrent, vel confessiones audiant, nisi superior id iusserit; monetur tamen superior, ut ab his iussionibus abstineat, in decr. s. c. anni 1753. Ibid. n. 74.

Dignitatem novam in cathedrali ecclesia erigere nemo potest, nisi unus tantummodo summus Pontifex, ut pluries decisum in s. congreg. concilii notatur. Tract. de syn. dioec. lib. 12. c. 1. n. 8.

Pro canonicatu theologali concursus indicendus est, ex bulla Bened. XIII. *Pastoralis officii;* eius tamen collatio pertinet ad pontificem ex can. *Ad regimen*, de praeb. Concursus iste indicendus est ab episcopo, a quo examinatores destinandi sunt quatuor in theologia licentiati, sive saeculares, sive regulares; nec requiruntur synodales. Concurrentes debent esse doctores in sacra theologia, vel saltem intra annum tenentur doctoralem lauream in aliqua universitate approbata studii generalis assequi. Quae omnia ex eadem bulla resultant.

Acta vero concursus transmittenda sunt ad romanum pontificem, a quo dignior eligetur, ut in eadem bulla, et inst. eccles. 57. n. 4.

Nec sufficit laurea canonica ex responso s. c. Inst. eccl. 57. n. 4.

Nec sufficit etiam si haec laurea sit recepta ab aliquo privilegium obtinente, sed omnino requiritur obtinuisse in universitate approbata, quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex bulla 70. s. Pii V. Ibid. n. 5.

Theologus canonicus satisfacit suo muneri, sive legat sacram scripturam, sive theologiam scholasticam, ut saepius resolvit s. c. Ib. n. 6. Non tamen si legat theologiam moralem, ut Ib. n. 7.

Ex praebenda theologali segreganda

est tertia pars, ex cuius reditibus data proportione solvenda est sua portio sacristiae metropolitanae, respondens diebus, quibus canonicus deesset suo muneri. Ib.

CAPITULUM. Capitulum ecclesiae cathedralis praecedere debet capitulo collegiatae, adeo ut nec sustineantur constitutiones privatarum ecclesiarum aliter decernentes, ut definivit Rota decis. IX. post Murgam ad constit. apost. De syn. dioec. lib. 12 c. 1. n. 2.

Capitulum cathedralis ecclesiae ad synodum ab episcopo indictam invitandum est: teneturque episcopus de constitutionibus in eadem synodo condendis, eiusdem capituli consilium exquirere, non tamen sequi illud adstringitur. Si id negligat, et constitutiones suas inconsulto capitulo promulgaverit, illae profecto, quod ad normam iuris non sint exactae, firmitate carent. De syn. dioec. l. 13. c. 1. n. 15. et 16.

Capitulum cathedralis quamvis exemptionem obtineat, adhuc tamen subditur legibus synodalibus in iis, quae versentur circa morum et disciplinae reformationem, ita declarante s. c. De syn. dioec. lib. 13. c. 4. n. 8.

Exemptio capituli cathedralis in eo praecipue sita est, ut episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem canonicorum sine duobus de capitulo adiunctis ad normam trident. sess. 25. cap. 6. *de reform.* Quamvis episcopus sine adiunctis de capitulo possit illud visitare ex trid. sess. 6. cap. 4. *de reform.* De syn. dioec. lib. 13. c. 9. n. 8.

Capitulum sede vacante non potest in usus proprios convertere mulctas pecuniarias, et compositiones delinquentium, ut saepius a s. c. decisum est. De syn. dioec. l. 10. c. 10. n. 4.

CAPUCCINI. Capuccinis vetitum erat ex constitutione quadam sui capituli generalis, ne peccata sua exponerent alteri, quam sui ordinis confessario, etiamsi longe abessent a monasteriis sui ordinis; verum Bened. XIV. die 30. martii 1742. facultatem fecit singulis eorum sacerdotibus, et laicis longe a suis monasteriis versantibus, ut possent cuicumque sacerdoti saeculari a suo ordinario approbato, vel regulari a suo pariter superiore approbato, peccata sua in confessione aperire, et ab eo absolutionem obtinere, etiam a casibus, et censuris in suo ordine reservatis, addita tamen obligatione, ut ubi primum potuerint coram superiore se sistant, et novam ab illis casibus et censuris absolutionem obtineant. Ita ex constitut. Bened. XIV. *Quod communi.*

CASUS RESERVATI. Societates quaedam ex vi suorum privilegiorum non possunt ullo modo in quibusdam anni solemnitatibus eligere sibi confessarium, a quo a casibus episcopo reservatis, sine episcopi licentia, absolvantur, ut praeter decisiones s. congr. ferunt litterae Bened. XIV. incipientes *Pias Christi fidelium*, relatae de syn. dioec. l. 5. c. 5. n. 9.

Denique accedentes in fraudem ad aliam dioecesim, ut absolvantur a reservatis suae dioecesis, absolvi non possunt ex bulla Clem. X. *Superna magni.* Ib.

Canonicus poenitentiarius vi sui muneris nullam habet facultatem absolvendi a peccatis episcopo reservatis, ut a s. c. concilii decisum refertur. Ibid. n. 8.

CAUSARUM COGNITIO. Causae omnes tam civiles, quam criminales exemptarum personarum in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscendae sunt, causis privilegiatis exceptis: neque committi possunt etiam auditori camerae apostolicae nisi per viam legitimae appellationis. Si autem pendentibus causis in prima instantia, impetrentur citationes in signatura iustitiae, hae quidem valent ad comparendum vel adeundam signaturam, non vero ad retardandam executionem processuum ad ulteriora. Constit. 48. *Ad militantis*, n. 42. et seq.

Causae beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit; nec nisi post sententiam definitivam apud sedem apostolicam sive in petitorio, sive in possessorio est locus sequestrationi fructuum. *Clem. unic. de sequestr. possess. et fruct.* neque aliter statui potest in synodis particularium ecclesiarum. Ita in tract. de syn. dioec. l. 12. c. 1. n. 3.

Causae omnes etiam civiles, et de re etiam profana, in quibus ecclesiastici tamquam rei conveniuntur, semper cognoscendae sunt in foro ecclesiastico,

et in prima instantia in foro proprii episcopi, nec etiam de episcopi consensu transferri possent in prima instantia ad curiam romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum refertur a s. c. conc. in instit. eccles. 40. n. 3.

Si vero clericus laicum convenerit pro repetendis rebus ecclesiae suae, quamquam de rigore iuris cognitio huius causae pertineat ad iudicem saecularem, tamen si consuetudo contraria invaluerit, pertinere pôtest ad fòrum ecclesiasticum. Utrum privative vero, adeo ut conventio ista fieri non possit ad tribunal laicum, vel cumulative, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quamquam in casu etiam, in quo valet privativa, de licentia episcopi potest causa ista agitari coram iudice laico. Ib. n. 5. ut ex decr. s. congr. episcoporum regularium confirmatis brevi Pauli v. die 9. martii 1617. Ib. n. 5.

CENSURA. Censurae maiores, ut excommunicatio, suspensio et interdictum, cum sint poenae graves, fieri non possunt, nisi ex graviori culpa, adeo ut suspensio a divinis ad longum tempus, sicut et interdictum etiam personale, nisi sit partiale, ne valide quidem in levem culpam possit inferri ex sensu plurium dd. De syn. l. 10. c. 1. n. 3. Quod valet etiam de censuris quoque comminatoriis et ferendae sententiae. Ib. n. 5.

Parcissimi esse debent episcopi in censuris latae sententiae ferendis; cum enim extrema ea sit poena, pro extremo remedio gravibus criminibus puniendis, coercendisque reservanda est, ex constanti s. congreg. sensu, lib. 10. c. 2. per totum.

Verumtamen prudenter ab episcopis interdum sub poena excommunicationis latae sententiae vetantur quaedam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quod inde consequeretur si res vetita fuisset neglecta, res ipsa postulat ut ita provideatur. Ita pontifex defendit constitutionem suam qua vetuit, ne dispensati in quadragesima a comestione carnium, pisces degustent. De syn. dioec. l. 10. toto c. 3.

Censurae ab homine latae a nemine tolli possunt nisi ab eo a quo latae sunt, vel ab eius superiore si agnoscantur iniustae. Inst. eccl. 55. n. 11. Adeo ut neque summus poenitentiarius Romae censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne iurisdictio ordinariorum turbetur. Ibid.

CENSUS. Census realis licitus est, et immunis ab usura, nam venditur et emitur ius percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quae fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. De syn. dioec. lib. 10. c. 5. n. 4.

Census vero personalis dubium est num de sua natura sit usurarius nec ne. Constat tamen vetitum esse ex constitutione s. Pii v. in qua constituuntur census conditiones. Ib. n. 5.

Num conditiones illae, quoad ea quae non sunt de iure naturali ac divino ex contraria consuetudine legitime praescripta cessaverint obligare apud quasdam nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius v. concessit non obligare, ut ex Guttierez. Ib. n. 5. Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur. Ib. Monet tamen pontifex etiam in iis dioecesibus in quibus Piana constitutio non viget, ut a censibus personalibus, praesertim utrinque redimibilibus abstineatur. Ibid. n. 6.

CHOREAE. Choreae, quamvis ex sui natura sunt licitae, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. Inst. eccles. 76. n. 5.

Choreas vero a clericis non sine peccato gravi agi posse theologi plerique asserunt, ut firmatur inst. eccles. 76. n. 7. Quin et prohiberi possunt ab episcopis clerici omnes, ne choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis aedibus ecclesiasticis, canonicalibus, parochialibus, seu etiam beneficialibus deputatis pro domicilio beneficiati, etiamsi illae fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium, quae verba sunt decr. s. c. relati. Inst. eccles. 76. n. 8.

CHRISMA. Ex can. *Si quis de alio*, de consecr. dist. 4. colligitur vetitum esse parochis aliud chrisma quam ab episcopo suo consecratum adhibere. Inst. eccles. 81. n. 2. omni quacumque exemptione exclusa, ut ex Passerino. Ibid.

Cum novum benedicitur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri chrismate uti ad extremam unctionem, cum novum haberi potest, ut ex can. 122. dist. 4. de consecrat. colligunt doctores. Ib. n. 4.

Licitum est oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate, quam consecratum; sed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur. Ibid. n. 4.

Cum fontes die sabbati sancti a parochis benedicuntur, praestaret novo chrismate, ab episcopo feria V. in coena Domini eius anni benedicto, ritum peragere. Ib. n. 5.

Ex iure communi can. *Omni tempore*, dist. 4. De consecr., non licet deferre sacra olea nisi subdiaconis, vel diaconis, vel sacerdotibus. Ib. n. 6.

Episcopi latini infantes graecos a presbyteris graecis in Italia et insulis adiacentibus confirmatos absolute confirment; nulla enim a pontificibus data illis facultas est, ut confirment, adeoque id egerunt invalide. Bulla, *Etsi pastoralis*. §. 3.

Qui confirmati sunt a simplici graeco sacerdote invalide, in Italia et insulis adiacentibus, non sunt cogendi, ut idem sacramentum ab episcopis iterum suscipiant, si inde scandala timeantur: *monendi tamen sunt ab ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt*. Ibid.

Graeci ab episcopo graeco-catholico, si haberi possit, confirmandi sunt, chrismate tamen a latinis episcopis accepto. Ibid.

Presbyteri graeco-catholici non sunt cogendi olea sancta accipere ab episcopis latinis dioecesanis, cum ipsi ex veteri ritu illa conficiant seu benedicant, excepto tamen chrismate, quod nonnisi ab episcopo etiam iuxta eorum ritum benedici debet; non tamen olea istà accipere audeant ab episcopis graecis externis diversae ab ecclesia romana communionis. Quin nec accipiant ab alio episcopo latino seu graeco-catholico, praeterquam ab ordinario suo, si sit latinus. Ibid.

CLAUSURA. Clausura virorum quoad eorum monasteria asseritur in bulla *Regularis disciplinae*, ex qua eruuntur sequentia:

Tamquam abusus declaratur ingressus promiscue virorum cum foeminis intra septa vel claustra monasterii sub praetextu comitandi solemnes supplicationes quae fiunt intra eadem septa cum ss. eucharistiae sacramento, sive cum sanctorum reliquiis, etc.

Confirmantur constitutiones et sanctiones omnes romanorum pontificum super claustra monasteriorum. Denique revocantur quaecumque facultates dispensandi quoad eamdem clausuram a quocumque et quibuscumque concessae.

Suum tamen ius asseritur iis concessionibus, quae ad favorem sunt quarumcumque nobilium foeminarum, eo quod eorum maiores fundatores seu insignes benefactores eiusdem monasterii extiterint, et de hac concessione confirmationem ab apostolica sede obtinuerint. Sicut etiam asseritur iis foeminis, quae sunt consanguineae et affines eorum, qui dominium obtinent in temporalibus locis ubi situm est monasterium, dummodo tamen apostolica concessio expedita sit in forma brevis vel sub plumbo, de qua re authentica documenta exhibita sint loci illius ordinariis; dummodo tamen iis facultatibus utantur non ad evagandum per monasteria, sed sola pietatis gratia, ac de eorum adventu et ingressu certiores antea fiant superiores, etc.

Quoad monialium clausuram provisum est in bulla *Salutare in catholica*, qua in constitutione haec continentur.

Confirmantur constitutiones omnes antecedentium pontificum sub poenis in illis contentis.

Revocantur facultates omnes dispensandi quoad hunc ingressum, cuicumque et pro quocumque concessae, et transgressores subiiciuntur iisdem poenis, quibus subiacent violatores clausurae monialium.

Suum tamen ius conceditur, quoad dispensationes ordinariis locorum et aliis respective superioribus, qui ius obtinent dispensandi in casibus necessariis, et servatis de iure servandis.

Moniales post professionem neque etiam ad breve tempus exire possunt e monasterio, nisi ex aliqua legitima cau-

sa ab episcopo approbanda. Causae autem sunt ex extrav. Pii v. incip. *Decori* etc. incendium, **lepra et epidemia.** Inst. eccles. 85. n. 14.

In consecratione tamen ex praescripto pontificalis romani exire debent e clausura, et ingredi in ecclesiam senioribus matronis eas comitantibus, et statim ad clausuram redire. Ib. n. 20.

Denique occasione consecrationis earumdem monialium non licet episcopo ingredi in clausuram, nec multo magis licet id agere magistro caeremoniarum, et consanguineis consecrandarum virginum. Ita ex eodem decreto. Ibid. n. 21.

Violantes clausuram monialium ad malum finem, non tamen praetextu facultatum obtentarum, non evitant excommunicationem reservatam pontifici; quam etiam incurrunt admittentes huiusmodi violatores, neque excusantur ex contraria consuetudine etiam post concilium introducta. Ita ex alio decr. sacr. congr. Ibid. n. 21.

Educandas puellas et famulas in clausuram monialium introduci quacumque ex caussa vetat pontifex sine authentica apostolicae sedis licentia toties quoties impetranda, et praevio examine Ordinariorum loci, ubi sita sunt monasteria, super moribus, fama, habilitate, necessitate, ipsarum educandarum seu famularum. Ita in litteris ad episcopum portugaliensem.

CLERICI. Clericis omnibus vetari ab episcopo potest gestatio ficti capillitii; beneficiatis vero etiam in sacris non constitutis, sicut etiam caeteris sacris initiatis, fas est episcopo id prohibere etiam sub excommunicatione, uti ex pluribus decretis s. congr. De synod. dioec. l. 11. c. 9. n. 4. et inst. eccles. 96. n. 5.

Sacerdotibus vero sacrum operantibus numquam uti licet eo capillitio, nisi de licentia sacrae congregationis; nec etiam sufficit episcopalis permissio, uti ex litteris Innocentii xii. ad nuntios apostolicos et episcopos datis. De syn. dioec. Ibid. n. 5.

Sententia asserens omnem quamcumque venationem a sacris canonibus interdictam esse clericis, magis iuri conformis est. De syn. dioec. l. 11. c. 10. n. 8. Quare nimii rigoris damnandae non sunt constitutiones illae synodales episcoporum, quae indicta poena clericos ab omni venatione removent. Ibid. n. 10.

Sententia quorumdam asserens non fore reos lethalis criminis clericos comoediis quantumvis turpibus assistentes, si hoc fiat citra scandalum, et probabile periculum lapsus, erronea et scandalosa est. De synodo dioecesana lib. 11. cap. 10. n. 12.

Clerici non coniugati, beneficiati sine tonsura, et clericali veste incedentes, non quidem gaudent beneficio fori et canonis, ut ex Trident. sess. 23. c. 6. *de ref.*, sed longe probabilius gaudent aliis privilegiis clericalibus, puta exemptione reali ab oneribus laicalibus, de quibus cap. *Odoardus de solut.* cum Tridentinum non adimat illis nisi tantum privilegium fori et canonis, de synodo dioecesana lib. 12. cap. 2. n. 1. Quin etiam per legem Tridentini non privatur episcopus iurisdictione puniendi illos tamquam sibi subditos; neque enim lex Tridentini aliud operatur, nisi ut clericus delinquens forum saeculare declinare nequeat. Ita decisum refertur a s. congr. apud Sperellum decis. 17. n. 33. 34. Ibid. n. 4. Insuper ex alio decreto dato archiepiscopo neapolitano, ius est episcopo eosdem clericos delinquentes, quando neque a iure neque ab homine per declarationem sunt denudati privilegiis clericalibus, e manibus iudicis laici repetere. Ibid. Est autem hoc decisum quoad clericos coniugatos a s. c. Immunitatis in caussa Alatrina iurisdictionis die 27. martii 1633. Ib. n. 5.

Clericos post dimissionem clericalis vestis committentes delictum, iterumque illam resumentes, si absque dolo ac fraude id egerint, gaudere privilegio certum est. Vicissim constat illis non suffragari si egerint cum fraude. Cognoscere tamen de fraude non est iudicis saecularis, sed ecclesiastici. Utrum vero de fraude ista prius constare debeat ad hoc, ut iudex laicus possit procedere realiter contra bona clerici, quaestio est inter doctores, in qua affirmativa sententia facilius admittitur. Porro in fraudem resumere habitum censeretur ille, qui post relictam vestem crimenque commissum, actus in carcerem a iudice saeculari, fuga se, vel aliqua ratione subtraxit,

tuncque clericalem vestem resumpsit. De synodo dioecesana lib. 12. cap. 3. n. 1. et 2.

Non potest episcopus generali constitutione cavere, ne clerici tonsurati post vestis dimissionem iterum illam resumant sine licentia episcopi, ut decisum a s. congreg. refertur. Ibid. n. 3.

Ad hoc autem, ut evitentur ea in re dissensiones inter utramque potestatem ecclesiasticam et laicam, suadendum, ut episcopus per edictum generale mandet clericis, ut incedant in habitu et tonsura ac deserviant alicui ecclesiae per certum tempus; quo elapso transgressores admoneat tribus distinctis vicibus, ut pareant. Contravenientes dein per sententiam declaret eos propria culpa excidisse a iuribus clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Huius sententiae vi transgressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent. Ib. n. 4.

Ecclesia, cui inserviendum a clerico est, ut fori privilegio fruatur, designanda est ab episcopo; si tamen alteri a designata inserviat, adhuc gaudet, ut a s. congr. decisum refertur. Ibid. l. 12. c. 6. n. 5.

Non incedentes in habitu et tonsura, praecedente admonitione, etiam per edictum suspenduntur ab ordinibus, officio et fructibus beneficii ex Trident. sess. 14. c. 6. *de ref*. Quin et ex bulla *Cum sacrosanctam* Sixti v. privantur ipso facto omnibus dignitatibus, canonicatibus et beneficiis simplicibus ac pensionibus. Ab his vero poenis excipit in alia bulla habentes pensionem non excedentem summam ducatorum sexaginta de Camera. Quae tamen postrema dispositio cum agat de pensionibus, non revocat dispositionem prioris bullae, quae ligat etiam beneficia minoris valoris, ut ex sacra congreg. firmatur. Instit. eccl. 71. n. 12.

Clerici ab exercitio sui ordinis suspensi, si ab eo abstinuerint, esto absque praevia absolutione ad altiorem ordinem transierint, quamquam id agant sacrilege, irregularitatem non incurrunt, quae est magis communis sententia. De syn. dioec. l. 12. c. 3. n. 6.

Clericos, ne ad sacros et ulteriores ordines ascendant, prohibere potest episcopus de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere clericos a divinis, ut a s. c. decisum traditur. De synodo dioecesana lib. 12. cap. 8. n. 3. Quod adeo verum est, ut nullo iure obstringi possit ad caussam eius suspensionis manifestandam. Fas est tamen reo querelas tantummodo suas, non appellationem, sedi apostolicae exponere, ut ex responso s. c. traditur. Ib. n. 4. Ex quo fit, ut etsi reus appellationem interposuerit, si interim ordinem suum solemniter exercuerit, continuo irregularitatem incurrat. Ib. n. 5.

Clerici, antequam ordinentur in sacris, studium saltem Theologiae Moralis praemittere tenentur, ita enim intelligenda est sanctio Trident. sess. 23. c. 14. iniungens ut ordinandi *ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta idonei comprobentur;* atque hoc iniunctum est a Benedicto XIII. confirmando bullam *Apostolici ministerii etc.* datam pro reformatione cleri Hispaniae, et tamquam normam pro aliis episcopalibus. Inst. eccl. 2. n. 4. et 5.

Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad praemittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim episcopis Italiae et insularum adiacentium mandavit in encyclica Innoc. XI. et innovavit alia encyclica Clemens XI. Inst. eccles. 104. n. 5.

Non debet episcopus praecipere, ut clerici minoribus ordinibus initiati, vel etiam maioribus subdiaconatus etc., ad sacros ordines ascendant, etiamsi id facile constituat ad evitanda scandala minorum clericorum, qui otio et vitiis se dedunt; id enim ecclesiasticae disciplinae repugnat. De syn. dioeces. lib. 12. c. 4. n. 2.

Id tamen verum est, si quidem clerici nullum beneficium ecclesiasticum obtineant, vel obtineant quidem beneficium, sed non ex illis, quibus annexum est onus suscipiendi sacros ordines. Ib. n. 3. Qui enim obligationem beneficio suo annexam neglexerunt, beneficio privantur, ex Trid. cap. 12. sess. 24. *de ref.*, nisi tamen iusto impedimento excusari possint. Ib. n. 6., saltem dummodo hoc impedimentum ab illis praevisum non fuerit, antequam beneficium acceperint.

Excipitur tamen nisi aliter exposcat

necessitas ecclesiae. Ib. n. 7.

Sacerdotum penuria non satis est causae, ut clerici illiterati ad sacros ordines promoveantur, ut a s. c. concilii decisum refert Fagnanus in cap. *Quaeris* n. 18. de aetat. et qualit. praeficiend.

Clerico interdictum est ex constitutione s. Pii v. *Qui ordini*, ne quid in testamento relinquat filiis suis illegitimis eorumque filiis ac descendentibus, consanguineis et affinibus, sive ex reditibus ex bonis ecclesiasticis, sive ex patrimonialibus comparatis, etiamsi filii illi ante testatorem obierint. Attamen sanctio ista non excludit quominus alimenta filiis illegitimis debeantur etiam ex reditibus ecclesiasticis. Cum vero vetatur legatum in favorem consanguineorum eiusdem filii, hoc tantum valet in casu, quo relicta eius consanguineis per quemdam circuitum cedant in commodum eiusdem filii illegitimi. De syn. dioec. l. 13. c. 24. n. 21.

CONCILIUM TRIDENTINUM. Consuetudo contraria decretis sacri Conc. Trid. non est attendenda, quia in bulla Pii IV. quae legitur in fine eiusdem concilii, legitur decretum irritans ea omnia, quae obstent eidem sacro concilio, ex quo fit, ut irritatio ista cadat supra omnia obstantia singulis capitulis eiusdem. Inst. eccl. 60. n. 7.

Cum in sanctionibus concilii additur: *salva semper auctoritate sedis apostolicae*, quae verba semper addita voluit idem concilium sess. 25. cap. *Final.* cum de reformatione morum et ecclesiastica disciplina agitur, tunc in dispensationibus a romano pontifice concessis semper intelligitur derogatum sanctioni eius concilii, etiamsi haec derogatio non exprimatur, iuxta ac definivit s. Pius v. in suo motu proprio apud Garciam de benef. part. 4. c. 5. n. 32. et 33. et censuit s. c. conc. De syn. dioec. lib. 13. cap. 24. n. 24.

CONCIO. Parochi singuli tenentur concionem habere in suis ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita Innoc. XIII. in sua constitutione pro reformanda disciplina regnorum Hispaniae, quam Bened XIII. confirmavit ut esset norma caeteris ordinariis. Inst. eccl. 10. n. 3. Sufficit tamen pro concione allocutio pia, singulis festis, ut respondit s. c. die 8. augusti 1732.

Concionatores regulares tenentur petere ab episcopo benedictionem, etsi velint in ecclesia sui ordinis conciones habere, ex bulla Clementis x. *Suprema*. Inst. eccl. 27. n. 7. In alienis vero ecclesiis licentia et benedictio episcopi etiam regularibus requiritur ex Tridentino sess. 5. c. 2. Ibid.

Interdici potest regularibus praedicatio etiam in suis ecclesiis facta eo tempore, quo episcopus per seipsum concionem habet etiam in alia ecclesia. De synod. dioec. l. 9. c. 17. n. 7.

Si vero episcopus coram se praedicare faciat, seu praedicationes etiam in sua ecclesia audiat pro consueto more adventus et quadragesimae, prohibere non potest regulares, ne eodem tempore in suis ecclesiis praedicent. Nequeunt vero prohibente episcopo praedicare eo tempore, quo episcopus ex publica causa convocatis clero, magistratu, et populo coram se praedicari facit, quod ex Clementina *Dudum de sepulturis* eruitur. De syn. dioec. l. 9 c. 17. n. 7.

Concionem proprii parochi, quam in parochiali ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, praecipiente licet tridentino, cuius sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. De synodo dioecesana lib. 11. cap. 14. n. 15.

Concionatores si per scurrilitatem *Verbum Dei, veluti in scenam adducant, non levem culpam* admittunt, *sed grande piaculum*, ita ex verbis encyclicae s. c. conc. sub Innoc. XI. datae 6. iul. 1680. Inst. eccl. 27. n. 15.

CONCURSUS. In concursu ad parochialem, si collatio pertinet ad episcopum, iudicium de digniori ex approbatis ab examinatoribus pertinet ad illum, si vero beneficium sit patronatus ecclesiastici, tunc praelatio ad patronum spectat. Si patronatus sit laicus, ab examinatoribus deputatis approbandum, sed sine concursu, patronus debet eligere. Si tamen in patronatu laicali plures sint patroni, et a singulis suus praesentetur; ita ut singuli non habeant ius prae alio, tunc concursus instituendus est, et ad epi-

scopum pertinet praeelectio inter approbatos, ut ex decreto s. c. apud Barbosam. De syn. dioec. l. 4. c. 8. num. 8. et 9.

Sede vacante in concursibus electio est vicarii capitularis, nam ad illum tota iurisdictio capituli devolvitur. n. 10.

In concursu examinatores tenentur iudices esse non tantum doctrinae, sed et caeterarum dotum, quae necessariae sunt ad parochiale officium. Ita pontifex in bulla *Cum illud*. In concursu habendo haec servanda. Ib.

Habita notitia vacationis ecclesiae, episcopus vicarium deputet cum emolumento eius arbitrio assignando.

Episcopus publicet edictum concursus, praefinito tempore eius habendi, intra quod tempus concurrentes deferant personae ab episcopo deputandae suarum qualitatum, meritorum, et munerum documenta sincera, sive iudicialia; quae eo tempore elapso nequaquam recipiantur.

Die ad concursum indicta, summa eorum documentorum a cancellario episcopali confecta tradatur illi, qui concursui praeest, et singillatim omnibus examinatoribus. Tum habeatur concursus assignatis singulis concurrentibus iisdem quaestionibus, eodemque evangelii textu, super quo sermonis aliquid concurrentes praescribant. Haec omnia dictentur omnibus eodem pariter tempore, et in eodem conclavi clausis: assigneturque omnibus congruum tempus ad respondendum. Responsa sua quisque manu scribat sermone latino, suaque itidem manu subscribat. Sermo ad populum habendus vernacula lingua scribatur. Responsa demum ipsa subscribat tum cancellarius concursus, tum superior, qui praeest, ac demum examinatores singuli.

Tenentur etiam ab examinatoribus explorari concurrentes, qua peritia polleant in lingua latina, tradendo illis explicandum aliquid sive de sanctis patribus, sive de concilio tridentino, aut catechismo romano, quod oretenus fieri potest.

Responsa ita subscripta etiam ab examinatoribus, qui pauciores tribus esse non possunt, una cum notula compendiaria requisitorum tradantur cancellario custodienda, penes acta secreta nemini ostendenda.

Si quis appellandum duxerit a mala relatione examinatorum, vel irrationabili iudicio episcopi, coram iudice appellationis acta integra concursus introducantur, qui illis visis, nec aliter quam ex illis sententiam suam ferat tam respectu doctrinae, quam morum.

Si in casu dictae appellationis episcopus censeat significandum iudici appellationis secretam causam, ob quam motus fuerit ad alium eligendum, poterit sub secreti lege illam iudici etiam per literas significare.

Quod si episcopo suspecta sit fides iudicis de secreto illo prodendo, literis suis eadem deferat s. c. concilii praefecto.

Iudex appellationis, quando appellatio fit a malo iudicio episcopi, seu mala relatione examinatorum, cognoscere debet non solum de doctrina, sed etiam de caeteris dotibus electi ab episcopo.

Si iudicis appellationis sententia conformis sit electioni episcopali, tunc ab appellatione ulteriori cessandum est. Secus vero si acciderit, licet praeelecto episcopali secundo et tertio appellare. Demum cui duae conformes assistunt sententiae, ille victor habeatur.

Si vero beneficium curatum, dignitas et canonicatus a sede apostolica conferendum sit, tunc concursus non expectata ulla pontificis venia, ab episcopo indicatur. At si beneficium curatum sit, et reservatum sit tantummodo ratione mensium, episcopus eligat magis idoneum, et illum Datariae significet, cui acta concursus, nisi requirantur, non tenetur transferre. Vicissim transferat illa, et suspendat a ferendo iudicio, si reservatio ex alio quovis capite sit. Licebit tamen episcopo denuntiare illum, quem credit magis idoneum fore beneficio, sicut et si alicui occulta aliqua causa obsit, ne beneficium obtineat. Ibid.

CONFESSARIUS. Confessarii temere interrogantes poenitentes suos de socio criminis, alioquin denegantes absolutionem, suspensionis ab officio censuram sententiae ferendae incurrunt, peccant graviter, et sunt denuntiandi, si agnosci possit, illos hanc sibi praxim tamquam licitam statuisse. Sicut etiam denuntiandi sunt, qui id licere docent. Ita Bened. XIV. in constitutio-

ne *aa eradicandum*, etc. Ibi etiam additur, poenitentes illos, quos ad prodendum nomina complicum confessarius adegerit, non teneri ad denuntiandum eosdem confessarios, id agentes ex quadam imprudentia ac simplicitate, quique eidem praxi addicti ex circumstantiis agnosci non possint.

Confessarii poenitentes suos ad turpia sollicitantes denuntiandi sunt ab eodem poenitente, quae denunciatio fieri debet, etiamsi confessarius sit simplex sacerdos, et iurisdictione careat;

Etiamsi pariter sollicitationi ipse poenitens non consenserit;

Etiamsi post ipsam sollicitationem tempus longum iam effluxerit;

Etiamsi sollicitatio fiat a confessario non pro se sed pro alio.

Confessarii caveant, ne poenitentes, quos noverint ab alio sollicitatos, absolvant, nisi prius, sive denuntiationem fecerint, vel saltem promiserint se denuntiaturos quamprimum poterunt. Ita in bulla *Sacramentum poenitentiae.*

Confessarius caret omni auctoritate et iurisdictione absolvendi socium criminis turpis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; et si nihilominus ausus fuerit absolutionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommunicationem summo pontifici reservatam; quae absolutio socii criminis neve in ipso iubilaeo, vel privilegio bullae *Cruciatae* impendi valet. Ibid.

In mortis vero articulo si adsit quicumque alius sacerdos, qui praesenti necessitati provideat, et confessarius socius criminis nihilominus poenitenti alias disposito impenderit absolutionem, absolutio quidem ipsa valet, at confessarius lethaliter peccat, et excommunicationem reservatam incurrit. Quare non potest id agere confessarius nisi cum necessitas urgeat mortis, nec adsit alius sacerdos saltem simplex, qui impertiri eamdem absolutionem possit; vel saltem nisi ipse non posset ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum, vel infamiam suam ad hoc, ut ipse se subtrahat, et alium, si fieri possit, substituat. Ita pontifex in declaratione prioris bullae *Sacramentum poenitentiae* nova sua bulla *Apostolici muneris.*

Iniungitur ordinariis, ut in approbatione confessariorum constitutionem Gregorii XV. et praesentem Bened. XIV. ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi et observari curent. Ita in bulla *Sacramentum poenitentiae.*

Confessarii absolutio data ignorantibus necessaria necessitate medii est invalida. Encyclica *Etsi minime.*

Si vero ignoret poenitens necessaria necessitate praecepti, et rite doleat de hac ignorantia, ac emendationem promittat, posse absolvi iudicat. Ib. §. 12.

Confessarius si audierit poenitentem, et non absolverit, requiraturque de attestatione confessionis in scriptis, debet illam concedere, non tamen umquam affirmare debet, se illum absolvisse, nec tunc pariter cum illum absolverit, nam alias, si de aliquo hoc attestatus fuisset, et de aliquo non, revelationis confessionis periculum subiret. Inst. Eccl. 45. num. 10.

Patres cappucini si adsint in loco, ubi nullus conventus seu hospitium sui ordinis existit, nullusque frater sui ordinis confessarius ibidem existit, possunt confessiones suas habere apud presbyterum saecularem confessarium approbatum ab ordinario loci, seu apud regularem approbatum a suo superiore regulari ad confessiones habendas, non obstante statuto suae religionis in contrarium. Bulla, *Quod communi.*

Confessarii regulares non tenentur adesse resolutioni casuum conscientiae, quae habetur coram episcopo pro tota dioecesi: tenentur tamen in suis monasteriis habere et interesse lectioni eorumdem casuum. Quae lectio habenda est in singulis monasteriis ex apostolico praescripto; cui si non interfuerint, potest episcopus illos cogere, ut intersint congregationi casuum conscientiae, quae habetur coram illo ex praescripto ss. canonum. Ita ex encyclica s. congregationis data die 29. maii ann. 1752. ubi pariter adest decretum alterum congregationis editum anno 1682., in quo id statuitur in favorem regularium etiam in iis monasteriis, in quibus non degunt XII. viri religiosi.

CONFESSIO. Nemo umquam quodcumque privilegium obtinens, audire potest confessiones saecularium absque

approbatione ordinarii, idque valet etiam pro confessionibus venialium et mortalium, quae alias clavibus subiecta sunt. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium bullae *Cruciatae* obtinuerunt, ut ex bulla Bened. XIII. Inst. Eccl. 86. n. 8.

Per confessionem factam cuilibet sacerdoti saeculari, vel regulari ab episcopo approbato satisfieri canoni *Omnis utriusque sexus* ex constitutionibus Clementis VIII. anno 1592. et Innocentii X. anno 1645., incipiens, *Exponi nobis*, constat. De syn. dioec. lib. 9. cap. 18. n. 4.

Etiam non commissa gravi culpa praeceptum annuae confessionis obligat, ut qui se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat, ut ex s. Th. in 4. sent. dist. 17. q. 3. Instit. eccles. 18. n. 4.

Parochus quamvis plerumque credere debeat parochiano suo asserenti, se confessionem peregisse, si tamen prudenter credere non possit asserenti; abstinere debet ab administranda eidem communione etiam paschali, ut ex Ronc. Instit. eccles. 45. n. 15.

Si poenitens tempore paschae absolutionem obtinuit, sed ex consilio confessarii admonetur, ut aliquo tempore abstineat a communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem, ut ex cap. *Omnis utriusque sexus*, de poenit. et remis. Ib. n. 16.

Possunt episcopi limitatam facultatem audiendi confessiones dare regularibus, etiamsi post examen idoneos illos repererint. Inst. eccl. 86. n. 9.

Quoad confessionem factam laico in necessitate dum non adest copia sacerdotis, de qua sermo fuit olim apud veteres theologos, et etiam apud s. Thomam, recte docet pontifex, neminem ex veteribus illis agnovisse, laicum esse verum ministrum huius sacramenti; sed eam confessionem testimonium esse animi demissi et humilitatis, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiorem gratiam, qua quis ad contritionem et iustificationem excitetur. Nihilo tamen secius hanc numquam fieri praestat, cum multis incommodis sit obnoxia. De syn. dioec. l. 7. cap. 16. per totum, ubi recte ex decreto Clementis VIII. illicita esse et invalida confessio facta sacerdoti absenti per internuntium notatur.

In locis, ubi rarissimi sunt sacerdotes, qui audiant confessiones, sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocris ut ex card. de Lugo. Inst. eccles. 86. n. 12.

CONFIRMATIO. Confirmationem sacramentum esse novae legis constat tum ex definitione Trid. sess. 7. can. 1. cum ex Actuum 8. illis verbis: *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Instit. eccl. 6. n. 3.

Sacramentum hoc conficitur impositione manuum episcopi, et prece. Quandonam illud instituerit Christus, qui unicus est auctor sacramentorum, incertum, num tunc cum imposuit manus capiti puerorum, Matth. 19., non instituerit tantum, non ministraverit: num in ultima coena, cum dixit apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum;* num tandem ipsa pentecostes die, ignoratur. Ib. n. 5.

Quamquam gratia prodigiorum, quam olim infundebat, modo cessavit, id non amplius exigente ecclesia, gratiae tamen sanctificantis donum modo pariter datur, s. Augustino teste, de bapt. l. 3. c 16. Quae tamen gratia sacramentum recipientibus amoto peccati obice confertur, ut sit potius gratiae praecedentis augmentum. Producit etiam robur et firmitatem quamdam spiritualium virium, quibus diabolo resistimus. Ib. n. 7.

Tandem characterem imprimit indelebilem, quo datur potestas quaedam spiritualis in ordine ad aliqua gerenda, quae a perfectioribus agenda sunt. Ex quo fit, ut reiterari non potest. Ib. num. 7.

Necessitatem quam vocant absolutam huius sacramenti recipiendi nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re, vel in voto plane necessarium est necessitate praecepti, et quidem divini, tempore persecutionis. Neque parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi a lethali culpa si non instent, ut subiecti sibi parochiani, et quos habent subiectos, confirmationem ab episcopo parato recipiant. Ibid. n. 9. et 10.

Quoad aetatem chrismandorum, ex regula ordinaria conferendum est hoc

sacramentum pueris post septennium; sed in aliquo extraordinario casu iusta urgente causa, non vetatur, quin possit etiam ante eam aetatem ministrari. Iustam causam adesse constat, si facilis ad pueros illos in posterum non sit futurus episcopi accessus etc. Ita in bulla pro cophtis *Anno vertente*, et de synod. dioec. l. 7. cap. 10. n. 5.

Confirmationis minister ordinarius est episcopus, extraordinarius vero de pontificis mandato sacerdos quilibet esse potest, quod hodie certum est, licet olim doctores quidam dubitaverint. De syn. dioec. l. 7. cap. 7. per totum. Utitur tamen simplex sacerdos chrismate ab episcopo benedicto, quamquam probabilis est eorum opinio, qui tenent, chrisma illud ex commissione summi pontificis benedici a simplici presbytero posse, nec desunt, rara quidem, exempla. Ibid. c. 8. per totum. Caeterum tenendum est, irritam fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam; nam romanus pontifex ex consuetudine in tota ecclesia latina iamdiu recepta tacite sibi hanc facultatem reservasse censendus est. Haec etiam reservatio, utpote iurisdictionem restringens, valet utique ad hoc, ut episcopus iurisdictione ad delegandum careat. Ib. c. 8. n. 7.

Confirmationis sacramentum cum oleo et chrismate etiam veteri, si novum haberi non possit, sed tamen a catholico antistite benedictis, conferri a p. guardiano s. sepulchri ordinis minorum de observantia, si defuerit episcopus latini ritus in sua dioecesi residens, conceditur a pontifice suo Brevi incipiente, *Cum ad infrascriptam*. Id tamen personale esse privilegium datum guardiano petenti constat. Exstat bulla in bull.

Idem etiam concessum est a s. congr. et confirmatum a Bened. XIV. in sua constitutione *Anno vertente* praefecto missionum Aegypti, donec aliquis catholicus episcopus in Aegypto habeatur.

Confirmatio a graecis sacerdotibus collata in locis graecorum, in quibus mos iste non est expresse improbatus a sede apostolica, valere censenda est ex consensu tacito romani pontificis. De syn. dioeces. l. 7. cap. 9. et constit. pro cophtis catholicis, quae constitutio incipit *Anno vertente*. In qua tamen monentur chrisma illud benedicendum esse ab episcopo.

Animi dispositiones ad digne recipiendum hoc sacramentum sunt status gratiae, quae in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per sacramentum poenitentiae. Inst. eccl. 6. n. 11.

Corporis dispositiones, non tamen necessario praemittendae, sunt plerumque confirmandi, et confirmantis ieiunium, quod consulit pontificale romanum. Ib. n. 12.

Patrinus unicus assistere debet confirmando, mas maribus, foemina foeminis, qui etiam patrini debent esse confirmati. Ib. n. 13.

Mares seorsum a foeminis accedere par esset, ut honestius res perageretur, ut ex concilio mediolanensi. Ibid. n. 13. Porro patrinus manum suam dexteram dextero humero chrismandi imponat. Ib. n. 16.

Tempore pestis, eo morbo affectis non tenetur episcopus hoc sacramentum ministrare, cum sacramentum hoc non sit absolutae necessitatis. De syn. dioec. l. 13. c. 19. n. 6.

In confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante penicillo, nec sane valeret sic collata; cum ex consensu fere omnium theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impositio, quae certe non fieret cum alio medio, quam pollice vel manu, confirmandi frons oleo liniretur. De syn. dioec. l. 13. c. 19. n. 15.

CONFRATERNITATES LAICORUM.

Duae confraternitates eiusdem instituti in uno eodemque loco esse non possunt ex bulla 105. Clementis VIII. Cum tamen amplior est civitas vel populus frequens, binae tolerantur. Inst. eccl. 105. n. 86.

Si confraternitas sit erecta in ecclesiis regularium exemptorum, subest tamen iurisdictioni et visitationi episcopi, cui ius est etiam visitare eorum capellas ibidem positas, in iis tamen, *quae confraternitatum gubernationem respiciunt*. Etsi confratribus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum; sicut et ornamenta altaris, onera missarum et divinorum officiorum ibidem celebrationem, etc. Ita ex resolutione sacr. congr. Ib. n. 88.

Confraternitates laicorum nequeunt aggregationem petere ab archiconfraternitatibus romanis, nisi praevia approbatione ordinarii loci seu episcopi, cum interventu duorum de capitulo. Ita ex constit. 115. Clem. VIII. additis decretis sacr. congr. Ib. n. 89. Aggregatarum vero administratores rationem episcopo reddere tenentur, ut ex eodem sacr. congr. concilii decreto. Ib.

Haec omnia valent etiam pro confraternitatibus aggregatis capitulo s. Ioannis lateranensis, sicut etiam pro illis qui fundatae iam sese eidem basilicae annui tributi solutione submittunt; ut saepe decisum est. Ib. n. 90.

In solo vero lateranensis fundatae ecclesiae vel oratorii ex bulla 19. Sixti V. non subsunt iurisdictioni ordinariae episcopi; sed, ut firmat rota, utitur iure delegato concesso illi a Trid. sess. 6. c. 4., sess. 24. c. 3. *de ref.*, vi cuius potest per se et per alium eas visitare, ut etiam probat decretum sacrae congr. Ib. n. 90.

Confraternitates laicorum in ecclesiis parochialibus erectae dependent a parocho in functionibus ecclesiasticis non parochialibus, ut ex decreto s. c. rituum die 12. ianuar. 1704. Ib. n. 93. Quare eaedem confraternitates erectae in capellis vel oratoriis annexis parochialibus ecclesiis, et ab eis dependentibus eamdem a parocho dependentiam habent, ex eodem decreto. Ib.

Erectae tamen in ecclesiis publicis seu privatis, ab ecclesiis parochialibus seiunctis, ab ea dependentia eximuntur, ut ex eodem decreto. Ib.

Quare benedictiones et distributiones candelarum, cum non sint de iuribus mere parochialibus, sicut etiam benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis (quae tamen ambo fieri debent a parocho) ignis, seminis, ovorum et similium, functiones omnes hebdomadae sanctae, celebratio missae solemnis feria V. in coena Domini (quae tamen spectat ad parochos), pulsatio campanarum sabbato sancto (quae tamen spectat ad ecclesiam digniorem), celebratio missae solemnis in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii, expositio quadraginta horarum et benedictio quae fit super populo, expositio sacrarum reliquiarum vel imaginum, fieri possunt in oratoriis confraternitatum, etiam parocho respectivo contradicente, ut in eodem decreto. Ib.

Insuper in iisdem privatis confraternitatum oratoriis cantari possunt absque licentia parochi horae canonicae, ex eodem. Ib.

In oratoriis eorum privatis licita est celebratio missae privatae assentiente ordinario tantum.

Earum capellani non possunt populo denuntiare festivitates et vigilias contradicente parocho, ex eodem. Ib.

Nequeunt parochi invitis confratribus in eorum oratoriis a parochiali separatis docere doctrinam christianam, ex eodem. Ib.

In eorum ecclesiis publicis haberi possunt etiam negante parocho conciones per totam quadragesimam et adventum publicae ex eodem. Ib.

Vicissim non potest in dictis ecclesiis, nisi aliter disponente episcopo, celebrari seu cantari missa ante parochialem, ex eodem. Ib.

Ad parochum tamen spectat officium funebre facere super cadaveribus sepeliendis in supradictis ecclesiis, quando tamen defunctus tumulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est ecclesia illa.

In processionibus confraternitatum extra ambitum suae ecclesiae (quae tamen fieri non possunt absque licentia seu episcopi seu parochorum illorum, per quorum territorium transeundum est) capellani illarum extra ecclesiam propriam stolam deferre non possunt, ex eodem. Ib.

Accedenti episcopo ad ecclesias earum publicas, quae non sunt regularium, neque proprium rectorem beneficiatum habent, aspersorium a parocho exhibendum non est, ex eodem. Ib.

Ex solo iure parochiali cessante aliquo titulo non potest parochus capellanos illarum cogere ad assistendum functionibus ecclesiae parochialis, ex eodem. Ib.

Absque indulto apostolico non licet in dictis ecclesiis, quae non sint parochiales, neque regularium, retineri ss. eucharistiae sacramentum; neque si ea facultas adsit, absque ordinarii licentia potest ibidem dictum sacramentum publice exponi. Ex eodem. Ib.

Parochus nequit se ingerere admi-

nistrationi oblationum vel eleemosynarum in dictis ecclesiis collectarum, neque retinere clavem capsulae pro illis recipiendis expositae. Ex eod. ibid.

Dummodo non impediant functiones et divina officia, possunt confraternitates etiam erectae in ecclesia parochiali pro libito congregari absque licentia et praesentia parochi, sicut et possunt propria bona administrare, et de illis disponere independenter ab illo. Ex eodem. Ib.

Non potest parochus tamquam delegatus ordinarii, assistens earum congregationibus, suffragium decisivum ferre. Ex eodem. Ib.

Plura tamen ex his, quae exigere a confratribus parochus nequit, possunt fieri de mandato episcopi, ut in peculiaribus rerum eventibus saepe decisum est a s. congregatione. Ib. n. 98.

Confratres non possunt quaestuare etiam per propriam ecclesiam, nisi de licentia ordinarii, ut ex decreto s. congregationis. Missas vero ex quaestibus illis collectas, celebrandas esse in eadem ecclesia, non vero in parochiali censuit s. congregatio concilii. Ibidem n. 132.

Inter confraternitates laicorum illa praecedit, quae est in possessione praecedenti; et cum nihil ea de re constet, praecedere illa debet, quae prius saccis induta est, ut ex constit. 84. Gregor. XIII. constat. Instit. eccl. 105. n. 84.

Sed in processionibus, in quibus defertur ss. eucharistia, confraternitas ss. sacramenti, si sacco induatur, praecedit caeteras, ut decisum in rota romana. Ibid. n. 85.

CONSECRATIO. Si parietes ecclesiae sint destructi, et a fundamentis iterum reaedificentur, ecclesia iam consecrata iterum consecranda est, ut ex titul. *de consecr. eccl. vel alt.* firmant canonistae. Inst. eccl. 67. n. 2. Officium vero recitari debet de priori consecratione, non de secunda. Ib. n. 6.

Altaris consecratio plane distincta est a consecratione ecclesiae, ut ex pontificali romano annotatur. Ib. n. 8.

CONSTITUTIO *UNIGENITUS*. Publicis refractariis adversus constitutionem *Unigenitus* denegandum est ss. viaticum. Publici autem censentur qui per iudicis sententiam declarati sunt, quod debitam eidem constitutioni venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint. Ut pariter illi qui huiusmodi contumaciae reos se iudici confessi sunt; sicut etiam qui sacrum viaticum suscepturi inobedientiam suam et contumaciam adversus eam constitutionem profitentur. Denique qui aliquid evidenter commisisse noscuntur manifeste oppositum eidem venerationi, idque vulgo ita cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Haec autem notoria certitudo non adest in casibus in quibus crimen nititur coniecturis, praesumptionibus incertisque vocibus. Igitur hi qui habent adversam hanc famam postremo loco expressam num sacro viatico reficiendi sint? haec habeantur prae oculis: primo quaerat parochus seu minister sacramenti, num moriturus paschali tempore acceperit communionem a parocho ubi degebat; huic certe non est denegandum viaticum si publice petat, nisi forte inter tempus paschale, quo communionem recepit, et tempus, quo viaticum poscit, aliquid commisisse noscatur quo publici peccatoris notam contraxerit.

Si vero validae adversus aegrotum, praesumptiones et indicia urgent, tunc s. communionis minister debet aegrotum, remotis arbitris, alloqui et ostendere illi indicia, quae suspectum ipsum reddunt, rogans eum ut resipiscat, ac demonstrans se quidem paratum esse illi sacrum viaticum ministrare, et velle pro sua pietate ipsius infamiam praecavere, et idcirco eum a sacra mensa non repellere, quamvis ipsum peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in suo tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscere. Ita Benedictus XIV. in sua bulla *Ex omnibus christiani orbis*, *etc.*

CONSUETUDO. Consuetudo rationabilis, et legitime praescripta, abrogat omnem legem humanam etiam canonicam ex textu in cap. *final. de consuet.*; nefas est tamen episcopo iuxta consuetudinem dioecesis suae contra canones legem condere; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia superioris legislatoris. Nimiae autem esset arrogantiae, si episcopus legem conderet contra legem superioris. De synod. dioeces. l. 12. c. 8. n. 8.

CONTRACTUS. Contractus trium con-

tractuum, qui a multis defenditur, ab aliis improbatur, a pontifice praecise non improbatur, sed facultatem permittit episcopis, ut in suis syn. dehortentur subditos suos ab eo exercendo. De synod. dioeces. l. 10. toto capite 7.

Contractus *collatici* is est, quo bos terram arans traditur bubulco, qui solvit domino bovis certam portionem frumenti, lege hac adiecta, ut si bos naturaliter moriatur, damnum sit domino et bubulco commune. Si vero pereat culpa bubulci, is totum damnum subeat. Hic contractus approbatus est a theologis, nonnullis adiectis conditionibus, quae probatae fuerunt a s. c. concilii die 6. dec. 1730. synod. dioec. l. 10. cap. 8. n. 2.

Contractus venditionis cum pacto francandi est, cum Titius vendit Sempronio praedium suum cum pacto redimendi rem venditam; praedium tamen retinet tamquam conductor, et pro conductione mercedem solvit, donec idem Titius sibi illud praedium redimat. In hoc contractu poenitens emptor a confessario interrogandus est, num reipsa animum sincerum habuerit emendi; similiter, et venditor interrogandus est, num ab emente pecuniam mutuam petierit, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi. In utroque enim illo casu subintelligitur usura adeoque illicitum iudicandum est; secus vero non. De synod. dioec. l. 10. cap. 8. n. 3. et 5.

CRUX. Crux eminens inter candelabra statuenda est in altari ubi missa celebratur, nec sufficit crux nuda, sed requiritur cum crucifixi figura. Nec decet, ut parva crux apponatur, ut non ita facile occurrat oculis celebrantis, quare in encyclica sua ad ordinarios ditionis ecclesiasticae mandat pontifex, ut amoveantur cruces istae parvulae. Bull. *Accepimus praestantium.*

Num vero apponenda sit crux de more etiam cum exposita est adorationi sacra eucharistia, congregatio sacrorum rituum consulta semel mandavit apponi: iterum vero causa reproposita die 2. septemb. anno 1721., decrevit, ut quaelibet ecclesia consuetudinem suam retineret. Ibid.

Num etiam necessaria sit crux, si in tabula altaris primam imaginem exhibet crucifixus, sacra congregatio censuit hanc sufficere. Ibid.

Denique num committat peccatum grave celebrans in altari, a quo crux abest, communis sententia tenet id quidem nonnisi venialem culpam inducere. De sacr. miss. lib. 3. cap. 13. n. 1.

CULTUS. Cultus privatus impendi potest iis, qui nondum inter beatos vel sanctos adscripti sunt, non vero publicus, ut ex celebri decreto sub Urbano VIII. *Certum est*, quod confirmat Benedictus XIV. in sua bulla *Quamvis iusto*. Ex vi eiusdem decreti non potest titulus sancti vel beati illis adscribi, sicut nec potest missa solemnis de ss. Trinitate vel de sanctis omnibus in die eorum anniversaria celebrari, sicut nec eorum panegyricae conciones eadem die in ecclesia haberi; sicut ex vi eiusdem benedictinae constitutionis emortualem diem festum eorumdem *ritibus palam celebrare*, *atque in eorum laudem hymnos prosequi*, non tamen peculiari collecta in litania invocari. Ib.

DISPENSATIO. Dispensatio sacrae poenitentiariae cum diriguntur ad confessarium ex approbatis ab ordinario, executioni mandari debent a confessario approbato ab ordinario illius loci, in quo dispensatio illa praestari debet, nec valet si actu confessarius non sit, sicut nec si approbatus fuerit tantum pro maribus, et dispensatio petatur a foemina. Instit. eccles. 87. n. 31.

Cum dirigitur confessario magistro in theologia, vel decretorum doctori, requiritur laurea theologiae, vel iuris canonici in publica universitate; nec aperiri literae illae possunt a simplici regulari confessario, nisi tamen religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit. Ib. n. 11.

Si semel apertum fuerit breve poenitentiarii ab eo qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen vitiatur rescriptum, sed sufficit si alteri habenti requisita consignetur. Ib. n. 33.

Si semel electus fuerit executor, potest nihilominus ex probabili sententia variari quamquam non desint doctores, qui oppositum opinentur. Ib.

Executor certiorem se reddere debet de veritate causarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum interrogans, nisi alioquin

ipse eamdem veritatem rescisset; nec tenetur illum sub iuramento interrogare, ut est communis doctorum sententia. Ib. n. 34.

Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex praecedentibus dispensandi confessionibus, ut ex Sanchez. Ib.

In eiusmodi dispensationis litteris mandatur executori, ut dispenset audita prius sacramentali confessione, et in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent. Ib. n. 35.

Cum poenitentia in litteris definitur, ea iniungenda est; si vero committatur arbitrio confessoris, non est illi liberum et ad arbitrium iniungere, sed ad prudentiae leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit. Ib. n. 37. 38.

Quoad clausulam *dummodo sit occultum*, censetur occultum si tantum septem, vel octo in civitate id resciant; in oppidis vero si quinque, vel sex, quam sententiam scriptores, qui mentem sacrae *Poenitentiariae* probe norunt, tuentur. Ib. n. 45.

Si vero occultum impedimentum fuerit in loco, ubi executioni mandanda dispensatio est; publicum vero in alio, ubi commissum est delictum, tutius tunc est executionem suspendere, et de hac novitate sacram poenitentiariam certiorem facere. Ib. n. 46.

Delictum olim publicum, nunc occultum, si a die commissi criminis decennium elapsum sit, ad hunc effectum censeri occultum iudicant periti earum theologi. Ib. n. 48.

Si quis rem vetitam praestiterit, sed publice credatur obtinuisse ad id facultatem, huius peccatum ad hunc effectum creditur occultum. Si vero commisisse delictum resciatur, sed ignoretur inde consurgere impedimentum, profecto occultum quoad hunc effectum non censetur. Ib. n. 48.

Clausula *dummodo occultum sit* exigit, ut nullo modo probari possit. Ib. num. 44.

Si delictum deductum sit ad forum contentiosum a s. poenitentiaria censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, et non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus, etc. adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum. Ib. n. 49.

Expressio causarum, earumque verificatio ad validitatem dispensationis pertinet. Bulla *Ad apostolicae servitutis*.

DOCTRINA CHRISTIANA. In ecclesiis ruralibus longe dissitis a parochiali decernunt episcopi, ut sacerdotes ibi sacris operantes populum doctrinam christianam doceant. Encyclica *Etsi minime*. Caveat tamen parochus ne nimium tribuat alienae operae, sed cum pueri ad sacramentum eucharistiae et confirmationis admittendi sunt, cum sponsi coniugium iungendi, per se illos tentet quid didicerint. Ib. n. 14.

Non est tolerandus mos in nonnullis dioecesibus obtinens, ut pueri unius paroeciae in alia paroecia doceantur doctrinam christianam, quemadmodum rescripsit s. c. conc. ad card. *Lambertinum* die 9. aug. 1732. instit. eccles. 9. n. 10.; sed singuli parochi erudire suos debent, vel saltem curare, ut in paroecia erudiantur, non tamen reprehendendi sunt illi, qui in ecclesiis suis, licet non sint parochis subiectae, fideles eo confluentes docent, dummodo exhibeant parochis nomina eorum, qui eas frequentant. Ib. n. 13.

Ludimagistri, tam conducti a communitate, quam non conducti, tam clerici, quam laici hortandi sunt prius, ut doceant suos christianam doctrinam, tum etiam cogendi; ex d. s. c. c. ad archiep. Spalat. die 17. iul. 1668. Ibid. num. 14.

Doctrinam christianam non omnes scire aequaliter necesse est; plura enim scitu sunt necessaria ecclesiasticis, quam laicis; plura adultis, quam pueris et puellis; plura valentibus ingenio, quam hebetibus. Instit. eccles. 72. Ib. n. 19.

Si quis non credat explicite ea, quae scitu necessaria sunt necessitate medii, multo probabilius est, illum nec valide absolutione potitum fuisse. Illicita est quidem certe in eo casu absolutio, nec potest confessarius tuto uti opposita huic sententia, et absolutionem illis, qui haec explicite ignoraverint, impertiri, ut ex propositione

damnata ab Innocentio XI. constat. Ib. n. 19.

Si quis vero ignoret ea, quae necessaria sunt necessitate praecepti, dummodo nunc doleat, et proponat emendationem, absolvi utique potest, ut ex theologis. Ib.

Parochi doceant pueros diebus saltem dominicis aliisque festis de praecepto doctrinam christianam, omni contraria consuetudine penitus sublata. Encycl. *Ubi primum*.

In bulla *Etsi minime*, monet pontifex ut confessarius fixum animo teneat ***invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur.***

DOS. Cum puellis, quae virgines non sunt, petuntque subsidia dotalia relicta virginibus, dispensat in occultis, et in foro conscientiae tantum maior poenitentiarius tam pro obtentis, quam pro obtinendis, quatenus tantum illae in posterum honeste vivant. Bulla *Pastor Bonus*, etc.

DUELLUM. *Bened.* XIV. *anno* 1752. *die IV. Idus novembris has propositiones ad duellum attinentes damnavit.*

I. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae, ac promeritae spe perpetuo carere deberet: culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes, vel ad illum provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

IV. Licitum est in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.

V. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus iustitia aperte denegatur.

Vetat pontifex in eadem bulla, ne easdem propositiones quis defendat, publice vel privatim, divisim, aut coniunctim, etiam disputandi gratia; alioquin incidat ipso facto in excommunicationem reservatam romano pontifici. Mandat, in virtute s. obedientiae, ne quis eas et ne unam quidem in praxim deducat.

Confirmat praecedentium romanorum pontificum constitutiones de duello, atque edicit, ut si quis in duello, sive publice sive privatim indicto hominem occiderit, sive ille obierit in loco conflictus, sive extra, ex vulnere in duello accepto, perinde habeatur ac homicida voluntarius, adeoque immunitate asyli non gaudeat, extrahi e loco sacro possit, data ab episcopo facultate quam illi pontifex impertitur. Addit, quod si adhuc vivat graviter vulneratus in duello, et percussor recurrerit ad asylum, ac merito timeatur futurum, ut si mors acciderit vulnerati, ille se proripiat, tunc si iudicio peritorum grave vitae periculum ex vulnere imminere censeatur, extrahatur ex asylo reus, praemisso decreto episcopi et cum assistentia clerici ab eodem episcopo deputati, et teneatur carceribus clausus, exacta tamen a iudice promissione, ut si forte vulneratus vitam proroget ultra tempus de homicidio praescriptum, restituat illum ecclesiae; alioquin incurrat poenas a Bened. XIII. in persimilibus casibus de homicidis loco sacro extractis, et non restitutis constitutas. Demum privationem sepulturae, quam incurrunt, duellantes in sanctione tridentini, declarat incurri etiam ante sententiam iudicis, si forte decedat etiam extra locum conflictus ex vulnere in duello publico vel privato accepto, etiamsi ante mortem certa signa poenitentiae dederit, et absolutionem a censuris obtinuerit, nec dispensari ea in re ab episcopis posse decernit.

ECCLESIA. In ecclesiis ruralibus parochiali proximioribus caveat episcopus, ne permittat, ut missa celebretur ante parochialem, encyclica *Etsi minime.*

Ecclesia parochialis si forte corruerit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire fabrica si adsit, sin minus tenetur parochus non quidem re-

ditibus suis patrimonialibus, sed ex reditibus beneficii, si ad suam sustentationem supersint; quamquam non supersint ad sustentationem propinquorum eiusdem parochi. Tertio loco qui habent beneficium ecclesiasticum in illa ecclesia. Quarto loco si paroecia est de iure patronatus, tenetur patronus suis sumptibus id agere; ita tamen, ut si infra praefixum ab episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat ius patronatus illud. Denique ultimo loco tenetur populus, et qui in ea paroecia habitant, etiamsi conducant domos alienas, et dominus illarum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. Ita ex canonistis. Instit. eccles. 100. per totam.

Ecclesia polluitur per homicidium voluntarium, c. *Proposuisti*, *de cons. eccl.* Si in ea magna vis humani sanguinis effundatur. Can. *ecclesiis, de cons. dist.* 1. Si sponte effundatur semen humanum, *sive effusio sit secundum naturam*, *sive contra*, *sive per copulam alias licitam*, *sive per illicitam; ex eodem textu*, *et cap. Si ecclesia, de cons. eccles.* Si excommunicatus vitandus in ea sepeliatur, c. *Consuluisti de cons. eccl.* Item si ibi sepeliatur ethnicus, can. *Ecclesiam*, *de consecr. dist.* 1. De sacrificio missae l. 3. c. 7. n. 4.

EPISCOPUS. Episcopi consecratio ab unone, vel a tribus fieri necessario debeat, ut valeat, quamquam sit quaestio inter theologos, cum tamen pontifices consueverint in locis, ubi desunt episcopi, ut ab uno tantum episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere; hinc videtur probabilior sententia asserens unicum episcopum sufficere. Solent tamen pontifices praecipere, ut episcopo consecranti adiungantur duo abbates, vel duo sacerdotes in dignitate ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis. De synodo dioecesana, lib. 13. cap. 13. num. 5. Ibi pariter decernitur valere consecrationem episcopi ab uno antistite, uno tantum adiecto presbytero, confectam, quin etsi nullus alius praeter consecrantem assistat. De syn. dioec. l. 13. c. 13. n. 9.

Pactiones initae a capitulo electore, et iuratae ab episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos electores procedere aut obsistere officialibus capituli, si quid egerint et decreverint: pactiones, inquam, illae si electionem praecedant, nullae omnino et irritae declarantur ab Innoc. XII. constitutione incipiente *Ecclesiae catholicae*. Quae vero subsequentur, illarum executionem suspendit, donec sedes apostolica iudicium de illis ferat. Ib. n. 17. Hae vero pactiones vetitae et irritae censentur, etiamsi fuerint honestae, ut ex dd. Ib. n. 19. Insuper adsunt ea de re litterae apostolicae Benedicti XIII. in forma Brevis legendae. Ibid. n. 23.

Episcopi suffraganei si decorentur pallio, in bullis tamen eius concessionis cavetur ne quid praeiudicii ex hoc inferatur eorum metropolitis, quin et vetantur illud ferre in praesentia archiepiscopi. De synod. dioec. lib. 13. cap. 15. n. 10.

Pallii honore non decorantur latini patriarchae titulares, quemadmodum nec archiepiscopi in partibus; cum enim pallio nemo uti possit extra provinciam suam, illi profecto alibi commorantur. Ibid. n. 17.

Episcopatuum resignationes, quas sibi permitti postulant episcopi, non admittuntur a congregatione consistoriali, nisi ex canonicis causis recensitis in cap. *Cum pridem*, *de renuntiat.*, quae tamen omnes ad id referuntur, ut clare constet ipsos plebis suae saluti prodesse amplius non posse. Ibid. cap. 16. n. 3.

Episcopi regulares si se abdicaverint episcopatu, tenentur claustra suae religionis repetere, nisi aliter commissum sit a s. pontifice... Ita Benedictus XIII, in sua bulla *Custodes*. Ibid. n. 4.

Causae resignationis non tam rigorose examinandae sunt in ordine ad cardinales episcopatum resignantes, dum volunt se conferre Romam, ut assistant romano pontifici. Ita ex Fagnano. Ibid. n. 5.

Episcopus translatus ex uno in alium episcopatum frui potest reditibus ecclesiae, a qua discedit, usque ad illum temporis articulum, quo a summo pontifice in consistorio a vinculo prioris ecclesiae absolvitur: ex tunc enim prior ecclesia vacare censetur, ut ex definitione congr. conc. per Urban. VIII. approbata. Ib. n. 7. Neque idem episco-

pus post absolutionem a vinculo, iure potest conferre beneficia, quae post idem tempus vacaverint, uti decisum in tribunalibus romanis. Ib. n. 9.

Interim tamen post pronuntiationem, scilicet pontificis in consistorio, quoadusque haec pronuntiatio innotuerit episcopo, remanet in eodem episcopo iurisdictio non quidem ad conferenda beneficia, sed ad dioecesim gubernandam necessaria, uti provisum est in eodem decreto, seu in brevi illud confirmante Urbani papae VIII. Ib. n. 10.

Si episcopus in manus paganorum, aut schismaticorum incidat, et fiat captivus, ecclesiae administratio transit in capitulum, quoadusque aliter disponat sedes apostolica, c. *Si episcopus*, *de supplen. neglig. praelat. in* 6., quae tamen vera sunt, si carcer episcopi sit adeo arctus, ut episcopum suum nequidem per litteras adire dioecesani valeant. Ib. n. 11.

Episcopis ex constitutione pontificis incipiente *Firmandis*, fas est in ecclesia parochiali a regularibus administrata in pastorali visitatione inspicere altare illud, in quo tabernaculum ss. eucharistiae tenetur, item fontem baptisterii, confessionale parochi, pulpitum e quo parochus ius habet annuntiandi verbum Dei, sacrarium, in quo servatur sacra supellex ad sacramenta ministranda, sepulcrum, coemeterium parochiae, turrim etiam campanariam, si adsint campanae ad parochiam spectantes, ac demum sacra vasa, in quibus particulae consecratae servantur, vel sacra olea baptismi et extremae unctionis; demum pilam aquae benedictae.

Episcopi quibus usque modo concessa est facultas impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, uti ea possunt non tantum ad certum tempus, quemadmodum limitatur in brevibus ab illis impetratis, sed quamdiu in dioecesi, cuius intuitu illam obtinuerint, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios sacerdotes quotquot iudicaverint opportunos, ut ipsi, episcopis impeditis, eamdem indulgentiam conferant. Subdelegati vero ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota dioecesi, vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi episcopus delegans obierit. Demum facultates istae deinceps concedentur perpetuae omnibus et singulis episcopis qui litteras ea de re petierint, quam etiam facultatem obtinebunt praelati inferiores, territorium separatum habentes cum vera qualitate *Nullius*, et activa iurisdictione in clerum et populum. Ita sancit pontifex sua constitutione, *Pia Mater*, edita anno 1747. nonis aprilis, in qua etiam ritum huius benedictionis praebet.

Episcopus in sua synodo non potest quidem definire quaestiones de fide, sed prohibere potest errores iam ab ecclesia proscriptos, ut ex Gonzalez in cap. *Vestra* deducitur. De syn. dioec. l. 6. c. 3. n. 7.

Episcopis in synodo fas est non quidem rem aliquam inter dd. controversam definire, sed praxim prohibere, uti ex. gr. non licet illis pronuntiare, utrum ieiunii essentia in abstinentia a carnibus tota consistat; sed etiam ante bullam Bened. XIV. ius illis fuit iniungere, ut qui dispensationem ad carnes diebus ieiunii edendas obtinuerant, unicam comestionem servarent. De synod. dioec. l. 7. c. 3. n. 1.

Episcopo ex epikia fas est aliquando, in iis praesertim, quae dilationem non patiuntur, nec de quibus facile summus pontifex consuli potest, circa ius commune relaxare, ut decisum a s. congreg. concilii refertur. De synodo dioecesana, lib. 12. cap. 8. n. 1. Id tamen nonnisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi dd. Ib. num. 2.

Ad dioecesanum episcopum pertinet ecclesias consecrare, eique fas est id muneris demandare alteri episcopo, minime vero presbytero etiam cum oleis ab ipso episcopo benedictis. Ita ex dd. De syn. dioecesana, l. 13. cap. 15. num. 2.

Consecratas insuper ecclesias, atque pollutas nemo praeter episcopum dioecesanum reconciliare potest, nec fas est id muneris demandare presbytero, quamquam cum aqua ab episcopo benedicta. Si tamen ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, facultas dari potest, ut per simplicem sacerdotem, adhibita tantum aqua lustrali, ecclesia polluta reconcilietur. Ib.

Episcopo curandum est, ut legata pia impleantur, quod praestare ipse potest, etiamsi prohibitus fuisset a testatore, ut ex cap. *Tua nobis de testam.*

Quod si testator executorem reliquerit sui legati, et ei in casu, quo segniter agat, alterum substituat, tunc episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam id exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus, tam in ultima voluntate factis, quam inter vivos, ut ex Trid. sess. 22. *de reform.* c. 8. valet etiam non solum pro episcopis, sed etiam pro praelatis inferioribus, habentibus territorium separatum, et iurisdictionem quasi episcopalem. De syn. dioec. l. 13. c. ult. n. 1. et 2. Valet etiam pro vicario capitulari sede vacante, ut de legato de missis statuit s. c. Ibid. n. 2.

Fabrica s. Petri in Vaticano in locis suae auctoritati subiectis (non enim sunt omnia) non se immiscet iurisdictioni episcoporum in ordine ad legata pia, et missarum onera, nisi post annum ab obitu testatoris; quo anno elapso piarum voluntatum executioni se immiscet, etiamsi iudicium coeptum ab episcopo terminatum non fuerit, ut ex dd. constat. De synodo dioecesana, l. 13. cap. ult. n. 3.

Non licet episcopo a dioecesi per tres menses abesse pro libito aut quacumque ex causa; sed causa sit vere aequa, simulque provideatur, ne gregi ex hoc detrimentum obveniat. Encycl. *Ubi primum.*

EUCHARISTIA. De frequentia ss. communionis, quibus concedenda sit quotidiana, quibus aliquanto rarius nihil innovandum supra decr. Inn. XI. 12. febr. 1679. omnia scilicet referenda esse docti et prudentis confessarii iudicio. Inferri tamen ex eodem decreto licet, frequentem accessum denegandum esse iis, qui in gravia peccata saepe labuntur, nec de emendatione sunt solliciti, sicut nec tam saepe iis, quorum cum voluntas sit a gravibus aversa, venialibus tamen tenacius inhaerent. De synod. dioec. l. 7. cap. 12. n. 9.

Eucharistiam una tantum die paschatis resurrectionis distribuere saecularibus vetitum est regularibus in suis ecclesiis; caeteris vero paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem. Ita in Trid. de synodo dioecesana, l. 11. cap. 14. n. 5.

Paschale tempus intra cuius spatium satisfieri potest praecepto, ab Eugenio IV. sua constitutione *Fide digna*, definitum est, a dominica palmarum usque ad dominicam in albis, nec licet episcopo, etiam in synodo, tempus istud latius prorogare. De synodo dioecesana, lib. 12. cap. 6. n. 10.

Paschali praecepto de eucharistia sumenda in parochiali ecclesia non satisfit recipiendo illam in ecclesia metropolitana, ut ex decretis s. congreg. firmat de Lugo. Resp. moral. l. 1. dub. 15. Ita inst. eccles. 18. n. 12.

Qui praecepto paschali de eucharistia sumenda non satisfecit tempore apto, etiam post illud tenetur, et cogi potest poenis ad eucharistiam sumendam. Inst. eccles. 45. n. 15.

Famuli et famulae saeculares inservientes monasteriis regularium utriusque sexus, etiamsi habitent in atriis monasteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem paschalem in ecclesia parochiali, intra cuius fines situm est monasterium, recipere; ut ex decreto s. c. saepius decisum est; neque enim habitationes illae sunt intra septa ac domos monasteriorum, quod requiritur a Trid. ut famuli eximantur a paroecia. Inst. eccles. 55. n. 7. et 8.

Sacerdotes missam celebrantes non tenentur praecepto paschali satisfacere in sua paroecia; si tamen raro intra annum celebrant, nec volunt, seu possunt celebrare missam in paschate, tenentur tunc communicare in paroecia. Ibid.

Peccatori occulto publice eucharistiam petenti non est deneganda, cum ius naturale ad famam id expostulet. De synod. dioeces. lib. 7. cap. 11. n. 4.

Occulte vero petenti et noto sacerdoti aliunde, quam ex confessione, tuto negatur. Si vero pariter aliunde et simul etiam ex confessione sciat, exprimere debet sacerdos, se habere eius peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit: si vero noverit rem tantum ex confessione, perinde se gerat, ac si nesciverit, cum id exigat arctissimum confessionis sigillum. Inst. eccl. 89. n. 2.

Publicus peccator publice petens re-

pellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus est a iudice, sed etiam qui per evidentiam facti, quae nulla possit tergiversatione celari, talis habetur. Ib. n. 8. et de sacrif. miss. l. 3. c. 20. n. 4. Eucharistiae sumptionem praecedere debet ieiunium naturale a media nocte praecedenti coeptum. Nec refert si post cibum sumptum ante mediam noctem nullus somnus captus sit, nec cibus concoctus ante sacram communionem. Porro ieiunium istud frangitur etiam parvitate materiae; quare nec ablutio sumpta post celebratam missam admittenda ab eo est, cui eo die alias missas celebrare permittitur, uti die Nativitatis Domini, quo in casu, nec licet celebrare et ad dandum aegroto viaticum; nam praeceptum viatici obligat quando conferri potest iuxta ritum ecclesiae. Reliquiae tamen cibi in ore remanentes, si deglutiantur, non frangunt ieiunium naturale; ut ex rubrica missalis constat. Vicissim si quis antequam somno se dederit parum sacchari in os induxerit, quod paulatim liquescens in stomachum delabatur, id utique ieiunium istud frangit. Tandem si quis ore gustaret vinum, vel condimentum ad saporem explorandum, et statim expueret, haec non esset fractio ieiunii. De miss. sacrif. l. 3. toto c. 12.

In dubio, num quis fregerit ieiunium, disputant theologi, apud quos varii casus distinguuntur, praestaret tamen abstinere a percipienda communione. Ibid. n. 7.

Sacerdos extra missam eucharistiam suscepturus stolam e collo suspensam habere debet, uti praecipit rituale romanum. Potest vero seipsum suis manibus communicare si absit scandalum, et suppetat causa, quae perceptionem sacramenti exigat, nec alius sacerdos praesto sit. Causa vero est solemnis aliqua festivitas. De sacr. miss. l. 3. c. 17. n. 10.

In missis defunctorum eucharistiam fidelibus administrare non est vetitum, cum decr. s. c. rit. id prohibens modo non amplius exhibeatur illud poscentibus, et docti rituum scriptores admittant, administrari tuto posse in quacumque demum missa, nullo facto discrimine inter formas in eadem missa consecratas, et reliquias quae in tabernaculo asservantur. Ib. c. 18. n. 12.

Nocte natalis Domini ex decretis s. r. c. vetitum est ministrare in missa sacram communionem fidelibus adstantibus; quia nec sacerdos eadem nocte alias duas missas celebrare permittitur. Ibid. n. 13.

Feria VI. in parasceve, et sabbato sancto nullus, nisi ad viaticum, est communicandus, ut ex consuetudine omnium ecclesiarum certum est. Ibid. n. 14.

Sacerdos in peccato mortali ministrans eucharistiam, graviter offendit in reverentiam tanti sacramenti. Ex quo fit, ut qui recipit ab illo sacramentum scienter, peccato eius communicet, quae est animadversio s. Th. Ibid. c. 19. n. 2. Ex quo infertur peccare illum graviter, qui sacramentum suscipit a sacerdote schismatico, vel excommunicato, ex eo, quod eius peccato communicet. Ibid. n. 3.

An unico peccato peccet sacerdos, qui lethali peccato infectus pluribus sacramentum eucharistiae administrat disserunt inter se dd.; alii enim unicum agnoscunt, quando per continuatam actionem pluribus ministrat, alii totidem peccata multiplicant, quot sunt fideles. Ib. n. 3.

Non licet uni ex fidelibus plures particulas, vel maioris moduli hostiam praebere, quod vetuit s. c. conc. decr. approbato ab Innoc. XI. die 12. febr. 1679. Ibid.

Peccatori parato recipere in peccato sacramentum non licet offerre hostiam non consecratam pro consecrata ob periculum idololatriae, tum respectu suscipientis, tum adstantium. Ib. c. 20. n. 4.

Purgatio, quae olim fiebat per eucharistiam, qua sacerdos fideli communicaturo denuntiabat, corpus Christi futurum illi ad probationem, licet forte non contineat tentationem Dei, ut non male ratiocinatur Vasquez; hodie tamen cum abrogata fuerit per text. ex cap. *Ex tuarrum;* in usum revocari non potest. De sacrif. miss. l. 3. c. 20. n. 3.

Consuetudo eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit neque probatur, neque refellitur; sed ubi invaluit contraria, utique retinenda est, aliquid tamen temporis interponendum est inter communionem et

mortem, quo species eucharisticae consumantur. De sacr. miss. l. 3. c. 2. n. 6

Si alicuius sacerdotis negligentia aliquid eucharistiae in terram deciderit, rubricae missalis servandae sunt; quamquam fatendum est, canonicas poenas absolevisse. Si vero fragmentum aliquod in foeminae pectus deciderit, praestat ut foemina suis ipsa manibus levatum in os iniiciat. Ib. n. 7.

Parochus eucharistiam deferens, vel cadaver associans, si impeditus sit, quominus eat per viam publicam, ius habet transeundi per agrum alienum, nec impediri potest a domino, id enim iure communi concessum est cuilibet de populo. Inst. eccles. 89. n. 2.

Si quis sacerdos aegrotus viaticum suscipere vellet manibus suis, atque in os suum inferre non renuente sacerdote, damnari non mereretur. De synod. dioec. l. 13. c. 19. n. 27.

Si quis episcopus vetet, ne in missa in hoc vel illo altari celebranda eucharistia adstantibus ministretur, parendum illi est, nec turbae ciendae. Encyclica die 12. nov. anno 1742., et de sacrif. miss. lib. 12. cap. 22. n. 17.

· Si quis surripiat hostiam, vel particulas ex tabernaculo, vel e sacra pixide, vel ex ostensorio, et extractum asportet, id sufficere censetur pro asserendo furto hostiae consecratae, quare reo competet demonstrare non esse consecratas. Ita in bulla *Ab augustissimo*.

Eo ipso autem, quod quis id sacrilegii egerit, praesumitur uti voluisse ad malum finem; quae pariter praesumptio valet contra eum, qui in actu communionis, vel post illum, e suo vel alieno ore extractam particulam asportaverit. Ibid.

Rei huius sacrilegii etiam pro prima vice tradendi sunt brachio saeculari, praecedente in ecclesiasticis degradatione reali. Ibid.

Si quis mane sumpserit eucharistiam, vesperi vero decidat in lethalem morbum, integrum erit parocho, si vel illum denuo communicet eadem die, sive abstineat, nec potest ab episcopo ad utrumlibet adigi. De syn. dioec. c. 11. l. 7. n. 2.

Quoad eucharistiam pueris administrandam, recte admonet pontifex non eamdem desiderari aetatem in pueris in mortis articulo versantibus, quae in iis qui recte valent. In morituris iudicio parochi permittendum est, qui diligenti examine investiget, num tanta polleant perspicacia, ut Christum sub speciebus sacramentalibus firmiter credant et adorent. De syn. dioec. l. 7. c. 12. n. 3.

Recte valentes potiri debent maiori iudicii firmitate, ut debita religione et reverentia ad sacramentum accedant; quae plerumque firmitas advenire solet annum decimum inter et decimum quartum aetatis. Ib. n. 2.

Extreme aegrotantibus, eodem periculo mortis diutius perseverante, potest, et debet semel, iterum, tertio viaticum conferri, petente maxime aegroto; sed quoties et quantum temporis intercedere necesse sit inter unam et alteram communionem, nihil definiendum pontifex censet. De syn. dioec. lib. 7. c. 12. n. 4.

Eucharistiam in oratoriis privatis administrare, quamvis multi vetitum non esse credant; tamen consonans praxis, quae Romae obtinet, vetat in dioecesi bononiensi. Inst. eccl. 34. n. 12.

Sacerdotes omnes cuiuscumque sint collegiatae tenentur feria V. in coena Domini sacramentum ss. eucharistiae recipere e manibus celebrantis, ut dicunt decreta plura s. c. ap. Bissum *verb. communio*, n. 383. Inst. eccl. 38, n. 10.

EUNUCHUS. Nemo abscissionem potest in se permittere, nisi de consilio medici ad servandam vitam; et quamquam theologi quidam admittant, ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in ecclesia canat, atque inde victum sibi honestum procurare possit, adhuc tamen theologorum id negantium opinio communis obtinuit. Disputant vero canonistae, num ex vi cap. *Significavit*, sub titulo *de corpore vitiato,* sacerdos qui id in se commiserit, possit munus diaconi, aut subdiaconi in missa exercere: certum est, vi eiusdem cap. sacerdotem illum posse benedicere, sacramenta baptismi, poenitentiae, ac extremae unctionis administrare de licentia episcopi: constat tamen eunuchum huiusmodi incurrere notam irregularitatis, nec episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se evirandi. De syn. dioec. l. 11. c. 7. n. 4. et 5.

EXAMINATORES. Examinatores, si in synodo fuerint designati tantum nomine officii, ut sunt ex. gr. prior s. Dominici, non ex hoc intelligitur, quod successor in eodem munere habendus sit ut examinator synodalis, nam est electa industria personae. De synod. dioec. lib. 4. cap. 7. n. 5.

Electi in synodo examinatores, si interim ante novam synodum decedant, tunc si saltem sex remaneant, qui numerus de necessitate est ex definitione Tridentini non possunt alii in eorum locum substitui ab episcopo. Si minores sint numero, tunc suffici possunt alii usque ad sex ab episcopo quidem approbante capitulo. Ibid. n. 7. Qui tamen examinatores suffecti cessant elapso anno, si interim synodus non celebretur, ut ex decreto Clem. VIII. In hoc casu, quo synodus post annum a priori synodo non celebretur, tunc si non supersint saltem sex in priori synodo designati, omnium etiam superstitum munus cessat. Quare tunc necesse est, ut si post annum concursus ad vacantes parochiales instituendus sit, petatur a s. c. facultas, ut novi examinatores extra synodum deputentur; quae facultas si obtineatur, uti semper obtinetur, tunc episcopus debet quos designavit proponere capitulo a maiore eiusdem parte approbandos. Capitulum vero tenetur illos approbare, si habeant qualitates a Trid. requisitas. Ibid. n. 10.

Examinatores congruentius suffragia ferunt palam communicando secum invicem, tum indicendo notario hunc, vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quae est Fagnani, inclinat pontifex in syn. dioec. lib. 4. c. 8. n. 4.

In iudicio examinatorum nulla fert suffragia episcopus, vel vicarius loco episcopi praesidens, nisi in casu paritatis votorum, aut si sint singularia; tunc enim potest episcopus quibus censuerit partibus accedere, sed hoc praestare debet tunc coram iisdem examinatoribus. Ita ex Garcia. Ib. n. 5.

EXCOMMUNICATIO. A quibuscumque censuris excommunicationis, suspensionis, et interdicti etiam contentis in bulla *Coenae Domini* absolvere potest maior poenitentiarius, regulares quidem in utroque foro, reliquos vero in foro conscientiae tantum; quamquam et illos potest absolvere in utroque foro a censuris publicis latis a iure, apostolicae sedi reservatis, et etiam nominatim declaratis vel latis nominatim ab homine, si expiraverit iurisdictio iudicis delegati a quo latae fuerunt, vel quando absolutio remissa fuerit ad romanum pontificem, vel quando proprios iudices adire rei non possunt. Obligandi sunt tamen rei isti, ut satisfaciant parti, alioquin recidunt in eamdem censuram. Si vero haec satisfactio a parte recusetur, tunc maior poenitentiarius illi praescribat hanc satisfactionem, qua a parte recusata, nihil ultra agendum est bulla *Pastor bonus.*

Si episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurrendam a transgressoribus, declaretque, illos statim fore evitandos, licet publice ac nominatim denuntiati non sint, quia facti notorietate dignoscitur, illos in excommunicationem incidisse; excommunicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet constitutioni Martini v. *Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat Fagnanus in cap. *Quod a praedecessore*, n. 55. de Schismat. De syn. dioec. l. 12. c. 5. num. 4.

Excommunicatio in bulla *Coenae*, qua vetatur fidelibus deferre arma, etc. ad turcas, non afficit fideles turcarum imperio subiectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, alio transvehunt, dummodo id peragant amoto animo iniquo nocendi fidelibus. De syn. dioec. l. 13. c. 20. n. 6.

Ad postulata episcoporum Albanensium rescriptum fuit a congregatione de propaganda fide, mandante pontifice, ne inquietarent fideles, si navibus suis ad turcas nullo bello inter christianos et turcas furente, transvehant sclopos maiores, aut minores, sarissas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, aes, funes et alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum et quantitatem, ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore, vel belli, mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica maiora, plumbeos, aut ferreos maioris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero. Quae ta-

men facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare, atrocesque persecutiones evitare. Ibid. num. 7.

EXEMPTIO. Exemptio ecclesiastici a iurisdictione sui episcopi non conceditur a congregatione; nisi evidenter probetur saevities contra se exercita, aut iustus timor ne exerceatur, et nec tunc nisi prius audito ordinario, ipsoque fraterne admonito, ut mitius agat. De syn. dioec. l. 13. c. 10. n. 30.

Tunc autem plerumque nihil fit aliud nisi ut prohibeatur ordinarius, ne procedat ad censuras, carcerationem, etc. nisi prius obtenta a congregatione, vel a metropolitano facultate. Imo si reus in flagranti crimine deprehendatur, tunc non intelligitur subtracta facultas ordinario procedendi adversus delinquentem, ut ex decr. s. congreg. Ibid.

EXECUTIO PROVISIONUM CURIAE ROMANAE. In bulla *Pastoralis regiminis*, feriuntur excommunicatione pontifici romano reservata, laici impedientes executionem mandatorum, citationum, aliarumque provisionum romanae curiae: et illi pariter qui impedientibus huiusmodi auxilium, consilium vel favorem praestant: regulares vero et ecclesiastici suspensionem ipso facto incurrunt, tam ab exercitio ordinum quam officiorum, quae ambae censurae sunt reservatae romano pontifici. Notarii vero sive tabelliones recusantes facere huiusmodi provisionum et executionum instrumenta publica ad instantiam partis, privantur officio notariatus et infames declarantur.

EXEQUIAE. Si testator iusserit sepulturae mandari corpus suum sine precibus, et psalmis et missis, associatione clericorum, candelis ardentibus, eius voluntas non est attendenda, ut decidit s. Rota coram Molines in romana funeralium die 15. iunii 1699. Instit. eccl. 36. n. 22.

Clemens xi. mandavit in edicto legendo in eius bull. pag. 317., ut in associatione funeris cuiuscumque serventur leges ritualis romani in tit. *De exequiis*, §. *Constituto tempore*. Fieri tamen potest, ut in aliquo singulari rerum articulo cadaver deferendum sit aliter quam praescribat rituale; quod tamen fieri non debet absque episcopi scientia, ut ex. gr. si deferendum sit cadaver in curru tecto, quod saepe alias prohibuit s. c. apud Petra in constit. apost.

Parochi associantes funus ad ecclesiam regularium arceri non possunt ab ingressu ecclesiae illius cum cruce et stola, ut ex bulla *Pretiosus* Bened. xiii. Ibid. n. 26.

Cadavera sacerdotum, diaconorum, et subdiaconorum exponi non possunt in ecclesia, alia induta veste, quam sacra sui ordinis, ut ex decreto Clementis xi. Ibid.

EXORCISMUS. Non licet regularibus, contradicente episcopo, exorcisare in propriis ecclesiis. Encyclica ad episcopos Poloniae, *Magno cum animi*.

In epistola ad episcopum Augustanum laudatur encyclica Clementis xi., data 21. iunii 1710., qua iniunctum est, ut nemo exorcisans a norma ritualis romani ulla ex parte discedere praesumat.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI. Expositio ss. sacramenti permitti non debet nisi ex publica causa ab ordinario approbata, etiamsi ecclesia sit regularium, quod ex Trid. sess. 21. c. 8. evincit et statuit s. c. concilii; quamquam ex causa privata licet regularibus in propriis ecclesiis exponere ss. sacramentum, dummodo non extrahatur e tabernaculo, et hostia sit velata, ut ex pluribus s. c. decr. firmatur. Instit. eccles. 30. n. 11. et 12.

Reprobatur apud frequentes scriptores usus exponendi palam ss. eucharistiam in festis sanctorum. Ib. n. 15.

Si exponatur ss. sacramentum intra tabernaculum apertum, et in pyxide tecta, sex saltem candelae ardere debent ex sensu s. congr. Ib. n. 21.

Verum si extra tabernaculum id fiat in ostensorio velato, tunc saltem duodecim candelae ardentes apponendae. Ib. n. 23.

EXTREMA UNCTIO. Extremam unctionem verum esse novae legis sacramentum a Christo Domino institutum, per apostolum Iacobum fidelibus commendatum et promulgatum, Tridentini pp. definiverunt. Materia eius remota est oleum ex olivarum bacchis expressum, nulli alteri materiae saltem ex perpetuo usu ecclesiae immixtum; quae tamen materia si in parva quantitate fuerit, adeo ut non destruat

olei speciem, validitati sacramenti nequaquam officit. Debet vero oleum istud episcopali benedictione ante sacrari, ut ex antiquissima pp. traditione colligitur. Ita tamen ab episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilo secius possit ex commissione, sive expressa, sive tacita, romani pontificis a simplici sacerdote consecrari, ut ex more vetustissimo ecclesiae orientalis eruitur. Ita docet pontifex in tractatu de synod. dioec. l. 8. c. 1.

Unctionis extremae forma, in rituali romano expressa, est deprecativa, numquam tamen definitum est ab ecclesia, an haec ita necessaria sit, ut non aeque ad sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur, satis enim constat, formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen aliter, quam in rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

Partes ungendae aliae quidem necessariae sunt, ut sacramentum fiat, aliae necessitate, uti vocant, praecepti; aliae vero ratione aliqua suadente tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum et renum unctio, haec enim in foeminis omittitur; illa vero cum gravi incommodo praeteriri potest. Caeterae quinque sensuum unctiones saltem ex praecepto adhibendae sunt: num vero singulae ita sint necessariae, ut absque illis sacramentum non consistat? alii aliter disputant. Si necessitas urgeat aegri qui mox decessurus timetur, unicus sensus ungendus est, ea pronunciata forma, quam rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen praeferendum. De syn. dioec. l. 8. c. 3.

Sacramenti huius ministros esse sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit, ita definiente Trid. sess. 14. c. 4. Quamquam vero conferri a pluribus simul sacerdotibus valeat, modo tamen singuli suum diversum sensum cum forma eidem debita inungant: usus tamen iam inde pluribus saeculis in latinam ecclesiam invectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat, totumque perficiat sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. De synod. dioeces. lib. 8. cap. 4. Laudabile tamen fuerit si, dum res sacra peragitur, plures assistant sacerdotes, vel saltem probi viri, *ut oratio totius ecclesiae* ad effectum huius sacramenti coadiuvet, quae verba sunt s. Thom. c. 43. l. 4. contra gentes. Ib. n. 5.

Ministrare istud sacramentum valide omnes sacerdotes possunt; uni tamen parocho de iure competit, cum sit eius minister ordinarius. Alii si id audeant absque parochi facultate, contra statutum in catechismo romano peccant. Quinimo religiosi aegrotum ungentes, minime a parocho petita venia, praeter gravis culpae reatum in excommunicationem incidunt apostolicae sedi reservatam, in Clementina I. de privilegiis; excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum caritatis, non auctoritatis abusum exercent. Haec dicta sint de latinis sacerdotibus, cum de graecis alia sit ratio: nam apud istos mos est, nec a romanis pontificibus improbatus, ut in hoc sacramento conferendo septem sacerdotes, vel saltem tres praesto sint. Ib. n. 8.

Unguntur vero fideles tali morbo laborantes, unde peritorum iudicio mors proxime secutura prudenter timeatur; quare denegandum est iis, quibus certum adest vitae periculum, puta mare transgressuris, praelium ituris, ultimo supplicio afficiendis; cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum sacramentum vel nullum sit, vel illicitum. Neque urget graecorum consuetudo ungendi bene valentes; nam si id agant rati, se conferre verum sacramentum, increpandi acriter sunt et prohibendi; sicut tunc etiam cum, ut apud illos interdum fit loco satisfactionis per confessarios imponendae, poenitentes inungunt. Ib. cap. 5.

Providendum est tamen a parocho, ne in hoc sacramento administrando supremum vitae articulum expectet; sed maturius id agat, cum aeger nondum sensibus destitutus, precibus sacerdotis suas etiam adiungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc sacramentum, quamquam non est de praecepto, petentibus deneget; id enim si vel illi negaret, vel non offerret, gravem culpam committeret. Quin nec desunt plures, qui opinentur, aegrotum negantem recipere sacram unctionem

reum haberi lethalis culpae, cum ex contemptu sacramenti id renuere merito censeri possit. Ibid. c. 7.

Pueris ante usum rationis ex perpetua ecclesiae doctrina non datur, quamquam, ut id licite fiat, aetas illa firmior expectanda non est, qua sacramenti poenitentiae capaces censentur. Pueris accensendi sunt etiam perpetuo amentes et furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia; constans inquam, nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tum inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt. Ib. cap. 6.

Sed quid, si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc sacramento iuvari oportet, si praesertim sensibus destituti aliorum sacramentorum remedio iuvari non possint. Ibid. cap. 6.

Ordo in hoc sacramento conferendo quamquam non idem fuerit semper in tota ecclesia, cum alii statim post sacramentalem absolutionem ante viaticum aegrotos inunxerint, alii post viaticum; cum tamen ecclesiae romanae disciplina in catechismo concilii tridentini expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, aequitatis ratio postulat, ut ab ea non recedatur. Ibid. cap. 8.

Eodem morbo et periculo perseverante, repetere sacramentum istud non licet; si vero morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat, et novum mortis periculum urgeat, tunc iterum unctio peragenda est. Ibid. In dubio tamen num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit, ut ad sacramenti iterationem parochus propendeat. Ibid. *Peccat graviter* ille, qui tamdiu differt extremam unctionem conferre, *cum iam aegrotus omni salutis spe, vita, et sensibus carere incipiat*. Verba haec sunt catechismi romani de extrema unct. Ib. n. 3.

An teneatur parochus sacramentum hoc administrare peste laborantibus, dictum est v. *parochus*. An valeat si instrumento, nempe penicillo inungatur corpus aegroti peste infecti, nihil deciditur; asseritur tamen hunc ritum in ecclesia hucusque fuisse inusitatum. De synodo dioec. l. 13. cap. 19. n. 17.

Non refert utrum hoc sacramentum conferatur ab uno sive a pluribus presbyteris iuxta morem graecorum, dummodo illi credant hoc fieri posse etiam ab uno valide et licite. Necesse tamen est ut sacerdos graecus, qui ungit, idem et formam *pronuntiet*. Bull. *Etsi pastoralis*.

FESTI DIES. Opera servilia diebus festis prohibentur, ne ruralibus quidem exceptis; conceduntur tamen, si urgeat vera, et non affectata necessitas. Affectata vero illa diceretur, in qua opera, quae diebus praecedentibus fieri possent, ad diem festum transferentur. Petenda est tamen a superiore facultas, si quid insurgat necessitatis. Hanc vero facultatem dare solet episcopus parochis ruralibus in ordine ad opera agrestia, qualia se haberent oneratio plaustrorum, collectio frugum et fructuum, herbam secare, colligere foenum, quando periculum imminet verae tempestatis, vel quando die sequenti transferenda sunt in civitatem, nec posset id commode differri. Instit. eccles. 55. n. 33. etc.

Molitores non possunt molitioni incumbere, etiamsi molendinum aqua, seu iumentis, seu vento volvatur; non possunt, inquam, seclusa consuetudine vel necessitate: quae necessitas si adsit, in dioecesi bononiensi facultas non a parocho, sed a curia archiepiscopali conceditur. Ib. n. 37.

Piscatio inter opera servilia die festo vetita referenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, eo quod statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo piscatio eorum nulla fieret, tunc pauperibus piscatoribus datum est, ut operi illi incumbere possint, dummodo id non praestent die nativitatis Domini, epiphaniae, paschatis, ascensionis, pentecostes et corporis Christi, iuxta ac olim concessum fuit trevirensibus ab Alexandro III. De syn. dioec. l. 13. c. 18. n. 10.

FIDES. Actus fidei, spei et caritatis debent per accidens elici, cum aliqua tentatione urgemur, nec illam superare valemus, nisi efficacia illorum actuum. Inst. eccl. 72. n. 20.

Non sufficit ad implenda tria ista praecepta, seu caritas virtualis, quae in obsequendo divinis praeceptis exer-

cetur, nec etiam fides virtualis, ut ex pluribus damnatis propositionibus firmatur. Inst. eccl. 72. n. 20.

Si quis diuturno satis tempore negligit elicere actus fidei, spei et caritatis, illum versari in periculo aeternae salutis firmatur. Ib. n. 21.

Non licet christianis degentibus sub turcarum imperio, vel turcis, qui ibidem agentes convertuntur ad fidem, turcica sibi nomina, vel retinere, vel imponere; hoc enim pertinet ad externam fidei professionem, constit. *Inter omnigenas*, ad incolas regni Serviae, et finitimarum regionum: et congregatio universalis inquisitionis in rescripto ad postulata episcoporum albanensium idem edixit. De syn. dioec. l. 13. cap. 20. n. 9.

Christiani ad turcas apostatantes, deinde redeuntes ad fidem, tenentur coram fidelibus publice abiurare apostasiam: at coram infidelibus non est necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponant vestem protestativam falsae religionis; et curent, ut successu temporis infideles agnoscant vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abiurationem etiam cum periculo vitae. Ita ex decr. s. inquisitionis. Ibid. n. 17. At in decreto servato in archivio s. inquisitionis non legitur hoc additamentum, *curent*, *ut successu temporis*, *etc.*, quare ad id non esse obligandos fideles additur. Ibid. num. 18.

GRAECI. Graeci in Italia degentes ordinem suscipere non possunt, nisi ab episcopo graeco Romae constituto, sive ab altero graeco episcopo in Calabria in oppido s. Benedicti Ullani Bisimianensis dioecesis, ut ex constit. Clem. VIII. 34. quam et Benedictus XIV. confirmavit bulla 57. De syn. dioec. l. 2. c. 12.

Quamquam vero habeant aliquando vicarios suos apostolicos ex graecis assignatos, adhuc tamen et vicarius, et caeteri graeci omnimodo iurisdictioni latinorum episcoporum subsunt. Ibid. num. 8.

Graeci non tenentur in symbolo pronuntiare *a Patre Filioque*, quamquam id debeant credere. Ubi tamen viget consuetudo, sicut etiam a graecis in quibuscumque Italiae et insularum adiacentium regionibus commorantibus, si ab ordinariis locorum ob aliquam legitimam causam fuerint requisiti, illam addere omnino teneantur. Haec omnia in bull. *Etsi Pastoralis*.

Licet autem in fermentato eucharistiam conficere permittantur; credere tamen debent, etiam in azymo eam veraciter confici. Ibid. n. 1.

Item qui in Dei charitate decesserint nondum plene per poenitentiam purgati, purgatorii poenis expiandos esse in altera vita, quibus suffragia fidelium viventium prosint.

Item animas purgatas statim in coelum recipi ad intuitivam Dei visionem. Qui vero cum peccato mortali decesserint, hos in inferni carcerem protrudi poenis imparibus puniendos pro imparitate delicti.

Item superioribus hisce adiiciendus est primatus romani pontificis in universam ecclesiam. Ibid.

HAERETICI. Haeretici occulti absolvi possunt in foro conscientiae a maiori poenitentiario, vel de eius mandato. Occulti vero sunt, qui etsi haeresim suam extrinsecis actibus manifestarint, nemo tamen illos vidit. Ita in bulla *Pastor bonus*.

Potest etiam maior poenitentiarius in foro conscientiae absolvere publicos haereticos, seu apostatas a fide, quando necesse non est complices denuntiare, illis nempe mortuis, sive degentibus in locis palam infectis; non vero si illi vivant, ubi inquisitionis officium viget. Ibid.

Principes, vel qui vicarii nomine statui praesunt, dominia et respublicae, illarumque administratores, vel qui administrationem habere solent, episcopi et superiores praelati, in casibus publicis contentis in bulla *Coenae Domini*, ab illo absolvi nequaquam possunt. Ibid. §. 11.

Sicut nec ab eo absolvi possunt ab incursa censura omnes quicumque, etiam s. r. e. cardinales, qui vivente romano pontifice de alio eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusque, aut pactiones fecerint. Ibid. §. 12.

Nec potest absolvere eos, qui per astrologiam iudiciariam per se, vel per alios de statu reipublicae christianae, sive de vita et morte romani pontificis tunc existentis inquisierint. §. 13.

Denique neque potest in casibus publicis violatae immunitatis seu libertatis ecclesiasticae, etiam non deductis in iudicium. §. 14.

Tenetur episcopus etiam in locis ubi officium s. inquisitionis viget, sedulo curare, ut creditam sibi dioecesim ab haereticis purget, et si quem repererit, poenis canonicis punire debet; cavere tamen debet, ne fidei inquisitores a suo munere obeundo impediat. Deductum vero haereticum ad suum tribunal non minus episcopus, quam inquisitor reconciliare possunt ecclesiae, et pro utroque foro absolvere. Quin et possunt haereticum, postquam errores suos eiuraverit, ad simplicem confessarium pro absolutione remittere, quae tunc data a confessario in foro sacramentali absolutio pro foro pariter externo valet. Ita in tr. de syn. dioec. l. 9. c. 4. n. 3.

Ab haeresi mere interna et mentali, nullo exteriori signo manifestata, simplex confessarius absolvere potest; cum haeresis sit summo pontifici reservata per censuram annexam, quae certe in eo casu nulla est. Potest etiam simplex confessarius eum absolvere, qui verbo aliquo, vel facto fidei articulum negaverit, interiori tamen assensu fidem retinuerit, neque enim in ea rerum circumstantia censura illigaretur. Quamquam in foro externo tamquam haereticus puniretur, et nequidquam obtenderet se in corde fidem retinuisse. Ib. num. 4.

Si vero agatur de haeresi externa occulta nondum deducta ad forum episcopi, olim quidem facultas facta fuit episcopis a conc. trid. sess. 24. c. 6. ut per se non vero per vicarios suos ab illa absolverent in foro conscientiae. Sed cum in bulla singulis annis publicata reservetur romano pontifici absolutio inter caetera etiam ab haeresis crimine; et in ea bulla derogetur omnibus contrariis decretis cuiusvis concilii, hinc quaestio agitatur apud theologos, num hodie pariter episcopo maneat facultas absolvendi haereticos in foro conscientiae. Neganda tamen est illis haec facultas; nam illis verbis *non obstantibus cuiusvis concilii decretis*, omnis concilii tridentini facultas episcopis adimitur. Quam in rem multa congregationis s. officii et congregationis conc. afferuntur decreta, et adiiciuntur s. Pii IV., Greg. XIII, Clem. VIII., vivae vocis oracula, ne quid dixerim de propositione 3., inter damnatas ab Alexand. VII. *Sententia asserens bullam* Coenae *solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est*, *anno* 1629, 18. *iulii in consistorio s. c. em. card. visa et tolerata est*. Ingenue quidem fatendum, hanc propositionem ideo confixam fuisse ex falsa assertione de approbatione s. c., quae nulla fuit. Vix tamen creditur, pontificem adeo se praebuisse sollicitum de amovenda hac s. c. approbatione ab ea propositione, nisi et eamdem ipsam propositionem improbabilem iudicasset. De syn. dioec. l. 9. c. 4. n. 9. sed nec credi potest facultatem ab haeresi huiusce absolvendi gallicanis episcopis datam esse, quamquam eam sibi multi arrogent, ut multis argumentis cap. 5. evincitur. Quod vero negatur episcopis, negandum etiam est inquisitoribus Hispaniae et Lusitaniae, quibus si aliqua olim fuit in hanc rem auctoritas, modo ex bulla *Coenae* sublata est. Ibidem cap. 5. num. 4.

HOMICIDIUM. Cum homicidis et bannitis etiam in casu homicidii voluntarii maior poenitentiarius potest dispensare, ut religionem approbatam etiam tanquam clerici ingredi possint, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus pontifex in sua bulla *Pastor bonus*.

IEIUNIUM. Dispensatio impetrata in quadragesima vescendi carnibus non continuo deobligat ab unica comestione, quare sic dispensati declarantur ad eam teneri, nec miscere posse *epulas licitas, atque interdictas*. Constit. *Non ambigimus*.

Hac vero admixtione vetita est comestio carnium cum piscibus. Ita declaravit pontifex in epistola ad archiepiscopum Compostellae.

In vespertina refectiuncula debent dispensati illi abstinere a carnibus, nec possunt quidquam aliud gustare, quam quod caeteri non dispensati. Ibid.

Debent sicut caeteri horam ieiunantibus praescriptam in comessatione servare. Ibid.

Id, quod praescribitur de non miscendis carnibus cum piscibus, aeque

servandum est in dominicis quadragesimae.

Utrumque hoc praeceptum unicae comestionis, et cavendae admixtionis carnium cum piscibus urget etiam in ieiuniis extra quadragesimam. Ibid.

Qui tamen ex dispensatione utuntur ovis et lacticiniis, a piscibus abstinere tenentur. Ibid.

In petendis a pontifice dispensationibus generalibus a ieiunii disciplina pro oppidis et dioecesibus, monentur episcopi, ne faciles se praebeant, sed prius consulendi medicinae peritiores, exquirendo ab illis, num morbus sit communis, ita ut nulla aetas libera et incolumis esse queat, adeoque ad praeservationem a morbo multum conducere iudicent, si dispensatio a carnibus concedatur, tunc vero illas petant. Alia, quae servanda ab illis sunt, latius explicat encyclica *Libentissime*, etc.

Potum chocolatis die ieiunii tolerat pontifex. Instit. eccl. 15. n. 10. Vix tamen admittit maiorem longe cyathum, nec omnino tolerat saepius eadem die iterare. Ibid.

Filios seu famulos non servare ieiunium quadragesimae quoad abstinentiam a carnibus, eo quod cum patrefamilias dispensentur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensae, id non sine maxima abusione admitteretur. Instit. eccles. 15. n. 25.

Benedict. XIV. in sua const. *Pias Christi fidelium*, concedit iterum singulis confratribus confraternitatis s. Mariae de Succursu, in civitate Ianuae erectae, commorantibus in ianuensi ditione et dominio, et complentibus statuta, seu pia opera in ea praescripta, privilegium ovis et lacticiniis vescendi certis diebus quadragesimae, nempe diebus dominicis, secundis, tertiis et quintis feriis. Hoc insuper privilegium antea concessum, prorogat eadem bulla ad omnes feriales dies quadragesimae etiam dominicas, comprehensa pariter dominica in palmis et hebdomada maiori, quam in priori privilegio exceperat. Sed ab hac exemptione excipit archiepiscopos, episcopos, inferiores praelatos, nec non regulares omnes, et quoad saeculares ecclesiasticos eos, qui ad ordinem praesbyteratus fuerint promoti, nisi tamen illi sexagesimum aetatis annum compleverint. Vult tamen, ut illi omnes exempti legibus ieiunii de unica comestione in die subiiciantur. Datur illis pariter privilegium, ut bis in vita tantummodo possint absolvi a simplici confessario a reservatis sedis apost. sicut etiam id possint in mortis articulo. Declarat vero in §. 3., in eadem facultate absolutionis obtinendae non comprehendi reservata ab ordinariis locorum.

IMAGINES SACRAE. Non est permittenda imago Spiritus Sancti sub figura hominis, cum id numquam obtinuerit in ecclesia. In epist. ad episcopum Augustanum, *Sicut nec imago trium hominum aequalium ad repraesentandam ss. Trinitatem*.

IMMUNITAS LOCALIS. Ab immunitate locali praeter exemptos in bulla Gregor. XIV. alios etiam adiungendos censuit Bened. XIII. in bulla *Ex quo divina*, scilicet sequentes :

I. Impedientes ne quis recurrat ad locum immunem, vel ex eo violenter extrahunt.

II. Interficientes proximum animo praemeditato ac deliberato.

III. Adulterantes litteras apostolicas.

IV. Reos furti, seu quid falsi committentes in monte pietatis, vel in loco publico, ubi pecuniae deponuntur, vulgo Banco; ex quo crimine arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae ordinariae locus sit.

V. Vitiantes, seu abradentes aureas argenteasque monetas cuiuscumque principis etiam externi, cursum in eo loco habentes, ubi delictum committitur; vel sic vitiatas monetas scienter ita expendentem, ut fraudis conscius, et particeps censeri possit.

VI. Illos, qui curiam simulantes insinuant sese in domo ad furandum, dummodo simul etiam committant homicidium, aut mutilationem membrorum in eos, qui etiam per accidens in ea domo sunt, effectu tamen secuto.

VII. Homicidium etiam in rixa, si ex processu reus sit deprehensus, seu in exilium eo nomine agitur. Quod valet tantummodo in ecclesiastica ditione. Inst. eccl. 41. n. 21.

In eadem bulla immunitate privatur ille, qui stans in ecclesia, vel in coemeterio interficit stantes extra illa loca, et vice versa.

Ab ea vero immunitate excluduntur

non solum respectu eiusdem ecclesiae violatae, sed et aliarum omnium. Ibid. n. 22.

Declaravit etiam eos censeri grassatores viarum; si unum tantummodo homicidium, seu mutilationem commiserint etiam in via vicinali. Ib. n. 23.

Extendit hoc pariter ad mandantes, qui certum praemium promiserint mandatario, etsi non dederint, homicidium tamen seu mutilatio commissa sit.

Clemens XII. hanc bullam confirmavit constitutione sua *In supremo*, et extendit etiam ad ecclesiasticos homicidas, sicut etiam ad maiores annis viginti, quod omnes comprehensos declarat, si etiam mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori praebuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit. Adiecit, indicia ad tradendum reum iudici saeculari sufficere, si talia saltem sint, quae ad torturam valeant. Haec tamen valere statuit tantummodo pro ditione ecclesiastica.

Denique Benedictus XIV. in sua bulla *Officii nostri*, confirmavit ea omnia, declaravitque comprehendi etiam ecclesiasticos, et mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo, aut saxo. Exemit vero, quando commissum esset homicidium casu, aut necessaria defensione; restringit enim quando id agitur ex odio, et nocendi animo.

Declaravit etiam, quod si forte accidat, ut vulneretur quis ad mortem, et percussor statim confugiat ad ecclesiam nondum morte secuta, tunc si chirurgi grave vitae periculum adesse retulerint, tunc reus servatis servandis possit extrahi ab ecclesia, et mancipari carceribus, ita tamen ut si vulneratus vivat ultra tempus a legibus constitutum, ecclesiae iterum restituatur.

Confirmat constitutionem Bened. XIII. in eo, quod privative ad episcopos pertineat facultas demandandi extractionem delinquentium eiusmodi e loco immuni (quae facultas dari potest cum adsunt indicia ad carcerationem) adeo ut, si locus sit nullius dioecesis, tunc recurrendum voluerit pro ea facultate ad episcopum viciniorem, et semper, cum fit extractio, adsit ecclesiasticus ab eo deputatus.

Facta extractione, construitur processus de mandato episcopi; si indicia ad torturam sufficientia reperiantur, tunc consignandus est reus iudici saeculari (obligando tamen illum sub excommunicatione latae sententiae ut si reus purgaverit indicia, restituatur ecclesiae).

Si homicidium perpetratum est in locis a residentia episcopi remotis, mandat, ut de mandato episcopi vicarii foranei indicia ad extractionem necessaria iuridice colligant, statimque ad episcopum transmittant.

Transgressores sacrae immunitatis, etiam quoad poenas, declarat eos, qui sine recursu ad episcopum extrahunt sive etiam obsidere praesumunt loca immunia, ne alimenta ad reum deferantur, sive aliter cogunt reum, ut se dedat curiae saeculari.

Qui sic egerint, privat eos iure asyli.

Si quae viget consuetudo inter finitimos principes, ut homicidae committentes delictum in alterutrius ditione, capiantur et transmittantur ad principem loci, ubi delictum commissum est, ab episcopo loci homicidii exquiri iubet indicia, et transmitti ad episcopum asyli, ad quem pertinet mandatum dare de extractione.

Haec tamen bulla lata est tantum pro ditione ecclesiastica, et pro illis principibus, qui eam postulaverint.

Haeretici, aut de haeresi suspecti, iudaei post baptismum in apostasiam lapsi, possunt ab inquisitoribus extrahi ab ecclesia, sed vel ante vel post capturam, commoneri debet episcopus Encycl. ad inquisit. *Elapso proxime*.

Qui e loco relegationis, sive e carceribus, sive triremibus in asylum se proripit, nisi reus sit criminum quae immunitate privantur, iure asyli potitur. Ibid. n. 5.

Poenae contra turbantes immunitatem afficiunt etiam eos qui impediunt, ne iudex ecclesiasticus cognoscat in causis, in quibus habet auctoritatem, tantum cumulativam. Inst. eccl. 40. n. 10.

Si quis reus dolose extrahatur ab ecclesia, et extra illam capiatur non per vim, aut per salvum conductum, ista dolosa extractio reo non suffragatur, ut ex decr. s. c. die 22. decembr. 1716. Inst. eccl. 41. n. 9.

INDULGENTIA. Indulgentias plenarias solus romanus pontifex conferre

potest, cui thesauri ecclesiae clavium commissa est custodia. De syn. dioec. l. 2. c. 9. n. 7.

Omnibus episcopis facultas a iure conceditur indulgentiam dierum quadraginta largiendi, et centum in ecclesiae dedicatione, ex cap. *Cum de eo poenit*.

Cardinalibus vero centum dierum. Hanc vero indulgentiam etiam regulares lucrantur: cum eorum exemptio non debeat illis in damnum converti. Inst. eccl. 63. n. 16.

Vicarius capitularis ne indulgentias quascumque conferat abstinere debet. Ita ex decretis s. c. De syn. dioec. l. 2. c. 9. n. 7.

Pro lucranda indulgentia non sufficit opera iniuncta praestare, ad quae alias quis tenetur alio titulo, puta iustitiae etc. *Encyclica* de quaest. in iub. excit. §. 4.

Indulgentiae a pontifice concessae iis, qui cum confessione et communione ecclesiam aliquam visitant, non exigunt, ut ecclesia visitetur post confessionem et communionem; sed sufficit, ut, si visitetur ante statum gratiae, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi et communicandi, ut ex pluribus theologis firmatur. Inst. eccl. 48. n. 10.

Si quis pluries intra eamdem diem ecclesiam aliquam visitaverit, in qua est indulgentia, non ideo pluries indulgentiam acquirit, iuxta decr. s. c. sub Innoc. XI. die 7. mart. 1678. in declaratione quaest. pro iub. acquisit. *Inter praeteritos*.

Indulgentiae concessae fratribus et sororibus tertii ordinis saecularis de poenitentia s. Francisci, sive collegialiter viventibus, sive in domibus privatis, reformavit pontifex, et singulas numeravit, caeteris omnibus revocatis in bulla de nova concessione eiusmodi indulgentiarum. Ad rom. pontif. Sunt autem eiusmodi: Indulgentia plenaria confessis, et sacra eucharistia refectis ea die, qua ordinem ingrediuntur.

Item plenaria confessis, et communione refectis die festo s. Francisci, die 4. octobris, s. Clarae, sancti titularis ecclesiae, oratorii, vel capellae eiusdem tertii ordinis, die dedicationis s. Mariae Angelorum de Portiuncula, dummodo ecclesiam ipsam etc. devote visitaverint, et de more oraverint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis constitutis confessis, et communione refectis, et ore, vel si non potuerint ore, saltem corde nomen Iesu invocantibus.

Visitantibus ecclesiam tertii ordinis, seu oratorium sive capellam diebus stationum in missali romano descriptis, ibique orantibus de more, indulgentiae illae conceduntur, quas praedictis diebus visitantes ecclesias urbis, et extra eam, consequuntur.

Confessis et sacra communione refectis in festo stigmatum s. Francisci, s. Ludovici Galliarum regis, s. Elisabeth reginae Portugalliae, itemque s. Elisabeth Hungariae reginae, s. Margaritae de Cortona, atque duodecim aliis anni feriatis, vel dominicis diebus ad libitum eligendis, et a superioribus ordinis approbandis, et visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum septem annorum, et totidem quadragenarum indulgentiae.

Itidem centum dies indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint missis, aut divinis officiis in ecclesia, ut supra celebrandis, seu congregationibus publicis vel privatis tertii eiusdem ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint, pacem composuerint vel procuraverint, corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, aut processiones de licentia ordinarii faciendas, ss. eucharistiae sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos defertur, vel saltem, si sint impediti, ad signum campanae orationem dominicam et salutationem angelicam recitaverint. Item si quinquies orationem dominicam, et salutationem angelicam, sive pro ecclesiae necessitatibus, sive pro defunctis fratribus et sororibus recitaverint. Item si peccantem ad poenitentiam redegerint, doctrinam christianam rudes docuerint. Tandem quoties opus aliud pietatis vel caritatis exercuerint.

Indulgentiae pro fratribus tertii ordinis s. Francisci de Paula conceduntur a pontifice instar fere indulgentiarum pro illis, qui tertium ordinem s. Francisci de Assisio profitentur, excepto quod indulgentiam plenariam consequantur in festo s. Francisci de Paula, s. Francisci Salesii, dedicationis s.

Michaelis archangeli, et in festo omnium sanctorum, si visitaverint ecclesiam aliquam ordinis, si ibi sit, et in defectu unam aliquam civitatis, vel loci ubi degunt. Caeterae indulgentiae eaedem omnino sunt ac superiores pro tertiariis s. Francisci assisiensis. Quoad cordigeros s. Francisci de Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo fratre eius ordinis, vel ab alio deputato a superioribus eiusdem ordinis deferentes, die, qua cingulum assumunt confessi, et sacra communione refecti plenariam indulgentiam consequuntur, sicut et plenariam in festo s. Francisci de Paula, visitantes ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis, eo modo, quo tertiarii s. Francisci assisiensis. Quotidianam etiam indulgentiam centum dierum consequuntur, si in honorem Domini Iesu Christi et ss. apostolorum preces effuderint. Denique cordigeri illi, sicut et tertiarii pro quolibet bono opere sexaginta dierum indulgentiam consequuntur, in quo differunt a tertiariis s. Francisci assisiensis, qui centum dies lucrantur. Easdem omnes indulgentias applicare pro defunctis possunt. Bulla pro indulgentiis tertiariorum sancti Francisci de Paula, *Inexhausti*.

Indulgentiae plenariae in articulo mortis ab episcopis per benedictionem impertiendae. V. *episcopus*.

Docentes rudes homines publice, vel privatim orationis mentalis regulas, et modum, itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere poenitentes ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos, et totidem quadragenas de vera indulgentia. Item si assidue eo convenerint, semel in mense, vere poenitentes, et sacra communione refecti, orantesque pro more indulgentiis consueto indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur, quam pariter ita obtinent ii, qui toto mense, unico saltem horae quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo vere poenitentes et confessi, eucharistiam sumpserint, et orent pro concordia etc. Concedente haec omnia pontifice in bulla *Quemadmodum*.

De validitate indulgentiae portiunculae, eiusque extensione ad omnes alias ecclesias ordinis s. Francisci ambigi non potest; nullo licet extante authentico documento, scientibus, et non contradicentibus romanis pontificibus. De syn. dioec. l. 13. c. 18. n. 5.

Item nec de indulgentiis ecclesiae lateranensis, quas approbavit, et ex integro concessit Benedictus XIV. in bulla, *Assiduae sollicitudinis*. Ib.

Indulgentias *in forma iubilaei* concessas abrogavit Clemens VIII., aliique quidam pontifices, quare si forte agatur de aliqua eiusdem tenoris indulgentia, videndum erit, num post ea decreta concessa fuerit, ut ex tractatu de indulgentiis p. Theodori, part. 2. c. 4. §. 2. Ib. n. 9.

Clemens XII. in suo brevi dato die 14. aug. 1736. indulgentiam plenariam, die ad libitum quotannis eligendo, concessit iis, qui anno integro ad pulsum campanae sub horam noctis recitaverint psal. *De profundis*, vel semel orationem dominicam, et salutationem angelicam, cum versiculo *Requiem* in suffragium defunctorum: dummodo ea die confessi, et communione refecti, preces pias effuderint pro consueto more. Singulis vero diebus toties quoties easdem orationes ad signum campanulae recitantes centum indulgentiarum dies consequuntur. Inst. eccl. 61. n. 5.

INFIDELITAS. Signa protestativa infidelitatis haec indicat pontifex in suis decretis pro incolis regni Serviae, incipientibus *Inter omnigenas*. Nomina turcica assumere, infidelium templa, scilicet moschaeas frequentare, ieiuniorum dies per carnium esum profanare ad effectum, ut mahumetani credantur Damnat etiam peccati illos qui ex hac vita migraturi cadavera sua turcarum sepulturae demandarent, cum istorum assistentia, et mahumeticis adhibitis ritibus.

INTERDICTI. Interdicti ab ingressu ecclesiae assistere non possunt missae, et divinis officiis; neque coram illis potest missa celebrari in ecclesia. Spectat vero ad ministros ecclesiae illos eiicere; si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex Suarez docetur missam iam incoeptam non esse omittendam. Inst. eccl. 55. n. 11.

Interdicti ab ingressu ecclesiae, utrum eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quaestio est anceps inter dd. Ibid.

Interdicti ab ingressu ecclesiae ob transgressionem praecepti de communione paschali, si contumaces se praebuerint, ab episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex dd. firmatur. Inst. eccl. 55. n. 11.

IRREGULARITAS. Maior poenitentiarius in casibus occultis, et pro foro conscientiae tantum dispensat in irregularitate ex quocumque delicto, vel defectu proveniente, tam cum laicis, quam cum ecclesiasticis, vel saecularibus, vel regularibus ad hoc ut possint initiari ordinibus, vel in susceptis ministrare, ad superiores gradus ascendere, ac dignitates, etiam cathedralis, et quaecumque beneficia ecclesiastica quandocumque ante dispensationes alioquin canonice obtentas retinere; nec non ut huiusmodi beneficia et dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, ecclesiis cathedralibus et metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant. Bulla *Pastor bonus*.

Ubi additur in irregularitatibus quoad regulares ita dispensari posse, ut ad quaecumque officia et beneficia regularia ascendere valeant, excepto tamen ordinis *Generalatu*, in irregularitate ex defectu natalium. Ibid. §. 31. Ea vero dispensatio conceditur tantum in foro conscientiae, in casibus occultis, in publicis vero in utroque foro, auditis tamen superioribus. Ib. §. 32.

Clericus militiae nomen dans ipso facto privatur beneficio, et pensione, ut ex decis. Rotae romanae. Inst. eccles. 101. n. 18. Quoad hanc irregularitatem haec accipe clericum in sacris constitutum militantem, et arma ferentem in servitium alicuius laici principis, si expeditionibus bellicis interfuerit, in quibus homicidia, furta, rapinae, incendia secuta fuerint, multo probabilius est incidisse in irregularitatem, licet moraliter certus sit, se neminem mutilasse, vel occidisse, ut ex decr. s. c. in ipren. *Irregularitatis* erui posse videtur. Ib. n. 10.

Idem forte affirmari potest de clerico in minoribus beneficiato, cum ea, quae vetantur ordinatis in sacris, etiam beneficiatos clericos comprehendant. Ib. n. 23.

Clerici in minoribus, si militaverint in bello iniusto, etsi ipsi neminem occiderint, vel mutilaverint, si tamen ala, in qua militant, homicidia commiserit, seu mutilaverit, inducit in eos clericos irregularitatem: in eo enim casu clericus facit unum corpus cum sociis, et ulterius dat operam rei illicitae. Ib. n. 8.

Porro si ille militaverit sub suo principe, nec certo sciverit, bellum esse iniustum, non tenetur per se indagare, num iustum sit, necne, sed potest credere bellum esse iustum. Ibid. n. 17. Idem probabiliter dici potest de clerico militante sub alieno principe, quia impossibile esset illi indagare, num sit bellum istud iustum, iniustumve. Ibid. n. 17.

Si vero bellum esset iustum, clericus militans si certus sit moraliter se neminem occidisse, vel mutilasse, etiamsi hoc factum fuerit a sociis, non incidit in irregularitatem, ut ex cap. *Petitio*, *de homicidio voluntario*. Ibid. n. 10.

Demum si bellum sit iustum, et defensivum, si clericus iussus est arma capere, nec sufficiant ad defensionem laici, non incidit in irregularitatem, etiamsi occiderit. Ibid. n. 9.

Illegitimi sunt irregulares ex defectu, adeoque ordinum et beneficii incapaces; attamen pro minoribus ordinibus et beneficiis non habentibus annexam animarum curam, potest episcopus cum illis dispensare; nonnisi vero romanus pontifex in aliis omnibus, ut ex cap. *Is qui, de filiis presbyter. in* 6. De synod. dioeces. l. 13. c. 24. n. 11.

Filii illegitimi clericorum consequi non possunt beneficia, et pensiones in ecclesiis, in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem ecclesiis ministrare; neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum, quae ab eorum parentibus possessa sunt, ex Tridentino sess. 25. cap. 15. *de ref.* Sicut et nullae sunt reciprocae resignationes a parentibus clericis in favorem filiorum suorum factae, ita ut ipsis filiis minime suffragentur. De syn. dioec. l. 13. c. 24. n. 13. Quin nec filius illegitimus parochi iam defuncti munus confessarii obire potest in ea ecclesia, quam pater parochus obtinuit, ut ex verbis congre-

gationis vetantis, ne filii in ea ecclesia *quoquo modo ministrent*, et ex responso s. congr. habetur. Ib. n. 14.

Vicissim autem, si pater in aliqua ecclesia munus gessit capellani ad nutum amovibilis, potest eius filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim est hoc beneficium seu pensio, ut ex responsione s. c. ib.

Si vero pater dignitatem in ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo missae semper in eadem celebratae non potest fieri particeps emolumentorum quae sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex responso s. congr. ib.

Si patronus beneficii rectorem interfecerit, eius filii et descendentes usque ad quartum gradum fiunt irregulares, ex cap. *In quibusdam de poenis:* intellige tamen de filiis natis post homicidium, non vero ante; quae est interpretatio ab ipsa etiam s. congregatione admissa, ib. n. 21. et ipse ac reliqui ad patronatum vocati ab eo iure cadant. Ibid.

Si pater in haeresim inciderit, etiam filius erit irregularis, ex cap. *Quicumque* et cap. *Statutum de haeretic. in* 6. At relicta a patre haeresi, non quidem eius, sed filii irregularitas solvitur, ut ex responsis s. c. Ib.

In dispensationibus, quae dantur pro irregularitate filiorum illegitime natorum, apponi solet clausula: *dummodo paternae incontinentiae imitator non sit;* ex quo fit, ut episcopus debeat inquirere in illum, et quaerere, numquid per decennium moribus integrum se praebuerit, et si toto decennio nihil indignum admisisse compertus sit, potest cum illo executioni mandare dispensationem, etiamsi ante decennium incontinentiae nomine suspectus fuisset, ut ex decretis s. c. de syn. dioec. lib. 13. cap. 24. n. 22.

IUBILAEUM. In iubilaeo anni 1750. Benedictus XIV. suspendit toto eo anno indulgentias omnes, etiam non plenarias; exceptis indulgentiis alias concessis in articulo mortis, tam illis quas ex concessione apostolica impertiuntur episcopi, quam aliis quibuscumque communiter, aut personaliter concessis pro eodem articulo: item illis, quas lucrantur fideles recitantes salutationem angelicam ad sonum campanae. Item excepta indulgentia septem annorum. et totidem quadragenarum toties quoties, quas lucrantur ex concessione Bened. XIII. durante praeterito anno iubilaei, qui sacramentaliter confessi, et sacra communione refecti, vel saltem vere contriti, visitaverint ecclesias, in quibus expositum est sacramentum eucharisticum, et oraverint de more. Item illis, quas concessit Innocentius XII. comitantibus, seu mittentibus facem, cum sacramentum eucharistiae ad infirmos defertur. Illis quoque, quas concedunt legati de latere, et nuntii apostolici, ac episcopi in usu pontificalium, aut in benedictione impertienda. Item perseverare concedit indulgentias altarium privilegiatorum pro defunctis, pro quibus etiam valere statuit alias quascumque indulgentias pro vivis concessas, adeo ut pro defunctis acquiri possint, etiamsi in brevibus earum extensio ad defunctos expressa non fuerit.

Suspendit etiam toto eo anno facultates omnes absolvendi a casibus apostolicae sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, et in eis dispensandi, et tollendi irregularitates alias concessas ecclesiis, monasteriis, etc. piis locis, magistris, superioribus, tam saecularibus quam mendicantibus, adeo ut etiam toto eo anno nec valeant largiri indulgentias quas solebant coronis, granis, imaginibus, et numismatibus ex metallo, etc. Vide bullam *Cum nos*. Excipit tamen facultates episcoporum, et caeterorum supremorum antistitum quoad dioecesanos in iis quae obtinent ex vi tridentini et pontificum concessione in ordine ad dispensandum et absolvendum, quod etiam extendit ad praelatos regulares erga regulares subditos.

Quoad opera praescripta in hoc iubilaeo, mentem suam ita exponit pontifex in sua encyclica *Inter praeteritos*, §. 2. Pro sacra communione accipere se dicit non sacramentalem tantummodo, sed sacramentalem simul et spiritualem.

Confessionem sacramentalem inter opera iniuncta reponit, adeo ut necessaria prorsus sit, etiamsi peccato gravi quis careat.

Diem, intra quem basilicarum visitatio compleri debet, liberum est inci-

pere, sive a vesperis diei praecedentis usque ad vespertina crepuscula sequentis diei, sive a media nocte ad mediam noctem.

Qui iter romanum susceperunt, vel qui pervenerunt Romam, et subita impedimenti, vel mortis incursione opera iniuncta praestare non valuerant; confessione expiati, et sacra communione refecti iubilaeum lucrantur.

Facultates absolvendi a reservatis, et dispensandi, omnes se suspendisse declarat, sive quae quarumdam indulgentiarum occasione conceduntur, sive quae alia de causa collatae sunt.

Regularium confessiones excipere possunt Romae poenitentiarii basilicarum, licet alias obstent eorumdem regularium constitutiones, vel privilegia a s. sede approbata.

Minores poenitentiarii Romae commutare possunt dispensando, non solum vota nuda, sed et quae confirmata sunt iuramento

Item absolvere possunt sacerdotes reos censurarum, et dispensare in irregularitate contracta ob violationem censurarum tantummodo; quod et praestare possunt cum aliis etiam clericis non sacerdotibus.

Si quis est dispensatus a visitatione basilicarum, non continuo est dispensatus ab aliis operibus iniunctis, neque etiam a precibus, *quae a basilicarum visitatione separari possunt*. Nec sufficiunt ea opera iniuncta, quae quis ex alio titulo praestare alias tenetur, puta, titulo iustitiae

Confessarius neque in iubilaeo potest absolvere illum, qui secum fuit reus criminis in re venerea.

Concessis sibi facultatibus uti nequeunt poenitentiarii extra basilicas, seu ecclesias sibi assignatas, nec nisi in actu confessionis, neque cum iis, quibus sincera voluntas iubilaei acquirendi deest. Quos tamen absolvunt, illis poenitentiam sacramentalem imponere debent diversam ab operibus pro lucrando iubilaeo.

In censuris absolvendis praemitti, vel saltem promitti cum iuramento debet satisfactio parti laesae Laesa vero pars non est iudex, sed ille, qui damnum passus est

In constitutionibus iubilaei alia opera praescribuntur romanis, vel urbis incolis; alia peregrinis. Priori nomine designantur illi, qui intra quintum ab urbe lapidem habitant: sicut et incolae urbis dicuntur, qui Romam advenerunt animo ibi maiorem anni partem transigendi; sicut et intra eorum numerum comprehendi vult pontifex, qui alia, quam iubilaei consequendi causa, Romam advenerint. Caeteri omnes peregrini, aut exteri ad hunc effectum vocantur.

Censet pontifex, valere communem opinionem theologorum, quae non obligat praemitti confessionem ad opera praescripta; sufficere enim ad lucrandam indulgentiam credit, si postremum opus fiat in gratia.

Si quis confiteatur, deinde ante completa opera recidat in lethale peccatum, non sufficere illi vult si conteratur, et sic contritus opera perficiat. Vult igitur, ut quamvis non teneatur praestitas visitationes repetere, debeat iterare confessionem. idemque ab eo praestandum esse dicit, qui in priori confessione invincibiliter oblitus sit subiicere clavibus peccatum aliquod mortale.

Puberes qui de iure incapaces censentur communionis, dispensari permittit, commutatione facta in aliud opus.

Ad indulgentiam lucrandam non requiritur, ut per portam sanctam quis ingrediatur et egrediatur. Si quis visitationes aliquas basilicarum praemisit, dein per indultum, quod emitti solet intra spatium anni sancti, quo visitationes ad minorem numerum rediguntur, potest computare visitationes praecedentes, et indulto uti; sicut etiam eadem indulgentia utendum cum illis, qui ante indultum, numerum totum implessent visitationum ab indulto dein emanato praescriptarum

Mentem esse suam dicit, ut vocalis fiat oratio in basilicis, nec sufficere si mente tantum oretur.

Si quis intra annum pluries opera iniuncta repetierit, acquirere denuo potest indulgentiam; sed alios favores et gratias, quibus prima vice factus est particeps, iterum consequi minime potest, puta iterum absolvi a reservatis, aut novorum votorum commutationem obtinere.

Quamquam concessa sit poenitentiariis minoribus, et confessariis, a cardinali vicario Romae deputatis, facultas

absolvendi a peccatis reservatis in bulla *Coenae*, non ideo tamen ex facultate generali data est facultas absolvendi ab haeresi externa.

Declaravit insuper in sua constitutione, quae incipit *Convocatis*, illum, qui ex intentione recipiendi iubilaeum, absolutionem a censuris et votorum commutationem obtinuit, si postea mutata intentione, iubilaeum non recipit, non ideo incurrere iterum censuram, et votis prioribus obstringi; sed inclinat in sententiam, ut reus habeatur peccati mortalis qui ita voluntatem suam mutat, censet enim, hic quemdam tacitum contractum celebrari, ut confessarius ex sua parte illum participem reddat gratiarum iubilaei, et ex parte altera poenitens se obliget ad reliqua opera praestanda.

Praeter poenitentiarios basilicarum, et alios a cardinali vicario deputatos pro anno sancto, sunt etiam Romae alii confessarii ordinarii, ex quibus alii regulares sunt; et ex regularibus alii a suis superioribus destinantur ad suos conregulares auscultandos in confessione; alii vero regulares a cardinali vicario pro excipiendis saecularium confessionibus approbantur. His postremo a cardinali vicario approbatis respectu suorum conregularium concessae sunt facultates, quae dantur confessariis saecularium, adiecta insuper illis facultate dispensandi ab irregularitate ob violationem censurarum incursa, dummodo sit occulta; quae tamen facultas non suppetit illis regularibus, qui tantum a superiore suo deputati sunt.

Qui vero a cardinali vicario consuetam facultatem habent audiendi confessionem, nec sunt specialiter deputati pro anno sancto, illis eadem facultas quoad saeculares remanet, quam prius obtinebant, neque enim suspensio facultatum, quae fit in anno iubilaei, confessarios urbis Romae comprehendit: quod habet locum etiam in regularibus.

Haec omnia pontifex late explicat, et exponit in sua encyclica, ad poenitentiarios et confessarios urbis, *Inter praeteritos*. Ad hanc encyclicam recurrendum edicit pontifex in altera encyclica *Celebrationem magni* pro extensione iubilaei ad universum orbem.

In altera bulla, quae continetur in bull. conceditur infirmis utriusque sexus, monialibus, oblatis, tertiariis in communitate viventibus, novitiis, et educandis in eisdem communitatibus degentibus; item anachoretis, et eremitis, viventibus cum clausura et solitudine, sub regimine saltem ordinariorum; item captivis et carceratis quocumque in carcere; denique infirmis tam saecularibus, quam regularibus, senibus ultra septuagesimum annum, ut possint bis lucrari indulgentiam, dummodo episcopi, et superiores commutent illis opera iniuncta. Insuper concedit monialibus, etiam novitiis, ut possint pro prima vice dumtaxat ad effectus iubilaei consequendi eligere sibi confessarios, seu regulares, seu presbyteros saeculares ex approbatis ab ordinariis ad audiendas moniales. Anachoretis vero, oblatis, tertiariis, mulieribus etiam in conservatoriis degentibus, captivis in carcere detentis, infirmitate ac senectute impeditis, omnibus etiam regularibus facultas datur ad hunc effectum, ut possint sibi eligere in confessarium, sive presbyteros saeculares, sive regulares cuiuscumque ordinis ad confessiones saecularium audiendas approbatos; a quibus absolvi possunt a reservatis etiam apostolicae sedi, et in bulla *Coenae*. Vult tamen, ut in carcere detenti, quorum criminales causae nondum conclusae sunt, moneantur de obligatione, qua tenentur, iudicibus secularibus iuridice interrogantibus veritatem aperire.

Vult etiam, ut confessarii illi a monialibus, oblatis, aliisque puellis supradictis electi, possint dispensare in votis a monialibus emissis post professionem, quorum observantia cum professione religiosa componi potest. Quoad vero novitias educandas, sicut et quoad tertiarias, et in conservatoriis degentes, concedit, ut possint confessarii dispensare quoad vota, etiam iurata, exceptis apostolicae sedi reservatis.

Alia etiam bulla, quae incipit *Pastoris aeterni*, concedit apostatis et fugitivis cuiuscumque ordinis, qui citra montes intra quatuor, et ultra montes intra octo menses a publicatione (publicata est die 19. ianuarii 1750.) eiusdem bullae redierint ad suam religionem, remissionem omnium poenarum

propter apostasiam incursarum et infligendarum, et insuper impunitatem, dummodo coram superiore suo culpam deprecentur, et ab eo absolutionem obtineant.

Iubilaei extensio per universum orbem ita facta est. Intra sex menses a publicatione bullae suae incipientis *Benedictus Deus*, a publicatione, inquam, in qualibet ecclesia facienda concedit pontifex iubilaeum instar romani, quod obtineri etiam ab iis possit, qui anno praecedenti iam Romae illud lucrati fuerant.

Deputandum vero edicit ab ordinariis locorum ecclesiam cathedralem, seu maiorem eiusdem civitatis cum aliis tribus eiusdem civitatis, seu loci, sive suburbiorum, quas teneantur fideles semel saltem in die per quindecim dies continuos, vel interpolatos visitare, die incepta a primis vesperis diei praecedentis usque ad vespertinum crepusculum diei sequentis, ubi orent modo consueto.

Navigantes, et iter agentes, etsi redierint, elapso iubilaei termino, ad sua domicilia, seu alio diverterint ad certam stationem, si visitaverint assignatis vicibus ecclesiam cathedralem, vel maiorem, et confessionem ac sacram communionem exceperint, eamdem indulgentiam consequantur.

Concedit etiam impeditis, ut pro visitationibus alia opera praestando designentur a superioribus suis per se, vel per prudentes confessarios. Communionem etiam sacramentalem permittit commutari cum pueris nondum admissis ad communionem.

Cum communitatibus vero tam regularium, quam saecularium, capitulis, congregationibus, sodalitatibus, universitatibus, collegiis processionaliter visitantibus ecclesiam, visitationum huiusmodi numerum restringi permittit.

Quoad moniales et novitias, concedit, ut eligere sibi possint ad hunc effectum confessarium quemcumque ex approbatis ad moniales ab ordinario actuali loci.

Quoad caeteros omnes etiam regulares, concedit, ut possint sibi eligere quemcumque confessarium tam regularem quam saecularem ab actuali ordinario loci approbatum, a quo absolvi possint in foro conscientiae ab omnibus censuris a iure, vel ab homine latis, etiam apostolicae sedi reservatis, etiam in bulla *Coenae*, et commutari eorum vota etiam iurata, et apostolicae sedi reservata, excepto voto castitatis et religionis, et iis, quibus ius tertio acquisitum est, et dispensare quoad irregularitatem, eam solummodo, quae contracta est ob censurarum violationem. Reservat vero de more absolutionem complicis in re venerea. Ac tandem declarat eum, qui praedictis facultatibus compos voti factus fuerit, si dein mutet voluntatem lucrandi iubilaeum, non ideo incidere in priores censuras, seu votis astringi, quamquam *a peccati reatu vix immunem censeri posse* iudicat. Tandem eos, qui morte praeventi visitationum numerum complere nequiverint, confessos et sacra communione refectos indulgentia eadem donat.

Absolutio ab haeresi, etiamsi expresse non reservetur in bulla iubilaei, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi bulla absolutionem a criminibus, in bulla *Coenae* expressis, in genere permittat, ut decrevit sacra Congregatio s. officii die 23. martii 1656. sub Alexandro VII. Inst. eccl. 48. n. 15.

In iubilaeo confessarii ab ordinario alterius loci approbati, nullam habent facultatem absolvendi. Sicut nec habent illi, qui ab ordinario loci semel quidem illam obtinuerunt; sed modo cessavit. Ita ex pluribus decr. sacrae congr. Inst. eccles. 84. n. 27. Ubi tamen ex sensu eiusdem congreg. additur, fideles sic bona fide ab eiusmodi confessariis absolutos non esse inquietandos. Ib. n. 27.

IUDAEI. Si iudaeus coniugatus ad fidem venerit, uxore in infidelitate perseverante, non potest illi libellum repudii mittere, etiam extra iudaeorum domicilium, et coram notario, testibusque christianis. Sanctioni huic contravenientes si forte repudium confecerint intra iudaeorum domicilium, et ritibus superstitionis adhibitis, subiacent eisdem poenis ac iudaizantes, mitioribus tamen puniendus est qui id confecerit extra iudaeorum domicilium. Puniuntur poena pecuniaria notarii christiani, ita in constitutione *Apostolici ministerii*, ubi edicitur etiam, ne uxor

hebraea ad fidem conversa libellum repudii mittat viro in iudaismo perseveranti.

Christianis vetitum est sub excommunicatione, cum hebraeis cohabitare, ex cap. 5. *de iudaeis*. De synod. dioec. lib. 6. cap. 4. n. 2. sicut nec accepta mercede servitium illis assiduum impendere. Ib.

Hebraei ad fidem conversi suis bonis privandi non sunt, nec a successione, et parentum haereditate excludendi, ut ex bulla Clementis XI. *Propagandae*. Ib.

Descendentes a iudaeis, nisi aliter cautum fuerit in beneficiorum fundatione, vel nisi aliter summus pontifex statuerit, arceri non possunt etiam ex constitutionibus privatarum ecclesiarum, a consecutione beneficiorum, ut ex cap. *Eam te*, *de rescriptis*. Idem pariter dicendum de illis, qui ex infidelibus descendunt. De synod. dioeces. lib. 12. cap. 1. n. 4. et 5. Idem etiam dicendum de ordinibus sacris. Ib. n. 5.

IUDICES SYNODALES. Synodales iudices, quibus a romana curia committuntur iudicandae causae in partibus a curia remotis, designari debent personae in ecclesiastica dignitate constitutae, quae sive personatum, sive canonicatum in aliqua cathedrali ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab episcopis in synodis; et si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra synodum ab episcopo cum consensu capituli usque ad novam synodum perseveraturi. Designatorum vero, sive in synodis sive extra, nomina secretario supplicum libellorum pontificis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacumque dioecesi, vel plures si amplitudo eiusdem postulet. Constit. *Quamvis paternae*.

IURISDICTIO. Inferior praelatus ad hoc, ut territorium separatum, et iurisdictionem ordinariam, et quasi episcopalem in clerum et populum obtineat, cum ipsius episcopi exclusione, non iuvatur per quadragenariam praescriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum et subsistens apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis rite probata, per quam privilegium illud de iure valeat praesumi, quae fuit olim decisio s. congr. conc. die 7. ianuarii 1721., dein approbata a Clemente XI. die 14. ianuarii et confirmata a Benedict. XIV. in suc bull. Tunc autem dicetur consuetudo rite inducta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior praelatus omnem omnino iurisdictionalium actuum speciem ita solus exhibuerit, ut episcopus, in cuius dioecesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, nec in iis se umquam miscuerit. De synod. dioeces. l. 13. cap. 8. n. 18. et 21.

Episcopi, licet habeant capitula quantumcumque exempta, possunt per seipsos sine adiunctis de capitulo visitare ecclesiam, canonicos et beneficiatos, ut decisum a s. congregatione concilii in quadam causa zamorensi, quamvis non possint committere hoc munus alteri. De synod. dioec. l. 13. c. 9. n. 6.

Si tamen extra visitationem velint contra canonicum procedere, tenentur duos ex capitulo canonicos adiunctos habere, a capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo canonici constituunt unum tantummodo suffragium; et si ambo conveniant in sententiam episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, iuxta formulam a trid. sess. 25. c. 6. *de ref.* praescriptam. Ita ex pluribus decretis s. congr. concilii, et ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in sess. 6. c. 4., altero in sess. 25. c. 6. De syn. dioeces. l. 13. c. 9. n. 7. et seq.

LEGITIMATIO. Per sequens matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, et proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis iudicium ferendum est. Epistola ad archiepiscopum Hispaniolae. *Redditae nobis*.

LEX ECCLESIASTICA. Lege episcopali vel synodali non tenentur illi qui in dioecesi quidem degunt, sed extra dioecesim abeunt mox redituri, si interim extra fines dioeceseos aliquid agant contra illam legem, quia lex per se et immediate territorium respicit. Verum si quis e dioecesi se absentet animo de-

clinandi synodale statutum, fraudem illi patrocinium praestare non est aequum; quare tunc peccat contra eamdem legem. Ita Clemens x. in constit. *Superna* edixit, poenitentes recedentes a territorio in fraudem non esse absolvendos a reservatis sui territorii, De syn. dioec. l. 13. cap. 4. n. 9. et 10.

Lex ab episcopo lata extra synodum, audito tamen consilio capituli longe probabilius perseverat etiam post obitum eiusdem episcopi, neque enim habet quid diversum a lege in syn. lata, quam etiam defuncto episcopo perseverare satis constat. De syn. dioeces. l. 13. c. 5. n. 1.

Lex synodalis si non acceptetur a populo, quamvis peccent non acceptantes, tamen si id sciat superior post paucos actus ab eo neglectos, et non punitos, ligare desinit ex quadam eius conniventia. De syn. dioeces. lib. 13. cap. 5. n. 3. Si vero id nesciat episcopus, tunc decennium sufficere censetur. Hoc enim sufficit, ut consuetudo longi temporis dicatur. Ib. l. 13. cap. 5. n. 3.

Si vero iam acceptata sit, praescriptio contra illam inducitur per decennium: neque enim agitur de praescriptione, qua aliquod ius proprietatis ab ecclesia auferatur, quae praescriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen, ut a maiori communitatis parte libere sit inducta, continuis actibus frequentata, animo legem tollendi, et adsit consensus legislatoris iuridicus saltem, et legalis, qualem scilicet leges requirunt. De synod. dioeces. l. 13. cap. 5. n. 5.

Lex synodi dioecesanae obligans totam provinciam, si obtinuerit confirmationem a sede apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quaeque his verbis concipi solet: *Si iuste, canonice ac provide facta sunt, et dummodo sacris canonibus, concilii trident. decretis et constitutionibus apostolicis non adversentur* : tunc utique abrogari ab episcopo potest, cum maneat lex eiusdem tantummodo. Si vero confirmatio fiat in forma specifica cum causae cognitione, singulis statutis expensis, et in confirmatione addatur *ex motu proprio, atque ex certa scientia*, tunc utique fit lex pontificis, in qua episcopus dispensare non potest. De synod. dioeces. l. 13. cap. 5. n. 11.

MATRES. An mater teneatur lactare proprium filium sub gravi culpa? Theologi quidam affirmarunt, cum onus istud impositum ipsis a natura animadvertant, nec ulla sint bruta quae natis suis id non praestent; alii tamen melius culpam ea in re levem agnoscunt. Occurrere tamen plures legitimas causas eximendi ab hoc onere matres ultro fatendum. De syn. dioeces. lib. 11. cap. 7. n. 10. et 11.

MATRIMONIUM. Parochus per se assistere matrimonio tenetur, nisi legitima, gravissimaque de causa impeditus. In encyclica ad episcopos Poloniae, *Nimiam licentiam*.

Abstinendum pontifex ab ea censet quaestione inter theologos agitata, num parochus sit huius sacramenti minister, seu potius ipsi contrahentes simul materia, forma et ministri huius sacramenti habeantur. Utriusque sententiae fundamenta late exposita videnda sunt in synodo dioecesana libro 8. cap. 13. num. 1. et seq. Quamquam non obscure inclinare visus est in sententiam, quae contractus, et sacramenti totum quidquid est contrahentibus vindicat. Merito tamen reprehendendi sunt illi qui a contracturis matrimonium non exigunt scientiam doctrinae christianae, saltem eorum, quae ad salutem necessaria sunt. Mandavit enim Clem. xi. et ipse etiam Bened. xiv. in quadam encyclica, quae est in eius bullario, ut parochus ab inituris matrimonium exquirat interrogando, quae ad salutem necessaria sunt, et si deprehenderit ignorasse, matrimonio iungendi non sunt. Monet insuper cum Giribaldo, illos, qui praecipua fidei mysteria sciunt, ea vero quae sunt de necessitate praecepti, rudi solummodo tenent, illos quidem posse aliquandiu retineri a matrimonio celebrando, atque interim parochus illos diligenter doceat, et si deprehenderit rudiores esse ingenio, et exilis memoriae, ut doctiores effici non valeant, tenetur tandem coniungere. De syn. dioec. lib. 8. cap. 14. num. 1. et seqq.

Matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus celebrari debet, quae verba sunt Tridentini *de ref. matrim.* sess. 24.

c. 1. Reprehendendam vero censet pontifex episcoporum quorumdam oscitantantiam, qui in synodis suis edixerunt, celebrandum esse *coram legitimo ministro*, ex quo ansa data est theologis nonnullis opinandi, sententiamque suam ex eorum mente, ut hi quidem arbitrantur, firmandi, parochum esse legitimum sacramenti matrimonii ministrum.

Si episcopus generatim interdicat parocho, ne matrimoniis assistat, adhuc tamen matrimonium valere definit sacr. congr. conc. et firmat pontifex in tr. de syn. dioec. lib. 12. cap. 5. n. 2.

Si vero interdictum istud venerit a pontifice cum decreto irritante, tunc utique non valet coniugium, cum pontifex iure suo possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto decretum irritans, matrimonium valet; cum impedimentum illud impediens, non irritans censendum sit. Ib. num. 3.

Parochus, coram quo celebrari potest matrimonium, est parochus domicilii, non originis, ut ex consensu auctorum, et sensu s. congreg. constat. Inst. eccl. 33. n. 6. Quare si quis habeat duo domicilia in duplici paroecia, in alterutra matrimonio iungi potest: attamen ad habendum duplex domicilium requiritur, ut in utraque aequalem moraliter habitationem habeat. Inst. eccles. 33. n. 6. Parochus ruralis, quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis, et ad rusticana negotia; ita enim perpetuo censuit s. congreg. Ib. n. 7.

Nullum est matrimonium eius, qui e loco propriae habitationis, non tamen deserto ibi domicilio, pergit ad alium locum animo se coniungendi in matrimonio, non adepto novo domicilio, seu quasi domicilio, ita ex sensu perpetuo s. congr. Ibid. n. 8.

Vagorum parochus quoad matrimonium, est parochus loci, ubi tunc versantur, ut ex sensu plurium theologorum. Ibid. n. 10.

Diligenter tamen distinguendi sunt vagi a pellegrinis. Vagi sunt enim illi qui, relicto proprio domicilio, aliud quaesituri vagantur; peregrini vero qui, non relicto domicilio, peregrinantur alicubi. Ibid. n. 10.

Scholares, iudices, medici etc. qui alicubi conducti habitant, in loco eiusdem habitationis contrahunt quasi domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. Ita ex dd. et decr. s. congr. Ibid. n. 11.

Quoad matrimonia eorum, qui in carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia iudicis, sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, parochus loci ubi carcer situs est, est parochus matrimonii Si vero detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Ita ex sensu s. congregationis, et dd. Ibid. n. 12.

Parochus eorum, qui expositi sunt, et in hospitali aluntur. quoad matrimonium non est capellanus eiusdem hospitalis, sed parochus, ubi situm est hospitale. Ut ex decretis s. congregationis. Ibid. n. 14.

Educandae in monasterio degentes habent pro parocho matrimonii illum, in cuius loco est domicilium paternum, maternum, vel fraternum, ut ex multis theologis. Ibid. n. 16. Si eo careant est parochus loci ubi est monasterium.

Famuli habentes domum et familiam in alia paroecia diversa ab ea quam habet domus heri, parochum matrimonii habent illum, in qua est domus et familia. Ita ex statutis cleri romani ib n. 20. disponitur. Si vero domicilium familiae habeant extra urbem, et in urbe famulatum, tunc coram parocho urbano contrahunt. Inst. eccl. 88. n. 5.

Si episcopus mandet alicui parocho, ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum parochum alterutrius ex contrahentibus, et si postea reperiatur, vere non esse parochum illorum, adhuc tamen mandatum episcopi valet, ut consensus iste sustineatur, ut semel et iterum decisum a s. congr. refertur. Inst. eccl. 88. n. 4.

Matrimonium etiam bona fide contractum coram parocho et unico teste non valet, ut ex responso s. congregationis concilii constat. De syn. dioec. l. 12. c. 5. n. 5. Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine parocho in loco, ubi non est nisi haereticus, vel si est, illum adeundi libera potestas deest. Ib.

Parocho praesente, ita tamen ut ne-

que videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, matrimonium est nullum, uti definitum est a s. congregatione concilii post diligens examen in causa romana die 7. martii 1700. At si parochus *affectaverit non intelligere* verba contrahentium, matrimonium valere respondit alio decreto anni 1593. In causa ulyssiponensi s. congregatio. De syn. dioec. l. 13. c. 23. n. 5.

Tunc vero *non audire affectat* parochus, si invitus adhibeatur ad contractus celebrationem, et data opera neque videre vult, neque percipere cum tamen facile posset, et testes audierint et viderint, quae sane ratio fuit decreti s. congregationis in Carthag. matrim. ann. 1753. lati pro similis matrimonii validitate. Ibid. n. 11.

Parochus, cui interdictum est ab episcopo, ne interveniat matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit matrimonium invalidum. Ita ex decis. s. congr. De syn. dioec. l. 13. c. 23. n. 1. Idem dicas, si ordinarius tantum vetet vicario parochi, ne assistat, ille contra mandatum assistat. Item pariter iudicandum est, si vel parochus, vel eius vicarius prohibiti ab episcopo, nolentes et inviti assistere cogantur. Ibid. ex eodem decreto.

Matrimonio iungendi non sunt sponsi a parocho, si comperiat illos ignorare necessaria ad salutem. Encyclica *Etsi minime*.

In impedimento disparitatis cultus animadvertendum est, coniugem, qui ad fidem transiit, altero in infidelitate relicto, teneri quidem admonere infidelem, num velit cohabitare absque contumelia Creatoris, et sine ista admonitione fidelis non potest ad secunda vota transire. Verum pontifex cum neophytis baptizatis pii loci cathecumenorum Venetiis dispensat, ut possint contrahere, etiam consensu alterius coniugis infidelis non requisito, dummodo constet summarie et extraiudicialiter, illum moneri minime posse, quamvis postea compertum sit, infideles illos tempore secundi matrimonii fidelis baptizati ad fidem fuisse conversos. Constit. *In suprema.*

Si infidelis coniux veniat ad fidem, et alter consentiat habitare cum illo absque iniuria Creatoris, quamvis in infidelitate perseverare velit (quod iudicandum pertinet ad episcopum) tunc decrevit s. congregatio, non posse conversum ad fidem aliam sibi coniugem adsciscere. At eo ipso, quod alter velit in infidelitate perseverare, censent theologi plures, satis esse periculi in neophyto. Verum huius dubii solutionem recte monet Cabassutius ex moribus regionum et casuum circumstantiis pendere. De syn. dioec. l. 13. c. 21. n. 1.

Accidit, ut infidelis plures uxores in infidelitate accipiat, tum veniat ad fidem, et fidem pariter una ex his uxoribus recipere sit parata, non tamen illa, quae prior ducta est, quae propter distantiam locorum, vel ignorando ubi nam sit, requiri iudicialiter non possit. Demum post renovatum cum illa, quae venit ad fidem, matrimonium (quod fieri non potest absque renovatione consensus coram parocho et testibus, eo quod prior consensus in infidelitate datus fuisset nullus propter matrimonium prius cum altera celebratum), comparet uxor prior, et probat, se non fuisse praemonitam, vel fuisse impeditam, ut suam voluntatem manifestaret, nunc vero paratam se dicit ad fidem amplectendam, vel iam fuisse amplexam antequam coniugium neophyti cum neophyta celebraretur. In hoc rerum eventu s. Pius v. concessit missionariis, ut cum iudaeis baptizatis dispensare possent, ad effectum remanendi tamquam cum uxore legitima, cum ea uxore, quae fuerit pariter baptizata. Eamdem dispensandi facultatem concessit Gregorius XIII. Episcopis, parochis, et e societate Iesu presbyteris, ad sacramentales confessiones in iis regionibus approbatis, quoad eos, qui ab Anglia, Aethiopia, ac Brasylia, in captivitatem adducti, et in remotas regiones delati fuerant, ut non expectato, nec requisito consensu coniugis in infidelitate ducti, matrimonium inire possint cum quocumque fideli, etiamsi coniuges infideles declarare possent se iusto fuisse impeditos ad manifestandam suam voluntatem, vel etiamsi probarent, se fuisse conversos ad fidem tempore secundi matrimonii. Has constitutiones certe emanare potuisse ab iis pontificibus fuse demonstratur; sed eas extendi non posse ad alias regiones, quantumvis similes ra-

tiones suppetant, clare constat. Quare si forte casus accidat, petenda est facultas dispensandi a ss. pontificibus. De syn. dioec. l. 13. c. 21. n. 3. et seq.

Si infidelis unam coniugem infidelem duxerit, ita matrimonium valet, ut si ea vivente alteram superinducat, secundum matrimonium nullum sit, cum matrimonium institutum sit, ut unicam habeat. Ibid. n. 8.

Si matrimonium ineatur inter duos, qui pravum habent errorem substantiae matrimonii repugnantem, ut inter graecos, qui censent coniugii vinculum dissolvi per alterutrius coniugis adulterium, prava haec opinio non officit validitati matrimonii. Ita resolvit s. c. concilii die 15. ianuarii 1724. De syn. dioec. l. 13. c. 22. n. 4.

Verum si haec opinio deducatur in pactum tamquam conditio in actu ineundi matrimonii, tunc matrimonium nullum est, uti semper accidit cum matrimonio est apposita conditio substantiae matrimonii repugnans, ex decretali Gregorii IX. cap. *De appositis*. Ib. n. 5. Hinc, quem subdo, casus resolutus est a s. c. die 20. maii anni 1754.

In formula, quam calvinistae in coniugiis ineundis adhibent, minister sponsum interrogat, *accipisne illam in uxorem?* respondet ille: *accipio*. Eadem verba interroganti ministro repetit sponsa. Tum minister iterum ad sponsum: Personam, quam manu tenes, amas, et accipis eam in perpetuam uxorem, nec in ulla illius aerumna deseres, *quoadusque in sua honestate et puritate permanserit?* Tantumdem dicit sponsae. Porro illud, *quoadusque in sua honestate et puritate permanserit*, in sensu calvinistarum denotat virum accipere sponsam in uxorem quoadusque adulterium non contraxerit, eoque commisso, vinculum coniugii solvi. Celebrant igitur haec coniugia cum conditione opposita perpetuitati matrimonii, quae sane perpetuitas essentiae coniugii annexa est, ut ex conc. florentino in decreto de unione armenorum, et instructione Clementis VIII. pro italograecis, confirmata a Benedicto XIV. sua constitutione *Etsi pastoralis*, quae est 57. bull. constat. Quare optime definitum in congreg. s. officii die 20. maii 1754., coniugium illud nullum extitisse, adeoque integrum fuisse alterutri sponso ad alia vota transire. De syn. dioec. l. 13. c. 22. n. 9. Neque obstare iudicatum est, prius dixisse utrumque sponsum, accipio hunc in coniugem, deinde ad novam interrogationem utrumque conditionem subdidisse, quia et prior et secunda interrogatio unus idemque actus iudicatus est.

Ex his etiam resolutus est a s. congregatione casus alter die 8. iulii 1724. Vir et foemina convenerunt ad celebrandum matrimonium coram ecclesia, ut illud nequaquam consummare deberent, sed post quindecim dies mulier monasterium ingrederetur, et post probationis annum profiteretur; interim vero omni iuri renuntiabat, quod in mariti personam ex matrimonio sibi acquirere potuisset, consenseratque, ut si ab his pactis defecisset, matrimonium nullum, irritumque declararetur. Ita conventum inter illos, pactaque haec scriptis consignata sunt, ac significata testibus et parocho, coram quibus ineundae erant nuptiae. Hoc matrimonium nullum esse declaravit s. c. ex cap. *Si conditiones, de condit. apposit.;* nam abdicatio facta ab utroque de potestate in corpus alterius, aperte contraria est substantiae matrimonii. Quamvis enim in ipsa matrimonii celebratione actu expressae non essent pactiones istae, constabat tamen ex antecedentibus et sequentibus simul iunctis, coniuges ab iis non recessisse. Ib. n. 10.

Matrimonium infidelis in infidelitate contractum non statim resolvitur, ex quo alteruter coniugum baptizatur, et alter renuit, sed tunc cum baptizatus ad altera vota transit. Epistola ad vices-gerentem de baptismo hebraeorum, etc. *Postremo mense*, etc. Vide de syn. dioec. l. 6. c. 4. n. 4.

Hebraei cum haeretica non valet, obstante cultus disparitate. Epistola ad cardinalem Ducem Eboracensem data die 9. febr. 1749. §. 11. et seq. bullar.

Num in casu, quo alteruter ex coniugibus ad fidem venerit, relicto altero, qui non vult cohabitare sine iniuria Creatoris, dein vero et ipse ad fidem conversus sit, atque interim postquam secundus, licet ad fidem conversus est, prior coniux secundas nuptias iniverit, in eo casu suadendum sit pontifici, ut matrimonium in infidelitate consum-

matum dissolvat in favorem secundi coniugii; ambigit merito pontifex, et censet id fieri non debere, nisi adsint causae gravissimae. De syn. dioec. l. 6. cap. 4.

Catholici, qui cum haeretico matrimonium celebrant etiam in locis haereticorum, gravissime peccant, quia hoc agendo cum illis in divinis communicant, quod, nisi forte cum gravissima causa, illicitum est. Si vero postquam sic contraxerint coram parocho catholico, possint iterum coram ministro protestante coniungi ad evitanda gravia damna, quaestio est, ad quam s. congreg. respondit: minister haereticus si assistat hisce matrimoniis, ut minister politicus, tunc a catholicis peccatum non committitur; secus vero si assistat ut minister sacris addictus. Ita censet pontifex in syn. dioec. l. 6. c. 5. n. 4. et 5.

Coniugia haeretici protestantis cum foemina haeretica coram parocho non catholico in Belgio confoederato celebrata valida habenda sunt. Decretum a pontifice approbatum die 4. nov. 1741. bull. Item valet ita, et in iis regionibus celebratum, si haereticus catholicam ducat, quamquam postremum hoc illicitum haberi debet. Ib. Idipsum reperitur in epistola ad cardinalem Ducem Eboracensem data die 9. febr. 1749. bullar. Vide tr. de synod. dioec. l. 6. c. 6. n. 12.

Nuptiae inter catholicum et haereticum coniugem multo rectius non sunt benedicendae, neque missa in praesentia haeretici celebranda, nec tandem connubii ritus inter ecclesiae ambitum peragendus, quod et vetitum fuisse a Clem. VIII. circa benedictiones quidam referunt. De syn. dioec. l. 6. c. 5. n. 5.

Matrimonia inita a graecis catholicis in ecclesia orientali post susceptum sacrum ordinem, dubium est num valeant, an tantummodo illicita habenda sint; quare si forte id accidat, petenda est dispensatio a sede apostolica, sed in dispensatione non exprimitur conditio, ut consensus inter coniugatos repetatur.

Quoad italo-graecos matrimonia post ordinem sacrum inita, nulla sunt. Constit. *Etsi pastoralis.*

Impedimentum ex adoptione provenienti explicatur a pontifice in tract. de syn. dioec. l. 9. c. 10. n. 4.: connubium iniri non potest inter adoptantem et adoptatum, atque ab isto descendentes; quod impedimenti genus semper durat quoad adoptantem tantum, et adoptatum. Secundo inter adoptatum et filios naturales adoptantis. Sed impedimentum istud tamdiu durat, quamdiu perseverat adoptio, seu filii remanent sub patria potestate; nam ea soluta, sive per mortem adoptantis, sive per emancipationem filii, sive adoptivi, sive naturalis, cessat impedimentum. Tertio inter adoptantem, et uxorem adoptati, seu vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis, idque semper durat. An vero haec impedimenta obtineant tam in adoptione perfecta, quam imperfecta, lis est inter doctores. Porro adoptio perfecta tunc fit, cum persona extranea sui iuris ex principis rescripto, ita transit in potestatem, et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus fiat eius haeres necessarius tam ab intestato, quam extra. Adoptio imperfecta dicitur, cum persona extranea constituta sub patris, seu avi potestate, solius magistratus, alteriusve iudicis competentis auctoritate in filium, aut nepotem adsciscitur; non tamen in familiam, et potestatem adoptantis transit, et succedit solum ab intestato. De syn. dioec. lib. 9. c. 10. num. 4.

Matrimonia filiorum-familias sine parentum consensu contracta, etiamsi in Galliis habeantur invalida quoad effectus civiles, ut de dotis invaliditate, et communitate inter virum et uxorem; valida tamen habenda esse in ratione sacramenti censet pontifex, et oppositum sentientes reiiciendos omnino iudicat. De syn. dioec. l. 9. c. 11. n. 2.

In matrimonio puberis cum impubere, malitia aetatem supplente, episcopus potest iure suo licentiam contrahendi largiri. Encyclica ad episcopos Poloniae, *Magnae nobis.* Ad pronuntiandum in ea causa cumulativum ius est inter sedem apostolicam, et iudices ordinarios. Ib.

Quoad matrimonia inter impuberes nondum coniugio aptos, solus romanus pontifex dispensat. Ib.

Impedimenta matrimonium impedientia ab episcopo relaxari possunt

si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis, et illud, quod ex voto perpetuae castitatis, et ingrediendi religionem, nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Caetera vero matrimonium irritantia tollere, nisi romanus pontifex, nemo potest. Excipitur tamen casus quem statim subdo.

Si forte accidat ut matrimonium iam fuerit contractum in facie ecclesiae cum omnibus solemnitatibus,initumque fuerit bona fide ex ignorantia impedimenti iuris et facti, et sit consummatum, occultum sit tamen impedimentum, et adiri non possit pontifex, seu ab eo dispensatio obtineri ob coniugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam etc., nec possit separatio fieri sine scandalo; dum simul omnes istae circumstantiae adfuerint, tunc ab episcopo ea dispensatio tuto conceditur, quam potest maior poenitentiarius papae, sed in foro tamen conscientiae tantum. Quare si impedimentum illud postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, impetranda est a summo pontifice dispensatio. De synod. dioec. l. 9. cap. 2. n. 1.

Forte etiam episcopus dispensare poterit in impedimento dirimente occulto, cum matrimonium proxime contrahendum est, in casu quo tales urgeant rerum circumstantiae, ut nec s. pontifex consuli possit, nec matrimonium differri sine scandalo aut infamia contrahentium. Tunc censendus est s. pontifex tacite delegare episcopo potestatem dispensandi. Ibid. n. 2.

His praecisis rerum circumstantiis, nemini fas est episcopo dispensare in impedimentis publicis matrimonium dirimentibus. Neque enim verum est et sanum, axioma illud a nonnullis adoptatum: *Quidquid potest pontifex in universo orbe, si excipias, quae totius ecclesiae statum respiciunt, velut fidei articulum definire, potest episcopus in sua dioecesi; nisi papa sibi illud reservaverit.* Non enim potest inferior legem a superiore latam relaxare. Sunt qui consuetudinem praetendant; at considerent attente, cum res sit de minuendis iuribus roman. pontif. unice competentibus, num 100. ad minus annorum spatium sine ulla interruptione perseveraverit. Considerandum insuper et potissimum, num per eam consuetudinem *disrumpatur nervus ecclesiasticae disciplinae:* tunc enim numquam contra legem praescribitur. Cap. *Cum inter*, *de consuet*. Tract. de syn. dioec. l. 9. c. 2. n. 3.

In contractis matrimoniis pro eorum revalidatione non dispensat s. poenitentiaria in gradibus primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, nisi forte in secundo gradu per decennium duravit occultum impedimentum, et coniuges ut legitimi reputati fuerint. In reliquis vero dispensat, sicut in gradibus et tertio, et quarto publicis revalidat matrimonia ex causa occulta subreptionis et obreptionis litterarum apostolicarum nulliter contracta, nisi si falsitas consistat in narratione falsa praecedentis copulae. Bulla *Pastor bonus*. Vide inst. eccl. 87.

Si in dispensatione a Dataria obtenta quoad gradus prohibitos reticeatur copula ex causa infamiae, tunc sacra poenitentiaria dispensat in matrimonio contrahendo, et etiam contracto, at cum agitur de primo in secundum gradum, exigit compositionem 50. ducatorum auri de camera, nisi gratia prior fuerit expedita in forma pauperum. Ib. §. 41.

Si in dispensatione a Dataria petita in impedimentis graduum expressa fuerit copula, tacita tamen mala intentione facilius obtinendae dispensationis, tunc si mala intentio sit occulta, dispensat s. poenitentiaria cum miserabilibus personis absolute, cum reliquis taxa definita. Si vero copula habita fuerit affinitate, seu consanguinitate non agnita, tunc pro dispensationibus non est necessario exprimenda. Inst. eccl. 87. n. 23.

In impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita, absente etiam periculo scandalorum in contracto, et contrahendo matrimonio, in foro conscientiae dispensat.

Dispensat etiam in impedimento criminis tam pro contracto, quam pro contrahendo, ubi nulla adest machinatio. Potest etiam dispensare, quando agitur de machinatione ex parte tantum alterutrius; id tamen rarius praestat. Ibid. num. 44.

In impedimentis dispensat etiam si fuerint multiplicia, sicut et dispensat in foro conscientiae pro legitimatione

prolis, nisi illa concepta fuerit in adulterio. Ib. n. 45.

In dispensationibus pro impedimentis matrimonii super gradibus vetitis impetrandis, si taceatur copula antecedens, sicut (si adfuerit) intentio facilius obtinendae dispensationis, rescriptum vitiatur, ut dd. Instit. eccl. 87. n. 13. In contractis tamen matrimoniis, si hoc vitium occultum perseveret, dispensat poenitentiaria. Ib. n. 14.

Clausula illa in dispensationibus matrimonialibus, *absolutio et dispensatio in foro iudiciario nullatenus suffragetur*, eam vim habet, ut si impedimentum ex occulto fiat publicum, possit ordinarius coniuges separare a toro. Si tamen illi occulte sine scandalo debitum invicem reddant, non peccant, ita sentiente Navar. Ib. n. 50.

Si ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest, imo debet facere, etiamsi reus protestetur de obtenta dispensatione. Si vero certioretur ea de re ab aliquo fide digno, ut a confessario, seu parocho, qui possunt id clam testificari episcopo, tunc debet episcopus acquiescere, nec debet ad delictum puniendum procedere, ut ex Clericato monet auctor. Ib. n. 50.

Postrema clausula sic enuntiatur: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, etc.* Reiicitur sententia opinantium hanc non esse conditionem; sed ut confessarius instruatur, quo certior sit contractus; ac veram esse conditionem ex *ablativo absoluto*, quo enuntiatur, ut est iuristarum sensus, demonstratur. Instit. eccl. 87. n. 68.

Nec admittitur sententia asserens, quando fieri non possit revelatio impedimenti, sufficere, ut pars illud sciens habeat copulam cum parte ignorante affectu maritali, cum prior consensus partis insciae fuerit nullus, adeoque ex parte illius nullus sit, unde debet innovari. Aliorum sententia pariter reiecta est, eorum nempe, qui suadent, ut sciens impedimentum proponat alteri, se adeo illam amare ut denuo cum illa velit ligari, si alter respondeat affirmative, consensus censetur innovatus. Haec tamen opinio reiicitur, eo quod consensus praestitus a parte inscia sit consensus iunctus cum errore, quare non adimpletur conditio, *dicta muliere certiorata*.

Praefertur caeteris quarta ratio certiorem reddendi partem ignaram, et tunc fit, cum parti ignarae dicitur, in priori matrimonio defuisse consensum validum; adeoque suasu confessoris se proponere, ut iterum innovetur ex parte utriusque. Ibid. n. 78.

Sed quid si timor occurrat, ne, parte ignara certiorata de nullitate consensus, futurum sit, ut illa renuat novam celebrationem, adeoque sic soluto matrimonio, timeatur ne nata antecedenter proles declaretur illegitima? Tunc utique de prole non est cur dubitetur, nam semper habetur ut legitima cum impedimentum est occultum, et unus saltem ex coniugibus in bona fide versatur. Verum si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione huius matrimonii, suadet auctor, ut per novas litteras exponatur s. poenitentiariae casus, vel recurratur ad episcopum, qui id suadebit quod erit opportunum. Ibid. n. 80.

Causae matrimoniales a curia romana commissae in partibus, non delegantur nisi episcopis, vel si nullus sit in dioecesi, saltem vicinioribus; et si vel illi abfuerint, iudicibus synodalibus. Cons. *Dei miseratione*. Mandat insuper pontifex, ut in singulis dioecesibus defensor matrimoniorum designetur, qui semper adsit in iudicio, et citetur in omnibus actibus. Si vero iudex in partibus pro validitate matrimonii sententiam ferat, ab ea sententia appellatio nulla intercedat. Secus si pro invaliditate, defensor appellare debet intra tempus legitimum, sive pars instet, sive non. Pendente vero appellatione ad novas nuptias transire coniuges vetantur sub poenis contra polygamos constitutis.

Post duas sententias conformes de nullitate matrimonii, licitum est coniugibus transire ad alias nuptias, dummodo pars, seu defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum. Ib. Pacta praevia inita inter coniuges de non appellando a sententia de nullitate matrimonii irrita declarat pontifex in encycl. ad Polonos. bull.

Matrimonia inter haereticos sine praesentia parochi in provinciis foederati Belgii, cum non sit ibi receptum con-

cilium tridentinum, tenent; quemadmodum etiam matrimonia inter haereticam et catholicum ab incolis illorum locorum sustinentur. Idem statuitur si uterque contrahens pertineat ad militias ordinum foederati Belgii addictas muniendis arcibus vulgo dicti *di barriera*. Extenditur ad contrahentes in civitate Mosae Traiectensis. Sed si contrahentes habentes domicilium in provinciis foederatis velint contrahere in regionibus catholicis, seu vicissim velint contrahere in provinciis foederatis, cum habeant domicilium in regionibus catholicis, nihil de illis decernitur. Const. *Matrimonia*.

Denuntiationes matrimoniales non sine gravi causa dispensentur ab episcopo, mandat pontifex constit. *Satis vobis*. In eo vero casu, quo fiat dispensatio, iubet ut nomina contrahentium, et fides celebrati matrimonii a ministro deputato facta, in libro secreto adnotentur, quem sigillis clausum servandum esse in episcopali cancellania edicit. Si proles nascatur, eius parentes, et fides collati illi baptismatis in eodem libro adnotanda est, quapropter moneri iubet contrahentes in actu contrahendi matrimonii, ut intra triginta dies a nativitate numerandos, moneant de his omnibus episcopum, et si secus fecerint, sciant, occultum matrimonium fore revelandum ab episcopo.

Matrimonio celebrato non praemissis denuntiationibus, nec obtenta ea de re ab episcopo facultate, si assistat parochus, suspensione ad triennium plectendus est ex cap. *Cum inhibitio* §. *final.*, a qua suspensione toto eo triennio absolvi ab episcopo nequit, ut ex Sanch. firmatur. In tract. de Synod. dioec. l. 12. c. 6. n. 2.

Diebus, quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, praecisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo et pompa nuptiarum ut ex cap. *Capellanus de feriis* monent theologi, et notatur Instit. eccles. 70. n. 5.

Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur, et quidem potissimum, benedictiones in missali romano expressae. Vetantur vero illae sub peccato gravi, ut ex Sanchez, aliisque notatur. Instit. eccles. 80. n. 7. Quare cum temporibus feriatis celebrari nuptias permittit episcopus, numquam licet benedictiones illas conferre. Ib. n. 2.

Imo, et tota missa pro sponso et sponsa omittenda est cum benedictiones illae pars eiusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est missa de tempore. Ib. n. 11.

Ideo vero requiritur facultas episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quamquam illa sint de se licita), quia in synodis, vel ex consuetudine introducta vetita illa habentur; quare requiritur, ut episcopi facultas intercedat. Ib. n. 4.

Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis, consummari possunt, ut ex sensu dd. theologorum statuitur. Ib. n. 17. et 18.

Quare licita est traductio sponsae ad domum viri, ut ex congreg. firmatur. Ib. n. 21.

Matrimonia per procuratorem contracta valent, ut communis est theologorum, etiam post Tridentinum scribentium, sententia. Quamquam cautius est, ut quae sic conciliata sunt, iterum praesentibus coniugibus coram parocho renoventur: quae tamen dicta sunt ad cautelam, non autem ad necessitatem. De synod. dioeces. lib. 13. c. 23. num. 9.

Matrimonia occulta antequam ab episcopo permittantur, debet ille exquirere qualitatem, gradum, et conditionem petentium, an sint sui vel alieni iuris, an sint filiifamilias, et num illae nuptiae sint tales, ut pater iuste illis possit dissentiri. Cum vero omnia repererit ad formam, debet deputari ad assistendum eisdem nuptiis parochus alterutrius ex contrahentibus, nec, nisi ex gravi causa, id muneris demandari debet sacerdoti a parocho diverso; qui sacerdos vel parochus debet exhibere episcopo documentum celebrati matrimonii cum nota loci et temporis et testium, qui interfuerunt. Id vero documentum transcribatur in libro diverso ab illo, in quo reliqua publica matrimonia annotantur, idemque liber clausus et sigillis obsignatus in episcopali canc. caute servetur, non aperiendus, nisi cum alia similia matrimonia annotanda sunt. Mandat pontifex, ut proles inde nata denuncietur episcopo vel per litteras parentum manu propria signatas, vel per personam fidedignam

a parentibus designatam, eademque attestatio scribatur in libro diverso ab eo, in quo matrimonia occulta describuntur, utriusque parentis nominibus appositis. Qui liber custodiendus est ea diligentia, qua liber matrimoniorum occultorum. Verum in celebratione matrimonii huiusmodi, ille qui parochi nomen et vices gerit, debet monere coniuges, ut prolem ex eo coniugio natam denuntient episcopo, eo modo, quo supra; alioquin, si haec omittantur, denuntiet, episcopum, secreti fide neglecta, matrimonium illud occultum revelaturum, ne filiis natis iactura inferatur. Ita in bulla *Satis vobis*.

Cum petita fuisset a pontifice dispensatio de tertio in quartum consanguinitatis et contracto matrimonio non iam consummato, repertum fuerit inter coniuges intercedere non unum, sed duplex impedimentum itidem de tertio in quartum: ideo supplicatum fuit pro dispensatione in eodem secundo impedimento, et vir, cuius nomine oblata est supplicatio, significavit uxorem suam esse insciam novi huius impedimenti; quia si hoc scivisset, institisset pro nullitate matrimonii, et si hoc dissolveretur, magna scandala oritura essent; pontifex concessit novum breve, in quo dispensavit in radice matrimonii. Uxor in nova supplicatione demonstravit, se consciam fuisse secundi huius impedimenti ante concessionem secundae huius dispensationis, et dum parabat se opponere huic matrimonio ratificando, obtentam fuisse a viro, se inscia, dispensationem; s. congregatio resolvit pro invaliditate eiusdem matrimonii: cuius resolutionem Benedictus XIV. confirmavit in sua bulla *Etsi matrimonialis*.

MATUTINUM. Matutinum non est segregandum a laudibus sine causa, quae optima suppetit ecclesiae, seiungendi matutinum a laudibus nocte natalis Domini. Inst. eccles. 24. n. 9.

Peccat etiam venialiter, qui sine ulla legitima causa horam non servat, ut ex d. Thoma. Ib. n. 9.

Hora recitandi matutini die praecedenti incipit post exactas tres quartas partes diei, ut in calendario romano annotatum est. Ib. n. 10.

MEDICUS. Medici tenentur sub gravi monere infirmum, cum vocantur ad eum curandum, ut vocet confessarium, ut provideat de salute animae suae, ita praecipiente concilio lateran. in cap. *Cum infirmitas de poenit. et remiss.* S. Pius V. in sua constitutione 3., in bullario romano, iubet medicum ante omnia id monere; neque tertio die ulterius illum visitare, si vocare confessarium recusaverit: transgressores medicos incurrere poenam infamiae, et privationem omnium privilegiorum eius professionis. Mandat insuper, ut nemo deinceps lauream medicinae obtineat, nisi prius iuret coram publico notario et testibus eius bullae observantiam. Neque ab his servandis excusantur medici de consuetudine iam per longum tempus introducta; cum ob singulorum iuramentum consuetudo ista induci non potuerit. Sufficit tamen si medicus id moneat per alium virum gravem. Instit. eccles. 22. n. 16.

Non tamen tenentur sub gravi monere aegrotum in quocumque morbo, sed quando ita aliquo morbo corripitur, ut attentis omnibus iudicari possit, periculum esse, ut evadat mortalis. Ibid. n. 18. Consultius est tamen, ut moneatur aegrotus, etiamsi non timeatur periculum illud. Ib. n. 22.

Si tamen aegrotus renuat confessionem, et morbus sit adeo periculosus, ut desertus a medico timendum sit, ne moriatur, docent tunc theologi deserendum a medico non esse, ne aegrotus amittat spem sanitatis recuperandae, adeoque resipiscendi. Ib. n. 17.

Laici artem medicam, vel chirurgicam exercentes ex praescripto suae artis, etiamsi aliquis aegrotus obierit, non tamen incurrunt irregularitatem; attamen *ad cautelam* petunt, et obtinent dispensationem, si promoveri ad ordines sacros postulant; attamen eiusmodi brevia non conceduntur, nisi prius audito episcopo, cui iniungitur, ut distincte referat casus omnes animadversione dignos, eorumque peculiares circumstantias, simulque exponat, cuius rei gratia orator ad ordines sacros promoveri poscat. De synod. dioec. l. 13. c. 10. n. 4.

Sacros vero ordines iam obtinentes, vel etiam minores cum ecclesiastico beneficio, ex praescripto sacrorum canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exerce-

re. Hoc vero indultum non obtinetur, nisi exposita causa, nempe quod locus, in quo orator degit, et profiteri cupit, vel sit pene destitutus, vel non satis illi provisum sit ex medico laico, vel denique eius familia tantae sit egestatis, ut providendum illi sit ex honesto lucro ex arte medica percipiendo. Ib. n. 6.

Regulares vero in missionibus agentes privilegio donantur, ex bulla potissimum Clementis XII. *Cum sicut*, ut possint exercere artem medicam. Hoc tamen privilegio frui non possunt, nisi in ea arte sint periti; et gratis remedia praescribant, ac tandem abstineant ab incisione et adustione. Denique requiritur, ut non adsint medici laici; vel sint quidem, at haeretici, vel hebraei, ut ex decreto congr. de propaganda fide. Ib. n. 7.

Regulares ex instituti sui ratione hospitalium curam et administrationem obtinentes, medicam artem exercere non possunt extra illa hospitalia. Ib.

In praedictis indultis apostolicis, monachis, vel clericis concessis semper apponitur haec limitatio *absque incisione et adustione*. Ib. n. 8.

Clericis saecularibus sacris ordinibus insignitis si concessum fuerit indultum, ut provideant familiae indigenti, illud durat, quoadusque orator certos ecclesiasticos reditus, vel residentiale beneficium obtinuerit.

Insuper affertur limitatio, ne quid exposcat ab aegrotis, neque enim ecclesiastico saeculari medico vetatur, ut sponte oblata recipiat, praeterquam a veris egenis, a quibus nihil penitus potest accipere. Ibid. Regularibus vero indultariis semper datur cum modificativa, ut nihil penitus ab aegrotis recipiant. Ib.

Porro indulta illa ecclesiasticis vel regularibus concedi non solent, nisi prius audito episcopo testante de viri peritia in ea arte, et de indigentia medici in ea civitate vel oppido. Praeterea exquiritur etiam pro regularibus testimonium superioris regularis circa mores illius, qui indultum petit. Si vero non praemittatur testimonium episcopi, adhuc tamen pontificii brevis executio episcopo committetur, qui commissum munus impleturus de his omnibus certiorem se reddere tenetur. Ib. n. 9.

Chirurgiam vero exercere ecclesiasticis saecularibus et regularibus longe difficilius conceditur, et tunc solum cum omnis omnino chirurgus laicus deest; quin et tunc sine adustione et sectione. Ib. n. 11.

MEDITATIO. Vide ORATIO.

MISSA. Missae sacrif. est *latreuticum et eucharisticum*, id est laudis, et gratiarum actionis pro beneficiis acceptis, est propitiatorium, quo expiantur peccata, non eo tamen modo, quo baptismus et poenitentia, peccata remittentes per gratiae infusionem; sed Deus intuitu huius sacrificii poenitentiae donum largitur, seu peculiarem gratiam donat, qua quis excitetur ad contritionem, vel ad absolutionem in sacramento poenitentiae utiliter consequendam. Quoad remissionem tamen poenae, abolita iam culpa, immediate illam remittit; remittit, inquam, illi pro quo offertur, ea tamen mensura, quae Deo placuerit. De sacrif. miss. l. 2. c. 13. n. 17. Est denique *impetratorium* spiritualium et temporalium bonorum. Ib. n. 19.

An eiusdem sit efficaciae sive a bono, sive a malo sacerdote missa celebretur? Respondendum est fructum provenientem ex opere operato numquam minui, et si applicetur semper operari, dummodo impedimentum nullum obstet. Ibid. n. 20.

Alius est fructus, qui oritur ex universa ecclesia offerente sacerdotum suorum ministerio. Ecclesia vero est semper sancta, pulcra, sine ulla ruga aut macula.

Tertius tandem est fructus ex ipso celebrante veniens, diciturque pariter *ex opere operantis*, atque iste ex maiori vel minori sacerdotis sanctimonia minuitur augeturve. Ibid.

Missae fructus triplex est, *generalissimus*, cuius fideles omnes sunt participes, *specialissimus*, quo sacerdos fruitur; *medius*, quem sacerdos applicat pro iis, pro quibus sacrificium offert. De sacr. miss. l. 3. c. 8. n. 1.

Materia sacrificii missae est panis triticeus, et vinum ex uvis. Si vero magna esset permixtio farinae ex aliis frugibus, et permixtio aquae vinum superaret, haec materia inepta esset consecrationi. De sacrif. miss. l. 3. c. 10. n. 15. Nec post consecrationem

novus liquor, et praesertim aqua in calicem infundendus est. Ibid. n. 16. Alioqui censet s. Thomas, corruptionem sacramenti sequi potuisse pro aliqua parte, nisi forte quantitas novi liquoris tantilla esset, ut non posset in omnes partes diffundi. Haec tamen sententia non aeque a scholasticis omnibus probatur.

Ad essentiam sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio, quod etiam in prima sua institutione a Christo Domino servatum est; ex quo fit, ut nemini permitti umquam possit consecratio sub unica tantum specie; quamquam si hoc fieret a saeerdote, consecratio quidem valeret, sed ille gravi se crimine obstringeret, et sacramentum quidem, non vero sacrificium conficeret; deesset enim tunc mystica victimae mactatio. Ibid. n. 19.

Sacerdos verba consecrationis proferens super panem et vinum, sed extra missam, valide quidem, sed illicite consecrat, nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit. De sacrif. miss. l. 3. cap. 11. n. 11.

In forma consecrationis defectus accidere possunt, qui invalidam, et defectus, qui illicitam tantum illam reddant. Illicitam dicas, si omittatur vox *enim*, et verbum *est*. Item si loco vocis *hoc* dicatur *istud*. Invalidum si pro *hoc* substituatur *illud* vel *hic* pro adverbio sumptum. Dubium est an invalida sit consecratio calicis, illis tantummodo verbis prolatis : *Hic est calix sanguinis mei*, caeteris omissis; ideoque si id forte contigerit, repetenda sunt sub conditione verba consecrationis vini. Ibid. cap. 15. n. 15.

Sacerdos valide consecrat, etsi lethali crimine sit infectus, excommunicatus, haereticus, degradatus. Licite tamen ut celebret, debet esse in statu gratiae, et a lethali peccato liber. Ibid. cap. 11. n. 1.

Alioqui duplicis culpae reum se constituit, conficiendo scilicet vel suscipiendo indigne sacramentum, et infideliter sibi ipsi ministrando. Ib. n. 2.

Vetat Tridentinum sess. 13. cap. 7. *de eucharistia*, ne sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus, nisi prius sacramentali confessione expiatus, ad celebrandum accedat. Ibid. n. 3. Permittit tamen sacerdotibus celebrationem praevio tantum actu contritionis, dummodo gravis necessitas urgeat, nec sit copia confessarii; simul vero in eo rerum eventu mandat, ut qui ita celebraverit quamprimum confiteatur. Ibid. num. 4. Atque ita explicat praeceptum divinum ab apostolo traditum : *probet autem seipsum homo*. In casu vero urgentis necessitatis non sufficit attritio, sed omnino contritio requiritur, vel saltem attritio quam sacerdos sine culpa contritionem existimaverit. Illud vero praeceptum, *ut quamprimum confiteatur*, verum est praeceptum et non consilium; nec ita intelligendum est, ut sacerdos non teneatur crimen suum confiteri, nisi quando rursus est celebraturus. Haec omnia ex variis damnatis propositionibus eruta latius explicantur. Ibid. num. 5.

Urgens necessitas, de qua hic, ea censetur, si sacerdos eo die non celebrans offensioni esset, et scandalo. Item si parocho celebrandum est ad ministrandum viaticum. Sunt qui addunt, sufficere ad celebrationem in eo rerum statu, si nuper decessit anima probabiliter sacrificio indigens; quod tamen ab aliis, et merito, minus probatur, cum omnes animae in purgatorio sacrificio indigeant. Ibid. n. 6.

Sed quid, si sacerdos, coepta missa, recordetur peccati lethalis non expositi in confessione, vel se obstringi aliqua censura, vel ieiunium non servasse? Profecto si ante consecrationem peccati, seu ieiunii non servati recordatur, missam deserere tenetur, nisi aliud suadeat iustus de gravi scandalo timor. Si vero post consecrationem, perficiat et sumat sacramentum praemissa contritione, si occurrat grave peccatum nondum poenitentia deletum, et (elicito proposito) satisfaciendi postmodum praecepto confessionis et absolutionis. Si vero nequeat conteri, satius est scandalum potius permittere, quam sacramentum conficere et indigne recipere.

Scandalum vero an causaret recedendo ab altari ille, qui in loco privato celebrans cum unico ministro, peccati gravis, inchoata missa, recordetur, quaestio est anceps; sunt enim qui minimum esse scandalum censent, si adsit tantummodo minister puer,

vel celebrantis servus aut amicus. Ib. n. 9.

Si ea die, tempore missam praecedente, grave peccatum commissum a sacerdote fuerit, de quo tamen doluit, et confessus est, non decet sacerdotem eadem ipsa die celebrare, quia tollitur quidem reatus culpae, sed non continuo immundities corporis adimitur. Ib. n. 11. Idem dicas de eo, qui pollutionem proprii corporis sensit, nec tamen consensum apposuit. Quamvis nulla sit in eo culpa, indecens est tamen ad sacrificium accedere; praesertim si menti tenacius inhaereant pravae cogitationes. Ib. n. 12.

Quid statuendum, si contingat defectum aliquem deprehendi vel in pane, vel in vino consecrationis, ex rubrica repetatur, quae mandat; si forte accidat, ut post sumptionem sanguinis animadvertatur primo hostia inepta sacrificio, resumendum esse novum panem, et vinum cum aqua, et verba consecrationis super utrumque repetenda, sumpto initio ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*, facta tamen prius utriusque oblatione. Sunt quidem qui putent sufficere hostiae tantummodo consecrationem; at tunc *debitus ordo non servaretur;* quae altera est ex duabus causis, ex quibus rubrica utriusque consecrationem mandat. Quare rubricae parendum. Ib. c. 15. n. 2.

Si vero post consecrationem sumpta iam hostia cognoscat vinum ineptum fuisse ad consecrationem: tuncne nova hostia, novumque vinum apponendum est, novaque utriusque consecratio facienda? Id utique censent s. Thomas eiusque discipuli. Sed post hareformatas sub Clemente VIII. rubricas missalis legitur in illis expressum: si missa celebretur in loco publico coram multis, ad scandalum evitandum sufficere, si tantummodo apponatur novum vinum cum aqua, et facta oblatione consecretur statimque sumatur. Ibid. n. 3. 4. etc.

Defectus si occurrat in pane et vino, deprehendaturque ante consecrationem, nova materia apta apponatur; si post consecrationem, missa omitti tuto potest; si post sumptionem, necessario omittitur, nisi forte multitudo adesset missae audiendae, quo in casu posset sacerdos submissa voce preces aliquas recitare, quae ad illam partem missae non pertinerent, et benedictionem populo impertiri. Ibid. cap. 15. n. 9.

Si aqua infusa calici non sit, idque ante consecrationem agnoscatur, infundatur statim; si post consecrationem missa peragenda est. Ibid. n. 10.

Si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur vinum, et novum apponatur. Si post consecrationem illud, quidquid est, extrahatur, lavetur et comburatur, et ablutio cum cineribus in sacrario reponatur. Ita s. Thomas. Ibid. n. 11.

Si venenum immixtum deprehendatur ante consecrationem, idem, quod prius, servandum est, si post consecrationem, in alium vasculum transfundatur, et tamdiu servetur, donec species vini fuerint exsiccatae, et aliud vinum consecretur; ut ex s. Thoma. Ib.

Vinum acescens non est adhibendum in missa; si tamen id fiat, conficitur sacramentum; nec peccant regulares, qui celebrare debent, nec habent auctoritatem vinum commutandi, id enim peccati ligat eorum superiores, ut ex Quarto et Merato annotatur. Instit. eccl. 77. n. 2. Vinum quod ex aqua conficitur botris superiniecta, quale a latinis priscis lora, seu lorea dicebatur, ineptum est ad sacrificium, ut ex theologis firmatur. Ib. n. 4.

Vetitum est sub peccato gravi adhibere vinum illud dilutum, quod ex musto et aqua aequali, vel fere aequali quantitate conficitur, ut ex theologis. Inst. eccl. 77. n. 6.

Licitum est tamen adhibere in eam rem vinum, quod ex modo illud conconficiendi in regionibus aliquibus habet aliquid aquae admixtum, est enim vinum usuale. Ib. n. 7.

Si guttae vini reperiantur extrinsecus in cuppa calicis, censeantur non consecratae et abstergantur purificatorio. Si interius, tutius censeantur consecratae, et per secundam purificationem assumantur. De sacrif. miss. l. 3. c. 17. n. 7.

Generatim monet s. Thomas in dubiis, num aliquid omissum in missa sit, vel si certe constet omissum, nec illud sit de necessitate sacramenti, negligendum esse, si sit vero de necessitate sacramenti illud iteretur, et reliqua

omnia ex ordine deducantur. Ib. cap. 15. n. 16.

Cum novi sacerdotes cum episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant, se consecraturos eodem momento, quo episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante sive postea formam compleverint. Tunc enim effectus formae remaneret in suspenso; sed debent esse ita animo comparati, ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum episcopo, atque ita una cum eo consecrent, ex quo fit, ut si non ita iungant sua verba cum episcopo, non consecrent, cum non habuerint intentionem consecrandi. Ib. c. 16. n. 6.

Sacerdotes missam cum episcopo celebrantes eleemosynam pro sacrificio illo accipere minime valent, quia dans eleemosynam petit missam modo consueto. De sacr. miss. l. 3. c. 16. n. 10.

Intentio applicationis missae sufficit si habitualis fuerit: est enim veluti quaedam donatio, quae semper valet, etiamsi multo ante intercesserit. Ibid. n. 8. Tempus applicationis num sit sufficiens post consecrationem, ambiguum est. Praestat, ut sacerdos missam applicet cum se ad eam praeparat. Ibid. n. 9.

Beneficiatus, cui iniungitur a testatore celebratio missae certis diebus, non explicata applicatione pro se, vel pro aliis, debet illis diebus missam applicare pro fundatore eiusdem beneficii; ut s. congr. conc. saepius respondit. De sacrif. miss. l. 3. c. 9. n. 2.

Idem dicas si fundator mandaverit, ut oraretur pro se in missa, nam praesumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis coniecturis deducatur, aliam fuisse eiusdem fundatoris voluntatem; ut si pluribus capellaniis fundatis, in aliis mandaverit applicationem in aliis orationem, ut ex resolutionibus s. c. Ibid. num. 3.

Si superior sacerdoti praecipiat, ut missam certo alicui applicet, at ille pro alio offerat, reus est quidem sacerdos inobedientiae, sed applicatio a sacerdotis voluntate pendet, cum ille sit minister, et dispensator sui sacrificii. Ib. num. 4.

Missae applicatio quoad parochos. V. *Parochus*.

Missa conventualis in collegiatis quotidie celebranda est, et applicanda pro benefactoribus in genere; nec sufficit si pro uno benefactore applicetur, neque satisfit si beneficiatus, seu canonicus teneatur aliunde ex alio debito illam applicare. Si vero praebenda beneficii tenuis sit, nihilo tamen secius supplendum est ex distributionibus: quod si et distributiones et praebenda tenuissimae sint simul sumptae, tunc recurrendum est ad congregationem concilii. Ita pontifex in encyclica ad episcopos Italiae, incipiente *Cum semper*. Sufficit tamen prioris missae applicatio etiamsi plures canantur in collegiata. Ib. n. 22.

Si sacerdos sumpta purificatione animadvertat, remansisse in corporali, vel patena fragmenta, sive illa magna sint, sive parva, illa absumantur sicut et absumenda sunt fragmenta, si quae remanserint, post distributionem eucharistiae in adstantes peracta missa. De sacrif. miss. l. 8. cap. 17. n. 3.

Si tamen quod remanet, non fragmentum, sed integra est hostia, magna seu parva, haec post sumptam purificationem non est absumenda, sed vel recondenda in tabernaculo vel ponenda in patena, ut alteri sacerdoti mox celebraturo reservetur; quod si fieri non potest, absumatur. Ita ex rubricis. Ib. n. 4.

Particula illa hostiae quae separatur in inferiori parte hostiae in duas partes fractae, si cum vino non diffluat in os, sed remaneat in calice, potius, quam digito redigatur ad orem calicis, praestat, ut mediante novo vino hauriatur. Ib. l. 3. c. 17. n. 1.

Sacerdoti in sacristiam iam restituto post missam, et nondum sacris vestibus exuto, absumenda sunt fragmenta, si quae adverterit remansisse in patena. Si vero sacras vestes exuit, quidquid superfuerit e sacrificio, reponendum est in tabernaculo, si adsit: sin minus, vel non liceat sine aliqua admiratione populi, absumendum est. Ita ex s. Th. Ib. n. 5.

Peccaret graviter sacerdos, si hostiam in missa consecratam reponeret in tabernaculo, et eius loco sumeret hostiam quae in eodem tabernaculo antea continebatur. Ita ex canone *Relatum*, *de consecr. distinct.* 11. Ib. n. 8.

Sacerdos celebrans, si habeat hostiam parvi moduli, melius faceret, si populum doceret, ne miraretur, si illam adhibet pro maiori, quae tunc non suppetit; potius quam utatur sententia aliquorum, qui censent posse tunc extrahere e tabernaculo hostiam maiorem, quae forte ibi adest, et adhibere illam ad elevationem. Ib. n. 9.

Si pyxis hostiis parvis plena sit praesens moraliter sacerdoti, sed non fuerit aperta ante oblationem et consecrationem, illicite quidem id fieret, sed cum moraliter praesens esset sacerdoti, valida esset consecratio; quod verum est, etiamsi quando consecravit, actu de particulis non cogitaret. Moralis vero praesenta ea dicitur, cum ita praesens est ut verificari censeantur illa verba formae *hoc* vel *hic*. Ib. cap. 18. n. 2. et 3.

Si particulae afferantur ad altare post peractam oblationem, non debet sacerdos illas consecrare sine legitima causa, ut si magna multitudo populi, parata ad recipiendam eucharistiam, alias careret sacramento; tunc vero sacerdos deberet prius illas ante consecrationem mente offerre. Coepto iam canone, si afferatur particula, non est consecranda, neque pro dando viatico infirmo, tunc enim sufficeret, si sacerdos ex sua hostia parvam portionem separaret. Ib. n. 5.

Si forte contingat, ut pyxis deferatur ad altare, nec sacerdos illam advertat, adeoque proferens verba consecrationis nihil cogitet de pyxide, tunc utique si pyxis non sit supra petram sacram, non censetur voluisse sacerdos consecrare; alioqui enim censeretur voluisse istud, quod sibi illicitum est. Quamvis vero sint dd. qui contrarium censent, cum tamen in sacramentis conferendis sequi teneamur opinionem tutiorem, relicta probabili, ideo in eo casu particulas illas non esse populo distribuendas, sed asservandas, ut in alia missa sub conditione consecrentur, satis constat. Ib. n. 6.

Si celebranti sint praesentes undecim hostiae, et ille habeat intentionem consecrandi solum decem, nec determinet quales, nulla ex illis esset consecrata, ut ex rubricis discimus. Quare debet sacerdos intentionem suam ita dirigere, ut velit omne consecrare quid-quid ante se positum est. Ex quo intelligitur sacerdotem, qui cum hac intentione habet in manu duas hostias, unam se tenere putans, utramque revera consecrare. Ib. n. 7.

Missam bis eodem die celebrare, quamvis adsit causa necessitatis, nemo potest etiamsi parochus sit, nisi saltem episcopi licentia accedat; quae tamen datur ob causas singulares, non tamquam privilegium. Ita pontifex in bulla *Declarasti*.

Sacerdos, qui sacrum facere quotidie per seipsum debet, potest aliquando illud omittere, tum quia ea praesumitur voluntas fundatoris, tum ad maiorem pietatem sibi comparandam, ut ex cap. *Significatum*, *de praebendis;* non tamen potest, qua die vacat, sacrum agere, et alicui attribuere, percepta eleemosyna. De sacrif. miss. l. 3. cap. 22. n. 3.

Sicut nec potest duplicatum stipendium pro eadem missa accipere, applicando uni fructum medium, alteri specialissimum; et contrariam sententiam proscripsit congregatio s. officii, ac dein Alexander VII. Propos. IX. inter damnatas. Ib. n. 5.

Sacerdos qui beneficium possidet, in cuius fundatione expresse cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere? non vetatur; sed neque reprobatur contraria sententia id negans, et decreta s. congregationis concilii non apparent. Ib. c. 22. n. 7.

Si tamen nihil expressum sit in fundatione eiusdem beneficii, quod demonstret, testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testatore, ut ex decretis s. congr. Ib.

Missae in altari privilegiato celebrandae semper debent esse de *requiem*, nisi cum aliud festum duplex, vel dominica dies occurrerit; tunc enim acquiritur indulgentia, etiamsi missa de festo agatur. Perinde est autem sive altare istud privilegium habeat perpetuum, sive ad septennium, vel certis solum diebus in hebdomada. Si igitur testator iusserit celebrari sibi missas certis hebdomadae diebus ad altare privilegiatum, et in dies istos incidat a-

liquod festum duplex, satisfit testatori cum missa de festo. Idem dicas de diebus, in quibus duplex quidem non currit; sed missae pro defunctis vetantur. Haec omnia ex decretis variorum pontificum, quorum postremus est Clemens XI. De sacrif. miss. l. 3. c. 23. n. 8.

Missae altaris privilegiati debent esse de *requiem*, nisi cum inciderint in diem, in qua missae illae celebrari non possunt, sive ratione festi duplicis, sive alia quacumque. Ita ex plurimis pontificum decretis. Inst. eccles. 34. n. 27.

Missae privatae *de requiem* celebrandae non sunt in festis duplicibus, et dominicis diebus, sicut nec infra octavas epiphaniae, paschae et pentecostes, prima die quadragesimae, tota hebdomada sancta, in vigiliis nativitatis Domini, epiphaniae et pentecostes, denique ex decretis s. c. infra octavam corporis Christi et natalis Domini, sicut nec cum expositum est vener. sacram Ib. 28.

Solemnes, et cantatae pro defunctis missae qua die a testatore praescriptae sunt, et illa sit vere annua illius obitus, celebrari possunt, etiamsi officium sit de duplici maiori, vel minori. Ita ex decreto s. c. De sacrif missae. l. 3. c. 23. n. 5. Non vero in dominicis et festis de praecepto, nec in iis, in quibus nec de duplici agi potest. Inst. eccles. 5. n. 24. et seq.

Praesente corpore canitur quidem missa pro defunctis, exceptis tamen duplicibus primae classis. Quae verba sunt decreti s. c. rituum die 5. iulii 1698. Attamen non satis constat, an id vetitum sit in omnibus duplicibus primae classis, et non tantum in magis solemnibus. De sacrif. miss. l. 3. cap. 23. n. 5.

Dies tertia, septima et trigesima, quae habent missam cum oratione propria in missali, nihil habent privilegii supra reliquas privatas. Ib.

Si parochus duas regat paroecias, nec populi unius possint in templum alterius convenire, ac desit alius sacerdos, potest duas missas eodem die celebrare. De sacr. miss. l. 3. c. 5. n. 1. Debet tamen episcopus saltem cognoscere, num revera sit tanta necessitas, ut bis celebrari opus sit.

Hic vere unicus est casus, in quo bis celebrare liceat; neque enim fas est sacrificium repetere sive propter adventum hospitum etiam nobilium, etiam principum, aut episcopi, qui die festo missam non audierint, nec alius adsit sacerdos; neque enim haec est tanta necessitas quanta requiritur in cap. *Consuluisti, de celebrat. missarum.* Item ex eadem ratione non licet ob benedicendas nuptias, quae differri in aliam diem non possint. Tunc enim celebrari possunt nuptiae sine missa, et benedictiones in sequentem diem transferri. Ib. l. 3. c. 5. n. 3.

Sed quid si ministrandum sit viaticum infirmo? Profecto si sacerdos iam missam absolvit, tunc utpote non ieiuno non licet ei rursus celebrare. Si missam non absolvit, potest necessitati illi provideri, dando partem hostiae suae. Si vero sacerdos, eucharistia quidem, non vero ablutione percepta, moneatur de viatico infirmo ministrando, tunc utique potest etiam missam celebrare. Ibid.

Cum in alicuius forte ecclesiae capella tam multas missarum ibidem celebrandarum eleemosynas receperit, ut non possit infra hebdomadam illis satisfieri, mandavit s. c. concilii, ut quae supersunt in aliis altaribus eiusdem ecclesiae celebrentur, iniunxitque simul, ut deinceps fideles eleemosynas oblaturi ea de re moneantur, scripta tabella in loco visibili ecclesiae exposita. De synod. dioec. l. 12. cap. 7. n. 5.

Quamvis a sacra congregatione saepius decisum fuit in oratoriis publicis sitis intra fines parochi iuris non esse parocho prohibere, ne missae celebrentur ante missam parochialem; si tamen episcopus in synod. id prohibeat, ne populus retrahatur a missa parochiali et concione, constitutio illa valet, et episcopo parendum est. De syn. dioeces. l. 12. c. 7. n. 7.

Missa celebranda est ab aurora usque ad meridiem; toleratur tamen anticipatio tertiae horae partis, sicut et prorogatio tertiae horae partis post meridiem, ut ex edicto Benedicti XIII. Inst. eccl. 12. n. 4. Ius habet episcopus vetandi etiam sub poenis canonicis, ne regulares ultra consuetas horas celebrent, ut ex decretis s. c. firmatur. Inst. eccl. 68. n. 12.

Nemo ignotus, sive saecularis, sive regularis, admittendus est ad celebran-

dam missam, nisi adductis testimonialibus, iisque visis et approbatis ab episcopo; idque praecipi posse ab eodem episcopo, saltem quoad sacerdotes regulares exteros, etiam regularibus censuit s. congr. Inst. eccl. 34. n. 4. et de syn. dioec. lib. 9. cap. 15. n. 5.

Tridentinum sess. 23. cap. 4., monet episcopos, curent ut sacerdotes non habentes animarum curam, diebus saltem dominicis, vel festis solemnioribus missam celebrent. An committant peccatum grave sacerdotes illi, si monito Tridentino non se submiserint, quaestio est anceps. Profecto peccaret graviter, qui numquam per annum sacrificium offerret; esset enim hoc indicium vitae corruptae, et pareret scandalum. De miss. sacr. l. 3. c. 1. n. 10. Teneretur etiam celebrare ut aegroto viaticum deferretur, si alio modo fieri non posset. Ib.

Missam quotidie celebrare melius est, quam ab ea abstinere; negandum tamen non est, quin optime praestet sacerdos si aliquando abstineat ex reverentia, seu ad hoc, ut ferventius celebret. Id vero eruitur ex eo, quod ad spiritum ecclesiae propius accedit qui quotidie sacramentum recipit. Addendum, quod munus sacerdotis est non privatum, sed publicum, estque eius opus ecclesiae utile; et ex assidua celebratione validius auxilium obtinebit a Deo, ut dignius celebret. Quare statuendum sacerdoti, ut plurimum, quotidie celebrandum esse, si discussa conscientia sua persuadere sibi moraliter possit, se esse in statu gratiae. Nec obstat minor fervor; cum illum persaepe patiamur inviti. De sacr. miss. l. 3. c. 2.

In oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica missae celebratio, die natalis Domini fas est tres missas ab eodem sacerdote celebrari, ut ex decretis sac. congregationis. De sacrif. miss. l. 3. c. 4. n. 8.

Episcopi quamquam non habeant amplius facultatem concedendi licentiam, ut in oratoriis privatis celebretur, adhuc tamen possunt in suis domibus privatum oratorium habere et permittere aliis sacerdotibus, ut in eo celebrent; ut ex decretis sacr. congregationis. De sacrif. miss. l. 3. c. 6. n. 1.

Haec etiam celebratio praestari rite ibidem potest, etiam absente episcopo; atque ibi audientes missam quicumque fideles praecepto ecclesiastico satisfaciunt. Denique quod hic dicitur de episcopis, valet etiam pro cardinalibus non episcopis. Animadvertendum est tamen, valere haec pro oratoriis episcopi in suis domibus, in quibus certus fixusque locus est assignatus. Ib. l. 3. c. 6. n. 6.

Si missa omnino celebranda sit, nec possit in templis, vel etiam in oratoriis privatis, licet illam celebrare in loco non indecenti, quicumque tandem ille sit, ut planum fit exemplo capellanorum in castris; eorum etiam, qui per infidelium regiones iter faciunt, et ettiam in littore maris respectu navigantium. De sacr. miss. l. 3. c. 6. n. 7.

Ut celebretur missa in mari peculiare privilegium requiritur, nec sufficit clausula generalis, qua facultas fit celebrandi *in loco honesto ac tuto*. Non conceditur autem, nisi cum conditione, ut tutum sit navigium, longe absit a littore, tranquillum sit mare, ac tandem assistat celebranti alter, vel sacerdos, vel diaconus. Ibid.

Sacerdos missam celebrans etiam in necessitate dandi viatici infirmo absque uno e sacris indumentis, peccat graviter ex irreverentia; neque enim urget viatici praeceptum, si ministrari non possit eo modo, quo decet. Ib. lib. 3. cap. 7. n. 1.

Idem dicas, si absque luminibus, quae sint oportet sive ex cera, sive ex oleo, et si desint, in necessitate saltem e sebo; sufficit tamen, si necessitas urgeat, unicum lumen. Idem dicas, si celebret absque missali libro, in quo sit saltem canon. Haec ex dd. Ibid. n. 2.

Peccat etiam sacerdos celebrans sine ministro, ut eruitur ex cap. *Proposuit*, *de filiis presbyterorum*. Si tamen sit ministrandum viaticum, potest sacerdos sine ministro missam celebrare, et sibi ipsi respondere. Alias praestat omittere missam, quamvis si hoc agat, sunt qui negent illum peccare. Ib. n. 3.

In templo polluto celebrans sacerdos, quamvis peccet graviter, ut ex cap. *Is qui*, *de sent. excomm. in* 6. nullam tamen poenam incurrit, cum nulla sit in iure expressa; quin nec desunt, qui credant eum minime peccare si adsit episcopi consensus.

Vicissim autem irregularitatem sum-

mo pontifici reservatam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ut ex eodem cap. *Is qui*. Ibid. n. 4.

Sacerdos ratione beneficii obstrictus bis vel ter singulis hebdomadibus celebrare, potest anticipare tempus, nisi appareat testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus, aut altaria quaedam singulis hebdomadibus missa carerent. De sacr. miss. l. 3. c. 9. n. 8.

Si conferens eleemosynam missae tempus praescripserit ob causam, quae differri non possit, sacerdos non servans illud tempus deest obligationi suae, ac tenetur eleemosynam restituere. Ibid. n. 6.

Sacerdos onus habens missae quotidianae, unicam tantum missam applicare cogitur in festo natalis Domini. An vero parochus itidem teneatur tres eius diei missas pro populo applicare, numquam decisum a s. congregatione reperitur; tenetur tamen, ut obviet scandalo, tres ea die missas celebrare Ib. num. 9.

Sunt qui doceant, die commemorationis defunctorum cessare onus capellaniae quotidianae, adeoque integrum esse capellano ea die vel pro defunctis omnibus, quod esset optimum, vel pro privato quodam defuncto applicare. Ibid. n. 9.

Canonici in cathedralibus et collegiatis, qui iuxta praescriptum rubricae certis quibusdam diebus plures missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus numquam a s. congr. decisum est. Ibid. n. 9.

Eleemosyna pro missis a regularibus celebrandis in eorum ecclesiis, taxanda est ab ordinario loci; ut ex decreto s. congreg. Inst. eccl. 56. n. 10.

Missarum eleemosynam ultra quantitatem ab episcopo taxatam exigere non possunt sacerdotes tam saeculares, quam regulares; nam debet dari quaedam proportio inter id quod datur, et quod accipitur, hanc autem proportionem definire ad episcopum spectat; quare iustitiam commutativam laedit ille sacerdos, qui plus exigeret. Potest tamen dans ultro plus dare, et petens minus accipere, quamquam fieri possit, ut aliquando prohibeatur sacerdos minus accipere, ne hinc consuetudo introducatur minus dandi in praeiudicium aliorum. Haec omnia late in syn. dioec. l. 5. c. 9. et id quod postremo dixi, confirmatur ex decreto congregationis concilii lato in una s. Severini die 16. iulii 1689.

Missarum stipendia, si quae accepta sunt pro curanda celebratione missarum, retineri non possunt, parte eorumdem tradita sacerdoti celebranti, etiamsi pars illa contineat consuetam eleemosynam. Secus qui fecerit, et laicus qui colligat missas in loco ubi datur maius stipendium ac committat easdem missas celebrandas alteri sacerdoti minori stipendio, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, incidit in excommunicationem, sacerdos vero seu clericus in suspensionem ipso facto; quae excommunicatio et suspensio pontifici romano est reservata. Constit. *Quanta cura*. Vide inst. eccl. 56. n. 4.

Vetitum est accipere novas missarum eleemosynas iis qui veteres habent satisfaciendas, *dummodo*, ut legitur in decreto Urbani VIII. *infra modicum tempus non* possit *omnibus satisfieri*. Modicum tempus definivit s. c. concilii esse unum mensem. De sacrif. miss. l. 3. c. 24. n. 14.

Si ecclesia et loca pia careant reditibus, adeo ut non possint licite illos erogare in expensas pro missarum celebratione, fas eius administratoribus est aliquid subtrahere de consueta eleemosyna, quantum necesse est pro celebratione illius missae, ut ex decr. Urbani VIII. certum est. Sed ex pluribus decretis sacrae congr. eruitur, detrahi in eo casu aliquid posse ex eleemosyna in missis perpetuis; tunc autem videndum est, num adsit aliquis, qui sit obligatus supplere, et num potius supplendum sit recurrendo pro diminutione numeri missarum.

Sive autem ecclesia sit paupercula, sive non, non potest aliquid exigi ab iis sacerdotibus, qui sponte religione ducti veniunt in aliqua ecclesia celebraturi, sicut etiam ab iis, qui ab administratoribus ecclesiae eleemosynam nullam recipiunt.

Iure tamen exigitur haec detractio ab iis qui omnino ibi celebrare volunt, nec ecclesia habet de suo quomodo utensilibus provideat, nec de suo providet ille, qui eleemosynam suppedi-

tavit. Haec omnia de sacrif. miss. l. 2. c. 24. n. 13.

Eleemosynas receptas pro missis sacristae regulares tenentur ponere in arca duabus clavibus obserata, quarum alteram tenere debet superior localis, alteram unus ex regularibus a capitulo deputatus, ac dein de satisfactione earumdem missarum tenentur reddere rationem coram patribus discretis, ut ex decreto Urbani VIII. ab Innoc. XII. confirmato constat. Inst. eccl. 72. n. 29.

Missae nec ita breves esse debent, ut saltem horae tertiam partem non attingant, neque ita longae, ut horae dimidium excedant. De sacrif. miss. l. 3. c. 24. n. 2. Vide inst. eccl. 34. n. 19.

In missae celebratione ne quis episcopus concedat licentiam tegendi caput coma fictitia, vetuit Innoc. XI. in sua encyclica apud La Croix l. 6. p. 2. n. 401., idque pariter locum habere in parvo pileolo ex theologis docetur, Inst. eccl. 34. n. 14. Gyro tamen capillitio, vulgo *girello*, uti passim etiam Romae sacerdotes ibidem notatur. Eadem inst. eccl. n. 4.

Annulum etiam in digito gerere, dum missa celebratur, cuiuscumque dignitatis nemo potest, vetante s. rituum congregatione. Ib. n. 15.

Nec licet etiam protonotariis non participantibus adhibere in missa instrumentum argenteum cum candela ut ex decreto apud Monacellum. Ib. n. 17., quod etiam superioribus ordinum mendicantium, et parochis vetuit s. c. cuius literae hic referuntur num. 16. Quin et iuxta decreta Alexandri VII. abbatibus regularibus consecratis id non licet, nisi in missa solemni, cum pontificalibus utuntur, ut ex decretis s. c. Ib.

Pari passu cum hoc argenteo instrumento procedendum est cum assistenti. Ib. n. 18. ut ex decr. s. c. rituum. Ib.

Missae privatae feria V. in coena Domini et sabbato sancto prohibentur non decretis tantummodo s. c. rit., sed etiam edicto Clementis XI. die 15. maii 1712. Inst. eccl. 38. n. 9.

Novus sacerdos in celebratione primae missae vetatur ecclesiam circuire sacris vestibus indutus, ut recipiat oblationes, potest tamen se vertere ad altare, et ibi eas accipere ex decreto s. c. Inst. eccl. 56. n. 7.

Sacerdos in alia dioecesi celebrans missam, non potest nomen episcopi sui nomini episcopi illius dioecesis substituere ex Pouget et Merato. De sacrif. miss. l. 2. cap. 17. num. 4.

Sacerdos die Natali Domini non tenetur ex praecepto tres missas celebrare, sed potest unicam. De sacr. miss. lib. 3. cap. 4. n. 5.

Missa cantata in eo distinguitur a solemni, quod cantata fiat cum cantu chori, sed unicò ministro assistente; solemnis vero habet adiunctum diaconum cum subdiacono; idcirco si testator mandat cantari sibi aliquam missam, non requiritur diaconus et subdiaconus. Instit. eccl. 105. n. 119.

Commentitia est distinctio inter rubricas praeceptivas et instructivas. De sacr. missae cap. 11. n. 3., sed omnes sunt praeceptivae, sed aliquae ex materiae parvitate sub veniali tantummodo obligant. Ibid.

Nulla urgente causa leve peccatum est celebrare missam privatam non recitatis matutino et laudibus. At si de missa conventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille, qui ante matutinum et laudes eam celebraret (nempe ante eam partem officii in choro celebratam). Sicut et peccato gravi se obstringeret, qui perpetuo et quasi animo statuisset numquam missam celebrare matutino cum laudibus recitato. Ibid. n. 4.

Nemini licet ab altari recedere coepta missa, relicto alio sacerdote, ut reliqua suppleat, ut statuitur in canone *Nullus episcopus*, *de cons. dist.* I. Quod ibi vetatur sub poena suspensionis, quae tamen est ferendae, non latae sententiae; nec locum habet, si sacerdos ante consecrationem ab altari sine causa recesserit. Ibid. c. 11. n. 2. ubi id definitum a s. congr. affertur.

Si contingat, ut sacerdos, dum missam celebrat, subito morbo corripiatur, vel mortuus concidat, vel hoc accidit ante consecrationem, nec tunc opus est missam ab alio continuari; si vero post consecrationem unius, vel utriusque speciei, tunc supplenda est missa, et quidem ex praecepto, a sacerdote initio inde sumpto, ubi alter sacerdos desierit; et si prior ille sacerdos adhuc vivat, et capax sit sacramenti, nec alia praesto sit hostia consecrata, ex hostia

sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est, ut in rubricis missalis. Ib. n. 4. et 5.

Sacerdos missam suppleturus praestare id potest, si alius non adsit, etiamsi non sit ieiunus, quin etiam si in statu gratiae non versetur; tunc enim quaerendus ab illo est confessarius, et si non reperiatur, eliciendus actus contritionis, atque ita comparatus missam perficiat. At si neque conteri posset, neque missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia et calix recondendi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Haec omnia ex rubricis et dd. Ibid. n. 7. et 8. Ex hoc conficitur, quod laico, si fuerit praesens, hostia illa et calix dari non possit. Ibid. num. 6.

Si, sacerdote missam celebrante, violetur vel polluatur subito templum ante incoeptum canonem, missa intermittenda est; eo vero incoepto perficienda, ut ex rubricis. Ib. n. 12.

Si, dum celebratur, incidat subita irruptio hostium, vel imminens alluvio, aut ruina templi, ante consecrationem, deserenda est missa; post consecrationem sumendum statim sacramentum, omissis aliis caeremoniis. Si vero casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecrato, potest sacerdos hostiam statim sumere, et abire, nisi forte in casu, quo christianae religionis hostes in contemptum eiusdem religionis minitentur sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat. Ib. n. 13.

Superveniente excommunicato non tolerato, missa, si nondum perventum est ad canonem, vel, ut quidam volunt, ad consecrationem, nec ille possit abigi, deserenda est; post consecrationem perficienda. Sed, sumpta communione, reliqua perficienda sunt, vel in sacristia, vel in alio loco decenti. Ibid. n. 14.

Rite pariter interrumpitur missa, etiam interruptione longa, vel ad baptizandum infantem moriturum, qui alioqui sine baptismo moreretur, vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret, vel etiam ad extremam unctionem administrandam. Curandum tamen tunc esset a sacerdote, ut sacramentum interim diligenter custodiatur, et cum redierit resumenda missa est ex eo loco, ubi fuerit intermissa. Ibid. n. 15.

Si, recitato iam evangelio et symbolo, superveniat vir princeps, laicus, seu ecclesiasticus, qui missam die festo non audierit, negant plures dd. posse ex integro missam resumi. Ib. n. 16.

Bened. XIII. in romano concilio, uti pontifex Innocentius XIII. praefectis regularium ante praescripserat, monuit, ne in taxanda pucuniae summa pro missis perpetuis sexaginta scuta romana definirent non excedendo, nec minuendo. De sacrif. miss. lib. 3. c. 22. num. 9.

Missae s. Gregorii, quae a s. c. olim prohibitae sunt, erant quaedam missae peculiares, ineptiis refertae. Caeterum triginta missas continuatas iuxta consuetudinem a s. Gregorio inductam non vetuit, quas tamen celebrare debet sacerdos iuxta ritum ecclesiae, quare tribus diebus maioris hebdomadis intermittendae sunt. Ibid. c. 25. n. 3., Instit. eccles. 34. n. 21.

Episcopus potest quidem visitare parochiales ecclesias regularium, sed num possit etiam recognoscere de oneribus missarum, an sint impleta, requisita fuit s. congregatio, et nondum prodiit responsum. Potest tamen episcopus inquirere, num parochus regularis singulis diebus festis pro populo celebraverit, cum id concernat curam animarum, de qua ius est inquirendi episcopo in visitatione. De synod. dioec. l. 13. cap. ult. n. 5. Fas est tamen episcopo visitare confraternitates laicorum in ecclesiis regularium erectas, et altare, si illis incumbit onus manutenendi, et onera missarum, ad quae confraternitates illae tenentur, ut ex decreto s. congregationis. Ib. n. 6.

Si testator missas reliquerit quotannis celebrandas in ecclesiis regularium, et haeredi suo permiserit, ut designet sacerdotem, per quem celebrari debeant, non possunt regulares exigere ut unus ex suis designetur, quin et praestare debent patientiam, ut ab eo, quem haeres designarit, in suis ecclesiis celebrentur, dummodo tamen dentur frustatoriae, ut ex responso s. congr. Ib. num. 7.

An mandatis et monitoriis etc. per quae retardetur executio provisionum et statutorum pro divino cultu con-

servando et augendo, praesertim circa missae celebrationem, ad executionem decretorum trid. sess. 21. *de ref.* cap. 8. et sess. 22. in decret. de observand. et evitand. in celeb. miss. ne recipiantur in tribunali actus iudiciales, per quos eorum executio impediatur, sancitum est a pont. in bulla *Ad militantis*.

Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem missae, non sunt obligandi sacerdotes, si parochi, seu episcopi censuerint praestare, ut haec administratio fiat in altari, ubi ss. eucharistia asservatur extra missam. Encyclica ad episcopos Italiae *Certiores effecti*.

Missam auscultare diebus festis in quacumque ecclesia, etiamsi non sit propria parochialis, cuicumque fideli, ut praecepto satisfaciat, fas est, ut consuetudo ubique obtinens, quae proinde induit rationem iuris communis, demonstrat. De synod. dioec. l. 11. cap. 14. n. 10.

Sacerdotes saeculares in ecclesiis regularium illorum missam legere vetantur, sed utendum est illis romano missali, ita tamen, ut possint de sancto, de quo regulares illi agunt officium, missam recitare, eam desumendo ex communi missalis romani, ut pro capellanis, et confessariis monialium decrevit s. congregatio, Clemente XI. decretum approbante. De sacrif. miss. l. 3. c. 23. n. 1. inst. eccl. 34. n. 20.

Missarum onera a fundatore beneficii praescripta non licet episcopo diminuere, quoties fructus relicti decrementum subierint; non enim posse ab episcopo reduci missas semper renuit sacra congregatio concilii, facultas vero ad hoc data in concilio trid. sess. 25. *de ref.* cap. 4. ut episcopi possent missas in testamento, vel dispositione inter vivos assignatas reducere in synodo dioecesana, et generales ordinum in suis capitulis generalibus, intelligitur tantummodo de oneribus missarum impositis ante concilium tridentinum, et de reductione facienda in dioecesana synodo, vel capitulo proxime post expletum concilium tridentinum habendis, ut exposuit s. c. de synod. dioec. l. 13. c. ult. n. 18.

Modo insuper non licet episcopis etc. id praestare in suis synodis etc., quia id vetuit Urb. VIII. et Innoc. XII. in sua constitut. de qua ib., ex vi quorum neque licet episcopo reducere eadem onera, antequam acceptentur ab iis, ad quos pertinent, uti definitum est a s. congregatione. Ibid. n. 19.

Cum datur episcopis facultas reducendi *pia legata, et missarum onera*, adhuc tamen ex contextu totius dispensationis constat, nihil illis concessum esse quoad reliqua legata, sed tantum quoad onera missarum. Ibidem num. 22.

Si aliqua dispositio missarum onera, et alia pia opera comprehendat, et ob tenuitatem redituum reductio aliqua facienda sit, reducenda esse prius reliqua opera, quam numerum missarum censuit sacra congregatio. Ibid. n. 23. Quamquam haec vera sunt, nisi ex toto contextu dispositionis aliam fuisse mentem fundatoris deprehenderetur. Ibid. At si episcoporum auctoritas quoad hanc reductionem profluxerit ex ampliatione indulti concilii romani sub Benedicto XIII. vel ex instructione quadam tradita a s. c. et res fuerit, vel ut numerus missarum, vel alia opera pia sint imminuenda, tunc praestat recurrere ad s. congregationem concilii. Ib. num. 24.

Insuper ex vi concessionis praedictae non possunt redigi missae, quarum celebrationi ecclesia, etc. per contractum sese obstrinxit, hoc enim cavetur expressis verbis in praememorata constitutione, Ibid. n. 25.

Si testator missas aliquot annuas pro se reliquerit celebrandas, et in eum finem hunc vel illum fundum addixerit, et fundus ille diminuatur, ut non sufficiat ad consuetam missae eleemosynam, non est locus reductioni, sed cogendus est haeres, ut suppleat quod deest; praesumitur enim testator semper voluisse hunc missarum numerum in favorem animae suae. Porro si verba dispositionis incipiant ab impositione oneris, et postea descendant ad assignandum fundum, tunc utique cum particula ista sit demonstrativa, fundus si deficiat, supplendus est ab haerede. Si vero dispositio illa incipiat a designatione fundi, et subinde descendat ad onera missarum, tunc utique interpretanda est *taxative*, adeoque locus est reductioni, nec cogendus est haeres, ut suppleat. Quae omnia ex-

primi solent in instructione, de qua supra. Ibid. n. 32.

Si testator mandet haeredi, dare fundum legatario, ut ex eius reditibus celebrentur missae, haeres facta fundi assignatione ad nihil aliud tenetur, ut ex dd. et decisione Rotae. Ibid. n. 33. Si vero testator mandasset haeredi, ut tot praestaret fructus sufficientes ad iniunctam missae celebrationem, et ipse fundum idoneum dedisset, si fructus ille dein non sufficiat, supplendus est ab haerede. Ibid.

In reductione missarum perpetuarum per ampliationem concilii romani facienda, stabiliri solet eleemosyna sexaginta scutorum monetae romanae: quoad missas vero cantatas assignanda est eleemosyna consueta pro iis missis in qualibet dioecesi vigens; ut ex decreto s. congregationis. Ibid. n. 34. At si celebrandae sint simul aliquot missae cantatae, et aliquot privatae, nec sufficiant reditus, erogandi sunt illi in celebratione missarum privatarum, deleto onere missae cantatae, ut ex decreto s. c. Ibid.

At si reductio fiat ab episcopo vigore facultatis in instructione contentae, statuendum est, ut missae celebrentur, non quidem ea eleemosyna, quae ex indulto concilii romani praefixa est, sed ad rationem eleemosynae manualis in dioecesi obtinentis; ita enim constat ex verbis ipsius instructionis. Ib. n. 35.

Si episcopus ab apostolica sede obtinuit facultatem reducendi missas in sua dioecesi, potest etiam reducere pro regularibus, ut delegatus sedis apostolicae, si ad illum recurrant. Ibid.

Ne novae aut inusitatae orationes in missa recitentur, vetitum est in bulla *Quemadmodum preces*.

Non promoti ad presbyteratum, si missam celebrent, tradendi sunt a iudicibus s. inquisitionis curiae saeculari puniendi ex constitutionibus Paulii iv., Sixti v. et Clement. viii. Item Urb. viii. constitut. *Apostolatus officium*, iis poenis subiicit etiam minores annis 25., dummodo 20. expleverint. Has constitutiones innovat Bened. xiv. in bulla *Sacerdos in aeternum*, et addit, singulas testium depositiones, nempe quando testes in suis depositionibus sunt singulares, valere ad reorum torturam. Valere autem ad poenam, si ordinarius declaraverit per simplices litteras reum a se non esse promotum. In eadem bulla iisdem constitutionibus subiicit hos reos celebrantes unam tantum missae partem, dummodo elevationem peregerint. Si reus has exceptiones, sic a pontifice sublatas, praetenderit, sive illae coniunctim considerentur, sive singulatim, non tamen satis est hoc, quominus tradantur brachio saeculari si sint laici, et si clerici quominus procedatur ad degradationem et traditionem brachio saeculari. Declarat insuper pontifex, eisdem poenis submitti quoscumque non sacerdotes sacramentalem confessionem audientes et absolutionem impertientes. Si tamen non sit prolata absolutio, tunc a iudice ecclesiastico minor poena est iniungenda. Ib. §. 8.

Benedictus xiv. concedit presbyteris latini ritus in Russia Polonica degentibus in missas celebrantibus in ecclesiis ruthenorum unitorum, ut deficientibus altaribus, seu lapidibus consecratis, et calicibus aureis vel argenteis, missam celebrare possint super antimensia eorumdem ruthenorum, latino tamen ritu. Bulla *Imposito nobis*.

MONIALES. Monialium professio religiosa ante decimum sextum aetatis annum expletum et exactum annum novitiatus emissa, irrita est ex Trident. sess. 25. c. 15. De synod. dioeces. lib. 13. c. 12. n. 1. Excipiuntur tamen mulieres, quae poenitentes, aut convertitae appellantur; cum quibus constitutiones earum circa probationem servandae sunt, non obstante conciliari decreto de monialium professione, ut ex decreto s. c. concilii. De syn. dioeces. l. 13. cap. 12. n. 1.

Haec conciliaris sanctio de anno probationis valet etiam pro illa, quae, usa privilegio bimestris post coniugium, religionem ingreditur, et quamquam id cedat in incommodum illius, qui in saeculo remanet, ut non possit transire ad alias nuptias, nisi postquam coniux religiosa anno probationis exacto professionem emittit. Ib. n. 2. Quin et accidere potest, ut biennium expectandum illi sit, si coniux religiosa anno probationis fere exacto religionem mutaverit, et in ea novam probationem instituerit.

Si novitia ordinis praedicatorum in mortis articulo professionem emiserit

ante expletum annum probationis, quod ex bulla s. Pii v. illis concessum est, nec facile derogatum illi est ex posteriori bulla Gregorii XIII. qua professio ante expletum annum probationis irritatur, ea quidem professio valet ad spirituales gratias lucrandas, non vero ad vindicandum monasterio dotem, et reliqua bona professae, ut ex saepius decisis a s. congreg. concilii. Ib. n. 6.

Sponsa per verba de futuro alteri oppignorata, addito utrimque iuramento de contrahendo et consummando matrimonio, potest ante initum coniugium religionem ingredi, iuxta illud, *Promissum non infringitur ab eo, qui in melius illud commutat*, cap. *Pervenit*, *de iureiur*. Et definitur in cap. *Commissum*, *de sponsal.* quamvis ibi dicatur, tutius esse si ineat matrimonium, tum religionem ingrediatur, quod tamen vel est de consilio tantummodo, vel sponsalia tunc non inferebant aliam promissionem, nisi de coniugio celebrando; non vero de celebrando et consummando, uti nunc ferunt. Ibid. n. 8.

Matrimonio rato, non consummato, integrum est mulieri religionem approbatam ingredi, et per professionem in ea coniugii vinculum dissolvitur. Haec tamen valent pro veris et approbatis religionibus, in quibus tria vota substantialia emittuntur, ut est etiam ordo equestris hierosolymitanus, non vero caeteri equestres ordines, ut ex Trid. sess. 24. *de matrim.* can. 6. et traditis a dd. Ibid. n. 9.

Consummato iam coniugio, si liber utriusque coniugis consensus intercesserit, potest utique mulier religionem ingredi (idem de viro dixeris), et in ea profiteri; si tamen et alter coniux consentiat in religionem ingredi, si iunior est, vel si senex extiterit, emittat votum simplex castitatis. Si vero ab alterutro, vel revocetur consensus libere praestitus ante alterius professionem, vel etiam post professionem valide emissam, si non adimpletae fuerint conditiones superius expressae, coniux religiosus eo petente egredi e religione tenetur, ut definitum in cap. *Praeterea de convers. coniug.* Can. *Quia Agatho*, *caus.* 27. qu. 2. cap. *Cum sis*, *de convers. coniug.* Ib. n. 10. 11.

Non vero sufficit, si, muliere religionem ingressa, alter coniux non senex sacros ordines suscipiat, ex constitut. Ioannis XXII. *Antiquae*, tit. *De voti redemptione*. Ib. n. 14.

Si vero legitime probatum fuerit adulterium uxoris, quae dein transit ad religionem, tunc integrum viro est in saeculo manere, dummodo tamen castitatis votum emittat. Ita ex decis. a s. congreg. Ib. n. 16.

Quin et in eo casu, si ex episcopi testimonio constet, virum in saeculo manentem vitae esse probatae, conceditur illi per indultum, ut nullo se castitatis voto obliget, adeo ut post uxoris mortem possit ad alias nuptias transire. Ita ex resolutis a congreg. Ibid. n. 16.

Concessum est etiam aliquando indultum viro sexagenario maiori, ut sacerdotio initiari posset, dummodo uxor fere sexagenaria perpetuam castitatem voveret. Ibid. Concessum est etiam, ut vir septuagenarius de consensu uxoris acciperet sacros ordines, et uxor paris aetatis tertiariae habitum indueret, dummodo diversas omnino aedes incolerent.

In ingressu monialium in monasterium dotis solutio approbatur ea, quae datur non ad ingressum in religionem sed pro contractu, quem facit religio cum illa, quae ingreditur, obligans sese ad eius sustentationem. Si vero monasterium per se sit dives, ut sufficere ex suis possit monialium sustentationi, tunc utique praestaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quamquam id agendum non est, nisi prius consulta s. congreg. concilii. De synod. dioec. l. 11. c. 6. n. 6.

Quoad prandia, coenas et munera, quae ab ingrediente moniales exigunt, perseverare censet pontifex prohibitionem factam ab Urbano v. *Extrav.* 1. *De simonia inter comm.* De syn. dioec. l. 11. c. 6. n. 6.

Modum tamen imponendum sumptibus apparatuum, et comessationum ac pomparum, quae fiunt in ingressu monialium, censet pontifex usus opportune hac in re doctrina Navarri in tr. *de redd. eccl.* in fin. pr. q. Ib. n. 7.

Moniales regularibus subiectae ex Trid. sess. 25. *de regul.* c. 5. ordinario loci tamquam delegato subiiciuntur quoad clausuram. Id vero declarans

Gregorius XV. in constitutione sua n. 18. statuit, confessarios earum regulares ab ipsis suis superioribus deputatos pro confessionibus monialium ab episcopo approbandos esse. Eidem etiam episcopo reddendam esse rationem ab iis qui bona illarum administrant, accitis tamen tunc etiam superioribus regularium, qui si renuerint, tunc id praestet per se episcopus. Datur etiam episcopo auctoritas praesidendi una cum superiore regulari cum antistites monasterii eliguntur. Denique conceditur episcopo, ut, si regulares forte in ordine ad clausuram deliquerint, puniat illos, et corrigat usque ad censuras. Alex. VII. in sua const. 153. concedit superioribus regularibus ius ingrediendi septa monasterii earumdem monialium semel quotannis occasione visitationis. Saepius vero ex causa urgenti vetuit ne ingrederentur, nisi praesente episcopo, vel alio ecclesiastico ab eodem deputato. Inst. eccles. 29. n. 5. Contraria quoad haec omnia consuetudo etiam immemorialis a s. c. saepius reprobata est. Ib. n. 7. etc.

In visitationibus monasteriorum sanctimonialium non tenetur episcopus denuntiare illis diem et horam visitationis, sicut nec tenetur ducere secum superiorem regularem eiusdem ordinis. Ibid. n. 18.; potest etiam episcopus monialibus regularibus subieotis sacram eucharistiam ministrare, si ipsae velint. Ib. 9.

In monasteria monialium introduci pueros, et puellas tenellae aetatis vetandum est, ex more Romae obtinente. Ib. n. 24.

In electione abbatissarum, quae praesint monasteriis regularibus subiectis, tenentur regulares monere episcopum, si velit interesse vel per se, vel per alium, ut ex cons. Gregorii XV. n. 18., quibus debet episcopus manifestare suam voluntatem. At potest episcopus in synodo generaliter edicere, velle se interesse omnibus istis electionibus, ex quo satis manifestat suam voluntatem. De synod. dioec. l. 5. c. 12. n. 4.

Monialium transitum de uno ad aliud monasterium, cum monialibus ultra montes concedit summus poenitentiarius; qui tamen facultatis huius executionem ordinarii arbitrio committit. Bulla *Pastor Bonus*.

Translatio monialium ab uno ad aliud monasterium fieri iure nequit, nisi de licentia romani pontificis, nisi exigente aliquo repentino casu, in quo rei necessitas exigat repentinum egressum, tunc enim etiam pro monialibus regularibus subiectis, praeter facultatem praelati regularis, episcopi licentia in scriptis requiritur. Bulla s. Pii V. *Decori et honestati*.

Casus repentini indicantur in eadem bulla, magnum incendium, infirmitas leprae, ac epidemiae, sive pestis. De synod. dioeces. l. 9. c. 15. n. 8.

Non licet autem absque facultate sedis apostolicae egressum hunc permittere etiamsi possint occurrere casus alii, qui videantur aequipollere iis, quos s. Pius V. in sua constitutione expressit, ut si ex. gr. sit aliqua monialis, ex qua prudenter timeri possit periculum scandali et perversionis aliarum. Ib.

Superiores monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere confessarios extraordinarios monasteriis sibi subiectis, quibus tamen sic oblatis non tenentur moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se praesentare, ut saltem accipiant ab illis monita salutaria.

Si vero aliqua monialis graviter aegrotat, ut sit in mortis periculo, petatque alium sacerdotem, qui non sit ordinarius monasterii confessor, huic a respectivo superiore annuendum est. Si vero superior regularis illum concedere noluerit, potest id praestari ab episcopo. Quin etiam si aliqua monialis etiam extra praedictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium confessarium ab ordinario diversum, debet illi dari a suo superiore. Quod si superior regularis id renuerit, tunc potest episcopus satisfacere eius petitioni, etiamsi requirat alterius ordinis regularem, vel etiam sacerdotem saecularem ex approbatis a superiore ad confessiones monialium. Demum suadentur superiores earumdem monialium, ut si aliqua ex illis petat pro maiori animi sui quiete, et ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones iam approbato, etiamsi sit alterius ordinis regularis, vel sacerdos saecularis, non sint difficiles ad praebendum assensum. Requiritur tamen semper, ut confessarius iste ex-

traordinarius sit ex approbatis ab ordinario ad confessiones monialium audiendas. Postremo si superiores regulares non saltem semel in anno elegerint in confessarium extraordinarium, vel sacerdotem saecularem, vel regularem alterius ordinis, in eo casu devolvitur haec electio ad episcopum. Haec oblatio confessarii extraordinarii bis vel ter in anno, sicut et caetera omnia, quae superius praescripta sunt, praestari debent etiam cum aliis mulieribus, sive regularibus, sive saecularibus collegialiter degentibus, quae unicum habent confessarium. Haec omnia ex variis s. congr. decretis olim stabilita confirmat pontifex in bulla *Pastoralis curae*.

Durante munere confessarii extraordinarii pro tota communitate, non licet confessario ordinario audire confessiones alicuius eiusdem monasterii monialis, neque alterius cuiuscumque intra septa monasterii aut piae domus commorantis. Ibid.

Quoad censuras, seu poenas in casibus occultis etiam violatae clausurae, vel in dispensando ab aliquo occulto defectu maior poenitentiarius confessarium monialibus concedit. In casibus publicis clausurae, a monialibus, vel ab aliis quibuscumque ad malum finem delinquentibus non absolvit nisi prius ordinarius supplicarit, et casus a congr. super episcopos et regulares ad poenitentiarium delatus fuerit. Bulla *Pastor bonus*.

Annuae praestationes, quas consanguinei solvunt designatis monialibus, vitae communi minime repugnant; sed requiritur, ut omnia in manibus praepositae consignentur, quae prius consulere debet indigentiis illius monialis, in cuius gratiam collatae sunt; et si quid reliquum, in caeterarum levamen erogetur. Ita ex pluribus decretis. De syn. dioec. l. 13. c. 12. n. 19.

Ingressus in monasteria monialium, quae regularibus subduntur, fieri debet de licentia episcopi, nulla obstante consuetudine in contrarium, ut post diligens examen decretum est, approbante Urbano VIII. ibid. n. 23., in quo etiam decreto statuitur, licentias moniales illas alloquendi petendas esse ab episcopo, non vero a superiori regulari.

MONS PIETATIS. In montibus pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi potest ab iis qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, *nisi apostolicae sedis dispensatione*, ut ex decreto s. congr. concilii in causa neapolitana die 7. februarii 1637. De synod. dioec. l. 10. cap. 5. n. 2. Sicut neque absque beneplacito eiusdem sedis plus exigi potest, quam antea fuerit consuetum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro sustentatione ministrorum, ut ex alio decreto s. congr. ibid. n. 2. Si vero plus exigatur, quam opus sit ad expensas necessarias, tenetur episcopus moderari istas usuras; tutius est autem quod consulat de hac re sacram congr. Ib. n. 3.

MULCTA. Mulctas pecuniarias episcopus sibi addicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia sedis apostolicae, ut ex pluribus argumentis s. congr. evincitur in tract. de syn. dioec. l. 10. c. 10. n. 2. Sed debent in usus pios expendi. Multo magis non possunt nisi in pios usus applicari illae mulctae, quas Tridentinum inflixit clericis non residentibus, aut concubinariis. Ib.

Si quas vero mulctas dioecesana synodus alicui certo loco pio applicaverit, episcopi non possunt illas sibi obtinere ab apostolica sede, etiamsi sint pauperes, quia sedes apostolica iuri alteri quaesito praeiudicium non infert. Ibid. n. 3.

Has vero mulctas, antequam applicentur suae destinationi, deponendas esse penes administratorem fidelem iussit s. c. in sua encyclica ad omnes episcopos, die 5. februarii 1678. Ibid. n. 4.

NEGOTIATIO. Constitutiones adversus clericos negotiatores innovantur et extenduntur ad clericos sub laici nomine quomodolibet negotiantes.

Extenduntur item ad negotia a laicis inchoata, dein ad clericos devoluta, sive haereditario iure, sive quocumque alio titulo, sive singulariter sive communiter, sive separatim sive coniunctim cum aliis bonis, cohaeredibus, vel sociis laicis existentibus.

Comprehendi etiam censentur illi clerici, qui per seipsos suoque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohaeredes ac socios negotium exercent.

Hos omnes subiicit pontifex quoad

bona sic ab eis acquisita poenis in constitutione Pii IV. quae incipit *Decens esse*, quae est 19. inter bullas eiusdem pontificis. Poenae illae sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis camerae apostolicae comprehendantur.

Si qui vero exempti sunt a poena spoliorum ex constitutionibus Pii IV. *Romanus pontifex* et Pauli V. *In eminentis*, illos pariter non exemptos quoad bona ex negotiatioue provenientia decernit, atque declarat in constit. *Apostolicae servitutis*, quae est in bullario.

Negotiatio tamen impropria non est clericis interdicta, ut ex. gr. manuum suarum labore et honesto artificio victum sibi comparare, quod et apostolus Paulus suo exemplo docuit, et a ss. etiam monachis praestitum est. De syn. dioec. l. 10. c. 6. n. 2.

Licitum est etiam clericis vendere res collectas ex propriis praediis, sicut et eas, quas coemerunt ad familiae suae sustentationem, quae si superfuerint, possunt vendere carius quam emerint, intra limites tamen iusti pretii. Ib.

NUNDINAE. Nundinae a mercatis sedulo distinguendae sunt; nam illae semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, et de longinquo eo conveniunt populi; mercatus vero est, quo exponuntur venales res ad quotidianos usus necessariae, et fiunt singulis hebdomadis, currentibus populis e viciniis. Posteriores isti si incidant in festum de praecepto, transferendi sunt. Priores vero non sunt; quamvis apothecae ea die claudendae, sicut nec contractus fieri oportet, matutinis et vespertinis horis quibus divina officia in ecclesia celebrantur. Ita pro ditione ecclesiastica iussit Benedictus XIV. in constit. *Ab eo tempore*.

OBLATI MONASTERIORUM. Oblati, et qui donati appellantur, quamvis non sint religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta, quoad proprietatem et usumfructum sibi non retinuerint, sed transtulerint in monasterium, sunt personae ecclesiasticae, gaudent privilegio fori, et immunitate ab exactionibus saecularibus. Verum ut subtrahantur a iurisdictione episcopi requiritur, ut actu inserviant suae religioni, ut late docet pontifex. De syn. dioec. lib. 6. cap. 3. n. 4.

OBSTETRIX. Debent obstetric diligentius examinari a parocho, num sciant ea, quae necessaria sunt ad s. baptismum conferendum. Tunc autem si baptizaverint, in templo supplendae sunt caeremoniae: non tamen sub conditione iterandus est baptismus indiscriminatim ex eo quod ab obstetrice, aliisve similibus tinctus sit puer, sed inquirendum, numquid aliquid necessarium omiserint. Inst. eccl. 8. n. 6.

OFFICIUM DIVINUM. In recitatione divini officii pro aliqua morali difficultate dispensando commutare potest maior poenitentiarius. Bulla *Pastor bonus*.

ORATIO. Indulgentiae iam concessae pro orationibus seu vocaliter, seu mentaliter, confirmantur in bulla *Quemadmodum*.

Qui rudes homines pie orandi, seu meditandi exercitationem docuerint, quique institutionibus hisce interfuerint, toties quoties lucrantur indulgentiam septem annorum, et totidem quadragenas, dummodo vere poenitentes sint, ac sacra communione refecti: constit. *Quemadmodum*. Item qui id praestiterint assidue, semel singulis mensibus, vere poenitentes, et sacra communione refecti, et pro consueto indulgentiarum more orantes, plenariam indulgentiam animabus etiam purgatorii applicabilem consequi possunt. Quod itidem obtineri ab iis potest, qui quotidie toto mense uno saltem horae quadrante orationi mentali operam dederunt, dummodo sint vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, et oraverint pro concordia etc. Quapropter suadet pontifex, ut episcopi iniungant singulis praecipuarum ecclesiarum praepositis in civitatibus, et singulis parochis in oppidis, ut certa diei hora ad campanae sonum invitent fideles, sive ut in ecclesiam ad hoc exercitium conveniant, sive ut id privatim in domibus praestent.

Peccatorum orantium tria sunt genera. Alii scilicet in statu peccati mortalis degunt et se credunt contritos, quamvis non sint; eorum oratio rite instituta a Deo exauditur. Alii dolent quidem de peccato; sed non ita ut ab eo se expediant; hi vero, ut eniti ac se liberare valeant, si ideo Deum deprecentur, ea saltem impetrabunt, quae

ad aeternam suam salutem pertinent. Sunt tandem qui nec dolent de peccato, nec enituntur ut e statu illo exeant, imo nec volunt; si quid illi petierint a Deo vel spirituale vel temporale, raro exaudiuntur. Ita ex Suarez. Inst. eccl. 62. n. 10.

ORATORIUM PRIVATUM. Non obstante decreto Clementis XI. fas est episcopis altaria erigere, ibique celebrare, vel celebrari facere extra suas domos in domibus laicorum, quando ibi agunt per modum habitationis, veluti si ibi sunt occasione visitationis, vel itineris, vel hospitio ibidem recepti. Const. *Magno cum animi.*

Indultarii, coram quibus celebrari potest missa in oratoriis privatis, sunt illi, qui nominantur in fronte, seu in inscriptione brevis; illis non praesentibus, missa celebrari non potest. Ibid. §. 14. 15.

Si tamen in corpore brevis nominatur aliquis, coram quo missa celebrari possit, etiamsi ille non veniat in fronte seu inscriptione brevis; adhuc tamen eo praesente missa celebrari potest. Ibid. §. 16.

Sacramentum poenitentiae vetitum est ibi administrari, vel ab ipsis pariter regularibus. Ibid. §. 20. Communio sacra non potest hic administrari, nisi accedat episcopi licentia. §. 23.

ORATORIA PUBLICA. Nullum ius assistit parocho, ne in oratoriis publicis intra suam paroeciam missa celebretur ante absolutam missam parochialem, ex decretis s. c. inst. eccl. 44. n. 11. Potest tamen id vetare ordinarius, *dummodo tamen missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur*. Quae verba sunt decreti s. c. Ibid. n. 12.

In archiepiscopatu tamen bononiensi, si oratorium publicum distet a parochiali unum milliare, permittitur haec anticipatio, onere tamen iniuncto capellano annuntiandi festa de praecepto, evangelium explicandi, sicut et catechismum ac doctrinam christianam habendi, quod etiam mandatur a Clemente XII. in encyclica ad episcopos Italiae data anno 1735. Ibid. n. 15.

ORDINES. Ordinem verum esse novae legis sacramentum ex consensu theologorum omnium et concilii Trid. definitione sess. 23. can. 3. certum est. Id vero sacerdotio convenire una est omnium theologorum catholicorum vox, nec sine periculo gravis erroris id negaretur de episcopatu, quamvis diversum non esse ordinem a sacerdotio, sed eius extensionem, perfectionem, complementum teneretur. De diaconatu quamquam certum non sit de fide ex sensu quorumdam theologorum, attamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur.

De caeteris singularibus ordinibus disceptant theologi, quamvis de subdiaconatu aliquando minor sit quaestio prae caeteris inferioribus. Hanc definiendam pontifex nequaquam se assumpsisse profitetur. Quare vetat episcopis, ne sacrilegii crimine in suis synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis ordines diaconatu inferiores susciperent. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra ordinatio fieri plerumque non soleat, nec possit extra missarum solemnia, in quibus recens initiati sacra eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. De synod. dioec. l. 8. c. 9. per totum.

De materia huius sacramenti dubietas intercedit (de sacerdotio, episcopatu, et diaconatu res est) num in instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat? Quin et de impositione manuum dubii haeremus; trina est enim. Ex quo fit, ut si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso s. c. censeat pontifex, ut simul tota ordinatio sub conditione iteretur. De syn. dioeces. l. 8. cap. 10.

In denuntiationibus, quas plerique episcopi ordinationes sacras inituri per archidiaconum suum praemittunt, suae scilicet non esse intentionis illos ordinare, qui irregularitate, caeterisque canonicis impedimentis tenentur; unicus plerumque est scopus, ut sic vitiatos deterreant; serio tamen volunt quemlibet sibi prepositum consecrare. Neque enim censendi sunt vel gravis peccati se reos statuere, plane contrariae voluntati insistendo. Commissuros enim gravem culpam, si id voluerint, omnes fatentur. Censet tamen pontifex praestare, ut ea denuntiatio omittatur,

atque intra fines edicti, quod in pontificali romano habetur, episcopi sese contineant. In eo enim edicto sub excommunicationis poena praecipitur, ne quis canonico detentus impedimento accedere audeat. Ibid. c. 11. Vide etiam de hac quaestione, de sacrif. miss. l. 3. c. 10.

Sacri vero ordines intra missarum solemnia nec ab alio, quam ab episcopo ordinante celebranda, conferendi sunt, ut reum se gravis culpae episcopus constitueret, qui alio sacerdote celebrante ipse interim sacrae ordinationis ministerium praestaret, valeret tamen ordinatio. De syn. dioec. l. 8. c. 11. n. 5. et 6.

Beneficium, ad cuius titulum ordines conferuntur, debet tantum ex reditibus ferre, quantum sufficit ad clerici sustentationem honestam, iuxta taxam ab episcopo definiendam; detractis tamen oneribus, non tamen missarum, saltem nisi aliter episcopus statuerit. Si vero clericus ordinetur in loco domicilii, et beneficium obtineat in alia dioecesi, tunc si beneficium poscit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est iuxta taxam synodalem loci, ubi est beneficium; secus vero statuendum est, si residentiam non exposcat iuxta ac statuit Innoc. XIII. in sua constit. *Apostolici ministerii*. Haec omnia de syn. dioec. l. 12. c. 9. n. 2.

Ordines sacri conferendi sunt primario titulo beneficii ecclesiastici; nec nisi in subsidium pro necessitate vel commoditate ecclesiarum conferri possunt ab episcopo ad titulum pensionis, vel patrimonii, ex Trid. sess. 21. c. 2. de reform. Nec, nisi concurrat necessitas vel commoditas ecclesiae, licitum id esse edixit s. c. concilii in encyclica die 13. maii 1679. iussu Innoc. XI. exarata. Inst. eccl. 26. n. 2.

Ad ordines conferendos censet pontifex ex conc. trid. sess. 23. de ref. c. 2. non esse positum in arbitrio episcopi, ut ordines minores det ignorantibus linguam latinam, si spem ostendant futuri profectus: nam concilium exigit, ut saltem linguam latinam intelligant; et arbitrium episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam latinae linguae, Inst. eccl. 42. n. 2.

Quoniam vero ad sacros ordines requirit Trid. ib. cap. 14. scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem, ac ad administranda sacramenta; ideo subdiaconatui convenit ut praecedat annus integer studii, sive theologiae moralis, sive scholasticae, sive iuris canonici. Biennium vero ad diaconum ordinandum, triennium ad sacerdotes. Nec impletur mens Tridentini, si quis in theologia morali tantum studuerit contractus, cambia, etc. Concilium enim exigit, ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem. Ibid. n. 3.

Ordinum sacrorum interstitia dispensare etiam, quoad regulares, non quidem ad eorum praesules, sed ad episcopum ordinantem spectat; ut ex responso s. c. Instit. eccl. 58. n. 1. Quamquam ab episcopo deferendum sit iudicio superiorum regularium, ut ex aliis decretis s. c. Ibidem.

Quoad clericum saecularem episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem aut necessitatem ecclesiae. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetunt: cum ordinandus provectior sit aetate, et simul etiam maxime provectus in studiis: seu tandem cum agitur de paroecia, seu alio beneficio exigente intra annum ordinem sacrum, ut ex dd. Ibid.

Caeterum si quis obtinuerit ad dispensationem interstitiorum indultum sedis apostolicae; permissa est tamen ista dispensatio arbitrio episcopi, ut Innocentius XII. in sua resolutione die 4. dec. 1693. in eius bullario. Ibid.

Si quis obtinuerit privilegium a sede apostolica, ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festivis interpolatis cum dispensatione interstitiorum, non potest ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festivis tantummodo, quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de praecepto. Licet enim in brevi dicatur *festivis diebus*, attamen festivum stylo sedis apostolicae indicat diem festum de praecepto. Accedit decretum s. c. concilii, definiens, dies festos accipiendos esse pro festis de praecepto. Inst. eccl. 106. num. 6.

Ordines minores conferre non licet nisi mane diebus dominicis, et festis duplicibus *de praecepto*, quod postre-

mum additum est pontificali romano ex nova correctione Urbani VIII. cum prius tantum legeretur *festis diebus duplicibus;* quare non licet ordinare initiandos diebus duplicibus, sed non festis de praecepto. Instit. eccl. 106. num. 3.

Si quis recipiat ordines minores eademque die subdiaconatum, incidere in suspensionem vi decretalis in cap. *de eo qui furtive ordines susc.* doctores quidam censent, quamquam alii negant. Inst. eccl. 106. n. 8. Vetitum est tamen id agere, ut ex pluribus decr. s. c. firmatur. Ibid.

Si clericus sacris initiandus sit consuetudine aliqua peccandi adstrictus, modo vero ita sincera exhibeat resipiscendi argumenta, ut confessarius vere eum contritum iudicare possit, nolit autem poenitens ille confessario suadenti, ut differat susceptionem sacri ordinis, acquiescere, firmusque statuat statim se solemni voto obstringere; utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quaestio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem et doctum virum consulat, a quo remedia petat, et consilium. De syn. dioec. l. 11. c. 2. n. 17. 18.

Ordines minores collati ab abbate nullum ad id obtinente privilegium, neque licite conferuntur, neque valent. Si vero conferantur ab abbatibus habentibus ius conferendi illos certo personarum generi, et quos initiaverint ad alterum genus pertineant, illicite conferuntur, sed tamen valide; ita ex variis decretis s. c. De syn. dioec. l. 2. c. 11. n. 8. et 9.

Cum regularibus faciliorem se praebere potest episcopus in ordine ad examen, ut ex Salm. theol. moral. tr. 8. c. 5. dub. 2. punct. 2. n. 47.; facilius etiam dispensare cum illis potest ab interstitiis, conformando se iudicio superioris regularis testantis de sufficientia causae. Inst. eccl. 23. n. 1.

Episcopus alienos subditos per dimissorias ad se directas ordinaturus, non tenetur quidem ordinandum novo examini subiicere, cum id a proprio episcopo sit praestandum, ut ex communi doctorum sententia; at si velit novae discussioni illum subiicere, potest, ut saepius a s. c. concilii definitum est. At episcopus suffraganeus ad supplendas dioecesani vices assumptus, nec tenetur, nec potest, ut ab eadem congregatione decisum est in causa elbor. dubior. die 22. augusti anni 1721., cui tamen fas est ab ordinatione illius abstinere, si aliqua iusta causa suppetat ad eum removendum. De syn. dioec. l. 12. c. 8. n. 7.

Ordinatus, ut valide id praestet, debet habere intentionem virtualem, saltem externam et internam, suscipiendi quod ecclesia intendit ab eo suscipi. Quod si coactus gravis mali metu animam intendat ad suscipiendos ordines, ut malum illud vitet, tunc utique ordinatio valet. De sacr. miss. l. 7. c. 10. n. 12. Si vero recipiat absque intentione interna, profecto ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, id est nec voluntatem suscipiendi et non suscipiendi ordines. Pro invaliditate huius ordinationis refertur decretum s. congregationis.

In sacra congregatione die 31. martii 1685. agitatum est, num clericus (qui falsaverat testimoniales ordinum praecedentium, adeoque metu censurarum, quae in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi ordinem subdiaconatus, qui tunc sibi ab episcopo conferebatur) reipsa ordinatus esset? Respondit vero die 24 augusti eiusdem anni esse iterum ordinandum sub conditione; nam illa animi perturbatione qua agitabatur clericus, non satis constare poterat, utrum verum animum suscipiendi ordinem non habuerit. Ibid. n. 13.

Cum male promotis ad ordines et signanter cum promotis per saltum in casibus occultis, maior poenitentiarius dispensare potest ad effectum, ut omissos ordines occulte suscipiant a quolibet antistite, etiam extra tempora, non servatis interstitiis et absque dimissoriis: non tamen ut plures ordines sacros eodem die suscipiat. Bulla *Pastor bonus.*

Dispensat etiam cum promotis ad sacros ordines per simoniam, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiae. Ibid. n. 19.

PAROCHUS. Parochus actualis, etiam regularis, quocumque appelletur nomine, nempe vicarii perpetui, seu ad tempus constituti, tenetur missam

applicare pro populo singulis diebus festis de praecepto, ut in encyclica ad episcopos Italiae incipiente *Cum semper*, pontifex mandat.

Si habeat diebus illis alias obligationes applicandi missam, curare debet ut illis per alios satisfaciat. Ibid. §. 8. Parochis tamen pauperibus potest episcopus indulgere, ut ipse parochus satisfaciat aliis obligationibus, quae forte occurrunt, applicandi missam diebus festis, dummodo tamen eidem missae pro populo infra hebdomadam satisfaciat. Ibid. §. 8. Parochus etiam pinguioribus reditibus praeditus absolvitur ab obligatione applicandi missam singulis diebus pro populo; dummodo non aliter in fundatione beneficii cautum sit. Ibid. n. 6.

Parochum regularem suo muneri deficientem potest punire episcopus cumulative cum superiore regulari; ita tamen, ut si aliter statuat superior regularis, aliter episcopus, standum sit episcopi mandato. Ita statuit pontifex in bulla *Firmandis*. Si removeri debeat potest tamen episcopus sine superiore regulari, quam hic sine illo, id praestare. Ibid. §. 11.

Parochi iurisdictionem habent ordinariam in foro interno, non vero externo, quidquid alii censuerint, ut proinde nullam excommunicationis sententiam ferre possint, ut ex communiori, et in praxi recepta sententia. De syn. dioec. l. 5. c. 4. n. 2.

Parochi ecclesiarum filiarum interesse tenentur benedictioni fontium diei sabbati sancti, ex saepe repetitis s. c. concilii decretis. Instit. eccl. 1. n. 2. et seq.

Episcopi successores ex rationabili causa etiam extra visitationem possunt examinare parochos ad ecclesias parochiales alias approbatos, ut in decr. s. congr. concil. instit. eccl. 9. n. 16. Quin et hoc potest episcopus praestare pro libitu, et ex sola quiete animae suae, quamvis nihil habeat suspicionis. Ibid.

Si vero episcopus velit iterum examinare quos ipse approbavit, requiritur saltem extraiudicialis infamatio de inscitia. Quamvis hoc non requiratur ab iis, quos laicus patronus nominavit ad beneficium curatum, cum probati non fuerint in concursu, ut ex s. rota, et ex cardinali de Luca *de paroch. disc.* Ibid.

Parochus habendus est quoad crimen complicitatis ille qui peccat cum famula sua, quae in eius domo habitat, quamvis in alia paroecia habet paternam domum. Et reipsa quidem praeceptum paschale tenetur illa implere in paroecia ubi famulatum habet. Inst. eccl. 83. n. 22.

Tolerari potest, ut parochus habeat in domo mulieres sibi coniunctas in primo et secundo gradu consanguinitatis, et etiam affines in primo gradu cum ancillis earum, quae tamen minores non sint annis quadraginta. Ita decretum est a s. congr. concilii pro dioecesi bononiensi. Inst. eccl. 72. per totam, quamvis hoc decretum respiciat famulas cum uno tantummodo parocho cohabitantes; quae vero munus suum praestant propinquis eiusdem parochi minoris etiam aetatis permittuntur, dummodo tamen testimonium bonae famae suae habeant.

Parochi alienae dioecesis non possunt in altera audire confessiones sine approbatione ordinarii illius loci, nisi tantum suorum subditorum. Ita ex decret. s. congregat. concil. Inst. eccl. 86. n. 7.

Parochi per concursum provisi censentur idonei ad audiendas confessiones in tota civitate vel oppido, ubi parochi constituuntur non vero in tota dioecesi episcopi approbantis; ut ex decretis s. congregat. Ibid. n. 13. Ex consuetudine tamen parochi civitatis confessiones audiunt in dioecesi et vice versa. Ibid. n. 13.

Si parochus beneficio renuntiet, indiget nova facultate audiendi confessiones, ut ex communi doctorum. Ib.

Parochus habens reditus tenues, et populum tam frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adiungere alium sacerdotem adiutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur. Ita ex decr. s. congr. conc. inst. eccl. 94. n. 7.

Parochus ex privata scientia noscens alterum ex sponsis matrimonium celebraturis haereticae sectae occulte adhaerere, assistere matrimonio non potest, quemadmodum nequit, si sciret

impedimentum etiam impediens. Ita de syn. dioec. l. 6. c. 7. n. 6. et 7.

Parochus ad residentiam materialem et formalem obstringitur tempore pestis, etiam cum periculo morbi contrahendi, ut ex rescriptis s. congregat. a Gregor. XIII. approbatis. De syn. dioec. l. 13. c. 19. n. 2. Idque verum est, licet sacerdotem idoneum provideat, ut, se absente, eius vicibus fungatur. Ib.

Fas est equidem parocho propter inimicitias, et persecutiones a residentia recedere ex textu cap. *Ad supplicationem de renuntiat.*; quia tunc periculum inimicitiarum soli parocho imminet; quare potest alium sacerdotem substituere, qui sine suo periculo eius munus adimpleat. At in peste omnibus aeque periculum imminet, ideoque convenientius est, ut id discriminis subeatur a parocho, quam ab alio sacerdote. Ibid. Quae de parocho dicta hic sunt, valent etiam pro episcopo.

Parochus tempore pestis et eo morbo infectis tenetur ministrare sacramenta baptismi et poenitentiae, ut annotatum est, V. *Poenitentiae sacramentum*, sed et viaticum, ne tanto bono in illa necessitate parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset sacerdos, vel parochus; ex quo fieret, ut post administratum sacramentum poenitentiae uni, non superesset spatium, ut aliis morituris poenitentiae sacramentum administraretur: vel si eo sacramento administrando mortem vitare non posset, et sic populus destitueretur sacerdotibus, ut ex doctrina Suarii. De syn. dioec. l. 13. cap. 19. n. 18. 19.

In ordine ad extremam unctionem ex doctrina eiusdem Suarii tunc tenetur parochus illam administrare, quatenus valet absque morali vitae periculo. Ib.

PATRIMONIUM. Constitui non debet patrimonium in industria clerici, ut si sit musicus, magister, etc. ut respondit s. c. in una seguntina mense octobris 1589. Sicut nec institui potest in bonis mobilibus, et se moventibus, ut respondit s. c. conc. die 29. nov. 1670. Inst. eccl. 26. n. 7.

Patrimonium admissurum se profitetur Benedictus XIV. dum erat tantum archiepiscopus bononiensis, in capellania amovibili, dummodo patronus obligasset fidem suam numquam ab ordinato removendi illam capellaniam quoadusque ille vixisset, vel quoadusque ordinandus non obtinuisset aliud sive beneficium, sive patrimonium, et idem patronus vel alius se pariter obstrinxisset ad alimenta ordinato praestanda, si forte impediretur a celebratione missae. Ib. n. 11.

Item admisit in censibus perpetuis, dummodo debitores census, si voluissent illum restituere, obligassent sese ad deponendam pecuniam in loco tuto, ad hoc, ut in novis censibus, vel stabilibus impenderentur. Ib. n. 12. Tunc autem curae erit ordinato sub poena suspensionis de investienda eadem pecunia.

Si quis voluerit assignare de suo patrimonium sufficiens ordinando, dummodo haec liberalitas sit vera, et inalienabilis absque licentia ordinarii, id utique admitti poterit ex variis responsis s. c. ib. n. 13. Curandum est tamen, ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus, ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato, ib. n. 14., dummodo etiam absit omnis pactio tacita vel expressa, facta extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio patrimonii facta a patre respectu filii, cui in praeiudicium legitimae reliquorum filiorum omnia sua tribuit. Sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium cum onere, ut se alat, nisi id expressum candide fuerit in instrumento patrimonii. Ibid.

Si quis fictum patrimonium suum sciat, et nihilosecius ordinationem recipiat, manet suspensus, ut ex can. *Neminem*, et can. *Cunctorum dist.* 70., et ex decreto s. c. anno 1610. Si vero id nesciat, sciat autem ordinarius, et tamen ordinet, ordinarius quidem suspensionem non incurrit, tenetur autem de suo ordinatum alere ex vi eorumdem canonum, et sensu s. c. concilii n. 16.

Patrimonii alienatio absque ordinarii licentia ipso iure nulla est, ut ex decretis s. c. ibid. n. 28., nec commutari potest in alia bona, vel in aliud pariter beneficium sine facultate ordinarii, ut ex similibus decretis. Ibid. n. 29. Nec tandem obligari possunt bona

patrimonii, adeo ut, si forte accidat, ut debitum solvendum sit, nulla fieri executio poterit, nisi supra eorum bonorum partem, quae alimentis ordinati superfluit. Fas est tamen creditori recipere solutum, seu vendere ius, quod post mortem transiret ad haeredes. Ita ex decretis s. c. n. 30.

Denique ordinati ad titulum beneficii, resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli, qui beneficio resignando adiacet, et concludentibus probationibus demonstretur, aliam suppetere resignanti viam, qua commode sibi de victu provideat. Ita ex decr. s. c. Ibid. n. 30.

PATRONUS. Patronus ecclesiasticus tenetur praesentare ad beneficium curatum illum, quem digniorem putat inter approbatos ab examinatoribus, ex vi Tridentini c. 18. sess. 24. Episcopus non debet inquirere super praeelectione facta a patrono, nisi forte aliquis fuerit inter approbatos, qui reclamet super electione facta a patrono, quasi elegerit minus dignum. Ita in epistola ad archiepiscopum florentinum, *Redditae nobis*.

Patronus laicus praesentare tenetur digniorem ad beneficium curatum, ut ex s. Thom. 2. 2. q. 65. art. 2. ad 3. aliisque theologis firmatur. Instit. eccles. 7. n. 5. 8.

Patronus si promiserit conferre alicui beneficium ex motivo aliquo temporali, nempe quia sibi sit coniunctus sanguine, etc., non obligatur servare quod spopondit, tum praesertim cum nondum beneficium vacat. Ita ex s. Th. Inst. eccl. 22. n. 8.

Si patronus ecclesiasticus praesentaverit aliquem tamquam digniorem, et examinatores illum tamquam probatiorem aliis concurrentibus iudicaverint, et unus ex illis, qui minus dignus iudicatus est, queratur coram episcopo de erroneo examinatorum iudicio, seque digniorem esse contenderit, tunc episcopus tamquam iudex, priusquam institutionem concedat, in iudicium patroni inquirere debet. Epist. ad archiep. florent. in bulla.

POENITENS. Poenitens, vel quicumque alius, qui falso denuntiaverit iudicibus ecclesiasticis, se esse ab aliquo confessario sollicitatum, incurrit reservationem apostolicae sedi reservatam. Bulla *Sacramentum poenitentiae*.

POENITENTIAE SACRAMENTUM. Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum poenitentem, ut Dei gratiam in sacramento poenitentiae obtineat, sed quaenam sit ista attritio non satis liquet: potest enim esse cum aliquo Dei amore coniuncta, sed debili, tenui, et remisso. Potest etiam esse dolor propter Deum, non quatenus est summe bonus, sed quatenus est bonus nobis; potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut solum metum poenarum, et gehennae, absque ulla Dei dilectione. Haec tamen postrema attritio potest etiam excitari ex metu gehennae, ut coniungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut obiectum diligibile. Quaestio est anceps inter theologos, num sufficiat attritio servilis, quae elicitur ex unico metu gehennae, et poenarum, nullo vel initiali Dei amore adiuncto: vel requiratur saltem coniunctus amor Dei initialis. In hac quaestione nihil decidendum ab episcopo in synodo sua monet pontifex; suadet tamen, ut doceantur confessarii, aequum esse hortari poenitentes ad veram et perfectam contritionem, quod et in rituali iussu Pauli v. edito monetur. De syn. dioec. l. 7. c. 13. per tot.

Moriturum, qui, antequam incidat subitus aegritudinis gravis casus, signa contritionis exhibuit, et postquam supervenit confessarius, nullo externo signo hanc voluntatem ostendit, adhuc tamen absolvi posse multo verior et tuta est opinio. Neque hic locum habet controversia, num absolutio conferenda sit sub conditione, an absolute; haec enim tantum valet in casu, quo moriturus dubia prorsus et ambigua contritionis signa praebuit. De syn. dioec. l. 7. c. 15. n. 8.

Si vero ex nullo testimonio constet, illum, ante casum mortalis illius morbi, signa doloris exhibuisse, et petiisse confessionem; adhuc tamen multo verior est opinio contendentium, ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus christiane vixerit: nam acta christianae vitae totidem sunt voces,

quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit, et contritionem exhibuerit; et nisi sint praesentes actus poenitentis, per vitam illam antea christiane actam, praecessisse dicendi essent, et tunc pro praesentibus haberi, quemadmodum praesens censetur contritio ante subitum mortis casum praemissa. De syn. dioec. l. 7. c. 15. n. 10.

Sunt qui etiam velint, etiam iis non negandam absolutionem sub conditione, qui, licet male vixerint, tamen catholicam fidem retinuerunt, et pro catholicis se gesserunt, quorum tamen sententia nimis laxior videtur. Ibid. num. 13.

Poenitentiae sacramentum iis, qui morbo pestis infecti sunt, non tenetur per se praestare episcopus, cum ille agat per parochos, ut causa universalis per particulares; sed parochus omnino tenetur, quod et ratio suadet, et decreta s. c. approbata a Greg. XIII. declarant; quamquam administrare illud possit aut directe per se, aut adhibita opera alicuius sacerdotis ab ordinario approbati; nam si parochus omnino per se id agere deberet, caeteri parochiani morbo non affecti nollent tunc a parocho recipere sacramenta, eo quod sibi metuerent. De synod. dioec. l. 13. cap. 19. n. 7.

POENITENTIARIA. Poenitentiariae facultates dirigit, et ad certas leges extendit et reformat Benedictus XIV. in sua bulla *Pastor bonus*. Absolvere potest omnes quoscumque eo se dirigunt, tum ab omnibus criminibus, tum ab omnibus censuris etiam latis in bulla *Coenae;* regulares quidem in utroque foro, caeteros in foro conscientiae. Quamquam etiam caeteros in utroque foro potest absolvere, quando agitur de censuris latis a iure et apostolicae sedi reservatis, quin etiam latis nominatim ab homine, si iam expiràverit iurisdictio iudicis, qui sententiam tulit, seu quando ab alio remissa est absolutio ad sanctam sedem, vel si censuris illis innodati fuerint impediti, ut adeant eos, a quibus de iure deberent absolvi.

Absolvit etiam haereticos, dummodo occultos, etiamsi in haeresim externam incurrerint, dummodo actus illi extrinseci a nemine visi vel notati fuerint.

Publicos etiam haereticos et apostatas absolvit in foro conscientiae in casibus, in quibus non est necesse denuntiare complices, nempe quod illi obierint, vel degant in regionibus palam infectis, non tamen in iis, in quibus viget officium s. inquisitionis.

Non absolvit principes, et alios ius imperii vicario nomine habentes, etc. Episcopos, et alios superiores praelatos in casibus publicis contentis in bulla *Coenae Domini*.

Non absolvit eos, qui astrologia iudiciaria vel per se, vel per alios, de statu reipublicae christianae, seu de vita et morte Romani Pontificis viventis exquirunt. Reliqua vide in eadem bulla.

Vacante pastore ecclesia romana, maior poenitentiarius, cuius officium tunc non vacat, absolvere potest quaecumque ad forum conscientiae pertinent, etiam ab iis censuris, in foro tamen conscientiae, a quibus vivente pontifice non posset, ita tamen, ut sit absolutio ad reincidentiam, nisi intra tempus taxandum recursus fiat ad novum pontificem.

Quoad forum externum, vacante sede apostolica, nihil potest s. poenitentiaria, nisi tantum in ordine ad regulares apostatas, ut dictum est *V. Regulares*.

Demum in eodem casu potest absolvere a censura publicos violatores ecclesiasticae libertatis et immunitatis cum reincidentia tamen, ut supra. Haec omnia pontifex in bulla *Pastor bonus*.

Potest etiam monialibus confessarios deputare, ex approbatis tamen ad moniales audiendas.

PESTIS. Pestis tempore quid agi liceat, vel secus, circa administrationem sacramenti confirmationis, poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis, vide in singulis eorum articulis.

Num liceat dimidiare confessionem mortalium ex timore contrahendi morbi, quaestio est inter dd. anceps, in qua nihil certi decernitur. De synodo dioec. l. 13. c. 19. n. 19.

In ordine ad administrandam eucharistiam non esse omnem ecclesiae ritum servandum, qui modo ab ecclesia praescribitur, docet Muratorius in tractatu de peste, sed ab episcopi iudicio expetendum esse, quid a singulis prae-

stari posset, ut minus periculose, sed decenter ministretur, quod etiam rescriptum fuit ad postulata vicarii apostolici Iuliae Caesareae. De syn. dioec. Ibid. n. 26.

Tuto posset episcopus iudicare tempore pestis, quod eucharistia laicis porrigeretur suis manibus accipienda, ut ipsi per se ori illam inducerent. Ibid. n. 27.

Extrema unctio erga peste infectos conferri potest inungendo organum illius sensus, qui unctioni magis expositum se offert, ita formam proferendo quomodo fieri solet, cum unus tantummodo sensus inungitur. Ibid. n. 29.

Licet autem iudicio episcopi in eo casu inungere aegrotum adhibita oblonga virga, cuius in extrema parte sit gossypium oleo sacro imbutum. Ibid. n. 30.

PIGNUS. Quae vendi non possunt, nec possunt in pignus dari. L. *Pupillus*, § *Eam rem*, ff. *Quae res pignori*, etc. Quare res ecclesiae, et etiam mobilia pretiosa non nisi concurrente legitima causa, et accedente licentia sedis apostolicae vel episcopi respectu mobilium minoris pretii, vendi possunt. Inst. eccl. 69. n. 5.

PRAECEDENTIA. Parochus loci, ubi aliquis obiit, cadaver associans semper habet praecedentiam supra alios, quoadusque est intra limites paroeciae suae. Inst. eccl. 105. n. 54.

PRECES PUBLICAE. Principes saeculares si petant ab episcopo ut preces publicae indicantur pro necessitate status, id utique potest et debet. Nonnisi vero summa abusio esset, si etiam ex consuetudine principes, episcopali auctoritate neglecta, indicere illas vellent. Encyclica ad omnes episcopos, *Quemadmodum preces*.

PROCESSIO. Ad processiones solemnes cogi non possunt clerici nullum beneficium vel officium ecclesiasticum obtinentes, sicut nec simplices presbyteri. Beneficium vero etiam non residentiale obtinentes utique possunt. Ita censuit s. c. cuius decreti occasione ponderatur, nihil hic decerui de clericis non beneficiatis, sed alicuius ecclesiae servitio addictis. Instit. eccl. 31. n. 2.

Processiones prius fieri debent, dein missa solemniter cantanda ex rubrica missalis romani. Instit. eccles. 68. n. 12., nisi tamen aliter ob gravem causam episcopo vel clero videatur. Ibid. ex eadem.

Regulares instituere nequeunt processiones nisi intra vel circum ecclesias suas; nec confraternitates, nisi intra oratorium suum: si vero velint per urbem procedere, utique debent parochis respectivorum locorum aliquid officii exhibere. Instit. eccl. 105. n. 51. Sufficit tamen licentia episcopi, etiam reclamante parocho, ut a s. congreg. rituum decisum est. Ibid. n. 52.

Processio in festo s. Marci, si incidat in ipsam paschae resurrectionis diem, transferenda est ad tertiam diem paschae, ex decreto s. c. rituum die 25. septembris 1734. Inst. eccl. 28. n. 3.

PROFESSIO REGULARIUM. Iudicia de nullitate professionis quomodo instituenda sint, v. V. *Regulares*.

QUAESTUATIO. Graeci quantumvis exhibentes testimoniales de adhaesione sua romanae ecclesiae, adhuc tamen ex decreto Innocentii XI. prohibentur quaestuare, et facultatem ea de re obtentam a quocumque, vel ab ipsa pariter congregatione, iubentur episcopi ad se recipere, et ad eamdem congregationem de propaganda fide transmittere. Insuper Clem. XII. in suo brevi mandavit pecuniam ita a Graecis collectam et alicubi depositam, sequestrari ab episcopo, et ad eamdem congregationem transmitti. Inst. eccl. 75. n. 1.

REGULARES. In probanda nullitate professionis regularis multa edicit nova Benedictus XIV. in sua constitutione, *Si datam hominibus fidem*. Mandat igitur servari decretum Tridentini, sess. 25. de regul. c. 19., quo vetantur audiri reclamantes contra professionem, nisi intra quinquennium a die professionis reclamaverint. Confirmat etiam varia decreta congregationis concilii ea de re edita. Mandat deinde, ut probationes non fundentur in extraiudicialibus attestationibus, sed omnia iuridice procedant. Insuper citari et audiri iubet tum defensores monasterii in quo habita est professio, tum consanguineos, sive alios, qui bona professi obtinent, tum etiam auctores vel complices metus incussi (si ex metu praetendatur nullitas professionis).

Mandat, ut in singulis dioecesibus ab ordinario deputetur defensor professionis, cui stipendium a iudice definitum solvatur, sive ab iis, quibus bona professi obvenerunt, et eorum defectu a monasterio, et eo impotente ex mulctis tribunalis. A priori sententia pro nullitate omnino appellandum est, nec sine secunda sententia licet religioso cucullum exuere.

Post quinquennium peti necesse est a sede apostolica restitutionem in integrum, pro qua obtinenda defensor professionis assistat semper tum processibus instituendis ex vi commissionum, et superioribus regularibus et ordinariis locorum, tunc etiam cum dubium utrum concedenda sit restitutio in integrum in s. congregatione proponitur. Neque in ea concessione sufficit unica sententia favens, sed duae conformes requiruntur. Haec novo iure sancit pontifex; in ceteris consueta iudicialis praxis retinenda est.

Cum regularibus redituris ab apostasia maior poenitentiarius dispensare et commutare potest poenas quomodocumque incursas, et poenitentias regulares obeundas, sicut et absolvere a censuris, cum reincidentia tamen, nisi ad tempus praefinitum redierint (irregularitate tamen usque ad actualem reditum perseverante). Potest etiam illis concedere transitum ad alium ordinem. Nemini autem regulari permittat ut vivere possit in veste saeculari, seu clerici saecularis. Bulla *Pastor bonus*.

Transitum de una religione ad aliam etiam laxiorem potest maior poenitentiarius concedere; ita tamen ut restringat hanc suam facultatem transeundi ad ordines, in quibus regularis observantia viget, et in dubio attestatio ordinarii requiratur. Non concedit tamen transitum ad ordines hospitalares et militares, quamvis ad ordinem *s. Ioannis de Deo* facilius indulgeat; sicut nec concedit transitum ad ordinem *s. Benedicti* antiquioris observantiae, aut ad alias consimiles congregationes cuiuscumque ordinis fuerint. Ibid. §. 34. et 35.

Si regularis ante professionem habituali morbo detineatur, nec interrogatus vitium suum denuntiet, nisi post professionem, expelli non potest, nisi aliter declaretur in constitutionibus eiusdem ordinis, uti reipsa declaratum est in constitutionibus pp. capuccinorum, in quibus religio *ad retinendum eiusmodi professum, minime velle se esse obligatam exprimit*. An tunc vero professus non dimissus a religione possit sponte abire, etiam illa repugnante, quaestio est non adhuc a s. congregatione definita. De syn. dioec. l. 13. c. 11. n. 4.

Regulares pro apostatis habentur, si sese nulliter professos contendentes regularem habitum exuunt et a claustris discedunt, nec umquam audiuntur causam suam defensuri, nisi postquam redierunt ad monasterium. Ita ex Trid. sess. 25. c. 19. De regul. De syn. dioec. l. 13. c. 11. n. 13.

Insuper non licet illis, ex inaniter praesumpta necessitate recurrendi ad superiores ordinis, exire extra claustra sine superioris litteris; alioquin enim apostatarum poenis per ordinarium loci puniantur. Ex Trid. Ibid. c. 11. n. 13. Haec tamen intelligenda sunt, quando recurrendi causa non est vera, urgens et gravioris momenti. Ibid. n. 14.

Vetitum est superioribus regularibus, ne subditis suis facultatem faciant, transeundi ad aliam religionem, nisi non dubiis documentis constiterit illis alterius religionis superiorem paratum esse ad eos recipiendum; atque ita res constitutae sint, ut transitus iste recte fiat ab una ad aliam religionem. Ita ex decreto s. congreg. concilii ab Urbano VIII. approbato. Ibid. n. 14.

Transitus iste, etiamsi agatur de apostata transferendo, fieri nequaquam potest ad religionem, in qua regularis observantia non viget; quin nec licet, si religio illa sit militaris aut hospitalaris, excepto ordine *s. Ioannis de Deo*. Ita edixit Benedictus XIII. in sua constit. *Licet sacra*. Ibid. n. 14.

Regularis in claustris non degens, si ab illis abscessit non praeobtenta superioris venia, vagaturque, etsi gestet religiosa indumenta, et animum redeundi retineat, debet ab episcopo loci, ubi moratur, in carcerem coniici, et superioribus regularibus consignari, secundum regulam puniendus, ut ex decreto s. congreg. concilii ab Urbano VIII. confirmato. Ibid. Haec tamen vera

sunt, nisi aliunde constet, regularem illum se subtraxisse ab immoderata severitate superioris localis, ut recurrat ad alium superiorem maiorem. Ibid.

Regulares incorrigibiles expelli possunt ab ordine, quidquid vetera s. c. decreta olim in contrarium statuerint, ut ex novis decretis eiusdem congreg. concilii firmatur. Ibid. n. 16.

Incorrigibilis vero censetur, qui omnibus iustus est improbitatis characteribus in iure canonico ad id designatis. Debet praeterea antecedere carceratio sex mensium in poenitentia et ieiunio, ac tandem sententia provincialis eiusdem provinciae, consultis tamen sex aliis ex eadem provincia religiosis, designandis in congregatione provinciali, confirmandisque a superiore generali, cui reservata est facultas iterum retractandi eamdem causam, et priorem sententiam revocandi. Ita ex novissimis decretis s. congreg. concilii. Ibid. n. 19.

In conficiendis incorrigibilitatis processibus valent illi, qui ad normam regularum et consuetudinum eiusmodi ordinum formantur. Ibid.

Lata contra eiectos sententia notificanda est episcopo ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius iurisdictioni subest, eiusque mandatis obsequi debet. Ita ex decretis s. congregat. Ibid. n. 20.

Ita eiecti non possunt induere habitum religionis,sed clericalem adhibeant necesse est. Manent insuper perpetuo suspensi ab exercitio ordinum in religione susceptorum, nec potest ab ordinariis ea poena relaxari, vel moderari. Ita ex decretis s. congreg. Ibid.

Si vero ex litteris testimonialibus ordinarii constiterit, spem evidentem inesse resipiscentiae, tunc iterum ad ordinem recipiendi sunt. Ita ex decretis. Ibid.

Demum ita eiectus voto castitatis omnimode obstrictus remanet, paupertatis vero, cum quadam moderatione, sicut nec obedientia proprio superiori regulari exhibenda ab eo est. Reliqua vero vota in professione ab eo nuncupata, remanent in suspenso. Ita ex dd. Ibid.

Eiectus si provocare vult ab iniustitia sententiae in se latae debet se constituere in carceribus formalibus religionis, ut ex decreto s. congreg. concilii, lato die 15. nov. 1698. constat. Ibid. n. 31.

Religiosi tamen societatis Iesu post tria vota simplicia ab illis emissa, exacto probationis tempore, ab ordine dimissi non comprehenduntur in decretis de apostatis et eiectis, ut ex responso s. congreg. concilii. Ibid. n. 21. Votum castitatis ab illis emissum, dum permanent in ordine, dirimit matrimonium. Isti ne celebrare possint vetantur solummodo, quia carent patrimonio, vel beneficio. Ibid. n. 23. Sunt tamen habiles ad beneficia, et ministeria ecclesiastica obtinenda. Ibid. n. 26. Valent tamen haec omnia in dimissis ante professionem solemnem. Post illam vero emissam censentur ac regulares, in ordine ad eiectos. Ibid.

Vota castitatis, etc. a religiosis laicis cisterciensibus emissa, solemnia sunt, non simplicia, ut ex peculiari decreto peculiaris congregationis habitae coram Bened. XIV. die 21. martii 1747. lato constat. Ibid. n. 28.

Si religiosus ob crimen aliquod damnatus sit ad triremes ad certum tempus, num ab ea absolutus poena recipiendus iterum sit a religione, nondum definitum est a s. congregat. quamvis fuit consulta. Haec tamen sola sententia damnationis ad triremes, etiam si nondum remigaverint, perpetuo illos infames declarat, adeoque irregulares. Ibid. n. 30.

Regulares quicumque etiam exempti in Indiis orientalibus agentes, curam animarum exercentes, subsunt praevio examini ordinariorum, et approbationi, nec non visitationi, correptioni et iurisdictioni eorum in iis, quae ad praedictam curam pertinent. Const. *Qamvis ad confirmandum*, etc.

Regulares sacros ordines suscepturi non tenentur ostendere dimissorias ordinariorum propriae originis, sed sufficit si illas acceperint a superiore suo. Vicissim non possunt uti privilegio suscipiendi ordines a quocumque, nisi illud obtinuerint post tridentinum, et ad illos pervenerit concessione directa, non vero communione privilegiorum de uno in alium ordinem. Si huiusmodi privilegium non habuerint, ordinari debent ab ordinario loci, in quo degunt, si ille sacras ordinationes tem-

pore legitimo sit habiturus. Si vero habiturus non sit, possunt dimissoriae a superiore regulari illis concessae ad alium dirigi cum authentica attestatione episcopi dioecesani, ex qua constet, ipsum ordinationes habiturum non esse. Transgressores huius sanctionis, qui ordinationem ab alio susceperint, suspensionis censuram incurrunt. Superiores regulares, qui dimissorias concesserint, voce activa et passiva mulctantur. Ita pontifex in bulla *Impositi nobis*.

Si vero regulares tempore ordinationibus proximo transeant ad alterius loci monasterium, et post receptam ordinationem ab episcopo illius loci, quo transierunt, redeant ad pristinum monasterium, videntur hoc quidem fecisse in fraudem, nihilominus nihil potest contra hos decerni, quia potuit res fieri citra fraudem. Ipsi ergo sibi consulant. De syn. dioec. l. 9. c. 17. n. 4.

Si superiores dimissorias subditis suis dederint, ut ab ordinario quocumque ordines recipiant, nisi in casibus supra expressis, privantur usu vocis activae et passivae, et dignitate qua potiuntur. Ex decreto Clem. VIII. die 15. martii 1596. Quod decretum non ita legitur, ut in multis editis, *poenas incurrent*, sed *poenas incurrunt*, quod infert poenam latam et non ferendam. Inst. eccles. 23. n. 12. Num fruantur privilegio ordinationum extra tempora, affirmandum esse videtur ex auctoritate concilii romani sub Benedicto XIII. Titul. 5. c. 2. Ib.

Regulares habentes privilegium posterius tridentino, ut exempti sint ab interstitiis, frui illo debent, nec possunt episcopi illos eo nomine ab ordinatione reiicere. Ita ex decr. s. congr. die 24. augusti 1686. De syn. dioec. l. 9. c. 16. n. 6.

Regulares etiam exempti nequeunt exponere sacramentum eucharistiae sine velamine in suis ecclesiis, nisi ex causa publica ab ordinario probata. Fas est tamen illis ex causa etiam privata sacramentum velatum exponere in tabernaculo aperto; dummodo tamen ab illo non extrahatur, ut ex decr. s. c. De syn. dioec. l. 9. c. 15. n. 4.

Generatim vero ius est episcopis cogere regulares parere sibi circa ea, quae ad maiorem cultum huius ineffabilis mysterii et celebrationis missae praecipienda consueverint. Quod ex decreto trident. sess. 22. *De observandis et evitandis in celebratione missae*, eruitur. Ibid. n. 5.

Regulares tenentur parere episcopo praecipienti, ne in eorum ecclesiis exponatur insolita imago, aut nova reliquia ab ipso non approbata, et inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex decr. s. congr die 5. iunii 1700. De syn. dioec. l. 9. c. 15. n. 5.

Regulares puniri possunt ab episcopo tamquam apostolicae sedis delegato, si quid deliquerint in iis, quae respiciunt clausuram monialium etiam exemptarum, et earum, quae intra monasterii septa degunt. Ib. n. 6.

Regulares non possunt saecularium confessiones excipere *sine licentia, gratia et beneplacito episcopi*, quae verba sunt extrav. Bonif. VII. in cap. *Super cathedram, de sepulturis*, quod et confirmavit Trid. sess. 23. cap. 25. *de ref.*; sed et fas est episcopis eam facultatem limitare ad certum tempus, certasque personas, quin et ex parte revocare, contrariamque opinionem Alexander VII. die 30. ianuarii 1659. damnavit. De syn. dioec. l. 9. c. 16. n. 7.

Possunt tamen regulares ab episcopo approbati acciri ad domos saecularium aegrotantium, eorum confessiones audituri, non petita a parochis aegrotantium licentia; sed de audita aegrotantium illorum confessione debent relinquere syngrapham, qua parochus certioretur. Ita ib. n. 9.

Regularibus praelatis non licet monasteria monialium sibi subiectarum ingredi, nisi semel in anno causa visitationis; si autem necessitas urgeat, ut saepius ingrediantur, non possunt nisi cum praesentia episcopi dioecesani, aut alterius ecclesiastici ab ipso deputati. Ita ex constitutione *Felici*, Alex. VII. De syn. dioec. lib. 9. c. 15. n. 6.

Regularibus vetitum est alloqui moniales etiam sibi subiectas sine licentia expressa non solum superioris regularis, sed episcopi, ne vel semel quidem per spatium quadrantis horae cum dimidio, ne vel pariter occasione concionis ad moniales illas habitae, ne vel tandem ex causa quantumcumque honesta et pia. Ibid. n. 7.

Regulares subduntur coercitioni epi-

scopi, si excipiant confessiones saecularium sine praevia episcopi approbatione ut ex constit. 10. Clem. x. Item non possunt inconsulto, et non approbante episcopo audire confessiones monialium sui ordinis etiam exemptarum ex vi bull. 18. Greg. xv.

Regulares nova monasteria, seu domos ne erigant vetantur, absque sedis apostolicae et episcopi facultate, quamvis tridentinum sess. 25. c. 3. *de reg.* solius episcopi facultatem exprimit. De syn. dioec. l. 9. c. 1. n. 9.

Est tamen pro monialibus in ditione hispanici regis breve Urbani VIII. suspensivum eiusdem constitutionis, sed non valet extra Hispaniam. De syn. dioec. l. 9. c. 15. n. 9.

Ad statum regularem transire possunt presbyteri ecclesiae vel dioecesis servitio addicti, invito etiam episcopo proprio, tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere. Ita in epistola ad card. *Quirinum*, *ex quo dilectus*.

Regulares extra monasterium degentes, et clericos regulares quomodocumque exemptos in civilibus causis mercedum, et miserabilium personarum, nisi habeant iudicem certum a sede apostolica in partibus deputatum, coram ordinariis locorum conveniri posse in prima instantia decernit pontifex in bulla *Ad militantis*.

RESERVATI CASUS. Ad solum romanum pontificem, episcopos et praelatos inferiores habentes iurisdictionem quasi episcopalem cum territorio separato pertinet casuum reservatio, ex doctrina conc. trid. et decisionibus s. c. De syn. dioec. l. 5. c. 4. n. 2.

Quamquam reservatio fieri potest extra synodum, multa tamen suadent, ut potius in synodo fiat; ideo praesertim, quia non desunt theologi cum Roncaglia tenentes, leges ab episcopo latas extra synodum, eo cessante, cessare, cum ea tantummodo, quae in synodo fiunt ab episcopo, legis plenam auctoritatem obtineant. Ibid. n. 3.

Actus mere internos, nec summus pontifex, nec episcopi reservandos sibi umquam censuerunt. Ibid. c. 5. n. 5.

Regulares non solum reservare prohibentur alia crimina, quam quae in decreto Clem. VIII. definiuntur, sed nec possunt alia ab his diversa crimina illigare censura reservata, ut et firmat pontifex ex decreto quodam sacrae congregationis episcoporum et regularium. Ibid. c. 5. n. 6.

RESIDENTIA. Ad residentiam tenentur episcopi et parochi, ut ex concilio Tridentino sess. 6. cap. 1. *de ref.* et sess. 23. cap. 1., adeo ut quo tempore non resident, non faciant fructus suos, ut ex const. 91. Pii IV. Ex qua etiam constitutione constat, si quo tempore illi non resident obierint, de reditibus ecclesiasticis disponere nequaquam posse, etiamsi testandi facultatem obtinuissent. Instit. eccl. 17. n. 4. et 5.

Episcopi aequa et rationabili causa poscente, ad duos tresve menses quotannis abesse a dioecesi permittuntur; parochi vero duobus mensibus possunt quidem, sed de licentia episcopi, et relicto idoneo vicario ab ordinario approbando, ut ex Trid. sess. 23. cap. 1. *de ref.* Ibid. n. 7.

Nec sine licentia episcopi abesse possunt per hebdomadam; sicut non sufficit licentia tacita. Ac demum non est satis ad evadendas poenas, si causa sit evidens, et episcopus non consulatur, vel si consultus neget; quamquam tunc possit fieri recursus ad legitima tribunalia. Si tamen ex improviso discedere necessarium sit, tunc post discessum scribendum est ad ordinarium. Ita ex decr. sacr. congr. Ibid. n. 11.

Pro parochis tamen agrestibus sufficit licentia vicarii foranei, pro absentia tamen modici temporis. Ita ex decr. sacr. congr. n. 12.

Si abeundum sit duobus vel tribus diebus non festivis, mos singularum dioecesium tenendus est. Ita ex dd. canonistis. Ib.

Ad excusandam non residentiam non sufficit aeris intemperies. Si tamen parochus aegrotet, nec posset ibi ex defectu medicorum curari, tunc ad quatuor menses obtinere potest ab ordinario licentiam secedendi ad loca viciniora, vicario idoneo interim substituto, ut ex decretis sacr. congr. Ib. n. 25.

Nec excusantur, si absint, ex eo, quod paroecia distet tantum tribus quatuorve milliariis a civitate.

Nec etiam, si nocturno tempore ibi resideant, et celebrata summo mane missa, tum reliquum tempus agant in civitate, relicto tamen idoneo substituto, idque praestent per maiorem anni

partem. Ita ex decr. s. c. c. Ib. n. 18.

RESTITUTIO. Bona immobilia ab hostibus in bello iniusto capta, puta a piratis, infidelibus, haereticis etc., si emantur a fidelibus, debent restitui proprio domino, nullo exacto pretio ab eodem; quod decretum olim fuit a congregatione propagandae fidei an. 1630. quorum opinionem Benedictus XIV. admittit in epist. ad p. Nicolaum Lercari, secretarium eiusdem congregat. Quod vero ad mobilia, eadem congregatio censuit restituenda esse ab emptoribus legitimo domino, exacto tamen ab illo eo pretio, quo empta sunt; in hoc tamen iudicium suum Benedictus XIV. non profert. Ibid.

REUS. Reus iuridice interrogatus in iudicio criminali tenetur veritatem manifestare, ut innuit pontifex in sua bulla *Paterna charitas*.

SACRAMENTUM. Sententia asserens, in sacramentis conferendis non requiri in ministro intentionem aliquam faciendi quidquid facit ecclesia, sed tantum praestandi ritum externum, nulla censura ab episcopis configenda est. De syn. dioec. l. 7. c. 4. n. 9. Verum contraria tutior, et omnino servanda in praxi. Quare si quid eiusmodi contigerit, et necessitas urgeat, sacramentum baptismi sic collatum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res huiusmodi sit, ut moram patiatur, consulenda est sedes apostolica. Ibid.

SEMINARIUM. Tenetur episcopus assumere sibi consilium duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter a capitulo eligatur, item duorum de clero civitatis, quorum alterius electio ad clerum spectat, quae omnia sunt ex cap. 18. sess. 23. *de ref. Tridentini*. His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum seminarii; sicut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem et disciplinam eiusdem seminarii; quamquam episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur. De synod. dioec. lib. 5. cap 11. n. 4. Ex pluribus sacrae congr. decor.

SEPULCRUM. Sepulcra in ecclesiis confraternitatum haberi possunt, sed de licentia episcopi, uti saepe decisum a s. congr. Inst. eccl. 105. n. 124.

Si confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturae in ecclesia eiusdem confraternitatis, ut est decisum a s. congr. Ib. n. 124.

SIMONIA. In simonia contracta pro beneficio acquirendo maior poenitentiarius monetur, etiam in casibus occultis et in foro conscientiae, ne titulum eiusdem beneficii convalidet, nisi forte agatur de simonia, ignorantia facti vel iuris commissa, et orator quamprimum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet et in pensionibus, in quibus simonia realis scienter contracta fuerit. Bulla *Pastor bonus*.

Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii simoniaci, quando in ecclesiam laesam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. Ib. §. 23.

Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere ecclesiae, vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem sententiam. Inst. eccl. 12. n. 11.

Si quis poscat a s. congregatione absolutionem a simonia commissa in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, *ut dimittat*, *moneat*, *et restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti, ecclesiae vel pauperibus restituat fructus perceptos. Ib. n. 12.

Si vero simonia commissa est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem*, quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. Ib. n. 12.

Cum parochiani habent ius nominandi parochum ratione fundationis, tunc singuli, seu mares, seu foeminae, seu minores habent ius nominandi in capita, ut ex Pitone de controv. patron. all. 100. n. 364. firmatur. Ib. n. 13.

Commendae, prioratus, atque praeceptoriae ordinis hierosolymitani a canonistis quidem tamquam beneficia habentur, in quibus si intercedant preces, pactiones et munera, simonia committitur: id tamen negant communi consensu theologi, animadvertentes, non esse illis annexum spiritualis ministerii exercitium, neque necessario conferri clericis, quae duo exigunt beneficia; quamquam negari non potest, gravem abusum ea in re intercedere,

quem tollere adnisus est Clem. xi. in suo brevi ad magnum magistrum eiusdem ordinis, in quo etiam declarat collationes hasce nullas, et irritas esse et fore. De synod. dioec. l. 12. c. 5. n. 15.

SOLLICITATIO IN CONFESSIONIBUS. Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denuntiationem sollicitantis, illum occulte admoneat, ut sibi provideat, sponte se offerendo tribunali. Tenetur tamen, etsi monitus compareat, et sit ex correptione emendatus, illum denuntiare, ut ex propositionibus ab Alexandro vii. damnatis eruitur. De syn. dioec. l. 6. c. 11. n. 9. et 10.

Praeceptum denuntiandi confessarios sollicitantes ad turpia, et poenae aliae huic sollicitationi indictae non extenduntur ad alia crimina a re venerea diversa. Ibid. n. 14.

Sacerdotes omnes etiam regulares sollicitantes ad turpia in re venerea in actu confessionis vel eius occasione aut praetextu, praeter alias poenas in const. Sixti v. et Gregorii xv. inflictas, incurrunt etiam perpetuam inhabilitatem ad missam celebrandam. Idemque etiam valet contra eos sacerdotes, qui sacrificio missae abutuntur ad sortilegia. Ita ex decreto s. congreg. inquisit. ex mandato Bened. xiv. Id vero decretum enuntiandum publice est a superioribus cuiuscumque ordinis palam semel in anno feria VI. post octavam assumpt. B. M. V. et in quocumque capitulo generali aut provinciali. Ib. append. ad bull. Bened. xiv.

SPECTACULA. Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum et adolescentium nudorum cursus, et luctae etiamsi longa consuetudine introductae, ne permittantur ab episcopis, utque legibus latis prohibeantur, mandat pontifex in encyclica ad episcopos Campaniae *Nihil profecto*.

SPONSALIA. Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat inscio altero, admonendus est superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absenti, ut redeat, quo elapso, si non pareat, vinculum dissolvitur. Inst. eccl. 46. n. 5.

Sponsalia de futuro inita absque praesentia parochi, vel absque scriptura valere semper pronuntiavit s. congr., cum Tridentinum tantum aboleverit matrimonia clandestina. Priora vero sponsalia etiam non iurata, etiam sine copula praevalent secundis sponsalibus, etiam iuratis, et etiam cum copula, ut ex communi dd. Inst. eccl. 46. n. 8.

Sponsalia inita, invitis parentibus, quamquam iudicari possint valida, illicita sunt tamen, et detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi iurata sint, quod invicte probat archiepiscopus rossanensis d. Muscettolla in dissertatione legenda in tom. 1. operum Zauli ad statuta Faventiae. Ib. n. 8.

Sponsalia absque interna voluntate exequendi promissa, dubium est an obligent; est tamen grave peccatum sic promittere. Ib. n. 16.

Oscula ob delectationem carnalem et sensualem, iuxta terminos propositionis 40. inter damnatas ab Alex. vii. ob paritatem rationis neque inter sponsos licita sunt. Ib. n. 18.

Sponsus, qui sponsam seduxit ad copulam, non potest puniri poena stupri ob aliquod ius, quod habet in corpus illius, ut ex decr. s. congr. apud Fag. Ibid. n. 19.

Promissio de praesenti absque praesentia parochi et testium, neque valet ratione matrimonii neque sponsalium, ut ex pluribus decretis s. congregationis. Ibid. n. 22.

SYNODUS. Synodus dioecesana non necessario transmittitur ad sacram congregationem concilii, ut ab ea recognoscatur, emendetur et approbetur. De syn. dioec. l. 13. c. 3. n. 6. Nam sixtina constitutio, quae afferri ad id posset, nihil ea de re statuit, nisi quoad concilia provincialia.

Constitutiones synodales statim ac promulgantur, ligare subditos incipiunt, neque bimestre expectandum, ut de legibus imperialibus edicitur, l. *Leges sacratissimae. C. de leg. et rub. novel.* 66. et de legibus pontificiis doctores quidam asserunt, aliis magis communiter negantibus; nihil enim circa hoc statuitur de legibus ab inferioribus latis, ut monent dd. plures. De syn. dioec. l. 13. c. 4. n. 2.

Regulares etiam subiiciuntur legibus synodalibus in iis quae respiciunt curam animarum et sacramentorum administrationem, ex Trid. sess. 25. c. 11. de regularibus, quamvis secus sit in

aliis, sed ad evitandam deformitatem sese illis conforment oportet, non tamen sub gravi eas negligerent, notante Suario. Censet tamen pontifex contra nonnullos regulares, quamvis teneantur ad festa dioeceseos ex Trident. sess. 25. c. 12. de regul., non tamen teneri ad ieiunia ab episcopo indicta, nisi alia consuetudo in quibusdam monasteriis forte invaluisset. De syn. dioec. l. 13. c. 4. n. 5. et 6.

TABACUS. Tabacum per nares trahere, vel eius fumum in os inducere ante missae celebrationem vel communionis perceptionem, nequaquam interdicendum censet pontifex, neque prohibendum iudicat, cum ob receptam ac pervulgatam eiusmodi consuetudinem omnis in ea re modo absit inhonestas et indecentia. De syn. dioec. lib. 11. c. 13. n. 3.

TERTIARIAE. Mulieribus tertiariis non collegialiter viventibus non possunt regulares dare habitum sui ordinis sine licentia episcopi dioecesani, cui debent rite probare, habere se hoc privilegium sedis apostolicae, foeminas illas esse moribus probatas, habere illas ultra annum decimum quartum, tantum possidere de annuis reditibus, ut habeant satis ad alimenta, ac denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum necessariis in primo tantum gradu consanguinitatis vel affinitatis sibi coniunctis, ut ex decr. s. cong. in causa Nazariensi die 10. maii 1727. De syn. dioec. lib. 9. c. 15. n. 11.

Tertiariae collegialiter viventes, votis tamen solemnibus, et clausurae non adstrictae, cum sint contra bullam 8. s. Pii v. a s. congr. tolerantur potius, quam approbentur, sunt autem omnimode episcopi iurisdictioni subiectae, ut ex pluribus s. cong. decretis. Instit. eccl. 29. n. 13.

Tertiariae non collegialiter viventes non possunt habere confessarium quemcumque etiam sui ordinis, nisi approbatum ab episcopo pro confessionibus saecularium. Item non possunt regulares illis die paschae sacramentum eucharistiae ministrare. Defunctorum corpora sepulturae mandanda sunt in ecclesia parochiali: nisi forte in ecclesia regularium sui ordinis sepulcrum esset illis destinatum. Inst. eccl. 19. n. 14.

Benedictus XIII. multa concessit tertiariis, sive vivant in communi monasterio, sive domi suae vitam agant privatam, quae utique ius novum concedere viderentur; sed cum Clemens XII. in sua constitutione *Romanus* anni 1732. iura tertiariorum revocaverit ad terminos concilii Tridentini ac decretorum apostolicorum; ideo nihil novum de illis statuendum est. Ib. n. 16.

Tertiariae collegialiter viventes ex recepta s. cong. immunitatis opinione, gaudent immunitate fori. Vicissim autem tertiariae in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ex doctoribus definitur. Instit. eccles. 105. n. 68.

TESTAMENTA. Testamentum factum coram parocho et duobus saltem testibus idoneis valet pro toto statu ecclesiastico, nisi obstet statutum aliquod municipale, ex dispositione cap. *Cum esses* 10. *de testam.*

Testamenta ad causas pias toto orbe catholico valent si fiant coram duobus testibus, ex cap. *Relatum* 11. *de testamentis*. Inst. eccl. 105.

Quoad dispositionem capitis *Cum esses*, non sufficit si sint duo vel tres testes, et absit parochus, cum in canone sit *coram presbytero suo*. Nec sufficit si defectum parochi suppleat capellanus; sicut neque si praesentiam praestet confessarius ordinarius. Demum testes masculi requiruntur, nec foeminae valent. Demum valet testamentum ita conditum, etiamsi testator non sit in extremo vitae periculo. Ib. n. 8. 9. et 10.

Scribenda sunt testamenta a parocho coram testibus, et a testatore subscribenda, sicut etiam a parocho et testibus. Si tamen scribere ignorent, sufficit scriptura parochi, et signum crucis impressum in charta a testibus. Ib. n. 14.

Ita scriptum testamentum saltem intra octo dies parochus cum testibus deferre debet tabellioni; et si adsit subscriptio testatoris et testium, non requiritur, ut singula contenta in testamento referant notario. Si nulla sit testatoris subscriptio, tunc parochus seu sacerdos viva voce exprimere debet quidquid in eo testamento continetur; quod et a singulis testibus seorsum praestandum est. Denique, et singuli

illi subscriptionem suam agnoscant. Ib. n. 16. Has vero omnes depositiones scribat tabellio, et iungat testamento.

Ad servanda vero, quae in testamento mandantur, discussio parochi et testium agenda est a iudice competenti, citata parte, cuius interest, excepta tamen consuetudine, ut valeant testamenta, nulla facta publicatione, si illa reposita sint in archivio. Ib. n. 16.

VASA SACRA. Vasa sacra dum actu continent corpus et sanguinem Christi, tangere nemo alius permittitur, nisi sacerdos et diaconus.

Subdiaconis datum est in altaris ministerio tangere calicem et patenam, dum corpus et sanguinem Christi non continent.

Acolythis licet tangere illa, sed extra ministerium altaris quod etiam extenditur ad omnes illos, qui prima tonsura initiati sunt. Haec omnia ex theologis. Instit. eccl. 34. n. 18.

VENDITIO. Clerici beneficiati prohibentur unico actu vendere commodum seu utilitatem percipiendi fructus beneficii quoad vixerint, vel per longum tempus, recepta pecunia in ea summa, de qua conventum est inter contrahentes, sive pecunia illa tota simul solvatur, sive per plures solutiones. Id vero vetitum sub excommunicatione et aliis poenis contra alienantes bona ecclesiastica inflictis, et contractus omnes ita celebrandos in futurum pontifex irritat et annullat. Constit. *Universalis ecclesiae.*

In contractu emptionis et venditionis, si fiat pactum, quo venditor quandocumque voluerit rem venditam redimere, obligetur vi eiusdem pacti plus dare, quam receperit in venditione, contractus est iniustus. De syn. dioec. lib. 10. cap. 8. n. 4.

Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso non sit amplius locus retrovenditioni; iste contractus sapit usuram, ex eo, quia videtur induere naturam pignoris. Ib.

VIATICUM. Aegroto impotenti ad viaticum sumendum, non licet sacram particulam deferre ad eam venerandam et deosculandam; quod fieri vetuit s. Pius V. et s. congr. conc. De sacrif. miss. lib. 3. cap. 19. n. 4.

Morituro impotenti eucharistiam sub specie panis deglutire, non potest sacramentum administrari sub specie vini, neque sub specie panis intincti in vino consecrato, sed omnino linquendus est non refectus sacra communione, cum praeceptum viatici non obliget, nisi cum ministrari potest ritu ab ecclesia non prohibito; iste vero ritus ab ecclesia latina omnino prohibetur. Ibid. n. 6.

Vicissim autem licite administratur sub specie panis vino vel aqua non consecrata madefacti, ut facilius deglutiatur. Ibid.

VICARIUS CAPITULARIS. Ecclesia vacante tota episcopi iurisdictio devolvitur ad capitulum cathedralis ecclesiae per textum in cap. *His, quae*, et cap. *Cum olim, de maiorit. et obed.* ac illud quidem eam per se exercere posse, nisi obstaret ius novum Trid. sess. 24. cap. 16. de ref. quod mandat, ut intra octo dies post inductam, seu, ut decidit s. congr., post habitam notitiam vacationis, vicarium constituere teneatur per quem illam exerceat. Si vero negligat, vel ecclesia vacans careat capitulo, tunc ad metropolitanum spectat; vel si nulli subiecta fuerit, ad viciniorem episcopum. Si vero tunc metropolitanus vacaverit, ius istud transit ad capitulum metropolitanae. Haec omnia ex decisionibus s. congr. deducuntur in lib. 2. cap. 9. n. 2. De syn. dioec.

Verum antiqua consuetudo quarumdam ecclesiarum, ut vacantis ecclesiae administratio transeat in aliquem in ecclesiastica dignitate constitutum, retinenda est, ut ex rota. Ibid.

Dispensationes ab apostolica sede ad episcopum, seu eius vicarium generalem delegatas, et ante episcopi obitum nondum executioni mandatas, vicario capitulari exequi non licet, quia nec est episcopus nec vicarius episcopi. Ibid. n. 3.

Semel vero electus a capitulo vicarius removeri non potest, nisi causa agnita a s. congr. uti decisum refertur. Ibid. n. 4.

Utrum vicarius capitularis ea possit, quae non nisi speciali mandato vicarius episcopi praestare potest, doctores in utramque partem disputant. Ib.

Cum vicarius apostolicus datur ecclesiae vacanti, nullam habet aliam auctoritatem praeter eam, quam vica-

rii capitulares ea occasione obtinent. De syn. dioec. l. 2. c. 10.

VISITATIO DIOECESANA, ET SACROR. LIMINUM QUOAD EPISCOPOS.

Episcopus non prohibetur quidem bis quotannis dioecesim suam visitare, sed nonnisi unicam tantummodo per annos singulos procurationem exigere potest, ut ex pluribus s. congregationis decretis. De syn. dioec. lib. 10. c. 10. n. 6.

Vicarius capitularis potest dioecesim visitare post peractum annum a visitatione ab episcopo facta, ut pluribus s. congr. decretis decisum est. Ibid. l. 2. c. 9. n. 5. Illi tamen non nisi dimidium procurationis, quae solvitur episcopo, retribuendum est, cum debeat minori comitatu incedere, ut constat ex resolutione s. c. in una ostunensi die 28. iulii 1708. Ibid. lib. 10. c. 10. num. 6.

Episcopi omnes ex vi constitutionis *Romanus pontifex* a Sixto v. editae, antequam consecrentur, si Romae existant, in manibus s. romanae ecclesiae primi diaconi cardinalis, extra curiam vero in manu antistitis ad hoc delegati ex formula praescripta iurant, se statis temporibus limina ss. apostolorum visitaturos per se, sive, legitime impeditos, per aliquem de suo capitulo, vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, vel beneficio praeditum; et si hi defuerint, per sacerdotem aliquem dioecesanum saecularem, vel regularem.

Tunc autem romano pontifici rationem reddere tenentur de pastorali officio impleto, et iis omnibus, quae ad suam dioecesim pertinent. Sacrae autem congr. concilii iniunctum est munus, ut postulata episcoporum illorum discutiat, et det illis responsa, sicuti et videndi, num legitime sint impediti. De syn. dioec. l. 13. c. 6. n. 11.

Tempus, intra quod obeunda est ista visitatio, aliis quidem longius definitum est, aliis brevius, sed non minus quam triennium, nec supra quadriennium. Ibid. n. 3. Porro si episcopus habeat coadiutorem ab apostolica sede datum, sufficit si coadiutor nomine episcopi adeat, sicut etiam sufficit si mittatur administrator episcopatus qui debet visitare limina suo et principalis sui nomine, ut ex decisis a s. congr. Ibid. n. 5.

Id etiam praestandum est ab episcopo titulari, ut ex Fagnano aliisque ibid. probatur. n. 5.

Denique nec eximuntur episcopi ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sunt a residentia. Ita ex decr. consistoriali Alexandri vii. Ib. n. 6.

Postremo praelati minores, qui proprie territorium habent vere separatum, in quo independenter a quocumque episcopo iurisdictionem spiritualem exercent, ad eamdem visitationem tenentur, ut ex respons. s. congreg. et ex bulla *Quod sancta* data die 23. nov. ann. 1740. a Bened. xiv. constat.

E contra vero non tenentur ii praelati inferiores, qui territorium separatum non habent, ut satis constat. Ibid num. 9.

VOTUM. Vota simplicia etiam castitatis et religionis, ac sacrarum peregrinationum dispensando commutare potest maior poenitentiarius romanus. Bulla *Pastor bonus*.

USURA. Usurae peccatum illud est, cum aliquid lucri exigitur ultra sortem ratione mutui. Nec hoc a vitio vacat, etiamsi moderatum sit lucrum quod deposcitur. Ratione tamen titulorum quorumdam, quos extrinsecos vocamus e contractu mutui, exigi potest annuus proventus, in quo tamen cavendum est, ne quid nimis accipiatur. Sicut etiam non semper iidem tituli in contractu mutui celebrando adsunt. Quin et accidit quandoque in nonnullis rerum circumstantiis, ut nulli alteri iusto contractui locus esse possit, et adsit obligatio, ut nudo mutuo alteri succurramus. Hanc doctrinam ab omnibus palam doceri mandat pontifex, monetque insuper, ut si quando in mutuo praestando alii legitimi tituli adsint pro annuo lucro exigendo, in celebratione contractus mutui explicentur. Haec omnia latius in encyclica ad episcopos Italiae *Vix pervenit*, etc.

PROPOSITIONES DAMNATAE

AB ALEXANDRO PAPA VII.

Feria 5. die 24. septembris 1665.

In congregatione generali s. romanae et universalis inquisitionis coram ss. d. n. Alexandro pp. VII. mature discussis infrascriptis propositionibus:

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, bullam coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. iulii in concistorio s. c. eminentiss. cardinal. visa et tolerata est.

4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urb. VIII.

9. Post decretum Urbani potest sacerdos cui missae celebrandae traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem, non approbatum ab ordinario.

17. Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipso religioso, vel eius religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.

21. Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, sa-

tisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium ecclesiae, ad quod tenetur non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere praecepto.

24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse a sede apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura et studium impenditur, interea idem sanctissimus, re mature considerata, statuit et decrevit, praedictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet, ita ut quicumque illas aut coniunctim, aut divisim docuerit et defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente romano pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini iudicii prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Feria 5. die 18. Martii 1666.

Prop. 29. In die ieiunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31. Excusantur absolute a praecepto ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto, pro die praesenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per concilium tridentinum.

37. Indulgentiae concessae regularibus, et revocatae a Paulo V., hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo oritur secluso periculo ulterioris consensus, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii (vulgo *regalo*), dum defi-

ciente illa nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent; et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.

PROPOSITIONES DAMNATAE

A P. INNOCENTIO XI.

Feria 5. die 2. Martii 1679.

1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione bapt. ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, et non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.

8. Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus, per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia so-

lum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad iustificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus.

27. Causa iusta utendi his amphibologiis, est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare iuramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam haeredi, quam legatario contra iniuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et ius habenti in cathedram, vel praebendam contra earum possessionem iniuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem foetum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non maioris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali

non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.

47. Cum dicit concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad ecclesias promovent, concilium vel primo videtur per hoc *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit praecepto ecclesiae de audiendo sacro, qui duas eius partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis, v. g., potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quin imo directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

PROPOSITIONES DAMNATAE

AB ALEXANDRO VIII.

Die 24. augusti 1690.

1. Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali : formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.*

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi : theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

Feria 5. die 7. decemb. 1690.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, iudaei, haeretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere : *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum, mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factae pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

21. Parochus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a b. Virgine Maria in die purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus : *In nomine Patris* etc. praetermissis illis: *Ego te baptizo* etc.

28. Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : *Non intendo facere, quod facit ecclesia.*

29. Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani supra concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam pontificis bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*. est subreptitia.

Adverte: In hac bulla Urbani VIII. edita anno 1641., confirmantur constitutiones Pii V. et Gregorii XIII. quibus damnantur septuaginta novem Baii propositiones: in eadem iterum prohibetur liber Cornelii Iansenii, cui titulus : *Augustinus.* Hanc bullam baiani et iansenistae dixerunt esse subreptitiam, tamquam editam a pontifice veritatis ignaro ; cum tamen pontifex in ea asserat, *ex matura ac diligenti eiusdem libri, cui titulus*, Augustinus, *lectione* compertum esse, in eodem libro multas Baii propositiones proscriptas contineri. Viva in hanc propositionem.

VINDICIAE

PRO SUPREMA

ROM. PONTIFICIS AUCTORITATE

CONTRA IUSTINUM FEBRONIUM (*)

FINIS OPERIS

1. Postquam Christus Dominus opus nostrae redemptionis complevit, suam ac Sancti Spiritus assistentiam Ecclesiae pollicitus est usque ad finem saeculorum, dicens: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* [1]. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* [2]. Promisit insuper quod haereses et haeresiarchae (qui sub nomine *portarum inferi* indicantur, ut explicat s. Epiphanius) nunquam contra Ecclesiam praevalere poterunt: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* [3]. Cum autem Redemptor noster, principalis Ecclesiae fundator, caput et pastor, esset ex hoc mundo discessurus, necesse fuit ut aliquod visibile caput et iudicem supremum in Ecclesia relinqueret, qui, ipsius gerens vices, fidei ac morum quaestiones infallibili iudicio definiret, ut sic unitas fidei perpetuo servaretur, ne fideles semper in dubiis fluctuarent, si legitima deesset auctoritas, qua controversiae certa definitione terminari possent, et cui omnes parere tenerentur, ne contentiones et schismata christianum orbem frequenter vexarent, si Ecclesia careret uno capite et gubernatore uno, quo omnia regi debent.

2. Hanc necessitatem supremae potestatis, per quam eadem una fides teneatur ab omnibus, litesque avertantur, omnes agnoscunt. Sed dubium fit cuinam Christus hanc supremam potestatem et infallibile iudicium commiserit? Galli hodierni tenent eam commisisse Ecclesiae nomine Christi congregatae, nempe legitimo concilio oecumenico. Attamen, sola excepta Gallia, ut testantur cardinalis Bellarminus et Benedictus papa XIV [4], ut refert Billuart [5], cunctae nationes nostram amplectuntur sententiam, nempe quod romanus pontifex est supremum Ecclesiae caput, ac consequenter eius iudicium infallibile est.

(*) Quum prima huius opusculi editio (Bassani, typis Remondini, anno 1768) non Alphonsi de Ligorio, sed Honorii de Honorio nomen praeseferat, dubitatum a nonnullis fuit, an vere s. Doctor eiusdem sit auctor. Sed quaestio resoluta est tum a P. Antonio Tannoia, qui in vita s. Alphonsi hoc opusculum illius esse asserit, tum a SS. Rit. Congregatione, quae in elencho operum s. Alphonsi etiam hoc enumerat, tum ex ipsis Sancti epistolis, ante paucos annos Bassani repertis, una cum titulo autographo. In epistolarum una, die 3 martii 1768 data ad praefatum typographum, s. Auctor dicit: « Il libretto contro Febronio verrà picciolo ; . . . ma stimo che sia e di gran gloria di Dio e di bene della Chiesa, oggidì (puo dirsi) da tutte le parti conculcata.» (*Nota Editoris*).

(1) Matt. 28, 20. (2) Io. 16, 13. (3) Matt. 16, 18.
(4) In epist. ad inquis. gen. Hisp.
(5) Tom. 1, disp. 4, art. 5.

Dixi: *hodierni Galli;* nam antiqui diverse opinati fuerunt. Rainaldus enim scriptor gallus, *opusc. de rom. pontif.*, asserit olim omnes unanimiter docuisse pontificis definitiones, adhuc extra concilium, esse infallibiles. Praeterea habetur apud Mauclerum [1], quod facultas parisiensis anno 15?0 tamquam haereticos damnavit articulos Marsilii paduani, qui dicebat papam esse fallibilem. Eademque facultas anno 1534 proscripsit eumdem errorem adversus Ioannem Morandum. Item damnavit Marcum Antonium de Dominis ut haereticum, quia auctoritatem pontificis errori obnoxiam esse docebat. Praeterea habetur apud Bulaeum[2], eamdem facultatem olim haec scripsisse: « Certum est episcopum romanum tanquam vicarium Christi non habere superiorem, cum Christus non habuerit, et ecclesiam catholicam, a se et per se fundatam, Petro tamquam capiti tradidisse gubernandam. » Duvallius autem doctor sorbonicus, anno 1712, de hac re ita scripsit: *Opinionem quae Romae tenetur, totus orbis, exceptis pauculis doctoribus, amplectitur; et praeterea rationibus validissimis tum ex Scriptura, conciliis et patribus, tum ex principiis theologiae petitis confirmatur. De super. pont. rom., par. 1, qu. 7*, addidit: *Nemo nunc est in Ecclesia qui ita pro certo non sentiat, praeter Vigorium et Richerium* (qui postea se retractavit); *quorum si vera esset sententia, totus fere orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret.*

3. Febronius [3], ecclesiae gallicanae adiungit graecam, quam asserit in concilio florentino nunquam agnoscere voluisse romanum pontificem conciliis superiorem, nec in suis definitionibus infallibilem. Sed ex historia patet quod super hoc puncto magna in concilio illo fuit disceptatio. Graeci enim contendebant eorum appellationes sine patriarcharum consensu recipi a romana sede non posse; verum Basilius Bessarion, Nicaeae archiepiscopus, medium invenit conveniendi, nempe ut in decreto synodali diceretur: *salvis privilegiis omnibus et iuribus Graecorum;* nam verbum *privilegiis* peculiarem significabat concessionem Graecis impertitam, quae nullum sedi apostolicae praeiudicium inferebat. Et ita factum est, atque concordia firmata. Caeterum, in eodem concilio declaratum fuit pontificem romanum *totius Ecclesiae caput et doctorem existere, et ipsi regendi universalem ecclesiam a Domino plenam potestatem esse traditam etc.* Quibus verbis sat aperte explanatum fuit supremam et infallibilem auctoritatem in Ecclesia non alteri quam romano pontifici a Christo fuisse collatam. De hoc decreto concilii infra prolixior sermo redibit. Verum est quod Bessarion prius in concilio contendit papam concilio subesse, sed postea se retractavit; unde a Marco ephesino proditor ecclesiae suae appellatus fuit. Miror autem interea Febronium gallicanae ecclesiae adiungere voluisse graecam. Si attulisset ecclesiam graecam Basilii, Cyrilli, Chrysostomi aliorumque ss. patrum, utique recte argueret; sed quamnam ecclesiam adducit? Ecclesiam graecam schismaticam, quae usque ab anno 800, cum se a romana ecclesia seiunxit, plurimos errores adoptavit et in apertum schisma lapsa est; neque prius romanae sedi bel-

(1) De monarchia, par. 4, lib. 8, cap. 6.
(2) Hist. univ. paris., tom. 4, pag. 805.
(3) Cap. 1, § 10.

lum gerere destitit, ut ait Bellarminus, quam, a Turcarum imperatore oppressa, religionem et dignitatem amisit.

4. Adiungit etiam Febronius ecclesiam africanam, tempore quo illa, auctoritate s. Cypriani innixa, noluit acquiescere sententiae Stephani papae, qui haereticorum rebaptizationem prohibuit. Sed huic s. Cipriani historiae, quae toties ab adversariis nobis obiicitur, plures a nostris responsiones redduntur, quas superfluum est hic adducere. Sufficit hic referre duas s. Augustini dictiones super hac re. Ipse [1] scripsit Cyprianum poenituisse postea erroris, et mutasse sententiam, licet retractatio non inveniatur. Item [2] scripsit: *Hanc culpam Cypriani falce martyrii fuisse facile purgatam*. Dixit *facile*, quia s. Augustinus culpam illam tantummodo venialem reputavit. Pariter s. Gregorius Nazianzenus [3], s. Cyprianum de errore illo non excusat, dicens quod interdum morbus etiam praestantissimos viros attigit. Febronius hoc modo adiungere potuisset etiam ecclesiam asiaticam, tempore quo restitit Victori papae praecipienti ut pascha non in quartadecima luna, sed in subsequenti dominica celebraretur. Tamen episcoporum aliquorum contumacia nequit probare, papam nec etiam super ecclesias particulares auctoritatem habere, dum ipsemet p. Natalis Alexander, unus ex maximis oppugnatoribus pontificiae potestatis, fatetur [4], omnes christianos romano pontifici obtemperare teneri. Praeterea in concilio nicaeno I dictum fuit pontifici *datam esse potestatem in omnes populos et super cunctam Ecclesiam*. Item concilium florentinum declaravit, *ipsi super universalem ecclesiam plenam potestatem èsse traditam*. Ex his nos papistae, seu papae adulatores, ad captandam pontificis benevolentiam, ut ab adversariis calumniamur, deducimus, et recte (ut infra videbimus), hanc potestatem plenam extendi ad Ecclesiam tam dispersam quam congregatam; sed Febronius adhuc super Ecclesiam dispersam vult papam hac potestate carere!

5. Adiungit quoque ecclesiae gallicanae ecclesiam moguntinam, quae (ut ait constare ex actis) basileensis synodi decreta acceptavit. Huiusmodi acta ad me nunquam pervenere. Caeterum, quidquid sit de ecclesia moguntina, certum est nullam aliam ecclesiam, praeter gallicanam, decreta concilii basileensis adversus pontificiam potestatem approbasse.

6. Caeterum, errat Febronius asserens ecclesiam gallicanam semper adhaesisse sententiae quod papa subsit concilio; oppositum ostendunt Charlas, card. de Aguirre et pater Serry [5]. Episcopi Galliae in actu generalis conventus anni 1625 dixerunt: *Episcopi reverebuntur papam, caput visibile universalis ecclesiae, supra quod Christus Iesus ecclesiam suam fundavit, tradendo ei claves coeli cum infallibilitate fidei etc*. Et in conventu anni 1653, in causa Iansenii, 85 episcopi scripserunt ad Innocentium X, inter alia verba haec: *Iudicia pro sancienda regula fidei a summis pontificibus lata etc., divina aeque ac summa per universam ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis ob-*

(1) In epist. 48 ad Vincent.
(2) Lib. contra Donat. c. 18.
(3) In orat. s. Basil.
(4) Hist. eccl. t. 19, diss. 4, p. *mihi* 653.
(5) Appendix ad diss. de rom. pont.
(6) De supr. pot. rom. pont.

sequium praestare tenentur. Unde Duvallius [1], scripsit: *Velint, nolint adversarii, liquido constat veteres ecclesiae gallicanae proceres hanc in summis pontificibus infallibilitatem semper agnovisse; eosque qui hanc veritatem impugnare conati sunt a ducentis aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, coepisse*. Item Balutius in vita Petri de Marca testatur quod Petrus in ultimo suo opere infallibilitatem papae strenue defendit.

7. Sed audiamus quid proferat doctissimus Melchior Canus in suo celebri opere [2], de iis qui contra papae infallibilitatem decertant: *Nos autem communem catholicorum sententiam sequamur . . . , quam sacrarum etiam literarum testimonia confirmant, pontificum decreta finiunt, conciliorum patres affirmant, apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiae usus observat*. Et deinde haec notabilia verba subdit: *Hinc quaeri solet an haereticum sit asserere, posse quandoque romanam sedem, quemadmodum et caeteras, a Christi fide deficere? Et faciant satis Hieronymus periturum dicens qui romanae sedis fidem non fuerit secutus; Cyprianus dicens:* Qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse non confidat; *synodus constantiensis haereticum iudicans qui de fidei articulis aliter sentit quam s. romana ecclesia docet. Illud postremo addam: cum ex traditionibus apostolorum ad evincendam haeresim argumentum certum trahatur, constet autem romanos episcopos Petro in fidei magisterio successisse, ab Apostolis esse traditum; cur non debebimus assertionem adversam tamquam haereticam condemnare? Sed nolo Ecclesiae iudicium antevertere. Illud assero, et fidenter quidem assero: pestem eos Ecclesiae et perniciem afferre qui aut negant romanum pontificem Petro in fidei doctrinaeque auctoritate succedere, aut certe adstruunt summum Ecclesiae pastorem, quicumque ille sit, errare in fidei iudicio posse. Utrumque scilicet haeretici faciunt: qui vero illis in utroque repugnant, hi in ecclesia catholici habentur*. Hucusque Canus; eiusque dictis valde consonat famosa sententia s. Cypriani: *Neque enim aliunde haereses obortae sunt, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur* [3]. Idque nimis verum est; nam, sublata infallibilitate circa res fidei a pontifice romano, nullum suppetit medium (ut infra videbimus) ad haereticos convincendos. Ac ideo illi qui pertinaciter pontificum definitionibus restiterunt, prius schismatici, postea haeretici effecti sunt. Ait Febronius quod suprema pontificis potestas, qualem nos sustinemus, tenet haereticos ne catholicae ecclesiae adhaereant. Sed errat: non suprema papae potestas, sed libertas conscientiae, sensuales delectationes, divitiarum concupiscentia et superbia tenet eos a nostra ecclesia segregatos; ipsi enim nihili faciunt auctoritatem tam papae quam synodorum, in quibus potestatem supremam residere Febronius adstruit. Praesertim Lutherus memorabile de hoc exemplum porrexit: nam prius a sententia sibi contraria data a facultate sorbonica ipse appellavit ad papam; postea a papa non bene instructo (ut aiebat) appellavit ad pa-

(1) De supr. pot. R. P.
(2) De locis theol. lib. 6, c. 7.
(3) Epist. 3, lib. 2 ad Cornel. pap.

pam instructum; postea a papa instructo ad concilium generale; postea demum a concilio ad seipsum. Et idem pluries accidit quod haeretici, non acquiescendo pontificiis definitionibus, nec decretis conciliorum acquieverunt.

8. Iustinus Febronius, qui Gallis arcte se coniunxit, plurima adversus pontificiam potestatem eructat, ac plures quaestiones movet et omnes contra pontificem resolvit; sed, illis omissis circa quas non deerit qui Febronium confutabit, mea tantummodo refert supremam papae ab eius oppositionibus ac sophismis vindicare auctoritatem, quae necessario debet esse munita privilegio infallibilitatis; minime enim suprema esse posset, nisi etiam infallibilis esset. Quapropter de hoc principali puncto hic agam; nam, posito quod pontificis auctoritas in Ecclesia est suprema et infallibilis, omnes cessant quaestiones et evanescunt.

CAPITULUM I.

Probatur suprema romani pontificis potestas Scripturis sacris, et praesertim textu s. Matthaei: Tu es Petrus, et super hanc petram etc.

1. Febronius per totum cap. I. et II. totis viribus probare nititur regimen pontificis romani nequaquam esse supremum sive monarchicum, sed dumtaxat aristocraticum vel, ad summum, ex aristocratia et monarchia conflatum. Hinc papam episcoporum primum esse asserit, ut qui a Christo Domino constitutus est primas et caput ministeriale ad unitatem corporis aristocratici Ecclesiae servandam; sed non ideo, inquit, papa in communi episcopatu maiori auctoritate pollet quam alii episcopi, qui, aeque ac papa, Ecclesiae fundamenta, ovium pastores Christique vicarii existunt, quique non a papa, sed ab ipso Christo immediate et independenter a pontifice, ad regendam Ecclesiam, plenam auctoritatem acceperunt in omnibus illis, sive ordinis sive iurisdictionis, quae ad regimen Ecclesiae spectant. Proinde dicit papam nullo gaudere privilegio infallibilitatis, quae tantum Ecclesiae in nomine Christi congregatae, sive concilio oecumenico, tradita est, cui pontifex omnino subiicitur.

2. Ex his autem falsis principiis plura infert corollaria falsa. Infert 1° summum pontificem non habere potestatem aut iurisdictionem proprie talem supra alios episcopos, sed ipsum et omnes alios episcopos subditos esse collegio aut concilio eiusque decisionibus, et proinde nihil posse papam in alienis episcopatibus ordinare. 2° Qualis est in senatu praesidens, talem esse pontificem in collegio Ecclesiae: postulat enim suffragia aliorum, qui ei non subsunt, nihilque proprio arbitrio statuit: vigilat, monet, corrigit, sed ex sua auctoritate non punit; illorum caput est, inter ipsos primus, sed non stricto sensu illis maior. 3° Papam, tanquam primum in Ecclesia, vigilare debere ut canones observentur, illibatum custodiatur fidei depositum, et iidem sint substantialiter ritus in administratione sacramentorum; atque ideo potestatem habere cogendi eos qui in falsis doctrinis aut pravis moribus duri sunt. 4° Etsi pontifex, si solus sit, non habeat potestatem condendi leges pro tota Ecclesia, posse tamen, quando difficile sit generale concilium convocare, leges condere easque Ecclesiae proponere; ita vero ut vim legis non habeant nisi postquam sint communi con-

sensu receptae. 5° Licet papa non sit omnium controversiarum iudex, eius tamen iudicio, quia primas habet partes in iudicando, omnes stare teneri, nec oppositum docere posse, donec Ecclesia non contradicat. 6° Si aliquod grave damnum Ecclesiae immineret quod solis apostolicae sedis curis non posset averti, posse papam et debere congregare concilium generale. 7° In rebus gravioribus ad universam Ecclesiam spectantibus, tam quoad fidem quam quoad disciplinam, papae consilium requirendum esse. 8° Pontificem dispensare posse a legibus, etiam a generalibus conciliis latis, casu quo ipsum concilium dispensaret. 9° Pertinere ad papam iudicium ferre in causis appellationis, sed cum certis conditionibus. 10° Romanum pontificem, ratione sui primatus, ius habere expediendi vicarios et legatos, sed cum ea tantum auctoritate iurisdictionis quae illis a concilio tridentino concessa est. 11° Collationem quorumcumque beneficiorum originario iure ad episcopos pertinere, sublatis provisionibus ad sedem romanam devolutis. 12° Ius appellationum ex omnibus Ecclesiae partibus de iure romano pontifici non competere. 13° Abolendas prorsus esse annatas, nempe reservationes fructuum unius anni beneficiorum aliquorum vacantium in favorem camerae apostolicae. 14° Nullo iure posse papam aliquorum casuum absolutionem nec dispensationes sibi reservare. 15° Invalidum esse privilegium mendicantibus a papa concessum excipiendi confessiones in aliorum dioecesibus. 16° Abrogandam esse regularium exemtionem a iurisdictione ordinariorum. 17° Episcopos immerito cardinalibus postponi. 18° Peragendam esse reductionem genuini iuris canonici, cum sit noxia Ecclesiae potestas quam papa post falsas decretales sibi arrogavit. 19° Causas fidei non servari pontifici, sed tantum oecumenicis conciliis; papam nil aliud posse extra concilium quam suo dissensu impedire quominus aliquid dependens ab ordine Ecclesiae universalis perficiatur. 20° Confirmationem electionis episcoporum ad synodum provincialem aut metropolitanam pertinere; et idem dicendum de translationibus episcoporum eorumque resignationibus et depositionibus. 21° Erectionem novorum episcopatuum de iure a metropolitano vel particulari concilio fieri posse: idemque dicendum de novis metropolibus et ecclesiis primatialibus. Omitto alia similia quae disperse in libro Febronii afferuntur. Sed, his tantum consideratis quae supra hic notavimus, quis non cernit quod, si his perniciosis principiis et illationibus Febronii in Ecclesia locus daretur, tota Ecclesia contentionibus et schismatibus irreparabiliter impleretur? Dicunt schismata reparari per concilia: infra videbimus per manifesta momenta quod concilia respectu ad schismaticos nullum vel fere nullum remedium porrigunt.

3. Nos autem propugnamus primatum romani pontificis non esse solius directionis, consistentis in pura vigilantia, in exhortationibus, admonitionibus, et a consensu Ecclesiae dependentem, sed esse primatum proprie potestatis et iurisdictionis, inseparabiliter ex divina institutione praeseferentem, praeter directionem, sequentia iura, scilicet: 1° Iudicium ferre in causis quae maiores dicuntur. 2° Sancire leges universam Ecclesiam obligan-

tes, statim ac sint sufficienter promulgatae. 3° Appellationes ex toto orbe christiano recipere, etiam in prima instantia. 4° Habere superioritatem supra concilia generalia, atque ordinariam et immediatam potestatem super omnes fideles.

4. Febronius autem cap. I, § 2 explicare incipit Scripturas, quibus nos papae adulatores communiter utimur ad adstruendam supremam romani pontificis potestatem: et primo loquitur de laudato Matthaei textu, *c. 16, 17, 18*, ubi Salvator noster cum discipulos interrogasset: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* atque Petrus respondisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* Iesus ipsi dixit: *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ait Febronius: « Unde Romani eorumque fautores concludunt solum s. Petrum eiusque in romana sede successores esse lapides fundamentales Ecclesiae; soli Petro immediate a Christo datas esse claves Ecclesiae; ac per hunc in reliquos apostolos et eius successores, in omnes episcopos omnem sacram auctoritatem dimanare: quod quam parum patrum, imo universalis ecclesiae sensui conveniat mox videbimus. » Deinde dicit hunc textum variis modis a patribus interpretari. Primo alii per illam *petram* intelligunt Petri confessionem de Christi divinitate, nomine aliorum etiam apostolorum peractam. Alii per *petram* intelligunt ipsum salvatorem Iesum, qui est Ecclesiae lapis angularis verumque Ecclesiae fundamentum, iuxta illud: *Ad quem accedentes lapidem vivum etc.* [1]. Ac illud d. Pauli: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus* [2]. Atque pro huiusmodi interpretatione citat s. Augustinum dicentem: *Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, aedificabo ecclesiam meam. Petra enim erat Christus etc.* [3].

5. Caeterum quod verba Christi - *per hanc petram* - de Petro intelligantur, est communis sententia ss. patrum, quorum oracula hic ipsorum verbis adnotabimus. S. Cyprianus ait: *Deus unus est, et una ecclesia et cathedra una, super Petrum Domini voce fundata. Aliud constitui altare aut sacerdotium novum fieri, praeter unum altare, et unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit* [4]. Et alibi: *Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit ecclesiam suam* [5]. S. Maximus: *Per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino:* Tu es Petrus, et super hanc petram, *etc. Serm. 1 de ss. Petr. et Paul.* S. Gregorius Nyssenus: *Dei vero ecclesia in ipso (Petro) solidatur; hic enim, iuxta praerogativam sibi a Domino concessam, firma et solidissima petra est super quam Salvator Ecclesiam aedificavit* [6]. S. Gregorius Nazianzenus: *Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis atque electione dignis, hic petra vocetur atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat* [7]. S. Epiphanius: *Princeps*

(1) 1 Petr. 2, 4. (2) 1 Cor. 3, 11.
(3) Tract. 124 in Ioan.
(4) Lib. 1, epist. 8, al. 40.
(5) Epist. ad Quintum.
(6) Serm. 2 de s. Stephan.
(7) Or. 26.

apostolorum Petrus... solidae petrae instar nobis exstitit, cui velut fundamento Domini fides innititur [1]. Addidit idem s. Epiphanius eodem loco haec memorabilia verba: *S. Petrus et summus apostolorum, qui factus est nobis vera firma petra, fundans Domini fidem, in qua aedificata est modis omnibus Ecclesia.* Et alibi idem s. Epiphanius in Ancorato: *Dominus constituit Petrum primum apostolorum petram firmam, super quam ecclesia Dei aedificata est.* Pariter a s. Io. Chrysostomo appellatur Petrus *basis Ecclesiae*. S. Basilius scribit: *Petrus, propter fidei excellentiam, Ecclesiae aedificationem in seipsum suscepit* [2].

6. Progrediamur ad alios patres. S. Augustinus dixit: *Petrum itaque fundamentum Ecclesiae Dominus nominavit; et ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit, super quod ecclesiastici aedificii altitudo consurgit* [3]. Alibi s. doctor sic scripsit: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede; ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae* [4]. Origenes: *Vide magno illi Ecclesiae fundamento et petrae solidissimae super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino:* Modicae fidei, quare dubitasti [5]? Et alibi idem Origenes [6], protulit illam succi plenam sententiam: *Si praevalerent inferi adversus petram in qua Ecclesia fundata est, etiam adversus Ecclesiam praevalerent.* Ubi verbum *petram* necessario intelligendum de persona Petri; alioquin, si Origenes intellexisset *petram* esse Ecclesiam, prorsus inepte locutus fuisset, dicendo quod si infernus praevaleret contra Ecclesiam in qua fundata est Ecclesia, contra Ecclesiam etiam praevaleret. S. Paulinus: *Petra est Christus; sed discipulo huius vocabuli gratiam non negavit, cui ait:* Super hanc petram etc. [7]. S. Gregorius: *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam* [8]? S. Athanasius: *Tu es Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae sunt confirmatae* [9]. Columnae sunt episcopi, sed Petrus columnarum fundamentum est. S. Cyrillus: *Secundum hanc promissionem* (scil. Tu es Petrus, et super hanc petram etc.) *apostolica ecclesia Petri ab omni seductione et haeretica circumventione manet immaculata* [10]. S. Hilarius: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum! O beatus coeli ianitor!* S. Ambrosius: *Petra enim dicitur quod primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, et saxum immobile totius operis christiani molem contineat* [11]. Nota haec postrema verba: *saxum immobile etc.* Tertullianus: *Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum* [12]? S. Gregorius: *Liquet cunctis quod Petro totius Ecclesiae cura commissa est; ipsi quippe dicitur:* Tu es Petrus, et super hanc petram etc.[13]. S. Petrus Chrysologus scripsit [14]: *Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare.*

7. Sed audiamus quid de hoc textu dicat s. Hieronymus. S. doctor ait verbum *petram* omnino intelli-

(1) Haer. 59, cap. 7. (2) Lib. 2 in Eunom.
(3) Serm. 15 de sanctis.
(4) In psalm. contra Part. Donat.
(5) Hom 5 in Exodum.
(6) In cap. 16 Matthaei.
(7) Epist. 4 ad Severum. (8) Lib. 7, ep. 40, al. 37. (9) Epist. ad Felic. pap.
(10) Ap. s. Thom. in Cat. Aur. in hunc loc.
(11) Serm. 47.
(12) Lib. de praescript. cap. 22.
(13) Lib. 4. ep. 32. (14) Serm. 154.

gendum esse de persona Petri propter litteralem sensum particulae *petrae*, quae in eo loco significat idem ac Petrum. S. Hieronymus [1], scribit quod Christus verba illa - *Tu es Petrus, et super hanc petram etc.* - protulit syriaco idiomate, in quo *petra idem est* ac *Cephas*. Cum enim s. Petrus ab eius fratre s. Andrea fuit ad Christum adductus, tum Dominus ei dixit: *Tu es Simon filius Ionae; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* [2]. Maxime animadvertenda sunt verba: *Cephas, quod interpretatur Petrus*. Hinc ait s. Hieronymus quod cum Christus ibi Simonem nuncupaverit *Petrum*, nomine illo supereminentem ei potestatem praenunciavit quam in posterum super omnes apostolos ipsi conferre designabat; idcirco sic scribit: *Non quod aliud significet* Petrus, *aliud* Cephas; *sed quam nos latine et graece* petram *vocamus, hanc Hebraei et Syri, propter linguae inter se viciniam,* Cepham *nuncupent* [3]. Itaque, dicente Iesu: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, hinc constat verbum *petram* a Christo applicatum fuisse, non quidem suae divinae personae nec fidei professioni a Petro exhibitae, sed propriae personae Petri. Et ideo s. Hieronymus pluribus aliis in locis tradidit per verbum *petram* intelligi personam Petri. Ad s. Damasum papam, *epist. 57*, scripsit: *Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuae, idest cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio.* Et postea subdit: *Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, antichristi est.* Alibi: *Super Petrum fundatur Ecclesia: licet idipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur; attamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio* [4]. Praeterea idem s. Hieronymus [5] scripsit: *Secundum metaphoram petrae recte dicitur ei: Aedificabo Ecclesiam meam super te.*

8. Et sic respondetur Febronio afferenti auctoritatem s. Augustini, qui in suis retractationibus [6] dicit verbum illud *petram* intelligendum de Christo, non de Petro. Primo advertendum s. Augustinum opinionem hanc non absolute tenuisse; nam ibidem ait: *Eligat lector ex his quam probabiliorem reputat.* Secundo respondetur cum Bellarmino s. doctorem ideo hanc opinionem amplexum esse quia verbum *Petrus* sumpsit uti nomen derivatum a *petra*, ut sanctus exprimit in alio loco [7], dicens: *Petrus a petra cognominatus..., apostolatus principatum tenens.* Sed s. Hieronymus, qui in lingua syriaca erat valde edoctus, dicit nomen *Petri* non cognominari a *petra,* sed idem esse ac *petram* sive *Cephas*. Et idem explicat s. Cyrillus [8], ubi loquens de verbis illis supra relatis - *Tu es Simon filius Iona, vocaberis Cephas etc.,* - dicit: *Nec Simon fore nomen illi, sed Petrus, praedicit; vocabulo ipso commode significans quod in eo, tanquam in petra firmissima, suam esset aedificaturus ecclesiam.* Idem notavit s. Optatus milevitanus [9], dicens: *Negare non potes*,

(1) In cap. 1 ad Galat.
(2) Io. 1, 42.
(3) In cap. 2 ad Galat.
(4) Lib. 1, n. 26 advers. Iovinian.
(5) In c. 16 Matthaei. (6) Lib. 1, cap. 21.
(7) Serm. 13 de verb. Dom.
(8) Lib. 2, cap. 12 in Ioan.
(9) Lib. 2, contra Parmenian.

scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus; unde et Cephas *appellatus est etc.*

9. Dicunt Christum esse primam *petram* et principale Ecclesiae fundamentum. Quis hoc negat? Sed hoc non impedit quod Dominus, ex hoc mundo discedens et mundo invisibilis factus, Petrum ut fundamentum Ecclesiae secundarium et visibile reliquerit. Salvator propria virtute est fundamentum Ecclesiae, Petrus autem per Christi communicationem. Idcirco s. Leo, Petrum alloquens nomine Christi, scribit: *Cum ego sim lapis angularis, ego fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es- quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia* [1]. Et alibi [2], scripsit: *Christus est petra primaria supra quam Ecclesia est aedificata; et Petrus est secundaria petra super quam reliqua structura consurgit.* Idemque eleganter scripsit s. Basilius: *At Petrus audierat se esse petram, laudatus a Domino; licet enim et ipse petra esset, non tamen petra erat ut Christus. Ut Petrus petra erat: nam Christus vere est immobilis petra, Petrus vero propter petram; dignitatem namque suam Iesus largitur aliis; petra est et Petrum facit* [3]. Idem intellectum fuit in concilio chalcedonensi [4], ubi Petrus appellatur *petra.*

10. Si igitur verum est quod scribit Vincentius lirinensis, cuius auctoritatem laudat Febronius [5], nempe quod in interpretandis Scripturis sacris maxime attendendus est consensus ss. patrum unanimis aut saltem communior; iuxta hanc regulam non dubitandum quod illud - *hanc petram* - de persona Petri interpretari debet, eo quod (ut vidimus) sic communiter ss. patres sentiunt, videlicet s. Cyprianus, s. Gregorius Nyssenus, s. Gregorius Nazianzenus, s. Io. Chrysostomus, s. Epiphanius, s. Augustinus, s. Basilius, s. Hieronymus, s. Cyrillus, s. Athanasius, s. Hilarius, s. Maximus, s. Paulinus, s. Gregorius magnus, nec non Origenes, Tertullianus et alii, ut infra.

11. Pergit Febronius et opponit quod licet verba *hanc petram* accipienda essent de persona Petri, attamen sicut Domino omnes apostolos interroganti Petrus non tantum suo quam suorum condiscipulorum nomine respondit, ita cum Christus Petro dixerit: *Tu es Petrus, et super hanc petram etc.*, intelligendum per illa verba non solum Petrum, sed etiam reliquos apostolos tamquam fundamenta Ecclesiae, constitutos fuisse, iuxta illud s. Pauli: *Aedificati super fundamentum apostolorum* [6], illudque Ioannis [7] ubi: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni.* Et pro hac sua oppositione Febronius affert etiam [8], auctoritatem s. Leonis: *Transivit in alios apostolos vis istius potestatis, et ad omnes Ecclesiae principes huius decreti constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimatur; Petro enim singulariter hoc creditur quia cunctis Ecclesiae rectoribus forma praepo-*

(1) Serm. 3 de assumt. ad Pont.
(2) Epist. 1.
(3) Hom. de poenit. 28.
(4) Act. 3.
(5) Cap. 1, § 1.
(6) Ephes. 2, 20.
(7) In Apoc. 21, 14.
(8) C. 1, § 2, n. 3.

nitur [1]. Mirum videbitur alicui Febronium plures patrum auctoritates pro se adducere quae manifeste sibi adversantur: sed mirum non erit eis qui ipsius astutiam inspicient; ideo namque affert ipse pro se auctoritates sibi adversantes, ne alii postea pro nostra sententia illas probare, ut revera probant, existiment.

12. Sed respondeamus ad obiectionem factam a Febronio. Etsi alii apostoli merito dici possunt Ecclesiae fundamenta, ita ut verba illa - *et super hanc petram etc.* - indirecte vel minus principaliter omnes apostolos respexerint; tamen Petrus fuit a Christo contemplatus tamquam principale fundamentum, cum ipsi signate verba illa directa fuerint, ut patet ex ipso textu citato Matthaei, ubi Dominus primum omnes interrogavit discipulos: *Vos autem quem me esse dicitis?* Sed solus Petrus respondit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Et tunc Salvator ei dixit: *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ratio igitur qua Petrus fuit a Christo constitutus petra fundamentalis Ecclesiae fuit, quia ipse solus specialiter illuminatus et inspiratus exstitit ad confitendum Iesum Filium Dei, et ideo meruit a Christo audire: *Beatus es, Simon, etc.* Hinc scribit s. Epiphanius: *Et beatus* (*Petrus*) *idcirco dicitur... Sic enim ei, qui inter apostolos primus esset, consentaneum erat; solidae, inquam, illi petrae supra quam Ecclesia Dei est fundata; et portae inferi non praevalebunt illi; quarum portarum nomine haereses et haereseon conditores intelliguntur* [2]. Idem scribit s. Basilius: *Quoniam fide praestabat, Ecclesiae aedificationem in seipsum recepit* [3]. Idem scribit s. Ambrosius: *Quia Petrus solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur* [4]. S. Gregorius: *Cunctis liquet quod Petro totius Ecclesiae cura commissa est; ipsi quippe dicitur:* Tu es Petrus etc. [5]. Sed distinctius id declaravit s. Leo: *Ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec opinio te fefellit...* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo *etc.; hoc est: sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, et super hanc petram, etc.* [6]. Et idem s. Leo [7], apud ipsum Febronium [8], addit: *Transivit in alios apostolos vis istius potestatis, et ad omnes Ecclesiae principes huius decreti constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimatur; Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus forma praeponitur.* Quibus verbis s. Leo sat clare explicat quod licet apostoli ex peculiari privilegio aequalem ac Petrus potestatem plenam acceperint ubique praedicandi, sacerdotes ordinandi, episcopos constituendi, novas ecclesias fundandi, novasque leges circa sacramentorum administrationem sanciendi (hoc enim necesse fuit, ait Bellarminus, in illis primordiis ad fidem propagandam); Petrus tamen accepit ut ordinarius pastor, apostoli ut delegati; et ipsi omnes erant subordi-

(1) Serm. 3 in assumt. ad pont., cap. 3.
(2) In Anchorato, c. 9.
(3) Lib. 2, n. 4, contra Eunom.
(4) Lib. 10 in Luc. (5) Lib. 4, ep. 32.
(6) Serm. 3 in assumpt. ad Pont.
(7) In eod. serm. (8) Cap. 4, §. 2, n. 3.

nati Petro tamquam omnium rectori, a quo dependere debebant, ut sic contentiones eliminarentur. Idem expressit s. Hieronymus (ut supra adduximus), dicens quod licet Ecclesia super omnes apostolos fundata fuerit, tamen, ad schismata evitanda, Petrus omnibus fuit praelatus: *Super Petrum fundatur Ecclesia; licet idipsum in alio loco super omnes apostolos fiat etc., tamen propterea inter duodecim unus eligitur ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio* [1]. En ratio convincens, cur s. Petrus intelligi debet electus a Christo tamquam fundamentum principale et supremum omnium caput cui omnes parere tenebantur, quia aliter inter ipsos apostolos contentiones evitari non potuissent.

13. Eamdem autem potestatem, quam Christus tradidit Petro, necessario censendum est quoque tradidisse summis pontificibus successoribus Petri: quoniam potestas illa, ut observat s. Augustinus, non fuit Petro collata in favorem suae personae, sed in beneficium Ecclesiae; unde necesse fuit ut usquedum Ecclesia permansura est, pontifices eamdem potestatem obtineant, prout idem s. Augustinus scripsit: *In romana Ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit principatus.* Id Febronius non negat; negat vero Petro potestatem supremam traditam fuisse super universam Ecclesiam: at, quia videt ss. patrum sententias evidenter sibi adversari, audet dicere patres in hac re *figuratas aut ampullatas elocutiones* protulisse. De hoc fusius in posterum infra agemus; sed, velit aut nolit Febronius, certum est patres communiter sentire quod verbis illis - *Tu es Petrus etc.* - fuerit Petrus constitutus a Christo prae apostolis primum fundamentum Ecclesiae. Atque si Petrus est Ecclesiae fundamentum, sine dubio eius potestas esse debet suprema et infallibilis; alioquin aedificium Ecclesiae numquam in tuto, sed in continuo labendi periculo maneret, argumento Origenis, qui scripsit (ut supra retulimus): *Si praevalerent inferi adversus petram in qua Ecclesia fundata est, etiam adversus Ecclesiam praevalerent* [2]. Hinc s. Thomas [3], ostendit, definire dogmata fidei tantum ad papam spectare, dicens: *Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi pontificis; et huius ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud* [4]: Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. *Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur.* Idemque tenuerunt s. Bonaventura, Echius, card. Hosius, card. Caietanus, Thomas waldensis, card. Turrecremata, Driedo, Io. a Lovanio, Stapleton, Sanderus, Melchior Canus, Bellarminus, Spondanus, Thomassinus, Ludovicus Bail, Duvallius, Soto, card. Gotti et alii innumerabiles. Repetamus hic memorabilem illam Cypriani sententiam: *Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur* [5]. Nota: *sacerdos unus, iudex vice Christi.*

(1) L. 1, n. 26 adversus Iovinian.
(2) In cap. 16 s. Matth.
(3) 2, 2, q. 1, a. 10.
(4) 1. ad Cor. 1, 10.
(5) Lib. 1, ep. ad Corn. papam.

CAPITULUM II.

Probatur potestas suprema pontificis duobus aliis textibus: *Et tibi dabo claves etc.* Matth. 16, 19. Et *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua etc.* Luc. 22, 32.

1. Praeterea in eodem cap. 16 Matthaei, *vers.* 19, habetur quod Christus dixit Petro: *Et tibi dabo claves regni coëlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumquè solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Febronius [1], ait potestatem clavium non quidem Petro eiusque successoribus, sed universitati Ecclesiae traditam fuisse, ita ut illa tam per summum pontificem, quam per àlios Ecclesiàe ministros pro sua cuiusque portione exerceatur; citatque pro se concilium tridentinum [2], ubi dictum fuit: *Si quis dixerit claves Ecclesiae datas etc.* Quapropter (inquit Febronius) falsum est claves Ecclesiae specialiter Petro fuisse commissas: nam episcopi in usu clavium semper Ecclesiae ministros se agnoverunt.

2. Sed obstant Febronio Tertullianus, s. Gregorius, s. Basilius, s. Paschasius etc. Quamvis enim Ecclesia ligandi et solvendi potestatem participet, cum in Ecclesiae favorem claves Petro traditae fuerint, tamen negari nequit principaliter Petrum claves a Christo accepisse, tamquam Ecclesiae rectorem, cui Ecclesiae universalis cura commissa est, ut eadem clavium potestas a Petro aliis ecclesiis postea communicaretur. Sic scribit s. Gregorius: *Ecce claves regni coelorum (Petrus) accepit; potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur* [3]. Et deinde subdit [4]: *Curae nobis fuit quae universis ecclesiis a nobis impenditur.* Hinc s. Paschasius Radbertus scripsit: *Iure igitur (Petrus) in meritis primus aestimatur, per quem, et in quo ad alios dona transmittuntur. Accipiunt autem reliqui in eo omnes claves regni coelorum, cum ei a Domino specialius committantur etc.* [5]. Nota: *per quem ad alios dona transmittuntur.* Idem prius iam scripsit s. Basilius: *Beatus ille Petrus omnibus discipulis praelatus, cui soli maiora data quam aliis sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt* [6]. Et prior omnibus ac clarius id scripsit Tertullianus: *Si adhuc coelum putas clausum, memento claves coeli Dominum Petro et per eum Ecclesiae reliquisse* [7]. Potestas igitur clavium per Petrum aliis Ecclesiae ministris communicatur. Sicque intelligitur ille Tridentini canon 15, ubi damnatur qui dixerit: *Claves Ecclesiae datas tantum ad solvendum etc.* Accipiunt quippe claves omnes Ecclesiae ministri, sed istae specialius Petro committuntur, ut per ipsum aliis transmittantur.

3. Dicunt quod Christus etiam aliis apostolis in alio loco claves tradidit, dicens: *Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* [8]. Sed hoc quid obstat? Iam supra diximus apostolos immediate a Christo potestatem quidem aequalem ac Petrum recepisse, tamquam primos Evangelii fundatores; sed omnes ipsos fuisse Petro subiectos ut capiti et

(1) C. 1, §. 6. (2) In sess. 14, can. 15.
(3) Lib. 5, ep. 20. (4) Epist. 13.
(5) Lib. 6 in Matth. c. 10.
(6) In prooem. de iudic. Dei.
(7) Lib. Scorpiac., cap. 10.
(8) Matth. 18, 18.

principi, prout cuncti patres eum proclamant. S. Gregorius Nyssenus: *Ille (Petrus), quem Dominus apostolici chori principem designavit.* S. Efrem: *Princeps et vertex apostolorum Petrus.* S. Basilius: *Beatus ille Petrus omnibus discipulis praelatus.* S. Gregorius Nazianzenus: *Petrus apostolorum princeps.* Et alii plurimi. Quapropter in concilio ephesino [1] dictum fuit: *Beatissimus Petrus apostolorum princeps et caput, fideique columna, Ecclesiae catholicae fundamentum, a D. N. Iesu Christo claves regni accepit.* Praeterea advertendum, ut supra innuimus, apostolis aequalem illam potestatem collatam fuisse per singulare privilegium, quae ideo cum ipsis extincta est. Unde falsum est episcopos, tamquam apostolorum successores, quoad potestatem clavium aequales esse pontifici; dicuntur ipsi quippe successores apostolorum quoad ordinem et characterem, non vero quoad potestatem et iurisdictionem quam apostoli habebant. Profecto episcopi etiam positi sunt a Spiritu Sancto *regere ecclesiam Dei* (ut dicitur *Act.* 20, 28); sed ipsi tamquam membra pro uniuscuiusque portione ecclesiam regunt, papa vero tamquam caput, cui totius Ecclesiae regimen est commissum. Sed haec res melius infra elucidabitur.

4. Obiicit quidam Febronii socius Christum non dixisse Petro: *Tibi do claves regni coelorum,* sed *tibi dabo.* Unde infert quod Petro claves tantum promissae fuerint, sed omnibus apostolis post resurrectionem Salvator dixit: *Quaecumque alligaveritis etc.* ut supra; unde ait, claves non soli Petro, sed toti Ecclesiae fuisse traditas. At respondetur non decuisse quod Christus, dum adhuc vita hic fungebatur eratque visibile Ecclesiae caput, claves traderet Petro eumque suum vicarium constitueret, sed quod id effectum haberet cum Dominus iam ascendisset ad coelos et mundo invisibilis factus esset; et ideo dixit: *Dabo tibi claves*, et non *tibi do.* Caeterum nequit in dubium revocari quod sicut confessio Petri singularis fuit, *Tu es Christus Filius Dei vivi;* ita pariter singularis fuit promissio clavium ipsi facta, volens Christus singularem illam Petri confessionem dono clavium remunerare, prout declararunt patres supra relati [2]. Quibus adde s. Augustinum dicentem: *Petrus apostolus*, *qui ubi dixit:* Tu es Christus, Filius Dei vivi, *tam beatus a Domino appellatus est, ut claves regni coelorum accipere mereretur* [3]. Maxime ponderanda sunt verba scripta a s. Francisco Salesio in quodam suo sermone: *Haereticorum ministri omnem lapidem movent ut nos avertant ab obedientia quae debetur vicario Christi. Dixerunt s. Petro promissionem a Domino factam nomine totius Ecclesiae, sic ut nullum privilegium peculiare concessum fuerit ipsius personae. Si hoc interpretandi modo non pervertatur Scriptura, numquam ab aliquo in alienum sensum detorquebitur* [4]. Praeterea sapienter sanctus animadvertit quod Dominus immediate antea iam de Ecclesia locutus fuerat, dicens: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Unde arguit: *Si Christus Ecclesiae immediate claves tradere voluisset, dixisset: Et dabo illi claves. Sed dixit: Dabo tibi.* Ergo

(1) Par. 2, art. 3.
(2) Cap. 1, n. 12.
(3) Lib. 1 contra duas ep. Gaud., cap. 31.
(4) Serm. 32 de Eccl. de petra.

principaliter Petro tradidit claves ut illarum potestas aliis deinde Ecclesiae ministris communicaretur.

5. Adest in evangelio s. Lucae alius textus quo probatur infallibilitas romani pontificis plurium ss. patrum auctoritate: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [1]. Dicimus hoc loco, Christum rogasse pro Petro ne in ipso aut eius successoribus pontificibus unquam fides deficeret. Febronius ait Salvatorem hîc non rogasse pro Petro tamquam Ecclesiae rectore, sed pro eius particulari persona, ne in communi aliorum discipulorum scandalo fidem perderet; unde accidit quod Petrus quamvis Dominum externe ore negasset, tamen fidem in corde servavit. At s. Bernardus et alii sentiunt Christum tunc vere orasse pro Petro et eius successoribus, ut in doctrina fidei semper essent infallibiles; en verba s. doctoris: *Dignum namque arbitror ibi resarciri damna fidei ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando:* Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua? *Infallibilitatis pontificiae praerogativam constantissima perpetuaque ss. patrum traditio commonstrat* [2]. Idem dixit prius s. Lucius papa et martyr[3]: *Romana Ecclesia apostolica est et mater omnium ecclesiarum, quae a tramite apostolicae traditionis numquam errasse probatur, secundum ipsius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* S. Agatho in epistola ad Constantinum imperatorem, probata in synodo VI, post verba - *Ego autem rogavi pro te etc.* -, scripsit: *Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres admonuit, quod pontifices meae exiguitatis praedecessores fecisse semper cunctis est cognitum.* Idem scripsit s. Leo, *epist. ad Petrum antiochen.: Nimirum solus est pro quo, ne deficeret eius fides, Dominus ac Salvator asserit se rogasse, dicens:* Rogavi pro te etc. *Quae venerabilis et efficax oratio oblinuit quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno eius.* Quamobrem Innocentius III deinde scripsit [4]: *Maiores Ecclesiae causas, praesertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exorasse ne deficiat fides eius.*

6. Dicit autem alius auctor ex adversariis quod Christus cum dixit: *Rogavi pro te etc.*, tunc non rogavit pro solo Petro, sed pro tota Ecclesia, ipsamque in persona Petri allocutus est. Adducit pro hac sua interpretatione s. Augustinum, qui dicit: *Manifestum est in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur.* Respondetur: nulli dubium quod Christus, rogans pro Petro tanquam primo pastore et Ecclesiae doctore, etiam pro omnibus fidelibus rogavit, qui a Petro in fide instruendi erant. Caeterum patet Dominum in eo loco pro solo Petro exorasse, dum singulariter Petro dixit: *Simon, Simon:* et postquam alios admonuit: *Satanas expetivit vos etc.*, soli Petro se vergens dixit: *Ego autem rogavi pro te* (non iam pro vobis) *ut non deficiat fides tua.*

(1) Luc. 22, 31, 32.
(2) Epist. 190 ad Innoc. II.
(3) Vide epist. 1. ad episc. Hisp. et Gall.
(4) In Epist. ad episc. arelatens.

Idque ex sequentibus verbis magis clarescit: *Et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Hoc, ut explicat Theophylactus, Petro dictum fuit tamquam apostolorum principi Ecclesiaeque fundamento: *Quia te habeo ut principem discipulorum, confirma caeteros; hoc enim te decet, qui post me petra es Ecclesiae et fundamentum.* Et sic etiam id interpretatur idem s. Augustinus: *Ego rogavi pro te, hoc est ne auferatur ex ore tuo verbum veritatis usque valde* [1]. Et prius id scripsit s. Ioannes Chrysostomus [2]: *Quam est fervidus! quam agnoscit creditum a Christo gregem! quam in hoc choro princeps est!... Merito primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu; ad hunc enim dixit Christus:* Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

7. Ex hoc accidit quod s. Petrus, sciens se a Deo electum pro Ecclesiae doctore et magistro, in primo concilio hierosolymitano dixit: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii et credere* [3]. Itaque Petrus singulariter electus fuit non tantum ut gentes eum audirent, sed etiam ut ipsi crederent. Quapropter postmodum scripsit s. Cyprianus: *Ad Petri cathedram perfidia habere non potest accessum* [4]. Et s. Fulgentius dixit: *Adeo quae a pontifice romano decernuntur certa esse ut quod ille tenet docètque, totus christianus orbis nihil haesitans credat.* Patresque synodi VI confessi sunt [5]: *Nullum errorem in cathedra romana unquam fuisse nec futurum; successoresque Petri, pro quo tam particulariter rogavit Christus, nunquam a fidei semita deviaturos.* Sed transeamus ad alium evangelii textum magis urgentem et convincentem pro suprema pontificis auctoritate.

(1) T. 4, fol. 1310. (2) In actis apost. c. 1.
(3) Act. 15, 7. (4) Lib. 1, ep. 1.
(5) Act. 8 et 18.

CAPITULUM III.

Probatur suprema papae potestas alio textu: *Pasce oves meas.* (Io. 21, 17).

1. Habetur in evangelio Ioannis [6], quod Christus Dominus prius interrogavit Petrum: *Petre, amas me plus his?* Respondit Petrus: *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Dominus eamdem replicavit interrogationem, et Petrus idem responsum dedit. Deinde dixit Petro: *Pasce agnos meos;* et tertio eum interrogavit: *Amas me?* Denique dixit ei: *Pasce oves meas.* Per verbum *pasce* intelligitur omne officium pastorale, quod non solum est cibum praebere, sed ducere, praeesse, corrigere et castigare. Ex toto autem verborum contextu diserte apparet officium agnorum et ovium pascendarum Petro praecipue fuisse collatum.

2. Febronius [7] fatetur, quod patres ex hoc textu Ioannis agnoverint praecipuum aliquid Petro prae reliquis apostolis ob eius charitatem in Christum fuisse collatum, nempe primatum in Ecclesia: *Unde magis declaratur* (sunt eius verba) *Ecclesiae coetibus praesidendi ius fuisse huic apostolo concessum.* Verumtamen, quamvis Petrus (ait Febronius) sit primus lapis ex ministerialibus, tamen est, sicut alii apostoli, una ex vivis petris, nec doctrina eius est certior quam reliquorum. Et, salva praeeminentia Petri, ovium cura aeque immediate reliquis discipulis a Christo tradita fuit eiusque suc-

(6) Cap. 21, vers. 15.
(7) Cap. 2, § 1.

cessoribus episcopis, qui communem pastoris, quam papa, qualitatem in Ecclesia habent; prout ipse Petrus ad presbyteros suos scripsit: ***Pascite qui in vobis est gregem Dei*** [1]. Addit Febronius: « Contineat de reliquo verbum *pascendi* Petro (suppone etiam soli) dictum quantamcumque auctoritatem et potestatem, non repugno; hoc condemno, nullam verbo *pascendi* inesse, quae non aeque contineatur illis Christi dictis ad omnes apostolos: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [2]. Et alibi: *Euntes ergo docete omnes gentes* [3]. »

3. At quod dicit Febronius minime concordat cum textu Ioannis. Primo dico: una cum Petro ibi erant alii discipuli; cur Dominus dixit Petro: *Pasce*, et non aliis: *Pascite oves meas*? Secundo adverto Christum ibi dixisse: *Petre, amas me plus his?* Ergo illud *pasce* non omnibus apostolis, sed soli Petro dictum est. Insuper, verbum *pasce* importat Petrum tunc primum pastorem ovilis Christi fuisse constitutum, ita ut cum alibi Christus aliis discipulis dixerit: *Ego mitto vos etc. Euntes docete etc.*, haec omnia intelligenda ut ipsi primo et principali pastori subesse deberent. Et sic pariter intelligendum illud: *Pascite qui in vobis est gregem*, nempe cum subordinatione primo pastori Petro et eius successoribus; quamvis enim plures sint pastores et plures greges, omnes tamen unum sunt ovile primo pastori subiectum, qualis est romanus pontifex. Sunt quidem pastores omnes episcopi, et curam habent pascendi agnos Christi, sed tam agni quam oves (scilicet fideles et episcopi) uno pastori subiacent. Noster Febronius hanc distinctionem deridet, vocans eam *imaginariam et noviter adinventam:* sed eam tradunt s. Eucherius, s. Bernardus, s. Ambrosius. S. Eucherius scripsit: *Prius agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit subditos et praelatos. Omnium igitur pastor est; praeter agnos et oves, in Ecclesia nihil est* [4]. Episcopi particularium gregum pastores sunt, unusquisque sui, prout scripsit s. Petrus: *Pascite qui in vobis est gregem;* sed papa est totius Ecclesiae pastor. Audi s. Bernardum scribentem ad Eugenium III [5]: *Sunt et alii gregum pastores, habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus non modo ovium, sed et pastorum. Tu unus omnium pastor*. Eodem loco addit s. Bernardus: *Cui, non dico episcoporum, sed etiam apostolorum, sic absolute totae commissae sunt oves?* Si me amas, Petre, pasce oves meas. *Quas? illius vel illius civitatis aut regionis?* Oves meas, *inquit: nihil excipitur ubi distinguitur nihil.* Idem significavit s. Ambrosius scribens [6]: *Et iam non agnos, ut primo quodam lacte vescendos, nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere iubetur perfectiores, ut perfectior gubernaret.*

4. Idem sentiunt s. Epiphanius [7]: *Hic est qui audivit:* Pasce oves meas, *cui concreditum est ovile.* S. Ioannes Chrysostomus in hunc locum: *Aliis omissis, Petrum affatur, fratrum ei curam committit.*

(1) 1. Petr. 5, 2. (2) Io. 20, 21.
(3) Matth. 28, 19.
(4) De nat. apostol.
(5) Lib. 2 de consider.
(6) In Luc. lib. 10.
(7) In Ancorato, c. 9.

Et infra: *Cum magna Dominus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset*. S. Maximus [1]: *Hic est Petrus, cui Christus pascendas oviculas suas agnosque commendat*. S. Augustinus [2]: *Non enim inter discipulos suos solus meruit pascere dominicas oves; sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur*. Et alibi pariter dixit [3]: *In ipso Petro unitatem commendavit; multi erant apostoli, et uni dicitur:* Pasce oves meas. Hic textus multum proderit in cap. VII ad explicandam mentem s. Augustini. S. Leo papa [4]: *Cui cum prae caeteris solvendi et ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est*. Et in alio loco [5]: *De toto mundo unus Petrus eligitur... ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus quos principaliter regit et Christus*. Theophylactus [6]. *Ovium totius mundi ovile Petro commendabat, non autem aliis, sed huic tradidit*. Et idem dicunt s. Cyrillus et s. Augustinus, in eodem loco Ioannis. Idem scripsit s. Thomas [7]: *Petro et eius successoribus* (*Christus*) *commisit, et nulli alii quam Petro, quod suum est plenum*. Hinc scripsit idem s. doctor temere errare qui asserunt fideles definitionibus papae subesse non teneri: *Petro dixit:* Pasce oves meas etc. *Per hoc autem excluditur quorumdam praesumtuosus error qui se subducere nituntur a subiectione Petri, successorem eius romanum pontificem universalis ecclesiae pastorem non recognoscentes* [8].

5. Hinc apparet quantum erret Febronius dicens illud *pasce* dictum fuisse non Petro sed Ecclesiae: quae si est congregata in synodo oecumenica, ei subiacet pontifex: si autem non est congregata, sed dispersa, pontifex est quidem illius caput, sed caput tantum ministeriale et ideo maiorem in hoc corpore aristocratico partem non habet quam alii episcopi, qui aequalem ac papa potestatem habent tam quoad ea quae sunt ordinis quam iurisdictionis; nam, aeque ac papa, sunt ipsi pastores ovilis Christi, tamquam apostolorum successores. Sed in omnibus his Febronius errat. Ait, non Petro sed Ecclesiae dictum fuisse: *Pasce oves meas*. Ergo Christus imposuit Ecclesiae ut seipsam pasceret? Imposuit ovili ut pasceret pastorem? Peto: Ecclesia est ne ovile Christi? Atqui si Christus imposuit Petro pascere suum ovile, quomodo ovile non subiacebit Petro, sed ovile praeerit Petro?

6. Episcopi autem sunt quidem ovium Christi pastores, ad partem sollicitudinis vocati, sed pontifici, tamquam primo totius ovilis pastori, principalis cura collata fuit; unde ipsi tamquam supremo capiti omnes episcopi subesse tenentur. Febronius dicit [9]: « Itaque Ecclesia ipsa principaliter et radicaliter obtinet potestatem clavium, quae ab illa in omnes eius ministros ipsumque summum pontificem derivatur, et singulis quibusque pro sua portione communicatur. » Sed aliter docet s. Leo [10], dicens: *Quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis; quoniam et inter*

(1) Serm. de s. Petro.
(2) Serm. 108, c. 4. de divers.
(3) Serm. 46, c. 13.
(4) Ep. 89 ad episc. Viennens.
(5) Serm. 3 in assum t. ad pont. etc.
(6) In c p. ult. Io.
(7) Opusc. contra Graec.
(8) Lib. 4 contra gentes, c. 76.
(9) Cap. 1, § 6, n. 3.
(10) Epist. 14.

apostolos, cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut caeteris praeemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, ne omnes sibi omnia vindicarent... per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret. Praeterea scripsit s. Gregorius [1]: Quod se dicit (Byzacenus primas) Sedi apostolicae subiici, si qua culpa in episcopis non invenitur, nescio quis ei episcopus subiectus non sit. *Cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sunt.* Unde Innocentius I [2], *impiam confusionem* vocavit ut unus invadat fines alterius episcopi: *Omnes admonemus ut quique territoriis suis contenti simus: nam barbara et impia ista confusio est aliena praesumere.* Observa quae supra hoc puncto dicemus in *cap. 6 ex n. 5.*

7. Licet autem cura episcoporum particularis sit respectu ad suos particulares greges, attamen, si aliquis episcopus oriri nosset haeresim aliquam in ecclesia aliena, tenetur ipse quantum potest damnum reparare; eo quod omnes episcopi tenentur quidem bono ecclesiae universalis incumbere. Si quis enim numerosum haberet gregem, iste principalem curam illius uni committeret pastori, sed alios quoque pastores inferiores destinaret, quorum unusquisque portionem illius gregis custodiret. Si autem aliquando eorum aliquis adverteret, lupos alienis portionibus insidias machinari, certe damno occurrere teneretur. Eodem modo episcopi, cum omnes eiusdem ovilis Christi pastores sint, tenentur, quoad possunt eorumque incumbentiae convenit, ecclesiam universalem tueri et damnum reparare. Et hoc utique est quod Augustinus et s. Cyprianus scripserunt, ac frustra Febronius nobis opponit. S. Augustinus dicebat: *Communis est nobis omnibus qui fungimur episcopatus officio... specula pastoralis. Facio quod possum..., ut pestilentibus eorum scriptis medentia et munientia scripta praetendam* [3]. Et s. Cyprianus inquit: *Copiosum corpus est sacerdotum, unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro gregem Christi vastare tentaverit, subveniant et caeteri... nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus* [4]. Sed ex his dictis non infertur quod Febronius infert, nempe quod omnes episcopi, tamquam ovilis Christi pastores, in potestate aequales sunt pontifici et ab eo independentes; sed tantum infertur quod ubi quidam lupus gregem Christi vastare tentaverit (ut loquitur s. Cyprianus), et desit alius qui damnum reparet, quivis episcopus, ut damno occurratur, operam dare tenetur.

8. Distinguere autem oportet in episcopis potestatem ordinis, quae ad intrinsecum episcopatus pertinet, nempe quod episcopus valeat ordines conferre, ecclesias consecrare, sacramentum Confirmationis ministrare et similia, a potestate *iurisdictionis,* quae ad externum, scilicet ad gregis gubernium, spectat. Quoad potestatem *ordinis*, sine dubio omnes episcopi aequales sunt pontifici (eam enim tam papa quam episcopi immediate a Christo habuerunt), sed non quoad potestatem *iurisdictionis*. Quaestio autem an potestas iurisdictionis, quam

(1) Lib. 7, ep. 59 alias 65.
(2) T. 1, epist. Rom. PP. col. 937.
(3) Lib. 1, cap. 1, ad Bonif. pont.
(4) Ep. 68, alias 67 ad Stephan.

habent episcopi, immediate a Christo vel a papa eis communicetur, est quaestio de mero nomine; nam etiamsi episcopi illam a Deo, non a papa, immediate reciperent, semper tamen recipiunt subiectam supremae potestati quam Christus papae contulit super cunctam Ecclesiam. Quamvis igitur episcopi immediate a Deo haberent potestatem, hoc tamen non impedit ipsos pontifici subesse, ut revera subsunt. Et ideo summi pontifices ab antiquis sibi reservare consueverunt dispensationes irregularitatum, impedimentorum dirimentium matrimonia, sicut etiam plurium votorum, et absolutionem plurimorum casuum virtute illius supremae potestatis, prout tridentina synodus declaravit: *Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare* [1]. Perpende verba: *potuerunt suo peculiari iudicio reservare*. Hinc facultas parisiensis anno 1554 plenis votis sequens decretum prodidit: *Omnes et singuli magistri nostri... ipsum romanum pontificem uti summum Iesu Christi vicarium et universalem Ecclesiae pastorem, cui plenitudo potestatis a Christo data sit etc., fideliter et libenter agnoscunt et confitentur* [2]. Gamachaeus, eiusdem facultatis regius professor, distinguens iam in episcopis potestatem characteris a potestate iurisdictionis, scripsit: *Clarissimi theologi sustinent episcopos habere potestatem characteris immediate a Christo, non tamen potestatem iurisdictionis, sed eam habent a summo pontifice* [3]. Ac prius id scripsit Innocentius I anno 404 ad episcopos africanos: *A Petro ipse episcopatus et tota huius nominis auctoritas emersit* [4].

9. Obiicit alius auctor ex adversariis Christum non dixisse Petro: *Pasce oves tuas:* sed *Pasce oves meas;* et ex hoc infert Christum esse pastorem absolutum gregis, Petrum autem et apostolos pastores tantum ministeriales. Respondetur: Salvator noster, dum hic vixit, non tantum invisibilis et internus, sed etiam visibilis pastor Ecclesiae et caput extitit, et ideo dixit *oves meas*, non *tuas:* cum vero postea in coelum ascendit, mansit quidem ipse invisibilis et internus pastor Ecclesiae, prosequens suae gratiae influxibus ac internis illustrationibus eam regere, sed illi suo visibili ovili visibilem et externum pastorem reliquit Petrum, qui visibiliter dubia fidei dėfinire posset; alioquin tam papa quam episcopi et sacerdotes essent superflui. Itaque Petrus, respectu Christi pastoris invisibilis, non est nisi unus ex eius grege: (et hoc est quod s. Augustinus dixit et adversarius nobis opponit, scribens Christum esse *pastorum pastorem*); sed respectu ad Ecclesiam et eius externum regimen est supremus et visibilis pastor. Quis non videt ad regendum regnum visibile visibili capite opus esse?

10. Pergit idem auctor et ait, successores Petri alia auctoritate non gaudere nisi illa, quam grex ipsis impertitur, cum gregi collata sit facultas eligendi pontificem. Sed peto: adversarii non negant papam habere saltem primatum in Ecclesia; cardinales autem habent primatum? Minime: quomodo igitur

(1) Sess. 14 de poenit. cap. 7. (2) Apud Maucler. De Monarchia, p. 4, l. 8 c. 6.

(3) Tract. de sacram. Ord. cap. 9.
(4) Epist. 24. In requirendo.

possunt cardinales papae conferre primatum illum quem non habent? Habent quidem ipsi facultatem eligendi papam, sed papa electus non iam ab ipsis, sed a Deo auctoritatem accipit. Hinc adhuc in conciliabulo basileensi, ubi potestas pontificia tam fuit depressa, in oratione ad patres habita dictum fuit: *Haec potestas et praesulatus auctoritas Petro tributa fuit non ab hominibus, sed a Christo Salvatore* [1]. Et s. Gelasius papa, alloquens patres concilii romani, dixit: *Romana ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini primatum obtinuit.*

CAPITULUM IV.

Probatur suprema sive monarchica pontificis potestas ab ipsis conciliis oecumenicis.

1. Contendit Febronius supremam potestatem, cum infallibilitatis praerogativa in definiendis quaestionibus de fide, tantum generalibus conciliis, non autem Petro eiusque successoribus fuisse promissam. Sed, ne verba inutiliter proferamus, punctum in quo rei substantia consistit aggrediamur. Quaero: si probabo ipsa generalia concilia tribuere pontifici supremam potestatem, quis negare poterit papam esse infallibilem et conciliis superiorem? Sed ubi, dicet Febronius, in conciliis sancita manet propositio haec, quod papa sit infallibilis conciliisque superior? Non equidem in aliquo concilio haec propositio his praecipuis terminis expressa extat; sed plura concilia dicunt papam esse caput super omnem Ecclesiam potestatem habens: dicunt papam esse vicarium Christi, immediate ab eo constitutum, et ideo aiunt omnia tenenda quae ab ipso definiuntur: dicunt papam habere potestatem supremam in universa Ecclesia, et ideo omnes fidei quaestiones ab eo decernendas esse: dicunt pontificias definitiones non posse immutari, eo quod papa est organum Spiritus Sancti: dicunt a pontificis sententiis ad alium superiorem non esse recursum: dicunt, extra casum haeresis, papam nullo modo alterius potestatis iudicio subiici: dicunt demum non esse licitum appellare a papa ad concilium, sed bene a concilio ad papam. His positis, quis asserere poterit papam esse fallibilem et concilio subiectum? Videamus si vera sunt quae hic praenotavimus.

2. In concilio I nicaeno [2] dictum fuit: *Qui tenet sedem Romae, caput est et princeps omnium patriarcharum; quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes populos, ut qui sit vicarius Christi super cunctam ecclesiam christianam. Et quicumque contradixerit, a synodo excommunicatur.* Nota: *cui data potestas in omnes populos..... et cunctam ecclesiam christianam.*

3. In concilio chalcedonensi sub s. Leone I [3] dictum fuit: *Episcopum romanum non proprie primatem, sed principem significare. Solus vero romanus pontifex est princeps christianae dioeceseos.* Adverte: *non primatem, sed principem significare*; quibus verbis suprema auctoritas pontificis designatur: quamvis autem patres aliquoties papam promiscue *primatem* ac *principem* vocent, tamen pro eodem primatem ac principem accipiunt, ut infra videbimus. Praeterea in eodem concilio refert

(1) Oratio archiep. Tarent.

(2) Can. 39. (3) In can. 9.

s. Thomas [1], dictum fuisse: *Omnia ab eo (scilicet a Leone) definita teneantur, tamquam a vicario apostolici throni.* Insuper in actione II, cum lecta fuerit in concilio s. Leonis epistola, ubi instructio a pontifice mittebatur eorum quae credenda erant, iuxta id quod ipse iam prius contra Eutychetem definierat, ab omnibus prolatum fuit: *Haec patrum fides. Omnes ita credimus... Petrus per Leonem locutus est.* Sed attentius perpende verba relata a divo Thoma: *Omnia ab eo definita teneantur;* et cur? *tamquam a vicario apostolici throni.*

4. In concilio lateranensi III, ut habetur in *cap. Licet* 6, *de elect.* § 3, dictum fuit quod, cum de particularibus ecclesiis agitur, dubia superioris iudicio definiri debent: sed cum agitur de sede apostolica, sic fuit declaratum: *In romana vero ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.* Si a papa ad alium superiorem non patet recursus, papa ergo caput supremum reputatur: ac si est supremum, omnes ei parere debent, ne velimus dare plura capita suprema, propter quae innumerabilia schismata in Ecclesia postea orirentur.

5. In concilio constantinopolitano IV sub Adriano II [2], Nicolaus papa, qui Adrianum antecessit, fuit appellatus *organum Spiritus Sancti:* ab organo Sancti Spiritus audiri nequeunt nisi infallibiles veritates. Deinde patres concilii dixerunt: *Neque nos sane novam de illo iudicio sententiam ferimus, sed iam olim a ss. papa Nicolao pronuntiatam, quam nequaquam possumus immutare.* Definitiones igitur pontificias ipsi patres concilii fatentur non posse a concilio mutari. Deinceps iidem patres, postquam synodum subscripserunt, haec addiderunt verba: *Quoniam, sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem* (nota hic *sedem apostolicam* non esse quidem concilium, ut aliqui interpretari malunt eamque confundere, sed romanam esse ecclesiam), *et observantes omnia eius constituta, separamus (Photium) ut in una communione, quam sedes apostolica praedicat, esse mereamur: in qua* (nota) *est integra et vera christianae religionis soliditas.* En quomodo concilia loquuntur de pontificis infallibilitate et consequenter de sua potestate suprema; haec enim duo invicem necessario connectuntur, quia auctoritas papae non posset esse infallibilis, nisi simul suprema exsisteret.

6. In concilio lugdunensi II (hoc concilium nimis urget adversarios, et ideo in eo diutius morandum), sub Gregorio X congregato anno 1274, concursu 500 episcoporum, dictum fuit: *Ipsa quoque romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam obtinet, quam se ab ipso Domino in b. Petro, cuius romanus pontifex est successor, cum potestatis* PLENITUDINE *recepisse veraciter et humiliter recognoscit.* Attende: *cum potestatis plenitudine.* Potestas plena nequit esse nisi suprema absoluta et independens; alioquin plena dici non posset. Praeterea adduntur ibi haec notabilia verba: *Et sicut prae caeteris tenetur* (ipsa romana ecclesia) *fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones,* SUO DEBENT IUDICIO DEFINIRI. Ergo fidei quaestiones a papa

(1) Opusc. contra error. Graec.

(2) Sess. 5, can. 11.

debent definiri; et consequenter eius definitiones sunt infallibiles et aliorum iudicio minime subiectae. Haec fuit confessio fidei facta in concilio a legatis imperatoris Michaelis Palaeologi; et ipsamet fuit postea a toto concilio acceptata, ac prima fuit constitutio in concilio edita, fatentibus patribus: *Suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem cognoscimus et acceptamus; et ore ac corde confitemur quod vere tenet et fideliter docet et praedicat s. romana ecclesia.*

7. Advertantur singulariter verba supra relata: *Si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri*. Episcopus Bossuet, non habens ad hanc concilii sententiam quid respondeat, opponit quod etiam facultas parisiensis plures prodit definitiones circa res fidei, sed non ideo illae infallibiles sunt. Sed respondemus: facultas parisiensis definit quidem plura dubia fidei, sed nemo asserit nec credit quod fidei quaestiones omnes a facultate parisiensi definiri debent, prout dictum fuit de pontifice in concilio: *suo debent iudicio definiri*. Haec sola confessio huius oecumenicae synodi ex 500 patribus compositae mihi videtur quod satis esse deberet ad ora adversariorum omnino occludenda. Insuper dixit concilium, ut supra notavimus, quod ecclesia romana *super universam Ecclesiam summum et plenum principatum obtinet cum potestatis plenitudine:* quapropter, cum papa aliquid de fide definit, non definit nisi ut ecclesiae universalis princeps et caput, cui veritatem fidei tueri spectat: idcirco tota Ecclesia stare tenetur omnibus quae pontifex decernit. Praeterea concilium declaravit in quo consisteret illa *plenitudo potestatis* qua pollet pontifex, dixitque: *Potestatis plenitudo consistit quod* (*romana ecclesia*) *ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit* (en communicatio iurisdictionis quae a papa fit ad alios episcopos), *sua tamen observata praerogativa, et tum in generalibus conciliis tum in aliquibus aliis semper salva. Praerogativa*, nempe quod omnes quaestiones fidei *suo debent iudicio definiri,* ratione suae infallibilitatis, iuxta id quod scribit s. Bernardus de pontifice loquens: *Istam infallibilitatis praerogativam constantissima perpetuaque ss. patrum traditio commonstrat* [1].

8. Item in concilio viennensi, celebrato anno 1321 sub Clemente V, approbata fuit eiusdem pontificis declaratio, quae habetur in clementina *Fidei*; *de summa Trinit.*, ubi Clemens, loquens de quaestionibus fidei, dixit: *Nos igitur... apostolicae considerationis, ad quam dumtaxat haec declarare pertinet, aciem convertentes, sacro approbante concilio, declaramus etc.* Nota: *ad quam dumtaxat haec declarare pertinet*.

9. Praeterea in eodem concilio constantiensi, in quo adversarii contendunt declaratum fuisse papam suprema potestate carere, approbata fuit epistola Martini V, ubi praecipiebatur interrogari suspectos de haeresi, *utrum credant quod papa sit successor Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei*. Idemque Febronius [2] scribit: « Concilium constantiense sententiam damnat Ioannis Wicleffi: *Non est de necessitate salutis credere romanam ecclesiam esse supremam inter alias*

(1) Ep. 190 ad Innoc. II. (2) Cap. 2, § 3.

ecclesias. » Addit tamen Febronius, ne praeiudicium sibi iniiciat, concilium in hoc *haud ultra condignum favisse pontifici.* Sed ipse proferat quidquid velit: omnes intelligunt, ut scribit card. Bellarminus, potestatem supremam esse illam quae nec maiorem nec aequalem habet.

10. Praeterea in concilio florentino (de cuius concilii decreto sub initio iam mentionem fecimus, sed hic prolixius de eo tractandum) in ultima sessione dictum fuit: *Definimus romanum pontificem in universum orbem habere primatum et successorem esse b. Petri, totiusque Ecclesiae caput et christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in b. Petro regendi Ecclesiam a D. N. Iesu Christo* PLENAM POTESTATEM *traditam esse: quemadmodum* etiam *in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur*. Si igitur papa est *doctor totius Ecclesiae*, infallibilis omnino habendus est; aliter Ecclesia tota ab eodem suo doctore posset esse decepta. Insuper si papa plenam habet potestatem regendi Ecclesiam, necessario superior conciliis esse debet; aliter, si concilio subesset, patres florentini nequaquam asserere potuissent illi a Christo *plenam potestatem* esse traditam. Dicitur in fine: *Quemamodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.* Ergo ipsamet concilia in eorum actibus et sacri canones ostendunt ad papam plenam potestatem regendi Ecclesiam pertinere. At Febronius aliter legit verba illa in aliis exemplaribus, nimirum: *Iuxta eum modum qui in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur*, sublato verbo *etiam;* et sic deinde explicat: papam habere quidem plenam potestatem, sed *iuxta modum* sive limitationem *quae in actibus conciliorum et canonibus continetur*. Sed particula illa *etiam*, quae magni ponderis est legitur in pluribus exemplaribus quae inveniuntur apud quinque bibliothecas, ut observat p. Bennettus [1]. Quamobrem verba - *quemadmodum etiam continetur* - non praeseferunt potestatis limitationem, sed demonstrant quod plena potestas expresse est tradita pontifici etiam in actis conciliorum et in sacris canonibus, prout revera expressum fuit supra in aliis conciliis, nempe in nicaeno I et lugdunensi II [2]. Inquit Febronius quod sua lectio magis congruit cum textu graeco eorumdem verborum; at sedulo advertendum cum Tournely quod versio nostra latina Abrahami Candiotti aeque ac graeca fuit a patribus approbata et inserta in actis concilii atque ab Eugenio IV et imperatore Michaële subscripta: *Certum esse* (ait Tournely) *graeca aeque ac latina concilii florentini acta, sacro approbante concilio, Eugenii nomine esse edita; porro in actis latine exaratis sic legitur:* Quemadmodum etiam etc. *Id vero ita esse constat ex concilii codicibus qui in nobili bibliotheca colbertina Eugenii ac Michaëlis imperatoris signis muniti asservantur* [3]. His positis, verisimilius est lectionem graecam traductam fuisse ex latina, quam latinam ex graeca, eo quod papa et maxima patrum pars ex latinis erant. Praeterquamquod, naturalis et proprius sensus aliorum verborum decreti omnino consonat particulis illis *etiam* et *continetur:* si enim concilium illis aliis verbis,

(1) T. 1 de priv. pontif. pag. 487.

(2) Vide supra n. 2 et 6.

(3) Tract. de loc. theol., art. 2.

quae adversariis placent - *iuxta eum modum qui in gestis etc. continetur* - declarare voluisset quod potestas pontificis restricta est intra limites a conciliis et canonibus praescriptos, non quippe dixisset prius pontifici a *D. N. Iesu Christo plenam potestatem* traditam esse, sed tantum ei traditam esse potestatem, *iuxta eum modum qui in gestis etc.*; nam habere plenam potestatem est quidem oppositum limitatae. Praeterea, non dixisset *continetur*, sed potius *iuxta eum modum qui in gestis etc.* limitatur vel explicatur aut tribuitur: sed dixit *continetur*, verbum quod correspondet plenae potestati traditae pontifici, iuxta eloquia antecedentium conciliorum et praesertim lugdunensis II, ubi dictum fuit: *Romanus pontifex est (Petri) successor cum potestatis plenitudine.*

11. Febronius tandem, ut ab omnibus istis difficultatibus se expediat [1], sic dictitat: *Tertium (subiungendum videtur) quod in eadem tridentina synodo a Gallis pernegatum fuerit florentino inter generalia concilia locum dandum esse, quippe quod ex quibusdam italis, et quatuor solum graecis patribus compositum fuit.* Sed in hoc ipsi Galli Febronio adversantur: nam p. Boucat, p. Annatus, auctor *Dictionarii portatil. concilior.* laudant florentinum pro certo concilio oecumenico. Item Iuveninus [2], quatuor rationibus prolixe id probat, et respondet in Gallia de eo fuisse dubitatum tantum donec res discussae non fuerint, non autem postea. Mira res! Febronius vocat generale concilium basileense, quod a sola Gallia oecumenicum reputatur: negat autem florentinum esse generale, quoniam a sola Gallia (ut innuit) refutatur. Sed revera nec a Gallia refutatur.

12. Attamen Febronius novum et generalius excogitavit responsum, quo ab omnibus istis prolatis conciliorum sententiis brevi se expedit. Ipse [3], loquens primo de decretalibus ab Isidoro collectis, editis in lucem circa annum 843, et deinde adoptatis ac etiam in suo decreto a Gratiano adauctis, inquit ex his falsis decretalibus valde pontificiam potestatem exaltatam fuisse. Sed immerito id supponit; non enim ab huiusmodi documentis, sed a sententiis conciliorum et patrum sacris Scripturis innixis potestas pontificis suprema patefacta exstitit. Deinceps progreditur Febronius ad loquendum de conciliis generalibus et usque eo pervenit ut audacter asserat aliquas sententias, quae eumdem redolent spiritum (nempe falsitatis) quo decretalia Isidori imbuuntur, etiam in actis publicis conciliorum intromissas fuisse; sed addit, istas nullum praeiudicium veritati postmodum patefactae attulisse: tunc enim, ait, homines in saeculis obscuris versabantur; sed hodie, rebus melius dilucidatis, melius nunc iudicium de legitima potestate pontificis fertur quam protulerunt antiqui nostri patres, falsis illis documentis decepti. Transcribamus hic eius verba, ne aliquis in hoc me nimis Febronium gravare suspicetur. Postquam ipse falsitatem decretalium exaggerat, sic pergit: « Et nonnulla eumdem spiritum redolentia in acta publica conciliorum etiam generalium irrepserunt quae nullum veritati post detectae praeiudicium generant; dum hodie historiam sacram et acta

(1) Cap. 5, § 4. (2) Theol. tom. 1, diss. 4, n. 3, c. 2, a. 8, § 13.

(3) C. 1, § 8, n. 10.

ecclesiastica septem vel octo primorum saeculorum in fontibus scrutamur, multo certius de genuina potestate summi pontificis, quatenus ea revera ex Deo est, iudicamus quam patres nostri, falsis illis documentis innocenter delusi. » Addit, in § 5: « Si enim ignorantia et excessus superstitionis obfuit quominus obscurata per aliquot saecula noscerentur veritas et iusti ecclesiasticae potestatis limites, nihil impedit, quominus quae errore male inducta sunt, nunc, cognita veritate restituantur in legitimum. » Et alibi [1], addit quod saeculis IV, V et VI plura de pontifice tacite ab Ecclesia, aut expresse, a conciliis dicta fuerunt in obsequium romanae sedis: « Quae saeculis IV, V et VI romanis pontificibus ab Ecclesia tacite aut a conciliis expresse, in reverentiam primae sedis, attributa sunt. » Ergo etiam infra prima octo saecula a conciliis plura pontifici attributa sunt non iuxta veritatem, sed tantum in reverentiam primae sedis?

13. Quoad decretalia Isidori non intendo omnia illa ut legitima tueri; scio enim, plura eorum, maxime circa epistolas pontificum, esse aut saltem adulterata aut mutata quoad nomina auctorum. Respectu vero ad decretalia Gregorii IX, Bonifacii VIII et Clementis, lego hos pontifices ad trutinam illa revocasse (prout Gregorius colligere ea fecit et discutere, resecatis superfluis, per s. Raymundum) ac praecepisse de ipsis tam in iudiciis quam in scholis usum fieri. Idcirco dico his decretalibus omnino obtemperandum: quamvis enim pontifices praefati aliqua eorum ex falsis fontibus hausissent, vim tamen legis ipsis tribuerunt; quod et Iustinianus fecit, dicens [2]: *Omnia merito nostra facimus, quia ex nobis eis impertitur auctoritas.* Quoad illud autem quod ait Febronius, nempe quod in acta conciliorum irrepserint nonnulla redolentia eumdem spiritum decretalium isidorianorum quia tunc patres nostri versabantur in saeculis tenebrosis, in quibus latebant veritates quae hodie detectae sunt, et ideo melius nunc iudicatur de potestate pontificis quam patres nostri, falsis illis documentis delusi, iudicarunt: inter hos hodiernos illuminatos nolo esse, sed malo delusis antiquis patribus adhaerere qui in conciliis oecumenicis locuti sunt; et sic me gerens credo non posse errare, quoniam illi, de auctoritate pontificis agendo, deludi non poterant. Et ita arguo: quod papa circa definitiones fidei infallibilis aut fallibilis sit, quodque in auctoritate sit conciliis superior aut inferior, est res principaliter ad fidei regulam pertinens; unde Spiritui Sancto incumbebat ut in conciliis illis declararetur quis in Ecclesia, papa aut concilium, auctoritatem haberet infallibiliter definiendi quaestiones fidei, ut fideles de iis quae credere debent manerent certi nec perpetuo errarent. Propterea absolute dico non potuisse Deum permittere quod oecumenicae synodi falsis documentis in hoc puncto deluderentur, ut Febronius vult nobis suadere, et ita deinceps totum christianum orbem in rebus fidei deciperent. Hinc malo credere sententiis prolatis a conciliis saeculorum ignorantiae quam illustrationibus deinde peractis a Febronio suisque sociis in saeculis illuminatis; habeo enim

(1) C 8, § 4, n. 3.

(2) In l. 1, tit. 17 de vet. iur. enucl.

pro certo legitima concilia generalia Spiritus Sancti assistentia frui et ideo errare non posse. Admiror interea animum Febronii, qui sedem romanam, semper et ab omnibus Ecclesiae patribus et principibus veneratam, deludere et deprimere tamquam sedem ignorantiae, deceptionis et superstitionis progreditur!

14. Praeterea celebratum fuit concilium lateranense V sub Leone X, ubi, postquam reprobatum fuit decretum conciliabuli basileensis de superioritate concilii, declaratum fuit papam praeesse conciliis: *Solum romanum pontificem, tamquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis ss. patrum ac aliorum pontificum sacrorumque canonum decretis, sed propria eorumdem conciliorum confessione constat* (et hoc quam bene consonat verbis praecedentis synodi florentinae superius relatis: *quemadmodum etiam in gestis conciliorum oecumenicorum et in sacris canonibus continetur*); *quorum aliqua referre placuit etc.* Ac proinde ibi referuntur concilia quae his pontificum praeceptis iam pridem obtemperaverant, nimirum ephesinum I Caelestino, chalcedonense Leoni, synodus VI Agathoni et synodus VII Adriano; ac postea concilia quae approbationem a pontificibus expostulaverant et obtinuerant. Dicunt Dupinus et Launoyus quod illa propositio - *Tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem* - non fuit principalis sed incidens; posita enim fuit ut ratio quae falsa esse poterat. Sed respondetur non quidem per incidens illam appositam fuisse, sed tamquam veram declarationem; nam concilium ibi declarare voluit papam, *tamquam super omnia concilia auctoritatem habentem*, posse ea suo arbitrio convocare, transferre et dissolvere.

15. Scio adversarios hoc concilium uti generale non admittere, dicentes inter alia quod episcopi in eo neque ad numerum centenarium pertigerint. Sed ostendit card. Bellarminus nihil huic concilio defuisse ut esset oecumenicum et legitimum: fuit enim legitime convocatum; fuit omnibus apertum, quod profecto sufficit ad illud generale reddendum; patres fuerunt 107, ibique verus certusque pontifex praesedit: quapropter concilium hoc communiter pro legitimo habitum fuit, prout cum Bellarmino illud habuerunt card. Baronius, Cabassutius, Tomassinus, Graveson etc. Replicant adversarii: Saltem hoc concilium non ab omnibus receptum est. Sed huic respondet idem Bellarminus id parum referre, quia conciliorum decreta populi approbatione aut acceptatione non indigent, ut certum est apud omnes, praesertim ubi agitur de re ad fidem spectante, sicut haec erat, iuxta id quod supra diximus num. 13.

16. Ergo, dicent, numquid haereticus est qui hoc concilii decretum non sequitur? Respondet Bellarminus: non est haereticus, quia tale decretum non est in forma canonis extensum; sed a magna temeritate non est excusandus: *Quod vero concilium hoc* (verba Bellarmini) *rem istam non definierit proprie* (canone formali) *ut decretum catholica fide tenendum, dubium est: et ideo non sunt proprie haeretici qui contrarium tenent, sed a magna te-*

meritate excusari non possunt [1]. Inquit episcopus Bossuet in sua *defensione etc.* (si vere ipse libri illius auctor fuit) de hoc concilio loquens: *Pro certo oecumenico haberi, Bellarmini fluctuatio non sinit.* Sed Bellarminus non fluctuat, sed tenet pro certo concilium illud fuisse oecumenicum; dubitat tantum an haereticus dici possit qui decretum de auctoritate pontificis super concilia non amplectitur: caeterum pro certo habet hunc magnae temeritatis notam evitare non posse. Et Bellarmino adhaesit doctor sorbonicus Du-Vallius, qui scripsit circa annum 1712 dixitque opinionem oppositam de praestantia concilii supra pontificem non posse excusari saltem a temeritate inobedientiae: *A temeritate inobedientiae vix potest excusari; fovet enim et plurimum inobedientiam, et dissidia multa semper excitavit* [2]. Dixi superius: *Si vere* (ipse Bossuetus) *libri illius auctor fuit;* nam plura adsunt argumenta quod opus illud valde ab aliis fuerit adulteratum, aut saltem quod Bossuetus noluerit illud pervulgari, dum ipse post comitia anni 1682, in quibus declaratio cleri gallicani de concilii superioritate prodiit, aliis 22 annis supervixit, at liber non prius typis editus fuit quam anno 1730, nempe 26 annis post Bossueti obitum.

17. Sententiis conciliorum addo illam quae habetur in concilio tridentino [3], ubi dicitur: *Merito pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* Huiusmodi tridentini notabile dictum nihili facit Febronius; nam [4] sic de illo loquitur: « Ea (verba) generaliora sunt nec exprimunt a quo et quibus gradibus ac quoad quas partes suprema haec potestas romano praesuli in universa Ecclesia tradita fuerit; nihilque impedit quominus credamus reservandorum nonnullorum graviorum peccatorum potestatem ab Ecclesia, seu concilio supremo, pontifici permissam fuisse. » Inquit igitur Febronius primo loco verba concilii non exprimere *a quo* haec suprema potestas tradita fuerit pontifici; et ex eo inducitur credere quod illa potestas reservandi sibi crimina graviora a concilio ipsi tradita fuerit. Sed Febronius nihil bene ratiocinatur: si enim potestas quam habet pontifex est suprema, nequit illa dici tradita nisi a Christo. Nec ullo modo intelligi potest tradita a concilio, ut credere vult Febronius; nam si potestas suprema apud concilium erat, non poterat ipsa a concilio in pontificem transferri, quia nullus superior potest suam supremam potestatem in alium transferre, aut saltem transferre non potest, quin seipsum de ea exspoliet; alioquin in eiusdem rei gubernio darentur duae supremae potestates, quae consistere non possunt. Quod si unquam suprema illa potestas transferretur in alium cum dependentia a transferente, non esset amplius suprema, sed subordinata; potestas enim suprema est illa quae non dependet ab alio nec superiorem nec aequalem habet. Quomodocumque autem dicatur, semper ac verum est quod papa habet supremam potestatem, ipsa debet esse absoluta et independens.

(1) Tom. 2 de Concil. auct. lib. 2, c. 17.
(2) De suprem. potest. pontif., part. 4.
(3) Sess. 14 de poenit. c. 7.
(4) C. 5, § 4, n. 6.

Potestas autem dependens quae communicatur alteri, poterit dici quidem plenaria, sed non suprema: etenim *plenaria* excludit restrictionem, sed non dependentiam; *suprema* vero excludit omnem restrictionem et omnem dependentiam a quocumque superiore: et ideo *plenaria* communicabilis est et revocabilis; *suprema* autem est incommunicabilis et irrevocabilis ab homine. Dico *ab homine:* nam omnis potestas est a Deo: Deus autem, sive Christus, qui est rector rectorum et caput supremum Ecclesiae invisibile, constituit in terris pontificem caput supremum visibile, ab omni alio terreno superiore independens.

18. Insuper secundo loco obiicit Febronius quod verba Tridentini non exprimunt *quibus gradibus ac quoad quas partes* haec suprema potestas in universa Ecclesia pontifici tradita fuerit. Neque hoc recte opponit: etenim cum concilium dixerit pontificis potestatem esse supremam, necessario intelligenda est potestas universalis quoad omnes gradus et partes; si enim pro omnibus gradibus et quoad omnes partes non intelligeretur, amplius suprema non esset. Ergo, instabit Febronius, a Tridentino quaestio decisa est pro pontifice? Non est decisa in terminis neque cum canone formali, sed decisa est in substantia. Uno verbo igitur - *suprema* - concilium hanc quaestionem magnam decrevit? Utique respondeo; illo uno verbo - *suprema* - satis decrevit aut supponit decretum; quia tota quaestio in hoc tantum consistebat, an pontifex in universa Ecclesia *supremam* potestatem haberet: atque id quippe concilium declaravit illis verbis: *pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita.*

19. Praeterea, pontificem superiorem esse conciliis duobus validissimis momentis probatur. Primum momentum. Qui censent papam subesse concilio negare non possunt quod, ut concilium legitimum sit, oportet ut sit uniforme divinis Scripturis et traditioni patrum, ut sit convocatum a potestatem habente, ut omnes convocentur qui illud formare debent, ut dubia fidei sufficienter disserantur, ut in suffragiis praestandis sit in omnibus omnimoda libertas. His positis, si dubium aliquando insurgeret an in aliquo concilio omnes istae conditiones interfuerint, debet profecto exsistere iudex qui decernat concilium legitimum vel illegitimum fuisse. Hic iudex nequit esse idem concilium, de cuius valore fit dubium. Nec potest esse aliud concilium: nam de isto alio idem dubium fieri posset, et sic procederetur in infinitum. Tunc ergo necessario papa iudex esse debet, prout fatetur eo casu p. Natalis Alexander, qui [1] prius inquit concilium generale auctoritatem non a papa, sed a Christo immediate habere; deinde subdit: « Sed quia conditiones quaedam ad synodum oecumenicam necessario concurrunt, ut scilicet sit secundum Scripturas, secundum traditionem patrum, secundum ecclesiasticas regulas, cum plena suffragiorum libertate, consentiente regulariter summo pontifice et per se ipsum vel per legatos, si voluerit, praesidente et suffragii praerogativa gaudente, celebretur ab episcopis ex toto orbe christiano convocatis, nemine qui

(1) T. 19 hist. eccles., in fin., diss. 4, n. 46, vers. *Addiderim.*

ius habuerit excluso; *aliquam in Ecclesia auctoritatem esse necesse est ad quam spectet iudicare ac declarare quod cum harum conditionum concursu synodus gesta sit;* qua ex declaratione christianorum omnium obligatio ad eius decreta tum de fide, tum de morum disciplina recipienda consequitur. *Ita summi pontificis* est declarare quae concilia vere oecumenica sint: ad ipsum spectat iudicare an iis instructa sint conditionibus quae concilii oecumenici rationem constituunt. »

20. Itaque, si papa eo casu potest et debet iudicare an concilium fuerit legitimum vel non, ergo papa concilio non subiicitur, sed praeest: sat enim constans iuris axioma est: *Inferiorem nihil posse in lege superioris.* Et si papa concilio praeest, debet esse etiam infallibilis; alioquin eius decisio inanis esset. Praeterea ponamus quod papa concilium aliquod illegitimum declaret, et contra patres concilii illud legitimum esse propugnent; si verum esset iuxta adversarios papam concilio subesse, ecce tunc in Ecclesia duo suprema capita et irreparabile schisma. Dicet forte p. Natalis papam in eo solo casu infallibilem et superiorem esse concilio. Sic ipse dicet; sed ubi habetur quod eo solo casu pontifex concilio praesit? Haud deerunt alii qui id negabunt; et hoc casu posset schisma usque ad mundi finem persistere. Quis non videt quod, si pontificis infallibilitas et auctoritas supra concilium non admittitur, Ecclesia evaderet conventus contentionum, ad quas sedandas nullum suppeteret medium?

21. Secundum momentum. Indubitata est regula quod cum propositio quaedam est universalis et certa, ut ab aliqua exceptione limitanda sit, exceptio illa nequit habere locum, nisi ipsa aeque sit certa ac propositio; secus exceptio dubia propositionem certam universalem infirmare non potest. At certum est, sicut ipsa concilia superius relata docent, papam potestatem plenam et supremam habere super universam Ecclesiam: nam in concilio nicaeno I dictum fuit: *Qui tenet sedem Romae caput est etc.; cui data est potestas super cunctam Ecclesiam.* In concilio lugdunensi II dictum fuit: *Ipsa quoque s. romana Ecclesia summum et plenum principatum super universam Ecclesiam cum potestatis plenitudine recepit.* In concilio florentino dictum fuit: *Ipsi (romano pontifici) in b. Petro regendi Ecclesiam plenam potestatem a Domino traditam esse.* In concilio tridentino dictum fuit: *Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita etc.* Id non negant nec negare queunt adversarii, nempe quod papa potestatem habet plenam et supremam super universam Ecclesiam, aliter directe conciliis contradicerent; sed aiunt papam habere tantum potestatem plenam super Ecclesiam universam *dispersam*, non vero super Ecclesiam in concilio *congregatam*. Sed hic argumentum meum resumo et dico: Posito quod papa indubitanter super Ecclesiam universam plenam et supremam potestatem obtinet, ut exceptio illa (nempe quod hoc intelligatur de Ecclesia *dispersa*, non autem de *congregata*) locum habere possit, eam uti certam adversarii probare tenerentur; aliter papam exspoliare nequeunt plena illa et suprema potestate qua eum pollere

ipsa concilia fatentur. Sed quomodo unquam hanc exceptionem uti certam probabunt, dum idem p. Natalis ait suam sententiam terminos probabilis opinionis non excedere? Et idem episcopus Bossuet declarat in sua *defensione* quod in congressu episcoporum Galliae anni 1682 *nihil decretum eo animo ut conscientias constringeret, damnando eos qui contrarium sentiunt.* Usquedum igitur hanc eorum exceptionem sive limitationem ut certam non probabunt, pro certo tenendum quod papa plenam et supremam potestatem super universam Ecclesiam tam dispersam quam congregatam obtinet. Ego videre nescio quamnam responsionem congruam ad hanc rationem ipsi invenire valeant.

CAPITULUM V.

Probatur suprema pontificis potestas et consequenter infallibilitas communi ss. patrum auctoritate.

1. Vidimus quae dicunt concilia de pontificis romani infallibilitate et suprema potestate. Observemus modo quid de his ss. patres proferant. Ait Febronius, adducens verba Vincentii lirinensis, sacras Scripturas non proprio arbitrio, sed iuxta patrum traditionem interpretandas esse. Videamus propterea quid ss. patres de pontificis romani auctoritate dicant, et incipiamus ab antiquioribus. Loquens s. Hieronymus [1], de s. Ignatii martyris epistola quam misit ad romanos, haec nobis tradit: *Nobile romanae ecclesiae testimonium (Ignatius) perhibet, eam sanctificatam, illuminatam, Deo dignam, castissimam, Spiritu Sancto plenam appellans.* Nota haec postrema verba: *castissimam*, nimirum quae numquam fuit nec erit erroribus foedata: *Spiritu Sancto plenam*, scilicet plenam spiritu veritatis. Praeterea idem s. Ignatius in alia epistola ad Trallenses scripsit: *Qui igitur iis* (nempe romanis pontificibus) *non obedit, atheus prorsus et impius est. et Christum contemnit, ac constitutionem eius imminuit.* Dicit *constitutionem*, idest statutum Christi Domini, quod omnes ab ecclesia romana tamquam capite dependeant.

2. Idem expresse scripsit s. Irenaeus [2]: *Omnes a romana ecclesia necesse est ut pendeant, tamquam a fonte et capite.* Perpende: *necesse est ut pendeant.* Deinde addidit: *Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles; in qua semper conservata est ea quae ab apostolis est traditio.* Nota igitur 1° quod *in ecclesia romana traditio quae est ab apostolis, conservata est.* Nota 2° verba: *hoc est eos qui sunt undique fideles.* His verbis confutatur Febronius, qui dicit papam in aliena dioecesi iurisdictionem exercere non posse; si enim omnes fideles ubique existentes debent ad ecclesiam romanam convenire, ergo papa in quacumque dioecesi et super quoscumque fideles immediatam iurisdictionem habet, ut docent Albertus Magnus [3], S. Thomas [4], S. Bonaventura [5] et alii communiter; ac maxime id declaravit universitas parisiensis usque ab anno 1252, in quo, consulta an parocho invito parochianus eius valeat peccata sua papae confiteri seu poeni-

(1) In lib. de script. eccl.
(2) L. 3, c. 3, n. 2.

(3) In 4 sent. dist. 19, a. 10.
(4) Opusc. contra impugn. relig. c. 4.
(5) In 4 sent. dist. 29, a. 3.

tentiariis eius (vel suo episcopo aut poenitentiariis ipsius) atque ab eisdem poenitentiam recipere, sic respondit: *Dicimus in hoc unanimiter consentientes, praedicta licite posse fieri et debere. Si qui autem dicant contrarium, quantum in nobis est, reprobamus, erroneum reputantes.* Ita legitur apud Bulaeum [1]. Item in concilio generali lateranensi sub Innocentio III [2], habetur: *Romana ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.*

3. Progrediamur ad aliorum patrum auctoritates. Sed antequam eas exponamus, advertendum quod Febronius, videns patrum sententias opinioni suae prorsus adversari, ipse [3] vocat eas *figuratas aut ampullatas elocutiones*. En eius verba: « Quae hinc inde occurrunt figuratae aut ampullatae patrum elocutiones substantiam rei non mutant. » Deinde sic scribit: « Tituli et dignitates romanae ecclesiae sive pontifici attributae, nempe matris et magistrae ecclesiarum, capitis Ecclesiae, vicarii Christi, causa fuerunt ut patres extenderent pontificiam potestatem; id ita ferente (*nota eius verba*) humanae conditionis infirmitate, quae aegre intra legitimos fines sese continet; scilicet a proprio et stricto sensu verborum nonnunquam generalius et sine consideratione aut respectu ad determinata quaedam iura quae primatui adhaerere serius praetensa sunt prolatorum argumenta desumuntur pro eorumdem putativorum iurium assertione. » Ergo, iuxta Febronium, patrum sententiae *ab infirmitate humanae conditionis* ortum habuerunt? Ergo dicta patrum nonnunquam *sine consideratione* prolata sunt? Si hoc esset, frustra dehinc ss. patrum auctoritates adversus haereticos opponi possent: nam ipsi cum Febronio responderent patres *ex infirmitate humanae conditionis* intra legitimos fines non se continuisse *et sine consideratione* verba nonnunquam protulisse.

4. Prosequitur ibi Febronius adducitque id quod Graeci in florentino concilio Romanis obiecerunt: *Quae honoris causa dicta sunt, in consequentiam trahi non debere.* Ergo patres tantum honoris causa, idest ad papam adulandum, plura de ipsius auctoritate dixerunt: ideoque de eorum sententiis nulla aut parva ratio habenda erit? Proinde [4] concludit quod huiusmodi patrum sententiae probabiliter ansam praebuerunt supponendi in papa auctoritatem quam non obtinet. En aestimatio quam novus patrum censor Febronius de ipsorum auctoritatibus habet. Sed errat; nam ss. patres non figurate aut ampullose, sed in spiritu veritatis locuti sunt. Scripsit Melchior Canus [5]: *Nullo modo ss. patrum doctrina et traditio Ecclesiae divelli et separari possunt.* Ipsemet autem Febronius [6] laudat verba Vincentii lirinensis [7], qui scripsit: *Post prophetas, apostolos et evangelistas, sanctos quoque doctores accepimus, quo eorum catholicam, hoc est universalem intelligentiam, tamquam Ecclesiae regulam praescriptam, sequeremur.* Idem Febronius ibidem refert verba Innocentii III. (quae habentur *in*

(1) Hist. Universit. paris. tom. 3, a. 1252.
(2) Cap. 5. (3) Cap. 3, § 8.
(4) Num. 7 in cit. § 8.
(5) De loc. theol. lib. 7, cap. 3.
(6) C. 1, § 1 sub initio.
(7) In commonit. 1, cap. 2.

cap. 2 de presbyt. non baptiz.): Sopitis quaestionibus doctorum, patrum sententias teneas. Addit insuper verba concilii senonensis *in IV decr. fidei*, ubi dictum fuit: *Internuntiis patrum et conciliorum organis Spiritus Sanctus docet nos omnia; sine quorum auspiciis, qui Scripturae sacrae sensum habere se iactitant non intelligunt quae loquuntur.* Post haec ab ipsomet relata, quomodo Febronius potuit alibi scribere elocutiones patrum circa pontificis auctoritatem esse *figuratas* aut *ampullatas*, *ex infirmitate humanae conditionis et sine consideratione, honoris tantum causa prolatas?*

5. Sed pergamus exponere has *figuratas* aut *ampullatas* patrum elocutiones. S. Hieronymus [1] sic scripsit: *A pastore praesidium ovis flagito... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini tuae, id est cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est qui Christi non est, antichristi est.* Omnia verba haec infallibilitatem et superioritatem supremam pontificis ostendunt. At quid de his dicit Febronius? Dicit [2], quod verba praefata Hieronymi sunt *turgida*, quodque in illa magna contentione quae tunc aderat inter episcopos circa Dei hypostases s. doctor tutius esse iudicavit consulere papam, licet eius iudicium non esset ineluctabile. Ita Febronius; sed mihi videntur verba s. Hieronymi evidenter denotare quod iudicium pontificis ipse ineluctabile existimabat. Sed ait Febronius s. Hieronymum in tantum iudicio Damasi se remisisse, in quantum sciebat (ut in alia epistola expressit) totum occidentem sentire idem quod pontifex sentiebat. Si hoc esset, respondeo, satis erat Hieronymo scribere ad Damasum se communione ei consociari; sed s. doctor praefata *turgida verba* scripsit: *Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini tuae communione consocior.* Addidit: *Super illam petram Ecclesiam aedificatam scio.* Addidit: *Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est.* Addidit: *Si quis in arca Noë non fuerit, peribit.* Addidit: *Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est: qui Christi non est, antichristi est.* Verba haec non solum significant s. Hieronymum iudicio pontificis in ea quaestione voluisse adhaerere, sed etiam ipsi persuasum exploratumque esse quod quaecumque sententia pontificis in materia fidei nullo modo errori poterat esse obnoxia. Adde huic aliam gravissimam sententiam s. Hieronymi [3], ubi dicit quod si pontifici non daretur super Ecclesiam potestas *eminens*, salus non esset in Ecclesia, quia alioquin schismatum multiplicitas vitari non posset. En eius verba: *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes.*

6. Auctoritates s. Cypriani superius iam allatas hic repetere non oportet; satis est de eis tantum tres

(1) In epist. 14, al. 57 ad Damasum.
(2) Loco cit. n. 2.
(3) In dial. contra Luciferian. n. 9.

memorare, in quibus s. Cyprianus, iuxta Febronium, etiam *turgide* loquitur. Prima est: *Qui Petri cathedram deserit, in Ecclesia non est* [1]. Altera: *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una, super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut novum sacerdotium fieri, praeter unum altare, et unum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit* [2]. En s. Cyprianus quomodo *turgide* loquitur, dum scribit quod *spargit* qui colligit extra cathedram Petri, *Domini voce fundatam*. Tertia est illa: *Neque aliunde haereses obortae sunt quam inde quod non unus in Ecclesia sacerdos et iudex vice Christi cogitatur* [3].

7. Transeamus ad alios patres. S. Athanasius scripsit: *Romanam ecclesiam semper conservare veram de Deo sententiam* [4]. In eadem epistola, alloquens papam de ipsius infallibilitate, dixit: *Tu profanarum haeresum atque imperitorum omniumque infestantium depositor, princeps et doctor, caputque orthodoxae doctrinae et immaculatae fidei existis*. Perpende verba: *haeresum depositor, caput orthodoxae doctrinae et immaculatae fidei*. Et addidit ibidem: *Ob id vos praedecessoresque vestros apostolicos videlicet praesules, in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere praecepit*.

8. S. Gregorius Nazianzenus [5], scripsit: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem et semper* (nota) *eam retinet, sicut decet urbem quae toti orbi praesidet semper integram fidem habere*. S. Optatus milevitanus, scribens contra donatistas, post iudicium a Melchiade papa latum, dixit nullum remanere dubium: *Iudicium Melchiadis papae sententia clausum est*. Idem sanctus (*contra Parmenian.*) scripsit haberi tanquam schismaticum qui diversam doctrinam tenet quam ecclesia romana docet: *Ut iam schismaticus esset qui contra singularem cathedram (romani pontificis) alteram collocaret*. Ergo extra cathedram romani pontificis altera non datur. S. Cyrillus [6], scripsit: *Petro omnes iure divino caput inclinant, et primates mundi, tanquam ipsi Domino Iesu, obediunt* [7]. Idem s. Cyrillus dixit quod sicut Pater aeternus suo Filio omnimodam potestatem, et nulli alteri, tradidit, ita Christus supremum Ecclesiae regimen nulli alteri quam Petro et eius successoribus dedit: *Sicut Christo a Patre omnis potestas et nulli alteri data est, sic Petro eiusque successoribus suprema Ecclesiae cura, nullique alteri est commissa* [8]. Adverte verba: *suprema Ecclesiae cura, nullique alteri est commissa;* nimis luculenter s. Cyrillus expressit hic superioritatem pontificis romani super Ecclesiam tam dispersam quam congregatam.

9. Praeterea s. Augustinus scripsit: *In romana ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit principatus* [9]. Alibi autem explicat idem s. doctor hunc principatum Ecclesiae romanae infallibilitatem continere: ibi enim loquens de quocumque successore s. Petri, ait hanc esse *petram* adversus quam errores fidei praevalere non possunt: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri; in ordine illo pa-*

(1) De unit. Eccl. c. 4.
(2) Lib. 1, epist. 8 ad Pleb.
(3) Lib. 1, epist. 3 ad Cornelium.
(4) Epist. ad Felic. pap.
(5) In carm. de vita sua.
(6) In lib. Thesaur.
(7) Apud s. Th. opusc. contra Graecos.
(8) Lib. Thesaur. tom. 2. (9) Ep. 63.

trum quis cui successerit videte: ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae [1]. Idem s. Augustinus alibi [2] scripsit: *In verbis apostolicae sedis tam antiqua, fundata et certa est catholica fides ut nefas sit de illa dubitare christianis.* Et ad Iulianum sic scripsit: *Quid adhuc quaeris examen quod apud apostolicam sedem iam factum est* [3]?

10. S. Hilarius scripsit: *Tanta ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum fidei Dei confessorem, Ecclesiae fundamentum, coelestis regni ianitorem et in terreuo iudicio iudicem coeli, Satanae convicio, nuncuparet* [4]. Venerabilis Beda scripsit: *Specialiter (Petrus) claves regni coelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant quia quicumque ab unitate fidei vel societatis illius se segregant, tales non possint ianuam regni coelestis ingredi* [5]. S. Petrus Chrysologus, antistes ravennas, Eutycheti ad ipsum recurrenti, tempore quo ille renuebat pontifici obtemperare, sic respondit: *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quae a beatissimo papa praescripta sunt obedienter attendas; quoniam* (nota) *b. Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* Et deinde subdidit: *Nos enim, pro studio pacis et fidei, extra consensum romanae civitatis episcopi, causas fidei audire non possumus* [6].

11. S. Fulgentius scripsit esse tam certas pontificis definitiones ut omnia ab ipso tradita omnis christianus orbis sine haesitatione amplectatur: *Adeo quae a pontifice romano decernuntur certa esse ut quod ille tenet docetque, totus christianus orbis nihil haesitans credat.* S. Gregorius magnus scripsit: *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam? Cui dictum est:* Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam [7]? Quamobrem Ecclesiae soliditas a soliditate Petri dependet. Idemque pontifex in epistola ad Galliae episcopos scripsit quod, occurrente quaestione aliqua in materia fidei, sedi apostolicae retulissent, ut ab ipsa definiri sine dubio potuisset: *Si quam vero contentionem de fidei causa evenire contigerit..., ad nostram studeat perducere notionem; quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari* [8]. Notentur verba: *sine dubio terminari.* S. Anselmus [10] dicit Christum pontifici romano Ecclesiam suam regendam commisisse; unde subdit: *Ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut eius auctoritate corrigatur.* S. Bernardus, loquens de s. Petro [11], ait: *Qui non uni populo, sed cunctis praeesse deberet.* Item [12] scripsit: *Nulli dubium est quod ea quae apostolica firmantur auctoritate, rata semper exsistunt, nec alicuius possunt deinceps cavillatione mutilari.* Praeterea s. Bernardus scripsit magnum illud dictum, nempe quod infallibilitas pontificis ex constantissima et perpetua traditione ostenditur: *Infallibilitatis pontificiae praerogativam constantis-*

(1) In Ps. contra part. donat.
(2) Epist. 157. (3) Lib. 2 contra Iulian.
(4) Lib. 6 et 10 de Trin.
(5) Hom. in festo ss. Petri etc.
(6) Epist. ad Eutychet., p. 1 conc. chalcedon.
(7) Lib. 6 epist. 37 apud Maurin. 7, 40.
(8) Lib. 4, ep. 52, al. 5, ep. 54.
(9) Lib. de incarnat. cap. 1.
(10) Lib. de incarnat., cap. 1.
(11) Lib. 2 de consider. (12) Epist. 170.

sima perpetuaque ss. patrum traditio commonstrat [1]. Idem scripsit Melchior Canus: *Constat autem, romanos episcopos Petro in fidei magisterio successisse, ab apostolis esse traditum* [2].

12. Praeterea s. Thomas, qui omnium patrum opera evolvit, nullamque propositionem ut certam asseruit in qua ss. patres concordes non fuerint, sic scribit: *Postquam essent aliqua Ecclesiae auctoritate determinata, haereticus esset si quis repugnaret; quae quidem auctoritas principaliter residet in summo pontifice* [3]. Atque prius s. doctor iam dixerat [4], *quod in Ecclesia unitas fidei esse non posset, nisi quaestio fidei exorta determinaretur per eum* (scilic. per papam) *qui toti Ecclesiae praeest*. Idem scripsit s. Bonaventura: *Papa non potest errare, supposito quod intendat facere dogma de fide etc.* [5]. Hinc scripsit Duvallius, loquens de nostra sententia: *Nemo nunc est in Ecclesia qui ita pro certo non sentiat, praeter Vigorium et Richerium; quorum si vera esset sententia, totus fere orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret* [6]. Hicque transeunter advertatur Richerium postea suam illam opinionem expresse revocasse in vita et in morte. P. Franciscus Suarez, scribens adversus impugnantes pontificis infallibilitatem, ait quod eorum opinio *non solum est nimis temeraria, sed etiam erronea; nam tam est catholicorum scriptorum concors in hac veritate sententia, ut eam in dubium revocare nullo modo liceat* [7]. Idem scripsit p. Bannez dominicanus; et cardinalis Bellarminus scripsit quod opposita sententia *videtur erronea omnino et haeresi proxima* [8]. Refertque idem Bellarminus Ioannem Calixtum lutheranum sic scripsisse: *Negari non posse, si Christus suo loco romanum pontificem universae per orbem Ecclesiae praefecit, ideo praefecisse ut controversias fidei sententia falli nescia decideret ac terminaret, cui mentes fidelium adhaerere oporteat*. Sed quod mirabilius est, en quod scripsit Ioannes Gerson de infallibilitate et suprema potestate papae, antequam sedi romanae infestus esse inciperet: *Divideretur Ecclesia, nisi per unius sententiam unitas servaretur; hic autem principatum eiusmodi habens est Petrus, successorque eius* [9]. Adde Augustinum Triumphum, doctorem academiae parisiensis, qui scripsit haeresim esse, pontifici aliquid de fide decernenti non adhaerere [10].

13. Auctoritates autem superius relatae ss. patrum patenter ostendunt pontificem infallibilem et conciliis superiorem esse. Sed, ut notavimus, illae respectu ad Febronium nihil valent, quia sunt (ut ait) *elocutiones figuratae aut ampullatae*. Scire vellem quasnam auctoritates aut probationes afferre deberemus ad Febronium suadendum. Textus Scripturarum a nobis supra adducti quoad eum non probant; nam pro libito ipse eas interpretatur, et sic nihili facit. In evangelio s. Matthaei dicitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*. Vidimus quod ss. patres communiter pro *petra* intelligunt Petrum, seu

(1) Epist. 190 ad Innoc. II.
(2) De locis theol. lib. 6, c. 7.
(3) 2, 2, q. 11, a. 2, ad 3.
(4) Qu. 1, art. 10.
(5) De summ. theolog. q. 1, a. 8.
(6) De supr. pont. potest. part. 4, q. 7.
(7) Tract. de fide, disp. 20, sect. 3, n. 22.
(8) Lib. 4 de pontif. cap. 2.
(9) Lib. de potest. reg. et pap. cap. 3.
(10) De pot. eccl. q. 10 art. 3.

Cephas; sed quia haec interpretatio Febronio non arridet, ideo hic textus nihil ipsi probat. In Evangelio s. Ioannis a Christo dicitur Petro: *Pasce oves meas*. Quibus verbis communiter patres aiunt, Petro principalem ovilis Christi curam fuisse commissam: sed nihil etiam respectu ad Febronium id probat; et sic pariter alias relatas Scripturas ipse despicit. Nec etiam quoad ipsum valent dicta conciliorum quae supra retulimus, eo quod (ut ipse ait) haec concilia locuta sunt in saeculis obscuris, saeculis ignorantiae, in quibus latebant veritates, quae postmodum a Febronio detectae fuerunt. Denique sententias ss. patrum nec etiam ipse magni facit, quoniam patres locuti sunt *figurate aut ampullose*, nempe per hyperboles et exaggerationes. Scripturae itaque non valent pro nostra sententia, quia non probant Febronio; nec officit ei quod patres pro nobis communiter eas interpretantur. Concilia nec etiam valent, quia locuta sunt ex ignorantia in saeculis tenebrosis. Sententiae ss. patrum, per quos (ut testatur s. Bernardus supra laudatus) *constantissima et perpetua traditio* habetur de infallibilitate pontificis romani, et consequenter de eius suprema potestate supra concilia, nec etiam valent eo quod sunt *elocutiones figuratae aut ampullatae*. Peto a Febronio: quaenam alia momenta invenire poterimus ut veritatem assequamur? Sed nemo nos inficiet, si non eius dicta, sed potius sectari eligimus oracula conciliorum oecumenicorum, quippe quae non ex ignorantia, sed exassistentia Spiritus Sancti locuta sunt; et sententias ss. patrum, qui non *figurate aut per exaggerationes*, sed spiritu veritatis ducti sua dicta protulerunt.

CAPITULUM VI.

Probatur ratione pontificis romani potestatem in Ecclesia esse supremam.

1. Docet s. Thomas [1], regimen monarchicum esse omnibus aliis perfectius: *Optimum regimen multitudinis est ut regatur per unum: pax enim et unitas subditorum finis est regiminis: unitatis autem congruentior causa est unus quam multi*. Idem olim scripsit Plato: *Unius dominatio, bonis instructa legibus, lex illarum omnium optima est. Gubernationem vero eam in qua non multi imperant, mediam censere debemus; caeterum multorum administrationem omnibus in rebus debilem atque infirmam* [2]. Aristoteles pariter, postquam tres gubernii formas adduxerat, scribit: *Harum optima regnum* [3]. Idem dixit Plutarchus: *Si optio eligendi concessa fuerit, non aliud deligat quam unius potestatem* [4]. Et ita etiam Euripides, Isocrates, Stobeus et alii philosophi gentiles locuti sunt. Disserens autem s. Thomas particulariter de rebus fidei, dicit: *Circa ea quae fidei sunt contingit quaestiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur* [5]. Hinc angelicus doctor statum Ecclesiae omnino monarchicum existere fundat. Idque prius docuit s. Cyprianus [6]: *Unus omnium Dominus est Deus... ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum; rex unus est*

(1) Lib. 4 contra gentes, cap. 76.
(2) Polit.
(3) L. 8 ethic. c. 10.
(4) Opusc. de Monarch.
(5) Vide loc. cit. contra gentes.
(6) De vanit. idol. c. 8.

apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus. Idem scripsit s. Io. Chrysostomus [1], ubi, loquens prius de anarchia, idest de carentia principatus, dicit eam esse *argumentum confusionis.* Deinde necessitatem unius rectoris sic describit: *Si a navigio* (ait) *ademeris gubernatorem, navem demerges : si a grege pastorem, omnia evertisti.* Ratio autem cur regimen monarchicum aliis praefertur est quia monarchia, quae ab uno solo pendet, difficilius quam aristocratia, dependens a pluribus, dividi et destrui potest; difficilius enim simplex unitas dividitur quam multitudo, licet haec ad unionem conspiret. Et revera omnia symbola quibus in Scripturis denotatur Ecclesia, nimirum regni, navis, arcae, ovilis , domus , aciei ordinatae , omnia necessitatem unius rectoris significant. Ex historia autem patet regimen monarchicum omnibus aliis fuisse melius; et aristocraticum saepe dissensionum, imo aliquando exterminii imperiorum causam exstitissse. Corpus quidem Ecclesiae mysticum nunquam potest esse unum, nisi unum praesit visibile caput a quo corpus Ecclesiae regatur. In antiqua lege Dominus sic praecepit: *Amarias autem sacerdos et pontifex vester in his quae ad Deum pertinent praesidebit; porro Zabadias, filius Ismahel qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit quae ad regis officium pertinent* [2]. Si ergo in lege antiqua unus sacerdos praeesse debuit divinis rebus, quanto magis id locum habere debet in lege nova, quae antiquae perfectio et complementum est? Hinc communiter doctores, ut s. Thomas, Gerson, Bellarminus, Du-Vallius, Gretserus, Sanderus, Charlas et alii (nec contradicunt Dupinus et Richerius), docent regimen Ecclesiae esse monarchicum; cum duplici tamen discrimine a gubernio monarchico temporali: primum, quia episcopi, licet papae subiecti, non sunt tamen eius vicarii, sed ordinaria potestate suas regunt ecclesias; secundum, quia nec papa nec episcopi haereditaria successione suas dignitates acquirunt, ut reges, sed ex omni classe fidelium eliguntur.

2. Omnino igitur principatum Ecclesiae monarchicum esse tuemur cum s. Thoma, ut supra, et s. Antonino [3], et aliis pluribus, inter quos pro omnibus valeat unus Ioannes Gerson, qui pertingit ad asserendum haereticum esse qui pontificis statum pertinaciter negaret esse monarchicum. En eius verba: « Status papalis institutus a Christo supernaturaliter et immediate, tamquam primatum habens monarchicum et regalem in ecclesiastica hierarchia secundum quem statum unicum et supremum ecclesia militans dicitur una sub Christo: quem statum quisquis impugnare vel diminuere vel alicui ecclesiastico statui particulari coaequare praesumit, si hoc pertinaciter faciat, haereticus est, schismaticus, impius atque sacrilegus. Cadit enim in haeresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiae usque hodie tam per institutionem Christi de principatu Petri super alios apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiae in sacris eloquiis suis et generalibus conciliis [4]. » Inquit igitur Gerson tam institutione Christi, quam

(1) Hom. 34 in ep. ad Heb. n. 1.
(2) 2 Par. 19, 11.

(3) Part. 3, tit. 22, c. 2, § 3.
(4) Tract. stat. eccl. cons. 1.

traditione Ecclesiae de haeresi notandum qui statum papalem negat esse monarchicum; cum enim Petrus Ecclesiae fundamentum totiusque ovilis pastor a Christo fuerit deputatus, merito infertur suprema potestas ipsi eiusque successoribus tradita fuisse. Haec famosa Gersonis sententia, tam valida ratione probata, ad compescendos negantes monarchicum papae regimen potissimum valet.

3. Tanto magis quod nec papa nec quivis temporalis monarcha potestatem supremam talem habet ut quicquid velit ad libidinem agere valeat: habent enim ipsi potestatem supremam quodammodo moralem, qua possunt independenter quidem ab assensu aliorum facere omnia, sed ea tantum quae consona videntur rationi. Praeterea quivis monarcha, directive et ordinarie loquendo, legibus sui regni conformare se debet; potest tamen in illis semper dispensare. Praeterea convenit principi consilium a sapientibus exquirere et sequi; idque praesertim papa ordinarie in usu habet, cardinales aliosque praelatos in negotiis maioris momenti consulendo. Verumtamen falsum et perniciosum principium illud Gersonis fuit, nempe quod monarcha a sua natione legitime iudicari possit; nam (ut ait) cum natio sit totum respectu principis, qui tantum est pars, in natione suprema auctoritas manet. Principium dixi falsum regnisque infestissimum; sic enim subditis seditiones commovendi in principem occasio praeberetur, semper ac ipsi principem iniusta praecipere putarent.

4. Febronius autem supremam potestatem apud Ecclesiam existere adstruit; pontifici tantum attribuit primatum, quo, tamquam caput ministeriale corporis Ecclesiae, idest tamquam Ecclesiae minister, potest dumtaxat, casu quo concilium sine magna difficultate congregari nequit, leges aliquas generales indicere, sed illae robur non habent nisi communi consensu aliorum recipiantur; potest etiam (ait) in controversiis fidei aut morum aut disciplinae suas definitiones ferre, et illis iuxta Gersonem provisorie obtemperandum est, ad non dogmatizandum oppositum; tamen ipsae non sunt irrefragabiles nec obligant, si Ecclesia reclamat. Dicit etiam causas maiores referendas esse ad pontificem, sed non quidem ut quaestiones suo iudicio terminentur, sed tantum ut sic Ecclesiae dissitae conferre inter se communique bono consulere possint. Addit muneri pontificis annexam esse sollicitudinem ut canones ubique observentur, fidei integritas custodiatur, ritus substantiales in sacramentis ministrandis adhibeantur, et unam sanam doctrinam omnes profiteantur. Caeterum Febronius vult primatum papae non esse potestatis et iurisdictionis super alias ecclesias, sed directionis tantum et vigilantiae; unde scribit non posse pontificem condere leges pro tota Ecclesia obligantes, nec responsa ipsius obligationem strictam inducere; et ideo reprehendit episcopos qui omnimodae obedientiae pontifici se subiiciunt.

5. Sed huiusmodi Febronii opiniones nec sententiis conciliorum, ut vidimus, nec dictis patrum, nec ipsius gallicanae ecclesiae sensui consonant: facultas enim parisiensis ann. 1617 damnavit ut haereticam propositionem Marci Antonii de Dominis, qui dicebat papam non habere iurisdictionem de iure divino

super alias ecclesias; et iampridem eadem facultas anno 1543 sic declaraverat: *Nec minus certum est unum esse iure divino summum in ecclesia Christi militante pontificem, cui omnes christiani parere tenentur.* Et ideo Febronius [1] reprehendit Gallos primatum iurisdictionis papae concedentes, dicens, hoc posito, resipiscentiam et reductionem protestantium ad ecclesiam catholicam nequaquam posse obtineri. Sed in omnibus his Febronius errat: contradicit enim (ut dixi) conciliis, ss. patribus et evidenti rationi; ratio quippe cur pontifici suprema potestas attribuenda est, patet ex eo quod patres communiter tradunt, nempe ideo in Ecclesia unum caput et pastorem constitutum fuisse a Christo ut sic schismata removeantur et unitas fidei ubique servetur; nam ubi in quaestionibus ultimum iudicium a pluribus dependet, impossibile est omnes contentiones et dissidia evitare. Dicit Apostolus: *Unus Deus, una fides* [2]. Hinc merito scribit Bellarminus quod non potest fides esse una, nisi unus sit iudex, cui omnes parere tenentur. Id enim patet ex ipsis haereticis, quorum unusquisque diversam componit sectam, eo quod unum iudicem non habent; nam ubi sunt multi pares et res est obscura, difficulter unus alterius iudicio ultro se subiicit. En quomodo s. Hieronymus id expresse manifestat: *Super Petrum fundatur Ecclesia; licet idipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim* (nota) *unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio* [3]. Quamvis igitur apostoli, tamquam primi evangelii fundatores, aeque ac Petrus, potestatem a Christo acceperint: attamen Petrus omnibus praeficitur ut lites removerentur. Ad lites autem et schismata removenda non sufficit caput ministeriale, sed requiritur, dicit s. Hieronymus in alio loco, potestas super omnes alias *eminens;* alioquin, quot sacerdotes, tot schismata stabunt. *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes* [4].

6. Idem scripsit s. Optatus milevitanus [5]: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut iam schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra unica, quae est prima de dotibus* (nempe quod sit unica), *sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus..., cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Vestrae cathedrae vos originem reddite qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Docet igitur hic s. Optatus quod cathedra Petri et successorum est unica constituta, ut unitas in Ecclesia ab omnibus servetur; et ideo schismaticus est qui alteram, praeter cathedram Petri, collocat. Quid am-

(1) In append. 2. (2) Eph. 4, 5.
(3) Lib. 1 contra Iovinian.

(4) In dial. contra Lucif. n. 9.
(5) Lib. 2, c. 2, contra Parmenian.

plius, quaeso, proferre poterat ut auctoritatem pontificiam esse supremam, independentem et infallibilem ostenderet? Idem prius significavit etiam s. Irenaeus, scribens: *Ad hanc Ecclesiam (romanam) propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles; in qua semper conservata est ea quae ab apostolis est traditio* [1]. Perpende illud: *necesse est convenire*, quod importat omnes ecclesias teneri ad sentiendum ut sentit romana; et illud: *in qua semper conservata est traditio*. In his duabus partibus expresse suprema potestas pontificis et eius infallibilitas demonstratur.

7. Insuper observo quod tandem ipsi adversarii necessitatem unius capitis supremi agnoscunt et fatentur. Unus eorum, nempe auctor *instructionum circa s. sedem*, sic loquitur (verbis ex gallico in latinum idioma traductis): « Incontrovertibile est quod, si Christus Iesus, concedendo aequalitatem potentiae omnibus episcopis, medium non accepisset unum inter ipsos eligendi, cui omnes adhaerendo, eum tamquam caput respicerent, brevi tot schismata orta fuissent, quot episcopales cathedrae exstarent. » Idem fatetur ipse Febronius [2], dicens, ne Ecclesia vacillaret, Petrum fuisse a Christo caput Ecclesiae constitutum: *Petrum reliquis Christus praetulit... sicque caput suae Ecclesiae dedit, sine quo corpus non potuisset non saepius nutare*. Item § 2 dicit: *Causa instituendi inter apostolos primatum est bonum unitatis, sine quo impossibile est Ecclesiam persistere*. Idque ibi probat auctoritatibus s. Hieronymi et s. Optati, quas mox supra adduximus. Et ibi addit quod eadem ratio unitatis, ob quam unus Petrus a Christo fuit pastor et caput Ecclesiae constitutus, effecit etiam ut eius principatus esset perpetuus in Ecclesia; quandoquidem ille non fuit Petro collatus pro sua peculiari persona, sed in Ecclesiae favorem, quapropter oportuit ut talis principatus perduraret usquedum perdurabit Ecclesia, nempe usque ad finem saeculorum. Praeterea Febronius [3], hoc principium statuit: *Omnia illa et sola esse essentialia iura primatus, sine quibus unitas non potest servari*. Omnia haec a Febronio prodita suadent quod primatus pontificis omnino debet esse supremus: quia aliter *corpus* (utor eisdem ipsius verbis) *non potuisset non saepius nutare:* aliter *impossibile est Ecclesiam persistere;* aliter *unitas non potest servari*. En quomodo Febronius suis eisdem verbis se confutat.

8. His vero positis, quomodo potest Febronius deinde concludere primatum pontificium esse mere ministeriale, eiusque iudicium esse fallibile ac iudicio Ecclesiae subiectum? Item papam non posse condere leges et tanto minus ad eas obligare fideles? Quomodo cum tali primatu posset corpus Ecclesiae *non saepius nutare?* quomodo *Ecclesia persistere*? quomodo *unitas servari*, et divisiones ac schismata evitari? Evitabuntur fortasse cum conciliis generalibus? Sed si concilia congregari non possent, prout non potuerunt per tercentos annos in primis Ecclesiae saeculis, dum gentiles imperatores dominabantur, quomodo eo casu, irruente aliquo errore

(1) Lib. 3 advers. haeres. cap. 3.
(2) C. 2, § 1, n. 3.
(3) Cap. 2, § 4 sub initio.

contra fidem, promtum remedium praestabitur? Tunc, ait Febronius [1], papa sententiam suam cum omnibus aliis christianis orbis ecclesiis conferre debet, illarumque sententias colligendo, conclusionem deinde tenetur ipse promulgare, ut ab ecclesiis acceptetur: et ita audenter asserit in primis tribus saeculis factum esse; asserit, sed non probat, ut videre est loco citato. Contra vero certum est omnes haereses quae primis temporibus prodierunt, a pontificibus fuisse proscriptas, nimirum Nicolaitarum, Ebionistarum, Marcionistarum, Montanistarum, Tertullianistarum, Origenistarum et aliarum plurium. S. Augustinus [2], reprobans opinionem eorum qui dicebant opus esse concilio ad quamcumque haeresim damnandam, scripsit: *Quasi nulla haeresis aliquando, nisi synodi congregatione, damnata sit; cum potius rarissimae inveniantur propter quas damnandas necessitas talis exstiterit.* Sozomenus [3], loquens de quaestione olim habita circa divinitatem Spiritus Sancti, scripsit: *Quae controversia cum in dies magis cresceret, episcopus romanus, de ea certior factus, scripsit ad ecclesias Orientis literas, ut Trinitatem et consubstantialem esse et gloria aequalem existimarent. Quo facto, utpote controversia iudicio Romanae Ecclesiae terminata, singuli quievere.* Praeterea in concilio oecumenico VIII celebrato sub Adriano II anno 869 [4], prolatum fuit: *Retro olimque semper, cum haereses et scelera pullularent, noxias illas herbas et zizania Apostolicae Sedis Romanae successores extirparunt.*

9. Quisque suadere omnino sibi debet, quod rumores sedare per dispersarum ecclesiarum sententias circa aliquam urgentem fidei controversiam, sine pontificis infallibili definitione, est moraliter et plusquam moraliter impossibile. Unum pro omnibus sufficiat exemplum. Bulla *Unigenitus* fuit quidem ab omnibus principalibus catholicis ecclesiis acceptata (prout ostendit cardinalis de Byssi particulari libro typis edito) et praesertim ab episcopis Galliae in concilio Embrunensi ac in pluribus eorum congressibus acclamata fuit ut dogmatica; nihilominus habueruntne finem rumores? Remotius exemplum est autem illud eventum in ecclesia graeca post synodum florentinam. In eo concilio latina et graeca ecclesiae iam convenerunt, plures et magnae inter ipsas contentiones intercesserunt; sed demum concilii decretis omnes acquievere. Hic primo quaero: si nulla ex iis ecclesiis cedere unquam alteri voluisset, et defuisset papa, qui, ut supremus iudex, quaestiones valuisset terminare, quomodo schismati reparatum fuisset? Dico praeterea: quamvis Graeci pro tunc concilii decreto acquieverunt, attamen, peto, quanto tempore pax ista permansit? Vix ad reditum in Graeciam Marci metropolitani ephesini a concilio, ipse iterum suos Graecos ad priscos errores resumendos induxit. Quomodo Marcus alios pervertit, non obstante concilio oecumenico celebrato? Pervertit quidem dicendo quod ex una parte ipsi pontifici parere non tenebantur eo quod papa non est nisi Romae patriarcha, ut Graeci schismatici tenent; ex alia dicebat concilium non fuisse legitimum: et ita

(1) Cap. 4, § 2, n. 7.
(2) Lib. 4 contra duas epist. Pelag. c. 12.
(3) Histor. lib. 6, cap. 21.
(4) Act. 3.

nec pontifici nec concilio obedientiam praestandam esse concludebat. Et sic pariter alii haeretici etiam post celebrata concilia fecerunt, obstinati in suis erroribus persistentes. At si omnes fideles communiter tenerent pro certo (prout revera certum est) papam esse supremum quaestionum fidei iudicem, et eius iudicia infallibilia esse, non amplius in Ecclesia adessent neque schismata neque schismatici, nisi illi tantum qui ex mera obstinatione veritatem agnitam oppugnare vellent. Ideo repeto quod, sublata infallibilitate pontificis et eius suprema potestate, medium aliud ad incredulos convincendos non suppetit.

10. Dicunt: papa est homo fallibilis. Et episcopi in concilio congregati nonne etiam sunt homines fallibiles? Respondent quod solis iudicibus in concilio generali congregatis infallibilitatis promissio facta est. Sed hoc quomodo probant? Non probant Scripturis: non probant conciliis (excepto illo Basileae, quod illegitimum fuit, ut a nostris auctoribus evidenter demonstratur): non probant sententiis ss. patrum, quia patres sunt contrarii. Nequaquam, exclamant: Scripturae, concilia, patres pro nobis sunt; et ideo, cum admiratione observo, progrediuntur ad afferendas pro ipsis illas easdem sententias quae eis magis obstant, et ora eorum magis obtrudere deberent. Omnis eorum industria, ait quidam doctus auctor, consistit in sententiis tergiversandis, dentibus illas ad eorum sensum trahendo vel explicando per quasdam vanas distinctiunculas ex eorum cerebris inventas ad veritatem eludendam; et postea clamant et contendunt patres dixisse ea quae ipsi a patribus dicta fuisse fingunt, atque sic victoriam sibi canunt, concludendo: *Clarum est, probatum est, nulla responsio aut dubium remanet quod pontificiae definitiones non sunt irrefragabiles, et quod concilium est supra papam*. Sed si haec nullus patrum asserit, quid ipsis proderit adducere s. Cyprianum, s. Hieronymum, s. Augustinum, s. Gregorium et alios, cum ss. patres tradunt oppositum ad ea quae ipsi vellent ut patres dicerent, sed non dicunt?

11. Sed redeamus ad punctum. Ponamus casum quod ad aliquam haeresim proscribendam concilium adunetur, et concilium non sit a papa nec convocatum nec confirmatum: si postea episcopi congregati manerent discordes, peto: quisnam controversiam decernet? Dicent: sufficit quod maior eorum pars conveniat. Nego; nam etiam maior pars errare potest, ut comprobatum est in concilio ariminensi et ephesino II. Praeterea, ponamus quod episcopi in huiusmodi concilio sint concordes: sufficietne concilium illud ad quaestionem eliminandam? Nequaquam profecto, quia contradictoribus ad illud inficiendum non deerunt praetextus, dicendo concilium non fuisse legitimum vel ob defectum libertatis in tradendis suffragiis, vel ob defectum ordinis respectu illorum ad quos suffragia dare spectabat (tanto magis quod Febronius nollet laicos a concilio excludi) vel ob defectum examinis circa puncta quae discuti debebant. Hinc manifestum fit quod nullum superest medium compescendi quaestiones fidei et haereticos convincendi, si suprema papae auctoritas eiusque iudicium irrefragabile non admittitur. Praeterea Febronius [1], ait

(1) Cap. 6, § 2, n. 4.

quod si papa adest in concilio, debet quidem suam sententiam manifestare, « non vero praescribere et dictare ea quae collegiali iudicio decidenda sunt, aut dominari sive apertis modis sive obliquis viis aut secretis motibus. » Hoc posito, si concilium pontificis sententiae adhaeret, dissidentes nunquam per decreta concilii convinci poterunt; semper enim opponere possent concilium fuisse illegitimum, quia *obliquis viis et secretis motibus* in illud papa dominatus fuerit. Denique, si aliud haeretici obiicere concilio non poterunt, saltem dicent illud illegitimum fuisse quia factum est sine assistentia vel consensione suipsorum, qui se reputant tamquam saniorem partem Ecclesiae. Idcirco sapienter dixit s. Hieronymus ad hoc Christum elegisse unum Petrum, tamquam omnium caput, ut lites removeantur: *Propterea unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Caput est papa, ait Febronius, sed caput tantum ministeriale, iudicio aliorum subiectum. Sed hoc modo, responderet s. Hieronymus, quod occasio schismatum minime tolleretur. Additque s. doctor memorabilem illam sententiam, quod salus Ecclesiae pendet a dignitate pontificis, cuius potestas si non est *eminens* sive suprema, Ecclesia schismatibus implebitur, et sic salus non erit in Ecclesia: *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacrdotes* [1]. Idem dixit s. Cyprianus quando dixit: *Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt schismata, quam indè quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur; cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret* [2]. Et notentur praesertim haec postrema verba: *cui si obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret;* significant quod cum supremo capiti non obeditur, nec etiam inferioribus praelatis obedientia servatur. Utinam hoc experimento comprobatum non fuisset! Vide alia maxime notabilia ad idem propositum concernentia, quae in sequenti capitulo dicentur.

12. Sed antequam praesens capitulum terminemus, dicamus aliqua de iudiciaria pontificis potestate quam Febronius (ut retulimus) fere totaliter abolere nititur. Asserit quod papa primatum iurisdictionis, de quo nunc gaudet, non obtinuit nisi per usurpationem; quae usurpatio ex falsis isidorianis decretalibus causam habuit. Ergo (dicemus) verum non est quod Christus Ecclesiae adsistit, ut pollicitus est, cum permiserit quod Ecclesiae gubernium subverteretur, sinens ut illa regeretur per tam longum tempus ab eo qui vera regendi iurisdictione carebat? Sed vere Dominus ecclesiae suae adest et semper adfuit, primatus enim pontificis impraesentiarum idem est ac olim ante Isidori decretales erat; et ideo a concilio lateranensi III ecclesia romana appellata fuit *mater universorum fidelium.* Quamvis autem Ecclesia habeat quidem leges naturales et divinas, quibus utique uniformare se debet, nihilominus etiam

(1) In dial. contr. Luciferian. n. 9.

(2) Lib. 1, ep. 3 ad Corn.

necessarium est ut, iuxta circumstantias rerum et temporum, plures alias leges promulget quae ad observantiam ipsarum divinarum legum conferunt. Ad servandam enim unitatem fidei et doctrinae, duo requiruntur, ut scripsit Caelestinus papa, dicens: *Et quae coërcenda sunt, resecemus; et quae observanda sunt, sanciamus* [1]. Atque ad haec requiritur iudiciaria potestas, qua usque ab antiquis temporibus pollet romanus pontifex: *Quatenus beatissimus romanae civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide ac sacerdotibus iudicare*. Ita scripsit imperator Valentinianus ad Theodosium [2]. Et ven. Beda scripsit: *Ideo b. Petrus... specialiter claves regni coelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit* [3]. Omnibus apostolis potestas ferendi leges collata fuit a Christo cum ipsis dixit: *Quaecumque alligaveritis super terram etc.* [4]. Ligare enim utique importat leges ferre et obligare, prout, reapse fecerunt apostoli iuxta id quod habetur in Act. Apost. [5]: *Perambulabat (Paulus) autem Syriam et Ciliciam, confirmans ecclesias, praecipiens custodire praecepta apostolorum et seniorum*. Haec vero ligandi potestas principaliter tradita fuit Petro verbis illis: *Et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcumque ligaveris super terram etc.* [6]. Theodosius et Valentinianus, augusti, hanc constitutionem ediderunt, ubi dictum fuit: *Ne quid... liceat contra consuetudinem veterem sine viri ven. papae urbis aeternae auctoritate, sed hoc illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit, vel sanxerit apostolicae sedis auctoritas* [7]. Item Carolus magnus in suis capitularibus dixit: *Honoremus romanam et apostolicam sedem... ut licet vix ferendum ab illa s. sede imponatur iugum, tamen feramus et pia devotione toleremus*.

(1) Tom. 1, ep. rom. pontif., col. 1066.
(2) Vide tom. 1 oper. s. Leon. epist. 55.
(3) Hom. in festo ss. Petri et Pauli.
(4) Matth. 18, 18.

CAPITULUM VII.

Pergitur demonstrare auctoritatem pontificis esse supremam; et falsum esse episcopos æqualem ac papam in Ecclesia potestatem habere.

1. Febronius [8], hunc titulum praemittit: « Episcopatus in Ecclesia unus est, et omnibus episcopis certo modo communis. » Deinde scribit Christum commisisse apostolis, ut opus nostrae salutis a se inceptum ipsi prosequerentur, et ideo aequalem auctoritatem quam tradidit Petro, eis quoque est impertitus cum potestate assumendi ad idem opus perficiendum alios ministros simili auctoritate munitos. Hinc sic ait: « Ex his consequens est omnes episcopos in sua institutione, praeveniendo omnem humanam ordinationem, esse in potestate gubernandi Ecclesiam aequales non tantum quoad ea quae ordinis sunt, sed et quae iurisdictionis, in quantum haec ad Ecclesiae regimen spectant; constat enim, successorem in iura sui praedecessoris succedere, nisi ostendatur haec in successore restricta esse. » Pergit deinde dicens episcopos, quoad ea quae pertinebant ad apostolos ut apostolos, nempe ad dona linguarum, miraculorum et similia, eis non successisse; successisse vero

(5) 15, 41.
(6) Matth. 16, 19.
(7) Tom. 1 oper. s. Leon. col. 643.
(8) Cap. 3 in § 1.

quoad ea quae ipsis spectabant ut episcopis: unde concludit quemlibet episcoporum aequalem universi curam sustinere, et unum episcopatum a pluribus geri; cum potestas clavium tradita sit (inquit) « universitati Ecclesiae, ut illa per eius ministros pro sua cuiusque portione, ac inter hos per summum pontificem exerceatur. »

2. Postmodum [1], dicit quod, facta proinde dioecesum divisione (quam asserit incoepisse usque ab apostolis), mansit illa solidaria sollicitudo et obligatio primorum pastorum, sed sine praeiudicio iurium aliorum episcoporum in dioecesibus ipsis attributis. Insuper inquit [2], quod « adscriptio episcoporum ad certum populum non impedit quominus omnes ipsi vocari censeantur ad impendendam fidelibus pastoralem curam, dum id salus populi exigit. » Idque probat textu s. Cypriani: *Episcopatus unus, cuius a singulis pars in solidum tenetur* [3]. Et hac sententia fretus, novus hic Ecclesiae moderator Febronius vult quod episcopi et papa unum episcopatum in toto orbe christiano, unusquisque pro sua portione, exerceant. Oportet igitur sedulo perpendere auctoritatem s. Cypriani, ut verum s. doctoris percipiamus sensum, qui longe abest a sensu Febronii, ut videbimus.

3. S. Cyprianus in suo celebri opere *de unitate Ecclesiae* scribit quod Satanas *haereses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, scinderet unitatem*. Haereses autem has et schismata dicit oriri ex eo quod *ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur*. Ad removendas igitur haereses et schismata opus est pervenire ad originem, sive caput ecclesiasticae potestatis. Qualis autem sit haec origo et caput, audiamus eundem s. Cyprianum sic docentem: *Loquitur Dominus ad Petrum:* Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam: et tibi dabo claves regni coelorum; et quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis: et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis. *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit:* Pasce oves meas. *Super illum unum aedificat Ecclesiam et illi pascendas mandat oves suas. Quamvis apostolis post resurrectionem suam parem tribuat potestatem, et dicat:* Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum; cuius remiseritis peccata, remittentur illi; si cuius tenueritis, tenebuntur; *tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et caeteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur*. Sic habetur in editione s. Cypriani facta a Paulo Manutio anno 1563. Idem autem textus habetur in decreto Gratiani [4], resecatis tantum infra aliquibus verbis. Declarat igitur hic s. Cyprianus quod Dominus, ut unitatem Ecclesiae demonstraret, disposuit quod principium (principium nempe ecclesiasticae potestatis) proficisceretur seu manaret ab

(1) In c. 3, § 3.
(2) C. 7, §. 1, n. 4.
(3) De unit. Eccl. cap. 7.
(4) Caus. 24, q. 1, can. 18.

unitate (quae multiplicitati contraponitur) sive ab uno capite; nam si manaret a multiplicitate, idest a multiplici capite, Ecclesia non amplius esset una, sed multiplex et divisa, nec unitas eius amplius servari posset. Itaque unitas Ecclesiae pendet ab unitate principii sive capitis: et ideo s. Cyprianus eodem loco comparat principium unitatis Ecclesiae ad unum lumen solis, ex quo multi radii prodeunt: ad unam radicem, ex qua manant multi rami: ad unum fontem, ex quo plures rivi defluunt; ita ut omnis vigor radiorum, ramorum et rivorum ab uno sole, ab una radice et ab uno fonte derivetur.

4. Id certum est: sed quaeritur quodnam sit huiusmodi unitatis Ecclesiae principium sive caput cui suprema potestas tradita sit? Febronius contendit traditam esse universitati Ecclesiae; unde [1], scribit: « Cum itaque Ecclesia ipsa principaliter et radicaliter obtineat potestatem clavium, quae ab illa in omnes eius ministros ipsumque summum pontificem derivatur, et singulis quibusque pro sua portione communicatur etc. » Ac proinde infert unumquemque episcopum de proprio iure universalis ecclesiae curam habere: idque deducit ex illa sententia Cypriani: *Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur*. Quapropter [2], ait: « Inde nata pervulgata illa apud Cyprianum notio: *Episcopatus unus etc.* » Sed s. Cyprianus evidenter oppositum docet loco supra relato: nam ibi dicit non Ecclesiam, sed Petrum fuisse constitutum a Christo principium unitatis, super quod Ecclesia est aedificata, inquiens: *Super unum (Petrum) aedificat Ecclesiam.* Addit quod licet Dominus omnibus apostolis aequalem potestatem tribuerit, tamen, ad manifestandam unitatem Ecclesiae, unam sedem Petri constituit, ut huiusmodi unitatis origo ab uno, scilicet a Petro, inciperet: *Quamvis apostolis parem potestatem tribuat etc., tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram (doctrinae tenendae) constituit, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Deinde subdit: *Hoc erant utique et caeteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur.* Quid clarius? Ergo primatus potestatis ad hoc datus fuit Petro, ut ab hoc uno principio potestas aliis Ecclesiae ministris communicetur, et sic una ecclesia et una cathedra monstretur. Unitas ergo Ecclesiae derivatur ab unitate cathedrae Petri. Hinc ait Bellarminus: « S. Cyprianus sedem Petri comparat capiti, radici et fonti: sicut autem in omni corpore virtus membrorum derivatur a capite, in arbore virtus ramorum oritur a radice, in omni rivo aqua fluit a fonte; sic in Ecclesia omnis episcopus dependet a papa, qui est caput, radix et fons potestatis. » Hinc s. Bernardus ad Mediolanenses [3], scripsit: *Romana ecclesia alios (nempe episcopos) potest deprimere, alios sublimare; ita ut de episcopis archiepiscopos creare liceat, et e converso.*

5. Natura unitatis est quod una adsit ecclesia, a qua omnes aliae ecclesiae circa doctrinam fidei pendere debeant, ut sic una fides in

(1) Cap. 1, § 6, n. 3.
(2) Cap. 3, § 1, n. 2.
(3) Epist. 131.

omnibus perpetuo servetur. Haec una ecclesia ex qua oritur unitas ecclesiastica utique est romana, ut scribit s. Cyprianus: *Ad Petri cathedram atque ad ecclesiam* PRINCIPALEM, *unde unitas sacerdotalis exorta est* [1]. Unde s. Irenaeus, de eadem romana ecclesia loquens, dixit: *Ad hanc enim ecclesiam, propter potentiorem* (legunt alii *potiorem*) PRINCIPALITATEM *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles* [2]. Nota: *propter potentiorem principalitatem;* ergo romana ecclesia non tantum aliquam habet praeeminentiam, ut vult Febronius, sed praeeminentiam principalem, *ad quam necesse est* (nota, non dicit expedit aut decens est, sed *necesse est*) *omnem convenire Ecclesiam.* Quapropter ecclesia romana vocatur *centrum unitatis,* in quo nomine etiam Febronius convenit: *Hanc* (nempe sedem romanam) *caput esse aliarum ecclesiarum et centrum unitatis nemo catholicorum negat* [3]. Quid significat *centrum unitatis?* Significat quod sicut omnes circumferentiae lineae in centro uniuntur, sic in iudicio ecclesiae romanae omnes ecclesiae uniuntur et quiescunt. Propterea ait s. Cyprianus quod ex separatione a cathedra Petri, quam vocat *caput et originem veritatis,* haereses ortum habuerunt: *Et cum haereses et schismata nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt,* VERITATIS CAPUT *atque* ORIGINEM *reliquerunt* [4]. Et alibi dicit: *Qui Petri cathedram deserit, in Ecclesia non est* [5]. Ac proinde scripsit s. Leo, Christum super Petrum Ecclesiam aedificasse, *ut aeterni templi aedificatio in Petri soliditate consisteret; hac ecclesiam suam firmitate corroborans, ne portae contra illam inferi praevalerent* [6]. Ad unitatem igitur doctrinae et fidei in tota Ecclesia servandam, unum romanum pontificem *veritatis caput* (iuxta s. Cyprianum) Dominus constituit, ut ipse universam regat Ecclesiam, omnesque fideles et episcopi ab ipso pendeant ac in eius iudiciis quiescant.

6. Sed instat Febronius. S. Cyprianus ait: *Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.* Quid denotat, inquit, illud *in solidum tenetur,* nisi quod singuli totius episcopatus Ecclesiae curam habent? Sic intelligit Febronius textum illum; sed non sic intelligunt card. Bellarminus, p. Mamachius et alii communiter, imo nec etiam p. Natalis Alexander [7]. Dixit s. Cyprianus *in solidum teneri,* sed non dixit a singulis *in solidum teneri* aequaliter. S. doctor ibi non aliud dicere voluit quam omnes episcopos unum componere corpus quo universa regitur Ecclesia, ita ut omnes integrum episcopatum regant, sed unusquisque pro sua parte; si enim s. Cyprianus sentiret quemque episcopum totius Ecclesiae curam habere, utique dixisset: *Episcopatus unus, qui totus a singulis in solidum tenetur:* sed dixit: *cuius a singulis in solidum pars tenetur.* Omnes igitur tenent unum episcopatum in solidum, sed unusquisque illum pro sua portione regit: et omnes ab uno capite pendent, sicut omnes radii ab uno sole manant, ut sic Ecclesiae et fidei unitas servetur. Dicit autem *in so-*

(1) Epist. 4 ad Cornel.
(2) Lib. 3 advers. haer. cap. 3, n. 2.
(3) Cap. 3, § 8.
(4) Ed. ven. anni 1728. col. 400.
(5) De unit. Eccl.
(6) Epist. 10, ed. Ballerin. col. 631.
(7) Hist. eccl. diss. 4, sec. 1, § 3, obiect. 7.

lidum, quia etsi unusquisque curam habet suae partis, tamen simul aliorum partes tenet *in solidum*, in quantum quisque episcopus vinculo mutuae unionis, non quidem obligationis, cum aliis tam debet esse coniunctus ut, ubi necessarium est, bono aliarum partium et totius ovilis, cum possit, providere teneatur. Omnibus enim cuiuscumque corporis membris insita est obligatio ut unum occurrat ad impediendum damnum alterius, et tanto magis totius corporis, ubi aliter detrimentum reparari non possit. Hoc ipsemet s. Cyprianus exprimit in sua *epistola 68*, *al. 67*, *ad Stephanum*, in qua scribit: *Copiosum corpus est sacerdotum, concordiae mutuae glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut, si quis ex collegio nostro haeresim facere et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, subveniant caeteri... Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, et oves universas, quas Christus sanguine suo et passione quaesivit, colligere et fovere debemus*. Idem expressit s. Augustinus [1], ubi sic scribit: *Communis est nobis omnibus qui fungimur episcopatus officio (quamvis ipse in eo celsiore fastigio praeeminens) specula pastoralis. Facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus, adiuvantibus orationibus tuis, dare dignatur, ut pestilentibus et insidiantibus eorum scriptis medentia et munientia scripta praetendam*. Sic igitur s. Cyprianus et s. Augustinus explicant, quemcumque episcopum teneri ad reparandum damnum fidei, ubi opus est, et ad tuendam unitatem Ecclesiae. Hoc ipsum satis declarat s. Cyprianus eodem loco ubi profert laudatam sententiam illam, quae pluries a Febronio affertur in medium: *Episcopatus unus est, cuius a singulis pars in solidum tenetur*. Ibi enim s. doctor probare vult, Ecclesiam esse unam, quia unam fidem omnes profiteri et defendere tenentur; hinc ait: *Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit?... quando b. apostolus Paulus hoc idem docet et sacramentum unitatis ostendit, dicens:* Unum corpus et unus spiritus: una spes vocationis vestrae: unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. *Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus maxime episcopi qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum ipsum unum atque indivisum probemus etc. Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt..., unitas tamen servatur in origine etc.: sic et ecclesia Domini, luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit..., unum tamen caput est et origo una.* Patet igitur in hoc loco s. Cyprianum nihil aliud significare velle quam omnes fideles, et maxime episcopos, teneri ad tuendam ac observandam unitatem fidei et doctrinae, ut unitas Ecclesiae servetur; ac propterea omnes a romano pontifice, tamquam capite et origine unitatis, pendere debent.

7. Observo autem quod Febronius [2] sic scribit: « Diximus [3], claves a Christo non uni apostolo,

(1) Lib. 1 contra duas epist. Pelag. cap. 1 ad Bonif. pont.

(2) Cap. 3, § 1 in principio.

(3) Cap. 1, § 1.

sed corpori Ecclesiae datas esse, primario gerendas per apostolos, quibus omnibus et singulis Dominus eas tradidit immediate, ita ut quilibet horum aequalem in eis partem habuisse credatur, non quidem (nota) quoad externum et politicum regimen, sed quoad primam et essentialem religionis partem, christianae videlicet fidei seu doctrinae propagationem et conservationem. » Apostoli igitur, ut hic ait Febronius, non habebant aequalem partem *quoad externum regimen Ecclesiae;* quomodo autem dicit alibi, ut notavimus sub initio huius capituli, quod episcopi, tamquam apostolorum successores, « sunt in potestate gubernandi Ecclesiam aequales (pontifici), non tantum quoad ea quae ordinis sunt, sed et quae iurisdictionis, in quantum haec ad Ecclesiae regimen spectant? » En quomodo Febronius in suo falso systemate cogitur quandoque sibimet contradicere. Sic evenit eis qui falsis principiis nituntur; facile in contradictiones incidunt.

8. Sed ipse sibi fingat, et constituat sicut vult statum et regimen Ecclesiae: nunquam inficere poterit veritatem quam concilia et patres docent, nempe quod suprema potestas in Ecclesia sit a Christo tradita Petro (eiusque successoribus) tanquam capiti, radici et fonti, ex quo illa deinde in alios episcopos diffunditur, ut clare vidimus doceri a s. Cypriano in loco citato et in pluribus aliis confirmatur ac clarius explicatur; nam in *epist. ad Iubaian.* sic loquitur: *Nos Ecclesiae unius caput et radicem tenemus etc.: nam Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, et unde* (idest a quo Petro) *universitatis originèm instituit et ostendit, potestatem istam dedit.* Omnis igitur ecclesiastica potestas collata est Petro tamquam origini universitatis Ecclesiae, et ex eo communicatur aliis. In alio loco dicit: *Petri cathedra et ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est etc.* [1]. In alio loco dicit: *Ecclesia, quae una est, super unum, qui claves eius accepit, voce Domini fundata est* [2]. In alio loco dicit: *Qui Petri cathedram deserit in Ecclesia non est* [3]. In alio loco dicit (et hic patenter explicat supremam pontificis potestatem eiusque infallibilitatem): *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una, super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri, praeter unum altare et unum sacerdotium, non potest.* Et terminat: *Quisquis alibi collegerit, spargit.* [4]. Itaque iuxta s. Cyprianum, tota Ecclesia regitur et pendet a cathedra Petri; nam sicut unus est Christus, et una Ecclesia sic est una cathedra, nimirum Petri, in qua est vera doctrina fidei, et extra quam qui colligit, spargit. Et invenio Iansenium eadem verba scripsisse in *cap. 29* sui libri prooemialis, ubi, postquam protestatus est se ecclesiam romanam sequi et Petri successorem, scribit: *Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio; quicumque cum illa non colligit, spargit.* Apud aliquos forte haec auctoritas Iansenii maioris ponderis erit quam illa s. Cypriani. Una igitur est cathedra, nempe illa quae est super Petrum fundata, extra quam omnes qui sunt, extra

(1) Lib. 1, Ep. 55 ad Cornel.
(2) Epist. ad Iubain.
(3) De unit. Eccl.
(4) Lib. 1, epist 8. ad Pleb.

viam salutis incedunt, iuxta oraculum Domini: *Qui non congregat mecum, spargit* [1].

9. Idem confirmatur a s. Optato milevitano [2]: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram esse collatam, ubi sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus: in quo uno cathedrae unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut iam schismaticus et impius esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret.* Et ad declarandum hanc cathedram esse ecclesiam romanam, s. Optatus subdit: *Ergo cathedra unica, quae est prima de dotibus. In ea sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens etc.* Quid apertius? Dicit itaque s. Optatus in hac unica cathedra Petri unitatem Ecclesiae servari, atque schismaticum et impium esse qui aliam cathedram collocaret. Idem scripsit s. Pacianus episcopus barcinonensis [3]. *Ante passionem suam dixerat Dominus apostolis:* Quaecumque ligaveritis etc. *Ad Petrum locutus est Dominus: Ad unum ideo ut unitatem fundaret ex uno; mox id ipsum in commune praecipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit:* Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Nota: *Ad unum ideo ut unitatem fundaret ex uno.* Quomodo Christus ex uno unitatem Ecclesiae et doctrinae fundaret, si omnes episcopi auctoritatem in Ecclesia aequalem ac pontifex haberent? Idem brevi eloquio docuit s. Augustinus [4], ubi dixit: *In ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant apostoli, at uni dicitur:* Pasce oves meas. - Propterea igitur soli Petro Dominus suum ovile commendavit, ut in eo unitas doctrinae servaretur; sed, ut haec unitas doctrinae servaretur, non erat satis qualiscumque praesidentia, sed oportebat ut Petrus supremam et eminentem praesidentiam haberet, prout inquit s. Hieronymus; nam aliter schismata non evitarentur: *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes* [5]. Adverte hanc *eminentem potestatem* datam esse non universitati Ecclesiae, ut ex sua nova doctrina vult Febronius, sed summo sacerdoti, ex cuius dignitate docet s. doctor salutem Ecclesiae pendere.

10. Opponit Febronius auctoritatem s. Augustini [6], ubi scribit Christum non soli Petro, sed toti Ecclesiae claves tradidisse: *Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiae .. Audite in alio loco, quid Dominus dicat apostolis suis:* Accipite Spiritum Sanctum; *et continuo:* Si dimiseritis peccata, dimittentur *etc.* Eodem modo loquitur Beda [7]: *Omni igitur electorum Ecclesiae, iuxta modum culparum vel poenitentiae ligandi atque solvendi datur auctoritas.* Idem dicunt s. Fulgentius et s. Cyrillus Alexandrinus apud Febronium. Sed respondemus praelaudatos patres ibi de absolvendi facultate loqui; et nulli dubium hanc facultatem non tantum ad pontificem, sed etiam ad omnes episcopos pertinere, tamquam eorum characteri episcopali

(1) Matth. 12, 30.
(2) Lib. 2 contra Parmenianum.
(3) Epist. 3, n. 11. (4) Serm. 46, cap. 13.
(5) In dial. contra Luciferian. n. 9.
(6) Serm. 118 de divers. cap. 2.
(7) In homil. de ss. Petr. et Paul.

intrinsecam: sed haec eadem facultas est ac semper fuit pontifici subordinata, in quantum pontifex potest eam limitare, sicut a tridentina synodo [1] expressum fuit: *Unde merito pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* Et ad hoc comprobandum plures canones ibi citantur, *cap. Ita quorumdam, de Iudaeis; cap. Conquesti, de sent. excomm.;* et alii.

11. Febronius alium s. Augustini textum adducit [2], ubi s. doctor generice loquitur de tota ecclesiastica potestate, et dicit: *Unus pro omnibus dicit:* Tu es Filius Dei vivi; *et propter hoc claves cum omnibus, tamquam personam gerens Ecclesiae, accepit; ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus,* Sed quid Febronius ex his verbis inferre unquam poterit? S. doctor inquit: *Petrus accepit claves cum omnibus:* profecto; nam ipse solus sine aliorum ministerio Ecclesiam universam gubernare non valebat. Subdit postea: *Quia unitas in omnibus;* maxime, quoniam Ecclesiae unitas in unione membrorum cum capite consistit, sed servata semper debita subiectione quam membra capiti praestare tenentur, dum a capite membris virtus communicatur. Verumtamen s. Augustinus per huiusmodi sententiam equidem non intellexit asserere quod membra in potestate capiti sunt paria; et tanto minus quod caput subiicitur membris cum membra simul congregantur. Pluribus enim locis iam superius relatis s. doctor supremam potestatem quam papa super universam obtinet Ecclesiam satis declaravit. In uno loco dixit: *In ea (ecclesia romana) semper apostolicae cathedrae viguit principatus* [3]. In alio dixit: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, in ordine illo patrum quis cui successerit videte; ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae* [4]. En clare descripta a d. Augustino sedis romanae infallibilitas, quae cum suprema potestate necessario coniuncta esse debet. In alio loco idem confirmavit expresse docens: *In verbis apostolicae sedis tam antiqua atque fundata, certa et clara est catholica fides ut nefas sit de illa dubitare christianis* [5]. Praeterea id pariter declaravit exemplo damnationis pelagianorum; etenim [6] scripsit: *Per papae rescriptum pelagianorum causa finita est, totoque orbe post eius damnationem damnati sunt, ac litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est.* Nota: *post eius damnationem;* damnatio igitur a pontifice prodita erat illa quae omnem *dubitationem* auferebat. Hinc scripsit s. Pelagius papa, citans s. Augustinum, qui opinionem difformem doctrinae apostolicae sedis appellabat schisma: *Contra apostolicam sedem temere credentes pessima dividit opinio; quod schisma specialiter esse denuntiat Augustinus* [7].

12. Item Febronius opponit auctoritatem ven. Bedae, qui [8] ita scribit: *Claves regni coelorum Petrus, tamquam personam gerens ipsius unitatis, accepit.* Equidem, respondemus, Petrus, ut caput Ecclesiae, repraesentabat Ecclesiae

(1) Sess. 14, cap. 7.
(2) In tract. 118.
(3) Ep. 162.
(4) In Psalm. contra part. Donat.
(5) Epist. 157.
(6) Lib. 2, cap. 3 contra duas epist. Pelag.
(7) Can. Quoniam, caus. 24, q. 1.
(8) In cap. 19 Matthaei.

unitatem, scilicet Ecclesiam universam unitam, pari modo quo rex universum suum regnum repraesentat. Hoc idem scripsit etiam divus Augustinus [1]: *Petrus...*, *propter ipsam personam quam totius Ecclesiae solus gestabat*, *audire meruit:* Tibi dabo claves, *etc.* Errat Febronius cum Ludovico Dupino asserens supremam potestatem, iuxta hic allatas sententias Bedae et Augustini, apud Ecclesiam existere atque ab Ecclesia papae communicari: errat, dico; nam idem Augustinus Petrum non tamquam simplicem Ecclesiae ministrum, sed ut principem illius et caput, Ecclesiam repraesentantem reputavit, sicut rex omnes suos subditos repraesentat. En quomodo s. doctor id declarat in *Ps. 108*, ubi scribit Petrum in tantum Ecclesiam repraesentare, in quantum ipse Ecclesiae primatum habet: *Quaedam dicuntur quae ad apostolum Petrum proprie pertinere videantur*, *nec tamen habent illustrem intellectum*, *nisi cum referuntur ad Ecclesiam*, *cuius ille agnoscitur in figura gestare personam propter primatum quem in discipulis habuit; sicut est:* Tibi dabo claves, *etc.* En quomodo s. doctor coniungit primatum Petri super discipulos cum repraesentatione Ecclesiae; ideo enim Petrus repraesentabat Ecclesiam, quia in ipso erat tota Ecclesiae potestas quae in primatu erat. Et revera scribit p. Natalis Alexander (quamvis hic auctor sit unus ex maximis pontificiae potestatis oppugnatoribus) hanc esse d. Augustini sententiam, nempe quod Petro claves traditae fuerunt non quidem tamquam Ecclesiae legato, sicut regius orator claves alicuius civitatis nomine sui regis accipit, sed tamquam rectori et capiti Ecclesiae, sicut princeps ensem accipit nomine populi quem defendere obligatur. En verba p. Natalis: « Petro non sunt collatae claves nisi tamquam Ecclesiae legato, nego: ut Ecclesiae supremo post Christum (*nota* supremo) et sub Christo, rectori ac moderatori, concedo. Illius itaque propositionis duplex potest esse sensus: primus quod s. Petrus Ecclesiae nomine claves acceperit, quemadmodum regius orator nomine regis alicuius civitatis claves accipit, in quam propterea nullam habet potestatem; at nequaquam ita est secundus quod Ecclesiae nomine claves acceperit ut illius rector et moderator, quomodo princeps populi nomine gladium accipit, et ad eius tuitionem regni splendorem convertere tenetur; quo sensu s. Petrum claves nomine Ecclesiae accepisse dixit s. Augustinus. » Sic scribit p. Natalis Alexander [2]. En quomodo ipsi adversarii nequeunt aliquando non pandere veritatem. Hinc quidam doctus auctor modernus, loquens de eo quod dixit Dupinus, nempe quod in Ecclesia communicatur potestas aeque episcopis quam pontifici: « Haeresim porro (ait) et schisma sapiunt assertiones istae. » A capite ad membra, non vero a membris ad caput, virtus fluit; idcirco scripsit Tertullianus: *Si adhuc coelum putas clausum*, *memento claves Dominum Petro*, *et per eum Ecclesiae reliquisse* [3].

13. Sed instat Febronius, concilium Tridentinum, tractans de indulgentiis, docere potestatem traditam esse Ecclesiae: *Cum potestas Ecclesiae concessa sit etc.* [4]. Dicit:

(1) Serm. 118, cap. 2.

(2) Saec. 1, diss. 4, sect. 1, § 3.
(3) Lib. Scorpiac. cap. 10. (4) Sess. 25, c. 21.

« *Ecclesiae concessa sit »;* sed peto: quid est Ecclesia? S. Cyprianus instruit: *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata et grex pastori suo adhaerens* [1]. Ecclesia corpus est compositum ex omnibus fidelibus inter se coëuntibus, et pontifici eorum capiti adhaerentibus, cuius sedes est tamquam centrum cui omnes aliae ecclesiae coniungi tenentur, prout scripsit Renatus Massuetius [2], sic concludens: *Haec* (*ecclesia romana*) *caeterarum caput, cui arctissime adhaerere tenentur omnes.* Maxime quia Christus Petro principalius clavium potestatem contulit, ut ab ipso illa postmodum participaretur et ad alios transiret, ut scripsit s. Thomas: *Dominus soli Petro promisit claves regni etc., ut ostenderet quod potestas clavium erat per eum ad alios derivanda.* Idque prius scripsit s. Optatus milevitanus: *Bono unitatis b. Petrus..., praeferri apostolis omnibus meruit; et claves regni coelorum, communicandas caeteris, solus accepit* [3]. Dixit *communicandas*, non quidem immediate a Christo, ut vult Febronius, sed a b. Petro; nam ipsemet s. Optatus alibi iam scripsit (ut notavimus *c. 7, n. 7*) s. Petro tamquam capiti Ecclesiae traditam esse a Domino cathedram singularem, ut in illa unitas doctrinae et Ecclesiae servaretur; ita ut schismaticus et impius reputaretur qui aliam cathedram adversus cathedram Petri collocare tentaret. Sentit igitur d. Optatus clavium potestatem a s. Petro aliis distribuendam fuisse, prout iampridem Tertullianus mox supra citatus scripsit: *Claves Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse.*

(1) Epist. 69 ad Florent.
(2) Apud eumdem Febronium c. 2, § 5, n. 2.
(3) Lib. 7 adv. Parmenian. c. 3.

14. Sic etiam scripsit Innocentius I [4], anno 404, ad episcopos africanos in tertio concilio carthaginiensi adunatos: *A Petro ipse episcopatus et tota huius nominis auctoritas emersit.* Ita etiam scripsit s. Leo [5]: *Dicitur beatissimo Petro:* Tibi dabo claves etc. *Transivit quidem etiam in alios apostolos ius potestatis istius, et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma praeponitur.* Nota verba: *transivit, commeavit.* Et in eodem sermone s. Leo addidit: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, ut firmitas quae Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur.* Et in epist. 89 scripsit: *Ut in b. Petro principaliter (primatum) collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Propterea papa creans episcopos dicit ex antiqua consuetudine: *Providemus Ecclesiae N. de persona N., et praeficimus eum in episcopum eiusdem Ecclesiae, committentes ei administrationem in temporalibus et spiritualibus.* Unde postea scripsit Duvallius: *Petrus accepit claves Ecclesiae, quia ab illo in reliquos Ecclesiae pastores, tamquam e fonte, capite et radice, erant derivandae* [6]. Ex hoc autem Gerson coactus fuit confiteri, ut supra notavimus, tam ex institutione Christi, quam generalium synodorum et totius Ecclesiae traditione, statum papalem esse vere supremum et monarchicum; et ibi subdidit: *Quem statum quisquis impugnare praesumit per-*

(4) Epist. 24.
(5) De assumt. ad Pontif. etc. serm. 3.
(6) Tract. de sup. rom. pont. potest. p. 1, q. 3.

tinaciter, haereticus est. Et in alio loco [1] idem Gerson dixit: *Plenitudo legis ecclesiasticae non potest esse de lege ordinaria, nisi in summo pontifice formaliter et subiective*. Si ergo ex una parte in summo pontifice est plenitudo legis, quae idem est ac plenitudo potestatis, et ex alia parte si erroneum est dicere quod Ecclesia plura capita habet; ergo pontifex est unicum caput in quo residet plena, suprema et independens potestas. Quomodo autem Gerson, postquam huiusmodi principia statuit, contendere potuit papam concilio subesse, intelligere non valeo.

15. Clerus gallicanus in comitiis anni 1682 inter quatuor celebres illas propositiones istam in quarto loco protulit: *In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi pontificis esse partes, eius decreta ad omnes Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit*. Sed quaerimus: quomodo huiusmodi consensus accedere debet? Alii dicunt tum pontificias definitiones evadere irreformabiles, cum omnium fidelium consensus accedit: alii, saltem cum accedit consensus omnium episcoporum: alii putant unius tantum provinciae consensum satis esse: alii demum requirunt consensum maioris partis episcoporum in orbe christiano degentium, sed haec opinio non arridet Febronio dicenti consensum maioris partis episcoporum non sufficere; quamvis in synodis oecumenicis talis sit consuetudo ut quaestiones per suffragia maioris partis votantium definiantur. His positis, quaeritur quid dicendum, si pontificio decreto pars aequalis episcoporum accedat, et quid, si accedat minor pars, ut saeculo IV accidit, cum sententiae s. Melchiadis papae tantum 18 episcopi orthodoxi adhaeserunt, sed contra alii 400 eam reiecerunt, prout refert Haunoldus [2]. In huiusmodi casibus quis litem dirimet, si unus supremus iudex non agnoscitur qui fidei causas definiendi infallibilem facultatem habeat? Caeterum, error est dicere, episcopos non formare corpus nisi in concilio sint adunati. Scripsit Duvallius [3]: *Est... de fide Ecclesiam non tantum ut congregatam in oecumenico concilio, sed ut diffusam per orbem, errare non posse*. Et facultas parisiensis anno 1644, adversus quemdam librum cui titulus: *Le pacifique véritable*, sic declaravit: *Hae propositiones, in quantum infallibilitatem Ecclesiae universali in nullo alio statu quam in concilio oecumenico congregatae tribuunt..., temerariae sunt, ipsi Ecclesiae iniuriosae et haereticae*. Quapropter, quidquid dicat Febronius, certum est quod sicut in concilio sententia maioris partis episcoporum adhaerentium iudicio pontificis dogma de fide constituit, ita etiam extra concilium. Si autem consensus maioris partis episcoporum sufficit, utique papam esse infallibilem omnes credere tenemur statim ac aliquid circa fidem aut mores ipse definitive decernit; non solum enim maior sed maxima pars Ecclesiae (aiunt Bellarminus et papa Benedictus XIV [4], ut refert Billuard. [5]), excepta Gallia, id tenet et semper tenuit. Aut igitur infallibilitatem pontificis fateri oportet, aut dicere

(1) Lib. de orig. iur., concl. 2.
(2) Introd. ad ius can. p. 162.
(3) De supr. pont. pot. pag. 235.
(4) Epist. ad inquisit. gen. Hispan.
(5) 2, 2, tom. 1, d. 4, art. 5.

quod ecclesia catholica tantum ad Gallorum numerum redacta sit.

16. Dicunt: Ecclesia est corpus Christi mysticum; unde sicut corpus nequit subsistere sine capite, ita caput nequit subsistere sine corpore. Respondetur: nulli dubium quod corpus non potest esse sine capite, nec caput sine corpore: sed hoc in casu nostro non obest, ubi non de corporis constitutione sive integritate, sed tantum de regimine corporis Ecclesiae agitur: constitutio quidem sive integritas corporis importat ut ipsum non sit sine capite nec caput sine corpore; regimen autem corporis Ecclesiae importat ut sicut corpus humanum a mente hominis gubernatur, sic corpus Ecclesiae gubernetur a papa tamquam ab eius capite. Officium igitur capitis, idest pontificis, est regere et docere: officium corporis idest Ecclesiae, est audire et parere: quapropter synodus florentina declaravit *pontificem esse caput totius Ecclesiae et doctorem.*

17. Dicent: si ergo pontificis iudicia sunt infallibilia, eiusque auctoritas suprema est et independens, ad quid concilia deserviunt? Respondetur: ad plura et maxima bona deserviunt; prosunt ut episcopi fortius se adhibeant ad dissidia compescenda; prosunt ad reprimendos contumaces; prosunt ut praelati peritiores reddantur ad populos suos instruendos; prosunt ut pontificiae definitiones ubique manifestentur; prosunt demum ut dogmata fidei diligentius teneantur, sicut scripsit Vincentius lirinensis [1]: *Denique quid unquam aliud (Ecclesia) conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem diligentius crederetur?* Adde quod aliquando pontifices concilia convocant, ut per discussionem in concilio habitam de aliquo dubio fidei ipsi clarius a Spiritu Sancto illuminentur: scripsit enim cardinalis Perona [2], quod papae infallibilitas non consistit in hoc quod ipse semper a Spiritu Sancto necessarium lumen recipiat ut omnes fidei quaestiones decernat, sed in hoc quod in illis, in quibus satis a Deo illustratus se sentit, sine errore iudicet, et alias, in quibus non se sentit sufficienti lumine praeditum, concilio decidendas remittat, ut postmodum suum iudicium proferat.

18. Febronius contendit concilia esse absolute necessaria « propter, ut ait [3], indeclinabilem in materiis fidei auctoritatem illis solis inhaerentem. » Sed communiter theologi docent concilia esse quidem utilia, sed non necessaria; ita Iuveninus [4]; Tournely [5]; Duvallius [6]; et alii: atque facultas parisiensis anno 1663 id expresse declaravit. Infra autem [7], referemus plurimas haereses extinctas fuisse absque concilio et per solas pontificum definitiones; de quarum infallibilitate iniustum est dubitare. Cardinalis de Aguirre [8], p. Petitdidier [9], discurrendo de saeculo in saeculum, ostendunt omnes scriptores christianos pro pontificis infallibilitate semper pugnasse: imo Charlas [10], et p. Serry [11], scribunt praesertim episcopos Galliae et eo-

(1) In suo Commonit. cap. 32.

(2) In sua Perroniana, verb. *Infallibilité.*

(3) pag. 323.

(4) Theol. tom. 5, diss. 4, qu. 3, cap. 1. art. 5, concl. 2.

(5) Tom. 1 de loc. theol. et praesertim de conc., qu. 8.

(6) De supr. rom. pontif. potest. pag. 234.

(7) Cap. 9 n. 3.

(8) In suo lib. Auctoritas etc. tract. 1, disp. 3, 4 et 5.

(9) Diss. hist. et theol.

(10) De lib. eccl. gall. lib. 7, c. 10 et 11.

(11) Append. ad diss. rom. pont.

rum synodos atque parisiensem academiam ac alios theologos gallos pontificiam infallibilitatem semper studiose defendisse. Pro eo scripserunt etiam Ludovicus Bail [1], p. Raynaudus [2], Stephanus Barault, archiepiscopus arelatensis [3], Ioannes Coeffeteau episcopus massiliensis [4], Michaël Mauclerus [5], Thomassinus [6], et alii.

19. Duvallius [7], scripsit: *Velint, nolint adversarii, liquido constat veteres ecclesiae gallicanae proceres hanc in summis pontificibus infallibilitatem semper agnovisse, eosque qui hanc veritatem impugnare conati sunt a ducentis aut circiter annis* (scilicet a tempore Concilii Constantiensis), *quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, coepisse.* Balutius in vita Petri de Marca et M. Antonius Charlas testantur praefatum Petrum in quodam suo tractatu *de infallibilitate papae* demonstrasse opinionem oppositam *ab Ecclesia tolerari tantum.* Praeterea in actu cleri gallicani habito die 20 ian. 1625, *art. 137*, dictum fuit: *Omnes episcopi pariter venerabuntur nomen s. patris papae qui est caput visibile universalis Ecclesiae, vicarius Dei in terris etc., uno verbo successor Petri, in quo apostolatus et episcopatus ortum habuerunt, et super quem Iesus Christus Ecclesiam suam fundavit, ei tradendo coeli claves cum infallibilitate fidei.* Item episcopi congregati in congressu Parisiis celebrato anno 1653 scripserunt deinde Innocentio X, inter alia, haec verba: *Iudicia pro sancienda regula fidei a summis pontificibus lata etc., divina aeque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur.* Hinc Marchio Maffei, *t. 5* sui operis, *Osservazioni letterarie*, non sine fundamento *p. 89* scripsit: « In somma non può mai dirsi che l'inclita nazion francese abbia in oggi, nel punto dell'infallibilità pontificia e della superiorità al concilio, rinunziato concordemente ai sentimenti per tanti secoli professati da' lor maggiori, mentre tanti de' loro più insigni soggetti, e non pochi de' lor più venerabili congressi all'età nostra tenuti, veggiamo così favorevoli all'antica e romana sentenza. » Demum, qui vult plenius noscere quam antiqua et communis fuerit catholicorum sententia de infallibilitate pontificis, percurrat *Bibliothecam pontificiam* p. Ludovici Iacob, editam Lugduni anno 1643; p. Raynaudum in opusculo de hac materia; librum Ludovici Andruzzi sub titulo *Vetus Graecia etc.;* Franciscum Antonium Simeoni, *De Rom. Pont. pot.*, Victorium Amadaeum Soardi, doctorem universitatis taurinensis, *de pont. auct.;* item legat anonimum proditum anno 1682, cui titulus: *Doctrina quam de primatu ac infallibilitate rom. pont. tradiderunt lovanienses theologiae professores tam veteres quam recentiores.*

20. Sed curiosum est audire a Febronio quibusnam conditionibus concilium debeat esse praeditum ut sit vere legitimum et oecumenicum. Ipse [8], ad hoc requirit ut in concilio, ultra episcopos, non solum clerici, sed etiam laici conveniant,

(1) Apparat. ad summ. conc.
(2) Tom. inter eius opera sub titulo: *Pontificiae.*
(3) In suo Clypeo cath. fid.
(4) De sacr. monarch.
(5) De eod. tit.
(6) In sua diss. super concilia.
(7) De supr. pot. etc,. vide loc. cit.
(8) Cap. 6, § 8, n. 12.

quoniam (ut ait) Ecclesia non solum ex episcopis sed etiam ex clericis et laicis componitur. En eius verba: Extra concilium Ecclesia consistit non in solis episcopis, sed in reliquis etiam clericis, imo laicis... Corpus vero ex laicis clericisque compositum fidem, quam tamquam fidele depositum servat, ad nos illibatam transmittit. » Requirit insuper [1], ut pontifex « se eiusdem (concilii) decisionibus agnoscat subiectum. » Hoc igitur est concilium legitimum et absolute necessarium a Febronio requisitum, concilium ex episcopis, clericis et laicis compositum! item concilium cuius *decisionibus pontifex se agnoscat subiectum!* Sed quisnam papa inveniri poterit qui, factus proditor suae sedis et iurium, se ultro submittat decisionibus concilii? Et talis concilii, nimirum ex clericis ac laicis compacti? En concilia noviter adinventa, quibus Febronius universam Ecclesiam reformare nititur!

CAPITULUM VIII.

Respondetur obiectionibus quas Febronius opponit adversus Pontificis potestatem.

1. Ex his brevi me expediam, quia eorum confutatio iam abunde facta est ab aliis, nec multis indiget verbis ut probetur. Febronius supremam papae potestatem se iactat Scripturis, conciliis et patrum scriptis enervare. Sed iam supra [2] vidimus Scripturas luculenter pontificiae auctoritatis eminentiam declarare, iuxta omnium ss. patrum sensum. Videamus nunc Scripturas, quas Febronius obiicit ad ostendendam conciliorum generalium supremam potestatem. Obiicit 1°. illud quod habetur in s. Matthaeo [3]: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum... Quod si autem te non audierit..., dic Ecclesiae.* En, dicit, quomodo Christus praecepit quod, ubi agitur de aliqua re gravi, ad Ecclesiam recursus, non vero ad papam, habeatur. Sed quis non videt textum praefatum non de alio loqui quam de fraternae correptionis praecepto, quod non tantum Petro sed omnibus fidelibus intimatur? Per illud autem verbum - *dic Ecclesiae* - peto, quid nomine *Ecclesiae* intelligitur? Conciliumne generale? Nequaquam: generalia enim concilia raro adunantur; unde ineptum esset censere quod quotiescumque aliquis incorrigibilis peccator denunciandus esset, concilium generale exspectari deberet. Nomine *Ecclesiae* intelligitur praelatus ecclesiae illius in qua peccator degit, ut explicat s. Ioannes Chrysostomus: *Dic Ecclesiae, praesulibus scilicet ac praesidentibus* [4]. Sic etiam explicat Origenes [5], hunc locum Matthaei, cum d. Thoma [6], Euthimio, Theophylacto, Maldonato et aliis. Praeterea dicitur ibi: *dic Ecclesiae;* atque (ut supra notavimus) iuxta s. Cyprianum Ecclesia aliud non est nisi corpus ex omnibus fidelibus compactum qui pastori suo adhaerent: *Ecclesia est plebs fidelium pastori suo adhaerens.* Quomodo igitur ex hoc textu papam subesse concilio inferri potest?

2. Obiicit 2° illud aliud Matthaei [7]: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et sic contendit

(1) Cap. 6, § 3.
(2) Cap. 1, 2 et 3.
(3) Cap. 18, vers. 16 et 17.
(4) Hom. 61 in Matth.
(5) Tom. 13.
(6) 2, 2, qu. 35, art. 2.
(7) Cap. 18, v. 20.

Febronius supremam conciliorum auctoritatem supra papam probare. Respondeo primo, non posse intelligi universe dictum quod ubi sunt plures in nomine Christi congregati, eorum definitiones sint infallibiles; sic enim infallibiles essent definitiones etiam conciliorum provincialium, et adhuc synodorum episcopalium, quae in nomine Christi omnes quippe congregantur. Refert Bellarminus adhuc Calvinum sentire quod praefatus textus minime probat pro infallibilitate concilii; nam verba illa (ut ait) etiam particulari coetui conveniunt. Non sic, replicabit Febronius ; ea conveniunt tantum conciliis generalibus. Sed quis de hoc certos nos facit? Certum est Dominum oecumenicis conciliis adsistere ne errent, et ideo eorum canones sunt infallibiles. Sed, ut infallibiles sint, necesse est ut synodi congregentur in nomine Christi, idest auctoritate Christi, videlicet auctoritate sui vicarii visibilis pontificis romani; et tunc omnes episcopi congregati merito dicere possunt habere assistentiam Spiritus Sancti, quia tunc Spiritus Sanctus tam pontifici quam universo concilio utique adest. At si concilium hoc sine pontificis auctoritate congregatum sit, nec ab ipso saltem confirmatum, quid aliud hoc concilium erit, nisi corpus mancum, membra sine capite? Notavimus supra eadem concilia generalia declarasse papam plenam potestatem habere super universam Ecclesiam, uti dictum fuit in concilio nicaeno I, vide *cap. 4, n. 2;* et in concilio florentino, vide *in eodem cap. 4, n. 10*. Item in concilio lugdunensi .II dictum fuit: *Dubia fidei a papa definiri debere;* vide in *eod. cap. 4, n. 6.*

3. Obiicit 3° illud quod dixerunt apostoli in concilio hierosolymitano: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*[1]. En, dicit, quod in conciliis generalibus Spiritus Sanctus omnibus episcopis assistit, ut infallibilia sint quae ibi decernuntur. Repetimus quod supra diximus: perspectum est et certum, quod cum episcopi simul cum papa in concilio aliquod dubium circa fidem definiunt, tunc omnibus Spiritus sanctus suam assistentiam praestat; sed hoc non tollit quod a papa, tamquam capite supremo, in concilio dogmata tenenda definiantur, quandoquidem suprema auctoritas in papa residet, sive in concilio sive extra concilium sit. Idque ab eodem contextu relatae Scripturae constat: nam in illo concilio s. Petrus principalis definitor quaestionis fuit, cum ipse tamquam concilii superior, silentium omnibus indixit et, omne dubium in oppositum reprobando, dixit: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere... Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum etc.* [2]. Itaque s. Petrus ostendit tunc ipsi soli a Deo auctoritatem traditam fuisse docendi gentes de his quae credere debebant; nota: *audire verbum Evangelii et credere.* Dicet Febronius: sed si in concilio Spiritus Sanctus omnibus adstat et papae et episcopis; ergo auctoritas suprema et infallibilitas non in solo papa est, sed in toto concilio. Respondetur quod cum in Ecclesia una sola adsit suprema potestas, dum episcopi in concilio una cum pontifice concurrunt, non est quod episcoporum auctoritas praeemineat super illam quam papa etiam extra

(1) Actor. 15, 28. (2) Act. 15, 7 et 10.

concilium habet, nec fit eo casu quod duae distinctae auctoritates in concilio adsint, una pontificis, altera concilii; sed evenit quod eadem auctoritas suprema papae tunc ad alios concilii patres extenditur et communis efficitur; ac ideo tunc bene omnes dicere valent: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Verum tamen salvum semper remanet quod suprema potestas in papa residet.

4. Instat Febronius: sed s. Gregorius scripsit quod ipse primis quatuor generalibus conciliis eamdem venerationem ac quatuor evangeliis profitebatur; ergo s. Gregorius non in pontifice, sed in concilio superioritatem et infallibilitatem residere agnoscebat. Febronius rectas propositiones praemittit, sed improbas deducit illationes. Quis dubitat quod legitima concilia oecumenica eumdem respectum merentur quem exigunt Evangelia, et quod papa tenere debet omnia dogmata a conciliis definita? Id enim quod aliquando declaratum est de fide, semper est de fide, nec unquam imposterum poterit neque a papa neque ab alio oecumenico concilio in dubium revocari. Hoc tamen procedit de conciliis auctoritate pontificis celebratis aut saltem confirmatis; at si concilium aliquod auctoritate ipsius destitutum esset, teneturne papa illius canonibus stare? Minime quidem, ut idem s. Gregorius declaravit; nam in fidei causis dixit papam esse iudicem supremum et infallibilem qui eas determinare debet, his verbis: *Si quam contentionem de fidei causa evenire contigerit, ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari* [1]. Sciebat quippe s. doctor non quidem a concilio dari leges pontifici, sed a pontifice dari concilio, prout patres synodi chalcedonensis confessi sunt: *Imperari sibi a pontifice romano, legesque dari et fidei formam praescribi patiuntur et parent* [2]. Dixi autem supra teneri papam stare omnibus dogmatibus *de fide* a concilio definitis; nam in canonibus ad meram disciplinam pertinentibus in concilio statutis bene potest pontifex dispensare, ut eruitur ex epistola 1 Gelasii papae, et ex epistola 51 eiusdem s. Gregorii; et in effectu idem s. Gregorius dispensavit in canone concilii chalcedonensis, ubi omnes regulares episcopis subesse debere statutum fuerat, sed et Gregorius a iurisdictione episcoporum omnes regulares exemit et suis peculiaribus religionis praelatis subiecit.

5. Obiicit praeterea magno apparatu Febronius [3], concilia constantiense et basileense, quibus declaratum fuisse ait papam subiici conciliis. Sed praefatarum synodorum dicta et auctoritatem ad trutinam hic revocare longum esset. et huius opusculi brevitati, quam proposui, adversaretur. Me remitto ad alios auctores, et praesertim ad auctorem *regalis sacerdotii* [4], qui plene ostendit neutram ex his synodis probare pro adversariis; et praecipue respectu

(1) Epist. lib. 4, 52, al. 5, 54.

(2) Vide Acta Conc. 1, 3 et 16.

(3) C. 6, § 1.

(4) Coelestinus Sfondratus, Mediolani natus anno 1649 ordinem s. Benedicti in celebri s. Galli monasterio in Helvetia ingressus, et ibidem abbas electus, edidit librum de *regali sacerdotio* contra gallicanos. Obiit Romae 1696 primo anno cardinalatus ad quem Innocentius III eum evexerat. — *Nota editoris.*

ad synodum constantiensem ostendit quod, adhuc admissis tamquam validis et conciliaribus sessionibus IV et V (in quibus adversarii omne suum fundamentum reponunt), ipsis tamen obstant plures notabilissimi defectus, nempe deliberationis, libertatis, ordinis, auctoritatis et etiam validitatis quoad votantes; scribit enim card. Bellarminus tempore praefatarum sessionum IV et V, concilium non fuisse oecumenicum eo quod non adfuit tunc nisi sola tertia pars Ecclesiae, nempe illi patres tantum qui erant de obedientia Ioannis, deerantque alii de obedientia tam Gregorii quam Benedicti; nec Martinus V in sua bulla alia conciliaria decreta approbavit quam illa quae erant *de fide* (scilicet contra errores Vicleffi et aliorum haereticorum) et quae *conciliariter* statuta fuerant. Sed adhuc admissis ut validis praedictis sessionibus IV et V, probat praefatus auctor ex eisdem concilii verbis apparere quod in illis sessionibus de solo casu schismatis et papae dubii sermo erat, cum ibi dicebatur: *super praemissis;* quae verba a Febronio praetermittuntur. Additur quod natio germanica a concilio cautionem petiit ut post novi pontificis electionem, ante ipsius coronationem reformatio capitis et membrorum statuta fuisset; sed a concilio *fuit dictum quod papa electus ligari non poterat:* additur quod concilium constantiense (ut habetur apud ipsum Febronium [1]) damnavit errorem Wicleffi: *Non est de necessitate salutis credere romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.* Verum est quod episcopi Galliae in congressu habito anno 1682 dixerunt: *Non probari ab ecclesia gallicana qui eorum decretorum robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.* Sed verum etiam est quod deinde multi episcopi, qui in illo congressu adfuerunt, in quadam epistola ad Innocentium XII anno 1692 scripserunt: *Se de gestis huiusmodi vehementer quidem et super omne id quod dici potest ex corde dolere, ac quaecumque in praefatis comitiis suis anno 1682 statuta fuissent quae Sanctitati suae displicuerant, sive circa ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem decreta... pro non decretis nec deliberatis habere et habenda esse; serio insuper spondentes se ita in posterum gesturos, ut etc.*

6. Respectu autem ad synodum basileensem, illa communissime non pro synodo oecumenica sed pro conciliabulo reputatur. De ea card. Turrecremata, testis de visu, scripsit quod decreta contra papae auctoritatem condita fuerunt ad furorem quorumdam hostium apostolicae sedis, cum multitudine populi parvi pretii et nullius auctoritatis. Et Aeneas Silvius (ut refert Ludovicus Muratorius in suis *Anecdotis, tom. 1*) in oratione peracta anno 1452 adversus australes, loquens de praefatis decretis, dixit: *Inter Episcopos vidimus in Basilea coquos et stabularios orbis negotia iudicantes. Quis horum dicta vel facta iudicaverit legis habere vigorem?* Unde merito s. Antoninus et s. Ioannes de Capistrano hanc Basileae synodum appellaverunt *conciliabulum viribus cassum*, *synagogam Satanae, synodum profanam, excommunicatam et basiliscorum speluncam.* Praeterea in bulla *Moyses* Eugenii IV, a concilio florentino approbata, dictum fuit: *Propositiones*

(1) Cap. 2, § 3 n. 1.

iuxta pravum Basileensium intellectum (nempe circa auctoritatem concilii supra papam) *velut Scripturarum et ss. patrum et ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium, tamquam impias, scandalosas etc., ipsàs, sacro approbante concilio, damnamus et reprobamus.* Itaque, ad habendam synodum basileensem tamquam generalem et legitimam, deberemus concilium florentinum illegitimum reputare; sed, ut vidimus [1], ipsi quoque Galli ut legitimum illud tuentur, et Iuveninus pluribus momentis id probat. Dicit Febronius per duas bullas Eugenium revocasse synodi basileensis dissolutionem prius praeceptam: sed Febronius (omissis aliis responsionibus) saltem meminisse debet de duabus conditionibus in praedictis bullis Eugenii appositis; prima, ut auferrentur omnia quae adversus pontificiam potestatem acta fuerant: secunda, ut in synodo cum effectu legati pontificis admitterentur: quapropter, his conditionibus non impletis, bullae locum habere non potuerunt.

7. Febronius praeterea asserit Concilium Tridentinum pro sua sententia fuisse. Sed somnium somniat: patet enim ex historia Concilii a card. Pallavicino descripta quod licet haec quaestio ibi nec decisa nec discussa fuerit, attamen demtis Gallis, omnes alii episcopi, cum de hoc puncto sermo factus fuerit, suam sententiam pro pontifice satis manifestarunt. Adde quod in concilio lateranensi V, ut notavimus *cap. 4, n. 14*, aperte declaratum fuit papam *supra omnia concilia potestatem habere.*

8. Opponunt canonem *Si papa 6, dist. 40*, ubi papa Bonifacius martyr dixit pontificem romanum *a nemine esse iudicandum, nisi deprehendatur a fide devius.* Ex hoc sic arguunt: ergo papa est capax labendi in haeresim; atque, si labendi capax est, nequit esse infallibilis. Respondemus quod, si unquam papa ut privata persona in haeresim incideret, tunc ipse statim a papatu decideret; cum enim tunc esset extra Ecclesiam, Ecclesiae caput amplius esse non posset. Unde eo casu Ecclesia deberet non quidem eum deponere, quia nemo supra papam ius habet, sed eum a pontificatu lapsum declarare. Diximus: si papa *ut privata persona* laberetur in haeresim: nam papa tamquam papa, nempe docens totam Ecclesiam ex cathedra, non potest aliquem errorem contra fidem docere, quia deficere non potest promissio Christi, nimirum contra Ecclesiam numquam inferi portas esse praevalituras; et hic repetere oportet celebrem illam sententiam Origenis [2]: *Manifestum est quod si praevalerent (portae inferi) adversus petram in qua fundata Ecclesia est, contra Ecclesiam etiam praevalerent.*

9. Opponit etiam Febronius tritam illam obiectionem adversariorum: totum non potest esse minus quam pars: papa est pars Ecclesiae: ergo Ecclesia, quae totum est, est maior papa. Respondent fautores papae, et recte respondent, quod licet papa sit pars, est tamen pars principalis Ecclesiae, cum sit eius caput; et cum sit caput, est totum a quo omnia membra dependent. Corpus est capite maius; sed corpus dependet a capite, dum a capite omnes vitales spiritus corpus accipit. In quantitate grex maior est pastore; sed in qualitate pastor

(1) Cap. 4, n. 11.

(2) In Matth. 16.

maior est grege. Rex est pars regni, nempe hominum qui regnum componunt; sed rex regnicolis omnibus dominatur; et omnes, sive dispersi sive in corpore congregati, regnicoli regi subiiciuntur. Ecce in nihilum redacta haec magna adversariorium obiectio: *Totum est maius parte.*

CAPITULUM IX.

Febronius plura asserit quae deinde non probat; imo a nobis probatur oppositum.

1. Febronius asserit primo quod convocatio conciliorum minime ad papam pertinet. Sed Pius II in sua constitut. *In minoribus* testatur: *Nullum invenimus (concilium) fuisse ratum quod, stante romano indubitato praesule, absque ipsius auctoritate convenerit.* Cuinam credendum: pontifici, an Febronio? Deberet saltem ipse credere Hincmaro, qui parum benevolus erga sedem apostolicam fuit, et tamen sic confessus est: *Apostolicae sedis iussione et imperiali convocatione semper olim (concilia) fieri solita* [1]. Credere deberet s. Athanasio (prout legitur apud s. Gregorium), qui scripsit patres concilii nicaeni I concorditer statuisse nullum concilium sine pontificis auctoritate celebrandum: *Scimus in nicaena magna synodo ab omnibus concorditer esse roboratum non debere absque pontificis romani sententia concilia celebrari.* Item in concilio chalcedonensi [2], declaratum fuit Dioscorum ab ecclesia Alexandriae iussu pontificis remotum fuisse, *quia* (attende rationem) *synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicae, quod nunquam* (nota) *licuit, nunquam factum est.* Item de concilio ephesino (in epistola eiusdem quae incipit *Circa pietatem*) legitur: *Haec itaque etiam primus sanctissimus episcopus romanus Caelestinus, antequam colligeretur sanctissima synodus, nunciavit.* Item in concilio nicaeno II sub Adriano I reprobata fuit antecedens synodus constantinopolitana eo quod sine papae consensu congregata fuerat: *Quia non habuit* (ut legitur *act. 6*) *cooperarium romanum pontificem, quemadmodum fieri in synodis debet.* Praeterea episcopi ad imperatorem [3], sic scripserunt: *In chalcedonensium civitate multis episcopis convenientibus per iussionem Leonis romani pontificis, qui vere caput est episcoporum etc.* Et in relatione ab ipso concilio ad papam missa [4], dictum fuit: *Tu quidem, sicut membris caput, praeeras in iis qui tuum tenebant ordinem etc.* Praeterea Pelagius II declaravit irritum quoddam concilium, quia factum sine assensu pontificio, ut habetur in *c. Multis 5, d. 17.* Ita pariter Iulius papa ob eamdem causam irritavit aliud concilium Antiochiae congregatum, ut refert Socrates [5]. Praeterea Paschalis II (ut habetur in *cap. Significasti, extrav. de elect.*) scripsit: *Omnia concilia per romanae ecclesiae auctoritatem facta sunt et robur acceperunt, et in eorum statutis romani pontificis patenter excipitur auctoritas.* Hocque vigore illius plenae potestatis quae a Domino pontifici tradita est, ut concilium florentinum declaravit verbis illis: *Et ipsi in b. Petro regendi Ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis conciliorum*

(1) Epist. 33, c. 20.
(2) Act: 1.
(3) Ep. 32 in 3 par. conc. chalced.
(4) Epist. 98. (5) Hist. lib. 2, cap. 8

et in sacris canonibus continetur.

2. Sed clamat Febronius dicens quod in octo primis conciliis generalibus, et praesertim quatuor constantinopolitanis pontifices nullam habuerunt partem. Sed facto probatur oppositum: nam primum concilium Constantinopoli celebratum sub Theodosio seniori imperatore in tantum potuit dici oecumenicum, in quantum a s. Damaso ut tale fuit declaratum; in eo enim concilio nullus occidentalium episcoporum intervenit. Ultraquamquod plura adsunt documenta quibus probatur concilium illud auctoritate pontificis fuisse convocatum. Theodoretus enim [1], refert epistolam patrum eiusdem concilii ad s. Damasum, ubi scripserunt: *Et nos ut propria membra per litteras Dei amantissimi imperatoris evocastis.* Item in synodo VI, *actione 18*, sic legitur: *Maximus Theodosius imperator et Damasus fidei adamas obstiterunt Macedonio.*

3. Asserit secundo Febronius [2], quod nullus pontificum ausus est discutere definitiones conciliorum pro generalibus habitorum, sed contra pontifices suas definitiones ad concilia transmittebant ut ab illis confirmarentur. At penitus in utroque errat. Constat enim quod in primis Ecclesiae saeculis haereses, quae iis temporibus pullulaverant, pontifices damnarunt, et ipsorum damnationibus omnes fideles acquievere; idque accidit, ut alibi notavimus, quoad haereses nicolaitarum, ebionistarum, marcionistarum, cerdonistarum, novatianorum, valentinianorum, apellianistarum, tertullianistarum, hermogenistarum et aliorum. Id testatur s. Augustinus [3], ubi reprobans qui dicebant omnino concilia esse necessaria ad haereses damnandas, scribit: *Quasi nulla haeresis aliquando, nisi synodi congregatione, damnata sit; cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit.* Insuper id testatus est etiam concilium romanum oecumenicum anno 869 sub Adriano II, ubi in actione 3 dictum fuit: *Retro olimque semper cum haereses et scelera pullularent, noxias illas herbas et zizania apostolicae sedis romanae successores extirparunt.* Et adhuc in subsequentibus saeculis plures aliae haereses a pontificibus sine concilio proscriptae fuerunt, nempe Ioviniani, Priscilliani, Pelagii, Vigilantii, Berengarii, Gilberti Porretani, et ultimo Baii et Iansenii.

4. Respondemus praeterea, quod licet in sequentibus saeculis pontifices curaverint quasdam eorum damnationes a conciliis oecumenicis confirmari, huiusmodi tamen confirmationes non quidem a pontificibus requisitae fuerunt ut ipsorum definitiones vim obligandi adipiscerentur, uti vult supponere Febronius, sed ut iudicium solemnius redderetur: item ut episcopi, res in concilio discutiendo, plenius de veritatibus fidei instruerentur, et sic melius postea suas dioeceses instruerent: item ut sic ora occluderentur incredulorum, qui cum a solis pontificibus condemnantur, solent eos inculpare vel de ignorantia vel de omissa debita quaestionis discussione: ut demum populi ad se tuendos a seductoribus cautiores fierent. Hae sunt verae causae ob quas pontifices, postquam errores damnaverunt, curarunt ut etiam a conciliis damnarentur. Ac ideo Zosimus papa ad episcopos Carthaginienses (ut

(1) Lib. 5, cap. 9. (2) cap 6, § 6.

(3) L. 4 contra duas Epist. Pelag. cap. 12.

refert Baronius anno 518, *num.* 5) scripsit: *Quamvis patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper servaverit; tamen, cum tantum nobis esset auctoritatis ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus quod non ad vestram notitiam ultro referremus: non quia* (notetur) *quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid quod contra utilitatem Ecclesiae veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum.*

5. Caeterum pontifices post suas definitiones minime quidem conciliorum confirmationes expectabant ut illae firmae et irrefragabiles evaderent, sed ipsi conciliis normam praescribebant, quomodo ab eis decreta formanda fuissent. In causa Nestorii ab initio s. Cyrillus alexandrinus, qui principaliter operam dedit ut error Nestorii proscriberetur, scripsit pontifici Caelestino: *Digneris quid hic sentias, praescribere... Porro tuae integritatis mens est super hac re sententia piissimis totius orientis antistitibus perspicue per litteras exponi debet: nam, cupientibus illis ansam dabimus ut omnes uno animo in una sententia persistant.* En quomodo existimabat s. Cyrillus quod Caelestini sententiae omnes episcopi acquiescerent. In actis autem Concilii Ephesini (ut refert idem Febronius *c.* 5, § 4) habetur quod Caelestinus ad s. Cyrillum Alexandrinum sic scripsit: *Auctoritate igitur tecum nostrae sedis adscita, vice nostra usus, hanc exsequeris destricto rigore sententiam ut infra decem dies* (*Nestorius*) *pravas praedicationes suas condemnet etc. Eadem scripsimus ad ss. fratres et coëpiscopos nostros, Ioannem, Rufum etc. ut nota sit de eo nostra, imo Christi divina sententia.* Scripsit etiam (ut habetur *act.* 2) ad patres Concilii: *Direximus pro nostra sollicitudine ss. fratres* (*legatos*)..., *qui iis quae aguntur intersint, et quae a nobis ante statuta sunt exsequantur.* Scripsit insimul ad suos legatos: *Auctoritatem sedis apostolicae custodiri debere mandamus, siquidem et instructiones quae vobis traditae sunt, haec loquuntur* [1]. Quapropter patres in prolatione sententiae contra Nestorium dixerunt: *Coacti per sacros canones et epistolam ss. patris nostri et comministri Caelestini, Romanae Ecclesiae episcopi, et lacrymis perfusi, ad lugubrem hanc sententiam necessario venimus etc.* Sed dicitur ibi *coacti per canones;* ergo non per solam epistolam Caelestini. Equidem, quia pontifices dubia fidei non definiunt pro suo libito, sed iuxta Scripturas sacras et canones praecedentium conciliorum vel pontificum.

6. Accedit quod Arcadius, unus ex legatis, haec protulit: *Nos, secuti sanctiones ab initio traditas etc.; nec non secuti formam Caelestini ss. papae etc.; cognoscat Nestorius se episcopali dignitate exutum etc.* Accedit quod post sententiam latam a concilio contra Nestorium pervenit ad Chalcedoniam Philippus, alter legatus papae, qui, post exactam inquisitionem rerum gestarum, omnia exsecuta iuxta papae sententiam invenit, et tunc Philippus et alii legati acta concilii confirmaverunt. Id Febronius advertere debebat, dum scripsit [2], esse inauditum pontifices unquam ad

(1) Apud Balut. in nov. collect. Concil.

(2) Cap. 6, § 6.

examen revocasse gesta ab aliquo concilio generali. Claudat os Febronii saltem p. Natalis Alexander, suus carissimus socius, qui [1], scripsit: *Ephesino concilio praefuit Caelestinus per legatos; maxima ratio habita fuit ipsius sententiae ab eo latae, ad eamque patres decretum ac sententiam suam exegerunt, ut ex illius auctoritate sacrum illud concilium factum intelligatur ac dicatur*. Et antea scripsit etiam Gennadius [2]: *Caelestinum decreta synodi contra Nestorium dictasse etc.*

7. Praeterea s. Leo in sua epistola ad patres Concilii Chalcedonensis scripsit: *Fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam... nec liceat defendi quod non licet credi, cum, secundum evangelicas veritates... apostolicamque doctrinam, lucidissime per litteras quas ad b. m. Flavianum misimus, fuerit declaratum quae sit de sacramento incarnationis D. N. pia et sincera confessio.*

8. Praeterea in eodem Concilio Chalcedonensi (cuius nimis iniuste unus ex adversariis, *auctor instructionum etc., cap. 25*, dubitat an fuerit oecumenicum) patres dixerunt: *Beatissimi papae urbis Romae, quae est caput omnium ecclesiarum praecepta habemus..., hoc nos observare necesse est*. Atque in actione 3 prius iam dixerunt: *Sanctissimus archiepiscopus Romae Leo per praesentem s. synodum, una cum b. Petro, qui est petra et crepido ecclesiae catholicae et rectae fidei fundamentum, nudavit eum (Dioscorum) episcopatu etc.* Et ut legitur in actis eiusdem concilii [3], expresse confessi sunt patres: *Imperari sibi a pontifice romano legesque dari et fidei formam praescribi patiuntur et parent*. Quid clarius? Demum, post extensa decreta, illorum confirmationem expostulantes, sic pontificem obsecrarunt: *Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora iudicium; et sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat*. Ecce quam diverse loquuntur concilia de pontifice Romano quam Febronius, qui papam fere omni eius auctoritate quaerit expoliare. Scripsit postea s. Gelasius papa [4], loquens de Concilio Chalcedonensi: *Cognoscant igitur illud secundum sacras Scripturas traditionemque maiorum pro fide catholica, pro qua hanc fieri formam sedes apostolica delegavit factamque firmavit, a tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem quae apostolica sedes nullatenus delegavit, mox a vicariis sedis apostolicae contradicta.*

9. Praeterea in quodam concilio constantinopolitano II a patribus dictum fuit: *Nos apostolicam sedem sequimur, et ipsius communicatores communicatores habemus, et condemnatos ab ipsa et nos condemnamus*. Item quoad hoc concilium, quamvis Vigilius papa fuerit prius diversae sententiae, tamen, cum postea res clarius fuerint patefactae, ipse condidit celebre illud decretum, appellatum *Constitutum Vigilii* de tribus capitulis, ubi dixit: *Statuimus nulli licere contrarium proferre his quae praesenti statuimus constituto, aut aliquam post praesentem definitionem movere quaestionem*. Et inde ipse Vigilius concilium confirmavit, ut probant Petrus de Marca, Evagrius [5], ac ipse Photius, quamvis

(1) Diss. 7, saec. V, qu. I.
(2) De script. eccl. c. 54.
(3) Vide Acta 1, 3 et 16.
(4) Opusc. de anathem.
(5) Lib. 4, cap. 37.

acerrimus hostis ecclesiae romanae [1]; atque etiam in synodo VI [2], de tali confirmatione mentio fit.

10. Praeterea s. Agatho papa, loquens de patribus synodi constantinopolitanae III contra monothelitas, ad Augustos scripsit: *Nihil profecto praesumant augere, minuere vel mutare, sed traditionem huius apostolicae sedis, ut a praedecessoribus pontificibus instituta est, enarrare. Haec apostolica eius ecclesia numquam a via veritatis deflexa est; cuius auctoritatem, utpote apostolorum principis, semper Christi ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt etc.* Nota verba: *fideliter amplectentes.* Cum haec epistola Agathonis perlecta fuerit a patribus synodi, ipsi ad pontificem sic scripserunt: *Itaque tibi, ut primae sedis antistiti universalis Ecclesiae, quid agendum sit relinquimus, stantes super firmam fidei petram, libenter perlectis verae confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas a summo apostolorum vertice divine praescriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris haereticam sectam depulimus.* Pontifex autem in epistola missa ad patres concilii expressit id quod ipse definierat, quodque ab eis pro certo et immutabili tenendum erat, dicens mittere eis personas *quae omnium nostrum suggestionem, in qua et apostolicae nostrae fidei confessionem praelibavimus, afferre debeant; non tamen* (perpendantur sequentia verba) *tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre; simpliciter observantes ut haec eadem omnibus praedicari atque apud omnes obtinere iubeatis.* Haec epistola fuit quidem a patribus accepta; unde ipsi, post celebratam synodum, sic pontifici rescripserunt: *Quae in unoquoque negotio sunt pertractata ad vestram beatitudinem mittuntur: ac intelligetis a vicariis Sanctitatis vestrae..., qui recte ac probe ex vestra disciplina in primo fidei capitulo una nobiscum decertarunt. Sic nos, Sancto Spiritu illustrati vestraque instituti doctrina, infesta dogmata impietatis depulimus etc.* Et in actione XVI dixerunt: *Per Agathonem Petrus loquebatur.*

11. Praeterea in concilio constantinopolitano IV, sess. V patres dixerunt: *Neque nos sane novam de illo iudicii sententiam ferimus, sed iam olim a ss. papa Nicolao pronunciatam, quam* (notetur) *nequaquam possumus immutare.* Et *in can. II* dictum fuit: *Papam Nicolaum tamquam organum Sancti Spiritus habentes etc.* En quomodo pontifices non ipsi a conciliorum decretis pendebant, sed ipsi conciliis normam rerum decernendarum praescribebant. Sed quod magis urget est libellus sive formula a legatis praesentata patribus concilii ut ab eis subscriberetur; ibi sic dicebatur: *Quia non potest D. N. Iesu Christi praetermitti sententia:* Tu es Petrus, et super hanc petram etc. *Haec quae dicta sunt probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper catholica servata religio et sancta doctrina. Ab huius ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et patrum et praecipue s. sedis praesulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses simul cum iconomachis.* Pater Natalis Ale-

(1) Lib. de sept. syn.
(2) In Phospon. ad Constant. Pogonat. imp. VII.

xander non renuit fateri [1], hunc libellum magnificum esse argumentum de suprema pontificis potestate: etenim libellus, sive formula illa in concilio lecta fuit, et una voce laudata ac subscriptione approbata; exceptis duobus episcopis, qui *in tertia actione* a concilio expulsi fuere quia subscribere noluerunt. Praeterea in synodo romana, celebrata sub Martino I anno 649 contra monothelitas, refertur epistola concilii africani ad papam Theodorum, ubi sic dictum fuit: *Antiquis regulis sancitum est ut quidquid, quamvis in remotis ageretur provinciis, non prius tractandum, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut huius auctoritate, iuxta quae fuisset, pronuntiatio firmaretur; indeque sumerent caeterae ecclesiae velut de natali fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis.* Haec habentur apud ipsum Febronium, *c.* 5, § 4, *n. 1 circa fin.*

12. Sed cur, instat Febronius, res a pontifice definitae iterum in conciliis discutiebantur, nisi quia sine conciliorum iudicio pontificiae definitiones satis firmae non erant nec vim obligandi habebant? Nequaquam; discutiebantur, respondeo, quia sic ipsimet pontifices optabant ac praecipiebant, non quidem ut veritas circa res definitas quaenam esset inveniretur, sed ut illa iam inventa magis claresceret et apud omnes manifestaretur. Etiam scholae dogmata iam ab Ecclesia definita ad examen revocant, non quidem ad veritatem inquirendam, sed ad illam amplius illustrandam et patefaciendam; sicque agebatur per concilia: sed pontifices, ut mox supra vidimus, eodem tempore praecise iubebant in concilio circa decreta ab ipsis edita nihil immutari, sed omnia statui iuxta instructiones quas ipsi praemiserant. Et si aliquando concilia aliquid de novo decreverint, quod a papa non adhuc statutum fuerat, confirmationem de omnibus a pontifice postulabant.

13. Febronius [2], probare conatur decreta conciliorum generalium nunquam indiguisse confirmatione pontificis. At oppositum multis evidenter demonstratur. Scripsit s. Damasus papa ad patres concilii africani, *epist. 2; Nullo episcoporum numero decreta firmari, quibus romanus pontifex assensum non praebuit; et huius ante omnia exspectandam sententiam esse, nec ulla unquam concilia rata legi quae non sunt fulta apostolica auctoritate.* Et in facto usque a concilio nicaeno I id observatum fuit, ut refertur in synodo romana sub Felice III, ubi dictum fuit: *Tercenti decem et octo ss. patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum atque auctoritatem s. romanae ecclesiae detulerunt.* Epistola synodi rom. *ad cler. et mon. orient.* exstat *in nov. coll. conc. tom. 7.* Et Bayl [3], refert verba epistolae quam patres ad papam Sylvestrum miserunt, nimirum: *Nunc itaque ad vestrae sedis argumentum accurrimus roborari..... Quidquid autem constituimus in concilio nicaeno, vestri oris consortio confirmetur.* Et s. Sylvester altera sua epistola respondit: *Gaudeo promtam vos benignitatem servare etc.; nam et confirmo etc.*

14. Patres concilii chalcedonensis ad s. Leonem scripserunt: *Rogamus*

(1) Diss. 3, saec. IX, § 13.

(2) Cap. 6, § 5. (3) In sua summ. Concil.

igitur, *et tuis decretis nostrum honora iudicium*. Utque refert Cabassutius [1], s. Leo sic respondit: *Ut nutu divino gubernati omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad nostrae sinceritatis comprobationem atque ad eorum quae gesta sunt confirmationem*. Pariter patres concilii constantinopolitani IV scripserunt ad Adrianum papam: *Igitur libenter oppido et gradanter imitatrice Dei sanctitate vestra omnium nostrum conventuum et universalis huius atque catholicae synodi consensum et consonantiam recipiente, praedica eam magis ac veluti propriam; et sollicitius* (nota) *confirma coangelicis praeceptionibus et admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis ecclesiis personet et suscipiatur veritatis verbum et iustitiae decretum*. Pariter synodus constantiensis confirmari debuit a Martino V, ac tridentina a Pio IV, iuxta petitionem quae legitur ibi *sess. 25 de ref. in fin.*, postquam Pius concilium confirmavit per bullam *Benedictus Deus* et eius omnibus fidelibus observantiam praecepit his verbis: *Cum autem ipsa s. synodus, pro sua erga sedem apostolicam reverentia, antiquorum etiam conciliorum* (nota) *vestigiis inhaerens, decretorum suorum omnium confirmationem a nobis petierit...*, *illa omnia et singula auctoritate apostolica hodie confirmavimus et ab omnibus Christi fidelibus servanda esse decrevimus*. Idem quippe peractum fuit ab aliis conciliis. Refert Socrates [2], canonem ecclesiasticum, quo generaliter statutum fuerat: *Ne decreta aliqua absque sententia episcopi romani in Ecclesia sanciantur*. Idemque declaravit s. Gelasius I per constitutionem *Valde* (quae legitur *t. 1 bull. const. 1* § *6*), ubi loquens de sede romana dixit: *Quae et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat*. Atque in § *15* de hoc rationem adducit: *Quoniam sicut id quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit*.

15. Hinc s. Thomas scripsit: *Cuius (pontificis) auctoritate sola synodus congregari potest, et a quo sententia synodi confirmatur* [3]. Haecque veritas negari non potuit ab uno maximorum impugnatorum pontificiae potestatis, qualis fuit Petrus de Marca, in suo libro *de concordia etc.* [4]. Et p. Natalis Alexander [5], loquens de pontifice, non renuit scribere quod in conciliis, eo auctore, omnia decernuntur. Et *pag. 778* scripsit: *Dei providentia et Spiritus Sancti assistentia hactenus effecerunt ut romani pontifices bene gesta concilia approbarent, et male gesta rescinderent*. Haec verba in ore p. Natalis, qui strenue enititur potestatem conciliorum exaltare, et auctoritatem papae deprimere, valde magni sunt ponderis.

16. Praeterea Febronius pluribus in locis sui libri contendit adstruere bene posse appellari a papa ad concilium generale, non autem a concilio ad papam. Sed oppositum etiam multis evidenter probatur. Id declaravit concilium sardicense, quod, ut scribit Sulpitius [6], ab omni orbe convocatum fuit; unde a Socrate [7], non immerito oecumenicum appellatur, cum in ipsum

(1) In not. Eccles. pag. 16.
(2) Lib. 2, c. 13.
(3) Opusc. contr. impugn. relig. c. 4.
(4) Lib. 5, cap. 7, n. 1.
(5) Hist. eccl. tom. 19, pag. 744 primae edit.
(6) Hist. lib. 2. (7) Lib. 2, cap. 16.

convenerint legati Iulii I et tercenti episcopi ab omnibus terrae partibus, ab Italia, Gallia, Hispaniis, Britannia, Africa, Aegypto, Syria, Tracia, Hungaria et ab aliis regnis, ut s. Athanasius enarrat in sua secunda apologia. In canone IV huius concilii dictum fuit : *Cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum iudicio qui in vicinis commorantur locis, et proclamaverit agendi sibi negotium Romae, alter episcopus in eadem cathedra (post appellationem eius qui videtur esse depositus) non ordinetur, nisi causa fuerit iudicio episcopi romani determinata.* Atque in canone VII dictum fuit: *Si aliquis episcopus iudicatus fuerit, ut putet se bonam causam habere, ut iterum iudicium renovetur etc., scribatur... romano episcopo ; et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices etc.* Adverte: *si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur.* Hic canon, scribit p. Natalis Alexander [1], satis ostendit papam non tantum ius habere revidendi causas, ut vult Febronius [2], sed etiam iudicandi appellationes. Eodemque loco, *prop. 1*, p. Natalis probat Petrum et eius successores recepisse hanc potestatem non a concilio (ut etiam contendit Febronius), sed a Christo, in sequela sui primatus; unde infertur concilium sardicense non iam instituisse, sed confirmasse hoc privilegium pontificis. Et deinde idem p. Natalis plurima exempla appellationum ad pontifices refert.

17. S. Thomas [3] scribit ex conciliis chalcedonensi et ephesino haberi quod a concilio appellari potest ad papam, sed non a papa ad concilium: *A quo* (rom. pontifice) *sententia synodi confirmatur, et ad ipsum a synodo appellatur. Quae omnia patent ex gestis Chalcedonensis synodi.* Idem iampridem scripsit etiam Gelasius papa in sua epistola ad Faustum (quae legitur apud Gratianum, *can. Ipsi 9, qu. 3*), dicens eosdem canones statuisse quod appellationes totius Ecclesiae ad sedem romanam deferantur, a qua postmodum nulla superest appellatio : *Ipsi sunt canones qui appellationes totius Ecclesiae ad huius sedis examen voluere deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.* Et in epistola missa ab eodem Gelasio ad episcopos Dardaniae (de cuius authenticitate testantur Facundus Ermeniensis, *lib. 5, c. 4*, ac Ballerini *diss. de antiq. coll. can.*, et habetur *in can. Cuncta 17 caus. 9, q. 3*) dixit: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta romana ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi : neque cuiquam de eius licet iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus.* Et de hoc in eadem epistola tria refert exempla: 1° Athanasii, qui, iniuste accusatus, fuit deinde a Iulio papa tamquam innocens absolutus; unde ipse Iulius [4], scripsit: *Cum igitur istiusmodi allegarentur, et tot testes pro Athanasio starent, et ipse tam iusta pro se afferret, quid, quaeso, non oportuit facere? An non quod ecclesiastici canonis est? hominemque proinde non condemnaremus, sed potius exciperemus, eumque pro episcopo, quemadmodum est, haberemus?* Et deinde: *An ignoratis hanc*

(1) Diss. 28, saec. 4, prop. 2.
(2) Cap. 5, § 6.
(3) Quaest. disput. qu. 10, art. 4 ad 13.
(4) Ep. 4 ad orientales.

esse consuetudinem ut primum nobis scribatur, et hinc quod iustum est decernatur? 2° Chrysostomi, qui prius damnatus fuit in duobus conciliis opera Theophili episcopi alexandrini, sed postea a papa Innocentio I absolutus, ut eruitur a Theodoreto [1]. - 3° Flaviani, qui pariter damnatus in concilio ephesino II, *latrocinio* appellato, ad s. Leonem papam appellavit, ut constat ex eiusdem Leonis epistola, ubi legitur: *Quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit etc.* At in eo libello Flavianus non iam ad concilium appellavit, ut asserit Febronius, sed ad pontificem, ut legitur in libello: *Causa eget solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad pacem cuncta perducere; sic enim haereses et turbae quae propter eum factae sunt facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sanctissimas litteras; removebitur autem et concilium quod fieri divulgatur.* Item refert Sozomenus [2], causas quinque aliorum episcoporum iudicatas fuisse a pontificibus, a quibus illi tamquam innocentes ad proprias ecclesias restituti fuerunt. Insuper Christianus Lupus in quadam sua dissertatione ostendit ius hoc appellationum in romana sede esse divinum, idque pluribus exemplis ostendit.

18. Respectu autem ad appellationes a papa ad futurum concilium observat Petrus de Marca [3], huiusmodi appellationes fuisse novas: *Novam dixi; quia numquam in Ecclesia fuit provocatio a papa ad concilium, licet aliquando, remedio quodam extraordinario, sedis apostolicae iudicium in maiori synodo instauratum fuerit. Aliquando tamen, ad procurandam Ecclesiae tranquillitatem, imperatorum rescripto apostolicae sedis iudicia in maiore synodo instaurari contigit, in qua per legatos romanus episcopus intererat.* Sed haec revera non erat propria appellatio; cum enim appellatio producitur, intervenire non debent iudices a quibus appellatum est.

19. Affert Febronius factum Innocentii III, qui cum a Philippo Augusto Galliae rege requisitus fuisset ad dispensandum in dissolutione matrimonii cum Ingelburge, pontifex respondit: *Si super hoc absque generalis deliberatione concilii determinare aliquid tentaremus, praeter divinam offensam, quam ex hoc possemus incurrere, forsan ordinis et officii nobis periculum immineret.* Ex hoc Febronius et alii adversarii inferunt quod Innocentius verbis illis concilio se subiecit, aut saltem quod confessus sit posse deponi a concilio, si in tali matrimonio contra legem divinam dispensasset. Sed haec illatio valde irrationabilis est: nam respondetur non esse dubium quod si papa esset haereticus declaratus, sicut ille qui publice aliquam doctrinam legi divinae oppositam definiret, posset a concilio non quidem deponi, sed tamquam haereticus a pontificatu declarari lapsus; et hoc erat periculum indicatum ab Innocentio, ne privaretur *ordine et officio:* quapropter ipse prius in eadem epistola scripserat non audere hoc punctum definire contra evangelium, ubi dicitur: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Sed quia periculum erat valde remotum,

(1) Lib. 5, cap. 34.
(2) Hist. lib. 3, cap. 7.
(3) Lib. 4. c. 17, n. 1.

et contra pontifex quaerebat quadam apparenti excusatione se liberare ab instantibus petitionibus regis ad dispensandum, ideo illa obscura et dubiosa verba scripsit: *forsan ordinis et officii nobis periculum immineret*. Caeterum verbis illis quippe Innocentius non intellexit asserere papam subesse concilio, dum ipsemet Innocentius *in cap. Innotuit, de elect.*, declaravit potestatem pontificis non posse a concilii potestate limitari, sic dicens: *Quamvis autem canon (scilicet tertius) lateranensis concilii ab Alexandro praedecessore nostro editus non legitime genitos adeo persequatur, quod electionem talium innuit nullam esse; nobis tamen per eum ademta non fuit dispensandi facultas..., cum non habeat imperium* (nota) *par in parem*. Et advertatur hic ab Innocentio canonem illum concilii vocari canonem a papa *Alexandro* statutum, et cur? quia sciebat Innocentius omnes conciliorum canones ab auctoritate pontificis robur accipere.

20. Sed, omissis aliis quae respectu ad huiusmodi appellationes a papa ad futurum concilium adduci possent, notandum quod in conventu mantuano, anno 1461 congregato adversus Dietherum archiepiscopum moguntinum, qui ad futurum concilium appellaverat, Ridolphus, papae internuntius, qui ibi intervenit, sic Dietherum exprobravit: *Quem appellasti iudicem? Futurum concilium, dicis, appellavi. Ubi est futurum concilium? ubi sedet? ubi tribunal eius requirimus? Is iudex appellatur qui nusquam reperitur?* In eodem autem conventu lex edita fuit quae appellantibus ad futurum concilium eamdem irrogat poenam qua fautores haereticorum plectuntur. Unde Dietherus postea suam appellationem revocavit. S. Antoninus [1], affert rationem propter quam nequit a papa ad concilium appellari: *Quia Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis; unde* [2], *dicit Christus:* Fiet unum ovile et unus pastor. *Si licitum esset appellare a papa, papa non esset caput, sed essent duo capita.* Pauca verba, sed rei substantiam mirabiliter explicant. Ac proinde idem s. Antoninus [3], non dubitavit sic scribere: *Sed nec ad concilium generale a papa appellari potest, quia papa est omni concilio superior; nec robur habet quidquid agitur, nisi auctoritate romani pontificis roboretur et confirmetur. Sentire ergo quod a papa ad concilium appellari possit, haereticum est.* Cardinalis Bellarminus scribit quod saltem *qui contrarium sentiunt a temeritate magna excusari non possent.* P. Ioannes Laurentius Berti scribit: *Quorumdam sententia de appellatione a sententia pontificum ad concilia et de infallibilitate romanae et apostolicae sedis dependenter ab aliorum episcoporum approbatione, licet tanta animositate tantoque argumentorum apparatu a nonnullis propugnetur, falsissima est* [4].

21. Additur quod Pius II in sua constitutione *Execrabilis* adversus appellantes ad concilium excommunicationem indixit his verbis: *Nemo audeat a sententiis nostris ac successorum nostrorum appellationem interponere. Si quis autem contra fecerit..., ipso facto sententiam exsecrationis incurrat, a qua nisi*

(1) P. 3, tit. 23, cap. 3, § 3.
(2) Io. 10.
(3) Ibid.
(4) De theol. discipl. lib. 17, c. 5.

per romanum pontificem absolvi non possit etc. Haec autem constitutio confirmata fuit a Sixto IV anno 1483 alia constitutione, in qua Sixtus dixit quod Pius suus praedecessor *appellationes huiusmodi irritas, sacrilegas et haereticas esse declaravit.* Scribitque Odericus Raynaldus[1], Ludovicum Galliae regem hanc Sixti constitutionem accep tasse et praecepisse in regno public ri; de qua publicatione deinde paontifex peculiari epistola ipsi gratias egit. Omitto alia quae super hac re addere possem; tantum dico quod magnum animum habere deberet qui vellet despicere excommunicationem hanc quae adversus appellantes ad futurum concilium a duobus pontificibus publicata fuit: ad licite appellandum opus esset ut ipse de praeeminentia concilii supra papam tantam certitudinem haberet quae certum eum redderet non posse papam transgressores excommunicationi subiicere; sed hanc certitudinem nescio ex dictis in hac opella quomodo haberi possit, dum ipsimet adversarii fatentur eorum sententiam de superioritate concilii non esse plus quam meram opinionem. Fertur p. Natalem Alexandrum in sua decrepita aetate hunc habuisse animum appellandi ad concilium; sed gratias Deo ipse referat quod ante mortem suam appellationem retractavit, alioquin suae aeternae salutis non magnam spem reliquisset.

22. Plura alia hic possem adiicere, sed nolo esse prolixior: ab initio enim duo mihi proposui; primo, ut haec opella esset brevis, ut sic facile et libenter ab aliis perlegi posset; secundo, ut tantum illa duo principaliter probarem, nimirum, pontificem romanum super univèrsam Ecclesiam supremam seu plenam habere potestatem, eiusque iudicia in rebus fidei esse infallibilia. Atque haec sat explorate iam probasse existimo ex ipsarum synodorum generalium dictis et ss. patrum sententiis. Mihi permittatur ideo, pro conclusione huius libelli, praedictas synodorum et patrum auctoritates concinnatas hic coniunctim repetere. Concilia quippe videntur supremam auctoritatem papae eiusque infallibilitatem luculentius declarare non valuisse. In concilio enim nicaeno I dictum fuit: *Cui (pontifici) data est potestas, ut qui sit vicarius Christi super cunctos populos et cunctam ecclesiam christianam.* In concilio chalcedonensi dictum fuit: *Omnia ab eo* (scil. Leone papa) *definita teneantur tanquam a vicario apostolici throni.* In concilio lateranensi III dictum fuit: *In Romana Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit recursus ad superiorem haberi.* In concilio constantinopolitano IV, loquendo de sententia pontificis dictum fuit: *Neque nos novam sententiam ferimus, sed iam olim a papa Nicolao pronuntiatam, quam nequaquam possumus immutare..., sequentes in omnibus apostolicam sedem, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas.* In concilio lugdunensi II dictum fuit: *Romana ecclesia summum et plenum principatum super universam Ecclesiam obtinet cum potestatis plenitudine.* Ac deinde: *Si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri.* In concilio viennensi Clemens V, loquens de quaestionibus fidei dixit: *Ad quam* (scilicet ad sedem apostolicam) *dumtaxat haec declarare per-*

(1) Annal. eccl. anno 1483, num. 22.

tinet, sacro approbante concilio declaramus etc. In concilio constantiensi damnata fuit propositio Ioannis Wicleffi: *Non est de necessitate salutis, credere romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.* Ergo credere romanam ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias *est de necessitate salutis.* In concilio florentino dictum fuit: *Definimus romanum pontificem totius Ecclesiae caput, patrem ac doctorem exsistere et ipsi in b. Petro regendi Ecclesiam a Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.* In concilio lateranensi V dictum fuit: *Solum romanum pontificem, tamquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, nedum ex sacra Scriptura, dictis patrum, sed propria eorumdem conciliorum confessione constat.* Demum in concilio tridentino dictum fuit: *Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita etc.* Dicere autem quod papa habet quidem supremam potestatem, sed concilio generali subiectam, non est explicare, sed omnino sensum et proprietatem verborum detorquere et corrumpere; suprema enim potestas est illa quae nec superiorem nec aequalem habet.

23. Idem quod docent concilia, confirmant testimonia primorum ss. patrum, quorum dicta iam retulimus *c. 5.* Hic aliqua eorum concinnamus. S. Ignatius martyr romanam ecclesiam appellat *castissimam. Spiritu Sancto plenam.* In alio loco dixit: *Qui non obedit (romanis pontificibus) atheus et impius est.* S. Irenaeus scripsit: *Omnes a romana ecclesia necesse est ut pendeant, tamquam a fonte et capite.* Ac deinde: *Ad hanc ecclesiam necesse est omnem convenire ecclesiam; in qua semper conservata est ea quae ab apostolis est traditio.* S. Hieronymus scripsit ad s. Damasum: *Beatitudini tuae, idest cathedrae Petri consocior... Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est qui Christi non est, antichristi est.* Praeterea s. Hieronymus protulit magnam illam sententiam pluries adductam, quod si non detur papae potestas super omnes eminens, salus in Ecclesia non erit, propter schismata, quae aliter evitari nequeunt: *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes.* S. Cyprianus in uno loco scribit: *Qui Petri cathedram deserit, in Ecclesia non est.* In alio loco: *Una ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata... Quisquis alibi collegerit, spargit.* In alio scribit: *Neque aliunde haereses obortae sunt, quam inde quod non unus in Ecclesia sacerdos et iudex vice Christi cogitatur.* S. Athanasius scribit: *Romana ecclesia semper conservat veram de Deo sententiam.* S. Gregorius Nazianzenus scribit: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet*

rectam fidem, sicut quae toti orbi praesidet. S. Optatus milevitanus: *Iam schismaticus esset qui contra singularem cathedram* (*Petri*) *alteram collocaret.* S. Cyrillus scribit: *Petro eiusque successoribus suprema Ecclesiae, nullique alteri, est commissa cura.* S. Augustinus scribit: *In romana ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit principatus.* In alio loco, loquens de sede romana, scribit: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri: ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae.* In alio loco scribit: *In verbis apostolicae sedis tam certa est catholica fides ut nefas sit de illa dubitare.* S. Hilarius scribit: *Tanta ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum Ecclesiae fundamentum et in terreno iudicio iudicem coeli nuncuparet.* Ven. Beda scripsit: *Specialiter Petrus claves et principatum iudiciariae potestatis accepit, ut omnes intelligant quia quicumque ab unitate societatis illius se segregant, non possint ianuam regni coelestis ingredi.* S. Petrus Chrysologus scribit: *Beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* S. Fulgentius scribit: *Adeo quae a pontifice romano decernuntur certa esse, ut quod ille docet, totus orbis christianus nihil haesitans credat.* S. Gregorius magnus scribit: *Si quam contentionem de fidei causa evenire contigerit, ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* S. Bernardus scribit: *Infallibilitatis pontificiae praerogativam constantissima perpetuaque ss. patrum traditio commonstrat.* S. Thomas de Aquino scribit: *In Ecclesia unitas fidei esse non posset, nisi quaestio de fide exorta determinaretur per eum* (scil. papam) *qui toti Ecclesiae praeest.* Et alibi: *Petro dixit:* Pasce oves meas etc. *Per hoc autem excluditur quorumdam praesumtuosus error qui se subducere nituntur a subiectione Petri, successorem eius romanum pontificem universalis Ecclesiae pastorem non recognoscentes.* Idem scribit s. Bonaventura: *Papa non potest errare suppositis duobus: alterum ut intendat facere dogma de fide etc.* Du-Vallius, doctor gallus, loquens de nostra sententia, scribit: *Nemo nunc est in Ecclesia qui ita pro certo non sentiat, praeter Vigorium et Richerium, quorum si vera esset sententia, totus fere orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret.* Card. Bellarminus hinc concludit quod opposita sententia *videtur erronea omnino et haeresi proxima.*

24. Febronius, sicut diximus, ad effectum declinandi ab his auctoritatibus tam conciliorum quam ss. patrum, dicit concilia locuta esse in saeculis obscuris ignorantiae, in quibus abditae erant veritates, et ss. patrum elocutiones fuisse *figuratas* aut *ampullatas.* Sed in istis non credo quemquam inveniri posse virum sanae mentis qui Febronio consentiat, dicendo quod dicta conciliorum per ignorantiam prolata fuerint, et quod patrum testimonia

fuerint *figurata* aut *ampullata:* sic enim eludi posset omnis vis traditionis. Traditio enim ex his tantum fontibus, nimirum conciliorum et ss. patrum, eruitur; in hoc enim puncto concilia et patres non sine magno fundamento suas sententias porrexerunt, sed innixi super testimonia evangeliorum: *Tu es Petrus, et super hanc petram etc. Et tibi dabo claves etc. Pasce oves meas etc.* Hinc s. Bernardus, ut mox supra retulimus, dixit: *Infallibilitatis pontificiae praerogativam constantissima perpetuaque ss. patrum traditio commonstrat* [1]. Et Melchior Canus scripsit: *Constat autem, romanos episcopos Petro in fidei magisterio successisse, ab apostolis esse traditum* [2]. Ibique subdidit: *Nos autem communem catholicorum sententiam sequamur..., quam sacrarum litterarum testimonia confirmant, conciliorum patres affirmant, apostolorum traditio probat.* Et concludit: *Pestem eos Ecclesiae et perniciem afferre qui adstruunt summum pastorem errare in fidei iudicio posse.*

25. Denique obsecro omnes qui pro bono Ecclesiae zelum fovent, ut fervidas iugesque preces Domino praebeant, qui Ecclesiae suae usque ad saeculorum finem adsistere, et nunquam fore permissurum portas inferi adversus eam praevalere promisit, ut in omnibus fidelibus reverentiam et obedientiam confirmet et augeat erga romanum pontificem, quem Christus Dominus in terris ad destruendos cunctos errores contra fidem nobis benigne reliquit.

(1) Epist. 190 ad Innoc. II.

(2) De locis theol. l. 6, cap. 7.

FINIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coërcendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae

sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1.

Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2.

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

3.

Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4.

Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5.

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6.

Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7.

Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones· item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

8.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

9.

Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10.

Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11.

Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12.

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excomunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse

et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit, quoad absolutos, obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1.

Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Iulii 1745, *Ubi primum* 2 Iunii 1746, *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746.

2.

Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3.

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, ve ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4.

Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5.

Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes.

6.

Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam.

7.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes

8.

Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9.

Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet cuiuscumque sint dignitatis.

10.

Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem

11.

Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum* 2 Ianuarii 1569.

12.

Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13.

Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX *Quae ab hac Sede* pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam* 26 Iunii 1592, et Alexandri VII *Inter ceteras* nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14.

Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia

15.

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17.

Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

1.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2.

Procurantes abortum, effectu sequuto.

3.

Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

1.

Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2.

Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3.

Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* De Reb. Eccl. non alienandis.

4.

Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV Constit. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV Constit. *Sacramentum Poenitentiae* 1 Iunii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latae Sententiae Summo Pontifici reservatae.

1.

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3.

Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt Ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus,

4.

Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5.

Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

6.

Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7.

Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis, ante Ordinem Sacrum suscipiendum, exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt, Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae Sententiae reservata.

1.

Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel

ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV cap. VI de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas Eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae

sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeminentia ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

MARIUS CARD. MATTEI Pro-Datarius — N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

Visa de Curia
DOMINICUS BRUTI

Loco ✠ Plumbi

I. CUGNONI

V. Imprimatur; concordat enim cum editione Romana approbata.
Taurini, 28 iunii 1870.

IOSEPH ZAPPATA Vic. Gen.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM

QUAE IN *HOMO APOSTOLICUS* CONTINENTUR

Prior numerus denotat *Tractatum* aut *Appendicem*, alter arabicus denotat numerum marginalem ipsiusmet *Tractatus* aut *Appendicis*.

A

B

C

D

E

G

H

I

L

N

O

P

T

V

FINIS

INDEX

HOMO APOSTOLICUS

TRACTATUS V. DE SECUNDO PRAECEPTO DECALOGI

TRACTATUS SEXTUS DE TERTIO PRAECEPTO DECALOGI

TRACTATUS VII. DE QUARTO PRAECEPTO DECALOGI

TRACTATUS VIII. DE QUINTO PRAECEPTO DECALOGI

TRACTATUS IX. DE SEXTO PRAECEPTO DECALOGI

TRACTATUS X. DE SEPTIMO PRAECEPTO DECALOGI

TRACTATUS XI. DE OCTAVO PRAECEPTO DECALOGI

TRACT. XII. DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

TRACTATUS XIII. DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS
CERTO HOMINUM STATUI PROPRIIS

TRACT. XIV. DE SACRAMENTIS IN GENERE
ET PRAESERTIM DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

TRACTATUS XV. DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

TRACTATUS XVI. DE POENITENTIAE SACRAMENTO

TRACT. XVII. DE SACRAMENTIS EXTREMAE-UNCTIONIS ET ORDINIS

TRACTATUS XVIII. DE SACRAMENTO MATRIMONII

APPENDIX I. QUOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSARIUS IN DIRIGENDIS ANIMABUS SPIRITUALIBUS

APPENDIX II. DE ASSISTENTIA ERGA MORIBUNDOS

APPENDIX III. EXAMEN ORDINANDORUM

APPENDIX IV. DE NONNULLIS MONITIS NOTABILIORIBUS AD CONFESSARIOS ET PAROCHOS ADIECTA PRAXI ORATIONIS MENTALIS

PRAXIS CONFESSARII

INSTITUTIO CATECHISTICA

PARS PRIMA DE PRAECEPTIS DECALOGI

PARS SECUNDA DE SACRAMENTIS

EPITOME

PROPOSITIONES DAMNATAE

VINDICIAE

PRO SUPREMA ROMANI PONTIFICIS AUCTORITATE